
DES


REGIA BIBLIOTECA DELL' UNIVERSITÀ DI TORINO
E. IV. 77





RERUM DANICARUM HISTORIA,

LIBRIS X

Unoq; Tomo ad Domum usq; Oldenburgicam deducta,

AUTHORE
IOH. ISACIO PONTANO
Regio Historiographo.

Accedit Chorographica
REGNI DANIÆ
tractusq; eius universi borealis Urbiumq; DESCRIPTIO *eodem Authore.*

Cum Indicibus locupletissimis.









AMSTELODAMI,
Sumptibus Ioannis Ianssonii,
ANNO 1631.



SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
PRINCIPI

CHRISTIANO IV
DANIÆ, NORVAGIÆ, GOTHORUM VANDALORUMQ;
REGI;
SLESVICENSIUM, HOLSATIÆ, STORMARIÆ ac DITHMARSIÆ
DUCI;
OLDENBURGENSIUM ac DELMENHORSTÆ &c.
COMITI,

Domino suo clementissimo.

MAGNA semper eximiaque illa regum regnorumq; laus fuit, Rex serenissime, longo majorum ac prædecessorum sanguine ac serie, idque suo in solo solioque, censeri. Hinc Galliæ reges à Francis se profectos, Hispani à Gothis; à Normannis Angli, gloriæ sibi jam olim duxêre, hodieque magni æstimant. At tua tuorumque prosapia, Rex potentissime, domui tuæ propria nec aliunde accersita: &, quod accedit, seculis aliquot anterior illis antiquiorque. Nam etiam iis temporibus, cum notum Francorum nomen necdum esset, nec in Orbis adhuc theatrum Gothi aut Normanni vocabulum suum protulissent, Daniæ reges è Cimbris profecti Romanum lacessere Imperium belloque terrere aggressi sunt. Nomina adducere & regum catalogum è Saxone nostro Grammatico retexere, qui istis etiam seculis Christum natum præcessêre, parum fortassis apud plures fidei mereatur. At Strabonem laudari, authorem Augustei ævi,

 quis

quis vitio vertere audeat? Is ſane de ſuo illo ævo deque præſentibus agens, nuperrime ait Cimbrorum legatos è ſuâ peninſulâ, quæ hodie ſat nota, Romam ad Cæſarem Auguſtum miſſos veniſſe, ac, donis allatis, ejus poſtliminio ambiiſſe amicitiam; eâque accepta, domum ad ſuos rediiſſe. Quis item Gregorium Turonenſem ante mille, & quod excurrit, annos de rebus ſui ſeculi loquentem audire aſpernetur? At ille certis jam annalibus, & quibus aſſenſum præbere cuncti tenemur, Daniæ reges, ante Caroli Magni tempora, opibus ac potentiâ floruiſſe dicet. Et in his Gothilacum recenſens, ab eo Magni Clodovei filiorum natu maximum Theodoricum, cui Auſtraſiæ regnum ſortitò obvenerat, valida cum claſſe, atque inde terra quoque impetitum memorat. Et Abbas Stadenſis Albertus ad æram anni DCCLXXVIII, nonne Sigefridum nominat, qui, Caroli Magni temporibus, Vuitichindum, Saxoniæ principem, ſuum in regnum receperit ac armis juverit, utpote fœderatum non modò, ſed generum quoque, & cui filiam ſuam Gevam connubio ſociaverat? Quid Gotricum, ſive ut alij appellant, Godefridum memorabo, qui, fruſtra opponente ſe Carolo, Imperatoris filio, belli virtute Obtotritos ac Nordalbingos ſibi dicto audientes reddidit; ac reportata ex Friſiis inſuper victrice laurea, ultrà Viſurgum & Amaſim fines ſuos prolatavit? Et Gotricus idem ipſi Magno Carolo quàm formidabilis fuerit, hiſtoriæ eorum temporum, & ipſi nos ſuo interius loco oſtendimus. Quid Haraldum referam? qui vel hoc nomine memorandus, quod Daniæ Regum primus ſalutari aqua unà cum conjuge ac fratre Erico, præſente Imperatore Ludovico, Caroli Magni filio, Maguntiæ ad Rhenum tinctus, ac fide Chriſtianâ eruditus, cæleſti exinde doctrina imbui ſuos curavit? Quid deinde referre opus Haraldos alios, quid Canutos, Valdemaros ac Suenothones totque illuſtria paſſim nomina? Qui principum inſequentium progenitores continuatum ad hæc tempora feliciter imperium ſtirpemque protulerunt. Stirpem inquam regeſque ejuſmodi, qui induſtria, juſtitia, clementia, pietate, prudentiâ, ac pari animorum moderatione ac magnitudine, regnum hocce ſtabilitum amplius ampliuſque reddiderunt. Sunt nimirum hæ illæ dotes, quæ imperare imperantes docent; quas & Regibus præcipuè commendat ille Sapiens, ut in perpetuum regnent. Et iſta in vobis dum celebramus, ô Regum maximi, ſimul & Regum illum Regem reſpicimus, à quo illa promanant. qui ſtatum ſtabilem donat; qui eundem cum vertere conſtituit, hæc viciſſim aut tollit aut corrumpit. Ille, ſecundum poetam,

Diuoſque mortaleſque turmas
Imperia regit unus æquo.

Vel

Vel, ut voce limpidiore & magis clatâ sanctissimus vates profatur, Ille solio suo reges collocat, ille eosdem loco movet ac dejicit.

Hos igitur Reges, hosque proavos tuos, Rex inclyte, tot seculorum voluminibus sibi continuè ac ordine succedentes, qui si numerum videamus, propemodò centenarium adæquent, isti Operi, quod tuę nunc Majestati offerimus, ab origine sua repetitos inserui. Eorum præcipue priores Saxo Grammaticus Sialandicus Danus, illustri Langiorum prosapiâ oriundus, ante quadringentos, & quod excedit, annos, mirabili rerum varietate, nec minori dicendi ubertate, sed maxime temporis illud intervallum, Varroni (quod multa in eo referantur fabulosa) Mythicum nominatum, ex patriis ac domesticis carminibus, quod unum, Tacito etiam teste, majoribus nostris memoriæ atq; annalium genus fuit, accuratius pertractans, res insequentes, & quę ævum ejus propius attingunt, tenuius est insequutus. Undę nec æras annorum aut temporis, quo quæque contigerint, indicare curę habuit; satis existimans, si per levia quędam puncta ac temporum quasi gradus aliquam patriæ historiæ lucem fœnerasset. Quocirca Christi natalem Frothoni tribuit, nominis ejus Regum tertio. Longobardorum sub rege Suione, Paulum Diaconum authorem citans, obiter mentionem injicit, Gothorum aut Vandalorum nullo facto indicio. Caroli Magni nomen, rebus moderante Rege Gotrico, quem & Godefredum nominat, sub finem octavi, sed adeò parce inducit, ut sufficere existimarit, si vel ostendisset non ignorata sibi, quę cum maximo illo Imperatorum Rex idem Godefredus bella gesserit. Quin & ante ista, quæ Cimbricæ Chersonesi populus Angli, Vitę, Saxones suis è sedibus in Britanniam transgressi, egregia ac memoranda patrarint, dum eam insulam, obliterato gentis vocabulo, & nominis & potestatis suæ fecerint Angliam appellantes, nuspiam vel meminisse reperio. Danum interim & Angul nominans, illum Daniæ; hunc provinciæ, cui præerat, & gentis simul Anglicæ aptasse nomen leviter innuit, prętereundo per silentium cetera: & eam etiam expeditionem, quę omni ævo memorabilis, & quâ Galliç laciniam boreæ hi populi suam fecerunt, Normanniam appellantes. Canutus quoque Magnus qui ob res externas haud simplice vice, quod illi tribuit, pręconium merebatur, ut omittam parentem quoq; ejus Suenonem sive Suenothonem, quàm tamen levi opera ambobus hac parte defungitur! Cum uterque & pater & filius, iteratis toties classibus; & Magnus præsertim mille navium velis, nec, ut prior & parens ejus, Angliam sibi solùm tributariam, sed suam fecerit, adjiciendo scilicet Daniæ, Suecię, Norvagiæ, Slavorum & Semborum sceptris sextum hoc insuper Anglorum Regnum. Et licet

hęc ità habeant, tamen si inspicere rem propius libeat, ignoscẽdum hic etiàm maximo authorum Saxoni, qui ad extera ista effundere se nimirum noluit, quod limitem sibi Daniam, ac boreę præsertim oras, præscripsisset. Unde & patriæ historię ac rerum borealium vere oceanus ac parens appellandus. Interim nostrarum quod esset partium, quantumque decorè licuit, id operam dedimus, ut hic quod requireretur, sufficeremus; & præter annorum ac temporum seriẽ etiam antiquissimas gentis colonias in mediũ adduceremus, orsi scil. ab ipsis Cimbris, & eorum adversus Romanos Mariumque præliis authoribus tam Græcis quàm Latinis, sed sparsim, memoratis. Et meritò hoc auspicari nobis exordio placuit, quod etiam Archias ille, Marco Tullio Ciceroni tantopere inter Græcorum ingenia laudatus vates, CIMBRICAS RES sibi etiamnum adolescenti dicendas sumserit. qui & ipsi Cajo Mario, licet ad studia ista duriori, jucundus nihilominus ob hoc ipsum fuerit, ut idẽ adjicit Tullius: Indicare scilicet volens, quàm terribile simul Romanis hoc belli fuerit; quàmq; lætum vicissim liberatæ Italię assertiq; imperij diẽ cuncti togatę gentis habuerint. Nec ista modò, ut ad priora me referam, pręstitisse nos post Saxonem lector studiosus reperiet, sed, excussis quoq; exteris domesticisque, & quos habere Saxoni haud licuit, vernaculis barbarisque superiorum temporum chronologis authoribusq;, variè à nobis, quæ insequuntur, adaucta ornataq;. Et pręterea, Regum postremo, quæ desiderabantur, res actaque ad atavum usq; tuum, Rex serenissime, Christianum II. annorum propemodò ccc historiam complectentia, serie continuâ adjecimus.

Quę omnia singulaq; ut uno veluti corpore conclusa ac elaborata haberentur, sæpius multumq; à prędecessoribus tuæ Majestatis ipsoq; te, serenissime Regum, non actum modò, sed illi quoq; ei operæ adhibiti viri, qui omnibus id numeris absolutum excultumq; reddere potuissent, nisi aut tempora, aut fatum hoc invidisset. Nam inter primos, quos repetere altius licet, occurrit Petrus Parvus Rosæfontanus, vir equestri dignitate, nec minus ingenij ornamentis monumentisque clarus. quod vel ostendant, quæ in Gothum, pro Danicâ gente, ac veritate coactus, evulgavit: sed maximè res regis Johannis, inchoatæ quidem illæ, verùm ad colophonem, ut cetera, quæ affecta habuit, ob immaturum ejus discessum haud perductæ. Eum excepit Johannes Suaningius parenti Majestatis tuæ Frederico, ejus nominis II, moderator additus. Sed & ejus operam, post exantlatos aulæ labores, brevis vitę terminus incidit. Hunc proxime sequutus Andreas Vellejus scribendæ historiæ patrię ex regio itẽ mandato provinciam suscepit, & pręter Adamum Bremensem, egregiis adornatum scholiis, etiam Saxonem Grammaticum vernacule

cule loquentem popularibus exhibuit. Et exinde Majeſtas tua Nicolaum Cragium J.C. ſuffecit, virum undequaq; doctiſſimum clariſſimumq; ſed fati minus proſperi. Nam commodum præfecturam Sorenſem auſpicatus, cum in eo jam eſſet ut otio liberaliter indulto frueretur, ei Lacheſis vitæ filum abrupit. Nec multò poſt à tuâ ſimiliter Majeſtate operi admotus Jonas Venuſinus, & eâdem quoq; Sorana præfectura honeſtiſſimè ornatus, initio ſtatim initæ dignitatis rebus humanis eripitur, nullis magnopere, quæ hanc rē ſpectent, relictis poſt ſe operibus, niſi Theorematibus aliquot, quę in academia Haffnienſi, cum ibi profeſſionem ſuſtineret, de hiſtoria vera ac fabuloſa evulgari curaverat. Addi his poteſt, qui Opus nuperrimè Daniæ Regum Genealogicum lingua vernacula, à Rege Frothone, ejus nominis III, ſub quo natū Chriſtum Saxo voluit, ad noſtra hęc tempora magno labore, nec minore induſtria congeſſit, Claudius Lyſcander, regia ſimiliter liberalitate honeſtatus. Sed præter hos omnes maximè recolenda opera viri nobiliſſimi Arnoldi Vuitfeldij ab Odersberg, felicis memoriæ, Regni olim Daniæ Cancellarij, ingenio, labore atq; induſtria præcipui, & cujus operâ noſtram haud leviter adiutam ſenſimus. Is etenim, excuſſis regni archivis, quæcunque haberi monumenta, ad hiſtoriam præſertim ſpectantia, Latina vernaculaq; potuerunt, unum in faſcem ſuopte inſtinctu ſponteque collegit: ac Regum exinde omnium res vernaculè, quantum licuit, ordineque expoſitas, bono publico evulgavit, de quo dixiſſe ſuo loco & aliàs memini.

Atque hiſce demum inſignibus oppido viris, fato ſuo cum laude perfunctis, cujuſmodi & alij, ingenio atque eloquentia præcellentes, hodieq; nec domi deſint indieſq; ſuccreſcunt, qui iſtam multò fortaſſe quam ego exornare ſpartam melius, atque exſequi copioſius ac gravius potuiſſent, me tamen ante decennium, & quod excurrit, tua Majeſtas poſtliminio ſurrogatum, hancce accipere provinciam clementer voluit. Quo nomine tuę Majeſtati, Rex excelſiſſime, quantum debeam, animo haud unquam excidet meo: Quem annis jam pluribus extra ditiones regnaque tuæ Majeſtatis tuumq; ſolum, in quo primus mihi ſpiritus hauſtus, & à teneris non tantum pueritia, ſed & reliquæ quoq; ætatis meę haud exigua portio jucundiſſime eſt tranſacta, veluti peregrinantem eòdem & ad ſua, ut ſic loquar, primordia revocas. Et quod maximum tuæ Serenitatis atq; indulgentię argumentum ſit, me, qui pridem jam Gelrię Ducatus ac Comitatus Zutphaniæ illuſtriſſimis Ordinibus meam in aliquot annos operam obſtrinxeram, loco haud movere, & hic retexere atq; abſolvere hanc telam benigniſſime conceſſiſti, addito inſigni ac regio Majeſtatis tuę ſalario. quod ſcilicet haud ignoraret

 Majeſtas

Majestas tua, sublatis, ut ille inquit, studiorum pretiis ac præmio, etiam studia perire. Et præter hæc, elucet in his singularis divini numinis providentia, quæ cum animum tuæ Majestati addidit, ut inter ardua etiam Regni negotia, nec istam partem derelictam voluerit. Unde & idem summus rerum arbiter eos quoq; secundum Majestatem tuam excitavit egregios ac præeminentes viros, qui hosce Regię Majestatis tuæ laudabiles conatus suo consilio animoque juvare, nosq; suo favore ac cœptum feliciter opus indies promovere, & veluti ergodioctæ adesse laboribus nostris haud desierunt. In quibus vel maxime memorandus illustris ac magnificus CHRISTIANUS FRISIUS toparcha in Cragerup, tuæ Majestatis summus cancellarius, Eques auratus, ac Regni senator primarius, quem suo incitamento &, ut sic dicam, celeusmate, quod olim in simili re Saxoni Grammatico totiq; regno Absalon ille Vidus fuit, nobis præsertim fuisse hac parte meritò confiteri habemus.

Hos igitur tua Majestas primos historiæ Danicæ labores nostros læta fronte, & quasi in antecessum, clementer suscipiet. Proximus hinc ad avos atavosque tuæ Majestatis digressus erit, eorumq; tempora, ut & tuæ Majestatis, quæ illa excipiunt dicenda: ac singulorum (modò vitam Deus proroget) domi forisq;, pace belloque, laudes laureasque enarrandas. Horum in scriniis haud exiguam partem affectam jam pridem servamus, proxime, si Deus volet, pertexendam emoliendamq;. præsertim si tua porro Majestas, suppeditatis, quæ in archiis etiamnum habentur huc spectantia, codicillorum documentis, nos nostrumq; clementissime respicere laborem, ac zephyri sui benignitate magis magisque dignetur provehere.

Tuam interea Majestatem, Rex serenissime, totamque Regiam Celsitudinis tuæ Domum, atque omnes, qui tuæ Majestatis consilia participant, proceres magnatesq;, Deus Op. Max. ad gloriam sanctissimi sui nominis ac bonum regnorum tuorum quàm diutissime custodiat, & sancto suo spiritu regat, ac sospitet universos. Dabam Hardervici Gelrorum VII. Cal. Feb. CIↃ IↃ CXXXI.

Sacræ Majestatis tuæ

cliens devotus

JOH. ISACIUS PONTANUS.

BENIGNO LECTORI.


Ommonendus hic mihi in limine lector erit, constitutum initio fuiße, quæ ad chorographica regionumq; descriptionem pertinerent, ipsi historiæ præmittere. Unde subinde remitti se Lector ad præcedentia & Operis partem priorem reperiet. Verum id consilij cum certis de causis, quas pag. 638 attulimus, immutatum exinde sit, fuse ea omnia ac propius pertractata circa finem historiæ Lector deprehendet. Et Regni quidem totius Danici districtus illos duos, Cimbricam Chersonesum & Scandinaviam, ut veteres appellarunt, nunc Juthiam ac Scaniam dicimus, quod essent præsertim continenti non tantum contigui, sed continui etiam, principe quoq; loco enarrandos sumsimus. Quorum ille, qui est australior, Germaniam Saxonesque, Albim versus, quam proximè accedit, hic per Suiones Finnosque longe lateque diductus, hinc Norvagiam, inde Moschos attingit. Quod vero iisdem est intermedium, insulæ haud unæ sunt, magnæ minoresque, Fionia, Falstria, Zelandia, Lalandia, Langelandia, Samsoa, Mona aliæque. Quas inter Fionia Zelandiaque ut amænitate ità etiam magnitudine præcipuæ sunt, eoque positu, ut illam à Cimbricâ Chersoneso, hanc à proximâ sibi Scandinavia exigua Balthici maris intercapedo seu fretum dispescat. Cimbricam autem Chersonesum, ut & ceteras, quinam veterum primi appellarunt, & quando ea exsoleverit nomenclatura, quàm potuit paucis, sed authoribus certis ac fidem merentibus commonstrare operæ pretium existimavimus. Nec è re magnopere censuimus eorum operosè meminisse aut confutasse opiniones, qui sua sensa commentaq;, non classicis ac probatis authoribus demonstrare, sed ingenio fisi, cujusmodi præcipue Goropius fuit, ea comminisci quæ in rerum natura haud unquam fuère, studio sibi duxere. A quo nec abit, semel iterumque, & paginâ præsertim 644, notatus nobis Suffridus Petri, qui de Cimbricâ Chersoneso loquens, præter ea, quæ locis jam dictis nigro signavimus carbone, ait insuper de origine Frisiorum Lib. 2 cap. 10 Cimbricam peninsulam totis annis trecentis priusquam natus in terris Christus esset à Saxonibus ac Duce eorum Juthone, Frisonis, si Diis placet, filio fuisse occupatam: & inde fluxisse nomen Jutlandiæ: Frisionem vero ipsum, è Persia profectum, Frisiorum exstitisse progenitorem. Quibus aliisque ejusmodi, quæ se ipsa sat redarguant, repetendis ac confutandis supersedere consultius duximus, quàm bonas horas, quod dicitur, male collocare. Sic nec ista ad nos spectare magnopere judicavimus, quæ referunt Gallorum, fabulosæ magis quam veræ, historiæ de Holegero. quem tamen nostratium nonnulli fuisse Gotrici, Regis Danorum, filium crediderunt: & eum quidem quem vulgò in ordine regum LIII, Olaum nominamus. Turpinus quoq;, sive, ut alij vocant, Tilpinus haud indictum eundem habuit, vultque ingenti cum exercitu militasse Carolo Magno adversus Saracenos, alij decem millia militum adduxisse in subsidium ei memorant, ac regem fuiße Daciæ, Gallici scriptores Danemarckiæ regem interpretati sunt. qui præterea de ejusdem proceritate ac corporis robore tum & animi fortitudine ac rei militaris peritiâ ea commemorant, quæ seculi nostri captum superant. Et sunt quoque, qui Otgeram nuncupant velintque duce Carolo Magno profectum in Palæstinam, Hierosolymis potitum, atque inde petitâ Indiâ, ibi vastos occupaße terrarum tractus ac condidisse Imperium Abyssinorum regis. Sed hic suo se sorex indicio prodit. Quis enim veterum, præsertim ex illis qui Carolo coævi fuère, vel per somnium ab eo captam Hierosolymam commeminit?

Qui porro insequuntur versus, quibus nos opusq; hoc nostrum cohonestare viri clarissimi dignati sunt, eos secundum cujusque vocabulum, quod in ordine alphabetico vel prius vel posterius est, collocari fecimus. Et eius quoque commonitum te Lector volui, nescius ne esses.

ÆTATIS LIX. AN
CIϽ.IϽ.C.XXX.

IOH. ISACIUS PONTANUS MED. D. ET IN ILLUSTRI GELROR. GYMNAS. HARDERV.

PROFESS. SERENISS. DANIÆ REGIS ET DUCAT. GEL. HISTORIOGRAPHUS

Natus ubi Danus arcto cervice minaces
Oceani constringit aquas quod Sunda profundum
Vulgus, at indigenæ malunt Oresunda vocare.
Hic natus, Belgis sed utroque parente, retexo
Temporibus tua res clarus, Dania, gentis.
Aptius forsan melius potuisset, at olim
SAXO tuus graphice qui prima exordia duxit.
Hic quoque est, ut saltem accepta voluntas.

Isac. Isaacs pinxit. *J. v. Velde sculpsit.*



EPIGRAMMA
In Historiam de rebus Danicis

Clarissimi, Doctissimique viri

D. IOH: ISACII PONTANI

Illustrissimi Regis Daniæ historiographi.

DANICA gens quali se jactet origine, quanto
Perculerit Latium Cimbrica terra metu:
Ut modò Normannis, leges modò scripserit Anglis,
Iunxerit & sceptris plurima sceptra suis:
Insignes bello Reges, armisque potentes,
Quos vetus à magnis stemma coronat avis:
Parte tenus pelago populos, terrasque natantes
Parte tenus fixo jugera culta solo:
Oppidaque & mores, & priscis eruta saltis
Prælia, magnorum splendida facta Ducum:
Hîc lector studiosus habet, gelidamque per Arcton
Ambulat, atque illo quidlibet orbe videt.
Lectori, PONTANE, præis, veterumque labores,
Inde tuos mirâ dexteritate refers.
Quare, qui laudem regnis, & fascibus addis,
Debebunt laudem Danica regna tibi.

ADRIANUS HOFFERUS.

1628.

ELEGIA
Ad eundem.

AMstela semoto dudum famosior Indo
Quam sibi, & Arctôo non minor orbe stupor,
Mole suâ in Batavis nulli illustratus obibat.
Omnis ad immensum substitit autor opus,

Quâque

Quâque sciunt patriam populi, nescivimus urbem
Incolæ, & hic orbi, non sibi, civis erat.
Donec in abstrusas ævi, PONTANE, *latebras*
Ausus & æternæ noctis adire specum,
Parvaque in excelsum vectæ primordia gentis
Canaque tam cano solvere fata situ,
Ignotisque focis peregrinum addicere civem,
Ut patrios posset, jam sibi, nosse lares,
Tum ductos in vasta foris Pomæria muros,
Versaque in aërias infima prata domos,
Orbem urbi inclusum, deductum in fœdera Gangem
Ambustæque procul nomen amicitiæ
Japonem indigenam. Populum (quid plura) dedisti
Perpetuâ nulli prosperitate parem.
Tanta sequi solas decuit monumenta coronas,
Nec minor huic potuit proximus ire labor.
Iamque instas, PONTANE, *tibi, jam grandior autor*
Aggrederis longe sceptra petita loqui;
Canutos veteres, & nomina nata triumphis
Haraldos, &, quæ dira Britannus habet,
* quasi Eer-rijck *Suenones, & qui titulo virtutis * Erici*
Regali decies nati obiere domo.
Felici calamo seram dare fata quietem
Posteritas à te pendula tota rogat,
Iamque parùm est urbem aut Reges, jam posceris orbem
Quà patet, & Cælo mox adhibendus eris.
Euge animi tam vaste vigor quàm limitis expers.
Singula te, par est, inferiora putes.
Forsitan hæc etiam condet sua, Regna, vetustas,
Imperiique olim finis & ortus erit,
Indigenisque novis (prohibe clementia divum)
Barbarus in tantas ibit arator opes.
Forsitan & , qui sole facis compendia Mundi,
Amstela, ut obdurent secula, nullus eris,
Et potis est moriare, nihil compagine rerum
Afflictâ, (sed & hoc dij prohibete nefas)
Mox possit periisse suus cum Consule Rhetor,
Scriptaque collapsâ cum regione ruant.
Eripe te, PONTANE, *neci, tutusque ruinam*
Effuge, quam pars est tunc subitura tui.
Omnia complexus vives quantùm omnia scriptor,
Nec fas te, mundo non moriente, mori.

CONSTANTER.

In Hi-

In Historiam clarissimi doctissimique viri

D. ISACII PONTANI

De rebus Danicis.

GEntis Hyperboreæ dominos, populosque Trionum,
Sceptraque per Regum continuata manus,
Et formidatam Tarpeis sedibus Arcton,
Et tot Vandalico prælia gesta solo,
Posteritas, te teste, leget PONTANE; nec illud
Nesciet, Augusto judice, Cimber opus.
Ingenio per regna, Duces, urbesque vagaris,
Totaque jam Thetys, totaque Vesta patent.
Sic studiis diversa placent. nunc æthera spectas,
Et procul errantes contrahis arte Deos.
Nunc Phœbi delubra subis, veterumque repurgas
Scrinia, nunc tragicum cura reformat opus.
Nunc memoras priscos intorto crine Sicambros,
Et seclum tenebris eruis omne suis.
Ipse etiam, Occiduis nuper bellator in undis,
Amstela tam grandi vindice lætus ovat.
Hæc scribis, vir docte, tuis. Iam longius actus
Parrhasiæ celebras littora vasta plagæ:
Codanumque sinum solers metiris, & arces,
Et quondam Batavis noxia rura meis.
Scilicet hunc Regi juvat impendisse laborem,
Oceanique Deos demeruisse tibi.
Ut si terra neget pretium, submurmuret æquor,
Nec si Belga satis, plus tamen Arctos amet.

CASPAR BARLÆUS.

In Commentarios Danicos
Clarissimi viri

JOH. ISACII PONTANI.

ΠΟΝΤΑΝΟΥ ἵστωρ εἰμί· πολὺς δέ με πόλλ' ἀνέτλη
Κιμβρογενῶν δ' ἀρχὴν καὶ γένος ὑξαμένα.
Οἷα πάλαι πολέμῳ μεμογηκότες, ἐσχατόωντα
Δυσμὴν καὶ περάτην ἄλυτον ἦγον.
Πάτρα φίλη, σὺ δ' ἄναξ, ἰερὸν δ' ἀνάκειμαι ἄνακτι,
Πρὶν τε ζῶν ἀρετῆς κῦδος ἀπωεσμένη
Τοὺς σφετέρους Ῥώμη, τὰ δ' Ἀχαιῶν παῖδες Ἀχαιῶν.
Κιμβρογενῶν πρήξεις χεῦεν Κιμβρογενής.

Scribebat ex tempore

DANIEL HEINSIUS.


Idem Latinè.

FOetus ego ISACIDAE; *multum enutritus eidem,*
Danorum exortum perficioque genus,
Utque illi quondam jactati fulmine belli
Regna sub occiduis consti tuêre plagis.
Patria chara fave, tuque & rex dexter adesto:
Hic vestræ palmæ, gloria vestra patent.
Roma suos, Graios decantavêre Pelasgi;
Natus apud Danos Danica facta refers.

Reddebat

B. FABER *aliàs* Goltsmit *Zutph. Gelrus.*

Clarissimo



Clarissimo Viro

JOH. ISAACIO PONTANO
Danicam historiam edenti,

JAC. ZEVECOTIVS.

DUM tibi Danarum Scriptor celeberrime rerum
Nectit Apollinea fronde Camœna caput:
Inque tuas laudes conspiravêre Poëtæ,
Queis nihil immensus clarius orbis habet.
Emeritum tibi metra cupis quoque scribere vatem
Et nomen tantis jungere nominibus.
Scilicet ut niveos anser comitetur olores,
Tentet & ingenio nobiliora suo.
Non ego sum qui nuper eram; cum tetrica nondum
Sors pareret curas quotidiana mihi.
Dulcia cum lepidæ dictarent carmina Musæ,
Laurus & ambiret non nisi læta caput.
Cum teneræ gratos canerem Thaumantidos ignes;
Et colerem Nymphas terra Batava tuas.
Aut prius accedens infractos Marte Sycambros,
Fata mihi nondum cogerer atra queri.
Prospera crudeles verterunt tempora Divi,
Et procul à Pindo jam miser exul agor.
Ast quæ fila tibi nent felicissima Parcæ,
Indulgent studiis omnia fausta tuis:
Hæ Medicum Criticumque prius Vatemque crearunt,
Hæ modò dant magnum nomen ab historiâ.
Quin etiam FRISIAE decus indelebile stirpis,
Dignatur calami tendere vela tui.
Gratulor; hoc satis est: frustra celebratur ab ullo,
Qui celebrem toto se satis orbe facit.

AD EUNDEM.

AOnij, PONTANE, *chori veterane sacerdos,*
Perpetuam allucet cui bona fama facem,
Et modò in occiduos fert pennâ præpete tractus
Et modò in Eoos, & modò in Antipodas:
Quando oculos mentis permittis in omnia, resque
Orbe alibi haud toto est quin sit aperta tibi;
Iure etiam inquiris Patriæ in cunabula linguæ
Nec finis ire ejus pessum elementa situ
Luce sed illustras tali, ut; quæ per nebulam ipsis
Vix fuerant Celtis cognita, nedum aliis,
Nunc ità sint manifesta orbi passim omnibus omni,
Ceu Sol qui medio claret alitque die.
Macte animo hoc, ISACI, *his macte potentibus ausis!*
Qui modò cuncta seris, mox quoque cuncta metes:
Triptolemusque alter, mundum permensus utrumque,
Orbis item fies hujus & hujus amor.

JANUS GRUTERUS Heidel-
bergæ scrib. 1615. Sept. 14.

IN V. CL.

JOHAN. ISAACII PONTANI.
Historiam Danicam

EPIGRAMMATA.

I.

Ἀλλοδαποὺς βασιλῆας καὶ βαρβαρόφωνον ἰωὴν,
Καὶ τὰ παλαιγενέων ἄστεα ἠδὲ νέα,
Ἀρχόντων Μινώϊον καὶ ἐπικύδιμον ἀρχὰ,
Ἐρρίψαν τι κακῷ γείτονα φυλόπιδι,
Ἀστεροπὰς, λοιμοὺς, λιμοὺς, καὶ κύδεα λυγρὰ,
Καὶ τὰ εὐεργεσιῶν ἆθλα, καὶ ἀμπλακιῶν
Πολλοὶ μὲν φθέγξαντο, ὁ δὲ σοφίῃ καὶ δῖος
Ἰσάακος κίμβρων ἤνυσε ἱστορίην·
Ἦ καὶ τοσσάτιον κοσμήσει κῦδος ὀρέξει
Ἔργον ὅσον θείῳ ὤπασε Μαιονίδῃ·
Ὡς γὰρ ὅς ἀθάνατον ΔΑΝΑΩΝ ποίει μέλος ἄξιον
Τοῖς ΔΑΝΩΝ σεῖο ἄμβροτον ἔργον ἔφυ.

II.

UNde novam capiti nectis PONTANE coronam?
Unde recens populi prodit in ora liber?
Non hæc Mnemosyne dictat, non aurea Peitho,
Ipsa tibi ingenium Patria clara facit.
Sive illam videas Scandos jactare vetustos
Totum è Scandinâ gente volumen erit.
Balthica seu mediam lavet unda, sinusve Codanus,
Gaudet laudatis ire superbus aquis.
Hebridas an memorem, jam cultaque littora Fenni?
Cimbrorumne decus, vel malefacta Marl?
Acceptamne fidem Christi, cœlestia dona?
Maxima de variis nascitur historia.
DANIA Pontano, DANAI sint nomen Homero.
Par opus ut dederint, certius ille dedit.

JACOBVS REVIUS Ludebat.

VIR CLARISSIME,

SI fas esset illorum postulatis adversari, quibus melior affectus debetur, jam non carmen, sed excusationem, & verba tergiversantis induxissem. Adeò enim huic obsequio impar fui, ut facile destitissem, nisi tua me voluntas animasset. Sed malui vel claudicantem Musam ad numeros solicitare, quàm obedientiam abjicere. Tuum erit, Vir Optime, boni consulere quicquid siccior vena eduxit. Ego certè, ceu magni amoris indicium sumo, quod me etiam tam illustri operi volueris acclamare. Vale, vir Cl. & serus in cœlum redi. Leidæ 30 Jan. 1629.

In Historiam Danicam Excellentissimi viri

D. IOH: ISAACII PONTANI.

SCAZON.

VEtus refloret laurus, & suam fasces
Redauspiscantur purpuram, novus surgit
Consessus Heroum, genus paludatum
Sacrumque Scandinaviæ: Bases, Cippi,
Et saxa, simplicis rudisque virtutis
Monumenta, trabeas provocant triumphales.
Tu, quæ ruinis tota regna vexasti,
Illustris Arctos, terror orbis, & quondam
Populo cisalpino gravis, renascentes
Agnosce Reges, & vetusta Cimbrorum
Trophæa, belli, Martiique conatus
Invicta signa. Iam satis peregrina
Exempla mirati sumus. Suum Roma
Desistat ostentare seculum, Brutos
Haratios, Scauros: Amazones, Nymphas,
Et quicquid ultra veritatis assensum
Scripsit Pelasgus, Daniæ dabunt fasti.
Erepta laus est Theseo, nec Argivus
Iam solus armis occupabit orchestram.
Dani sequimur, & gloriæ Sabinorum
Libamus aliquid. Si pios poëtarum
Meretur hymnos, qui duellicâ laude,
Prostravit hostem; qui sibi parentavit,
Patriæque, victimis tyrannicæ gentis;
Qui legibus cives, cruore plebejos
Domuit furores, vique simplicis recti:
Vos, Patriæ Reges, perenne post fata
Nomen manebit, Vos diserta PONTANI
Mori vetabit penna. Saxa consumens
Fatigat ævum. Sola charta fatorum
Ius, & situm mortalitatis ignorat.

JACOBUS MATTHIAS Aarhusius Danus.

AD EUNDEM.

QUæ gerit invictis, Daniæ Rex maximus, armis,
Ista tibi est parili cura notare manu.
Horöas acies, illibatosque Triumfos,
Et Danos, belli fulmina, Scipiadas.
Gesta canis, totum scriptis spargenda per orbem;
Scripta tuo valeant quæ superesse rogo.
Ornat certa fides, & torrens copia fandi,
ISACII quidquid conditur historiâ.
Heic acies & bella vides, nec tela pavebis;
Præsentesque legis, quas fugis ipse, neces.
Charta velut lætam visa est extendere frontem,
Regali quotiens rapta trophæa manu:
Contractos eadem visa est mihi ducere vultus,
Mutaret quotiens sors inimica vicem.
Sera igitur tantum regem mirabitur ætas;
Mirata Historiam, scriptor, inante tuam.
Iam video grandi ventura in sæcula passu
Et Regis pariter, & decus ire tuum.

MARCUS SUERIUS Boxhorn.

PETRI SCRIVERII

EPIGRAMMA

In historiam Danicam à Cimbris & ipsis Aboriginibus petitam

A

Clarifs. & doctifs. viro

IOH. ISACIO PONTANO.

D*Icite Pierides, cujas sit nobilis auctor,*
Qui veterum recitat fortia facta patrū,
Et simul Arctoi tria regna resuscitat orbis,
(Quâ venere, ô Musæ, quoque lepôre venit!)
Cis mare qui Cimbros, inter mare Balthica sceptra
Colligit, & Gotthos trans mare gnavus adit.
Regna suos quondam numerabant singula reges,
At nunc unius sub ditione fluunt.
Singula diversis olim distracta papyris,
Vnius calamo nunc super astra volant.
Vnius PONTANI, *inquam. Credamne deorum*
Esse genus? Ponto cum Venere ergò satus,
Omnia qui bellè sic effert, atque venustè?
Harlemiis ortus creditur: inde domo est.
Hoc clamant Batavi, sed Dania tota reclamat,
Et natum in Ponto dicit aquosa suo.
Arguit & nomen. Patriæ sed nomine missus
Hinc pater ad Danos pontiginasque fuit:
Dum peregrè hic degit, præclarus nascitur ille,
Natalem poterat qui celebrare locum,
Cimmeriisque ipsos tenebris educere Cimbros,
Et tot Hyperboreo debita bella sago.
Nunc age, posteritas; opus istâ lege legatur,
Vt, sive ex illo, quo Venus orta, mari;
Sive sit è Ponto & Danorum gente profectus,
Pontani meritò nomen habere putes.

EIDEM.

DAnia *Pontano* felix scriptore triumphet:
Hoc natale sibi vindicat ille solum.
Nec minus his fastis ô te PONTANE beatum:
His olim vivet posthuma fama libris.
Ergò his obstrictum pariter se credat uterq;:
Vitam illi debes, debet & illa tibi.

GEluckigh Deensche-landt door desen nieuwen seghen/
Wat ghy tot dynen roem Pontanus hebt ghekregen/
Die door zyn kloecke pen al dyn ghelegentheydt
Dyn daden al dyn doen de Werelt door ghebreyd.
Niet minder is hier in oock dyn gheluck ghelegen/
Niet minder is dyn roem/ Pontanus, opgestegen/
Dus wort dyn naem bekent/ soo wyt de Werelt gaet/
Dus blyft dyn naem bekent so langh de Werelt staet.
Hout u te samen dan dies onderlingh verbonden.
Die uwe eere hier te samen hebt ghevonden.
O Deenschen! weet dies dane Pontanus pē en hant/
En ghy Pontanus ooc dyn Were van Deensche-land.

S. AMPZING.

ALIUD

Ad

EUNDEM.

Q*Valis in umbrosos, illuni nocte, viator,*
Sylvæ recessus, qui coactus horridæ,
Huc illuc fertur dubius vitæque viæque,
Nec se molestis expedit erroribus:
Nutanti inconstans gressu nunc ille vacillat,
Lapsantibus nunc cespitat vestigiis;
Scintillatque acri trepidum formidine pectus,
Quævis ad auræ murmura & susurrulos;
Tum quoque ne denti fiat male præda ferino,
Timet, vel abstruso obruatur gurgite.
Ast ubi jam exoriens patuli fax publica mundi
Diem retexit candidum mortalibus;
Lætus iter cœptum peragit, tandemque cupitos
Gaudet penates cursitans contingere.
Sic quæ Cimmeriis hucusque offusa tenebris,
Et indiemâ destituta temporum,
Martia, Danorum, *monumenta loquentia facta,*
Vel anxios frustraverant indagines;
Votaque Lectoris suspensa tenere solebant,
Ob sæpè fractam veritatis tesseram:
Nunc lucem sortita novam jubar undiq; faustum
Per litteratos orbis oras exerunt.
Nunc illis rediit, scriptorum vita, *renatis,*
Pulcherrimi *nempè* ordinis concinnitas;
Nec dubij, posthac, quicquam, falsive, recondunt,
Aut tædiosis involutum fabulis:
Tota sed illustri circumvestita decore,
Ferent fugaces ævitatis ambitus.
O magne Historiæ vindex, Pontane, *tibi omne*
Hoc unicè acceptum referre condecet.
Gloria, jure, tuo pariter debetur olivo,
Quâ nunc caput per astra tollit DANIA.
DANIA *quæ dubitat, quo te dignetur honore,*
Aut quam redhostiat tibi hinc adoream!
Nam licet æternâ donaret tempora fronde,
Comasve sertis impediret gemmeis;
Figeret aut statuam tibi de potiore metallo,
Quævis per urbium suarum compita;
Cætera vel tandem conferret præmia, doctis
Quæ grata mens rependeret laboribus:
Omne minus tantis meritis erit. Ergo precetur
Extenta vitæ longioris stamina;
Augusta, ut pergas, virtutum nomina fastis
Signare, & amplis consecrare annalibus.

STEPHANUS JOH. STEPHANIUS Danus *Eloquentiæ in academiâ Soranâ Professor.*

RERUM



RERVM DANICARVM HISTORIAE LIBER I.

Auctore

IOHANNE ISACIO PONTANO
Regio Historiographo.



QUI res Danorum à primis initijs ad posterorum memoriam literis consignatas tradiderunt, quos inter præcipuè Saxo Grammaticus alijque eum secuti, Danum gentis conditorem uno omnes consensu memorant. Nos, sepositis aut omissis paulisper istis, auspicium potius ab ipsâ Cimbrorum è suâ chersoneso egressione faciendum censuimus; Quod ea maximis authoribus prodita, ista verò, quæ vicem eorum, ut vetustissima recitantur, ejusmodi multa sint, qualia esse quoq; illa, quæ ante conditam condendamque Romam à scriptoribus sunt memorata, decora magis relatu, quam incorruptis rerum gestarum monumentis tradita, summus authorum Livius retulit. Interim tamen in medium adduxisse, quæ historiam præsertim spectant, haud omittendum existimavi, quamvis & aliàs antiquitati, & rebus illis à memoriâ nostrâ remotissimis, sua debeatur ut reverentia, sic etiam venia. Sed priusquam ad ea ex Saxone nostro recognoscenda veniamus, ipsam nunc historię seriem ac gentis, quem diximus, è suis sedibus primum egressum, Græcorum Latinorumque ante natum inter homines Christum, monumentis celebratum, propius attendamus.

Anno ante Christum in terris natum centesimo-undecimo, qui fuit conditę Romę sexcentesimus quadragesimus, C. Cœlio Metello & Cn. Papirio Carbone consulibus, cum bellum in Africâ adversus Iugurtham gereretur, & Hipparchus paulo ante, sub finem fere monarchiæ Græcorum, novum in cœlo sidus haud sine prodigio deprehendisset, excesserunt chersonesi suæ finibus nec non sinus Codani, nunc Danici aut Balthici dicti, insulis Cimbri ac Theutones. Qui dum terras suas aut æstu maris, ut traditur, aut gloriæ victoriæque cupidine ultrò relinquunt, vi & armis quærere novas apud exteros fategerunt. Eorum in hostem ducendi ritum bellique, auspicandi, cujusmodi eum Strabo prodidit, libet paucis prętmittere. Ità enim habet Geograph. libro septimo: *Morem hunc fuisse Cimbris usitatum ferunt. Sequentibus eos in bellum uxoribus, vates quædam comitabantur canæ, albo vestitu, carbasinis supparis desuper fibulis affixis, cinctu æreo, pedibus nudis: Eæ per castra captivis occurrebant strictis gladijs, prostratosque ad crateram æneam adducebant amphoras circiter viginti capientem. Super*

Ante Christum CXI.

A *eam*

Ante Christum CVII.

eam pulpitum erat, quo conscenso vates sublimis, singulis supra lebetem elevatis guttur incidebat: è sanguine in crateram fuso suam captabant quandam divinationem: reliqua cadavera sic cæsorum scindebant, intestinisque spectatis, victoriam suis vaticinabantur. In prælijs pelles pulsabant cratibus curruum prætentas, quibus sonitus terribilis edebatur. Hactenus Strabo. Primo impetu, quod satis constat, finitima loca infestare suamq; in potestatem redigere cæperunt. Successu deinde rerum blandiente, alios atque alios pervagati terrarum tractus, Rheno tandem transmisso, in Gallias se effudêre. Ijsque passim vexatis, soli ab hac clade immunes ac liberi Belgæ fuêre, dum intra suos fines ingredi eos, Cæsare teste, prohiberent. Referunt authores ccc millia armatorum fuisse; genus hominum procerâ staturâ, cęsijs oculis, & perinde ac corporibus etiam armis ingentibus, ut plane ad stragem urbium, ac populorum interitum prosati viderentur. Plutarchus triginta hominum arma ferentium myriades numerat; turbam verò virorum mulierumq; quæ sedem atq; urbes quærebant, in quibus habitacula figerent, multò extitisse ampliorem prodidit. Priusquam, quod Cęsar memorat, iter in provinciam atq; Italiam facerent, impedimentis, quæ secum agere ac portare non poterant, citra flumen Rhenum depositis, custodiæ ex suis ac præsidio sex millia hominum unà reliquerunt. Hi postmodum multos annos à finitimis exagitati, cum alias bellum inferrent, aliàs illatum defenderent, pace cum Belgis factâ, sibi in Advaticis domicilio locum delegerunt, ut inde referemus. De adventu eorum cum ad urbem esset perlatum, vix fidem nuncius invenit. At mox relatis omnia majora comperta sunt. Nam terribili, ut ille inquit, Marte ululantes animo, ferociâ ac strenuitate in prælijs invictâ, tum & pernicitate tantâ velut fulgur quoddam imminebant. Nec obsistere impressioni eorum quisquam potuit, sed quoscunq; aggrederentur obvios aut pessum egerunt aut clade affecerunt. Unde inter Gallos, qui compulsi in opida resistebant, adeo pertinaces fuisse quosdam refert apud Cæsarem Critognatus, ut corporibus eorum, qui ætate inutiles ad bellum erant, tolerare vitã, quàm se obsidentibus dedere maluerunt. Plures etiam atq; ingentes exercitus ducesque qui ad claustra Italiæ, & Galliæ præsertim Transalpinæ defensionem excubabant, fœde obtriti.

Quibus initiis, & jam adoreis spolijsque permultis animosi ac læti, statuerunt nusquam gentium consistere priusquam, vastatâ Italiâ, ipsam quoque Romam, quæ jam, subjugatâ quodammodo Græciâ, ad Orbis imperium adspirabat, in totum excidissent. Quum ergo, pervasâ Galliâ, Italiam quasi oculis usurparent, sibi metuere Romanus cępit. Divisi bifariam erant & castra partim locata habebant versus eam Galliæ partem, quæ Pyrenæos atque Hispaniam spectat, partim quà Illyricum Alpes attingunt. Romani quam maximè eo districtu impetum atq; irruptionem veriti, misêre eo cum Imperio Papirium Carbonem, qui armis obviam eundo hostes aditu Italiæ prohiberet. Hic ad Noreiam, quæ supra Aquiliam sita est urbs, ubi pervenisset, primus Romanorum conflictum cum ijs iniit. Verùm signis collatis, re infectâ retrocedere coactus est. Cimbri, populato Illyrico, iterum ad belli aleam lacessere consulem cœperunt. Qui deinde haud auspicatius, quàm prius, congressus perquam infeliciter dimicavit. Nam & fusus fugatusque est cum ingenti cæde ac clade Romani exercitus. Mox ad Helvetios versi, sociatis sibi Tigurinis & Ambronibus, totam pæne Galliam inundarunt: Versus Pyreneos progressi Hispaniam petituri, sed impediti à Celtiberis remigrare in Gallias consultius judicarunt. Hinc in castra Silani, qui secundò illis obviam missus, legatos misêrunt; atque inde ad senatum, petentes ut Romanus populus sedem & agros sibi concederent, velut salarium; ceterum, ut vellet, manibus suis atq; armis uteretur. Memorat Plinius spectatum per id tempus in foro Romano artifici manu depictum pastorem senem cum baculo, deque eo Cimbrorum Theutonumque legatum interrogatum, quanti eum æstimaret, respondisse sibi donari nolle talem vivum verumque. Legatio autem ipsa vel ideò irrita fuit, quod ut habet Florus, ipsi populo Romano, terra, quam daret, vix esset, utpote agrarijs mox legibus intra se dimicaturo. Repulsi itaque, quod nequierunt precibus, armis impetrare constituunt. Silanum enim aggressi in fugam, ut ante Carbonem, vertunt, castris exuunt ac toto cum exercitu ad internecionem propemodum delent. Tigurini & Ambrones, Helvetica eique vicina gens, cum Cimbris, ut diximus, cumque Theutonibus fœderati, perceptâ Romanorum clade iteratâ, arctius se suaque cum ijsdem conjungunt: Dux eorum Divico castra circa Rhodani ostia tenebat. Quo cum maximo atque instructissimo exercitu Cassius Longinus profectus, ad oceanum usque Mediterraneum Tigurinos est insecutus; & ipse vicissim, eorundem armis atque insidijs circumventus, occidione occiditur. Interfectus quoque Lucius Calphurnius Piso, vir consularis Cassij consulis legatus. C. Popilius vel ut alij, C. Publius,

CASSIUS & SILANUS, itemque SCAURUS COSS.

Publius, alter ejusdē Caſſij legatus, ne reſidua exercitus portio, quæ in caſtra confugerat, penitus deleretur, obſides & dimidiam rerum omnium partem Tigurinis turpiſſimo fœdere dedit: Qui Romam reverſus à Cælio tribuno plebis die dicta, quod obſides dediſſet, in exilium profugit. Cæſar exercitum Caſsij ſub jugum miſſum ſimpliciter memorat. Præter verò Tigurinos & Ambrones, ejuſdem etiam tractus populum Tugenos acceſsiſſe, præſertim Theutonis ſocios atque auxiliares, teſtatur, authore Poſidonio, Strabo. Qui & cauſam ejus conjunctionis refert, quod ipſi totaque Helvetia, licet auri ac divitiarum non indigerent, tamen cum viderent ſuis majores eſſe Cimbrorum opes, bello ac direptionibus partas, animum ad prædas quoque adjeciſſe, & unà in expeditionem cum illis profectos. Proximo qui ſecutus eſt ante Chriſtum natum, anno CVI. qui fuit ab urbe conditâ circiter DCXLII. novus adverſus eoſdem ſurrogatur exercitus, duce & conſule Aurelio Scauro. Hic nequaquam ſecundiore, quàm priores, fortunâ confligens, fuſo exercitu, ipſe captus ac tandem interfectus eſt. Nam in conſilium à victoribus adhibitus, cum eos deterrere conaretur, ne, ſuperatis Alpium jugis, in Italiam ſe demitterent, quod vinci non poſſe Romanos diceret, Bolus rex, ingenio feroci juvenis, ſuâ cum manu confeſtim peremit. Duo ejus filij ſimul cæſi, octoginta Romanorū ſociorumq; trucidata millia cū aliquot inſuper calonum ac lixarū millibus, ut refert, Antia teſte, Oroſius. Qui eodem in prælio C. Manlium & C. Cæpionem proconſulem, dum inter ſe graviſsima invidia ac contentione diſceptant, cum ſumma ignominia ac periculo Romani nominis unà cū ceteris fuſos & fugatos cōmemorat. Cimbri binis caſtris atq; ingenti præda potiti nova quadā atq; inſolita lætitia exſultavêre. Romæ non ſolū ingens luctus ſed metus fuit, ut confeſtim Cimbri Alpes tranſgreſsi Italiā delerent. Quapropter & Cępio, quod illius culpa exercitus Romanus à Cimbris & Theutonis videretur ſuperatus in carcerem conjectus eſt. Et mox in publicis vinculis depoſito ſpiritu, corpus ejus funeſti carnificis manibus laceratum, in ſcalis Gemonijs, magno cum horrore totius fori, conſpectū jacuit. Quod ſanè miſerabile ſpectaculum indicio fuerit, quam incertum & volubile habendū, quodcunq; fortunæ acceptū debetur: præſertim cum jam antea idem Cæpio, ut refert de eo Val. Maximus, præturæ ſplendore, triumphi claritate, cōſulatus faſcibus, maximi pontificatus ſacerdotio, ut ſenatus patronus diceretur, aſſecutus fuiſſet. Atq; ità Cimbri prę̨ter Silanū & Piſonem, Carbone & Caſsio, Aurelio item Scauro & Cępione, M. quoq; Manlio Coſssss. fuſis aut captis, quinq; ſimul conſulares exercitus Romano populo abſtulerunt. Quo metu cū omnis Italia cōtremiſceret, vovit populus Iovi. Opt. Max. ludos & ſolennia, ſi rempub. in meliorē ſtatū vertiſſet. Sed pręcipue in Caio Mario ſpes atq; opes urbis tum ſitę fuerunt. Et quamvis abſens, contra quàm leges majorumq; inſtituta permittunt, Conſul tamen tertiū factus, decreto eidē bello hoc Cimbrico: Unde hac de re tota breviter, ſed accuratè Florus, niſi quod omiſſa clade Carbonis, primùm impetū in caſtra Silani factū velit, tum & Tigurinos è littoribus Galliæ ac Cimbrorum deducat, cum, ut ante relatum, illi ſe poſtmodū illis conjunxerint. Ait enim: Cimbri, Theutoni ac Tigurini ab extremis Galliæ profugi, quum terras eorum inundaſſet Oceanus, novas ſedes toto orbe quærebant: excluſiq; Gallia & Hiſpania, quum in Italiam remigarent, miſère legatos in caſtra Silani, inde ad Senatū; petentes ut Martius populus aliquid ſibi terræ daret, quaſi ſtipendiū: ceterū ut vellet, manibus atq; armis ſuis uteretur. Sed quas daret terras populus Romanus agrarijs legibus intra ſe dimicaturus? Repulſi igitur, quod nequierunt precibus, armis petere conſtituunt. Sed nec primum quidem impetum eorum Silanus, nec ſecundū Manlius, nec tertiū Cępio ſuſtinere potuerunt. Omnes fugati, exuti caſtris: actū erat, niſi Marius illi ſeculo cōtigiſſet. Collega tum Mario datus Quintus Catulus, vir inter primates ſummæ autoritatis nec ingratus multitudini. Ipſe ergo Marius cum Catulo conſule haud è re exiſtimans ſtatim cum hoſte cōgredi, tenuit in caſtris militē, donec invictus ille ardor & impetus gentis paulatim conſeneſceret. Commodum etiam eidē accidit, ut, Cimbris ac Theutonis cum reliquâ manu circa Rhodanum & Pyrenęos diſtentis, ſpatiū habuerit exercendi ſuos, & animū cujuſq; ad audendū firmandi: &, quod erat præcipuū, ut ipſe quis eſſet, miles intelligeret. Hinc ſuperatis paulatim Alpibus, ad Rhodanum conſedit, grandi commeatu in caſtra comportato, ne forte inopiâ alicuius rei adactus cogeretur cum hoſte manum conſerere. Et ut mari quoq; aliquanto commodius neceſſaria ſubveherentur, militari opere, quà erant fluminis oſtia vadoſa, foſſam navium capacem, corrivatis aquis, ad mare deduxit. Unde *ſtagnum* & *foſſa* ea *Mariana* poſtmodum appellata. Cimbri ceterique cunctationem Marij metum interpretantes, diviſis copijs, Italiam ingredi inſtituunt. Tigurini bipartitò, Cimbri locis

Ante Christum CVI.

A ij bri locis

Ante Christum 101.

bri locis ſuperioribus per Noricos cæperunt adverſus Catulum movere, atq; aditũ illum perrumpere. Theutoni & Ambrones ſecundum mare Ligures verſum, Marium ipſum petunt. Cimbri longiuſcule cunctati tempus videbantur trahere. Theutoni & Ambrones confeſtim profecti emenſiq; interjectã regionẽ ſpeciẽ præbuêre maximi exercitus, horribiles aſpectu voceq;, locatis circa campi planitiem caſtris, Marium ad certamen provocarunt. Et eorum uni, ut habet Frontinus, poſtulanti ſeorſim ut prodiret, reſpondet Marius, ſi cupidus mortis eſſet, laqueo eum vitã poſſe finire; Et mox, monſtrato gladiatore cõtemtæ ſtaturæ ac prope exactæ ætatis, eidem Theutono dici juſsit, ſi eum ſuperaſſet, cum victore congreſſurũ. Itaq; nihil motus militem intra caſtra continuit, acerbèq; increpuit, ſi quis ad arma ferocius adhortaretur, patriæ proditorem atq; hoſtem identidẽ appellans. Neq; enim de triumphis in præſens deq; trophæis oſtendit agi, ſed quomodò tantâ belli mole tantoq; fulgure diſcuſſo, conſervaretur Italia. Atq; hæc taliaq; apud duces ac paris dignitatis viros diſſeruit: milites viciſsim vallũ conſcendere ac ſpeculari juſsit, ut vultum hoſtium ferre ac vocẽ tolerare aſſueſcerent, arma item ac tractationẽ eorũ condiſcerent: haud ignarus ut quædã novitate ſuâ videntur terribilia, itâ aſſuetudine, quæ verè ſunt terribilia, miteſcere. Irritari ad hæc miles hoſtiũ vocibus contemtus & contumelię plenis, ut jam propemodũ moleſtè ferret, quod tamdiu prælio abſtineretur. Hinc ad Mariũ perlatæ eorundẽ voces querelæq;: Quanã noſtrâ ignaviâ Marius à prælio, ut fæminas ſub janitore & clavibus poſitas, nos arcet? Agite ſimus viri, quæramuſq; num quos alios operiatur, qui dimicaturi ſint pro libertate, quo nos ad opera facienda adhibeat, ubi foſſa agenda, extrahendum cœnũ & derivanda ſunt flumina? An verò eũ Carbonis & Cæpionis, qui ab hoſte fuſi fugatiq; ſunt, caſus territat? At hi, ut Mario virtute & gloriâ inferiores, itâ multò debiliores habuerunt copias. Quin & pati aliquid & perire per virtutem ac decus potius ſit, quàm ut reſides calamitatẽ & cladẽ ſpectemus ſociorũ. Hæc & ejuſmodi audienti Mario haud ingrata fuerunt. Quo autem ſedaret leniretq; ferocientes, addebat haud diffidere ſe ipſis, ſed ex oraculis quibuſdam victorię pariter & occaſionem & locum aucupari. Namq; mulierem quandã gente Syram, nomine Marthã, ut eſt apud Plutarchũ, futuri præſciam ac veratricem in lectica reſidentem magna circumducebat veneratione & ſacra quoq; illius inſtinctu ac monitu peragebat. Quæ dum in caſtris fiunt, & ille, ut vult Velleius, tertius Marij conſulatus in apparatu quaſi belli conſumitur, Romã ex Ameria & Tuderto, Italiæ opidis, allatũ eſt, viſas noctu ardẽtes in cęlo frameas & ſcuta primò errare; mox velut duas ex adverſo acies concurrere alteramq; profligatam in terram decidiſſe. Bathabaces quoq; magnæ matris ſacerdos ad ſenatum venit, Deæq; monitu victoriam ſe illi nunciare dixit, monereq; ut ædem ipſi Deæ faciendam decerneret: Eadem ad populum nunciare volentem Aulus Pompeius, tribunus plebis, ut vanam fari prohibuit. Interea Ambrones & Theutoni, quieſcente Mario, caſtra ejus oppugnare adorti telorũ veluti nube à Romanis repelluntur. Cęptum tamen perficere ac progredi in animum inducentes, ne aſsidendo tempus tererent, vaſis cõclamatis, ad Alpes iter intendunt. Inſtructi paratiq;, dum caſtra Romana turmatim prætergrediuntur, vel maximè apparuit immẽſitas & multitudo gentis. Siquidẽ ſex continuos dies longo agmine ſtativa Marij prætereuntes per ludibriũ ſciſcitati Romanos, intra vallũ ſe cõtinentes, an haberent quę vellent cõjugibus ſuis nunciata; ſe enim Romam rectâ pergere. Marius, ubi tranſire deſierant, confeſtim, motis caſtris ſubſecutus agmenq; extremũ tumultuario laceſſens prælio à tergo metãtibus hæſit. Ad Sextias Aquas indè ventum: unde breve erat ad Alpes iter. Hîc Marius, cui jam quartus conſulatus erat delatus, quia in animo habebat, acie cum hoſte confligere priuſquã in Italiam tranſcenderet, aliquanto remotius à flumine caſtra locat, idq; loco minime irriguo, ut vel hoc pacto pugnandi neceſsitatem militi imponeret. Quod cum miles quereretur, manum ad flumen intendens, inde, inquit, potus ſanguine vobis emẽdus. Lixæ itaq; & calones vi, ſi prohiberentur, aquaturi dextra, armis inſtructa, altera urnã tenentes ad flumen decurrunt. Hîc aliquot repente circa amnẽ oppreſsi, qui eò lavandi ſtudio cõceſſerant (erant enim in proximo thermarũ balnea) cõtinuo tumultũ excivêre; ac primi omniũ Ambrones, quorũ triginta millia fuiſſe memoratur, novo & inſolito Romanis more arma corripiunt: nec tamen cum impetu aut procurſu incondito, ſed rhythmico pulſu & conſonantia quadam pedũ armorumq; decenti ſe promoventes identidem interjungebant Umbronum vocabulũ, ſive ut eo ſe mutuo adhortarentur; ſive ut nominis admonitu terrorẽ Romanis incuterent, quoniã Cæpio & Carbo Coss. (ut modò memoratum) ab ipſis potiſsimum ad Rhodanum jam ante fuiſſent ſuperati. Ex Italicis primi, qui in eos movêre Ligures, ut clamorẽ acceperunt

ſuum

Ante Christum XCIX.

ſuum id verum & vetus eſſe cognomen, ex adverſo reddiderunt. Ambrones à Liguribus rivus ſuperaverat; quem dum ſuperare hi nituntur, prælio contracto pæne obruti fuiſſent, niſi à Romanis continuò auxiliares accurriſſent: Quorum vi Ambrones præſertim qui rivum obſidebant, fuſi fugatiq; ſunt, cædeſq; circa ripam ingens edita ac flumē cadaveribus propemodū oppletum. Romanis tum, qui diſpalatos ad caſtra uſq; ſunt proſecuti, novum certaminis genus obortum eſt. Ambronum enim mulieres, ſecuribus & gladijs temere arreptis, mixto agmine ferociter occurrunt, inſtantq; terribili clamore, ac ſuos convicio inceſſentes in hoſtem truci aſpectu ac fremitu, ferarū ritu, irruebant. Nonnullæ per vulnera & crebra tela ſe expedientes ſcuta gladioſq; de manibus ipſorū extorta ſecū ut manubias ac trophæa referebant. Atq; hoc eventu, primo ſtatim die, utrimq; concurſū eſt. Romani, etſi Ambrones latè à flumine ad caſtra uſq; rejecerant, turbulentam tamē & terrorum plenam, quæ ſecuta eſt, noctē egerunt. Neq; enim caſtra magnopere communita habebant, multæq; adhuc hoſtiū myriades intactæ ſupererant; tumuli, valles totaq; planicies flebili minaciq; clamore per noctem reſultabat. horrendi gemitus exaudiri eorum, qui ex prælio adhuc inter utraq; caſtra ſalvi vagabantur. Timere conſul & ceteri nocturnū hoſtium incurſum atq; ità futurum arbitrari, ut ſequente luce ad ſuorū cędem vindicandam in ſe impetū verterent. Sed illi, pręter opinionem, redintegratâ acie, diem poſterum ad noctē uſq; immoti conſtitêre. Tum Marius locum hoſti imminentē capere M. Claudium Marcellum noctu imperat, atq; ibi tandiu in inſidijs ſubſiſtere dum hoſtē prælio occupatū, à tergo cū clamore invadendi occaſio ſe oſtenderet. Data illi ad id negotij tria peditū millia. Conſul interea ceteras copias in aciē educendo ad prælium componit; conſpicati id Ambrones, & qui præcipue adhuc erant, Theutones irruptionē in Romanos nimis præpropere moliuntur. Nā cū nondū ad plana eſſet progreſſus Romanorū exercitus, iniquo & loco & Marte ab illis eſt dimicatū. Dum enim reluctantur ipſis Romani, & aſcendentes manuſq; conferre molientes repellunt, factū ut impulſi facile pedem retulerint in campum; & cum primi in planicie aciem jam direxiſſent, clamor & turbatio exorta eſt apud noviſsimos. Neq; enim fefellit Marcellum occaſio, ſed cum ſublatus in colles fremitus eſſet, excitatis ſuis, curſu & clamore hoſtiū terga invaſit conciditq; poſtremos. Qui dum proximos in ſe convertunt, brevi totā aciē tumultu implent. Ubi veró delatos ſe in inſidias vident, nec à fronte modo ſed à tergo quoq; urgeri, haud diu reſtitêre; verùm diſsipatis ordinibus, vertunt ſe in fugā. At Romanus fugientibus inhærens ſupra millia centum aut cepit aut trucidavit. Unde in ſtratagematibus ſuis Frontinus, *C. Marius*, inquit, *victis prælio Teutonis, reliquias eorum, quia nox circumvenerat, circumſedens, ſublatis identidē clamoribus, per paucos ſuorū territavit, inſomnemq; hoſtem detinuit, ex eo conſecutus, ut poſtero die irrequietum facilius debellaret.* Livij Epitome permulta tum hominū millia cæſa, & nonaginta tantū capta author eſt; & in his regē *Teutobochum*, virum miræ proceritatis & qui quatuor ſenoſq; equos, ut tradit Florus, ſolitus erat tranſcendere. Euſebius non *Teutobochum* ſed *Teutomodum* appellat. Oroſio eſt *Teutobechus*, variante nonnihil à primâ nomenclatione dialecto. Maſsilienſes, quod ad magnitudinē cædis attinet, procedente tempore humanorū oſsium congerie munijſſe vineas dicuntur ſolumq;, ſuperfuſis crebro imbre cadaveribus, humano cruore & adipe ità emaceratū, ut in ſummā ubertatē & frugū incredibilem copiam reſolutum ſit. Biduo tum circiter pugnatū authores habeo. quos inter Velleius Paterculus priore ac poſtero die amplius CL. M. trucidata memorat. quamvis Oroſius quarto die rurſus utrimq; productas in campū acies, & ad meridiē uſq; pæne pari decertatū diſcrimine innuat; Sed ejus in verbis ſi pro, *quarto die*, ſubſtituamus, *orto die*, idem quod ante ſe authores dicet. Marius magnâ vi armorū ad triumphum delectâ, cetera in unū coacervata, circumſtante exercitu, veluti ſacra peracturus, face ſubjectâ, incendit. Multæ inde fuerunt circa eum tum quartò, ut dictum, Conſulem gratulationes quintum illi deinceps conſulatum favore deſtinantium, quem abſenti oblatū, haud multo poſtquā ad Sextias fuit Aquas pugnatū, inivit. Hoc adverſus Theutones Marij prælium ità Florus enarrat, ut nullam Ambronum mentionem faciat, ſtrictim cuncta & veluti per puncta in modum, ut ſequitur, notans: Ille quoq; (Marius) non auſus congredi ſtatim militē tenuit in caſtris, donec invicta illa rabies & impetus, quē pro virtute barbari habent, cōſeneſceret. Receſſêre igitur increpantes & (tanta erat capiendæ urbis fiducia) cōſulentes, ſi quid ad uxores ſuas mandarent. Nec ſegnius quàm minati fuerant, tripartito agmine per Alpes, id eſt, clauſtra Italiæ, ferebantur. Marius mirâ ſtatim velocitate occupatis compendijs, prævenit hoſtem prioreſque Theutonos ſub ipſis Alpium radicibus aſſecutus, in locum, quem Aquas Sextias vocant, quo, fides numinum, prælio oppreſsit!

Ante Chr. xcix.

Vallem fluviumq; medium hostes tenebant, nostris aquarum nulla copia. Consultone id egerit imperator, an errorem in consilium verterit, dubium. Certe necessitate aucta virtus, causa victoriæ fuit. Nam flagitante aquam exercitu, viri, inquit, estis: en illic habetis. Itaque tanto ardore pugnatum est, eaque cædes hostium fuit, ut victor Romanus de cruento flumine non plus aquæ biberit, quàm sanguinis barbarorum. Certè rex ipse Teutobochus quaternos senosque equos transilire solitus, vix unum, cum fugeret, ascendit, proximoque in saltu comprehensus, insigne spectaculum triumphi fuit, quippe vir proceritatis eximiæ super trophæa ipsa eminebat. Quibus in verbis Ambronum, ut memini, nulla mentio. Nec verum interim sit, quod de ijs Festus Pompeius prodidit, eos scilicet subitâ inundatione maris ab ultimis etiam Galliæ Germaniæq; littoribus cum Cimbris ac Theutonis profectos; cum, ut ante ex Strabone ac Plutarcho patuit, illis sua sponte postliminio accesserint, Tygenis & Tigurinis juncti, utpote gentis ejusdem populus, & à mari atque oceano quàm longissimè semotus.

Erantque res hac belli vicissitudine admodum lætæ, quum alius à parte Cimbrorum terror exortus est. Sic enim ut plurimum accidit, sive fortuna sit, sive aliqua occultior Nemesis, quæ nullam in humanis rebus felicitatem meram & molestiæ expertem esse patiatur adversaq; secundis misceat. Iam enim Cimbri, qui diversi à Theutonis & Ambronibus abierant, Alpes tantâ virium ostentatione transcenderant, ut intecti per nivosa adhuc quibusdam locis juga incedentes, ubi ad declivia & anfractus montium erat ventum, lata scuta corporibus subjicientes, velut tormento aliquo contorti ad imum per lubrica ruerent potius quàm laberentur. Communiverat interim Catulus castra ad Athisonem; qui fluvius ex jugis Tridentinis lapsus Veronam interfluit. Cui sententiæ & plures astipulantur, qui per saltum Tridentinum Cimbros in Italiam descendisse authores sunt. Plutarchus rem in dubium trahens ait cum Cimbris haud procul Vercellis dimicatum. Florus in patentissimo campo concursum vult, cui Caudio fuit nomen. Velleius, quàm recte nescio, Raudium eundem vocat. Cimbri itaque rapidissimum fluentum superare adorti clamore & baritu terribili, arborum truncos validaque robora ad vim aquarum frangendam ripis devolvunt, tumulos æquant, complent valles multaque hujusmodi ad hostium terrorem moliri. Romani, qui ultra flumen castra metati fuerant, animo perculsi apertam jam fugam meditabantur. Catulus cum sistere fugientes vix valeret, sed prætrepidos sibi consulere videret, aquilam tolli jussit, cursuque ad primum agmen contendit abeuntium, ducemque se præbuit, quò suam non patriæ hanc maculam faceret, nec fugere, sed ducem sequentes viderentur abire. Cimbri præsidium ipsum præproperè adorti, suam in potestatem id redigêre. Militemque, qui impositus substiterat, quod se gessisset fortissimè atque ex dignitate Romani nominis decertasset, virtutem reveriti dimiserunt incolumem, æneo tauro ex more & consuetudine gentis prius jurato. Quod sane barbarorum, ut eos Romani appellabant, haud quaquam barbarum factum: qui virtutem admirati eam etiam in hoste tam insigni remunerandam beneficio voluerunt. Taurum exinde sub pugnâ captum in domum Catuli, tanquam victoriæ primitias, delatum memorant. De hac ad Athisonem Catuli cum Cimbris concertatione, & quo adversus eosdem eâ in fugâ sit usus stratagemate, egregius est apud Frontinum locus, quem, quòd propius aperiat omnia, totum adscribam: Cum, inquit, pulsus à Cimbris Catulus unam spem salutis haberet, si flumen superasset, cuius ripam hostes tenebant; in proximo monte copias ostendit, tanquã ibi castra positurus; ac præcepit suis ut sarcinas solverent, aut onera deponerent, ne quis ab ordinibus aut signis decederet, & quo magis persuasionem hostium firmaret, pauca tabernacula erigi in conspectu jussit ignesq; fieri & quosdam vallum struere, quosdam in lignationem, ut conspicerentur, exire: quod Cimbri vere agi existimantes, & ipsi castris delegerunt locum: dispersique in proximos agros ad comparanda ea, quæ necessaria sunt mansuris, occasionem dederunt Catulo, non solum flumen trajiciendi, sed etiam castra eorum infestandi. Tradit autem Valerius Maximus sub idem tempus, & cum tanto Cimbrorum impetu ex equitibus Romanis multi pulsi, deserto proconsule Catulo, urbem pavidi repeterent, M. Scaurum consternationis ejus participi filio suo misisse qui dicerent, libentius se in acie ejus interfecti occursurum ossibus, quàm ipsum tam deformis fugæ reum visurum: atque ideo, si quid modò in pectore verecundiæ superesset, conspectum irati patris vitaret. Quæ dum ibi aguntur, erat adhuc Romæ Marius, post Theutonicam victoriam ad triumphum accersitus, nec enim Cimbri tam propere accesserant. Is hostium adventu audito, confestim ad Catulum jam proconsulem, seposita triumphi curâ, revolans convocat

vocat

Ante Christum XCVIII

vocat è Galliâ legiones. Quæ ubi adfuêre, trajecto Pado, institit arcere hostem ab Italiâ Cispadanâ. Mirari interea Cimbri quid esset, quod Theutoni nondum in Italiam descendissent, omnium, quæ ad Aquas Sextias facta fuerant, aut ignari aut certè se ea ignorare simulantes. Eorum legati, qui ad Marium missi, placidè & sibi & Theutonis, fratribus suis, terram assignari petebant, eam habituri, quam Romani datam vellent. Ad ea subridens Marius, mittite, inquit, hanc de fratribus curam: habent illi terram, quam tantopere optabant: habiturique sunt semper. Inde regulis ac ducibus gentis in medium productis, eoq; intellectâ suorum clade, animis commotis in castra regressi sunt. Hinc è vestigio moverunt in Marium, quiescentem adhuc & castra circum quaque tuentem. Primo omnium BOIERIX Cimbrorum rex cum paucis propius accedens lacessivit Marium, ut die & loco præfinito prodiret deq; solo dimicaret. Marius cum respondisset non esse moris Romani, ut pugnæ committendæ mutuarentur ab hostibus consilium, addidit se suo non hostium arbitrio dimicare. Hoc interim Cimbris indultum, ut dies ab illo tertius pugnæ, locus & campus circa Vercellas statutus sit; qui ut habet Plutarchus, equitatui Romanorum erat peroportunus, & ad tantam explicandam multitudinem accommodatus. Alij, quod ex Floro & Velleio indicavimus, *Caudium* sive *Raudium* eandem planitiem appellant: ut facilè hinc error appareat authoris, qui inscribitur de Viris illustribus, memorantis in Galliâ apud Aquas Sextias Cimbros, Theutones in Italiâ in campo Claudio à Mario victos ac triumphatos; cum ex adverso hîc Cimbri, ibi Theutones protriti sint. Præstitutâ igitur diem alacriter obiêre, aciesque infestæ utrimque nec segniter in procinctum deductæ. Erant in castris Romanorum duo & quinquaginta millia peditum. Marius suos in cornibus locarat, Catulus mediam tenuit aciem. Et ferunt eum in modum à Mario digestum exercitum, ut victoriæ laus non tam Catulo quàm ipsi, qui alis & cornibus præerat, accepta tribueretur. Quod Sylla, qui illi prælio non tantum interfuit, sed & rem literis prodidit, haud obscurè apud Plutarchum videtur innuere. Verum Syllæ, qui Mario ex professo fuit inimicus, unius testimonio haud quaquam hîc aurem præbuerim, cum præcipua pugnæ gloria, passim authoribus testantibus, penes Marium steterit. Cimbrorum pedites è castris compositè progressi acie quadrata constitêre. Siquidem latera aciei singula, quod Plutarchus refert, terna millia DCCL. passuum obtinebant. Equitum quindecim millia fuêre. Galeas gerebant, quæ repræsentabant sævarum belluarum rictus & inusitatas figuras, quæ & cristis alatis apparebant eminentiores. Erant & ferreis loricis exculti ac candidis micabant scutis, pro telo habentes singuli telum bipenne. Pede collato, ponderosis utebantur & grandibus gladijs. Ac tunc non in frontem procurrêre Romanis, sed deflectentes ad dextram id egerunt, ut intra se & collocatos à sinistra, quos habebant, pedites, Romani intercluderentur. Verum haud fefellit id duces Romanos. quocirca priusquam inhiberi miles poterat ac demonstrari ad vocem unius hostes fugam capessere, omnes procurrêre ad insequendum. Interim Cimbrorum peditatus instar vasti pelagi agitatus irruebat. Ad quem concursum tam densus est pulvis in nubem elatus, ut dempto rerum omnium aspectu vix intelligi potuerit quid hac aut illa parte gereretur. Sylla, qui prælio ut modò dictum, interfuit, potissimum conflictum circa Catulum & illius legiònes, in quibus & ipse steterat, versatum tradit. Verum Syllæ, qui in Marium, ut innuimus, iniquior fuit, minus hîc fidei, præsertim ipsi de se quoque verba facienti, tribuendum. Nam, præter cetera, Marij præcipue consilio factum fatentur omnes, quod ità acie concursum sit, ut Solem à tergo Romanus habuerit; Contra Cimbri oculis fulgore perculsis parum aut nihil, quod facto opus esset, prospicerent. Quæ res & ipsis præcipue obfuit omniaq; difficilia reddidit. Florus Marium ait primò nebulosum diem nactum, ut hosti inopinatus occurreret : tum ventosum quoque ut pulvis in oculos & ora ferretur : & denique aciem in orientem vertisse, ut ex splendore galearum ac repercussu quasi ardere cœlum videretur. quamvis aliter paulo referat Frontinus, ubi inquit; Marius adversus Cimbros ac Theutones, constituta die, pugnaturus, firmatum cibo militem ante castra collocavit, ut per aliquantum spacij, quo adversarij dirimebantur, exercitus hostium labore itineris profligaretur. Fatigationi eorum deinde incommodum aliud objecit, ità ordinata suorum acie, ut adverso Sole & vento & pulvere eorum occuparetur exercitus. Quibus accesserit quod ipsa gens sua natura magis frigoris, quàm caloris patiens, manante totis corporibus sudore, magno cum anhelitu scutis ora obtegeret. Pugnatum est ad tertium calendas Augusti, quo tempore vehementissimi sentiuntur calores ob æstivum solstitium. Majore itaque gentis parte cæsa, reliqui retrorsum ad castra recurrêre. Ibi multi à mulieribus

Ante Chriſtum XCVIII.

lieribus fugam & dedecus averſantibus, ferro obtruncati. Quædam curribus ſtantes, ubi nihil æqui ab hoſte impetrari poſſe apparuit, in ſe ſuoſque immaniter ſæviêre. Tradunt enim authores, quod ad laudem ac pudicitiam fœminarum præcipuè pertinet, conjuges cæſorum maritorum, poſtquam ex eſſedis carpentiſque animoſè pro ſe liberiſque ſuis pugnaſſent, nec ſe victoriæ litaturas viderent, oraſſe poſtremò Marium ut in numerum Veſtalium virginum aſſumerentur, affirmantes æque ſe atque illas virilis concubitus expertes futuras. Et id cum impetrare ab eo, utpote contra fas ac legem iſtius ſacerdotij haud poſſent, ſuffocatis eliſiſque paſsim infantibus, etiam ſibimet nocte proximâ manus intuliſſe. Nec mirum id, cum in univerſum exſultare in acie ſolitos Cimbros, præter alios, Valerius Maximus memoret, tanquam glorioſè ac feliciter vitâ exceſſuros; in morbo verò lamentatos, quaſi turpiter ac miſerè perituros. Addit Plinius, in iſtâ adverſus Marium pugnâ, cæſis dominis, caſas eorum plauſtris impoſitas etiam canes ingenteſque moloſſos ad extremum defendiſſe. Capta & hîc ſupra LX. millia, cecidiſſe bis totidem & amplius memoratur. Euſebius ducenta millia cæſa refert, capta millia octuaginta; cum Livius cæſorum numerum haud ultra centum quadraginta fuiſſe velit, captorum verò circiter ſexaginta millium. De eodem ac quinto hoc Marij conſulatu ità Velleius: *Quinto conſulatu, citra Alpes in campis, quibus nomen erat Raudis, ipſe Conſul & proconſul Q. Lutatius Catulus fortunatiſſimo decertavêre prælio, cæſa aut capta amplius* CM. *hominum.* Ubi docti, prout alij & præſertim Euſebius jam memoratus, ſummas cæſorum captorumque concipiunt, geminandam centenariam notam exiſtimant faciendumq; CC.M. *hominum.* Florus Beleum regem in acie dimicantem impigrè nec inultum occubuiſſe refert. Meminit etiam, quem ſupra nominavimus, *Boiorigis*, & *Lugij* aliorumq; regulorum ac ducum, ut *Claudici* & *Cæſorigis*, ſed vitio ſcriptionis, corruptis vocabulis, Oroſius. Quorum poſteriores duos captos, cæſos priores tradit. Forcatulus, ex annalibus Gallorum anni 1233. effoſſam circa Aquas Sextias loricam injicit, cũ inſcriptione, ſi fidem ea mereatur, ejuſmodi, BELEOS CIMBROS. At Flori (in cujus ſolius codicibus *Beleus* occurrit) membranæ vetuſtiores non *Beleum* ſed *Boelerium* præferunt, ut idem fortaſſe qui *Boiorix* fuerit, Plutarcho alijſque, ut indicavimus, nominatus. quamvis & ſint, qui *Bolum* regem appellant, à quo, ut ante memoratum, Scaurus trucidatus. cui & illud accedat, Forcatulo & ejus annalibus minus favens, quod pugna hæc cum Cimbris habita, non circa Aquas Sextias, ſed in campis Italiæ ultra Alpes, Raudis, ut indicatum, Velleio dictis, ſit depugnata. Tertia Tigurinorum manus, qui quaſi ſubſidio Noricos inſederant Alpium tumulos in diverſa lapſi, fugâ ſibi conſuluit. Prædam milites Marij diripuêre; ſpolia, tubæ & cetera inſignia in caſtra Catuli delata ſunt. Orta inter Marij & Catuli milites contentione, utrorum præcipuè opera victoria videretur quæſita, Parmenſium legatorum judicio Catuli militibus ea laus attribuebatur, quia plura pila corporibus hoſtium infixa reperiebantur, quibus Catuli erat nomen, quàm Marij, inſcriptum; fama tamen & decus omne ob conſulatus majeſtatem; tum priorem adverſus Theutones palmam & Catuli fugam Caio Mario vindicabatur. Populus Romanus tertium eum conditorem urbis appellavit, quod non minori diſcrimine tum Roma eſſet ſervata, quàm cum Senones à Furio Camillo ex urbe ejecti fuêre. Velleius Paterculus ea victoria meruiſſe Marium ait, ne ejus nati rempublica pæniteret, ac bona malis repenſaſſe. Hilares itaque ac lęti cives unà cum uxoribus & liberis, quiſque domi ſuæ, Dijs ſimul ac Mario libaverunt. Quin & ipſi uni uterque triumphus decretus eſt. At ille, quò tantis rebus geſtis, ſuam omnibus commendaret modeſtiam, unà cum Catulo triumphavit. Poſt tamen triumphum, quod Liber pater Indicum ex Aſiâ ducens triumphum, cantharo potare conſueviſſet, ipſe quoq; eodem poculi genere uſus memoratur, ut inter ipſum vini hauſtum patris Liberi victorijs ſuam hanc Cimbricam, ut habet Valerius, compararet. Quanta interim eum conficiendi præcipue hujus belli ſollicitudo habuerit, ex eo etiam liquere poteſt, quod Dorotheus quarto Italicorum, ut author eſt Plutarchus, tradat, durante bello, in ſomnis præmonitum, victoriam ei adſpiraturam, ſi prius victimam filiam, Calphurniam nomine, Dijs faceret: Atque ipſum, poſthabito patriæ ſaluti proprio affectu, filiam immolaſſe. Præda porro licet militibus, ut eſt dictum, ceſſerit, præcipua interim ſpolia manubiaſque, ut & modo innui, fuiſſe reſervatas inque caſtra Romanorum deportatas vel illud quoque indicium eſt, quod elapſo exinde tempore inſignis ille arteque mirabili ex lapide permagno quadrato ſupra Narnem pons, cujus tanti fuêre, atteſtantibus hodieque ruderibus, arcus, ut ijs altiores ſibi haud unquam viſos fateatur libro primo belli Gothici Procopius, ex CIMBRICIS ſit SPOLIIS ab ipſo Auguſto exædificatus. Hunc tam

lætum

Ante Christum XCVIII.

lætum tamq; felicem libertatis Italiæ aſſertiq; imperij nuncium non per homines, ut ſolebat, accepiſſe populum Florus ait, ſed per ipſos (ſi fas eſt credere) Deos: Quippe eodem, quo res eſt geſta, die, viſos pro æde Caſtoris & Pollucis juvenes laureatas prætori literas dare, frequentemq; in ſpectaculo rumorem, VICTORIÆ CIMBRICÆ FELICITER dixiſſe. M.' Cicero, quod ad honorem quoq; gentis & Marij ſempiternam hanc victoriam facit, refert poëtam Archiam CIMBRICAS RES adoleſcentem attigiſſe; & ipſi illi Caio Mario, licet ad ſtudia humaniora duriori, ob id tamen jucundum fuiſſe. Et Seneca exinde ſtragis tam inſignitæ cauſam inquirens, *quid*, inquit, *Cimbrorum Theutonumq; tot millia ſuperfuſa Alpibus ità ſuſtulit, ut tantæ cladis notitiam ad ſuos non nuncius, ſed fama pertulerit, niſi quod erat illis ira pro virtute? quæ ut aliquando perculit ſtravitq; obvia, ità ſæpius ſibi exitio eſt.* innuere ſcilicet volens ſolum obfuiſſe impetũ ac ferociam gentis, quo minus victoriæ ubiq; litans totum, quà late patebat, Romanum imperium peſſunderit; fatente idipſum quoq; æquali propemodum eorum temporum Salluſtio, qui Cæpionem Manliumq; atq; inde ad ſuam uſque memoriam Romanos ità habuiſſe ait, alia omnia virtuti ſuæ prona fuiſſe, excepto Gallorum populo, qui cum non de gloriâ ſed pro ſalute certarint: Gallos eo loci Cimbrorum Theutonumq; gentem vocans, quod in Gallijs primum audita eorum arma. Ità enim ſub finem belli Iugurthini habet: *Per idem tempus adverſum Gallos ab ducibus noſtris Q. Cæpione & M. Manlio male pugnatum. Quo metu Italia omnis contremuerat: illiq; & inde ad uſque noſtram memoriam Romani ſic habuêre: alia omnia virtuti ſuæ prona eſſe; cum Gallis pro ſalute, non pro gloriâ certare. Sed poſtquam bellum in Numidia confectum, & Iugurtham Romam vinctum adduci nunciatum eſt, Marius conſul abſens factus eſt, & ei decreta provincia Gallia. Eâ tempeſtate ſpes atque opes civitatis in illo ſita.* Hactenus Salluſtius. Cujus verba, quamvis proprie, ut dictum, Theutones Cimbricumq; hoc bellum reſpiciant, in univerſum tamen de ijs etiam Gallis populiſque tranſalpinis intelligi poſſunt, quos Senones dictos Florus ait, quique urbe incenſâ, à Camillo mox cæſi fuerunt; atque inde ſub nomine Inſubrium Gallorum, Britomaro ac Viridomaro ducibus, Italiam infeſtarunt. Ut omittam, qui, Brenno archego, pervaſâ Græciâ Delphicoq; templo incenſo, Gallogræci ſunt appellati. Quorum expeditiones omnium hanc Cimbricam luſtris annorum permultis præceſſiſſe ex authoribus conſtat. Nam à Viridomaro ad primam uſque victoriam Cimbrorum, fuſo ac fugato Conſule Papirio Carbone, ſunt anni pluſquam centum ac tredecim. Duravit autem bellum Cimbricum ab ejuſdem Carbonis ad quintum uſque Conſulatum C. Marij annos novem circiter. Quod cum colligi ex ſuperioribus perfacile queat, hîc repetere aut demonſtrare curioſius ſupervacuum puto.

Porro Cimbrorum hac ſtrage à Romanis editâ, neutiquam tamen, quod nonnullis placuit, univerſa ſimul gens eâdem ad internecionem deleta. Nam tametſi vires eorum plurimum eâ attritæ fractæq; ſint, adeo ut robur & potentiam priſtinam haud facile nec ſubito recuperare potuerint, reliquiæ nihilominus tam extra quam intra cherſoneſum manſère ſuperſtites. Cæſar enim, quod modò relatum, cum dixiſſet Cimbros Theutoneſque, ubi in Galliam Italiamque iter facerent, impedimenta, quæ ſecum agere ac portare non poterant, citra Rhenum cum præſidio ſex millium hominum depoſuiſſe, adjecit continuo, eoſdem, profligatis in Italiâ ſocijs ac popularibus, multos annos à finitimis exagitatos, quum aliàs bellum inferrent, aliàs illatum defenderent, conſenſu eorum omnium, pace facta, inibi locum domicilio ſibi delegiſſe: atque ex illis prognatos Advaticos, quos hodieq; juxta Eburones & illo circa Moſam ac Scaldim diſtrictu teneri omnium propemodum & conſtans ſententia eſt. Quam verò ingens, illæ Cimbrorum reliquiæ Advatici, populus fuerit, ex eo patebit, quod in opido eorum, cum id à Cæſare expugnaretur, reperta ſint capitum millia LIII. Adeo ut mirari ſubeat, cum ſex tantum hominum millia à Cimbris Theutoniſque in Provinciam atque Italiam euntibus circa Rhenum cuſtodiendis impedimentis relicta fuerint, tam exiguam manum non modò longe lateque per ferociſsimas prope ad Oceanum nationes penetraſſe, verùm etiam in tantam tam brevi excreviſſe multitudinem, ut Cæſar ſolis quinquaginta annis poſt, intra id opidi tot millia hominum repererit, quos ille per ſectionem, ut poſtea addit, omnes diſtraxit. Neque interim credi par eſt, totam tum gentem Advaticorum inibi concluſam venumque expoſitam fuiſſe, *Ante Christum LV.* quia poſtea bellum viciſsim adverſus Romanos unà cum Nervijs repararint, teſte eodem Cæſare. Unde haud abſimile vero ſit, eos haud paucorum ex popularibus, qui in Italia Gallia que cladi ſuperfuêre, regreſsione paulatim auctos, aut alios ejuſdem procinctus in proximo ſocios habuiſſe, qui cum ipſis & vires & domicilia junxerint. In ipſa autem Rheni

ora,

Ante Christum L.

orâ, ubi, ceteris Galliam Italiamque petentibus, sex millium præsidium relictum ex Cæsare est memoratum, quis etiam ambigat ità pedem ab ipsis fixum, ut non modò suorum aliquos, sed illi pago, qui est ex adverso Coloniç Agrippinæ positus *Duitz* dictus, ex Theutonum Tuisconumque gente suam nomenclaturam reliquerint? Deinde cum ingens, ut meminimus, eorum manus ab ipso Mario in Italiâ captiva detenta sit, verisimile est complures eorum exinde in Gallias non modò, aut patriam regressos, sed & aliquos etiam Italici cæli amænitate illectos ibi substitisse; & ab ipsis paulatim Romanis militiæ similiumque dignitatum muneribus, utpote viros Martios ac bello suetos, esse honestatos. Quos inter censeri possit, quem authores nonnulli *Gallum*, alij, ijque plures, *Cimbrum* memorant; qui, ut narrant, latentem in paludibus Minturnarum proscriptum postmodò Marium occisurus, vultus ejus majestate deterritus retrofugerit: ut omittam *L. Tullium Cimbrum*, qui primas partes invadendi in Curiâ Cçsaris teste, Suetonio, una cum Bruto Cassioque susceperat. Cujus & Seneca epistolâ 83. meminit, eum dictitans & nimium in vino & scordalum fuisse. Ità enim verba habent: *Tullius Cimber & nimius in vino & scordalus.*

Intra verò Chersonesum & suo in solo, imperante statim post Iuliū Cæsarem Augusto, retinuisse etiam tum Cimbros veteris imperij formam vel inde constat, quod illi ipsi Augusto, ut memorat Strabo, æreum lebetem peculiari quadam religione abs se consecratum per legatos dono miserint, ut eo facto dissidij veteris & injuriarum memoriā quasi abolerent, ac novæ quodammodo amicitiæ fædus pangerent. Hi legati voti sui compotes facti, domum exinde alacres reversi, ut Strabo idem refert; addens etiam tum antiquas suas sedes ac nomen intra chersonesum, ad Albim pæne usque, inviolatas tenuisse, refellens ac notans eos, qui, ut incertis vagarentur sedibus & latrocinijs victum quærerent, diluvio aut æstu maris compulsos tradiderant. Verba Strabonis ita habent: „ De Cimbris quædam ineptè dicuntur, quædam probabilitatem habent. Non enim hac de causa eos, ut incertis vagarentur sedibus & latrocinijs victum quærerent, compulsos crediderim, quasi è peninsula, quam inhabitabant, diluvio fuerint ejecti: cum hodieq; antiquas incolant sedes, nuperque Augusto lebetem, qui apud ipsos sacerrimus habebatur, dono miserint, amicitiam expetentes, & veniam illatarum injuriarum, eaque consecuti domum redierint. Et ridiculum sit, eos naturali ac sempiterno çstui, quotidie bis contingenti, iratos solum vertisse. Quin & figmentū videtur, eluviem aliquando immodicam accidisse, cum id genus Oceani accidentia intendantur quidem ea & remittantur, sed ordine tamen suo ac modo. Non recte etiam is, qui arma adversus exundationem cepisse Cimbros ait, &c. Quamvis inficiandum interea haud est, quin recte notarit Plutarchus atq; inde Festus, Cimbrorum ipsorum linguâ, quam illi Germanicam aut Gallicam vocant, dictos Cimbros latrones, si nimirum vox latronis, quod alibi injecimus, pro milite ac bellatore sumatur. Latrones enim ἀπὸ τοῦ λατρεύειν dicti, id est, *obsequi & mercede servire.* Vel si placeat magis Latina Varronis notatio, appellati *latrones*, quasi *laterones* seu assistentes lateri regis. Unde in Pænulo Plautus; *Hic latro in Spartâ fuit*, id est, militari sacramento auctoratus. Et apud Nonium Gracchus: *qui apud regem in latrocinio fuisti & stipendium acceptasti.* quomodo & passim veteres: Cimbri igitur Gallorum linguâ latrones intellecti, id est, viri militares ac bellatores. Et est hodieq; Danis *Cimber, Kimber* seu *Kemper, pugnator, pugil, athletes.* Extremis autem ejusdem adhuc Augusti temporibus, Drusus Germanicus, privignus ejus, Dux Rhetici atque inde Germanici belli oceanum Septentrionalem primus ducum Romanorum navigans,

Ante Christum X.

classe Germaniam circumvecta, testante Plinio, adusque CIMBRORUM PROMONTORIUM, quod *Boubergen* hodie, aut alterum ab illo *Scagen* promontorium nostratibus est, pervenisse memoratur. Quibus deinde & Tacitus adjicit, fama tum vulgatum etiam HERCULIS COLUMNAS illo Oceani tractu reperiri; nec defuisse audentiam Druso, sed obstitisse oceanum in se simul atque in Herculem inquiri. Quas columnas, quod eruditis nonnullis ad eam Scandinaviæ excelsam rupem, seu promontorium est, quod hodie COL tam indigenis quàm alijs ac vulgò præternavigantibus solet nuncupari, referre libuerit, id minus firmum existimo ex solo præsertim etymo, quod vocabulum COL vel ab Hercule vel à columna mutilatum augurentur. Plus ponderis aut saltem fidei colorisque narrationi superaccedat, si dicamus ibi adhuc obtineri hodieq;, & veluti religione apud naucleros sacrum haberi, ut tirones, quibus boreum mare, & istud præcipue promontorium præternavigatum non est, statis ceremonijs inaugurati excipiantur, maloq; nautico alligati aquæ marinæ aspergine, quam haustro affundunt, ceu libamento quopiam expientur: Quomodo & olim de Gaditanis ejusdem Herculis

columnis

columnis Strabo retulit, ſolitos nimirum navigantes, ubi ad eas prævenerant, quaſi curſu & metâ laborum abſolutâ, Herculi ſacra facere. Ejuſdem præterea Auguſti temporibus ſuperfuiſſe manubias amplaq; ſpolia ex Cimbrico triumpho, quem Marius Catuluſq; duxerunt, liquet ex ijs, quæ jam ante de ponte Narnienſium retuli, cum nimirum ab Auguſto exædificatum ex Cimbricis ſpolijs, atteſtantibus, qui id Narnienſes ipſos confeſſos memorant, authoribus. *Ante Christum I.*

Poſt hæc tempora minus in hiſtoriâ Romanâ celebratum invenitur Cimbrorum vocabulum, adeò ut ſuo ævo Tacitus, qui ſub Trajano claruit, parvam eorum civitatem, ſed gloriam ingentem fuiſſe commemoret: intelligens ſcilicet civitatis nomine non opidum aut urbem, ſed collectam ac conſtitutam civium multitudinẽ, jure ac legibus viventium. Ptolomæus, qui ut omnium ex antiquis fere ultimus Cimbrorum meminit, eorumq; cherſoneſum accuratè deſcripſit, ità inter primos mentionem Saxonum facit, Cimbris eoſdem conjungens. Nec omittenda inter hos Imperij Notitia. quæ mentionem Cimbrianorum militum injicit.. qui ex populis Cimbricæ cherſoneſi lecti militaverint ſub Comite Africæ unà cum Celtis: habentes inſigne parmam rubeam cum orbe luteo, ut eos deſcribit eadem Notitia. Mentio quoque eorundem inter legiones Palatinas duodecim. Taciti verò & Ptolomæi, de quibus dixi, ævum in annum propemodum Chriſti centeſimum coincidit. Cui ſi accedant centum illi & undecim ante natum Chriſtum anni à prima Cimbrorum expeditione ſupra inchoati, colligentur ad hoc uſq; tempus anni ducenti & undecim. Atq; inde ſi reputemus tempus, quo in literas eſt miſſa Imperij Notitia, ad tempora Conſtantini Magni & ultra progrediemur. Nam & Claudianus quoque, qui Arcadij & Honorij ævo claruit, cum Romanæ militiæ Stilico eſſet præfectus, Cimbros haudquaquam tacuit illo verſu: *Anno Christi C.*

Latiſq; paludibus exit
Cimbrus, & ingentes Albim liquêre Cheruſci.

Quin & idem Claudianus de victoria agens Alarici, quæ in annum incidit Chriſti circiter quadringenteſimum, & quod excurrit, haud obſcurè innuit totũ id *mare*, quod nunc Norvagicum Germanicumque ad littora uſque Flandrorum appellamus, quodque Rheni in ſe utrumque oſtium recipit, haud aliter per ea tempora quàm *Cimbricum* intellectum nominatumque, ubi inquit: CCCC.

Te Cimbrica Thetys
Diviſum biſido conſumit Rhene meatu.

Ut ità quoque, quod nonnulli concludunt, illa maris Oceani inundatio, de quâ authores referunt, quæque Cimbros ab extremis Boreæ littoribus ad oras Rheni digreſſos petere Galliam Italiamque compulerit, non dẽ ipſorum littoribus, quod etiam Strabo, ut retulimus, confutat, ſed de maritimis & humilibus præſertim Cherſoneſo proximis finibus, in quibus, ut fit, primò conſederint, ſit accipienda. Et eſſe hodieque eam littoris ibi faciem, præſertim Ditmarſi, Stormarſi, & ea maritima ora, cui *Friſia* illa, quam Saxo Grammaticus *minorem* vocat, eſt adſita, crebræq; ibi, quarum meminit hiſtoria, eluviones loquuntur. His autem ſuperatis in patentem atque intimam ſe effudiſſe primò Germaniam, atq; inde ad Gallos flexiſſe, itineris ipſorum atque expeditionis ſeries jam memorata declarat, ut & verba Poſidonij apud Strabonem, quibus etiam Boios ac Bohemos habuiſſe infeſtos intelligitur. Ita enim verba habent lib. VII. Idem perhibet Boios quondam Hercyniam incoluiſſe ſilvam, ac Cimbros, quum ad ea loca ſe contuliſſent, ab ijs repulſos, ad Iſtrum & Scordiſcos Gallos deſcendiſſe: Inde ad Teuriſtas & Tauriſcos, itidem Gallos: tum ad Helvetios, auri divites ceterum pacatos.

HOc igitur tam longi ævi & antecedente atque intermedio ſpacio, à Saxone Grammatico, & qui eum ſecuti, longus recitatur Regum catalogus, qui omnes intra Daniam regni diadema tenuerint. Horum à Dano, qui Humblo patre natus Daniæ nomen dederit, ac multis ante Chriſtum ſeculis omnium primus fuerit, ad uſque Frothonem tertium, qui circa Chriſti demum natalem (cum illa ad Auguſtum Cæſarem Cimbrorum legatio, de quâ ex Strabone modò retuli, ſilentibus licet domeſticis annalibus ipſoque Saxone, parageretur) regnare cæperit, quatuor & viginti reges recenſiti: Et ab ipſo viciſſim ad Gotricum uſque, qui cum Carolo Magno belligeravit, illis etiam plures enumerati. Quorum ego & nomina & facta etiam præcipua, ſecutus præſertim Saxonem, ità deinceps recenſebo, non ut ea vel affirmare vel refellere ſit animus, ſed tantum ut ſuo exinde & loco, &

ordine

TRAIANUS IMP.

Ante Christum

ordine poſſit conſtare, nos domeſticæ hiſtoriæ rationem, etiam hac parte habere, nec eam negligere prorſus, aut in totum ſeponere voluiſſe; nec debuiſſe etiam, aſpectu præſertim Saxonis Grammatici; cujus hoc flagitet non modò, quam hodie ſtupemus, ob ſeculi, in quo vixit, barbariem, admirabilis eruditio; ſed ejus quoque, in rebus præcipue patriæ & à memoriâ noſtrâ tam longè remotis, quæ paſſim ſuggerit, etiam famam ac fidem quaſi excedentia ſubinde commemorans, recondita ubivis obſervata documentaque.

DANVS REX I.

A Dano igitur Humbli filio, jam indicato, non à Danais, ut proditum Dudoni, Daniæ regnum appellationem ſortitum Saxo alijque Saxonem ſecuti volunt. Ei frater fuerit Anglus nomine, à quo, ut præſide ac rectore Anglicæ gentis in Cimbricâ Cherſoneſo, Gutiam nunc dicimus, principia promanarint. Cujus exinde, poſt ſecula aliquot, ſucceſſores Britanniâ potiti, priſcum inſulæ nomen novo patriæ ſuæ vocabulo, Angliam appellitantes, permutarunt. Quod, perperam intellecto Saxone, de Anglo ipſo, non poſteris ejus accipit Crantzius. Paternum vero Humbli nomen teſtetur exilis hodie, olim Humbli palatio celebris apud Sialandos pagus *Humbelbequa*, ad ripã Oreſundæ freti, amæniſſimo in idem fretum proſpectu, collocatus, ſicuti & *Humleoræ* arx haud procul Ringſtadio in ipſo propemodum ejuſdem Sialandicæ inſulę meditullio ſita quondam, ubi nunc eſt Harreſtada. Dano autem, qui rerum dominium tenens regij tamen nominis expers egerit, è Grethâ, ſummæ inter Theutonęs dignitatis matronâ, duo filij nati *Humblus* & *Lotherus*. Hæc ad æram anni bis milleſimi nongenteſimi ac decimi à mundi conditu referuntur à quibuſdam. qui fuerit ante Chriſtum annus milleſimus trigeſimus nonus, & quod excurrit. Gaſſarus haud ultra annum CCCCXC. ante Chriſtum agnoſcit. Saxo de calculo & ærâ annorum ſecurus rem ſolum ponit.

HVMBLVS REX II.

POST Danum ad electionem novi principis digreſſi proceres. Hi ex more gentis electuri regem affixis humo ſaxis inſiſtere ſuffragiaq; ſeorſim depromere ſinguli conſueverant, è firmitate ſubjectorum lapidum de facti conſtantia quaſi omen captantes, ut Saxo memorat. Eoque ritu Humblus Dani filius avi paterni nomen gerens novo patriæ beneficio rex creatus, ſequentis fortunæ malignitate ex rege privatus evaſerit. Bello ſiquidem à fratre Lothero captum, regni depoſitione vitæ ſpiritum ſibi mercatum ut Saxo refert, ità alij interemptum ab eo tradunt, juxta fortaſſis illud, quod de Romulo quoque & Remo fratribus cecinit Lucanus:

Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.

Ei liberos tribuere nonnullos video ex Adelâ, quam nominant, Guttonis Gutiæ principis filiâ, Danum & Boghium, Saxoni nuſpiam nominatos. qui & nobis idcirco omiſſi hoc loco, aut obiter ſaltem, ſi quis ad rem pertinere exiſtimet, indicati.

LOTHERVS REX III.

SUCCEDENS deinde fratris paricida Lotherus, nequaquam tolerabiliorem regem, quam militem agens ideoque nec ſcelerum diu impunitus, ab ipſa, quæ regnum conceſſerat, domeſtica nobilitate, & regno & vita ſpoliatus eſt. Saxo ſcribit patriæ conſternatione peremptum, eadem ſcilicet ſpiritum eripiente, quæ dignitatem largita fuerat; præſertim cum illuſtriſſimum quemque vitâ & opibus privare, patriamque bonis civibus vacuefacere, loco probitatis duceret; tum & ſceptri æmulos judicaret, quos nobilitate videbat pares.

SCIOLDVS REX IV.

SCIOLDUS Lotheri filius, naturam à patre, non mores ſortitus, avitis virtutibus feliciter reſpondiſſe memoratur. quindecimq; natus annos adeò inuſitata corporis mole juſtum humanæ ſtaturæ & modum & magnitudinem prætulerit tamq; excellentis animi

indole

indole fuerit, ut ab ipso deinceps ceteri Danorum reges communi vocabulo *Scioldungi* sint nuncupati. Inter cetera roboris sui experimenta narratur adhuc adolescens, cum venationi forte fortuna interesset, obvium habuisse inusitatæ magnitudinis ursum, cumque telo vacuus cingulo suo religatum eousque detinuisse, dum necandum comitibus præbuisset. Hic cum speciosissimæ puellæ connubium singulari certamine inter Alemannos provocatus meruisset, interfecto eorum satrapa Scato, ejusdem puellæ competitore, filium ex eâ Gramum sustulisse memoratur, atque inde non armis modò, sed & patriæ charitate magnisque fuisse rebus conspicuus, utpote qui omnem Alemannorum gentem, perinde ac ducis sui interitu debellatam reddiderit tributariam. Inter cetera dictum ejus à Saxone pulcherrimum refertur, quo affirmare sit solitus, *pecuniam ad militem, gloriam ad ducem redundare debere*. Frisici scriptores, interque eos Cornelius Kempius, Frisios, post primum gentis suæ conditorem Frisonem, præceptionum ejus, qui liberos eos & à jugo peregrino haberi immunes voluerat, immemores, ad regem Danorum, cujus nomen non ponit, legatos misisse seq; ejus submisisse imperio refert: Atq; inde eosdem tædio externi dominatus ejecisse aut obtruncasse, quem præsidem constituerat Danorum rex: uxorem verò ejus, quæ & soror Daniæ regis erat, relictam in Frisiâ gravidam navi impositam cum ignominiâ domum remisisse: natumq; ex eâ mox filium cædis paternæ à Frisijs perpetratæ ultorem: utpote qui, acceptâ à rege Danorum classe, ad littus Frisiorum appellens congregatos Groneburgi septem Frisiæ Zelandiarum judices benignè in navem receperit receptosq; in Daniam avexerit; atq; ibi eosdē vel mori vel ad vetus reducere obsequium Frisiā coegerit. Addit Kempius hæc ista quatuordecim annis natum præsidis filiū perpetrasse, ac eâ ætate inusitato corporis incremento perfectissimū humani roboris prætulisse specimen: adeò ut verba ea postrema, cū sint Saxonis nostri Grammatici de Scioldo, cujus mentionem facimus, loquentis, operæ pretium putavi rem, ut est à Kempio prodita, hoc loco vel obiter retulisse. Memoriam ac nomen Scioldi, regia olim ejus, hodierno adhuc die *Scoldenessa* testetur.

Ante natum Christum

GRAMUS REX V.

SCIOLDO adhuc vivo, sed ætatis ultimæ Gramus surrogatus, non tantum patrij diadematis, sed & paternarum virtutū hæres, ijs corporis animiq; præstantissimis dotibus præditam adolescentiam ad summū gloriæ culmen promovit, tantumq; magnitudini ejus tributum, ut in vetustissimis vatum carminibus ipsius vocabulo regia nobilitas censita memoretur. Primus, occiso Suetiæ rege Sictrugo, Sueciam Daniæ adjunxit, quæsitumq; armis imperium ut possessione certiore firmaret, Suarinum Gothię præfectum, quem regni affectati suspectum habebat, in pugnæ certamen evocatum è medio sustulit. Et tandem post alias aliasq; gloriosas victorias multaq; egregia facinora à Suibdagero sororio generoque suo, Norvagiæ rege, finibus ejus pulsus atq; inde in Daniâ, dum stupratæ sororis injuriam ac lacessitam filiæ pudicitiā ulcisci conatur, ab eodem oppressus occubuit. Saxo addit ab ipso antea, inter sacra mensæ interq; complexus amicorū, dum nuptiæ celebrantur cum Sumbli Finnorum regis filiâ, obtruncatum Saxonię regulum Henricum nomine, qui eas nuptias (à perfido patre pactas jam ante Gramo) rapuerat: Additurq; & necis inde causam Gramo natam, dum reguli & affines Henrici principis, in ultionem cædis ejus Suibdagero Norvago copias auxiliaq; adversus Gramum subministrant. Filios reliquerit Guttormum, Hadingum & utroque priorem Suibdagerum. Sed is, quod ex Saxone manifesto liquet, non filius, sed gener sororiusq; fuerit.

SUIBDAGERUS REX VI.

VICTOR Grami Suibdagerus Norvagiæ primò atque inde, post Grami cædem, Daniæ Suetiæque imperijs auctus, omnium primus trium borealium Daniæ, Suetiæ ac Norvagiæ regnorum Rex memoratur, ab Hadingo deinde Grami filio navali prælio, ut dicetur, in ultionem paternæ necis, circa Godlandiam interemptus. Dum autem rerum per boreæ regna solus potitur, ut eriperetur ejus faucibus Grami uterq; filius Guttormus & Hadingus, quorum alterum Groa, alterum Signe fuerat enixa, deportari ambos educator eorum Brachius in Sueciæ extremas oras curarit; atque ibi Vagnophi & Haphali gigantum tutelæ commendati. Quo relato Saxo Grammaticus, sumptâ ex eo occasione, ad sui excusationem eorumque, quæ ut incredibilia super gigantibus subinde

 comme-

nis bardo ab omnibus ingenio blennoque sit habitus: Memorant authores eundem Vermundum, præter cætera, etiam senio & cæcitate hostibus fuisse despectui, ac inde vulgari quoque cognomento *Cæcum* appellatum. *Ante natum Christum*

UFFO REX XVIII.

UFFO verò, quantumvis coævos suos corporis habitu supergrederetur, adeò tamen hebetis ineptique animi principio juventæ existimatus est, ut privatis ac publicis rebus omnino inutilis sit visus. quod nimirum ab ineunte ætate, nec ludere cum æqualibus & vix loqui deprehensus fuerit. At postmodum, ubi patrem oculis captum, & jam regnum ab alijs peti animadverteret, mirabili atque inopinatâ metamorphosi virum induisse parentemque ac regnum, quod hinc à Sueco, inde à Saxonibus premebatur, solum restituisse memorant. Nam ad duellum cum parens, quem cæcum esse sciebant, provocaretur, ipse mox, ut stolidus licet ac inutilis habitus, subito, velut ex muto vocalis evadens respondisse fertur, *nec regi filium, nec regno deesse tutorem.* Atque ità duobus unus pugnans non victor modò, sed domitor quoque, & veluti terror Saxonum Suecorumq; celebratus exinde traditur. Saxoniæ enim territorium ad Danos tum temporis translatum authores volunt. Post patrem itaque Uffo imperium utrumque regendum susceperit, qui ne unum quidem rite moderaturus credebatur. Eum à compluribus Olaum invenio dictum & ob animi lentitudinem donatum sub extremum *Mansueti* cognomine. Conqueritur hoc loco Saxo penuriâ bonorum ingeniorum ac vitio ævi obliterata nec tradita memoriæ, si quæ exinde Uffo, patre è vivis sublato, præclare domi militiæque exsecutus fuerit, addito interim, uxorem duxisse, superstite adhuc patre, Slesvicensium præfecti, viri illustrissimi, filiam.

DANUS II. REX XIX.

EX eâ Danus secundus prognatus regniqué habenas suscipiens rebus gerendis patri se dissimilem præbuit, dum partum gloriæ fulgorem aut superbiæ aut luxuriæ squallore confuscat. Nam licet, transfusis in exteros trophæis, regni fines dilatasset, eam tamen claritudinem nimius animi fastus obtriverit; ut & bona, quæ vel à majoribus acceperat, vel ipse exterarum gentium manubijs sibi pepererat, flagitijs absumpta: Et opes quoq;, regio splendori servire solitæ, vilibus sed voracibus rerum impensis diminutæ.

HUGLETUS REX XX.

HUIC proximè successit Hugletus patre; ut creditur, Dano progenitus; de quo quod memoretur præcipuum sit quod Homothum & Hogrinum, Sueciæ tyrannos, maritimo conflictu fuderit ac fugarit.

FROTHO II. REX XXI.

POST hunc regnasse Frothonem II. traditur, cognomento vegetum, qui id cognomen corporis animique sui robore testatus, decem Norvagiæ ducibus bello consumptis, insulam, quæ ex ipso postmodum nomen obtinuerit *Frothoe* dicta, armis occupavit, & ipsum postremò Norvegiæ regem Frogerum athletico certamine invadens sustulit. Hunc Frogerum Saxo ait fuisse qui Othino semideo natum dicerent, & à dijs immortalibus beneficium obtinuisse, ne ab alio quoquam superaretur, quàm qui ipso certaminis tempore subjectum pedibus ejus pulverem manibus abstulisset: Idque cum non ignoraret Frotho, loco, quo Frogerus excesserat, pulvere correpto, id victoriæ suæ præsagium habuisse.

DANUS REX XXII.

EUM Danus tertius secutus regnum feliciter accepit. Nam annum circiter duodecimum agens, cum urgeretur à Saxonibus vel ad excipiendum bellum, vel ad tributum pendendum, bellum tributo prætulerit, malens mori strenue, quam timidè vivere. Itaq;, pugnâ

Ante natum Christum

pugnâ penſioni prælatâ, Albim fluvium tot navium roſtris tantoque compleviſſe milite authores referunt, ut idem amnis perinde ac ponte continuo tranſitum concederet. Quo evenit, ut Saxones quod petierant, ipſi penderint; Facereque eos imperata Rex Danus adegerit.

FRIDLEVUS REX XXIII.
CELER DICTUS.

EIDEMQUE Fridlevus, Celer dictus, votis omnium ſurrogatus traditur. Qui, poſt ſuperatam virginem Ruſilam, militaribus operibus claram, Huirvillumque Hallandiæ principem, fœdere ſibi adjunctum, unà cum ejuſdem athletis ac belli ſocijs Broddone, Bildo, Bugone, Fanningo, Gunholmoque, tranſlatis ultra Oceanum armis, Duflinum Hiberniæ metropolim per inſidias ſuam in poteſtatem redegerit, Britanniæ quoque contermine terrore incuſſo. Nam, amiſsis bello militibus, cum difficilem ad littus reditum habere videretur, interfectorum cadaveribus erectis, inque acie collocatis, ità priſtinam exercitus multitudinem mentitus memoratur, ut nihil ex ejus ſpecie, eâ quam paſſus fuerat, ſtrage detractum apparuerit. Quo ſtratagemate non hoſti ſolum conſerendæ manus abſtulerit fiduciam, ſed & fugæ inſiſtendæ occaſionem præbuit. Ei præter inſitam animi fortitudinem addit Saxo etiam tunicam fuiſſe ferri omnis atque aciei contemptricem: Eaque uſum indutumque in publicis privatiſque conflictibus, tanquam ſervatore ſalutis, felicem ſemper pugnarum eventum habuiſſe, oppreſsis hoc pacto, præter ceteros, Huirvillo, Bugone & Fanningo. Nam Gunholnum, hoſtile ferrum carminibus obtundere ſolitum, iteratis capuli ictibus examinarit. Quorum Huirvillum Hallandiæ ut ſupra indicatum, principem, perperam *Hollandiæ principem* Latini Saxonis exemplaria typis excuſa præferunt. Et perperam ſimiliter qui Saxonem Danice tranſtulerunt, **aff Holland**, item, **Hollander** reddiderunt, reclamantibus, præter alia, eamq; verſionem arguentibus ſatis, ipſis illis, quæ poſitæ ſunt, Bugonis & Gunholmi ceterorumque nomenclationibus Sueciam Hallandiamque, Daniæ Norvagiæque conterminas, non Hollandiam, ævo adhuc Saxonis parum notâ aut nominatam, redolentibus. De conjugio ac proſapiâ Fridlevi nihil apud Saxonem legere aliud memini, quàm filium ei ſucceſſiſſe Frothonem III. Eique ſororem fuiſſe, quæ Erico poſtmodum, cognomento ſapienti, in matrimonium tradita; & fratrem præterea, cujus nomen non ponitur; ex quo Oddo progenitus.

FROTHO III. REX XXIV.

FRIDLEVUM filius Frotho ſeptennis excepit. Cujus exinde infantiæ duodecim ex regni primoribus rectores dati. Ipſo autem rebus imperij mox admoto, quæ paſſim invaluerat, dum adhuc adoleſceret, aulicorum inſolentia, paulatim exacta repreſſaque: Et regnum exinde non modo divitijs, æquitate ac legibus, ſed victorijs quoque ac multis ab hoſte reportatis trophæis glorioſum ac celebre redditum. Conjugem initio habuit Hunnorum regis filiam, quam adulterij convictam alteri ceſsit, ductâ in ejus locum Gotari regis Norvagorum filiâ Alvildâ. Quadraginta annos imperaſſe ſunt qui annotant. Quod an reſpondeat Saxonis & Crantzij verbis, qui ſeptennem parenti Fridlevo ſurrogatum, & tandem ætate ac longo ſenio feſſum interijſſe referunt, ipſi viderint. Fortaſſe, quia Auguſtum Cæſarem quadraginta annos terra marique pace parta regnaſſe acceperant, idem & Frothoni, utpote Auguſti coævo, tribuendum commenti ſint. Nam & Chriſtum, publicæ ſalutis authorem, ſub ipſo natum Saxo quoque tradidit. Quocirca jure optimo, utpote ad res Daniæ quàm maximè ſpectans, quamvis Saxoni Crantzioque nuſpiam memoratum, huc referendum, quod de Cimbris ſuperius locuti ex Strabone, authore eorum temporum æquali, adjecimus, Cimbrorum ſcilicet legatos, Auguſto imperium tenente, è ſua peninſula Romam profectos, ibique lebetem, qui apud ipſos maximi fiebat, ac religione quadam ſacer habebatur, donum, inter cetera, ei obtuliſſe, amicitiam ejus expetentes, & veniam illatarum injuriarum, eaque conſecutos domum redijſſe. Sed ipſa Strabonis verba operæ pretium exiſtimo his propius apponere; *Cimbri nuper Auguſto lebetem, qui apud ipſos ſacerrimus habebatur, dono miſêre, amicitiam expetentes, & amneſtiam illatarum injuriarum, eaque conſecuti domum rediêre.* Frotho autem bella quæ geſſerit perplura, ordine referuntur à Saxone. Quorum primo Slavi Daniæ ſubjecti: Altero in regem Norvagiæ Gotherum converſo,

Christus naſcitur.

comprehensos eorum fautores prius vinculorum pœnâ, mox laqueo cosumpserit. Cujus ex eo vel maximè fortuna admirabilis habita, quod, licet omnia temporum momenta ad exercenda atrocitatis officia contulisset, senio tamen non ferro vitam finierit. Duo illi filij, *Roe* & *Helgo*, superstites relicti. *Ante natum Christum*

ROE REX XI.

A Roe Roschildia condita, quam postmodum Sueno, furcatæ barbæ cognomento clarus, civibus auxit, amplitudine propagavit. Brevi hic angustoque fuisse corpore memoratur; Helgonem habitus procerior evexerit.

HELGO REX XII.

QUI diviso cum fratre regno, ac maris possessione acceptâ, regem Slaviæ Scalcum maritimis copijs lacessitum oppresit, ac Slavia deinde in formam provinciæ redactâ varios pelagi recessus, vago navigationis genere perlustravit; viceritque Hundingum, Saxoniæ regis Syrici filium, commisso apud opidum Stadæ prælio: Eundemq; ex provocatione adortus duello exinde prostrarit, obtento ob id victoriæ cognomine, ut Hundingi interemptor vocari meruerit. Iutiæ insuper Saxonibus ereptæ jus ac procurationem certis Ducibus demandavit, ac postremò vindicatâ fratris Roe, quem Hotobrodus Suecus occiderat, nece, cum filiam Ursam, quam ei ut alienam uxor supposuerat, à se stupratam cognovisset, mortem sibi ipse conscivisse memoratur. Huic autem Helgoni quod Suetici scriptores, & præsertim Iohannes Gothus, latrantem canem à Sueonum rege Haquino sive Attilo pro rege suffectum tradant, ab omni non modò vero sed verisimilitudine deviare, cum ipsa res, tum & Saxo arguat, qui ejus fabulæ ne per somniũ quidem meminit: Secundum quem, ex Ursâ natum, filium Rolfonem habuisse successorem memoratur.

ROLFO REX XIII.
KRAGE DICTUS.

HIC animi corporisque dotibus haud vulgaribus auctus, insignem staturæ magnitudinem cum pari virtutis habitu decorabat, obque inusitatam & heroicam proceritatem Danico vocabulo Rolvo *Krage* est appellatus. Linguâ enim gentis vernaculâ *Krage* id propriè intelligitur, quod trunco simile ramos semicæsos habet, quibus arborum fastigia conscenduntur. Ejus temporibus cum imperio Danorum Suetia subjaceret Atislus sive, ut Gothus habet, Attilus, Hotobrodi filius, liberandæ patriæ ratione callidius quæsitâ, matrem Rolvonis Ursam conjugio sibi sociandum curarit, intercedente connubij affinitate, efficaciores suos apud privignum monitus futuros existimans. Sed Ursa Attilo (quem ut avarum ac tenacissimum Saxo describit) nupta, in filium propensior, moresque mariti ac ejus præsertim avaritiæ sordes detestans, capta occasione vocatum ad se Rolvonem ac dolis instructum monet, eousque Attilo epulanti adesset, dum ipsa, congestis regni thesauris, quos sibi ipsique, utpote Regi, non clienti ac beneficiario ejus Attilo, deberi referebat, in Daniam, facto procinctu, abijsset. Quo peracto domumq; regresso Rolvone, postquam sororis suæ Schuldæ maritum Hiartvarum, quem Sueciæ præfecerat, è Sueciâ ad se cum tributo venientem amice excepisset, ab eodem insidiose est interemptus in arce seu opido Lethra dicto, quod ab ipso Rolvone constructum, eximijsq; regni opibus illustratum, ceteris in confinio urbibus fundationis ac sedis authoritate præstitisse proditur. Sed Hiartvarus eodem, quo Rolvonem, dolose occiderat die, occidit & ipse, interemptus à Wiggone post epulas inferiales, quas Rolvoni paraverat: Ut ita lux una, quæ regnum Hiartvaro pepererat, eadem finierit. Quod scilicet fraudulenter & per vim quæsitæ res, eadem sorte, qua petuntur, diffluant; nec unquam diuturnus sit fructus, qui scelere ac perfidia acquiritur. Hunc Vigonem, necis Rolvonis ultorem, quomodo sibi Rolvo amicum ac clientem effecerit, libet ex Saxone his obiter attexere: Adolescens quidam, inquit, Wiggo nomine, corpoream Rolvonis magnitudinem attentiore contemplatione scrutatus, ingentique ejusdem admiratione captus, percunctari per ludibrium cæpit, quisnam esset iste *Krage*, quem tantæ staturæ fastigio prodiga rerum natura ditasset, faceto cavillationis ge-

Ante natum Christum.

„ nere inusitatum proceritatis habitum prosecutus, dicitur, inquit, lingua Danica, *Krage*
„ truncus cujus semicæsis ramis fastigia conscenduntur, ita, ut pes præcisorum stipitum ob-
„ sequio perinde ac scalę beneficio nixus, sensimque ad superiora provectus, petitæ celsitu-
„ dinis compendium assequatur. Quem vocis responsum Rolvo perinde ac inclitum sibi
„ cognomen amplexus, urbanitatem dicti ingentis armillæ dono prosequitur, quâ Wiggo
„ dextram excultam extollens, lævâ per pudoris simulationem post tergum reflexâ, ridi-
„ culum corporis incessum præbuit. Rogatus cur itâ se gereret, inopē ornamenti manum,
„ nulloque cultus beneficio gloriantem, ad aspectum reliquæ, verecundo paupertatis rubo-
„ re perfundi dicebat. Cujus dicti calliditate consentaneum priori munus obtinuit. Siqui-
„ dem Rolvo, manum, quæ ab ipso occultabatur, exemplo reliquæ in medium accersendum
„ curavit. Nec Wiggoni rependendi beneficij cura defuit: siquidem arctissimâ voti nun-
„ cupatione pollicitus est, si Rolvonem ferro perire contingeret, ultionem se ab ejus inter-
„ fectoribus exacturum. Nec prætereundum, quod olim ingressuri Curiam proceres, fa-
„ mulatus sui principia, alicujus magnæ rei voto principibus obligare solebant, virtute tiro-
„ cinium auspicantes.

HOTHERUS REX XIV.

POST Rolvonem Hiartvarumque, quem tamen in regum censu alij haud ponunt, Hotherus Atisli frater ex Hotobrodo Suanvidæ, Frothonis jam ante memorati sororis, filio, utriusque & Daniæ Sueciæque regni habenas sumsit. Cujus à teneris apud Gevarum, Norvagiæ regem, educati versatile ingenium ac omniū artium capax, mirè celebrat Saxo. Inde ad lares regressum Gelderus, Saxoniæ rex, armis cæpit lacessere. Sed ei instructa cum classe obviam profectus ex inimico amicum ac beneficiarium reddidit. Ac mox congressus cum Baldero, Ochini, quem ut semideum colebant, filio, eum repetitis vicibus postremò peremit, occumbente in primo alterove conflictu Geldero Saxoniæ regulo, amplissimis post id ab eodem exequijs funerato. Prioris Balderi fugæ testis sit portus hodie celebris *Baldersundt*. Othinus, divulgatâ filij nece, de ultione cogitans humana divinaque sollicitasse narratur, ac tandem exortus Boo, ejusdem Othini ex secundis nuptijs filius, qui cum manus conserturus Hotherus, vocatis in concionem proceribus, periturum se eo conflictu idque non dubijs conjecturis sed veris indicijs cum sibi compertum retulisset, orasse perinde eos memoratur ut filium suum Roricum regno præficerent, plus se voluptatis ex filij successione, quàm amaritudinis ex propinqua morte percepturum testatus. Quo ocyus impetrato, pugna cum Boo congressus occubuerit. quamquam nec ipsi Boo jucunda extitit victoria. quippe qui adeò graviter affectus ex acie recessit, ut scuto exceptus ac domum delatus ex vulnerum dolore postridie animam efflarit. Sunt ex recentioribus qui funeratum Hotherum prope Truggeveldiam volunt, regium apud Sialandos castrum; ubi & Gothicis characteribus saxo insculptum ejus epicedium servari addunt. Quod licet Saxoni omissum, hîc tamen obiter injiciendum censui, ob monumentum illud antiquitatis, quod in arce Truggeveldensi spectari hodieque intelligo. Uxor ei Nanna fuerit Gevari apud Norvagos regis, cognomento prudentis, filia, Saxoni memorata.

RORICUS REX XV.
SLYNGEBAAND DICTUS.

EXTINCTO rege Hothero, Curetes & Sueones, perinde ac morte ejus tributario forent onere liberati, Daniam, quam annuis vectigalium obsequijs amplecti fuerant soliti, armis aggredi in animum induxisse referuntur. Quæ res Slavis quoq; defectionis audaciam ministravit, aliosq; perplures ex obsequentibus hostes effecit. Cujus injuriæ propulsandæ gratia Roricus, contractis in arma popularibus, ad capessendam virtutem impensè omnes adhortatus fuit. Adfuisse tum in exercitu Danorum Ubbonem referunt, qui præstigijs & ejusmodi artibus præpollens, cum de industria, quod esset certamini aut vincentibus præmium propositum quæreret, regemque armillas spopondisse accepisset; & rex, ut erat in navigio collocatus armillas ingenti excussas jactu petitori porrigere laboraret, conatum ejus fefellisse interstitij magnitudo memoratur, sicque armillas languido ac parum vegeto motu, citra destinatum locum collapsas, fluctibus interceptas perisse, atque

ſe,atque inde inolitum ei cognomen *Slyngebaand*. Eodem circiter tempore in præſidium Cimbricæ cherſoneſi,Iutiam dicimus,collocati Hervendillus ac Fengo fratres. Quorum ille piraticæ intentus,ubi regem Norvagiæ Collerum ſuſtuliſset,ipſemet à fratre poſtremum ſuo interemptus traditur: Et id cum ægre eſſet Harvendilli filio Amletho,ſtultitiam mentis,ut patruum ulciſceretur,ſimulaſſe referunt: ac eo tandem ut Fengo liberaretur,addunt Amlethum transmiſſum ab eo ad regem Britanniç,quem fœdere ſibi junctum habebat,monitumq; Britannum ut eum mentis haud compotem ſuſpendio affici curaret: Verum id Amletho ubi ſubolitum,tradunt literas eum ligno, uti tum erat moris, inſcriptas comitibus,quos ſecum binos habebat, clam ſurreptas immutaſſe,& necem ſibi paratam in caput comitum vertiſſe; ſibi verò ut filia Britannici regis in matrimonium traderetur,quaſi id patruus flagitaret,literis ac buxo eidem inſeruiſſe. Sicque poſt annum elapſum ad lares reverſum,habito cum matre conſilio,ſuſtuliſſe è medio Fengonem,& çdes ejuſdem totumque ſatellitium ferro ac flammis evertiſſe. Cumq; corpus Fengonis ferro confoſſum inter cruentas exuvias ſpectaretur,alijs indignatio, alijs mæror,quibuſdam gaudium occultum inceſſit. Unde Amlethus accerſitis, quibus artiorem Fengonis memoriam inhærere cognoverat,concionem petit,orationemq; habuit, quã verbis Saxonis ponam,eloquentiſſimam: Non vos moveat,proceres, præſens calamitatis facies,ſi quos miſerabilis Horvendilli exitus movet: non vos inquam moveat, quibus in regem fides, in parentem pietas ſervata eſt. Parricidæ,non regis intueamini funus. Luctuoſior ſiquidem illa facies erat,quum ipſi regem noſtrum ab iniquiſſimo paricidà (ne dicam fratre) flebiliter jugulatum vidiſtis. Ipſi laceros Horvendilli artus, ipſi corpus crebris vulneribus abſumptum,plenis miſerationis oculis aſpexiſtis. Quem ab atrociſſimo carnifice ſpiritu ſpoliatum, ut patria libertate exueretur, quis dubitat? una manus ei fatum & vobis ſervitutem injecit. Quis igitur tam amens, ut Fengonis crudelitatem Hervendillianæ præferat pietati? Mementote quâ vos Hervendillus benevolentià foverit,juſtitia coluerit,humanitate dilexerit. Memineritis ademptum vobis mitiſsimum regem,juſtiſsimum patrem, ſubrogatum tyrannum, ſuffectum paricidam, erepta jura, contaminata omnia, pollutam flagitijs patriam, impoſitum cervicibus jugum, ereptum libertatis arbitrium, & nunc his finis,quum ſuis authorem criminibus, ſuorum pænas ſcelerum paricidam pependiſſe cernatis. Quis mediocriter prudens ſpectator, beneficium injuriæ loco duxerit? Quis mentis compos proprium in autorem ſcelus recidiſſe condoleat? Quis cruentiſsimi lictoris cladem defleat, aut crudeliſsimi tyranni juſtum lamentetur interitum? Præſto eſt autor rei, quem cernitis. Ego quidem & parentem & patriam ultione proſecutum me fateor. Opus,quod veſtris pariter manibus debebatur,exercui. Quod vos mecum communiter condecebat, implevi. Adde quod neminem tam præclari facinoris ſocium habui,nec cujuſquam mihi comes opera fuit: quamquam haud ignorem vos huic manum daturos negocio,ſi petiſsem, à quibus fidem regi, benevolentiam principi ſervatam non dubito. Sed ſine veſtro diſcrimine puniri nefarios placuit: neque enim alienos humeros oneri ſubjiciendos putabam,cui ſuſtentando proprij ſufficiebant.Incineravi ego alios,ſolum Fengonis truncum veſtris manibus concremandum reliqui,in quo ſaltem juſtæ ultionis cupidinem exatiare poſsitis. Concurrite alacres,extruite rogum,exurite impium corpus,decoquite ſceleſtos artus,ſpargite noxios cineres,disjicite immites favillas: non urna,non tumulus nefandas oſsium reliquias claudat. Nullum paricidij veſtigium maneat,nullus contaminatis artubus intra patriam locus exiſtat,nulla contagium vicinia contrahat,non mare,non ſolum damnati cadaveris hoſpitio polluatur. Cætera ego præbui,id ſolum vobis pietatis officium relictum eſt.His exequijs proſequendus tyrannus,hac pompâ paricidæ funus ducendum. Sed neque ejus cineres, qui patriam libertate nudaverit,à patria tegi convenit. Præterea quid meas revolvam ærumnas? calamitates recenſeam? retexam miſerias? quas ipſi me plenius noſtis.Ego à vitrico ad mortem quæſitus,à matre contemptus,ab amicis conſputus, annos flebiliter exegi, dies calamitoſe duxi, incertum vitæ tempus periculis ac metu refertum habui. Poſtremo omnem ætatis partem, maximâ cum rerum adverſitate emenſus ſum. Sæpe me, tacitis intra vos queſtibus, ſenſu vacuum gemebatis deeſse ultorem patri, paricidio vindicem. Cujus itaque tam aſperum pectus,tam ſaxeus rigor,quem non paſsionum mearum compaſsio molliat,ærumnarum miſeratio non flectat? Miſeremini alumni veſtri, moveamini infortunijs meis,qui ab Horvendilli nece immunes geritis manus. Miſeremini quoque afflictæ genetricis meæ,& reginæ quondam veſtræ, extincto congaudete dedecori, quæ viri ſui fratrem interfectoremque

Ante natum Christum

Ante natum Christum.

remque complexa, geminum ignominiæ pondus fæmineo perpeti corpore cogebatur. Quamobrem ut ultionis studium occultarem, obscurarem ingenium, adumbratum non verum inertiæ habitum amplexus sum, stoliditatis figmento usus, sapientię commentum texui, quod nunc an efficax fuerit, utrum finis sui complementum attigerit, vestro conspectui patet: vos tantæ rei arbitros habere contentus sum. Ipsi paricidiales favillas pedibus conculcatis: despicamini cineres ejus, qui jugulati fratris uxorem polluit, flagitio temeravit, dominum lęsit, majestatem proditionis scelere lacessivit, acerbissimam vobis tyrannidem intulit, libertatem ademit, incesto paricidium cumulavit. Me tam justæ vindictæ ministrum, tam piæ ultionis æmulum patrio suscipite spiritu, debito prosequimini cultu, benigno refovete contuitu. Ego patriæ probrum dilui, matris ignominiam extinxi, tyrannidem repuli, paricidam oppressi, insidiosam patrui manum mutuis insidijs elusi: cujus, si superesset, indies scelera percrebrescerent. Dolebam & patris & patriæ injuriam, illum extinxi, vobis atrociter & supra quàm viros decuerat, imperantem. Recognoscite beneficium, veneramini ingenium meum, regnum si merui date, habetis tanti authorem muneris, paternæ potestatis hæredem, non degenerem, non paricidam, sed legitimum regni successorem, & pium noxæ paricidialis ultorem. Debetis mihi recuperatum libertatis beneficium, exclusum afflictantis imperium, ademptum oppressoris jugum, excussum paricidæ dominium, calcatum tyrannidis sceptrum. Ego servitute vos exui, indui libertate, restitui culmen, gloriam reparavi, tyrannum sustuli, carnificem triumphavi. Præmium penes vos est, ipsi meritum nostis, à vestra merces virtute requiritur. Post id in Iutiæ regulum creatus Amlethus, ac mox regressus ad regem Britanniæ, postquam rerum suarum eventa enarrasset, Rexq; Britanniæ Fengonem, amicum veterem, obtruncatum accepisset, amicitiam in iram vertisse narratur. Et quia ipse per id tempus conjugem suam morbo amisisset, Amletho reparandarum nuptiarum legationem ad regis Scotorum filiam Hermetrudam imposuit, existimans eodem eum excipiendum modo, quo alios illa excepisset, quos tolli omnes clam palamque curarat. Verum, sorte mutatâ, non amicè modo Amlethus susceptus, sed quod regis nomine impetratum venerat, ipsemet obtinuit. Indeq; ad socerum Britannum reversus cum sibi ob rem prosperè gestam invideri ac strui insidias animadverteret, Britannum ipsemet præliantem sustulit, sumptisque secum conjugibus Britannâ Scotâque, in Iutiam redijt, ubi ab occurrente sibi Vigleto, Rorici filio, in campo Amlethi dicto, peremptus occubuit, relictâ in matrimonium ejusdem Vigleti conjugum alterâ Hermentrudâ.

VIGLETUS REX XVI.

VIGLETO à nonnullis sed recentioribus & qui post Grammaticum Saxonem res Danicas concinnarunt, Horvendillus & Amlethus, jam modò nominati, ut reges præferuntur, cum eos Iutiæ solum reges sive regulos fuisse Saxo innuat. Qui & memorat Amlethum, antequam cum Vigleto confligeret, tantā Hermuntrudæ curam gessisse, ut majorem futuræ ejus viduitatis, quàm propriæ necis solicitudinem animo infixam haberet; omnique studio circumspexisse, qualiter ei secundas nuptias ante belli ingressum conscisceret; sed spopondisse Hermuntrudam, se nec in prælio ab ipso discessuram, eique commorituram: verum eam promisionem parum executam, quum, Amletho à Vigleto in acie interempto, ultrò in victoris prædam amplexumque concesserit: Ostendens nimirum muliebris animi fidem esse lubricam, ac temporum fortunæque mutatione abripi plerunque ac mutari. Vigletus igitur Rorici filius ac regni proximus hæres, occiso, ut memoratum, Amletho, regnum solus tenuit; longâque ac festâ pace florens morbo tandem consumptus interijt, relicto post se filio, regni ac diadematis regij susceptore, Vermundo.

VERMUNDUS REX XVII.

VERMUNDUS cum felicia juventæ tempora ad usque ætatem senectam sine prole perduxisset, senior Uffonem filium sero fortunæ munere suscitasse memoratur. Ejus temporibus pugiles bini Ketto ac Viggo ulturi parentis sui necem morte Atisli, qui apud Sueones regnabat, famâ studioque conspicui, plus eo facto dedecoris quàm gloriæ sibi peperisse memorantur, cum bini adversus unum pugnarint. Sed eam labem luculenter postmodum absterserit, qui est secutus, Vermundi filius Uffo; licet idem primis ætatis suæ annis

viciſſim in alijs, quos ſtaturâ & mole præſtare ceteris videmus. Et ne longe abeamus, hoc decus ac robur corporum boreæ populis, quod hîc Saxo injicit, præ reliquis contingere & olim fuiſſe, præter Tacitum, qui magna Germanorum corpora agnoſcit, etiam Cæſar oculatus teſtis de Gallis quoq; illis primis & antiquiſſimis fateatur, qui ait pleriſq; hominibus Gallis præ magnitudine corporum ſuorum brevitatem Romanorum contemtui fuiſſe. Et Hirtius de bello Africo Gallis Germanos jungens, *Gallorum Germanorumque corpora mirificâ ſpecie amplitudineq; exſtitiſſe* refert: ne repetam, quod de Cimbris ipſiſque Danis & rege præſertim Theutonum Theutobocho ſuperius eſt relatum, eum quaternos ſenoſque equos tranſilire ſolitum ac tantæ in triumpho proceritatis conſpectum, ut ſuper trophæa ipſa immineret. Cum igitur Vagnapho Haphiloque gigantibus in tutelam ac diſciplinam traditi à Saxone memorentur Grami uterque filius, nihil etiam eo indicatum aliud voluit, quàm quod inter Druidas illos vetuſtiſſimos pro more obtinebat, ut gentis nimirum ſuæ nobiliſſimos erudiendos acciperent, teſtante id de ſuo adhuc ævo Pomponio quoque Melâ, ubi de ijſdem illis Druidibus loquens inquit, *Docent multa nobiliſſimos gentis, clam & diu, vicenis annis, in ſpecu aut in abditis ſaltibus.* Ante natum Christum

GUTORMUS REX VII.

MEMORATUR Suibdagerus in gratiam conjugis ſuæ hoc ſæpius efflagitantis, fratrem ejus Gutormum, Guterinum Crantzius vocat, Grami filium, ab exilio Suetico domum reductum rebus atque imperio domeſtico præfeciſſe, aſſumpto eo ut ſucceſſore, ſed clientelari ac beneficiario. Alij autumant Suibdagerum ipſum, conſcium ſibi cædis in Gramum parentem Gutormi perpetratæ, ſubſiſtere in Dania haud auſum, factâque fugâ ſibi conſuluiſſe, ne, quod meruiſſe ſe non ignoraret, expectandum ſemper ac metuendum haberet.

HADINGUS REX VIII.

HADINGUS, Grami filius alter, ex Signe natus, parum penſi Suibdageri gratiam habens, poſtquam omnem fere iuventæ ætatem militiæ laboribus tranſegiſſet, præſtigijs tandem atque amore Hartgrepæ ineſcatus; atque inde ad Curetes digreſſus, cum ibi captus iterumque dimiſſus ad Thraciæ regem deveniſſet, & eum, armis ſumptis, intra Dunæ opidum obſediſſet, videreturq; urbs ob mœnium altitudinem inexpugnabilis, traditur ingenioſo commento diverſi generis aves hoſpitio urbis aſſuetas per aucupij peritos prehendi, atque alis earum accenſos igni fungos affigi curaſſe; ſicque; dum illæ nidulos ſuos ac tecta conſueta repetentes urbem flammis replent, civeſque incendio extinguendo concurrunt, urbem ac portas opidi excubijs vacuas novo ac feſtivo ejuſmodi ſtratagemate ſuæ feciſſe poteſtatis. Hinc cæſo navali ſub Gotlandiam militiâ Suibdagero atque inde haud multo poſt ſublato apud Suecos ejuſdem filio Aſmundo, nec non Suetiæ rege Uffone, Aſmundi filio, Suetiæ regno Hundingum, Uffonis fratrem, præfecit: idque eo aſpectu potiſſimum, ne imperium in exteros potius transfuſum, quàm in Aſmundi familiâ continuatum videretur. Mox Toſtonem ignobili apud Gutas loco natum, ſed qui ſcelere & audaciâ inclaruerat, adjuncto ſibi Saxoniæ principe Suffrido, poſtquam iterum iterumque arma ejus, Britannicis adjutus auxilijs, retudiſſet, ſingulari tandem ſuperavit certamine expertus poſt id Ulvildæ filiæ eiuſq; mariti, quas tamen feliciter evaſit, mulctato authore, inſidias. Refert pluribus Saxo, priuſquam ad Uffonem Sueciæ regem Hadingus perveniſſet, Biarmenſes, qui extremæ Finniæ ſunt populi, viſos ipſi ac cœpiſſe arma eos artibus permutantes, carminibus in nimbos cælum ſolviſſe, lætamque aëris faciem triti nubium aſpergine confudiſſe: & alium contra obortam imbrium molem obviâ nube pepuliſſe; fuiſſeque ex ijſdem unum, qui prædixerit, fore, ut nullâ hoſtili vi ſed voluntario mortis genere conſumeretur. Inde ab Uffone per colloquij ſimulationem Upſaliam accerſitus, amiſſis per inſidias ſocijs noctis tenebris protectus ſibi conſuluit. Eamq; injuriam prælio vindicaturus Uffonem in acie oppreſſit; corpuſq; ejus, depoſito odio, conſpicui operis mauſoleo mandavit, teſtari volens, quem vivum hoſtili ſtudio inſectatus fuerat, extinctũ honoris impendio haud quaquã fraudandũ exiſtimaſſe. Et ſimul ut devictę gentis animos ſibi adhuc arctius conciliaret fratrem, quem diximus, Uffonis Hundingum Sueciæ regno præfecit, cumque jam regno aliquantum temporis Hundingus præfuiſſet

 obitum

converso, eum vicerit, imposito Norvagis novo rege Rollero nomine, Erici Norvagi, quem à consilijs habebat, fratre germano. Tertium Hunnicum bellum fuit, quo affinem suum terrâ marique Daniæ oras infestantem, triginta in suam clientelam traductis regibus, profligarit: ac gestum deinde quartum adversus eundem bellum & quintum denique, quo in totum sit domitus, cum regibus insuper ducentis & viginti, quos sibi universos beneficiarios ac dicto audientes fecit. Hinc Ericus procerum ejus primarius, postquam interemisset Suecorum regem Alricum, Suecis à Frothone Rex datus est, fueritq; ejus nominis apud Suecos rex primus. Septimo adversum Norvagos ità præliatum cædibusque sævitum, ut quinta regni totius pars deserta jacuerit. Octavum bellum affinis ejus Arngrimus in regem Biarmelandiæ ac Finnos movit, eosque sub jugum traduxit, cum, ceteris obsequentibus, illi soli Danicum detrectare viderentur imperium. De hac gente operæ est audire ipsum Saxonem: Finni, inquit, ultimi Septentrionis populi, vix quidem habitabilem orbis terrarum partem cultura ac mansione complexi. Acer ijsdem telorum est usus. Non alia gens promptiore jaculandi peritia fruitur. Grandibus & latis sagittis dimicant, incantationum studijs incumbunt, venationibus valent: Incerta illis habitatio est, vagaque domus, ubicunque feram occupaverint, locantibus sedes. Pandis trabibus vecti, conferta nivibus juga percurrunt. Ultimo demum in Britanniam Hiberniamque translata arma. Ubi maximâ cum laude postquam res esset exsecutus, domum reversus traditur; Celebranturque præclaræ tum, ut & antea, ab eo latæ leges statutaque, quorum hodieque nonnulla usum habent, alia aut abrogata, ut variè pro tempore ac rebus immutata emendataque. Militiæ ac belli temporè cautum, inter cetera, ut primipilus prædæ partitione factâ, majorem cætero milite portionem acciperet: Ducibus verò, quibus in acie signa anteferri solerent, dignitatis causa captivum cederet aurum: gregarius miles argento donaretur. Arma ad pugiles redundarent, captiva navigia popularibus traderentur, utpote eis debita, quibus condendi naves instruendique jus esset. Sanxit præterea, ne quis rem familiarem seris aut cistæ mandaret, duplum ex fisco regio amissorum precium recepturus. Quam si quis arcarum claustris observandam duxisset, aureæ libræ regi debitor fieret. In eum, qui furi ignosceret, furti pæna recideret. Præterea si quis in acie primus fugam capesseret, à communi jure alienus haberetur. Quod postremum vetustissimis Germanis originem suam debet, de quibus in libro super moribus eorum ità Tacitus: *Cum ventum in aciem, turpe principi virtute vinci, turpe comitatui virtutem principis non adæquare. Iam verò infame in omnem vitam ac probrosum, superstitem principi suo ex acie recessisse.* Iura civilia, inter cetera, sic ordinata, ut bonis artibus expiaretur, quod sinistra morum usurpatione inoleverat. Itaque fæminis arbitraria nubendi potestas indulta, ne qua thori coactio fieret. Maribus quoque quamcunque primitus cognovissent, ducendi lex imposita. Adulteros à veris conjugibus corporum parte multandos statutum, quo minus continentia flagitijs eliderctur. Præterea quisquis exulum patriæ suæ hostis factus inimicum civibus scutum objecisset, rerum ac vitæ periculo pænas lueret. Defuncto posthæc Frothone corporeque ejus, ut erat tum moris, salito, diu illud per agros ac compita, quasi adhuc vivum, circumgestatum; quod proceres Fridlevum, ejus filium, qui apud Ruthenos educabatur, extinctum, sed falso, accepissent. Quumque sic regnum hæredis inopiâ claudicaret, nec in regiâ gente continuari posse videretur, eum tandem sceptro dignissimum arbitrati sunt, qui, illustrandi Frothonis gratiâ, recentibus ejus, quas maximis impendijs curaverant, exequijs, plenum laudis carmen affigeret famamque tanti herois specioso posteris titulo concelebraret: Iam tum scilicet existimantes, nihil in mausoleis aut marmoribus, nihil in sculpturis aut ullo metallo perpetuum aut duraturum existere, nisi id ingenij & Musarum tubâ commendaretur.

Post natum Christum

HIARNUS REX XXV.
SCIALD DICTUS.

AC tandem Hiarnus, *Scíald* sive *Scialdrus* vernaculè cognominatus, poetici spiritus vir, & ejus, cujus supra meminimus, sectæ ac ordinis, qui Celtis olim, à sono ac murmure, quod canendo edebant, *Bardi* dicti, quosque *Scialdros*, ut diximus, ob eandem causam Dani ipsi vocitabant, hoc in se officij suscepto, ita populum proceresque paucis suo more vernaculis concinnatis versibus, quos Saxo latinitate donatos recitat, effecit, ut omnium suffragijs regem crearint. Cui, ut illud obiter interseram, planè est geminum, quod de tibicine

Post natum Christum

tibicine quopiam, qui ità populum delectarit, ut rex fieret, ex Varrone referre memini in Libello de Quantitate Animæ Augustinum. Versus autem quos Hiarnus vernaculè luserit in hæc verba reddidit Saxo:

Frothonem Dani, quem longum vivere vellent,
Per sua defunctum rura tulêre diu.
Principis hoc summi tumulatum cespite corpus
Æthere sub liquido nuda recondit humus.

Exilis opera, sed merces ingens; quæ & famam Cæsareanæ retributionis longissime post se relinquit. Divus siquidem Iulius victoriarum suarum toto orbe editarum scriptorem illustratoremque municipio donare contentus; ut & Africanus ille Scipio, qui Ennium suum viventem etiamnum statuâ, defunctum sepulturâ honestasse satis habuit; huic agresti ac rusticano incondita versuum paucitas sceptrum obtulit. Sed Fridlevus falsò, ut diximus, obijsse memoratus, accepto paternæ mortis nuncio, in patriam redux post alia illustria facta Hiarnum Scialdrum paterni solij insessorem duello sustulit. Semel iterumq; à Fridlevo impetitum eum authores memorant; Et prima quidem circa Iutlandiam congressio fuerit; altera in Insulâ ibi vicinâ, in quam Hiarnus profugerat, quæ & hodieque *Hiarnæ*, dicitur; Postremò Fridlevi armis obtruncatus, sepulturam accepit juxta tumulum cui similiter vocabulum etiamnum hæret *Hiarneboy* dicto.

FRIDLEVUS II. REX XXVI.

SUBLATO Hiarno, securè regno potitus Fridlevus. Qui jam ante deletum Hiarnum, dum reditum in patriam parat, apud Norvagos duodecim illustres giganteis tropheis juvenes sustulisse Saxoni memoratur. In regnum verò regressus, postquam amicè esset à proceribus exceptus; ac monitusècontra, de quo diximus, Hiarnus regiæ stirpi cedere, cum perfunctorie ac precariò regium titulum accepisset, idque recusare videretur, ac velle potius partam ingenio gloriam armis tutari, quam in pristinam vulgi sortem retrudi; & proceres, Fridlevumque adversarios expertus, eo, ut retulimus, modo vitam cum morte commutavit. Indeque suffragijs omnium ac votis in locum paternum receptus Fridlevus, postquam ex sententiâ consilioque regni procerum Amundi Norvagiæ regis filiæ Forgerthæ nuptias postulasset, eamque honestissimam petitionem Amundus ob tyrannidem, ut prætexebat, Frothonis in Norvagos jam olim perpetratam rejecisset, idque Forgerthæ ægre esset, quæ patrem hac parte arguebat, quod eum generum, cujus nec virtus nec stemma in obscuro essent, aversaretur, arma postremò in ipsum Amundum expedijsse tradunt; atque eo, post unum alterumque prælium, superato, ejus sibi filiam Forgertham postliminio in matrimonium accepisse: Quæ ei filium enixa Frothonem nomine, militi populoque universo, ob avitæ felicitatis memoriam, quam nomine referebat, adeò charum, ut, primis infantiæ annis, humi eum incedere aut consistere haud tolerarent, sed è solo sublatum osculis ac sinu certatim foverent. Memorat Saxo ante superatum Amundum inusitato habitu ab eodem victum gigantem Hithynum: qui Regis Thilamarchiæ filium pueriliter obludentem domo paterna raptum abduxerat. Hunc priusquam aggrederetur, tali eum affatus est carmine:

Cum sis gigas tricorpor invictissimus,
Tuoq; cælum pæne exæques vertice,
Cur hoc ridendus ensis fæmen obligat?
Latusque grande curta cingit framea?
Quid forte munis pectus ense debili,
Habitusque corporalis instar negligis,
Sicæ brevis parvo fretus gestamine?
Iam jam tuum frustrabor audax impetum
Ferro retruso molientem prælia
Meticulosa cum sis ipse bellua,
Molesque digno destituta robore
Spectabili claroque nactus corpore
Vmbræ fugacis more præceps tolleris,
Imbelle pectus & pavore lubricum

Mem-

Membrisque summè dissidentem spiritum,
Ex hoc tuæ compago nutat fabricæ,
Cum forma felix strage mentis claudicet
Suisque sit natura discors partibus,
Te laudis ex hoc munus omne deseret,
Nec fortium clarus loco censeberis,
Obscura computandus inter agmina. *Post natum Christum*

Quo dicto, gigantem, liberato captivo, pede manuque curtatum fudit ac fugavit. Ac mox promontorium ejus petens, egestas antro opes asportavit. Iisque spolijs ereptoque adolescente ovans, utensque in trajiciendo mari secundâ navigione, hoc alacri carmen voce subtexuit:

Sanguine suffusos enses ferrumque cruore
Puniceum rapidi versavimus in nece monstri,
Dum te Norvagicæ cladis moderator Amunde
Excipit alta quies, quam cum sine lumine mentis
Nox ignara premat, virtus dilapsa fefellit.
At nos truncatum membris, opibusque gigantem
Contudimus, vastique chaos penetravimus antri.
Illic congestum raptu violavimus aurum,
Et jam fluctivagum tonsis everrimus æquor,
Confertamque ratem spolijs ad littus ovantes
Remigio reduces agimus, percurrimus undas
Permensore maris carabo, sulcemus alacres
Hoc pelagus, ne nos hosti lux obvia prodat.
Ergo leves, totoque manus conamine nisi
Rimemur mare, castra prius classemque tenentes
Quam roseum liquidis Titan caput exerat undis:
Et cum rem rumor vulgaverit atque Frogertha
Noverit egregio partam conamine prædam,
Blandior in nostrum moveat præcordia votum.



FROTHO IV. REX XXVII.

DEFUNCTO Fridlevo cum annum ætatis duodecimum Frotho ageret, Saxoniæ regulos Suertingum & Hanevum imperium detrectantes, ac palam rebellare annisos, acie superavit, inflictâ unicuique ex subditis ipsorum pendendi pro capite nummi mulctâ. Liberalitatis eximiæ fuisse, præsertim erga militem, memoratur, suetaq; militiæ stipendia duplicasse, ac opes præterea quasi in propatulo habuisse, dum ceteros largiendo præcurrere, omnes humanitatis officijs antevenire, &, quod difficillimum est, virtute invidiam vincere curæ haberet. Unde & *Largi* sive *Benefici* cognomentum ei inditum. Estq; brevi tantâ apud omnes claritate celebratus, ut adolescentulus etiamnum majorum titulos famâ transcenderet. Ejus temporibus invicti roboris pugil Stercotherus ab Esthonum gente in Daniam digressus Frothoni eâ familiaritate conjunctus, ut ejus inter domesticos ac comites habitus, à Saxone referatur monstroso primum corpore editus, sed à Deo Thor in humanã faciem redintegratus. Atque eâ occasione idem Saxo de *Thor* & *Othino*, à quibus hodieq; Danis remanent dierũ *Thaarsda* & *Othensda* nuncupationes, dissertatiunculam interserit, inquirens obiter cui Deorum apud Græcos ac Romanos *Thor* & *Othinus*, cum & illi, qui Danis est *Thorsda*, *Iovis* diem; & *Othensda*, *Mercurij* nominent, respondere quàm proxime videatur. Nos de eo quid statui possit, * alibi explicatum dedimus; ostendimusque *Thor* non tam *Iovem* censendum, quàm eum, quem Lucanus eodem propemodum ac peculiari hoc vocabulo *Thor* extulit, *Tharanim* appellans, *A* pro *O* posito, quemadmodum etiam Anglorum hodieq; dialecto dies hic ipse non tam *Thorsda*, quàm *Thaersdai* dicitur. Versus autem Lucani, quos aspicimus, de Celtis ac boreæ populo verba facientis, isti sunt:

** In Gloss. Prisco-gallico & Origin. Franc.*

Et quibus immitis placatur sanguine diro
Teutates, horrensque feris altaribus Hesus,
Et THARANIS *Schyticæ non mitior ara Dianæ.*

Inde à Saxone recensentur facinora Stercotheri, Frothonis ac regni nomine multifariam perpetrata; monstraturq; primò ejus dextra occubuisse Norvagiæ regem Vikerum; apud Moschos principem Folconem, pugilemque Visinum; In Hibernia regem Hugletum, cujus & metropolim Duflinum ceperit, ablatis simul, qui ibi ingentes reperti, thesauris ac opibus regijs. Similiter & Tanno apud Byzantium, quæ postea Constantinopolis dicta, eidem succubuerit; ut & Vascius apud Polonos; & Hamo (unde Hamburgum fortasse) in extrema Saxonia ad Albis fluentum, ipsâ circumquaq; gente redditâ tributariâ. Frotho his palmis beneficio Stercotheri famigeratus, strategum hunc suum agris ac territorijs liberali manu donasse memoratur. Saxonum autem populos impositum tributi stipendium ità pressit, ut eo excitatus eorũ princeps Hanefus arma in adversum ostentarit. Unde Albim transcendere ipse Frotho coactus, eum prope municipium, cujus hodieq; nomen superstes est, Hanoveram dictum, cum omnibus, quæ ad manus erant, copijs fudit ac fugavit. Verum ejusdem exinde gentis princeps Suertingus, non tam armis quam dolo agendum ratus, Frothonem, convivij & epularum simulatione ad se vocatum, cum incendio consumere statuisset, à Frothone præventus, mutuis vulneribus & Frotho ipseque Suertingus occubuêre; ut ità scelus alterius amborum interitus fuerit. Frothoni à liberalitate, quam in omnes, & eos præsertim, qui grave Martis onus tolerabant, erat declarare solitus, LARGI, ut diximus, cognomen datũ. Quo & primum quoq; Frothonem clarum ac famigerabilẽ habitũ supra ostendimus, dũ alijs *Liberalis* seu *Giffmilt*, alijs *Fregne* populariter cognominatur. Quę tamẽ epitethorũ insignia huic pręcipue Frothoni fuisse propria ex verbis pręsertim Saxonis, cũ de primo, quod ad hæc alij commemorent, verisimile habeam.

INGELLUS REX XXVIII.

FROTHONI filius Ingellus surrogatus, inertiæ ac luxus, ut eum pluribus Saxo celebrat, mancipium. Verũ autem Suertingo superstites filij ne Ingillo pœnas paterni facinoris darent, ei sororem in matrimonium contulêre, hoc veluti placamento præcurrere ultionem conati. Eodem circiter tempore cum soror quoq; Ingilli nuptijs se implicuisset regiam domum minus decentibus, idq; ægerrime ferret Stercotherus, ei adfuisse idem memoratur, ac thoro sordido abductam regi Norvagorum Helgoni sociandam curasse. Unde oborta ei haud levia prælia, depugnata cum novem giganteę similiter molis ac prosapiæ athletis, qui illustres illas cũ Helgone nuptias reddere irritas molirentur. At omnibus uno eodemq; in campo, cui *Kolingshede* est nomen, prostratis, ipse multis vulneribus saucius ac delassatus, dum in saxum ingens, proximè adsitum, quietem capturus procumbit, corporis sui effigem ac modum, jam olim adhuc in lapide eodem conspicuum, impressum reliquisse antiquis carminibus traditum refertur. quamvis Saxo eam imaginem, humanâ potius industriâ ac arte quam illo corporis fortuito incubitu effigiatam existimet. Postmodum Stercotherus accepto, Ingellum delitijs ac voluptatibus uxoris inescatum, veneri ac ventri se totum mancipasse, adeòque luxuriâ fœdum perhiberi, quàm fuerat Frotho pater militiâ ac virtutibus clarus: tum & indies cum filijs Suertingi, uxoris suę germanis fratribus, genialiter ætatem traducere, &, ritu exotico, obsoniorum apparatu profusiori quam patrius mos ferret, oblectari: nec in animum revocare proditionem ac fœdam à Suertingo in Frothonem parentem optimum editã cædem; Stercotherus idcirco magnis itineribus ad regem pergere, conjecto in humeros grandi carbonum fasce; Rogatusq; ab obvijs, quò tam insolitum onus deferret, se Ingelli regis hebetudinẽ istis quasi fomitibus excitaturũ respondit. Itaq; regiam ingressum, cum ex vultu turbatũ ac minus hilarẽ Ingellus agnosceret, nihil non egit ut pacatiore uteretur. At Stercotherus, effuso tandem animi dolore, se inquit non epulis ullis aut delitijs, quas semper aspernatus fuisset, captum in Daniam descendisse, sed animo reperiendi alumnum olim suũ Frothonis summi amici filium. A quo quam longè abesset, postquã declarasset, ostendit pręterea eũ, neglectâ naturæ lege, paterni cruoris carnifices domestici cõvictus ac mensæ honore dignatos benevolentiæ officijs quotidie complecti, additâ ad ulciscendum parentis cædem Adhortatoriâ, quã numeris Sapphicis reddidit Saxo noster, oppido elegantissimis, & quos vel suos dici non erubesceret ille Romanæ fidicen lyræ. Eâ oratione Stercotherus, quasi excusso è silice igniculo, ab Ingilli enervi ac frigescente pectore novum vigorem elicuit, ità ut hospites illos suos mox hostes proclamarit, ac sumpto impetu, universos inter ipsa mensæ sacra obtruncatos deleverit. Exulaverat scilicet, ita Saxo addit, non exspiraverat juvenis probitas, quæ accedente præsertim Stercotheri, senis atque educatoris ipsius, suasoriâ,

ſuaſoria, in apertum poſtremò erupit. Quibus peractis ac vale dicto, Stercotherus Ingillum inſuper cantu ac carminibus proſecutus, hos inter ceteros, aut hocce ſaltem ſenſu, verſiculos adjecit: *Poſt natum Christum*

Tu quoque rex ſævam, ſi quid ſapis, effuge nuptam,
Ne lupa conſimilem ſibi fœtum gignat, & ex te
Bellua conſurgat proprio nocitura parenti.

De obitu ejus nihil apud Saxonem, tacentibus ut videtur, quæ ſecutus fuit, rerum memorijs, annotatum reperi. Compendiaria regum hiſtoria non ferro aut bello abſumptum, ſed ad diem uſque fatalem in arce Lethrâ ſuperſtitem, morbo ac valetudine defunctum memorat, authore, quo id referat, non addito. De liberis quoque, ſi ex verſibus jam poſitis conjectandum, tum adhuc temporis, cum illi à Stercuthero canerentur, nullos ei ex filiâ Suertingi fuiſſe dicendum videretur, niſi Saxo jam ante ex eâ Frothonem, Fridlevum, Ingellum atque Olavum ſuſceptos retuliſſet.

OLAVUS REX XXIX.

HORUM Olavum, tribus prioribus bello peremptis, ſolum poſt parentem regnaſſe, peritam rerum prodere antiquitatem idem Saxo ait; addens injicere nonnullos, ſed parum certò, eundem Olaum ſorore Ingelli editum. Res ejus, cum nuſpiam relatæ occurrant, longi temporis vetuſtas abſtuliſſe aut minus ad memoriam poſterorum tranſmiſiſſe videtur, præter illud unum quod fato jam vicinus ſtatuiſſe memoratur: Tum enim rebus humanis valedicturus duobus, quos ex Allogâ, ut eam nonnulli nuncupant, ſuſcepiſſet filijs, Frothoni & Haraldo id quaſi præcepti vice relictum voluit, ut ſinguli æquali agerent poteſtate, hac tamen lege ac conditione, ut alter terris, alter mari cum imperio præeſſet, idque annuâ viciſſitudine, quandiu uterque ac ſimul in vivis eſſent; ut nimirum, qui annum integrum ditionum circumquaque terreſtre regimen adminiſtraſſet, idem proximo anno fratri id totum permitteret, ſuſcepto in ſe, quod frater jam ante tenuerat, rerum maritimarum imperio.

FROTHO V. & HARALDUS I.
XXX. XXXI.

QUORUM Haraldum natu minorem, cui anno primo terræ imperium, ſequenti rerum maritimarum cura obtigerat, à quodam ſuorum familiarium occultè occidi Frotho curavit, quod ille, ut prius terrâ, itâ & poſtea mari res ipſo felicius multò exſecutus fuiſſet; exiſtimans indecorum haberi, ut quem ætate vinceret ab eo ſe vinci virtute toleraret. Frothoni quod proſpere minus ceſſerit prima navalis expeditio, cauſam Saxo fuiſſe ait nupera nautarum conjugia, qui domeſticas thori voluptates novaſque nuptas ad animum revocantes militiæ externos labores reſpuebant. Quod animadvertens, qui ſuccedebat frater Haraldus, militem ſibi legerat à vinculis conjugalibus liberum. Frotho exinde patratâ fraternâ cęde nec ulla re aliâ magnopere clarus etiam filios fratris tollere conatus: ne ullus uſpiam ſupereſſet parricidij vindex. At hi curatorum induſtria ſervati ipſum Frothonem, quum prius, occupata regia, reginam lapidaſſent, intra anguſtum quoddam ſpecu deliteſcentem vapore ac fumo ſuffocatum ſtrangularunt. Memorabile eſt quod Saxo recitat, Frothonem poſtquam fratrem Haraldum à proprio miniſtro tolli è medio feciſſet, etiam ipſum miniſtrum, ne ſcelus à conſcio proderetur, tacitè necari juſſiſſe, atque inde ut innocentem ſe oſtenderet notamque parricidij exiret, ecquis inopinus caſus fratrem ſuſtuliſſet, latius inveſtigari præcepiſſe: Sed ne ſic quidem, quo minus eum tacita vulgi opinio notaret, effugere potuiſſe: Et forte fortuna cum affinem Haraldi Carolum interrogaſſet, à quo occiſum Haraldum exiſtimaret, diſſimulanter ab eo notæ rei quæſtionem agi reſponſum tuliſſe. Idque cauſam exinde Carolo mortis fuiſſe, quod Frotho exprobratum ſibi latenter parricidium judicaret. Conjux ei Ulvilda fuerat, Sueciæ regi Sivardo prognata. Ex qua Ericum tulit, Sueciæ poſtmodum regem, ut ſuo jam ſtatim dicetur loco. Haraldo Signe nupſerat, Gotlandiæ præfecti Caroli filia, quæ ei cognominem Haraldum & alterum Haldanum progenuit.

Poſt natum Chriſtum

HALDANUS II. & HARALDUS II.
XXXII. XXXIII.

HORUM præcipuus Haldanus Biergrami cognomento celebratur: qui cum tres circiter annos patriæ prefuiſſet, Haraldo fratri, quem aliqui in regum hoc cenſu non ponunt, regnandi jure obiter tradito, Sueciam invaſit armiſq; ſuam fecit. Nam & regem Sueciæ Sivardum, vitâ exutũ, debellarit, atq; inde ejuſdem ex filiâ nepotem, Frothonis patrui ſui filium Ericum, Sivardi ſucceſſorem, identidem bello afflictum, ac tandem luco quodam circumventum, cum ſe dedere nollet, feris lacerandum reliquit: cum idem prius Ericus, invaſa viciſſim Daniâ, fratrem ejus Haraldum tribus prælijs ſuperatum quarto interemiſſet. Poſt hæc piratico bello occupatus famigeratos paſſim prædones binos, Toconem & Amundum, memorabili prælio ſuſtuliſſe ac mare harpyis ejuſmodi purgatum præſtitiſſe narratur. Ac mox ijs è medio ſublatis, cum Sivaldus claro apud Sueones loco natus Haldanum populo odioſum reddere, ac ſibi regni diadema aptare conaretur, Frothonis, inter cetera, ejuſque conjugis Ulvildæ exitu, per Haldanum ejuſque fratrem Haraldum procurato, flebilius commemorato; eum ante omnia præveniendum Haldanus ratus, ac ſubitò in Sueciam regreſſus, intellexit non detrectare ſingulari ſecum pugnâ congredi Sivaldum, fretum præſertim filiorum, quos ſeptem habebat, inuſitatis veneficijs; utpote qui furore agitati modò torvum infremerent, modò ſcuta morſibus frangerent ac torridas fauce prunas abſumerent aliaque mira atque incredibilia peragerent. Sed eos univerſos haud diu cunctatus Haldanus clavæ ſuæ, quam nodoſam manu gerebat, pondere confectos enectoſque humi proſtravit. Nec alia Hartbenio eâdem circiter tempeſtate ſors fuerit, athletæ ac pugili miræ proceritatis, utpote qui novem cubitos æquaret. Hic cum raptas regum filias ſtuprare gloriæ duceret, illuſtreſque nuptias humilibus præferret tantoque ſe clariorem cenſeret, quanto ſpendidiores concubitus per vim aſſequeretur, id ei haud impune Haldanus eſſe voluit. Eoque Hartbenius accepto, inopinato furiarum afflatu correptus clypei partes morſibus abſumpſit, prunas ore devoratas in viſcera condidit omnique ſævitiæ genere debacchatus in proprios tandem ſocios ferrum convertit. Inde reſidua manu adverſus Haldanum progreſſus ferreo malleo miræ magnitudinis ab Haldano contuſus occubuit, pœnas pendens & Haldano, quem provocaverat, & regibus quorum ſanguini illuſerat. Hoc monſtrum excepit confeſtim aliud Etherus Finnenſis pirata, quo cum navali primum militiâ manus conſeruit; inde in terram progreſſum duello ex provocatione oppreſſit: ut & Grimum haud multò poſt, Norvagiæ clarum pugilem. Qui cum nuptias Thorildæ Norvagiæ regis Hatheri filiæ expeteret, ac depugnare pro eâ adverſus competitorem, quicunque is eſſet, ſe paratum declararet, obtulit ſe, idque enixè exoptanti Hathero, Haldanus, qui illud quoq; portentum domuit. Sicque acceptâ in conjugem eximiâ virgine Thorilda, regiâ Hatheri filiâ, ex ea Aſmundum ſuſtulit, à quo Haldanoque ſe Norvagiæ reges originem duxiſſe magni æſtimant. Poſt hæc ſimiliter Ebbo, plebei generis pirata, cum ad ſplendida capeſſenda conjugia virtutis fiducia concitatus Sygrutham, Gotlandiæ reguli Unguini filiam, poſtulaſſet ac eam mox pactam eſſet ducturus, idque Haldanus reſciſſet, eò ex templo profectus, Ebbonem vita, ac filiam Unguini pudendis nuptijs exſolvit, ſibi in matrimonium eâdem aſſociatâ. Ex qua cum liberos non tuliſſet, in patria decrepitus obijt, regijs opibus ipſoque regni ſceptro in manus ac poteſtatem Unguini ſoceri ſui per tabulas teſtamenti legatis. Cognomentum illi hæſit Biergramo, ex eo natum, quod in conflictu quodam adverſus Ericum inclinatam ſuorum aciem, conſcenſo montis vertice, ac ſaxis deſuper provolutis, eorum pondere ac ruina hoſtiles phalanges fregiſſet. Apud Sueones quoq; tanti habitus memoratur, ut magni Thoronis, quem, ut meminimus, unà cum Othino numinis loco boreales colebant, ſit filius æſtimatus, ac honoribus inſuper divinis publicoq; libamine, haud aliter ac ipſe Thaaro, à plebe promiſcua dignatus deinceps fuerit.

UNGUINUS REX XXXIV.

VNGUINO ad regni ſolium, poſt obitum Haldani, evecto exortus confeſtim æmulus, cui Reginaldo nomen erat. Is operam id ſedulò dedit, ut eũ quocunq; modo è medio tolleret; ſuſtulitq; poſtremum fervente bello, cujus occaſionem, aut ubi id geſtum, nullibi memo-

memoratum repperi. Compendiaria regum Daniæ historia Huguinum eum non Unguinum nominat, sed perperam nepotem Haldani facit, qui socer fuerit. Filius ei superstes relictus Sivaldus nomine. *Post natum Christum*

SIVALDUS I. REX XXXV.

IS parenti succedens id ab initio adversum aut molestū expertus, quod filiam Gyritham haberet, nimiâ formæ venustate omnibus, qui eam oculis usurparent, amabilem. Unde ingenti frequentiq; procorum turbâ identidem petita, postremū tamen Ubboni Otharo, quamvis iterum iterumque, de quo pluribus Saxo, repulsam passo, in manus ac matrimonium tradita. Cujus deinde promptissimo auxilio usus Sivaldus, adversus percussorem parentis sui Reginaldum, Sueciæ regem, dimicans, victor evaserit, perempto non modò Othari victrici dextra Reginaldo ipso, verum athletis insuper quadraginta, Sueonum fortissimis, in fugam actis, unâ cum pugilum celeberrimo Starcothero, qui tum apud Suecos agens in illis familiam ducebat, nullis aliàs rerū periculis aut formidine quati solito, ut illi tum iste quasi coelitus injectus metus sit, ne supra fortasse humana se viresq; suas jactaret.

SIGARUS REX XXXVI.

SIVALDO filius Sigarus successor assumptus, cui præter cognominem patri Sivaldum, Alphumq; & Algerum, filia insuper Signe fuerit. Quorum Alphus Alvildam, Gotlandiæ regis filiam, quæ proximo tum mari piraticam exercebat, navali prælio superatam sibi connubio junxit. Borcharus vero, eidem Alpho militans, unâ ex nimphis ac pedissequis Alvildæ sibi sociatâ, sustulit ex eâ haud multo post Haraldum, quem sequens deinde ætas Hyldetan appellavit. Occasione verò navalis militiæ per Ulvildam militatæ interserit nonnulla Saxo de fæminarum ac virginum Danicarum antiquitus recepto more, quę bello non tantum maritimo, sed & terrestri deditæ, suo etiam sexui haud deesse fortitudinem probatum dederint, ne sola suos Amazones jactet Græcia. Inter commilitones autem Alvildæ, præter ceteros, & maxime Helvinum & Amundum, à filijs Sigari fusos ac profligatos, Hagbartum celebrant : A quo stuprum exinde perpessa Sigari regis filia Signe, patri interitum peperit. Nam ille ut Hagebartum ob istud in filiam facinus laqueo necari fecerit, ita vicissim eum Hagebarti frater Haquinus, Haconem Saxo appellat, peremisse in acie circa *Valbrunnam* memoratur, *stragis puteum* à multitudine cæsorum, si quis Latinum velit, dicendum.

SIVALDUS II. REX XXXVII.

SIGARO Sivaldus, ejus nominis secundus, succedens, contracto ex utroq; sexu (tantus amor defendendi regis erat) exercitu, ultoris partes sumsisse, sed prælio adversus Haquinum, parentis interfectorem, inito inque biduum animose pugnando eodem extracto, stetisse quidem ab ejus partibus victoriam, sed morte ipsius partam, memoratur. Unde cum ejusmodi rerum bellorumq; discrimina, multoties intercurrerent, regia apud Danos prosapia adeò exhausta, ut ad solam ex ea progenie superstitem Alphi filiam Iuritham, Sigari neptem, redacta fuerit. quapropter animadvertentes proceres suetæ nobilitatis regimine se destitui, regnum popularibus moderandum tradidère. Creatisq; ex plebe principibus, Ostmaro Scaniæ, Hundingo Sialandæ procurationem attribuerunt, collato in Hanonem Fioniæ dominio, ac penes Roricum atq; Hatherum constitutâ Iutiæ summâ, idque discretâ potestate. Interea apud Suecos tyrannide insignis regem agebat Gunnarus, qui concepto in Norvagos parricidiali odio, omnem, quà poterat, gentem clade ac cædibus respergebat ultimaque eidem minitabatur. Præerat tum illis cum imperio Reginaldus extremę ætatis senex, qui inter cetera, metuens, quam unicam habebat, Drothæ filiæ, eam occulto specu abditam satellitibus custodiendam tradit. Sed Gunnarus in aciem profectus senem superat. Utque devictæ gentis ignaviam extremo ac inusitato dedecore mactaret, regis loco canē eis præsidere curat. Et ne quid contumelię deesset, satrapas prętera attribuit, qui sub ejus titulo regia ministeria exsequerentur : mandavitque sub capitis pœnâ eidem cani haud aliter ac regi honorem exhiberi: In modum fere, quo olim Romanorum Imperator Caligula, quod annotatum Suetonio memini, equo suo Incitato urbis

urbis populiq; Romani Conſulatum deſtinavit, & præter equile marmoreum, ac præſepe eburneum præterque purpurea tegumenta, ac monile è gemmis, domum etiam & familiam, & ſuppellectilē dedit, quò lautius nomine ejus invitati acciperentur. Sed Gunnarus, patre Reginaldo, ut dictum, extincto, etiam filiæ exinde è ſpecu, in quam deſcenderat, eductæ, trucidatis famulis, ſtuprum intulit, procreato ex eâ Hildigero, patri ſimillimo filio, qui & adeò poſtremum ipſi Gunnaro fuiſſe infeſtus memoratur, ut proſcribi meruerit. At Borcarus nobilis Scanus, ex regis Haldani II. oriundus progenie, Drotæ matrimonium à Gunnaro occupatum intelligens, ubi ipſum vitâ privaſſet, ſibi Drotam connubio ſociavit, quæ etiam haud ægre nuptijs aſſenſa, quod parentis ultorem jure complexura videretur. Ex quâ illi ſuſceptus Haldanus.

HALDANUS III. REX XXXVIII.

HIC natus, ut dictum, Drothâ matre, obq; corporis animique invictum robur *Fortis* cognomento appellatus, ſtatim juventæ primis annis ambire Iuritham cæpit, regiæ ſtirpis ſolam, ut memoravimus, tum ſuperſtitem. Eamque ubi difficilem nec facile aſſentientem experiretur, utpote quæ eum quaſi ſorte fortunâque imparem videretur faſtidire, ita ſe exinde geſſit Haldanus, quamvis & antea quoque virtutis ſuæ ſpecimina edidiſſet, nec generis nobilitate deſtitui ſe commonſtraſſet, ut ejus tandem aſſenſum obtinuerit. Nam & duodecim, qui ei cuſtodes additi, pugiles interemit, ac principem præterea Saxoniæ Sivardum, cui nolens volens deſponſata fuerat, prius è medio ſuſtulit, quam ejus eſt nuptijs in totum potitus. Ex ea unicum exinde filium, diu multumq; votis petitum, ſuſcepit, Haraldum nomine, matri ſingulariter dilectum; Adeò ut pater, dum bellum redintegrando regno, quod principum injurijs variè erat laceratum, adverſus Sialandos & in ijs Viſetum, præcipuæ opinionis pugilem, gerit, inque eo à Viſeto confoſſus occumbit, mater, quæ habitu virili prælio intererat, filium, tum adhuc tenerum, ſingulari induſtria ſervatum in tuto ſtitit.

HARALDUS III. REX XXXIX.

SUFFECTUS igitur regi Haldano Haraldus ex Iuritha filius, *Hyldetan*, ſeu potius *Haldtan* dictus; utpote à ſuperiori, quem *Hyldetan* cognominatum, Borcari non nepotem ſed filium fuiſſe eſt demonſtratum in rege Sigaro, & nomine & re diverſus atque alius. Nam *Haldtan* ideò appellatus, quod alterum dentium ordinem à Viſeto excuſſum eòque depreſſiorem haberet. Idem, occiſo ante omnia parentis percuſſore oriſque ſui mutilatore Viſeto, Scaniæ dominium aſſumpſit. Inde oppugnato extinctoque apud Iutas Hathero, nomen ejus perpes in opido Haterſlebo relictum putatur. Poſt quæ etiam, Hundingo Roricoque proſtratis, Lethram occupavit, conſtituto ſimul, quod erat à quinquumviris diſtractum, in priſtinum ſuum ſtatum ac formam Daniæ imperio. Inde quoque Aſmundo Norvagiæ regi poſtquam ſceptrum reſtituiſſet; & Daniam, ab obitu Alveri parentis, Ingo Sueciæ regulus bello laceſſeret, eum Haraldus, ab Othino fatidico militiæ artes edoctus, invaſiſſe memoratur, intraque regni fines unà cum fratre Olao trucidatum in totum deleviſſe, recepto ſolum, qui fratrum tertius erat, in gratiam ſuam Ingildo, ex corporis ægritudine, ut præferebat, lecto decumbente, ac belli inducias per legatos depoſcente. Nec multò poſt, petita Norvagia, Olao Trunheimenſi ſuppetias tulerit; ac mox Friſicæ gentis athletam fortiſſimum Ubbonem, Iutlandiæ fines populantem, quum armis ſubdere difficulter poſſet, milites ad eum capiendum hortatus vinculis incluſerit; atque ijſdem mox vinculis exemto ſororem ſuam in matrimonium collocavit; nactuſque ex hoſte militiæ ſocium finitimis Rheno populis tributo impoſito, ac plurimo ex tractus ejuſdem nationibus collecto milite, Slaviam non modò, ſed & Aquitaniam Britanniamq; bello victorijſque peragrarit, vicinis circumquaque regibus ac provincijs ut nomen ejus ob ſummam potentiam bellique gloriam formidantibus, ità ejuſdem viciſſim amicitiam ac favorem paſſim ambientibus. Poſtremò terra marique adverſus nepotem ſuum Ringonem, quem Sueciæ præfecerat, ſummis regni viribus confligens morte functus occubuit. Horum utriuſque exercitus antequam armis infeſtis concurrerent, quantus utrimque apparatus fuerit, quis pugilum fortiumque virorum non è Dania modò, ſed è proxima quoque Vandalia delectus habitus prolixè nominatimque à Saxone commemoratur, qui

Haraldum

Haraldum texiſſe eum in modum navibus fretum illud ait, quod eſt intra Selandiam & Scaniam, Oreſundæ dictum, ut, ponte veluti ſtratum, Selandiam Scaniæ conjunxerit. Et addit ipſo in prælio, præter Haraldum, de quo dictum, promiſcuamq; multitudinem cæſa ex ducibus triginta millia, à parte verò Ringonis millia duodecim, teſte, qui bello interfuit, ac Danicis hoc ipſum rhytmis mandavit, Stercotero. Depoſitum Haraldi corpus Lethræ, ac regio more cum equis ac armis ingenti cum magnificentiâ, ab ipſo, qui eum vicerat, nepote Ringone ibidem funeratum. Qui & eo parentationis genere Danorum ſibi favorem ità conciliaſſe traditur, ut exoratus ab ijſdem ſit, HETHAM, virilis animi fæminam ac Danis gratam, Selandis reginam præficere. Quod & fecit, traditâ præterea Scaniæ præfecturâ Oloni, Haraldi ſorore nato. Verum Sialandos parere fæminæ minus decorum ratos, Olonem exinde acceſſiſſe authoribus memoratur, poſtulantes ut ſe clariſſimi regis militiæ aſſuetos muliebri jugo liberaret; Olonemque ad ſe Hetham venire juſſam, cunctis, præter Iutiam, ditionibus cedere non tam armis quàm minis coegiſſe, & ipſam inſuper Iutiam, ne fæminæ regni uſus permitteretur, vectigalem reddidiſſe. Ab hac reginâ *Hethâ* Sleſvicum, quod *Hetheby* olim nuncupatum, accepiſſe originem nominis ſunt qui autumant.

Poſt natum Christum

HETHA *regina.*

OLO REX XL.

HUNC igitur in modum proximè ſucceſſiſſe patruo ſuo Haraldo Olonem ſcriptores referunt, magnis animi corporiſque dotibus inſignem. Quarum, inter ceteras, eâ obtutus acie fuerit, ut quod alij armis, ipſe oculis in hoſtem ageret, terreretque fortiſſimum quemque luminum ſolâ vi ac perſpicuitate. Quæ verò facta ejus facinoraq; fuerint, priuſquam ad regni ſolium eveheretur, quodque non modo Scatum & Hiallum, ſed & Thoronem regem cum ejuſdem ſatellitio proſtrarit, ac inde cognomen *Vegeti* meruerit; Ac mox ſeptuaginta piratis navali militiâ ſublatis, pacem paternæ domui totique Norvagiæ, cui tum Sivardus ejus parens imperitabat, reſtituerit, pluribus à Saxone Crantzioque commemoratur. Mox illi ex Eliſâ, Vermelandiæ regis, Olavi filiâ Omundus progenitus. Traditurque exinde adeò ſeverum regem egiſſe, ut Hethæ ſuperior contemptus, cunctis ruborem ac pœnitentiam injecerit. Unde duodecim duces, ſive patriæ calamitate moti, ſive aliàs Oloni olim infeſti, in eum conjurare cæperunt. Ex his fuêre Lemnius, Atyla, Thottus & Vithnus, qui licet apud Slavos præfecturam gererent, ad Danos tamen originem ſuam referebant. Hi, viribus ipſi diffiſi ſuis, Stercotherum pecunia eò redigunt, ut ferro facinus exſequeretur, ac regem balneo utentem trucidaret. At ille rem intandam auſpicaturus, qui tot pugilum ducumque arma protriverat, inermis ac diſcincti regis ſuſtinere obtutum haud valens, relato pede, ſuſpenſum habere ſcelus inſtituerat, niſi à rege, cui erat familiater notus, forte fortuna revocatus, animum reſumeret. Ac ſtatim, recurrente ad deſtinatum propoſitum mente, regem nihil ejuſmodi, à Stercothero præſertim, expectantem diſtricto mucrone proſternit, conantique aſſurgere jugulum diſſecat. Sed poſtmodum pænitudine ac pudore perculſus Stercotherus, quoſdam ex his, quorum inſtinctu uſus fuerat, in ſceleris à ſe commiſſi vindictam occidit, & cui facto manum tribuerat, præbuit ultionem.

OMUNDUS REX XLI.

A Morte Olonis, filium ejus Omundum, non tam merita parentis, quàm ſanguinem majorum ac nobilitatem intuentes, regem creavêre. Qui exinde adoleſcentiæ annos egreſſus in nullo paternis operibus inferior, res ab Olone geſtas aut æquare aut tranſcendere curæ habuit. Præerat eo tempore Norvagiæ parti Ringo. Hujus filiam cum ſibi thori ſociam Omundus optaret, obſtareque rex ipſe Ringo videretur, qui generum ſpectatæ fortitudinis circumſpiciebat, ipſum Ringonem, duce Oddone, aggreſſus, poſt aliquot conflictus, navali tandem prælio ſuperavit; mortiferoque perſtrictum vulnere in hæc verba exſpirantem excepit, jucundè ſe fatum excipere ſi tali filiam connubio relinqueret. Memorat fere in eum ſenſum, ſed pluribus Saxo, addens exceſſum ejus lachrimis proſecutum Omundum; Ac filiarum alterius connubio donaſſe, cujus fidam eo in bello operam expertus fuerat, Oddonem; alteram ſibi ſervaſſe. Addunt præterea Ruſilam id temporis Norvagicam viraginem, belligerantem de rerum ſumma cum fratre germano,

Post natum Christum

Trondone rege, nec ferentem rebus pro parte Norvagicis præesse etiam Omundum, Danos, quà poterat, infestare idcirco solitam; Et mox in adversum ab Omundo missas copias profligasse; Eâque intumentem victoriâ animum quoque ad ipsam potiendam Daniam intendisse, sed profligatam ab Omundo prope Hallandiam, ac fugientem ad interiora Norvagiæ, ibi obvium sibi factum Trondonem fudisse; sed ab Omundo ad extima postremò Norvagiæ compulsam, ibi tandem à fratre oppressam cæsamq;. Ejus necem quomodo exinde à piratica regressi, qui Rusilæ militabant, Thorius Biornoq; vindicare institerint, apud Saxonem fusius est legere. Sicuti & illud, quod de Slavis proximè subjicitur, Omundum nimirum, cum per legatos suetum ab ijs tributum exigeret, illiq; non modò legatos sustulissent, sed & vi in Iutiæ confinia irruptionem fecissent, septem eorum regulos uno certamine superasse, ac solitum tributi jus victoriâ stabilijsse. Ea tempestate Starcotherus longo jam senio causarium ac debile corpus trahens, ignobile atque indecorum existimabat, qui toties totque excellentes strages edidisset, si incruentâ morte defungeretur. Itaq; aurum, quod interficiendo Olonem obtinuerat, collo appendi curavit, idq; præmij loco cessurum percussori suo, quicumq; is foret, significavit. Hunc quippe usum scelestissimi precij pulcherrimum credidit. Inde Hatherus, cujus jam ante parentem Stercotherus interfecerat, cum expediundæ ejus neci se paratum offerret, multa alterno utrimq; sermone inter sese agitasse, idq; odis metro inclusis, ex Saxone est colligere. Et Starcotherus quidem, postquam senectutis incommoda, & quis olim fuisset, jamque esset, plurifariam perorasset, sua adjecit Hatherus, ejus non modò pugnas illustriaque certamina, sed & poësin patriaque acta versibus celebrandi studium decantans: Stercotherus econtrà brevem rerum suarum historiam retexens, inter cetera, ità cecinit:

Quid quando Curetum
Littus, & innumerâ constratum cuspide callem
Primus ligniferis docui decurrere plantis?
Namque aditurus agros confertos murice ferreo
Armabam laceros subjecto stipite gressus.
Hinc mecum egregijs congressum viribus Hamam
Enecui, mox cum Rhino duce Flebace nato
Obtrivi Curios, vel quas alit Estia gentes,
Et populos Semgala tuos. Post hæc Thelemarchos
Aggressus caput inde tuli livore cruentum,
Quassum malleolis, armisq; fabrilibus ictum.
Hic primum didici quid ferramenta valerent
Incudis, quantumve animi popularibus esset.
Theutonici quoq; me pœnas authore dedêre,
Quum natos, Suertinge, tuos Frothonis iniquâ
Cæde reos, domini vindex, ad pocula stravi.
Nec minus hoc facinus, quando pro virgine charâ
Vno septenos necui certamine fratres
Teste loco, qui, me stomacho linquente, peresus
Non parit arenti redivivum cespite gramen.
Moxque ducis Kerri bellum navale parantis
Vicimus egregio confertam milite puppim.
Inde dedi letho Vazam, Fabrumque procacem
Multavi natibus cæsis; ferroque peremi
Rupibus à niveis hebetantem tela Visinnum.
Quatuor hinc Leri natos, pugilesque peremi
Biermenses, gentisque Hibernæ principe capto,
Duflinæ populabar opes, semperque manebit
Nostra Bravellinis virtus conspecta trophæis.
Quid moror? excedunt numerum quæ fortiter egi,
Quodque manu gessi ad solidum celebrare recensens
Deficio, sunt cuncta meo maiora relatu,
Vincit opus famam, nec sermo suppetit actis.

Quibus

Quibus obiter recollectis, Hatherum hortatus ne à parentis sui interfectore pœnas exigere cunctaretur, cervicem ei præbuit, cum pauculos prius ex mente Stoicorum versus protulisset, à Saxone similiter Latinè expressos, in modum ut sequitur, eloquentissimos: *Post natum Christum*

Præterea Hathere privavi te patre Lenno:
Hanc mihi quæso vicem referas, & obire volentem
Sterne senem, jugulumque meum pete vindice ferro:
Quippe operam clari mens percussoris adoptat,
Horret ab ignavâ fatum deposcere dextrâ.
Sponte piâ legem lethi præcurrere fas est.
Quod nequeas fugere, hoc etiam anticipare licebit.
Arbor alenda recens, vetus excidenda, minister
Naturæ est quisquis fato confinia fundit,
Et sternit quod stare nequit. Mors optima tunc est
Cum petitur vitæque piget, quum funus amatur,
Nec miseros casus incommoda proroget ætas.

Inde exertam crumena, quam collo, ut diximus, appensam habebat, pecuniam promit Hatheroque donat. Ille accepto, quod offerebatur, vegetèque adacto gladio, seni caput demessuit. Corpus, ne busti inops haberetur, in campo, qui vulgo *Rolung* dicitur, sepulturæ mandatum. Ejus olim dentem in pinacotheca sua servasse ac talium cupidis monstrare solitum virum nobilem Henricum Emeldorpium, duodecim pollicum crassitudine, referre aliquando memini magnificum dominum Arnoldum Vitfeldium, regni Daniæ quondam Cancellarium. Omundus post hæc pace integra, relictis filijs duobus ac totidem filiabus, è vita migravit.

SIVARDUS REX XLII.

EX quibus maximus natu Sivardus, fratre Buthlo adhuc tenero, regnum hæreditate sibi debitum (ita Saxo) consecutus. Gassarus ejus æram refert ad annum circiter Christi quadringentesimum trigesimum secundum. Bella minus feliciter gessisse fortunamque CCCCXXXII habuisse novercam res ejus satis indicant. Nam & Scania ejus temporibus in prædam Suecis patuit, rerum tum apud eos potiente Gotharo. Hic enim Sivardi sororem, sibi peculiariter adamatam, cum in matrimonium expetijsset, ejusque assensum, missa legatione, obtinuisset; ac nihil præter nuptias restaret, misit, quo prius legato usus fuerat, Ebbonem, qui ad se sponsam deduceret. Eoque forte fortuna in agresti quodam apud Hallandos tugurio pernoctante, in eum se vertit hospes ipse unà cum fratre, quibus hæc erat consuetudo, ut hospites suos, præsertim lautiores, clam, certo machinamento circa lectos ad id preparato, trucidarent. Sed Ebbo insidias animadvertens, ideoque insomnis agens, pugnando feliciter evasit, relicto ex suis uno alteroque: Ac se confestim ad Gotharum retulit, cladis potius suæ, quam legationis eventum declaraturus. Gotharus rem à Sivardo profectam, sinistrè autumans, ab eo injuriæ vindictam repetere confestim instituit, Scaniamque, ut diximus, suam fecit, ablata simul, quam sibi sponsam elegerat, Sivardi regis sorore. Sivardus verò cum se interea in Iutiam recepisset, eam ei Slavi armis illatis eripuerunt, unà cum filio Iarmerico, filiabusque, tum adhuc admodum parvulis, in captivitatem abductis: adeò ut solas sibi, quæ erant inter Iutlandiam Scaniamque mediæ, insulas Sivardus retinuerit. Ex quibus dum in Scaniæ præsidem, à Gotharo constitutum, bellum reparat, præsidem quidem è medio sustulit, sed ipse eadem in acie peremptus occubuit. Iarmericus exinde, quibus artibus qualique industria è custodia ac captivitate, in quam eum Slavi deduxerant, egressus sit, à Saxone pluribus commemoratur.

BUTHLUS REX XLIII.

EXTINCTO Sivardo, Danici regni sceptrum tutatus ejus frater Buthlus, omniaq; vice regis exsecutus moderatusq; memoratur, dum filius Sivardi Iarmericus e Slavica custodia domum redijsset. Quo ad lares regresso, Buthlus, abdicato imperio, se privatum continuit. Iarmericum verò nepotem ejus amice magnificeq; exceptum proceres diademate ornarunt omniumq; suffragijs regem proclamarunt.

IARME-

Post natum Christum

IARMERICVS REX XLIV.

IARMERICI ad solium regium evecti res paulo fusius enarrat Saxo; Quod Sueciam scilicet Suecosque, oppresso rege eorum Gotharo, parentis sui hoste, Daniæ regno subjecerit; impositâ exinde Slaviæ quoque populis, Sembis ac Curetibus, qui imperium ejus detrectarant, obsequij reverentia: quodque è piraticâ rediens classem Slavorum interceptam navali prælio deleverit, ac eo facinore priorum victoriarum titulos decorarit. Ac demum, quod in rupe editissimâ, dum undique gentium manubijs locupletatur, mirifico opere arcem sit molitus, in cujus magnificentiam omnem propemodum opum suarum apparatum congesserit, fixis in eâ undiquesecus excubijs. Ac mox, domesticis hoc pacto rebus compositis, quod denuò ad externas cupidinem verterit; atque institutâ navigatione, quatuor ex Hellesponto profectos fratres in oceano obvios impugnarit, ac misso mox prælio, sororem eorum ac medietatem tributi, quâ victos oneraverant, sibi pactus fuerit. Eam Græcanici generis virginem, postea Iarmerici conjugem, nescio an satis ad genium Græciæ, Svavildam Saxo nominat; adjiciens, arte cujusdam Bicconis apud Iarmericum exinde adulterij cum privigno suo Brodero, Iarmerici filio, accusatam, inmani ob id supplicio, quod graphice idem describit, à Iarmerico affectam: Ac postmodum re intellectâ, ad ultionem ab extremo Græciæ Hellesponto fratres accurrisse. Et Iarmericum in arcem jam memoratam, ut se defenderet, confugientem, ibi oppugnatum expugnatumque pedibus manibusque truncasse: ac ipsos quoque eâdem invasione consumptos prostratosque interijsse.

BRODERVS REX XLV.

BRODERUS, non quidem ex Swavildâ, sed ex alio jam ante susceptus matrimonio Iarmerici filius fuit. Eum pater, quod cum Swavildâ, ut memoratum, consuevisse ex delatione Bicconis perhiberetur, post necatam, de quâ dictum, Suavildam, suspendio damnaverat, moderante in hunc modum sententiam eodem Biccone, ut, fulcimento suspensi pedibus subjecto, eoque allevatus à strangulatione servaretur. Itaque laquei nexibus implicito Brodero, intrat triclinium regium Broderi canis, quasi deflens domini sui interitum, simul & accipiter ejusdem introvolans plumas sibi evellebat. Unde rex capto omine, quod scilicet, sublato Brodero, veluti implumis ac orbus sineque liberis & hærede ageret, præpropere, qui eum laqueo exuerent, mittit. Sicque liberatus Broderus Iarmerico patri, in modum, ut memoratum, neci dato, parum idoneus (ità Saxo, nec quidquam præterea addens) successit in regnum.

SIVALDVS REX XLVI.

DEFUNCTO Brodero, regium nomen atque administrationem adijt Sivaldus. Cujus imperium licet longi temporis fuisse ex authoribus satis intelligatur, res tamen ejus actaque ad publicum patriæ bonum prodita nuspiam annotata occurrunt. Filius ei Snio fuisse memoratur, qui, patre jam senio atque annis fesso, instructâ cum classe oceani oras ingressus res patriæ non solum servavit, sed regum etiam priorum socordiâ variè diminutas auxerit inque statum pristinum revocarit. Quorum meritorum aspectu in regem electus mox etiam, parente vitâ functo, omnium votis regio diademate atq; honore donatus eidem in plenum successisse narratur.

SNIO REX XLVII.

SIVALDUM itaque Snio exceperit. Ac statim, suscepto imperio, Eschilli atque Alkili pugilum insolentiam comprimendo, Scaniam, à Daniæ societate per bella semotam, eidem postliminio conjunxit. Inde cum ambisset sibiq; in conjugem per nuncios clandestinos postulasset Gothiæ regis filiam, eosque nuncios parens puellæ, in pœnam quasi improvidæ legationis, suspendio affecisset, in eum contracto exercitu, movisse Snio proditur, exigendæ ultionis cupidus. statutaque inter regem utrumque lex, ut res utriusque nomine per athletas gereretur, ac regum alteruter, pro variâ pugilum fortunâ, aut proprium perderet,

perderet,aut alienum acciperet imperium, victique regnum in præmium victoriæ reponeretur. Quo evenerit, ut Gothorum rex pugilum ſuorum infortunio ſuperatus, cedere regno Snioni coactus ſit. *Poſt natum Chriſtum* Filiam autem ejuſdem Gothiæ regis, quam, ut dictum, ſibi in matrimonium Snio petierat, cum intellexiſſet Sueonum regi connubio traditam, quendam obſoleto habitu ac ſtipem oſtiatim efflagitantem ad eam tentandam ſubornat. Atq; iſte,egentium more,ubi limen regalis palatij accederet,ac,viſâ reginâ,exili voce accinens diceret, *Amat te Snio*: Illaque,diſſimulato,quem auribus exceperat,ſono,in regiam continuo gradu procederet, ac mox velut aliud agens retrogreſſa, obſcuro, & vix aures offendente,ſibilo recinuiſſet,*amantem*,inquiens,*me redamo*: Egenus ille haud cunctatus,altero ſtatim die ijſdem ſe foribus applicat mutuiſque nutibus ac ſibilis tantum poſtremò effecit, ut inde è Suecia ad Daniæ regno conterminum quendam locum, cujus indicium mendicabulo iſti fecerat,profecta regina, ſe Snioni ſtiterit. Unde diuturna poſtmodum inter utrumque regem exorta bella, cum alter ſibi tabulis nuptialibus legitimè pactam repeteret, alter liberam ac ſponte ſuâ ad ſe venientem remittere, aut à ſe dimittere, ſibi integrum negaret.

Ejus tempeſtate, exortâ per Daniam univerſam annonæ charitate, cum interimere ſenes atque invalidos omnemque imbellem ætatem regno exigere plebiſcito Aggonis & Ebbonis eſſet pronunciatum,mater eorum Gambara,Gambaruc eſt in Saxone, ſceleſtum conſilium averſata,ſuaſiſſe memoratur, ut, ſorte ducta, excederent omnes domo, ad novas terras imperiumque conſtituendum,quicunque arma ferre poſſent. Itaque multi patria extorres Aggone & Ebbone ducibus,primum Blekingiam advecti,atq; inde Moringiâ præternavigatâ, ad Gothlandiam ſe applicuerint: ubi & Paulo teſte, (ita Saxo habet) authore Frig Dea Longobardorum vocabulum, quorum poſtea gentem condiderunt, traduntur adepti. Tandem ad Rugiam ſe applicantes deſertiſque navigijs ſolidum iter ingreſſi cum multum circumquaque terrarum emenſi armiſque depopulati fuiſſent, poſt editas latè ſtrages, poſtremò petitis in Italia ſedibus, priſcum gentis vocabulum ſuo nomine permutarint. Hoc alij ad æram Chriſti DLXXXVI; alij ad DCLXXXVI, referendum exiſtimant. Crantzius coloniam hanc ductam putat ſub Haraldo ſecundo,anno,quem & Proſper ponit, CCCLXXXIV; & pluſquam exinde ſeculum, ad annum nimirum Chriſti CCCCLXXXIV. conſediſſe in inſula Rugia ac tum demum,regnante,de quo loquimur, Snione Danubium verſus caſtrametatos ac tandem Italiam occupaſſe. *cccclxxxiv.* Nos de tota hac re ac gente ipſa cum antea nonnihil dixerimus, tum & libro ſtatim proximo plura dicemus. Quam autem Saxo hoc loco emigrationem refert,eam authore Paulo Diacono ſe prodere, nec eo habere antiquiorem ſcriptorem, ſatis videtur innuere. Quamvis ejus egreſſionis ante Paulum Diaconum, ut & alibi nobis oſtenſum, Proſperi Chronicon mentionem faciat, & in Pauli verbis non Blekingia aut Moringia, ſed vice earum Scoringia & Mauringia nominentur. quarum Scoringia,ut exiſtimo,Schoningia fuerit. Deinde priſcum gentis vocabulum,quod Longobardico permutarint,Saxoni ſilentio præteritum, Vinulorum fuit,ut habet Diaconus. Et Ducum quoque nomina, quæ Ago & Ebbo Saxoni, eidem, corruptius expreſſa,ſunt Ibor & Aio; cui & Frig Dea,Frea dicitur. Idem etiam primum è Scandinavia, quam errore tralaticio inſulam facit, egreſſos eoſdem Vinulos memorat, atque inde poſt Scoringiam Mauringiamque intratas, Gotlandiam attigiſſe; Inque Scoringia, authore Frea, nomen accepiſſe Longobardorum, non, ut apud Saxonem eſt, in Gothlandia; addita,quam & Saxo præterit, occaſione ejus nominis à Vodane & Frea ipſis inditi,quod fœminæ ſcilicet capillos haberent ità compoſitos ut ultra os mentumq; propenderint, & viris quoque barbæ eſſent prolixiores. Ac mox Ibori & Ajoni ducibus defunctis Agelmundum Agonis filium ſucceſſiſſe addit,ex Gungincorum generoſiſſima gentis proſapia oriundum: Eundem deinde Agelmundum ad flumen quoddam, cujus nomen omittit,cum gente & copijs ſuis delatum,idque tranſire ab Amazonibus prohibitum; ſed ope Lamiſſionis,qui ex Amazonibus unam monomachiâ devicit,flumen omnes ſuperaſſe: atque ibi à Bulgaris impetitos Agelmundum in illo conflictu amiſiſſe: Eique ſucceſſorem datũ Lamiſſionem,de piſcina,ut antea memoraverat,ex qua infantulus forte fortuna protractus fuerat,ità nominatum: Atque ei poſtquam Lechus, & illi viciſſim Hildeocus, atque ei demum Gudeocus ſucceſsiſſent, Rugorum provinciam Longobardos occupaſſe, orto nimirum inter Edoagrum regem Turcilingorum, ac Rugorum Feletheum bello; quorum Feletheum,ſuperatis Rugis,odoacer extinxerit. Ità enim de Agelmundo primo Longobardorum rege deque Lamiſsione, Lecho, Hildeoco & Gudeoco, Agelmundum ſecutis,

Post natum Christum

secutis, deque Rugis, post superiora illa Saxoni, ut ostensum, partim dissentientia, partim convenienter relata, habet porro Diaconus libri sui primi Capp. XVI. XVII. XVIII. & XIX. ubi inquit: *His temporibus inter Odoachar, qui in Italiâ per aliquot jam annos regnabat, & Feletheum, qui & Feva dictus est, Rugorum regem, magnarum inimicitiarum fomes exarsit. Qui Feletheus illis diebus ulteriorem Danubij ripam incolebat, quàm a Norici finibus idem Danubius separat.* Hisque interjectis nonnullis de beato Severino, Noricorum tum fines incolente, addit continuò: *Adunatis ergo Odoachar gentibus, quæ ejus ditioni parebant, id est, Turcilingis & Herulis Rugorumque parte, quos jam dudum possederat, nec non etiam Italiæ populis, venit in Rugeland pugnavitque cum Rugis ultimâque eos clade conficiens, Feletheum insuper eorum regem extinxit. Vastataque omni provinciâ, Italiam repetens, copiosam secum captivorum multitudinem abduxit. Tunc Longobardi de suis regionibus egressi, venerunt in Rugeland, quæ Latino eloquio Rugorum patria dicitur, atque in eâ, quia erat solo fertilis, aliquantis commorati sunt annis.* Hactenus Diaconus. Atque inde, duobus post Gudeocum regibus, nimirum sub Tatone: vult idem progressos demum Longobardos è Rugilandiâ, habitasse patentes campos, quos ait eorum sermone *feld* appellatos: addens præterea ab Andoino qui ex rege Valtaro nepos Tatonis fuit, quiq; annū circa Christi DXXVIII. claruerit, traductos postremò in Pannoniam Longobardos.

DXXVIII.

Quæ omnia si examinare atque introspicere pressius velimus, difficultates passim ac salebras, præter jam dicta, inveniemus; & æram præsertim egressionis, tot post Christum seculis, minimè respondere genti, quæ jam ante Christum natum, in Germaniâ borealiori sedes tenuerit, docentibus id æqualibus eorum propemodo temporum authoribus, uti monstratum jam ante monstrabuntque sequentia. Nec omittendum isto præcipue loco vetustum quoddam rhytmicis metris linguâ genti vernaculâ cantitatum olim apud Gotlandiæ incolas carmen: quo sane, quod ad istam emigrationem, multò verius multoque accuratius, quam est à Paulo præstitum, celebrari omnia comperio. Fuisse autem boreæ genti annalium ac memoriæ veluti genus ejusmodi versiculos cum ex alijs tum ex Tacito non semel est indicatum, qui Tuisconem ejusmodi antiquis olim carminibus celebratum Germaniæ populis memorat. Hoc igitur Carmine, quod statim subjiciemus, Vinulos, Vinnelandos & Vendelboos fuisse, qui nunc Cimbricæ Chersonesi est populus, satis intelligitur; Nec eos apud Scoringiam aut Gotlandiam, instinctu Freæ Deæ, ut habet fabulosè Diaconus eumque secutus Saxo noster, occasione, ut dictum, capillorum & barbæ prominentioris nominatos Longobardos, sed illud demum vocabulum à devictâ eâ gente traxisse, postquam eum borealioris Germaniæ tractum armis suum fecissent. Atque ità jam veritas veteri historiæ sequentique constabit, cum aliàs fabricentur longè post æram Christi Longobardi, qui jam ante natum in terris Christum à temporum eorum, ut indicatum, authoribus, fuisse Germaniæ borealioris populi sunt commemorati. Postremò in eodem illo historiali Carmine, etiam Ducum nomina *Ago* & *Ebbo*, non, ut effert corruptè Diaconus & ante eum Prosper, *Ibor* & *Aio*, nominantur. Agelmundus verò Agonis filius, primus gentis Rex, additâ aspiratione, Hagelmunder dicitur, in modum ut sequitur:

Ebbe oc Aage de helde saa fro/
  Siden de for hunger aff Schaane dro/
Da steddis de nåst varum guthe Gudland/
  Met gamle oc ungum/quinde oc mand/
Deris Snecker varum halve fierdum stie
  Oc hundrum mendum inden huerum di/
De neffnde sig Vinilinder/ jach sige kand/
  Effter Ebbe/hulken kom aff Vendelbo land/
Dog de varum baadum Gödinge köningum/
  Meden Aage varenum moders sönnum/
Wir togum till verge baadum store oc smaa/
  At de skulle ey vorum landum naa/
De bede offallum met quindendum Röst/
  Ad wir willum komme dennum till tröst/
Wi tockum till giffel/ hoffuitzmendenum badum/
  At de skullum icke for möcket radum/
So duelde de nåst Vß. maanedum toe/
  De varum der veder saa meckut froe
Wir lodum dennem fölgum met snecker thi/
  Och hundredum mandum indum huerum di/

Till

Poſt natum Chriſtum

Till Nylandum lodum de ſtandum da/
  Jach kand med ſandenum ſigum fraa/
Derum macke kundum ingen ſtandum moed/
  De vundem hád landum under derum foed/
De andrum landum/hullckum der logum neſt/
  For lycken vaar deuum allum tidum beſt/
Der hoffuitz mendum aff Dódum varum qual/
  Gaffue de ſig icke till lengrum taal/
Meden valdum til koning einen fracker mand/
  Hagelmunder hand hád/jack ſige kand/
De ſlogum de Longobarder indum derum land/
  Der bleff icke leffuend einum eniſte mand/
Saa lode de ſig Longobarder kallum/
  Pannonien beſtriddum de oc med allum/
De togum ſaa indum Vallandum náſt
  Der timedis dennum lycken allum beſt/
Hád er vel ſkreffuet/had er vel ſpuit
  Huad de haffde ſidum mandelickum giurt/
De meſt ſidem de indum Vallandum kom/
  Hád er vel kynde allum verdum om/
Fordi aff dennum leed mangum mand móder
  Till Karl Keyſer hin ſtura fick lagd dennum óde.

Quorum ex ultimo verſu intelligi poſtremò datur concinnatum hoc Carmen finità jam imperij Longobardorum periodo, rerum per Germaniam Italiamque latè potiente Carolo, qui ob res præclare ampliterque geſtas Magnus eſt appellatus. Snioni autem, ut ad eum, unde digreſſi ſumus, redeat oratio, ſucceſſor Biorno tribuitur. Ille an ei filius fuerit, & quâ ex matre natus, authores haud referunt.

BIORNO REX XLVII. HARALDUS IV. REX XLIX.

BIORNONIS res domi foriſve geſtas nulli annales aut monumenta nos docent; ſicuti nec Haraldi, qui eum exceperit, nominis ejus tertius. Tantùm refertur ſummam rerum aſſecutus; filioque Gormone exauctus, regnum eidem reliquiſſe. Nobiliſsimus Vitfeldius Biornonem ferrei lateris, vulgo *Iernſide*, cognomento afficit; authore, quo id habeat, non addito. Refertque æram ejus, ex Gaſſari calculo, ad annum Chriſti DXVIII. Haraldum verò claruiſſe ejuſdem Chriſti anno DCCXI: adeò ut colligendum inde addat, ſi inter Biornonem Haraldumque reges intermedij nulli fuerint, imperaſſe eorum quemque annos circiter centum & octuaginta. Quod ſanè vix eſſe veroſimile cum eodem fatear. At ipſe Gaſſarum ſi rectis oculis inſpexi, refertur Biornonis æra non ad DXVIII, ſed ad Chriſti annum DCLIV. Haraldi verò ad DCCXI. Gormonis, qui Haraldum excipit, ad DCCXLI. atque inde Gotrici ad DCCLXXIV. Ut ita hic calculus habere magnopere alogi nihil aut abſurdi videatur: niſi inter Snionem & Biornonem, quæ ab eodem notatur temporis æra, ut Snio nimirum imperare cæperit anno Chriſti DLXXVII. Biorno verò, ut indicatum, anno DCLIV. majorem hiatum atque intervallum faciat. Quod tamen haud tántum ſit, ut eo nomine ſollicitari debeat, qui à Saxone eſt poſitus, & ab omnibus huc uſque receptus, regum cenſus ac ſeries. Et maximè cum ij, qui Snioni ad uſq; Biornonem numero ſeptem, ut ſunt *Rorichus, Sueno, Gotlachus, Haraldus, Eſchyldus, Vermunhus, Omundus*, ſerie continuâ ab illis, qui hoc urgere jam nuper cæperunt, ſubjiciuntur; atq; inde qui Biornoni & Haraldo ab ijſdem interjicitur *Ethelbalder*, ejuſmodi fere ſint, qui ad Daniā haud ſpectent. Nam primus *Rorichus*, à quo ſequentes ut à ſtirpe ac progenitore deſcendunt; Rex Alemannorum, non Daniæ fuit. Diſerte enim Gregorio Turonenſi lib. I. cap. III. & XXXIV. *Chrocus* eſt Alemannorum rex; Alijs chronologis *Erocus* item *Cracus*, nec aliter quàm Alemannorum rex intelligitur. Adeo, ut capite & archego, qui aſſumitur hujus fabulæ, *Eroco* èverſo, reliqui concidant neceſſum eſt. Nam *Gotelacum*, qui ijſdē ut purpura pannò intermiſcetur, certū quidē eſt à probatis authoribus, & eorū antiquiſſimo Gregorio Turonenſi jā memorato, regem Danorū agnoſci & ad ærā circiter Chriſti DXVI. referri; At eū ab Eroco aut Chroco Alemannorū rege proſapiā trahere ejuſq; ex filio nepotem habendū, quò iſte inſititius regū catalogus abire videtur, ecquis unquā alicujus nominis chronologorū prodidit? Sed

Post natum Christum

Crantzium objiciunt, qui primus huic æræ ſcrupulum injecit. Verum id quidem. At Crantzius, poſito primum de Longobardorum è Scandia egreſſione teſtimonio ac calcuculo Proſperi, quo inter chronologos, qui ejus emigrationis meminêre, antiquior non occurrit, cum exinde longam ſibi fingat eorundem apud Rugos moram, ſecutus fortaſſe Diaconum, quem falli ac fallere ſubinde hîc ſupra demonſtratum, mirum non eſt in Daniæ quoque regum calculo, quem ad iſtum exigit, hallucinari. præſertim cum æque incerta ſit priorum hæc regum Daniæ æra, utpote à veterum nullo commemorata, & à Saxone quoque ſilentio præterita. Ut ità ceteri, qui Saxonem ſequuti, per conjecturas hîc agere, nihilque demonſtrare certi poſſint; & aliud hîc Crantzius, aliud Gaſſarus, alijque aliud adferant. Interim *Gotilachum*, & ſi qui ejuſmodi ſint, probatis authoribus indicati, ac certâ ærâ inſigniti reges, nobis haudquaquam inſuperhabendi. De quibus & ſuo mox loco atque ordine referre haud omittemus. Nunc Gormonem videamus.

GORMO REX L.

GORMONEM inter priſcos Danorum duces non infimæ laudis locum rerum præclare geſtarum tituli aſsignant. præſertim in perveſtigandis rerum non obviarum ſecreti curam, ejus atque induſtriam qui volet cognoſcere, apud Saxonem legendo vix ſatis mirabitur. Et maximè, ut alia mittam, illud dignum notatu, de Torchillo, qui, terrâ marique ſuſceptis itineribus aliquot planè Ulyſſeis, multas ærumnas ac pericula, tam cum rege ipſo quàm in gratiam regis, dum ſimul naturæ ſcrutandæ incumbunt, exantlarint, ad extremum in Germaniam, Chriſtianis tum ſacris initiatam, deveniſſe refertur; ibique religionis rudimenta eidem propalata. Quæ & regi totique populo communicata expoſuiſſet, aperuiſſetque diligentius, modò & regem ipſum Torchillumque ſupereſſe diutius fata permiſiſſent.

GOTRICUS REX LI.

HUIC Gotricum filium ſucceſsiſſe tandem & Saxo alijque demonſtrant; eum nimirum, quem Godefridum Stadenſis Abbas alijq; nominant; quemq; cum Carolo Magno belligeraſſe victriciaq; ad Rhenum uſq;, ſubjugatis Friſijs, ſigna circumtuliſſe certæ rerum memoriæ atteſtantur. De quo priuſquam dicere incipiam, illa tempora eaſq; gentis res atque expeditiones, quæ poſt nimirum Cimbrorum ſuperius enarrata arma nomenque celebratum, tam adverſus Romanum, quam Francorum exinde imperium alioſq; populos, ſub nomine nimirum Gothorum, Vandalorum, Rugorum ac Longobardorum, ut & Anglorum Vitarumq;, ſuſceptę fuerunt, Saxoni Grammatico alijſque domeſticis ſcriptoribus non memoratas, proxime ſequentibus libris duobus propius enarrandas diſcutiendaſque, ſed quàm poteſt breviſsime, præmittam.

Regum verò, qui modò ad Gotricum uſque explicati, ut uno quaſi intuitu habeantur omnes, talis & ſeries & ordo eſto:

1. *Dan* ſive *Danus* annis ante Chriſtum CCCCLXXXX. juxta Gaſſarum; juxta alios MLXXIII. ſecundum Suffridum Petri, CCCVIII.
2. *Humblus.*
3. *Lotherus.*
4. *Scioldus.*
5. *Gramus.*
6. *Suibdagerus.*
7. *Guttormus.*
8. *Hadingus.*
9. *Frotho I.*
10. *Haldanus I.*
11. *Roe.*
12. *Helgo.*
13. *Rolvo Krage.*
14. *Hiartvarus.*
15. *Hotherus.*
16. *Roricus* Slingebond.
17. *Vigetus.*
18. *Wermundus.*
19. *Uffo* qui & Olaus.
20. *Danus II.*
21. *Hugletus.*
22. *Frotho II.*
23. *Dan. III.*
24. *Fridlevus Celer.*
25. *Frotho III.* ſub hoc Chriſtus naſcitur.
26. *Hiernus.*
27. *Fridlevus II.*
28. *Frotho IV.*
29. *Ingellus.*
30. *Olaus.*
31. *Haraldus I.*

32. *Frotho*

32. *Frotho V.*
33. *Haldanus II.*
34. *Vnguinus* ſive *Huguinus.*
35. *Siwaldus I.*
36. *Sigarus.*
37. *Siwaldus II.*
38. Quinquumviri rebus Danicis præfecti.
39. *Haldanus III.*
40. *Haraldus II.* Hic ejectis quincumviris monarchiam reſtituit.
41. *Olo.*
42. *Omundus.*
43. *Sivardus.*
44. *Buthlus.*
45. *Iarmericus.*
46. *Broderus.*
47. *Siwaldus* III.
48. *Snio.*
49. *Biorno.*
50. *Haraldus* III.
51. *Gormo.*
52. *Gotricus,* qui & *Godefridus.* Hic bella cum Carolo Magno geſsit an. circiter Chriſti DCCLXXXX.


His triplex ſubjeci eorundem regum ſtemma genealogicum.

Primum continuâ ſerie à Dano primo ſtirpem regum maſculam aduſque Rolvonem, Frothonis I. abnepotem, qui omnium eſt ultimus, deducit.

Alterum à Suanvidâ, quæ filia fuit Hadingi, ſoror Frothonis primi, uxor verò Regneri Sueciæ regis, qui pater Hothobrodi memoratur, ex qua Hotherus Daniæ Sueciæque rex natus, eam proſapiam aduſque Haldanum II. in quo defecit, proſequitur.

Atque inde Unguinus, Gothiæ rex, Haldani II. ſocer, ac proavus Gurithæ cum liberis aſſumptus. Quorum Guritha Unguini neptis cum ſola ſtirpis iſtius regiæ ſupereſſet, Haldano III. nupta ſtemma regium feliciter exinde propagavit; idq; tabulâ tertiâ ad Gotricum uſque exhibetur. Cujus exinde progenies primos & aborigines hos reges, quorum Chriſtophorus Bavarus poſtremus fuit, ad domum uſq; novam ac ſtemma aliud, Oldenburgicum nimirum, ſerie nuſquam interruptâ deducit finemque proſapiæ huic univerſæ ſtatuit. Ut locis exinde ſuis hiſtoriæ contextus, &, quæ illi ſubjungentur genealogica ſchemata, clarius commonſtrabunt.

STEMMA I.



STEMMA II.

SUANHVIDA *soror Frothonis I. nupta Regnero Sueciæ Regi. Eorum filius*

Hotobrodus. Cui duo filij

Atislus Rex Norvagiæ. Vxor ei Vrsa mater & soror Rolvonis.

Hotherus Rex Daniæ. Ei ex Nannâ natus

Roricus Rex. Cuius nati

Gerutha, nupta Hardevendelo Iutlandiæ præsidi. Eorum filius

Amlethus. cui binæ conjuges

Filia regis Britanniæ; ex qua ei natus filius.

Hermetruda regina Scotiæ nupta postmodum Vigleto.

Vigletus Rex. ei ex Hermetruda natus

Vermundus Rex. Ei natus

Vffo Rex. Ei natus

Danus II. Rex XX. is genuit

Hugletum Regem. cui progenitus

Frotho II. Rex XXII. Ei natus

Danus III. Rex XXIII. Cui filius fuit

Fridlevus Celer Rex. Ei natus

Frotho III. Rex XXV. sub quo Christus est natus. Frothoni conjuges

Hermunda Regis Vngariæ filia

Alvildâ Regis Norvagorum filia. Ex hac susceptus

Fridlevus II. Rex XXVII.

Olaus. *Frotho IV. Rex XXVIII.*

Ingildus Rex. Ei suscepti ex filiâ Suertingi Saxoniæ principis

Frotho. Fridlevus. Ingildus & Olaus Rex. Ejus filij

Frotho V. Rex XXXII.

Haraldus I. Rex XXXI. Ei nati ex Caroli regis Gothiæ filia Signe

Haraldus. qui cum fratre brevi tempore regnavit.

Haldanus II. Rex XXXIII. is, nullis ex Sigrithâ filiâ Vnguini regis Gothiæ susceptis liberis, regnum in socerum suum Vnguinum transtulit.

STEMMA III.

STEMMA III.

Vnguinus sive Huguinus Rex, ab Haldano II. *ut dictum, genero sui assumptus filium habuit*

Sivaldum I. *Regem* XXXV. *ei natus*

Sigarus Rex. cui filiâ unâ & filij tres

Signe ab Hageberto compressa. — *Sivaldus* II. *Rex* XXXVII. — *Alger.* — *Alphus, ex filiâ regis Gothiæ Sivardi tulit.*

Filiam, regi Sueonum Ringoni nuptam. — *Filiam, quæ ex Sivardo rege Norvagiæ suscepit* — *Haraldum* II. *Huldetan, Regem XL.*

Olaum sive Olonem Regem. cui natus

Omundus Rex. Ei nati ex filia Ringonis,

Sivardus Rex. — *Buthlus Rex.* — *Filia nupta Gotherò Norvago.*

Filia I. — *Filia II.* — *Iarmericus, qui ex Suavildâ liberos non suscepit. Ex aliâ natus.*

Roderus Rex. cui natus

Sivaldus III. Rex XLVII.

Snio Rex.

Biorno Rex.

Haraldus III. Rex L.

Gormo Rex.

Gotricus Rex. Cuius postea stirps adusque Christophorum III. omniumque ex hac prosapiâ ultimum continuata, suo exhibebitur loco.

LECTORI.

EXPLICATA superius Cimbrorum in Italiam expeditione, adjecimus obiter, occasione verborum Sallustij, quæ sunt posita paginâ 9. quænam jam antea ex Galliâ populisque Transalpinis nationes Italiam similiter infestarint, diximusq; Senones eos Gallos fuisse, ducesque præcipuos nominatos *Brennum, Britomarum, Viridomarum:* Et eorum deinde reliquias in Græciam & Asiam effusas *Gallo-græcos* appellatos. Quæ cum eum in modum à nobis eo loci paucis sint indicata, operæ pretium nunc censui, colophonis quasi loco, ipsa authorum verba eòdem spectantia hîc integrè subjicere: Ut simul constet, qui authoribus Galli sæpenumero appellantur, lato modo & quomodo ipse Sallustius, verbis supra positis, Cimbros Theutonesque Gallos quoque dixit, esse accipienda. Nam, ut statim patebit, Livij loco, qui primò ponetur, licet Senonum ibi Gallorum expeditio memoretur, Gallos tamen accipi haud strictè posse indicio sint ibidem ducum nomina, cum *Elitovius*, ne de Brenno dicam, inter Teuthones populosque Germaniæ diserte eidem Livio recenseatur. Atque inde in verbis Flori, qui nominatur inter Gallos Insubres *Viridomarus*, de quo tertia opima spolia retulerit Claudius Marcellus, fuisse Germanum, & à Rheno non modò profectum, sed, Rheno trajecto, devenisse in Gallias indicabunt perspicuè Propertij versus, qui ità habent Elegiâ penultimâ Lib. 4.

Claudius à Rheno trajectos arcuit hostes
Belligerans; vasti parma relata ducis
VIRDOMARI, *genus hic Rheno jactabat ab alto*
Nobilis erectis fundere gesa rotis.
Illi virgatis jaculantis ab agmine braccis
Torquis ab incisâ decidit uncagulâ
Nunc spolia in templo tria condita. &c.

Adjeci deinde ex Iustino quoque paucula de bellis Gallo-græcorum in Græciâ Asiâque: Atque ultimo etiam *Bellum* ipsum *Cimbricum*, cujusmodi id à Floro Orosioque est enarratum. Quæ omnia ad lucem antecedentium, & præsertim illius de Cimbris Teuthonibusque superius positæ historiolæ pleniorem ornatum haud parum factura nullus ambigo. Nec omissa denique, occasione Teuthoboci, *de Gigantibus*, deque gentium nonnullarum & præsertim borei populi origine, & an illa, ut volunt quidam, à gigantibus sit repetenda, *Dissertatio* sive ADDITAMENTUM nostrum. Nunc ordine singula videamus.

De primis Senonum Gallorum itemq; Germanorum in Italiam expeditionibus, Belleveso, Elitovio ac Brenno ducibus:

Ex Livij Libro V.

Galli cur Alpes transierint.

„ ADVENTANTE fatali urbis clade, legati ab Clusinis veniunt, auxilium adversus „ Gallos petentes. Eam gentem traditur fama dulcedine frugum, maximeque vini „ nova tum voluptate captam, Alpes transisse: agrosque ab Etruscis ante cultos possedisse: „ & invexisse in Galliam vinum illiciendæ gentis causa Aruntem Clusinum, irâ corruptæ „ uxoris ab Lucumone; cui tutor is fuerat ipse, præpotente juvene, & à quo expeti pœnæ, „ nisi externa vis quæsita esset, nequirent; hunc transeuntibus Alpes ducem, auctoremque „ Clusium oppugnandi fuisse. Equidem haud abnuerim, Clusium Gallos ab Arunte, seu quo „ alio Clusino adductos; Sed eos qui oppugnaverint Clusium, non fuisse qui primi Alpes transierint,

transierint, satis constat ducentis quippe annis ante, quam Clusium oppugnarent, urbemque Romam caperent, in Italiam Galli transcenderunt: nec cum his primum Etruscorum, sed multò antè cum ijs, qui inter Apenninum Alpesq; incolebant, sæpè exercitus Gallici pugnavêre. Tuscorum ante Romanum imperium latè terrâ marique opes patuêre, mari supero inferoque, quibus Italia insulæ modo cingitur, quantum potuerint, nomina sunt argumento, quod alterum Tuscum communi vocabulo gentis, alterum Adriaticum mare ab Adriâ Tuscorum coloniâ vocavêre Italicæ gentes. Græci eadem Tyrrhenum atq; Adriaticum vocant. Ij in utrumq; mare vergentes incoluêre urbibus duodenis terras, prius cis Apenninum, ad inferum mare: postea trans Apenninum totidem, quot capita originis erant, colonijs missis: quæ trans Padum omnia loca, excepto Venetorum angulo, qui sinum circumcolunt maris, usque ad Alpes tenuêre. Alpinis quoque ea gentibus haud dubiè origo est, maximè Rhetis, quos loca ipsa efferarunt, nequid ex antiquo, præsertim sonum linguæ, nec eum incorruptum, retinerent.

De transitu in Italiam Gallorum hæc accepimus: Prisco Tarquinio Romæ regnante, Celtarum, quæ pars Galliæ tertia est, penes Bituriges summa imperij fuit, ij regem Celtico dabant. Ambigatus is fuit, virtute fortunaq; cum sua tum publica præpollens; quod in imperio ejus Gallia adeò frugum hominumque fertilis fuit, ut, abundans multitudine vix regi videretur posse. Hic magno natu ipse jam exonerare prægravante turbâ regnum cupiens; *Bellovesum* ac *Sigovesum* sororis filios impigros juvenes missurum se esse, in quas dij dedissent augurijs sedes, ostendit. quantum ipsi vellent numerum hominum, excirent, nequa gens arcere advenientes posset. Tum *Sigoveso* sortibus dati Hercinij saltus, *Belloveso* haud paulò lætiorem in Italiam viam dij dabant. Is, quod ea gens populis abundabat, Bituriges, Arvernos, Senones, Heduos, Ambarros, Carnutes, Aulercos, excivit. Profectus ingentibus peditum equitumque copijs, in Tricastinos venit. Alpes indè oppositæ erant quas inexsuperabiles visas, haud equidem miror nullâ dum viâ (quod quidem continens memoria sit, nisi de Hercule fabulis credere libet) superatas. Ibi cum velut septos montium altitudo terreret Gallos, circumspectarentq; quanam per juncta cœlo juga in alium orbem terrarum transirent, religio etiam tenuit: quod allatum est, advenas quærentes agrum ab Salyum gente oppugnari: Massilienses erant hi, navibus à Phocide profecti. id Galli fortunæ suæ omen rati adjuvere, ut quem primum in terram egressi occupaverant locum, patentibus silvis communirent: ipsi per Taurinos saltusque Iuliæ Alpis transcenderunt: fusisque acie Tuscis, haud procul Ticino flumine, cum, in quo consederat, agrum Insubrium appellari audissent, cognomine Insubribus pago Heduorum: ibi omen sequentes loci, condidêre urbem, Mediolanum appellant. Alia subinde manus *Germanorum*, *Elitovio* duce, vestigia priorum secuta, eodem saltu favente *Belloveso* cum transcendissent Alpes, ubi nunc *Brixia* ac *Verona* urbes sunt, locos tenuere Libui, considunt; post hos Salluvij, qui prope antiquam gentem Levos Ligures, incolentes circa Ticinum amnem. Pœnino deinde Boij, Lingonesque transgressi, cum jam inter Padum atque Alpes omnia tenerentur, Pado ratibus trajecto, non Etruscos modò, sed etiam Umbros agro pellunt: intra Apenninum tamen sese tenuêre. Tum Senones recentissimi advenarum, ab Ufente flumine usque ad Athesim fines habuêre, hanc gentem Clusium Romamque indè venisse comperio; id parum certum est, solamne, an ab omnibus Cisalpinorum Gallorum populis adjutam. Clusini novo bello exterriti, cum multitudinem, cum formas hominum inusitatas cernerent, & genus armorum: audirentque sæpè ab ijs Padum, ultraque, legiones Etruscorum fusas: quanquam adversus Romanos nullum eis jus societatis amicitiæve erat, nisi quod Vejentes consanguineos adversus populum Romanum non defendissent, legatos Romam, qui auxilium ab senatu peterent, misêre. De auxilio nihil impetratum, legati tres M. Fabij Ambusti filij missi, qui senatus populique Romani nomine agerent cùm Gallis, ne, à quibus nullam injuriam accepissent, socios populi Romani, atque amicos oppugnarent. Romanis eos bello quoque, si res cogat, tuendos esse: sed melius visum, bellum ipsum amoveri, si posset: & Gallos novam gentem pace potius cognosci, quam armis. Mitis legatio, ni præferoces legatos, Gallisque magis quàm Romanis similes habuisset, quibus postquam mandata ediderunt in concilio Gallorum, datur responsum: Etsi novum nomen audiant Romanorum, tamen credere viros fortes esse, quorum auxilium à Clusinis in re trepidâ sit imploratum, & quoniam legatione adversus se maluerint, quam armis tueri socios, ne se quidem pacem, quàm illi afferant, aspernari, si Gallis egentibus agro, quem latius possideant, quàm colant Clusini, partem finium concedant: aliter pacem im-

Elitovius Germanorum dux.

Legati Romanorum ad Gallos.

petrari non posse,& responsum coram Romanis se accipere velle: & si negetur ager,coram ijsdem Romanis dimicaturos,ut nunciare domum possint,quantum Galli virtute ceteros mortales præstarent. Quodnam id jus esset, agrum à possessoribus petere, aut minari arma. Romanis quærentibus? ecquid in Hetruria rei Gallis esset? cum illi se in armis jus ferre, & omnia fortium virorum esse ferociter dicerent, accensis utrimque animis ad arma discurritur, & prœlium conseritur. Ibi, jam urgentibus Romanam urbem fatis,legati contra jus gentium arma capiunt, nec id clam esse potuit, cum ante signa Etruscorum tres nobilissimi fortissimique Romanæ juventutis pugnarent. tantum eminebat peregrina virtus. quinetiam Q. Fabius evectus extra aciem equo, ducem Gallorum ferociter in ipsa signa Etruscorum incursantem,per latus transfixum,hastâ occidit,spoliaque ejus legentem Galli agnovêre, perque totam aciem Romanum legatum esse,signum datum est. Omissa inde in Clusinos ira, receptui canunt, minantes Romanis. Erant qui extemplò Romam eundem conferent. vicêre seniores, ut legati prius mitterentur questum injurias,postulatumque,ut pro jure gentium violato Fabij dederentur. Legati Gallorum cùm ea,sicut erant mandata,exposuissent, senatui nec factum placebat Fabiorum, & jus barbari postulare videbantur.

Legati Gallorum Romā missi.

Sed ne id,quod placebat,decerneret,in tantæ nobilitatis viris,ambitio obstabat. itaq; ne penes ipsos culpa esset cladis fortè Gallico bello acceptæ, cognitionem de postulatis Gallorum ad populum rejiciunt, ubi tanto plus gratia atque opes valuere, ut quorum de pœnâ agebatur, tribuni militum consulari potestate in sequentem annum crearentur. quo facto,haud secus quam dignum erat,infensi Galli,bellum propalam minantes,ad suos redeunt. Tribuni militum cum tribus Fabijs creati P. Sulpitius longus, Q. Servilius quartùm, P. Servilius Maluginensis. Cum tanta moles mali instaret (adeò occæcat animos fortuna, ubi vim suam ingruentem refringi non vult) civitas, quæ adversus Fidenatem & Vejentem hostem, aliosq; finitimos populos ultima experiens auxilia,dictatorem multis tempestatibus dixisset: ea tunc inusitato atque inaudito hoste, ab Oceano terrarumque ultimis oris bellum ciente,nihil extraordinarij imperij aut auxilij quæsivit. Tribuni,quorum temeritate bellum contractum erat,summæ rerum præerant: delectumque nihilo accuratiorem,quàm ad media bella haberi solitus erat, extenuantes etiam famam belli,habebant. Interim Galli, postquam accepêre ultrò honorem habitum violatoribus juris humani, elusamque suam legationem esse; flagrantes irâ, cujus impotens est gens, confestim signis convulsis, citato agmine iter ingrediuntur. Ad quorum prætereuntium raptim tumultum cum exterritæ urbes ad arma concurrerent, fugaque agrestium fieret; Romam se ire magno clamore significabant: quacunque ibant, equis, virisque longè ac latè fuso agmine immensum obtinentes loci. Sed antecedente fama,nuncijsqueClusinorum, deinceps inde aliorum populorum plurimum terroris Romam celeritas hostium tulit. quippe quibus velut tumultuario exercitu raptim ducto,ægrè ad undecimum lapidem occursum est,qua flumen Allia Crustuminis montibus præalto defluens alveo, haud multum infra viam Tiberino amni miscetur. Iam omnia contra, circaque hostium plena erant,& nata in vanos tumultus gens,truci cantu,clamoribusque varijs, horrendo cuncta compleverant sono. Ibi Tribuni militum non loco castris ante capto , non præmunito vallo,quo receptus esset, non deorum saltem, si non hominum, memores, nec auspicato, nec litato , instruunt aciem diductam in cornua, ne circumveniri hostium multitudine possent. nec tamen æquari frontes poterant,cum extenuando,infirmam ac vix cohærentem mediam aciem haberent. paulum erat ab dextrâ editi loci, quem subsidiarijs repleri placuit,eaque res ut initium pavoris ac fugæ, sic una salus fugientibus fuit. nam *Brennus* regulus Gallorum in paucitate hostium artem maxime timens, ratus ad id captum superiorem locum, ut ubi Galli cum acie legionum recta fronte concurrissent, subsidia in aversos transversosque impetum darent; ad subsidiarios signa convertit;si eos loco depulisset, haud dubius facilem in æquo campi tantam superanti multitudine victoriam fore, adeò non fortuna modò,sed ratio etiam cum barbaris stabat. In alterâ acie,nihil simile Romanis,non apud duces, non apud milites erat. pavor fugaque occupaverat animos, & tanta hominum oblivio, ut multo major pars Vejos in hostium urbem, cum Tiberis arceret, quam recto itinere Romam ad conjuges ac liberos fugerent. Parumper subsidiarios tutatus est locus. in reliquâ acie simul est clamor proximis ab latere, ultimis ab tergo auditus,ignotum hostem prius pene quam viderent,non modò non tentato certamine, sed ne clamore quidem reddito,integri intactique fugerunt, nec ulla cædes pugnantium fuit.

Brennus Gallorum regulus.

terga

terga cæsa suomet ipsorum certamine in turba impedientium fugam. circa ripam Tiberis, quo armis abjectis totum sinistrum cornu defugit, magna strages facta est: multosque imperitos nandi, aut invalidos graves loricis, alijsque tegminibus hausere gurgites. maxima tamen pars incolumis Vejos perfugit, unde non modò præsidij quicquam, sed ne nuncius quidem cladis Romam est missus. ab dextro cornu, quod procul à flumine, & magis sub monte steterat: Romam omnes petiêre & ne clausis quidem portis urbis in arcem confugerunt. Gallos quoque velut obstupefactos miraculum victoriæ tàm repentinæ tenuit, & ipsi pavore defixi primum steterunt, velut ignari quid accidisset: deindè insidias vereri, postremò cæsorum spolia legere, armorumque cumulos, ut mos eis est, coacervare. Tum demum postquam nihil hostile usquam cernebatur, viam ingressi, haud multo ante solis occasum ad urbem Romam perveniunt. ubi cum prægressi equites, non portas clausas, non stationem pro portis excubare, non armatos esse in muris retulissent: aliud priori simile miraculum eos sustinuit, noctemque veriti, & ignotæ situm urbis, inter Romam atque Anienem consedêre, exploratoribus missis circa mœnia aliasque portas, quænam hostibus in perditâ re consilia essent. Romani, cum pars major ex acie Vejos petijsset, nec superesse quemquem præter eos, qui Romam refugerant, crederent, comploratis omnibus pariter vivis mortuisque, totam prope urbem lamentis impleverunt. Privatos deinde luctus stupefecit publicus pavor, postquam hostes adesse nunciatum est. mox ululatus cantusque dissonos vagantibus circa mœnia turmatim barbaris audiebant. omne inde tempus suspensos ita tenuit animos usque ad lucem alteram, ut identidem jam in urbem futurus videreturimpetus primo adventu, quo accesserant ad urbem. mansuros enim ad Alliam fuisse, nisi hoc consilij foret. deinde sub occasum solis, quia haud multum diei supererat, ante noctem rati se invasuros, tum in noctem dilatum consilium esse, quo plus pavoris inferrent. postremò lux appropinquans exanimare, timoriq; perpetuo ipsum malum continens fuit, cum signa infesta portis sunt illata. nequaquam tamen ea nocte, neque insequenti die similis illi, quæ ad Alliam tàm pavidè fugerat, civitas fuit. nam cum defendi urbem posse, tàm parva relicta manu spes nulla esset, placuit cum conjugibus ac liberis juventutem militarem, senatusque robur in arcem, Capitoliumque conscendere: armisque & frumento collatis, ex loco inde munito deos, hominesque & Romanum nomen defendere, flaminem, sacerdotesque vestales, sacra publica à cæde, ab incendijs procul auferre: nec ante deseri cultum eorum, quam non superessent qui colerent. Si arx, Capitoliumque sedes deorum, si senatus caput publici consilij, si militaris juventus superfuerit imminenti ruinæ urbis, facilem jacturam esse seniorum, relictæ in urbe utique perituræ turbæ, & quo id æquiore animo de plebe multitudo ferret, senes triumphales consularesque simul, se cum illis dicere palam obituros: nec his corporibus, quibus non arma ferre, non tueri patriam possent, oneraturos inopiam armatorum. Hæc inter seniores morti destinatos jactata solatia. Versæ indè adhortationes ad agmen juvenum; quos in Capitolium atque in arcem prosequebantur, commendantes virtuti eorum juventæque urbis per trecentos sexaginta annos omnibus bellis victricis, quæcunque reliqua esset, fortunam. digredientibus qui spem omnem atque opem secum ferebant, ab ijs, qui captæ urbis non superesse statuerant exitio, cum ipsa res speciesque miserabilis erat, tum muliebris fletus, & concursatio incerta, nunc hos nunc illos sequentium rogantiumque viros natosque cui se fato darent? nihil, quod humanis superesset malis, relinquebant. magna pars tamen earum in arcem suos persecutæ sunt, nec prohibente ullo, nec vocante: quia quod utile obsessis ad minuendam imbellem multitudinem, id parum humanum erat. Alia maximè plebis turba, quam nec capere tam exiguus collis, nec alere in tantâ frumenti inopiâ poterat, ex urbe effusa velut agmine jam uno petijt Ianiculum. Inde pars per agros dilapsi, pars urbes petunt finitimas, sine ullo duce, aut consensu, suam quisque spem, sua consilia, communibus deploratis, exequentes. Flamen interim Quirinalis, virginesque Vestales, omissâ rerum suarum curâ, quæ sacrorum ferenda, quæ (quia vires ad omnia ferenda deerant) relinquenda essent consultantes, quisve ea locus fideli asservaturus custodia esset, optimum ducunt, condita in doliolis sacello proximo ædibus flaminis Quirinalis, ubi nunc despui religio est, defodere: cætera inter se onere partito ferunt, via, quæ sublicio ponte ducit ad Ianiculum. In eo clivo eas cum L. Albinius de plebe Romanâ homo conspexisset, plaustro conjugem ac liberos vehens inter ceteram turbam, quæ inutilis bello urbe excedebat, salvo etiam tum discrimine divinarum humanarumque rerum, irreligiosum ratus sacerdotes publicos sacraque populi Romani pedibus ire, ferrique; se ac suos in vehiculo

hiculo conſpici, deſcendere uxorem ac pueros juſſit, virgines ſacraque in plauſtrum impoſuit: & Cære, quo iter ſacerdotibus erat, pervexit. Romæ interim ſatis jam omnibus, ut in tali re, ad tuendam arcem compoſitis, turba ſeniorum domum regreſſa, adventum hoſtium obſtinato ad mortem animo expectabat. qui eorum currules geſſerant magiſtratus, ut in fortunæ priſtinæ honorumq; aut virtutis inſignibus morerentur, quæ auguſtiſſima veſtis eſt, thenſas ducentibus, triumphantibuſve ea veſtiti medio ædium eburneis ſellis ſedêre. Sunt, qui M. Fabio Pontifice maximo præfante carmen, devoviſſe eos ſe pro patria, Quiritibuſque Romanis tradant. Galli, & quia interpoſita nocte à contentione pugnæ remiſerant animos, & quod nec in acie ancipiti uſquam certaverant prœlio, nec tum impetu aut vi capiebant urbem, patente Colina porta in forum perveniunt, circumferentes oculos ad templa deûm, arcemque ſolam belli ſpeciem tenentem. indè modico relicto præſidio, ne quis in diſſipatos ex arce aut Capitolio impetus fieret, dilapſi ad prædam vacuis occurſu hominum vijs, pars in proxima quæque tectorum agmine ruunt: pars ultima, velut ea demum intacta & referta præda, petunt. Indè rurſus ipſa ſolitudine abſterriti, ne qua fraus hoſtilis vagos exciperet, in forum ac propinqua foro loca conglobati redibant: ubi eos, plebis ædificijs obſeratis, patentibus atrijs principum, major prope cunctatio tenebat aperta quàm clauſa invadendi. adeo haud ſecus quam venerabundi intuebantur in ædium veſtibulis ſedentes viros, præter ornatum habitumque humano auguſtiorem: majeſtate etiam, quàm vultus gravitaſque oris præ ſe ferebat, ſimilimos dijs. Ad eos velut ſimulacra verſi, cum ſtarent, M. Papirius unus ex his dicitur Gallo barbam ſuam, ut tum omnibus promiſſa erat, permulcenti, ſcipione eburneo in caput incuſſo iram moviſſe: atque ab eo initium cædis ortum; ceteros in ſedibus ſuis trucidatos. Poſt principum cędem, nulli deinde mortalium parci; diripi tecta, & exhauſtis injici ignes. Ceterum, ſeu non omnibus delendi urbem libido erat, ſeu ita placuerat principibus Gallorum, & oſtentari quædam incendia terroris cauſa, ſi compelli ad deditionem caritate ſedium ſuarum obſeſſi poſſent: & non omnia concremari tecta, ut quodcunque ſupereſſet urbis, id pignus ad flectendos hoſtium animos haberent: nequaquam perinde atque in captâ urbe prima die aut paſsim, aut late vagatus eſt ignis. Romani ex arce plenam hoſtium urbem cernentes, vagoſque per vias omnes curſus, cum alia atque alia parte nova aliqua clades oriretur, non mentibus ſolum concipere, ſed ne auribus quidem, atque oculis ſuis conſtare poterant. quocumque clamor hoſtium, mulierum puerorumque ploratus, ſonitus flammæ, ac fragor ruentium tectorum avertiſſet, paventes ad omnia animos oraque & oculos flectebant, velut ad ſpectaculum à fortuna poſiti occidentis patriæ nec ullius rerum ſuarum relicti, præter quam corporum vindices: tantò ante alios miſerandi magis, qui unquam obſeſsi ſunt, quod interclusi à patria obſidebantur, omnia ſua cernentes in hoſtium poteſtate. Nec tranquillior nox diem tam fœde actum excepit. Lux deinde noctem inquietam inſecuta eſt. nec ullum erat tempus, quod à novæ ſemper cladis alicuius ſpectaculo ceſſaret. nihil tamen tot onerati atque obruti malis flexerunt animos: quin etſi omnia flammis atque ruinis æquata vidiſſent, quamvis inopem parvumque, quem tenebant, collem libertati relictum virtute defenderent, & jam cum eadem quotidie acciderent, vel ut aſſueti malis abalienaverant ab ſenſu rerum ſuarum animos, arma tantum, ferrumque in dextris velut ſolas reliquias ſpei ſuæ intuentes. Galli quoque; per aliquot dies in tecta modò urbis nequiquam bello geſto, cùm inter incendia ac ruinas captæ urbis nihil ſupereſſe præter armatos hoſtes viderent, nec quicquam tot cladibus territos, nec flexuros ad deditionem animos, ni vis adhiberetur: experiri ultima, & impetum facere in arcem ſtatuunt. Primâ luce ſigno dato, multitudo omnis in foro inſtruitur: inde clamore ſublato, ac teſtudine factâ ſubeunt. adverſus quos Romani nihil temere, nec trepide, ad omnes aditus ſtationibus firmatis, qua ſigna ferri videbant, ea robore virorum oppoſito ſcandere hoſtem ſinunt: quo ſucceſſerit magis in arduum, eo pelli poſſe per proclive facilius rati. medio verò clivo reſtitêre: atque inde ex loco ſuperiore, qui prope ſua ſponte in hoſtem inferebat, impetu facto, ſtrage ac ruinâ fudère Gallos: ut nunquam poſtea nec pars nec univerſi tentaverint tale pugnæ genus. Omiſsâ itaque ſpe per vim atque arma ſubeundi, obſidionem parant: cujus ad id tempus immemores, & quod in urbe fuerat frumentum, incendijs urbis abſumſerant, & ex agris per ipſos dies raptum omne Vejos erat. Igitur exercitu diviſo, partim per finitimos populos prædari placuit, partim obſideri arcem, ut obſidentibus frumentum populatores agrorum præberent. Proficiſcentes Gallos ab urbe ad Romanam experiendam virtutem, fortuna ipſa Ardeam, ubi Camillus exulabat,

Galli Romam patente Collinâ portâ ingrediuntur, & deprædantur.

Romanos in ædium veſtibulis ſedentes trucidant.

Galli dum in arcem impetum faciunt, à Romanis funduntur.

labat, duxit. Qui mœstior ibi fortunâ publicâ quam suâ, cum dijs hominibusque accusandis senesceret, indignando mirandoque ubi illi viri essent, qui secum Vejos Faleriosq; cepissent, quia alia bella fortius semper quam felicius gessissent; repentè audit Gallorum exercitum adventare, atque de eo pavidos Ardeates consultare. Nec secus quam divino spiritu tactus, cum se in mediam concionem intulisset, abstinere suetus ante talibus consilijs: *Ardeates,* inquit, *veteres amici, novi etiam cives mei, quandò & vestrum beneficium ita tulit, & fortuna hoc egit mea, nemo vestrum conditionis meæ oblitum me huc processisse putet, sed res, ac periculum commune cogit, quod quisque possit in re trepida præsidij, in medium conferre. & quando ego vobis pro tantis vestris in me meritis gratiam referam, si nunc cessavero? aut ubi usus erit mei vobis, si in bello non fuerit; hac arte in patria steti, & invictus bello, in pace ab ingratis civibus pulsus sum. Vobis autem Ardeates fortuna oblata est, & pro tantis pristinis populi Romani beneficijs, quanta ipsi meministis (nec enim exprobanda apud memores sunt) gratiæ referendæ: & huic urbi decus ingens belli ex hoste communi pariendi. Quæ effuso agmine adventat, gens est, cui natura corpora animosque magna magis quàm firma dederit. Eò in certamen omne plus terroris quam virium ferunt. argumento sit clades Romana: patentem cepêre urbem, ex arce Capitolioque his exiguâ resistitur manu. tam obsidionis tædio victi abscedunt, vagique per agros palantur. cibo, vinoque raptim hausto repleti, ubi nox appetit, prope rivos aquarum, sine munimento, sine stationibus ac custodijs passim ferarum ritu sternuntur, nunc ab secundis rebus magis etiam solito incauti. Si vobis in animo est, tueri mœnia vestra, nec pati hæc omnia Galliam fieri, primâ vigiliâ capite arma frequentes: me sequimini ad cædem non ad pugnam, nisi victos somno velut pecudes trucidandos tradidero, non recuso eundem Ardeæ rerum mearum exitum, quem Romæ habui.* Æquis iniquisq; persuasum erat, tantum bello virum neminem usquã eâ tempestate esse. Concione dimissâ, corpora curant, intenti quã mox signũ daretur. quo dato primæ noctis silentio ad portas cum Camillo præsto fuêre. egressi haud procul urbe, sicut prædictum erat, castra Gallorum intuta neglectaq; ab omni parte nacti, cum ingenti clamore invadunt. nusquam prœlium, omnibus locis cædes est: nuda corpora, & soluta somno trucidantur. extremos tamen pavor cubilibus suis excitos, quæ aut unde vis esset ignaros, in fugam, & quosdam in hostem ipsum inprovidos tulit: magna pars in agrum Antiatem celati, incursione ab oppidanis in palatos factâ, circumveniuntur. Similis in agro Vejente, &c.

Camilli Oratio ad Ardeates.

Ardeates duce Camillo, castra Gallorum invadunt, eosque trucidant.

Romæ interim plerunque obsidio segnis, & utrimque silentium esse: ad id tantum intentis Gallis, ne quis hostium evadere inter stationes posset: cum repente juvenis Romanus admiratione in se cives hostesque convertit: Sacrificium erat statum in Quirinali colle genti Fabiæ: ad id faciendum C. Fabius Dorsuo, Gabino cinctu, sacra manibus gerens cum de Capitolio descendisset, per medias hostium stationes egressus nihil ad vocem cujusquam terroremve motus, in Quirinalem collem pervenit: Ibique omnibus solenniter peractis, eadem revertens similiter constanti vultu graduque, satis sperans propitios esse deos, quorum cultum ne mortis quidem metu prohibitus deseruisset, in Capitolium ad suos redijt: seu attonitis Gallis miraculo audaciæ, seu religione etiam motis, cujus haud negligens gens est.

Vejis interim non animi tantum indies, sed etiam vires crescebant: nec Romanis solum eò convenientibus ex agris, qui aut prælio adverso aut clade captæ urbis palati fuerant, sed etiam ex Latio voluntarijs confluentibus, ut in parte prædæ essent. Maturum jam videbatur, repeti patriam eripique ex hostium manibus: sed corpori valido caput deerat, locus ipse admonebat Camilli, & magna pars militum erat, qui ductu auspicioq; ejus res prosperè gesserant. itaque consensu omnium placuit ab Ardea Camillum acciri, &c.

Camillus ab exilio revocetur dictator creatur.

Dum hæc Vejis agebantur, interim arx Romæ Capitoliumque in ingenti periculo fuit. namque Galli, seu vestigio notato humano, quà nuncius à Vejis pervenerat, seu sua sponte animadverso ad Carmentis saxum ascensu æquo, nocte sublustri cum primò inermem, qui tentaret viam, præmisissent, tradentes inde arma, ubi quid iniqui esset, alterni innixi, sublevantesque invicem, & trahentes alij alios, prout postularet locus, tanto silentio in summum evasere, ut non custodes solum fallerent, sed ne canes quidem, solicitum animal ad nocturnos strepitus excitarent. anseres nõ fefellêre, quibus sacris Iunoni in summâ inopiâ cibi tamen abstinebatur. quæ res saluti fuit. namque clangore eorum, alarumque crepitu excitus M. Manlius, qui triennio ante consul fuerat, vir bello egregius, armis arreptis simul ad arma ceteros ciens vadit. & dum ceteri trepidant, Gallum, qui jam in summo constiterat, umbone ictum deturbat. cujus casus prolapsi cum proximos sterneret, trepidantes alios armisque omissis saxa, quibus adhærebant, manibus amplexos trucidat. jamque & alij congregati telis, missilibusque saxis perturbare hostes, ruinaque tota prolapsa acies

Galli clam in arcem tendunt.

Anseres M. Manlium excitant.

acies in præceps deferri. Sedato deinde tumultu reliquum noctis, quantum in turbatis mentibus poterat, cum præteritum quoq; periculum solicitaret, quieti datum est. Luce ortâ vocatis classico ad concilium militibus ad tribunos, cum & recte & perperam facto precium deberetur; Manlius primum ob virtutem laudatus, donatusque non ab tribunis solum militum, sed consensu etiam militari. cui universi selibras farris, & quartarios vini ad ædes ejus, quæ in arce erant, contulerunt: rem dictu parvam, ceterum inopia fecerat eam argumentum ingens caritatis; cum se quisque victu suo fraudans, detractum corpori atque usibus necessarijs ad honorem unius viri conferret. Tum vigiles ejus loci, qua fefellerat ascendens hostis, citati: & cum in omnes more militari se animadversurum P. Sulpitius tribunus militum pronunciasset. consentiente clamore militum in unum vigilem conjicientium culpam, deterritus à ceteris abstinuit: reum haud dubium ejus noxæ approbantibus cunctis de saxo dejecit. Inde intentiores utrimque custodiæ esse: & apud Gallos, quia vulgatum erat, inter Vejos Romamque nuncios commeare: & apud Romanos nocturni periculi memoriâ. Sed ante omnia obsidionis bellique mala, fames utrimq; exercitum urgebat: Gallos pestilentia etiam &c.

Induciæ Gallorum cum Romanis.

Induciæ deinde cum Romanis facta, & colloquia permissu imperatorum habita: in quibus cum identidem Galli famem objicerent, eóque necessitate ad deditionem vocarent, dicitur avertendæ ejus opinionis causâ multis locis panis de Capitolio jactatus esse in hostium stationes. Sed jam neque dissimulari, neq; ferri ultra fames poterat: Itaq; dum dictator delectum per se Ardeæ habet magistrum equitum L. Valerium à Vejis abducere exercitum jubet: parat instruitque, quibus haud impar adoriatur hostes: interim Capitolinus exercitus stationibus vigilijsque fessus, superatis tamen humanis omnibus malis, cum famem unam natura vinci non sineret: diem de die prospectans, ecquod auxilium ab dictatore appareret, postremò spe quoque jam, non solum cibo deficiente, & cum stationes procederent prope obruentibus infirmum corpus armis, vel dedi vel redimi se quacunque pactione possent, jussit: jactantibus non obscurè Gallis, haud magnâ mercede se abduci posse, ut obsidionem relinquant. Tum senatus habitus, tribunisque militum negotium datum, ut paciscerentur. Inde inter P. Sulpitium tribunum militum, &

Cum Brenno paciscuntur Romani.

Brennum regulum Gallorum colloquio transacta res, est, & mille pondo auri pretium populi, gentibus mox imperaturi, factum. Rei fœdissimæ per se; adjectaindignitas est. pondera ab Gallis allata iniqua: & tribuno recusante, additus ab insolente Gallo ponderi gladius: auditaque intoleranda Romanis vox *Væ victis esse*. Sed dijque & homines prohibuêre redemptos vivere Romanos. nam forte quadam, priusquam infanda merces perficeretur, per altercationem nondum omni auro appenso, dictator intervenit: *auferrique aurum de medio, & Gallos submoveri* jubet, cum illi renitentes pactos dicerent sese, negat *eam pactionẽ esse, quæ injussu suo ab inferioris juris magistratu facta esset:* denunciatq; Gallis, *ut se ad prælium expediant: suos in acervum conjicere sarcinas, & arma aptare, ferroque non auro recuperare patriam* jubet, *in conspectu habentes fana deûm, & conjuges & liberos, & solum patriæ deforme belli malis, & omnia quæ defendi repetique & ulcisci fas sit.* Instruit deinde aciem, ut loci natura patiebatur, in semirutæ solo urbis, & natura inæquali; & omnia quæ arte belli secunda suis eligi præparative poterant, providit. Galli nova re trepidi, arma capiunt, irâque magis quàm consilio in Romanos incurrunt. Iam verterat fortuna; jam deorum opes humanaque consilia rem Romanã adjuvabant. Igitur primo concursu haud majore momento fusi Galli sunt, quàm ad Alliam vicerant. Iustiore altero deinde prælio ad octavum lapidem Gabinâ viâ, quò se ex fugâ contulerant, ejusdem ductu auspicioque Camilli vincuntur. Ibi cædes omnia obtinuit, castra capiuntur, & ne nuncius quidem cladis relictus.

Galliâ Camillo fusi.

Camillus triumphus.

Dictator recuperata ex hostibus patria, triumphans in urbem redit: interque jocos militares, quos inconditos jaciunt, *Romulus ac parens patriæ, conditorque alter urbis* haud vanis laudibus appellatur.

Bellum idem Gallicum, Ex Flori lib. 1. Cap. XIII.

HINC sive invidia Deum, sive fato, rapidissimus procurrentis imperij cursus, parumper Gallorum Senonum incursione supprimitur, quod tempus populo Romano nescio utrum clade funestius fuerit, an virtutis experimentis speciosius. Eâ certe fuit vis calamitatis, ut in experimentum illatam putem divinitus, scire volentibus immortalibus dijs

dijs, an Romana virtus imperium orbis mereretur. Galli Senones, gens natura ferox, moribus incondita, adhoc ipsa corporũ mole perinde ac armis ingentibus, adeò omni genere terribilis fuit, ut planè nata ad hominum interitum, urbium stragem videretur. Hi quondam ab ultimis terrarum oris, cum cingerentur omnia Oceano, ingenti agmine profecti, cum jam media vastassent, positis inter Alpes & Padum sedibus, ne his quidem contenti per Italiam vagabantur. Tum Clusium oppidum obsidebant. Pro socijs ac fœderatis populus Romanus intervenit. Missi ex more legati. Sed quod jus apud barbaros? ferocius agunt. Movent exinde certamen; Conversis igitur à Clusio, Romamq; venientibus, ad Alliam flumen cum exercitu Fabius consul occurrit. Non Cremeræ fœdior clades. Itaq; hunc diem fastis Roma damnavit. Fuso exercitu, jam mœnibus urbis appropinquabant. Erant nulla præsidia. Tum igitur aut nunquã aliàs, apparuit vera illa Romana virtus. Quam primũ majores natu amplissimis usi honoribus, in forum coëunt. ibi devovente Pontifice, dijs se Manibus consecrant: statimque in suas quisque ædes regressi, sicut in trabeis erant, & amplissimo cultu, in curulibus sellis sese posuerunt, ut cum venisset hostis in sua dignitate morerentur. Pontifices & Flamines, quidquid religiosissimi in templis erat, partim in dolijs defossa terrâ recondunt, partim imposita plaustris secum auferunt. Virgines simul ex sacerdotio vestæ, nudo pede fugientia sacra comitantur. tum excepisse fugientes unus è plebe fertur L. Albinius, qui depositis uxore & filijs, virgines in plaustrum recepit. Adeo tum quoque in ultimis, religio publica, privatis affectibus antecellebat. Iuventus verò, quam satis constat vix mille hominum fuisse, duce Manlio arcem Capitolini montis insedit, obtestata ipsum quasi præsentem Iovem, ut quemadmodum ipsi ad defendendum templum ejus concurrissent, ita ille virtutem eorum numine suo tueretur. Aderant interim Galli, apertamque urbem primò trepidi, ne qui subesset dolus: mox ubi solitudinem vident, pari clamore & impetu invadunt. Patentes passim domos adeunt; ubi sedentes in curulibus suis prætextatos senes velut Deos Geniosq; venerati, mox eosdem, pòstquam esse homines liquebat, alioqui nihil respondere dignantes, pari vecordiâ mactant, facesque tectis injiciunt, & totam urbem, igne, ferro, manibus, solo exæquant. Septem mensibus barbari (quis crederet?) circa montem unum pependerunt, nec diebus modò, sed noctibus omnia experti, quos tandem Manlius nocte subeuntes, clangore anseris excitatus, à summa rupe dejecit: & ut spē hostibus demeret, quãquam in summa fame, tamen ad spem fiduciæ panes ab arce jaculatus est. Et stato quodam die per medias hostium custodias Fabium Pontificem ab arce demisit, qui solenne sacrum in Quirinali monte conficeret. Atque ille per media hostium tela incolumis religionis auxilio redijt, propitiosque Deos renuntiavit. Novissimè, cum jam obsidio sua barbaros fatigasset, mille pondo auri recessum suum vendidantes, idque ipsum per insolentiam, cum ad iniqua pondera addito adhuc gladio superbè, væ victis, increparent, subito aggressus à tergo Camillus adeò cæcidit, ut omnia incendiorum vestigia, Gallici sanguinis inundatione deleret. Agere gratias dijs immortalibus ipso tantæ cladis nomine libet; Pastorum casas ignis ille, & flamma, paupertatem Romuli, abscondit. Incendium illud quid egit aliud, nisi ut destinata hominum ac Deorum domicilio civitas, non deleta, non obruta sed expiata potius, & illustrata videatur? Igitur post assertam à Manlio, restitutam à Camillo urbem, acrius etiam vehementiusque in finitimos resurrexit. Ac primum omnium illam ipsam Gallicam gentem non contentus mœnibus expulisse, cum per Italiam naufragia sua latius traheret sic persecutus est duce Camillo, ut hodie nulla Senonum vestigia supersint. Semel apud Anienem trucidati, cum singulari certamine Manlius aureum torquem barbaro inter spolia detraxit. inde Torquati. Iterum in Pomptino agro, cum simili pugna M. Valerius, insidente galeæ sacra alite adjutus retulit spolia, & inde Corvini. Nec non tamen post aliquot annos omnes reliquias eorum in Etruria ad lacum Vadimonis Dolabella delevit, ne quis extaret in ea gente, qui incensam à se Romanam urbem gloriaretur.

Bellum Romanorum adversus Insubres Gallos.

Ex Flori Lib. II. Cap. IV.

GALLIS Insubribus, & his accolis Alpium, animi ferarum, corpora plusquam humana erant. Sed experimento deprehensum est: quod sicut primus impetus eis

„ major quam virorum eſt, ità ſequens minor quam fœminarum. Alpina corpora humenti „ cœlo educata, habent quiddam ſimile cum nivibus ſuis, quæ mox ut caluere pugnâ, ſtatim „ in ſudorem eunt, & levi motu, quaſi ſole laxantur. Hi ſæpè & aliàs, ſed *Britamoro* duce „ non prius ſoluturos ſe baltheo, quam Capitolium aſcendiſſent, juraverant. Factum eſt. „ victos enim Æmilius in Capitolio diſcinxit. Mox Aſtronico duce vovere de noſtrorum „ militum præda Marti ſuo torquem. Intercepit Iupiter votum, nam de torquibus eorum „ aureum trophæum Iovi III. Flaminius erexit. *Virdumaro* rege Romana arma Vulcano „ promiſerant: alior ſum vota ceciderunt. Occiſo enim rege, Marcellus tertia poſt Ro- „ mulum patrem Feretrio Iovi opima ſuſpendit.

De bello in eoſdem Gallos Ciſalpinos: Item in Inſubres Gallos. Ex Oroſij Lib. IV. Cap. XIII.

„ SIQUIDEM L. Æmilio Papo, C. Attilio Regulo conſulibus, magna formidine con- „ ſternatus ſenatus defectione Ciſalpinæ Galliæ, cum etiam ex ulteriore Gallia ingens „ adventare exercitus nuntiaretur, maximè Geſatarum, quod nomen non gentis, ſed merce- „ nariorum Gallorum eſt. Itaq; permoti conſules, totius Italiæ ad præſidium imperij con- „ traxêre vires. Quo facto, in utriuſq; conſulis exercitu octingenta millia armatorum fuiſſe „ referuntur, ſicut Fabius hiſtoricus, qui eidem bello interfuit, ſcripſit. Ex quibus Roma- „ norum & Campanorum fuerunt peditum trecenta quadraginta octo millia ducenti, equi- „ tum verò viginti ſex millia ſexcenti: cætera multitudo ſociorum fuit. Commiſſo prælio „ apud Aretium, Attius Conſul occiſus eſt: DCCC millia Romanorum, nec ſaltem tantâ, „ quanta eos terrere debuit, cæſâ ſui parte fugerunt: nam tria millia eorum tunc interfecta „ hiſtoriæ tradunt, quod ideo ignominioſius turpiuſq; eſt, tam paucis amiſſis, tanta agmina „ diffugiſſe, quia ſe in alijs victorijs non viribus animorum prevaluiſſe, ſed bellorum pro- „ ventibus, prodiderunt. Quis enim rogo in exercitu Romanorum crederet numerum „ iſtum fuiſſe ſaltem, non dico fugiſſe? Poſt hæc ſecundum cum Gallis prælium geſtum „ eſt, in quo planè quadraginta millia Gallorum trucidata ſunt. Sequenti anno Manlius „ Torquatus & Fulvius Flaccus conſules, primi trans Padum Romanas duxere legiones. „ Pugnatum eſt ibi cum Inſubribus Gallis, quorum interfecta ſunt viginti tria millia, quinq; „ millia capta ſunt. Eo deinde anno, qui huic proximus fuit, dira miſeram urbem terruere „ prodigia, &c. Eodem anno Flaminius Cos, contemptis auſpicijs, quibus pugnare prohi- „ bebatur, adverſum Gallos conflixit, & vicit. In quo bello novem millia Gallorum cæſa, „ decem & ſeptem millia capta ſunt. Poſt hoc Claudius Conſul Gæſatorum triginta millia, „ delevit, ubi etiam ipſe VIRDOMARUM regem in primam aciem progreſſus occidit: „ & inter multa Inſubrium, quos ad deditionem coëgerat, oppida, Mediolanum quoque ur- „ bem florentiſſimam cepit.

Bellum Gallogræcum: Ex Flori Lib. II Cap. XI.

„ GALLOGRAECIAM quoque Syriaci belli ruina convoluit. Fuerant inter auxilia „ regis Antiochi. An fuiſſet cupidus triumphi Manlius, an eos viſos ſimulaverit, du- „ bium: certe negatus eſt victori triumphus, quia cauſam belli non approbavit ſenatus. „ Cæterum gens Gallogræcorum, ſicut ipſum nomen indicio eſt, mixta & adulterata eſt: re- „ liquię Gallorum, quibus *Brenno* duce vaſtaverant Græciam, mox Orientem ſequuti in me- „ dia Aſiæ parte etiam ſedere. Itaq; ut frugum ſemina mutato ſolo degenerant: ſic illa gé- „ nuina feritas eorum, Aſiatica amœnitate mollita eſt. Duobus itaque prælijs fuſi fugatiq; „ ſunt: quamvis ſub adventu hoſtis relictis ſedibus, in altiſſimos ſe montes recepiſſent, „ quos Toliſtobogij Tectoſagæque jam inſederant. Utrimque fundis ſagittiſque acti, in „ perpetuam ſe pacem dediderunt. Sed alligati miraculo quodam fuere, cum catenas mor- „ ſibus & ore tentaſſent, cum offocandas invicem fauces præbuiſſent. Nam prima Orgia- „ gontis regis uxor à centurione ſtuprum paſſa, memorabili exemplo cuſtodiam evaſit, re- „ vulſumque militis caput ad maritum ſuum retulit.

De

De Origine Gallogræcorum, Ex Livij Lib. XXXVIII. Cap. XVI.

HI Galli, magna hominum vis, ſeu inopia agri, ſeu prædæ ſpe, nullam gentem per quas ituri eſſent, parem armis rati, Brenno duce in Dardanos pervenerunt. Ibi ſeditio orta, & ad viginti millia hominum cum Lomnorio ac Lutario regulis, ſucceſſione factâ à Brenno, in Thraciam iter averterunt, ubi cum reſiſtentibus pugnando, pacem petentibus ſtipendium imponendo, Byzantium cum perveniſſent, aliquandiu oram Propontidis vectigalem habendo, regionis ejus urbes obtinuerunt. Cupido inde eos in Aſiam tranſeundi, audientes ex propinquo quanta ubertas terræ ejus eſſet, cepit. & Lyſimachia fraude capta, cherſoneſoque omni armis poſſeſſa, ad Helleſpontum deſcenderunt. Ibi verò exiguo diviſis freto cernentibus Aſiam, multò magis animi ad tranſeundum accenſi, nunciosque ad Antipatrum præfectum ejus oræ de tranſitu mittebant. quæ res cum lentius ſpe ipſorum traheretur, alia rurſus nova inter regulos orta ſeditio. Lomnorius retro, unde venerat, cum majore parte hominum repetit Byzantium: Lutarius Macedonibus per ſpeciem legationis ab Antipatro ad ſpeculandum miſſis, duas tectas naves, & tres lembos adimit. his alios atque alios dies noctesque tranſvehendo, intra paucos dies omnes copias transjecit. Haud ità multo poſt Lomnorius, adjuvante Nicomede Bithyniæ rege, &c.

Ex eiuſdem Livij Libri XXXVIII. Cap. XVI.

CUM hoc hoſte (Gallogræco) tam terribili omnibus regionis ejus, quia bellum gerendum erat, pro concione milites maxime in hunc modum allocutus eſt conſul Manlius: Non me præterit, milites, omniũ quæ Aſiã colunt, gentiũ, Gallos famâ belli præſtare. Inter mitiſſimũ genus hominum ferox natio pervagata bello prope orbẽ terrarũ, ſedem cepit, procera corpora, promiſſæ & rutilatæ comæ, vaſta ſcuta, prælongi gladij: ad hoc cantus ineuntium prælium, & ululatus & tripudia, & quatientium ſcuta in patrium quendam morem, horrendus armorum crepitus: omnia de induſtria compoſita ad terrorem. Sed hæc, quibus inſolita atque inſueta ſunt, Græci & Phryges & Cares timeant: Romanis Gallici tumultus aſſuetis etiam vanitates notæ ſunt. Semel primo congreſſu ad Alliam olim fuderunt majores noſtros: ex eo tempore per ducentos jam annos pecorum in modum conſternatos cædunt fugantq́;, & plures prope de Gallis triumphi, quam de toto orbe terrarum acti ſunt. Iam uſu hoc cognitum eſt: ſi primum impetum, quẽ fervido ingenio & cæca irâ effundunt, ſuſtinueris, fluunt ſudore & laſſitudine membra: labant arma: mollia corpora, molles, ubi ira conſedit, animos Sol, pulvis, ſitis, ut ferrum non admoveas, proſternunt. Non legionibus legiones eorum ſolum experti ſumus, ſed vir unus cum viro congrediendo. T. Manlius, M. Valerius, quantum Gallicam rabiem vinceret Romana virtus, docuerunt. Iam M. Manlius unus agmine ſcandentes in Capitolium, detruſit. & illis majoribus noſtris cum haud dubijs Gallis in terrâ ſuâ genitis res erat. hi jam degeneres ſunt, miſti, & Gallogræci vere, quod appellantur &c.

De eiſdem & Brenno ex Iuſtini Libro XXIV.

INTEREA *Brennus*, quo duce portio Gallorum in Græciam ſe effuderat, auditâ victoriâ ſuorum, qui Belgio duce Macedonas vicerant: indignatus parta victoria opimam prædã, & Orientis ſpolijs onuſtã tam facile relictam eſſe, ipſe adunatis CL millibus peditũ, & XV millibus equitum, in Macedoniam irrumpit. Cum agros villaſque popularetur, occurrit ei cum inſtructo exercitu Macedonum Soſthenes; ſed pauci à pluribus, trepidi è valentibus facile vincuntur. Itaque cum victi ſe Macedones intra muros urbium condidiſſent, victor *Brennus*, nemine prohibente, totius Macedoniæ agros deprædatur. Inde quaſi terrena jam ſpolia ſorderent, animum ad deorum immortalium templa convertit, ſcurriliter iratus, locupletes deos largiri hominibus oportere. Statim igitur Delphos iter vertit. Templum autem Apollinis Delphis poſitum eſt in monte Parnaſo &c. Igitur *Brennus* cum in conſpectum haberet templum, diu deliberavit, an confeſtim rem aggrederetur: an verò feſſis via militibus, noctis ſpatium ad reſumendas vires daret. Emanus & Theſſalorus duces, qui ſe ad prædæ ſocietatem junxerant, amputari moras jubent,

 dum

dum imparati hostes, & recens adventus sui, terrori esset: Sed Gallorum vulgus ex longâ inopia, ubi primum vino, ceterisque commeatibus referta rura invenit, non minus abundantiâ, quàm victoriâ lætum per agros se sparserat; Quæ res dilationem Delphis dedit &c. Habebat *Brennus* lecta ex omni exercitu peditum sexaginta quinque millia: Delphorum sociorumque non nisi quatuor millia militum erant: quorum contemptu Brennus ad acuendos suorum animos, prædæ ubertatem omnibus ostendebat, statuasque cum quadrigis, quarum ingens copia procul visebatur, solido auro fusas esse, plusq; in pondere, quàm in specie habere prædæ affirmabat. Hac asseveratione incitati Galli, simul & hesterno vino saucij, sine respectu periculorum in bellum ruebant. Contra Delphi plus in Deo quam in viribus reponentes, cum contemptu hostium resistebant, scandentesq; Gallos è summo montis vertice, partim saxo, partim armis obruebant. In hoc partium certamine, repente universorum templorum antistites, simul & ipsi vates, sparsis crinibus, cum insignibus atque infulis, pavidi vecordesque in primam pugnantium aciem procurrunt: advenisse Deum clamant &c. Præsentiam Dei & ipsi statim sensêre: nam & terremotu portio montis abrupta Gallorum stravit exercitum, & confertissimi cunei non sine vulneribus hostium dissipati ruebant. Insecuta deinde tempestas est, quæ grandine & frigore, saucios ex vulneribus absumpsit. Dux ipse BRENNUS, cum dolorem vulnerum ferre non posset, pugione vitam finivit. Alter ex ducibus, punitis belli auctoribus, cum decem millibus sauciorum citato agmine Græcia excedit. Sed nec fugientibus fortuna commodior fuit &c.

De Gallogræcorum Brenniq; eiusdem reliquijs:
Ex Iustino Libro XXXII.

GALLI bello adversus Delphos infeliciter gesto, in quo majorem vim numinis, quàm hostium senserant, amisso Brenno duce, pars in Asiam, pars in Thraciam extorres fugerant. Inde per eadem vestigia, quà venerant, antiquam patriam repetivêre. Ex his manus quædam in confluente Danubij & Sabi consedit, Scordiscos se appellari voluit. Tectosagi autem cum in antiquam patriam Tolosam venissent, comprehensiq; pestiferâ lue essent, non prius sanitatem recuperavere, quam auspicum responsis moniti, aurum argentumque bellis sacrilegijsque quæsitum, in Tolosensem lacum mergerent. Quod omne magno post tempore Cæpio Romanus consul abstulit. Fuêre autem argenti pondo centum decem millia; auri pondo quinquies decies centum millia. Quod sacrilegium causa excidij Cæpioni *exercituique ejus postea fuit. Romanos quoque Cimbrici belli tumultus, velut ultor sacræ pecuniæ insecutus est &c.

* *Vide, & refer, ad pag. 3. supra.*

Bellum Cimbricum, Theutonicum ac Tigurinum.
Ex Flori Lib. II. Cap. XI.

CIMBRI, Theutones, Tigurini, ab extremis Galliæ profugi, cum terras eorum inundasset Oceanus, novas sedes toto orbe quærebant: exclusique Gallia & Hispania, cum in Italiam remigrarent, miserunt legatos in castra Silani, indè ad senatum, petentes ut Martius populus aliquid sibi terræ daret quasi stipendium: Cæterum, ut vellet, manibus suis atque armis uteretur. Sed quas daret terras populus Romanus agrarijs legibus inter se dimicaturus? Repulsi igitur, quod nequiverant precibus, armis petere constituunt. Sed nec primum impetum barbarorum Silanus, nec secundum Manlius, nec tertium Cœpio sustinere potuerunt. Omnes fugati, exuti castris. Actum erat nisi Marius illi sæculo contigisset. Ille quoque non ausus congredi statim, militem ténuit in castris, donec invicta illa rabies, & impetus, quem pro virtute barbari habent, consenesceret. Recessere igitur increpantes, & (tanta erat accipiendæ urbis fiducia) consulentes si quid ad uxores suos mandarent. Nec segnius quam minati fuerant, tripartito agmine per alpes, id est, claustra Italiæ ferebantur. Marius mira statim velocitate occupatis compendijs prævenit hostem, prioresque Theutonas sub ipsis alpium radicibus assecutus, in loco quem aquas Sextias vocant, quo, fides numinum! prælio oppressit. Vallem fluviumque hostes tenebant, nostris aquarum nulla copia, consultone id egerit Imperator, an errorem in consilium verterit, dubium, certe necessitate acta

acta virtus, causa victoriæ fuit. Nam flagitante aquam exercitu, viri, inquit, estis: en illic habetis. Itaque tanto ardore pugnatum est, eaque cædes hostium fuit, ut victor Romanus de cruento flumine non plus aquæ biberit, quam sanguinis barbarorum. Certe rex ipse *Theutobochus* quaternos senosque equos transilire solitus, vix unum cum fugeret ascendit, proximoque in saltu comprehensus, insigne spectaculum fuit, quippe vir proceritatis eximiæ super trophæa ipsa eminebat. Sublatis funditus Theutonis, in Cimbros convertitur. Hi jam (quis crederet?) per hyemem, quæ altius Alpes levat, Tridentinis jugis in Italiam provoluti ruina descenderant. Athesim flumen non ponte, nec navibus, sed quadam stoliditate barbarica, primum corporibus aggressi: postquam retinere amnem manibus, & clypeis frustra tentaverant, ingesta obrutum silva transiluere: & si statim infesto agmine urbem petissent, grande discrimen esset: Sed in Venetia, quo ferè tractu Italia mollissima est, ipsa soli cœlique clementia robur elanguit. Adhoc panis usu, carnis coctæ, & dulcedine vini mitigatos Marius in tempore aggressus est. Iam diem pugnæ à Mario Imperatore petierunt, & sic proximum dedit. In patentissimo, quem Caudium vocant, campo concurrêre, millia inde CXL. ceciderunt, hinc tertio minus, per totum diem, conciditur barbarus. Isti quoque Imperator addiderat virtuti dolum, secutus Annibalem, artemque Cannarum. Primum nebulosum nactus diem, ut hosti inopinatus occurreret: tum ventosum quoque, ut pulvis in oculis & ora ferretur: tum acie conversa in Orientem, ut quod ex captivis mox cognitum est, ex splendore galearum, ac repercussu, quasi ardere cœlum videretur. Nec minor cum uxoribus eorum pugna, quam cum ipsis suis, cum objectis undique plaustris atque carpentis, altè desuper quasi è turribus lanceis contisque pugnarent. Perinde speciosa mors earum fuit, quam pugna. Nam cum missa ad Marium legatione, libertatem ac sacerdotium non impetrassent, (nec fas erat) suffocatis elisisque passim infantibus suis, aut mutuis concidere vulneribus, aut vinculo è crinibus suis facto, ab arboribus jugisque plaustrorum pependerunt. Beleus rex in acie dimicans, impigrè, nec inultus occubuit. Tertia Tigurinorum manus, quæ quasi in subsidio Noricos insederat Apium tumulos, in diversa lapsi fuga ignobili & latrocinijs evanuit. Hunc tam lætum tamque felicem libertatis Italiæ, assertique Imperij nuntium, non per homines, ut solebat, populus accepit, sed per ipsos (si credere fas est) deos. Quippe eodem die quo gesta res est, visi pro æde Castoris & Pollucis juvenes laureati prætori literas dare frequensque in spectaculo rumor victoriæ Cimbricæ feliciter, dixit. Quo quid admirabilius, quid insignius fieri potest? Quippe velut elata montibus suis Roma spectaculo belli interesset, quod in gladiatorio munere fieri solet, uno eodemque momento cum in acie Cimbri occumberent, populus in urbe plaudebat.

De bello eodem Romanorum adversus Cimbros, Teutonas, aliasque gentes gesto:
Ex Orosij Libro V. Cap. XVI.

ANNO ab urbe condita DCXLII. C. Manlius Consul & Q. Cæpio proconsul adversus Cimbros & Teutonas & Tigurinos & Ambronas Gallorum & Germanorum gentes, qui tunc, ut imperium Romanum extinguerent, conspiraverant, missi, provincias sibi Rhodano flumine medio deviserunt. Ubi dum inter se gravissima invidia & contentione disceptant, cum magna ignominia & periculo Romani nominis victi sunt: siquidem in ea pugna M. Aurelius consularis captus atque interfectus est. Duo filij consulis cæsi, octoginta millia Romanorum sociorumque ea tempestate trucidata, quadraginta millia calonum atq; lixarum interfecta, Antias scribit. Ita ex omni penitus exercitu decem tantummodo homines, qui miserum nuntium ad augendas miserias reportarent, superfuisse referuntur. Hostes binis castris atque ingenti præda potiti nova quadam atque insolita execratione cuncta, quæ ceperant, pessum dederunt. Vestis discissa & projecta est, aurum argentumque in flumen abjectum, loricæ virorum concisæ, phaleræ equorum disperditæ, equi ipsi gurgitibus immersi, homines laqueis collo inditis ex arboribus suspensi sunt, ità ut nihil prædæ victor, nihil misericordiæ victus agnosceret. Maximus tunc Romæ non solum luctus, verumetiam metus fuit, ne confestim Cimbri alpes transgrederentur; Italiamque delerent. Ijsdem temporibus Q. Fabius maximus filium suum adolescentem rus relegatum, cum duobus servis parricidij ministris interfecit,

ipſosq; continua ſervos in pretium ſceleris manumiſit. Die dicta, Cn. Pompeio accuſante, damnatus eſt. Igitur Marius quartum conſul, cum juxta Iſaræ Rhodanique flumina, ubi in ſeſe confluunt, caſtra poſuiſſet, Teutones, Cimbri, & Tigurini & Ambrones, poſtquam continuo triduo circa Romanorum caſtra pugnarunt, ſi quo pacto eos excuterent vallo, atque in æquos campos effunderent, tribus agminibus Italiam petere deſtinarunt. Marius poſt digreſſum hoſtium caſtra movit, & collem occupavit: qui campo & fluvio, ubi hoſtes ſeſe diffuderant, imminebat. Cumque exercitui ejus aqua ad potandum deeſſet, querelisque omnium coargueretur, aquam quidem in conſpectu eſſe reſpondit, ſed eam ferro vindicandam. Primis itaque calonibus cum clamore in pugnam ruentibus, ſubſequutus exercitus, mox juſto certamine compoſitis ordinibus, bellum geſtum & vicêre Romani: * Orto die rurſus productæ utrinque in campum acies uſque ad meridiem pene pari pugnavere diſcrimine. Poſt ubi incaleſcente ſole fluxa Gallorum corpora in modum nivium diſtabuerunt, uſque in noctem cædes potius quàm pugna protracta eſt: Ducenta millia armatorum in eo bello interfecta ſunt, octoginta millia capta, vix tria millia fugiſſe referuntur. Dux quoq; eorum * *Teutobodus* occiſus eſt. Mulieres eorũ conſtantiore animo quam ſi viciſſent, conſuluerunt conſulem, ut ſi inviolata caſtitate virginibus ſacris ac dijs ſerviendum eſſet, vitam ſibi reſervarent. Itaque cum petita non impetraſſent, parvulis ſuis ad ſaxa colliſis, cunctæ ſeſe ferro ac ſuſpendio peremerunt. Hæc de Tigurinis & Ambronibus geſta ſunt. Teutones autem & Cimbri integris copijs alpium nives emenſi, Italiæ plana pervaſerant: ibique cum rigidum genus diu blandioribus auris, poculis, cibis ac lavacris emolliretur: Marius quintum conſul & Catulus adverſum eos miſſi, die ad pugnam & campo dato, Annibalis ſecuti ingenium, in nebula diſpoſuere pugnã, in ſole pugnarunt. Prima ſiquidem perturbatio Gallorum fuit, quod Romanam aciem prius offendêre diſpoſitam, quàm adeſſe ſenſerunt.

**Vulgo, ſed perperam editiones omnes Quarto die.*

**In triumpho ductus non occiſus Floro ſuperius memoratur.*

Cumque illico vulnerati equites retro in ſuos cogerentur, totamque multitudinem indiſpoſitè adhuc adventantem conturbarent, & ſol cum vento ortus ex adverſo emicuiſſet, viſus eorum pulvis opplevit, & ſplendor hebetavit, ità factum eſt, ut tanta ac tam terribilis multitudo, minima Romanorum clade, ſua autem ultima internecione cęderetur. Centum quadraginta millia eorum tunc in bello cæſa, LX. millia capta dicuntur. Mulieres graviorem penè excitavere pugnam, quæ plauſtris in modum caſtrorum circumſtructis, ipſæ autem deſuper propugnantes, diu repulere Romanos. Sed cum ab novo cædis genere terrerentur, (abſciſſis enim cum crine verticibus, inhoneſto ſatis vulnere turpes relinquebantur) ferro quod in hoſtes ſumſerant, in ſe ſuoſque verterunt. Namque aliæ concurſu mutuo jugulatæ, alię apprehenſis invicem faucibus ſtrangulatæ, alię funibus per equorum crura conſertis, ipſiſque continuo equis extimulatis, poſtquam ſuas ijſdem funibus, quibus equorum crura nexuerant, indidere cervices, protractæ atq; examinatæ ſunt, aliæ laqueo de ſubrectis plauſtrorum temonibus pependerunt. Inventa eſt etiam quædam, quæ duos filios, trajectis per colla eorum laqueis, ad ſuos pedes vinxerit: & cum ſeipſam ſuſpendio morituram demiſiſſet, ſecum traxerit occidendos. Inter hæc multa & miſerabilia mortis genera, reguli quoque duo ſtrictis in ſe gladijs concurriſſe referuntur: * Lucius & Bojorix reges in acie ceciderunt. Claudicus & Ceſorix capti ſunt. Ita in his duobus prælijs trecenta quadraginta millia Gallorum occiſa, & centum quadraginta millia capta ſunt, abſque innumera mulierum multitudine, quæ ſe ſuoſque parvulos fœmineo furore vi autem virili necaverunt. Igitur talem Marij triumphum Romanamque victoriam incredibile facinus, & nunquam antea Romanis cognitum, Romæ ſubitò perpetratum, verſa in horrorem ac mœrorem tota urbe ſuſcitavit. Publicius ſiquidem Malleolus, ſervis annitentibus, matrem ſuam interfecit. Damnatus parricidij, inſutuſque in culeum & in mare projectus eſt: impleveruntque Romani facinus & pœnam; unde Solon Athenienſis decernere non auſus fuerat, dum fieri poſſe non credidit: & Romani, qui ſe ortos à Romulo ſcirent, etiam hoc fieri poſſe intelligentes ſupplicium ſingulare ſanxerunt.

**Luglius aliàs.*

* *Notandus hic iterum error Oroſij, qui* Teutobochum *(ipſe* Teutobodum *nominat) Ducem Tigurinorum & Ambronum videtur facere, cum diſerte eum Teutonis accenſeat Florus alijq;.*

ADDI-

ADDITAMENTUM,

Occasione Teuthoboci, *de quo dictum, super gigantibus & an ijgentium & præsertim Arctoi orbis populorum conditores habendi.*

OCCASIONE Teuthoboci, Cimbrorum Teuthonumque regis, cujus jam semel iterumque injecta superius mentio, libet hoc loco breve additamentum, adjicere; Præsertim quia annis superioribus effossum apud Delphinates Teuthoboci cadaver in literas relatum memini, pluribusque id ipsum spectandum etiam publicè tunc exhibitum, specie mirandâ atque ossibus humanum modum excedentibus. Ut igitur verba Flori de eo jam ante posita pag. 6. paulo propius expendamus, fatendum non uno accipi modo posse; quod, inter cetera, inquit, *quaternos* eum *senosque equos transilire solitum:* aut enim saltu eos transgressus intelligi debet, aut pedibus divaricatis intra utriusque coxendicis femur junctim complexus; Aut denique dicendum indicare Florum voluisse, eum, qui tot equos ad manum & in procinctu habere erat solitus, tum, cum esset fugiendum, equo destitutū. Addit enim, *vix unum cum fugeret ascendit.* Quarum explicationum priores duæ uti novum aliquid videntur inducere, ità si ultima admittatur, nihil ea stupendi habeat. Sed eam interpretationem corporis moles, quæ spectanda per oras multarum passim regionum multorumque obtutibus tum fuit exposita, videtur tollere; tum & verba, quæ sequuntur, Flori, quibus memoratur à Romanis mox comprehensus Teuthobocus inque triumpho exhibitus eâ proceritate fuisse, ut *super ipsa tropæa emineret.* Quæ sane insignem, & ultra fere fidem, corporis magnitudinem videntur innuere, cum torphęa eximię fuerint eminentię, & quæ in montium subinde jugis posita, quo ob omnibus hoc pacto conspici facilius possent. Fuerit igitur stupendæ molis Teuthobochus, sed an omnes & passim hac cæli plagâ eâ altitudine mortales tum exstiterint, id quæri possit, pręsertim cum ipsa vox *Cimbri* à pluribus ità accipiatur, & Danico hodieq; idiomate *Kimber* sive *Kempe* & *Kemper*, non *bellatorem* tantum sed proprie *gigantem* notet. Hic vt respondeatur, non abeundum longè, sed repetenda obiter ea, quæ disputata superius pag. 14. & 15. occasione verborum Saxonis Grammatici. Vbi demonstratum, sive sacram, sive prophanam respiciamus historiam, haud quaquam inficiandum giganteâ mole extitisse olim homines: Et hodie quoq; posse existere, ac demonstrari id indies, sive lusum naturæ videamus in nanis ac pumilionibus, sive ejusdem luxuriem in alijs, quos videmus, plane heroicâ, quod dicitur, & ultra communem sortem proceritate excellere. Saxo ut plurimum hoc decus ac robur corporum regibus, aut qui à regibus proximi erant, adscribit. Et alias passim Romani scriptores nonne in Gallis illis antiquissimis, & præcipue Germanis ac boreæ populo, hanc staturæ prærogativā agnoscunt, vt meminimus? Quin & de alijs quoq; gentibus similia, quamvis parcius, authoribus memorata habemus: Sacram historiam prætereo, quæ Samsonem, Goliathum, Samuelem, Absolonem, aliosque huc spectantes permultos suppeditet; prophanam solam videamus. In eâ, præter ceteros, Virgilij Turnus occurrit, qui manu elevatum saxum, cujusmodi vix alij duodecim movissent, in hostem proiecisse memoratur: inquit enim poeta 12. Æneidos:

Saxum antiquum, ingens, campo qui forte jacebat
Limes agro positus, litem vt discerneret arvis,
Vix illud lecti bis sex cervice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus,
Ille manu raptum trepida torquebat in hostem
Altior insurgens, & cursu concitus heros.

Et refert in vitâ Sertorij Plutarchus, eum, cum in urbe Tingetanâ ab incolis accepisset haberi ibi Antęi sepulchrū, id confestim recludi jussisse, inq; eo, quod semper fabulosum existimaverat, humanā molē deprehendisse vlnarū triginta: Et Plinius alium 42. cubitorū repertum in insulâ Cretâ tradit intra montē, qui erat à terræ motu subversus, addens nonnullos Orionis, alios alius existimasse cadaver. Nec aliud fere est quod à Philostrato refertur, cranium cujusdam effossum, quod 72. vini amphoras ceperit. Et, ne nimium antiqua aut fabulis poetarum similia quis existimet, scriptum reliquit fidei probatæ author

Zonaras, imperante Iustino, fœminam in Sicilia ſpectatam,quæ viros etiam proceros ulnæ longitudine excederet. Et ante Iuſtini tempora Imperatorem Maximinum, natione Thracem,cujus pater è Gothis,mater ex Alanis erat genita, eo fuiſſe corporis robore eâquè magnitudine Capitolinus ſcribit,ut inter luctandum quinos,ſenos ac ſeptenos ad terram proſterneret; pollice autem tam vaſto (ſunt ejuſdem Capitolini verba) *ut uxoris dextrocherio*,ſive *armillâ brachiali,uteretur pro annulo,hamaxas manibus attraheret,rhedam onuſtam ſolus moveret; equo ſi pugnum dediſſet,dentes ſolveret,ſi calcem crura frangeret; lapides tophaceos friaret, arbores teneriores finderet; Alij eum Crotoniatem Milonem,alij Herculem, Antæum alij vocabant.* Hæc Capitolinus. Quibus ſi addamus, quod ex Auguſtino nonnulli adducunt, eum in littore Uticę dentem effoſſum ſpectaſſe, qui unus centuplo noſtrates excellerit, nihil tam magnificum de ſuis adferat gigantibus Saxo,quod iſtis non minus ſit. Nam de dente Stercotheri,quod modò retulimus,eum duodecim pollicū craſsitudine fuiſſe,ad Auguſtini relata parum eſt. uti ad id quoque,quod à Ludovico Vive memoratum accipio, eum in æde cathedrali ſuæ civitatis molarem vidiſſe dentem pugni craſsitudine. Et iterum Auguſtinus lib. xv. cap. xxiii. de Civit. Dei, diſputans & demonſtrans etiam ſuo & omnibus temporibus nata ac naſci hominum corpora communem modum excedentia,hiſtoriolam hoc affirmantem adducit,quam ipſius verbis ponam: *Paucos*,inquit, *ante annos cum Romanæ urbis,quod à Gothis factum eſt, appropinquaret excidium, Romæ fuit fœmina cum patre ſuo & matre, quæ corpore quodammodo giganteo longe ceteris præemineret. ad quam viſendam mirabilis fiebat uſquequaq; concurſus. Et hoc erat maxime admiratione,quod ambo parentes ejus,nec ſaltem tam longi homines erant, quàm longiſſimos videre conſuevimus.*

Ut ergo ad propiora & noſtra quoque ſecula veniamus, referunt authores circa annum Chriſti 1338.Magno,Erici filio,Norvagiæ rege,gigantē 15. cubitorū à viris quatuor victū atq; è vivis ſublatum. Quo eodem propemodum ſeculo alium producunt Hollandiæ annales,non marem ſed fœminam,à Wilhelmo Hannonię Comite miſſam ad nuptiarum ſolennia Caroli Pulchri Franciæ regis, inuſitatâ corporis mole, natione Selandam, præ quâ proceri etiam homines nani videbantur: Quæque tanto inſuper virium robore polleret, ut bina dolia cereali potu referta ambabus utrimque manibus portaret,trabemque,cui attollendæ incapaces octo viri fuerant,quo vellet,transferret. Memoratur & Iohannes Arculeæ dominus, ſed ante ſuperiorem utrumque, anno nimirum MCCLXXII. tantis fuiſſe corporis viribus,ut equum ſolo attolleret parietique adverſo impingeret. Unde & gigantis cognomen, accedente corporis haud uſitatâ magnitudine, tulerit. Teſtatur & Iulius Scaliger vidiſſe ſe Mediolani in noſocomio decumbentem, qui duas ſpondas lectorum junctas expleret.

Quæ aliaque apud authores obvia exempla ſatis demonſtrare puto,ſententiamque Auguſtini firmare,aſſerentis nullo non ſeculo extitiſſe giganteâ ſtaturâ homines; Et olim tamen, ac ſeculis illis antiquiſſimis crebrius hoc contigiſſe quàm ſequentibus atque iſto noſtro. Nam & vates ille Homerus ante annos mille quingentos, & quod excurrit, non ceſſavit minora corpora mortalium, quàm priſca, conqueri; & idem quoque Plinium feciſſe conſtat, qui & obſervari inquit, cuncto mortalium generi minorem in dies menſuram fieri. Unde & Iuvenalis: *Terra malos homines nunc educat atque puſillos.* Interim gentem aliam aliâ,quod ad corporum modum, auguſtiorem inveniri, & præcipuè boreæ populo, &,ut ſupra oſtenſum,Germaniæ genti hanc fuiſſe prærogativam certum habeo.

Nec ſequi tamen eorum ſententiam poſſum,qui origines ſuas fabulis involventes gentis ſuæ conditores gigantes ſtatuunt. Quorum in numero,præter ceteros, Hollandiæ annales reperio. Et nuper virum aliàs doctiſſimum in eam abijſſe opinionem vidi, ut primos Arctoi orbis incolas fuiſſe meros gigantes, eoſque ex reliquijs Cananæorum profectos,tribus præcipue argumentis ſuffultus aſſeruerit. Horum primum ex Saxone Grammatico illi petitum: quod is in præfatione ſui operis memoret, Danicam regionem giganteo quondam cultu exercitam,idque, præter alia, eximiæ magnitudinis ſaxa veterum buſtis ac ſpecubus affixa, tum & ingentes cautes montium verticibus impoſitas,teſtari: Deinde ex Procopij lib. 4. de bello Vandalico demonſtrare nititur Europam ſuos incolas accepiſſe primò à Cananæis gigantibus, ſcribereque Genebrardum Chronologiæ ſuæ libro primo: *Ioſua Cananæos partim depulit, partim interfecit. Horum reliquiæ traduntur migraſſe in Germaniam, Slavoniam & regiones vicinas.* Atque ultimo argumenti loco aſſumit, quod provincia quædam Norvagiæ ſeu Finnemarchię contermina, Riſaland/id eſt *gigantum terra*,antiquitus dicta ſit; à quâ nec longe abſit Jötum haimar/id eſt,*gigantum habitatio*, & inde etiam-

etiamnum Jät/*gigantem* notare, viderique nec aliunde *Iutlandiam*, quæ olim *Cimbrica Cherſonesus*, appellatam: quod nimirum à Cimbers ſive Kempers/ quod *pugilem* ſive *gigantem* ſignificet, *Cimbri*; ac poſtea ijdem, vocabulo *Iæti* idem notante, & terra denique *Iutlandia* ſit nominata.

Quam eorum ſententiam, quo minus amplectar, facit ipſe primum Saxo, qui licet in Daniâ gigantes olim exſtitiſſe agnoſcat, non tamen eo genere fuiſſe in univerſum omnes vult. Imo contrarium demonſtrare eum oſtendimus jam ante pagg. 14. & 15. Et ſunt ipſius Saxonis verba diſerta libro primo haud longe à principio, docentis præter triplex, quod ibi ponit, fatidicorum genus, quorum unum tantum gigantibus tribuit, & reges & vulgus præterea hominum fuiſſe, atque eos omnes à gigantibus diverſos habitos, nec corporum mole aut alijs rebus illis pares fuiſſe. Deinde quod dicitur Cananæorum gigantum poſteritatem in Europam ultimumq; boream & præſertim, ut habet Genebrardus, in Germaniam Slavoniamque ſe effudiſſe, id conjecturâ ſolum, nullo autem idoneo aut claſſico teſtimonio demonſtrari poteſt: & eodem, quo aſſeritur modo, negare viciſſim in promptu eſt. Quin & abſoni hoc habeat, ut ijdem Cananæi, alij apud Danos; alij viciſſim apud alios Europæ gentes fuerint. Nam ſi in Daniâ ſui ſimiles, gigantes omnes protulerint, cur non & idem in Germaniâ & alibi effecêre? Nam licet magna, ut plurimum, Germanorum fuiſſe corpora authores vetuſti tradant, cujuſmodi & hodie ſunt, ſi cum alijs & auſtralioribus præſertim comparentur, nihil tamen giganteum aut cyclopicum referunt. Iutlandiam autem à *Iætis*, id eſt *gigantibus* deducendam quamvis veriſimile ſit ex vocis, quæ adducitur, ratione & etymo, tamen cum eam, quantum memini, parum uſitatam ipſi Daniæ exiſtimem, ampliandam hîc ſententiam ſtatui, & maximè cum & illud conſtet, eam terram antiquitus Cimbricam cherſoneſum appellatam, & gentem ipſam Romanis cognitam ac celebratã, nec tamen gigantũ nomine. Fuiſſe interim pleroſq;, ut & vicinos Germaniæ populos, eximię & ſupra commune͂ Italorum modum ſtaturæ ac roboris; & quoſdam etiam, cujuſmodi deſcriptum veteribus Teuthobocum agnoſcimus, plane inuſitatâ ſpecie ac magnitudine vero conſentaneum habeam. Poſtremò nec omittendum Genebrardum, ut erat Germanię genti, odio, ut videtur, religionis, minus æquus, hanc illic traducem velut opprobrium impegiſſe, quod genus ſcilicet ſuaque primordia à gigantibus acceperit: cum verius multoque ſanius illi, qui eſſe boreales omneſque Europeos Iapeti proſapiam ſtatuant, de quo pluribus initio libri, qui hiſtoriam præcedit, tum & alibi egiſſe nos alioſque memini. Ut omittam, proceritatis in gentibus borealibus cauſam non ad traducem aliquam populorum, ſed ad ipſum cœlum à phyſicis referri. Nam ſicuti ad auſtrum ardore, ut plurimum, ſiccantur arctanturque corpora, ità boreales humore non tantum, ſed & calore interno, quo auſtrales carent, abundantes, veluti aluntur atque extenduntur. Quamvis & alij alios ſuperent. Et illi præterea qui polum quàm proximè accedunt, ut Gronlandij extremæque Norvagiæ & illarum inſularum populi lurore plerumque deformes ſtaturâque exili ſunt, utpote, qui non minus rigore nimio, quàm illi ad auſtrum nimio aduruntur ardore. Unde recte Hippocrates libro de aere, locis & aquis agens, ad ſeptentrionem homines pallore ac macie deformes pronunciavit; intelligens ſcilicet hos extremi boreæ, non eos verò, qui vicinam Scandinaviam Germaniamque colunt, quos authores fere omnes, ut dictum, proceros, robuſtos, venuſtos candidoſque affirmant.

RERUM



RERVM DANICARVM HISTORIÆ LIBER II.



ANICÆ gentis hiſtoriam ſcripturus ex re fore exiſtimavi, quò omnia in aperto eſſent, poſt chorographicam regni regionumque delineationem, Cimbrorum primò expeditionem, utpote in illuſtri poſitam, & quæ gentis potentiam, ac, tot ante Criſtum in terris natum annis, formidabilem ejus Romano populo militiam ſummopere oſtendat, quàm potuit breviſſimè, ex claſſicis, & ijs præcipue ſcriptoribus, quorum ſumma eſt apud omnes doctos authoritas, cunctis ob oculos enarratam propoſuiſſe: Atq; inde ad teſtes domeſticos converſus, quid ijdem, exorſi à *Dano*, Regum primo (qui tribus & ultra ante Chriſtum ſeculis fuerit) aduſque *Gotricum* ſive *Godefridum*, qui ſub Carolo Magno claruit, poſterorum memoriæ tradiderint, veluti in tabellâ ex adverſo ſpectandum exhibuiſſe. Ijſque ordine expoſitis, nunc ad reliqua progrediendo, preter cetera, demonſtrabimus quam cœperant ijdem atq; animo agitarant Romani imperij vaſtationem, tandem ad finem & colophonem à poſteris eorum mirabiliter perductam. Nec illud modò, ſed nova ab ipſis regna novoſque principatus, inductis prioribus, extra proprij regni pomeria conſtitutos. Nam, antiquato *Cimbrorum* vocabulo, protulit mox idem hic tractus *Rugos* ſuos, *Gothos*, *Vandalos*, qui & Romam & imperium in totum peſſundedêre. Atq; illis viciſsim aut obſoletis aut langueſcentibus, emerſêre ex eâdem continuò gentium officinâ *Angli*, *Vitæ*, *Saxones*; qui tranſgreſſi in Britanniam, obliterato vetuſto gentis vocabulo, potiſſimam inſulæ partem & nominis & poteſtatis ſuæ fecerunt, *Angliam* appellantes. Hinc ijdē, eandem peragentes fabulam, Francorum annalibus ſub *Normannorum* aut *Danorum* nominibus cogniti, *Normanniæ Ducatum*, invitis licet & reluctantibus diu Francorum regibus, condidere, ut alia in tempore & loco memoranda nunc mittam. Annales domeſtici, qui ſilentio hæc omnia prætereunt, adducunt neſcio quid de Longobardis, ſub rege Snione, qui, ut ſupra patuit ordine eſt XLVIII. quaſi illi, eo imperitante, anno nimirum Chriſti quingenteſimo; vel, ut Crantzius vult, circa quadringenteſimum Boreali hac plaga egreſſi, Longobardorum & nomen & imperium in Italiâ conſtituerint. Sed quàm hæc à rei veritate diſcrepent, haud ignorent illi, qui præter Proſperum aliquem aut Diaconum, authores anteriores Strabonem nimirum, Paterculum, Tacitum ac Ptolemæum in conſilium haud oſcitanter adhibuêre. Nam licet medij illi ævi ſcriptores, ut Diaconus alijque, Longobardos prius Vinilos dictos è Scandinaviâ

dinaviâ ſub Theodoſij tempora in Germaniam profectos ibi Longobardorum nomen *Poſt natum Chriſtum.*
ſortitos memorent, certum tamen eſt longè ante ævum Theodoſij in intimâ Germaniâ,
nec alibi quàm in Germaniâ, conſtitiſſe. Quod ut Ptolemæus, Tacitus & Paterculus, de
quibus diximus, ſatis evincant, ità præcipue Strabo aperit, qui ineunte imperium Octa-
viano Auguſto florens haud alias ipſis quàm juxta Hermunduros & Semnones, Germaniæ
prope Albim populos, ſedes adſcripſit. Adeò ut perſpicuè hinc liquere poſſit & Proſpe-
rum & Paulum Diaconum, quem ſecutum ſe hîc, quod ad Longobardos attinet, etiam Sa-
xo fatetur, falſitatis argui. quamvis interea boreæ eſſe populum Vinulos & inde in Ger-
maniam, ſed ſeculis aliquot prius, progreſſos mutatoque vocabulo Longobardos appella-
tos haud valde inficiandum putem; præſertim quia & vetuſtiſsimi gentis Gothicæ
vernaculi rhythmi, de quibus aliàs injecimus, idem haud obſcure adſtipulari, & multò,
quàm hactenus proditum, enarrare hoc ipſum rectius, uti oſtenſum jam ante, reperiam.
Quod ergo inſtituimus nunc perſequemur, & quidem de *Vandalis, Gothis*, & *Rugis*, utpote
tempore primis primo loco, ſed breviter dicentes, ad reliqua, puta *Anglorum* & *Iutarum*
res, indeque ad *Normannorum Danorumque* &, qui in Regum catalogo ſuperius poſito eſt
ultimus, *Gotrici* nimirum expeditiones, & ſi quæ deinceps ordine ſequentur, ſtilum
vertemus.

Gothi poſtquam è Scandia viciniſque inſulis, primis & patrijs ſuis, de quibus ſuo ſupra
loco eſt actum, ſedibus eſſent egreſsi, diu in Scythiâ Europæâ perque Sarmatiam utram-
que, poſt tempora ſtatim Aurelij Antonini, circa annum Chriſti milleſimum nonageſi- CXC.
mum, longe lateque vagati, tandem circa Iſtrum boream verſus conſedère, diviſi in *Oſtro-
gothos* & *Weſtrogothos*, ſeu, ut vulgo ſcribunt, *Wiſegothos*. Egiſſeque de illis imprimis tri-
umphum Imperatorem Aurelianum memorat Vopiſcus, addens CURRUM, quo inve- CCLXX.
ctus eſt Capitolium, REGIS GOTHORUM fuiſſe, quatuor cervis junctum. Cumq;
frequenter exinde populandi cauſa, Iſtro tranſmiſſo, in Mæſiam & Thraciam Romanas
provincias excurrerent, repulſi aliquoties cum ab alijs, tum etiam à Diocletiano & Con-
ſtantino Auguſtis. Poſtremò fugati ab Hunnis, relicto *Athanarico* rege, Alvino & Fritiger- *Athanaricus Rex.*
no ducibus Danubium tranſierunt, præmiſsis Antiochiam ad Valentem Imp. legatis, qui,
ut ſeſe reciperet, orarent; fidele in omnibus bellis auxilium pollicentes: ijſque cognitis CCLXXX.
Valens, magnum ſe accepturum beneficium duxit, ſi tantus ac tam bellicoſus populus
Danubium tranſiſſet, ſtipendiaq; pro ſe meruiſſet. Acceptaq; conditione, miſit qui fæ-
dus componerent, atq; ipſos cis Iſtrum traducerent. Sunt qui tradunt, promiſiſſe etiam CCCXXVIII.
Gothos Chriſtiana ſe ſacra Valentis arbitrio ſuſcepturos. Qui cum Arianis deditus hæ-
reret, factum ut Gothi eâdem doctrinâ imbuti Arianiſmum perpetuo exinde propugna-
rint. Sed, orto haud multò poſt inter Romanos & Gothos diſsidio, ad arma viciſsim i-
tum eſt. Et tandem in Thraciâ Valentem ipſum ſemel atq; iterum bello aggreſsi pere-
merunt. Victi deinde à Theodoſio auguſto, ſed ab ipſo demum poſt varios conflictus in CCCLXX.
amicitiam & leges Romanorum recepti, nec civitate tantum, & honoribus militaribus,
ſed agri etiam Romani parte donati ſunt: Hinc ſub Honorio & Arcadio, inſtigante, ut
nonnulli volunt, Stilicone, eoſdem unà cum Alanis & Hunnis, ex inferiori Pannoniâ in
ſuperiorem deduxit, ex nobili Balthorum oriundus familia, Rex *Alaricus* ad alpes uſq; No- *Alaricus Rex.*
ricas; Quibus ſuperatis, Noricum ipſum, fruſtra obnitente Ætio, irrupit, deſcendens inde
per ſaltum Tridentinum in agrum Venetiæ. Oppoſuit ſe ei Stilico, qui, detectâ Ruffini
proditione, Germanos in ſocietatem belli pretio emptos aſſumſit. Hoc enim intelligit
Claudianus ſub Francorum, Alemannorum & Sicambrorum nomine, cum inquit:

Ante ducem noſtrum flavam ſparſère Sicambri
Cæſarjem, pavidoq; orantes murmure Franci
Procubuêre ſolo. Iuratur Honorius abſens
Imploratq; tuum ſupplex Alemannia nomen.

Sed vario eventu cum ipſis congreſſus Stilico, tandem etiam poſt Pollentinum prælium CCCCL.
licet victor, pacem cum Alarico pepigit. Secutus hinc *Rodagiſus* omnium, ut inquit Oro-
ſius, antiquorum præſentiumq; hoſtium longe immaniſsimus collectâ magnâ manu Ita-
liam invadit. Ducenta millia in exercitu ipſius P. Diaconus, Zoſimus quadringenta fuiſ-
ſe tradit. Progreſſus in Hetruriam, arcta obſidione Florentiam circumdedit. Stilico
præter Italos, firmam Alanorum ac Hunnorum manum mercede conductam habebat,
intel-

Poſt natum Chriſtum. intellectoque Radagiſum Florentiæ obſidione implicatum,ac montibus undique ſeptum
in ſaltibus Apennini teneri, neque copiam habere aciei explicandæ atque dilatandi ad
pugnam exercitus,continuo cum ſuis eodem advolavit, ac ſtatim tantâ felicitate dimica-
vit,ut,ſalvis omnibus ſuis,hoſtium amplius centum millia ſtraverit. Radagiſus,hac clade
acceptâ,pavidus ſeſe cum reliquijs exercitus in collem Feſulanum recepit,ibique partim
fame ac peſte extincti,partim armis ſuperati ſunt. Ipſe Radagiſus cum in manus militum
Stiliconis incidiſſet, haud multo poſt cum filijs obtruncatus eſt. Eodem pæne tempore
Gadegiſilus Vandalorum rex ſive Stiliconis, qui & ipſe Vandalorum erat genere editus
CCCCVI. hortatu; ſive exemplo Radagiſi provocatus, non Italiam, ut Gothi, ſed Galliam ſibi in-
vadendam propoſuit, ratus haudquaquam eandem in provincijs fortunam fore, atque in
Italia ducente Alarico, fuiſſet. Itaq; cum Vandalis & Alanis è Scythiâ egreſſus aſſumptis
etiam Quadis, trajectoque Danubio in Germaniam ſe effudit. Quam dum peragrat, po-
pulos ejus ſive ſpe prædæ illectos, ſive metu direptionis perculſos ſecum adduxit Marco-
mannos,Herulos,Suevos,Alemannos, Saxones. Cumque his citato agmine ad Rhenum
progreſſus, fruſtra ſeſe opponentibus Francis, amnem tranſmiſit pridie Kalend. Ianuar.
CCCCVII. Honorio VII. Theodoſio iterum Coss. Effuſi hoc modo in Germaniam primam, Belgi-
camque ſecundam,latè omnia vaſtare inſtituunt. Maguntiacum,multis mortalibus in ec-
cleſia trucidatis,everſum eſt. Vangiones diu obſeſſi in deditionem adducti. Rheni,Am-
biani,Attrebates,Morini,Tornacum,Nemetes,Argentoratumque direpta, inde in Aqui-
taniam progreſſi ipſam unà cum Novempopulania Lugdunenſi & Narbonenſi provin-
cia, attriverunt, Hiſpaniam quoque protinus invaſuri. Interim Alaricus ubi diu tempus
CCCCVIII. irruptionis in Illyricum,quæ oſtentata fuerat,expectaverat, literis Honorij ab eâ expedi-
tione deterritus, ex Epiro in Pannoniam & Noricum cum ingenti Gothorum multitudi-
ne redijt. Atq; inde legatos Ravennam ad Stiliconem miſit pecuniam poſcens pro morâ,
quam ejus rogatu in Epiro traxiſſet, additis minis, nî daret,ſe in Italiam deſcenſurum ac
damna ſua agris depopulandis reſarciturum. Habito ſenatu ac ceteris bellum ſuadentibus
pacem ac pecuniam decrevit Stilico. Poſtea extincto Stilicone, denuò procinctum in
Italiam movit,aſſumpto ſibi Ataulfo conjugis ſuæ fratre, qui Gothorum Hunnorumque
CCCCIX. haud deſpiciendas copias haberet. Deinde cum is lentius videretur agere, eo non expe-
ctato,iter ingreſſus Alpiumque Noricarum refractis clauſtris irrumpens, Aquileia, Con-
cordia, Altino Patavioq; à leva dimiſſis, occurrente nemine ad Padum amnem pervenit.
Quo trajecto caſtellum Bononiæ accedens Occubariam nomine, ut Zoſimus habet,
Ravennamque profectus ad pontem Candidianum haud longè ab urbe conſedit: Ac ſta-
tim miſſo ad Honorium legato pacem ſedeſque ſibi ac ſuis in Italia poſtulavit, promptum
fidei ac operæ militaris obſequium offerens,ſi ejus ſibi uti beneficio licuiſſet. Honorius
quanquam ſe inferioribus eſſe viribus ſentiebat,quàm ut æquo cum eo poſſet marte con-
fligere,tamen Ravennę urbis munitione & orientalium copiarum,quas vivente Stilicone
acciverat,expectatione, ceteriſque Italiæ atque inprimis urbis Romanæ præſidijs confi-
ſus, reſpondit, nihil ſe eorum quæ poſtulabat, dare poſſe, ipſumque ut prioris meminiſſe
expeditionis vellet,& quem ea exitum apud Pollentiam habuiſſet, commonere. Quo re-
ſponſo incenſus Alaricus ſubito motis caſtris, Arminium atque in Picenum èque Piceno
in Umbriam tranſijt, obvia omnia depopulans ſeque itare Romam oſtendens, quo vel eo
terrore Honorium ad aliquā pactorum æquitatem adduceret. Cum autem ne ità quidem
cederet Honorius,Narniæ obſidione,quam in ſpeciem inſtituerat,relictâ,Romam perre-
xit,eamq; undiquaq; circumfuſo exercitu arctiſſimè obſedit, ſed mox pactione initâ do-
niſque acceptis obſidionem remiſit. Quâ re auditâ beatus Hieronymus hoc ſcriptum re-
liquit: *Quis hoc credet, Romam in gremio ſuo non pro gloria, ſed pro ſalute pugnare, imò ne pugnare
quidem,ſed auro & cuncta ſupellectile vitam redimere?* Hinc,Honorio non nolente Iovius præfe-
ctus prætorij cū Alarico de fœdere agere inſtituit: Poſtulavitq; Alaricus ut in annos ſin-
gulos certa pecuniæ atq; annonæ ſumma ſibi irrogaretur, & ſuis ad habitandum Venetia,
Noricum & Dalmatia traderetur. Quæ poſtulata ad Honorium tranſmittens Iovius ſepa-
ratim eum per literas adhortabatur, ut Alaricum militiæ magiſtrum conſtitueret, quo ille
hoc honore delinitus aliquid de conditionum aſperitate remitteret, & pacem legibus æ-
quioribus faceret. Honorius,ijs acceptis,vehementer temeritate Iovij damnatâ, reſpon-
dit auri & annonæ modum ſtatuere eum pro magiſtratu poſſe,utpote qui præfectus præ-
torio eſſet,illud verò nunquam à ſe impetraturum,ut dignitatem aut præfecturam Alari-
co aut genti ejus impertiat. Quæ epiſtola à Iovio, audiente Alarico,temere recitata de
novo

de novo novi odij & irarum causa fuit. Nam cum cætera moderatè tulisset, sibi gentique suæ negatam præfecturam iniquo adeò animo accepit, ut ex tempore militem suum Romam versus iter expedire ad ulciscendam injuriam imperarit. Iovius verò ejus colloquij exitu perturbatus Ravennam rediens, ut se omni suspicione criminis liberaret, Honorium sacramento adegit ne unquam cum Alarico pacem iniret, idemq; à ceteris omnibus, qui cum potestate erant, exigens. Quibus intellectis Alaricus Romanæ tandem expeditionis pœnitentià ductus episcopos ad eum legavit, hortatum ne sua culpa eam urbē, quæ mille annorū spacio terrarum orbi cum imperio jura præscripsisset, vastari ac diripi, totq; operū magnificas moles hostili flammæ exurendas permitteret, sed æquis conditionibus pace compositâ, sibi potius ac urbi omnium præstantissimæ parceret. Neq; enim se præfecturæ honorem cupere, neq; Venetiā ad constituendas sedes amplius exigere, sed certâ pecuniȩ summâ ac Noricis contentū fore sicq; armatum adversus omnes ejus hostes excubaturū. Ceteris Alarici consilium ac sedatum animum admirantibus, Iovius & alij regiȩ potentiȩ participes, hæc confici posse negarunt, quod omnes magistratus jurejurando obstricti tenerentur, se cum eo pacē nullam inituros. Alaricus postquam suas respui conditiones animadvertit, universum exercitū Romam ire præcepit, eo animo ut in urbis & civium obsidione constanter permaneret, donec aut fame aut armis adacti imperata facturos se pollicerentur. Ubi Romam pervenit, primoribus urbis evocatis, Honorij iniquitatem exposuit, simulq; se urbem per vim expugnaturum, nisi ipsi conjunctis secum viribus arma adversus eū expedirent. Illis verò cunctantibus, iterū armatorum coronâ circumdans mœnia ad portū præmittit qui eum diebus aliquot dum oppugnat, capiant. Ibiq; cum rei frumentariæ copiosam vim congestā reperisset, eam se in exercitus sui commoda consumpturū, nisi primo quoq; tempore se dicto audientes exhibuissent, ostendit. Quibus de rebus senatus consilio habito, quod nullū superesse perfugiū, subductâ annona, intelligerent, se demum Alarici potestati permittunt receptisq; ejus legatis ipsum ad urbē evocârunt, concessâ vicissim ad ipsius petitionem Placidia, Honorij sorore tanquā obside. Quo facto, Roma dedita & Attalus quidam, volente Alarico, Augustalibus insignijs exornatur. Qui haud multò post Ravennam ad obsidendum Honorium properavit. Sed Alaricus cum Honorio pace pactâ obsidionē eam irritā reddidit. Pax verò fœdusq; hisce conditionibus percussū, ut nimirum Alaricus socius Honorij esset atq; in Gallia sedes sibi suisq; collocaret, ibiq; bellum cum hostibus Honorij faceret. Inde verò exortus inopinato quidā militiæ præfectus Sarus nomine, qui nec Honorio nec Alarico favens eam pacē & pacta omnia turbavit. Unde factum ut clanculum ac derepente Romam redierit Alaricus & ipsis Kal. Apr. toto cum exercitu urbem ingressus sit. *Quis cladem illius noctis, quis funera fando explicet?* Nam urbe potitus publice per præconem edixit, ut pro se quisq; bona fortunasq; civiū raperet, verum à cæde hominum & ecclesiarū direptione temperarent. Romani inopinatâ hostiū irruptione perculsi & tenebris noctis exterriti neq; ad resistendum neq; ad fugiendum satis animi aut consilij habuerunt. Unde Hieronymus ad Demetriadem: Ad stridulæ buccinæ sonum Gothorumq; clamorem lugubri oppressa metu domina orbis Roma contremuit. ubi tunc nobilitatis ordo? ubi certi ac distincti familiarum gradus? permixta omnia & timore confusa omni domui planctus & æqualis fuit per cunctos favor, unū erat servus & nobilis, eadem omnibus imago mortis, nisi quod eam timebant illi, quibus fuerat vita jucundior. Alaricus victor Attalum, quem secum habebat, iterum primo die tanquam Imperatorem Augustalibus insignijs decoratum incedere jussit; altero verò ijsdem privatum contumeliæ causa populo ostendit; tertio deniq; præda & manubijs opulentissimis onustus urbe cum exercitu facessijt, secum Placidiam ducens, quam honestissime habuit. Urbe spoliatâ ac direptâ, animum ad ulteriorem populandam Italiam contulit. Itaq; Latium, Campaniam, Apulliam, Lucaniam & Calabriam ità cum exercitu universo peragravit, ut locum nullum intactum à vexatione relinqueret. Hinc Siciliam petens, adversa tempestate rejectus, naufragioque conflictatus, retulit se in Calabriam. Ibi Consentiam validam urbem imperata facere detrectantem nactus, admoto exercitu & operibus circumdedit, ac demum expugnatam similiter diripuit. Dumq; ibidem moram trahit de rerum gerendarum ratione ulterius consulturus, ecce morbo repentino oppressus atq; in summo blandientis fortunæ articulo, horæ momento extinguitur. Mox comitijs sufficiendo regi habitis, omnium suffragijs *Ataulfus* uxoris Alarici frater ad idem fastigium evehitur. Is regijs insignibus exornatus primum omnium uxorem sibi despondet Placidiam, Honorij Augusti sororem, mulierem formâ, moribus prudentiaque conspicuam.

Post natum Christum.

CCCCX.

Ataulphus Rex.

HONORIUS IMP.

Post natum Christum. Tum, versis signis, è Calabria Romam redire contendit, eo animo ut eam vix à clade pristina resurgentem rursus invaderet, neque Alarici exemplo direptam relinqueret, sed occupatam sibi adsciſceret ac pro *Roma* GOTHIAM appellaret, dira quadam libidine delendi Romani nominis inflammatus. Verum precibus & voluntate Placidiæ id ipsum aversantis, ac prope tanquam ominosum aliquid deteſtantis revocatus, cui omnia quæ poſtulabat summo animi ſtudio indulgebat, ſtatim eo consilio deſtitit: ac proximo Alarici fædere
CCCCXII. ſtare, id eſt, Italia relicta, Galliam adire conſtituit. Anno exinde quadringentesimo duodecimo, Honorio nonum & Theodoſio quintum conſulibus, Ataulfus tandem cum omni Gothorum exercitu Italia ceſsit atque in Galliam ſedem Narbone atque in proxima regione ſibi ac Gothis ex fœdere collocavit. Quo facto, Honorius Romam repetijt ac lætus tanquam exonerata aliquando incumbentium Gothorum mole Italia ſecunda vice nalia magnifico ludorum apparatu edidit, populo Romano poſt diuturnas tenebras lucem ſe tandem aliquando ocij ac libertatis aſpicere gratulante. Quæ dum aguntur, Vandali unà cum Suevis Hiſpaniæ Callæciam ſibi ſubjugarant, Alanis Luſitania, Turcilingis Bætica
CCCCXIV. permiſſa. Ataulfus Gothorũ exinde Rex diſcordiæ ſemina cũ Honorio quærens, Attalũ, quem ſecum ex Italia duxerat, ad reſumenda Auguſtalia inſignia incitavit. Qua re ille pro inſita ingenij levitate perfectâ, haud contemnendam hominum manum rebus novis ſtudentium comparavit, ſeque adverſus Honorium, de integro Imperatorem gerens, inferre haud dubitavit. Quod ut audijt Honorius, Ataulffum ictum fœdus violaſſe interpretatus bello eum perſequendum, ut hoſtium ſuorum fautorem, decrevit, Comite Conſtantio, quem tum unicum rerum ſuarum præſidium habebat, in Galliam deſtinato. Honorio mox
CCCCXV. decimum, & Theodoſio ſextum conſulibus, Conſtantius Arelate progreſſus, ut bellum Ataulffo Gothiſque faceret, caſtra ad oppidum Narbonem admovit, ſeq; urbem obſidione preſſurum, niſi ſibi Attalus dederetur, oſtendit. Hanc vim ne Ataulffus ſuſtineret de Africa invadenda cogitavit; ſed cum naves, ut in re ſubitâ, deeſſent, Hiſpaniam citeriorem, quæ ab Honorio adhuc tenebatur, occupavit, atque Attalo incolumitatis cauſâ ſecum adducto, in Tarraconenſi provincia oppidum Barcinonis ſuâ in poteſtatem redegit. Ibiq; Attalus à Gothis neglectus per dolum demum à quibuſdam interceptus, & ad Conſtantium deductus eſt. Quem ut ille vidit, gaudio elatus ad Honorium demiſit, à quo deinde in vincula conjectus triumphoque ſervatus eſt. Vandali verò poſtquam in Hiſpaniam tranſiſſe Gothos cognovêre, adverſarios ſibi fore haud dubitantes omni ope ne ibi eſſent, armis inferendis enixi ſunt. Ac ſtatim ad Honorium legatione miſsâ, ſibi pro Romanis bellum depoſcunt. Verba inter cetera legationis fuêre: *Tu cum omnibus pacem habe, ab omnibus pacem accipe, nos nobis confligimus, nobis perimus, tibi vincimus.* Placidia autem, quæ jam ab initio iniquo admodum ferebat animo Ataulfum maritum cum Honorio fratre bellum reſumſiſſe, cum ſæpius de concordia & Attalo dedendo cum eo egiſſet & jam eſſe in poteſtate Honorij Attalum intelligeret, ſummis iterum precibus ab Ataulffo contendit ut pacem cum fratre redintegraret, quo cum, non fœdere modò, ſed & affinitate conjunctus teneretur. Neque id uxori tam juſta roganti homo inprimis uxorius denegavit. Gothi verò quibus bellum pace erat potius, ex quo ad mitiora conſilia propendere Ataulffum viderunt pacemque probare, quam non ſolum rebus ſuis inutilem ſed etiam nomini deformem exiſtimarent, ipſum Barcinone per fraudem interemerunt, Sigerico rege, quod filios non haberet, ei ſubſtituto. Cui ſimiliter quod ad pacem inclinaret, extincto, Valliam ſuffe-
CCCCXVI. cerunt. Hic verò Ataulffi conſilio de trajectione in Africam comprobato, armis navigijſque inſtructis ad fretum Gaditanum perrexit, ut brevi illo ſpacio maris tranſmiſſo, Mauritaniam oppoſitam obtineret, ac navibus conſcenſis curſum eò inſtituit. Verum ſævâ deſubito exorta tempeſtate, ac fædo contracto naufragio repulſus inceptum, tanquàm ominoſum, omiſit, adverſa quoque Alarici in Siciliam tranſmiſſione deterritus. Itaque Conſtantio Comiti exercitum in Hiſpaniam adverſus eum ducenti ſeſe ad Pyrenæos obvium intulit, paceque per legatos petitâ ſpopondit ſe Placidiam, quam honeſtè apud ſe habebat, Honorio redditurum obſideſque in fidem daturum, ſi viciſſim ſibi è Gallia nobiles traderentur: Ac denique ſi in Hiſpania ſedes relinquerentur, aſſiduè ſe & fortiter adverſus Vandalos pugnaturum. Quas conditiones Conſtantius haud illibenter accipiens, Placidia obſidibuſque receptis atque invicem datis, Avitoque Arverno, qui poſt imperavit, ſeſe interponente, novum cum Gothis fœdus percuſſit. Hujuſce fœderis, præter Iornandem & Proſperum, Sidonius præſertim mentionem facit, ubi de Avito, qui cum Cónſtantio militavit, loquitur. Additque Avitum adeo fuiſſe Valliæ regi jucun-

jucundum ut eum ad se traducere haud aliter ac Pyrrhus quondam Fabricium tentarit. *Post natum Christum.* Constantius inde re feliciter gestâ Romam decessit, quem Honorius duplici honore affecit. Nam & consulem iterum designavit & sororis Placidiæ matrimonio decoravit. De Attalo quoque tyranno Honorius triumphans tunc urbem intravit, ipsumque Attalum CCCCXVII. vinctis post terga manibus ante currũ ducens, peractâ de more pompa, in pœnã repetitæ perfidiæ dexterâ truncatâ Liparas relegavit. In Hispaniâ interea Gothorum rex Vallia non solum ut promissa Honorio præstaret, sed etiam ut præda manubijsque populum ditaret latiusque ditionis suę fines produceret, Vandalos eorumque fæderatos armis adortus est. Res maxime ad Tartessum & Calpem extrema Lusitaniæ oppida gestæ. Quarum in Anthemio Sidonius meminit loquens de Ricimere Valliæ nepote & Genserico Gunderici regis Vandalorum filio:

Simul & reminiscitur illud
Quod Tartessiacis avus huius Vallia terris
Vandalicas turmas & vincti Martis Alanos
Stravit, & occiduum texere cadavera Calpem.
Quid veteres narrare fugas, quid damna priorum,
Arganthonini recolit dispendia campi?
Inde furit, quod se docuit satis esse nepotem
Illius usque viri, quo viso, Vandale, semper
Terga dabas.

Unde intelligitur quam formidabilis Vandalis Vallia fuerit & quam non semel eos oppugnarit atque in fugam compulerit. Eidem bello interfuisse etiam Constantium Iornandes ostendit, tradens eum hoc tempore Vandalorum ducem Fredibaldum captivum ad Honorium transmisisse. Constantius ergò & Vallia continuato in Lusitania bello Ala- CCCCXVIII. nos & Suevos apud Emeritam acie superarunt. Ortoque inter ipsas nationes dissidio Suevorum regem Ermenericum Gundericus Vandalorum rex prælio in Gallæcia provocavit. Verum Vallia, ut notat Prosper, crebris Vandalorum nobilitatus victorijs, laborum quasi suorum mercedem a Constantio postulavit, ut in Gallia sibi sedes redderentur ac fœdus cum Ataulffo jam antea ictum firmaretur. Cui Constantius ex Honorij authoritate assentiens pactione cum eo inita Aquitaniam ei secundam concessit, urbemque insuper Tholosam, quam ille sibi ut regni sedem adscivit. Itaque Vallia haud intermissa vexandi Vandali occasione etiam hoc anno qui fuit quadringentesimus vigesimus, exercitum adversus CCCCXIX. Alanos in Hispaniam duxit eosque tanta armorũ mole invasit ut fractis desperatione animis, regiam dignitatem dimiserint seque Gunderico Vandalorum regi submiserint. Reversus inde victor Tholosam fato concessit, testante Iornande in annalibus. Defuncto eo, Gothi continuè imperium Theodorico detulerunt. Atque hoc initium Regni Gothorum in Gallia Hispaniaq; fuit, duravitq; ad annum usque 533. tenentibus imperium post *Valliam*, qui ordine sequuntur:

Theodoricus Rex anno	*420*
Thorismundus Theod. filius	*453*
Theodoricus 2	*454*
Euricus	*467*
Alaricus	*495*
Amalaricus fil.	*506*

Amalarico à rege Francorum Theodoberto Gallia exacto inque totum superato successit Theida, qui res regnumque Gothorum solâ in Hispaniâ sustinuit. Atque hi Visegothorum vocabulo insigniti. Dumque adhuc in Gallia hoc pacto res administrant, paulatim in Italia Ostrogothorum regnum inchoatum. De quo priusquam dicam, pertexenda quæ de Vandalis cæpta sparsimque superius iniecta fuerunt, quo nimirum liqueat, quando & ipsi quibusque occasionibus, relicta tandem Hispania, novum sibi in Africa regnum constituerint:

Honorius ubi bellum à Gothis, de quo dictum, in Hispania strenuè ac forter adversus

Post natum Christum.

De Vandalorum in Hispania rebus & in Africam traiectione.

Vandalos geri intelligeret in spem eius provinciæ recuperandæ adductus Castinum magistrum militum, ut Gothis auxilio esset, in Hispaniam destinavit, adsociato illi Bonifacio Africæ comite. Verum dissensio inter utrumq; exorta Reipub. Romanæ propemodum exitio, certè maximo detrimento fuit. Castinus enim cum Bonifacium non ducis, sed legati loco habere cæpisset, id diutius Bonifacius ferre non potuit, indignum ratus obedire ei cui par esset imperio. Itaq; in Africam provinciam suam, relicto in Hispaniâ Castino, se retulit. Vnde Vandali, quos ducum Romanorū virtus ac concordia continuerat, sæpeq; afflixerat, redintegrato post Bonifacij profectionem bello, insignem sibi, imprudentiâ Castini, victoriam, deletis Romanorum copijs, pepererunt. Bonifacij autem fidem cum jam suspectam habere Romani & præsertim Placidia Augusta haud frustrà cæperat, eum intra Carthaginem se continentem, arctâ obsidione circumdedêre.
CCCCXXVII. Verum cum in eâ obsidione duces suos cædi ac consumi, bellumq; trahi Placidia comperiret, confestim rerum summam Comiti Sigevulti commisit, ac Bonifacium majore, quam ante, armorum mole concussit. Quæ res Bonifacium æquis se viribus cum imperatore configere posse diffisum coegit auxilia externa circumspicere. Gunderico Vandalorum in Hispania regi superiori anno vitâ functo successerant filij Guntharius puer ex legittimo matrimonio natus & Gensericus ex concubina susceptus, hos â Gothis Romanisq; bellorum asiduis contentionibus fatigatos oportunè adeundos sibi Bonifacius credidit; pollicitusq; est si traijcere in Africam & secum arma capere adversus Romanos vellent, se illis Mauritaniam permissurum. Quâ conditione libentèr accepta Guntharius & Gensericus cum Bonifacio Vandalisq; & Alanis, freto Herculeo transmisso, Mauritaniam nullo ferè negotio sui juris reddiderunt anno decimo nono, postquam ex Pannonibus Scythię excesserant. Gensericus in Africam egressus, extincto interim Gunthario fratre, ut famā gentis suæ extolleret, omnis multitudinis numerū inijt, inventaq; sunt sexus utriusq; atq; omnis ætatis hominū octuaginta millia, cum autem pacatam speciosamq; nactus esset provinciam, omnia populatione, incendio, cædibusq; permiscuit. Bonifacius verò Felice & Tauro consulibus, anno quadringentesimo vigesimo octavo, assumptis ex Mauritania Vandalis Sigevulti summâ
CCCCXXVIII. vi in se ruenti occurrit: atque omni mole, ne Africâ eijceretur, contendit. Verum Bonifacij cum pernitiosa rei Romanæ virtus asiduis aliorum maledictis laceraretur, annisi amici eum in Placidiæ gratiam restituere. Quippe mirantes, hominē alioqui officij pietatisque plenissimum de fide tam temerè decessisse, consciâ Placidiâ Carthaginem profecti sunt, deque re totâ cum ipso conferunt. Ille se excusare & justi doloris testes ipsas Ætij literas proferre. Quibus lectis, rationem se reconciliandæ gratiæ invenisse rati, confestim cum ijs Romam ad Placidiam redierunt: ac Bonifacium nō sua sed Ætij culpa lapsum esse docuerunt. Illa animo perturbata, dolore tamen suppresso, nihil cum Ætio expostulavit, ne summum ducem, & rem præcarè gerentem alieno tempore irritaret. Verum cum Bonifacij amicis re ultrò citroque perpensa fraudemque Ætij detestata juravit se æquam Bonifacio fore, si ille pro re Romanâ stare in animum induxisset, & barbaros, quos acciverat, ex Africa dimisisset. Bonifacius ab amicis de fraude Ætij & animo Placidiæ erga se certior redditus summâ ope se facturum, quod illa postulabat, promisit, atque ita ab armis Reipub. Rom. inferendis decessit, animumque ad Vandalos ex Africâ semovendos convertit. Fiorentio inde & Dionysio consulibus Placidia Felicem Patricium & Ætium magistrum
CCCCXXIX. militem fecit. Bonifacius autem recuperare Placidiæ & Valentiniano Mauritaniam cupiens, Gensericum primum, ingentis pecuniæ vi oblata, emittere provincia voluit, deinde pecuniam non accipientem bello se persequuturum ostendit. Acceptis copijs, quæ sibi Roma & Constantinopoli mittebantur, quorum Aspar erat magister, adversus eum processit. Hunc Gensericum, ut qui per ea tempora fuerit clarissimus, descripsit Iornandes, virum staturâ mediocrem, equi casu claudicantem, animo providum, sermone rarum, irâ turbidum, habendi cupidum, ad solicitandas gentes paratissimum, semina contentionum jacere, odia concitare pergnarum. Cum hoc igitur tam strenuo duce Bonifacius & Aspar in Mauritania congressi, acieque victi, intra suos fines se referre coacti sunt. Capti multi ex Romanis & inter ceteros Marcianus, qui post Theodosium imperio Orientis præfuit. Accidit autem, ut post prælium, Gensericus, captivis in unum locum compulsis, quò prædam ex speculâ conspiceret, Marcianum animadverteret, cælo aperto somnum capientem, atque aquilam aliunde advolantem expansis alis ipsum inumbrantem & â solis ardore tutantem. Quo viso, mirabundus continuò, quod erat futurum, conjecit, & accitum ad se hominem libertate donavit sacramento fidei

PLACIDIA AUGUSTA & VALENTINIANUS IMP.

fidei obstrictum, ut ad imperium evectus sibi ac Vandalis esset amicus. Hac victoriâ potitus Gensericus è Mauritaniâ in Numidiam ac reliquam Africam sese cum exercitu intulit, nec Bonifacio obsistere valente, vastare omnia circumquaque instituit. Siquidem oppida ipsa excidit, agrestes alios cæde, alios fuga dispersit. Quæ beatus Augustinus Hippone tum agens ubi pro parte ipsemet videret, partim auditu cognosceret, vehementer est animo concitatus. Itaque scribendi munus, in quo assidue desudabat, intermisit pauloque post mortuus est. Quod & victor his verbis prodidit: *Genserico Hipponem obsidente, Augustini flumen illud eloquentiæ, quod ubertim per omnes campos ecclesiæ decurrebat, ipso metu exsiccatum est.* Anno deinde quadringentesimo trigesimo, clara hæc Africæ civitas in deditionem Vandalorum adducta malorum omnium, quæ inferre hostilis vis potuit, extrema perpessa est. Nec multò post, anno scilicet quinto, Valentinianus per Trigetium cum Genserico pacem composuit, Numidiâ Hipponensi ad habitandum illi concessâ. Verum anno exinde quadringentesimo trigesimo nono, novæ ex inopinato difficultates exortæ. Nam Gensericus concessis oppidis haud contentus, animum ad Carthaginem provinciæ caput adjecit: ac necessarijs rebus præparatis, occupatum alijs curis imperatorem cernens & Carthaginem infirmis, ut in pace, teneri præsidijs videns, ipsam statim sibi oppugnandam atque expugnandam suscepit. Hæc urbs, ut inquit Salvianus, Romanis artibus semper æmula, armis quondam & fortitudine, post splendore & dignitate urbi Romæ maximè adversaria & in Africa quasi Roma, universam penitus, quâ totus mundus regebatur, in se complexa erat, disciplinam. Illic enim omnia publicorum officiorum instrumenta, illic artium liberalium scholæ, illic philosophorum officinæ, cuncta denique vel linguarum gymnasia vel morum: illic copiæ militares & regentes militiam potentes: illic honor proconsularis, illic quotidianus iudex & rector, nomine quidem proconsul, sed opibus consul. illic omnes rerum dispensatores & differentes inter se tam gradu, quam vocabuli dignitate, omnium platearum & compitorum procuratores, cuncta ferme & loca urbis & membra populi gubernantes. Hanc igitur XIII. Kal. Novemb. ut Prosper scribit, cum suam in deditionem Gensericus adduxisset, continuo edictum proposuit, ut omnes quicquid auri, argenti, gemmarum, vestiumq; pretiosarum haberent, exponerent. Templa quoque sacris vasis omnibusque thesauris exinanita uictoris arbitrio cesserunt. Postmodum anno quadringentesimo quadragesimo secundo, fœdere cum Theodosio icto, sese ad Valentinum convertit ac pacem ab illo quoque petijt, atque impetravit hisce præsertim conditionibus; ut in posterum nimirum certis se Africæ limitibus contineret, tributum Valentiniano per triennium solveret & Honoricum filium servandæ, quam bis fregisset, fidei obsidem relinqueret. Inde exortum bellum Hunnicum, maximumque Valentiniano atque imperio negotium facessijt Attila. Verum, Valentiniano haud multo post Maximi Secundi dolis interempto, accidit quod non ipsi tantum Maximo sed urbi etiam Romanæ præsens ac memorabile exitium attulit. Nam Maximus Cæsaris Valentiniani relictam conjugem Eudoxiam volentem nolentem matrimonio sibi sociaverat, ac prima nocte cum ea decumbens illud in sermone imprudenter injecerat, se nimio illius amore incensum marito ejus Valentiniano insidias struxisse. eaque vox cum altius in pectus fœminæ dimissa penetrasset, illa sive propriæ cõtumeliæ impotens, sive alienæ ultionem injuriæ appetens, statim animum ad perniciem Maximi appulit. Ac mox alijs auxilijs rejectis, occulte nuncium ad Gensericum regem in Africam cum literis ac muneribus amplissimis misit, magnopere obtestans, ut ad se civitatemq; Romanam infesta Maximi tyrannide liberandam, ac simul ad Valentiniani mariti necem injustissimam vindicandam accederet. Idem ipsum fœderi amicitiæq; debere, quo nuper se cum eo per Honoricum filium obsidem astrinxisset. His literis acceptis, Gensericus erectus, optatam potius, quam speratam occasionem ultrò oblatam arripuit, ac subito spe ingentis atq; opimæ prædæ illectus classem ad expeditionem Romanam instruxit, trecentisque millibus Vandalorum Maurorumq; impositis, Romam versus cursum prope fatalem intendit, ut quod Alaricus summis votis expetitũ ac maximis viribus tentatũ vix extorsit, id ipse ultro quasi à fortunâ porrectũ acciperet, id est, ut Romã à principio originis suæ ab hostili clade prope intactam secundâ irruptione affligeret ac feritatis Vandalicæ vestigia ad omnẽ posteritatis memoriã in ipso quoq; imperij domicilio impressa relinqueret. Itaq; dum Maximus aulã imperiumq; inter sævos militũ, populorũ, fœderatorumq; tumultus, nihil ex Africa adversi metuens, regit, ecce derepente pridie Idus Iunias, nec ullis opinantibus Gensericus classẽ valido atq; omni bellico apparatu refertã ad littora Romana appellit, atq; exer-

Post natum Christum.

CCCCXXX.

CCCCXXXV.

CCCCXXXIX.

CCCCXLII.

CCCCLV.

Post natum Christum. citum in omnem eventum instructissimum desubitò exponit moxq; explicatis ordinibus ducere ad mænia urbis instituit. Quare cognitâ, tantus evestigio civitatẽ pavor invasit, ut eodem momento & obsessa urbs & capta videretur. Itaque vulgus juxta ac nobiles, de suâ salute solliciti se tumultuosè è portis proripuerunt, inq; montes ac silvas quasi tutiores futuri profugerunt. Quâ trepidatione Maximus & ipse formidine anxius ac prope ab omnibus auxilijs destitutus urbe excessit, seq; ceteris non tam fœdæ, quàm periculosæ fugæ socium præbuit. Fugientem autem ac solum senatores nonnulli ubi viderunt, veterum offensionum subitò recordantes, irâq; incensi lapidibus exceperunt ac mox tractum laceratumq; per Ursum Romanum militem in Tiberim projici imperarunt. Quæ postquam Gensericus accepit triduo post urbem omni necessario præsidio vacuam nec ullo resistente ingreditur. Oravit vero Leo pontifex ut civitati vellet parcere, cui nuper inimicissimus ac sævissimus omnium Attila, se intercedente, pepercisset. Nec tamen flexêre sanctissimi antistitis preces regem Christianum, quę paganum jam ante infregerant. Nam urbem ingressus non tam prophanas domos, quam sacra loca templaq; contra quam Eudoxiæ promiserat, libidini avaritiæque militari permisit. Atq; ità Roma post annum quadragesimum tertium, quam à Gothis & Alarico capta spoliataq; fuit, iterum à Vandalis occupata fœdissimaque populatione vastata est. Inter captivos abducta quoque, quæ memorabilis hujus cladis occasionem præbuerat, Augusta Eudoxia cum duabus filiabus Eudocia Placidiaque. Quarum Eudocia Transamundo exinde Genserici filio nuptui data. Gensericus his actis, die decimo quarto ex urbe excessit ac prædam omnem in naves impositam in Africam deportavit. Domum regressus facinori isti aliud adjecit. quippe partem Africæ quam Valentiniano in divisionem promiserat, repente atque inopinato invasit; præfectisq; Romanorum expulsis imperij ditionisque suæ effecit. Neq; Romani post id juris aliquid in Africâ habuerunt totaque exinde Vandalorum imperio paruit, donec eam Iustinianus Augustus felicitate Bellisarij imperio restituit anno DXLIII. Reges qui post Gensericum imperarunt isti fuerunt.

Honoricus anno	478.
Gundamundus	485.
Transamundus	497.
Hildericus natus ex Eudocia	524.
Gilimer	531.

Rugi. Nunc de Rugis & Ostrogothis, ut similiter constet quibus initijs & quâ occasione eorum in Italia regnum invaluerit breviter repetendum: Orestes, imperatore filio Momyllo
CCCCLXXVI. constituto, ut se facilius adversus Gothos, Burgundiones & Francos, Galliam incolentes tueretur, fœdus cum Genserico Vandalo rege Africæ renovavit, atq; Italiam in summâ
CCCCLXXV. pace administrare pro arbitrio cæpit. Hoc ejus ocium subito perturbavit, non eorum aliquis, quos ipse jure suspectos habere tanquam vicinos Italiæ potuit, sed alius longe terrarum, quippe trans Danubium positus. Hic Odoacer Rugus fuit, Herulorum & Turcilingorum regno potitus. Is fama rerum quæ seditiose gererentur in Italia percitus, vehementius ad illius cupiditatem exarsit. Animum verò accendit atq; addidit primum ipse Momyllus, cujus in magna populorum dissensione, opes infirmissimas esse comperiebat; deinde Zeno, qui eodem tempore à Basilisco expulsus, omnes cogitationes opesque suas ad recuperandum Orientem contulerat, accessit quod ne ipse quidem Odoacer, Italiam prorsus, ut qui Orestis Imp. armiger fuerat, ignorabat. His igitur de causis haud operosam fore victoriam, si ex inopinato cum paratissimo se intulisset exercitu arbitratus Herulos, Turcilingos, Scyros ac Rugos interioris Germaniæ populos, qui nuper inter valida Attilæ sævientis auxilia fuerant, excitavit ac magnorum spe præmiorum sollicitatos haud ægrè ut se in Italiam sequerentur, induxit ac diem ad profectionem præstituit. Quæ ubi vere novo advenit cum omni populo ex finibus egressus, Danubio trajecto, in Noricum penetravit. Erat tum ijs in locis Severinus quem Noricorum Apostolum appellant, qui ab Odoacre, ut divinus quidam vates, de belli eventu consultus in hæc verba locutus memoratur: *perge in Italiam Odoacer vilissimis nunc pellibus tectus, verum propediem pretiosa multa multis largiturus.* Profectus inde alacri animo movensque ex Norico per Alpes Tridentinas ac fines Veronensium Italiam intravit. Quod ubi Orestes non dubijs nuncijs comperit, extemplo quam maximas potuit ex Italia equitum peditumq; copias conscripsit, easque

Paul. Diacon. lib. 16.

que convenire ad Laudem in Liguria jussit. Ceterum Odoacer, hoste, qui transitum mo- *Post natum Christum.*
raretur in Venetia non reperto, protinus trajecto Abdua in Liguriam transijt, atq; ad Lau-
dem, ubi consedisse Orestem audiebat, castra convertit. Atque eo sine cunctatione pro-
gressus summo ipsum certamine provocavit. Orestes cum se & multitudine armatorum
inferiorem esse & indies à Gothis quos auxiliares habebat, deseri animadverteret, quod
tertiam ipsis agrorum partem promissam non tradidisset, motis inde castris Ticinum re-
cessit: ibiq; se pro tempore, quoad potuit confirmavit, tantam belli procellam murorum
potius quam militum præsidio subiturus. Quo intellecto Odoacer præpropere ipsum in-
secutus exercitum Ticinum adduxit urbemque summis viribus oppugnare instituit. neq;
ità multis post diebus, toto incumbente exercitu ipsam cum Oreste in potestatem suam
redegit, captamque militibus diripiendam concessit. Quibus x. Kal. Septemb. perpetra-
tis, Odoacer Italiæ rex à suis est proclamatus. quo eventu ac favore superbus inde Pla- *Odoacer Rugus Rex Italiæ.*
centiam movit, atque ibi v. Kalend. Orestem captivum, exercitu inspectante ac gratu-
lante, occidit. Tum in Momyllum intentus, motis castris, Ravennam contendere matu-
ravit. Cum autem eum metu exanimatum Romam profectum reperisset, pridie Nonas
urbe in potestatem adductâ, Paulum, Orestis fratrem qui relictus in præsidio fuerat, inter-
fecit. Demisso inde per Italiam exercitu omnes civitates, quæ Momyllo deditæ Odoa-
crem renuebant aut vi aut metu suas in partes perduxit. Ac citeriori Italiâ quàm citissi-
mè ad obsequium deductâ, Romam inde properavit atque urbem coronâ circumdedit,
ipsam, ni se dederet, expugnaturum denuncians. Populus dirâ ceterarum urbium clade
edoctus, deditione repente factâ, obviam extra urbem effusus ipsum magnâ hilaritate ex-
cepit. Quod ubi vidit Momyllus metu consternatus, quò saluti suæ consuleret, purpuram
confestim deposuit, seque infausto à patre sibi parato imperio abdicavit: ac vitâ hoc pa-
cto ab Odoacre impetratâ, jussu ejus in Lucullanum, Campaniæ castrum, tanquam in exi-
lium abijt. Atque ità varijs hisce ancipitibusque rerum temporumque successibus Roma
jam tertium capta Italiaque à boreæ populis firmo tandem possideri imperio cœpta est.
Imperium autem Romanum, quod in Augusto initium sumpsit in hoc Augustulo (sic
enim Momyllus est appellatus) finem accepit.

Odoacer, Augustulo Imperij dignitate se abdicare coacto, Occidentis quidem ille do-
minationem invasit, sed sine Imperatorio titulo, contentus se regem Italiæ nominari. In-
de concilijs agitatis regnum ad imperij pacisque conservationem ità formavit: inprimis
Gothos, qui erant in Italiam jampridem à Valentiniano adversus terrores Hunnicos ad-
vocati ad studium suum convertit tertia agrorum parte, quam promissam ab Oreste obti-
nere non potuerant, persolutâ. Romanis senatus authoritas, & consulum dignitas ad fero-
ces contundendos spiritus dempta: reliquis in rebus vetera reipub. instituta & magistra-
tuum jura nominaque retenta: Ecclesijs quoque atque episcopis suus honos servatus:
Eurico Vesegothorum regi pars Galliæ ab Alpibus ad Rhodanum, quæ hucusque Roma-
norum in potestate fuerat, pacis habendæ causâ remissa, & cum Gundebardo Burgundio-
num rege fœdus percussum. Inde Basilio præfecto prætorio ac patricio, qui vices suas ge-
reret, Romæ relicto, Ravennam repetijt, atque ibi, instituto ab Augustis exemplo regni
sedem locavit. Proximo anno ut oportunum omnium animis metum incuteret & populos CCCCLXXVII.
insigni aliquo servitutis exemplo promptiores ad obsequium efficeret, Brachilam Comi-
tem imperium suum detrectantem v. idus Iunias ultimo supplicio affecit. Quibus de re-
bus non solum metui, sed etiam suspici ab Italicis atque exteris longeque dissitis, cæpit.
Nam & Gensericus Africæ Rex in admirationem virtutis & fortunæ illius adductus ora-
tores ad eum de pace misit atque illius impetrandæ ergò Siciliam ei tributario jure con-
cessit. Anno CCCCLXXXIII, Theodomiro Ostrogothorum regi mortuo filius Theodori- CCCCLXXXIII.
cus Amalus successerat. Iuvenem summâ virtute magnisque opibus ad res in Illyrico no-
vandas instructum adeptus Imperator Zeno suam in amicitiam etiam arctius recepit. *Theodoricus Ostrogothus.*
Quocirca ad se venire Constantinopolim jussum omni honoris genere excoluit, nam &
inter proceres sui palatij retulit & magistrum militiæ fecit, & in filium adoptatum statuâ
insuper equestri æneâ ante palatium positâ decoravit. quinetiam Ripensi Daciæ Mæsiæ-
que parte donatum in posterum annum Consulem designavit. Odoacer cum nullam ar-
morum materiam domi haberet, interim rei foris gerendæ occasionem est nactus. Rex
erat Rugorum trans Danubium Feleteus, qui Herulis finitimus infestum se præbebat.
Odoacer officij sui credidit cognatum populum ab injuriâ vindicare. Itaque exercitum CCCCLXXXVII
adversus regem trans Alpes eduxit ac prælio ibi commisso fortissimè dimicans regionem

Post natum Christum.

illam latè vastavit, capto simul Feleteo Rugisque profligatis. Inde victore reportato in Italiam exercitu, XVIII. Kalend. Decemb. urbem triumphans ingressus regem ante currum captivum eduxit. Ceterum decimus jam subibat annus, cum Italia sub regis Odoacris imperio quieta magis quam læta degebat; Cumque fortuna ejus quiescere nesciens, sed nova indies servitij juga moliens, Ostrogothos adversus eam excitarit. Hi in Pannonia considentes cum propter pacem cum Romanis, unde prædam agerent non haberent; ad extremum inopiæ ærumnarumque pervenerant. Itaq; Theodoricum regem, missis publicè legatis Constantinopolim, adierunt verbaq; in hunc ferè modum fecerunt: Magnam rem esse de quâ querelas apud eum suas effunderent, nec dubitare, quin animum ejus offensuri essent, si taciti diutius dolorem suum premerent, ceterum ad rem ejus magnopere pertinere ipsum non ignorare, se, dum delitijs apud Imperatorem difflueret, extremis angustijs rei familiaris oppressos, &, postquam ex Romano agro prædari desijssent ad egestatem adductos. Ob id orare illum atque obtestari ut res suas aliquando respicere & gentis rationem habere vellet, ne injussu ejus durius sibi consulere atque alias propter penuriam sedes cogerentur quærere. Quæ cum iniquis auribus Theodoricus audisset, facile justis eorum precibus est obsequutus. Itaque in Mæsiam reversus bellum Zenoni, calentibus suorum animis usus, movit. quippe Constantinopolim & Melenthiadem exercitu infesto accessit & vastatis direptisque circumquaq; agris, prædâ gravis ad Novas Mæsiæ oppidum, unde discesserat, redijt. Per quos dies Odoacer vastato, ut dictum, Rugorum agro intelligens Fredericum Felethei regis filium domum ex fugâ reversum, continuò adversus eum cum validâ militum manu Omulfum fratrem dimisit. Qua re cognita, Fredericus ad Theodoricum, tum Novis morantem, confugit. Itaque Omulfus sine magno certamine rerum potitus Rugos omnes jussit in Italiam commigrare. Theodorici defectionem Zeno ut qui maxime deprehendit, sed ut prudens, clementer ac liberaliter sibi cum eo agendum putavit: ne si asperius duriusque consuleret vehementius præferocis juvenis animum in sui perniciem concitaret. Itaque Dinanio jam Sifidioque consulibus amicè illum ac comiter ad se per literas evocavit. Paruit ille & in conspectum progressus ac rationem tam inopinatæ defectionis reddere jussus, se penuria & precibus suorum commotum ad extrema descendisse dixit, veniaq; petita ut rebus consuleret suis, oravit. Exigente inde imperatore, qua tandem ratione ærumnas levare illius ac miserias possit. Italia terra est, inquit, quæ nunc ab Odoacre Herulorum rege injussu tuo tenetur. permitte me ad eam occupandam cum gente atque exercitu meo contendere. Nam si Odoacrem vicero tua gloria erit, qui me miseris; si cecidero, tu annuorum stipendiorum onere liberaberis. Victor verò tuo beneficio Italiam obtinebo. Est autem æquius me, qui cliens & filius sum tuus, Italiam habere, quam eum, qui senatum & rempublicam tuam iniqua servitute tenet oppressam. Zeno his vocibus permulsus haud gravatè, ut Illyricum infesta ac meritò sibi suspecta Gothorum multitudine exoneraret, assensit. Itaq; re cum eo composita Italiam ei per pregmaticum, ut Diaconus inquit, tradidit, ac sacro velamine capiti imposito firmavit senatumque ac populum Romanum cum ipsa urbe ac tota Italia præcipuè commendavit. Quibus rebus perfectis, Theodoricus inde alacri animo ad suos reversus eos sine cura esse ac bene de reliquo sperare jussit; se enim Italiam terram omnibus terris nobilitate atque opulentia præcellentem præcipui beneficij loco impetrasse. Proinde accingerent se ad iter & expeditionem alacres susciperent. Eusebio inde & Probino consulibus, Gothis omnibus se ad iter summa alacritate parantibus repentinum bellum præter opinionem omnium desubitò intervenit. Nam Transylla Gepidarum & Busa Bulgarorum reges sive sua sponte impulsi, sive ab Odoacre tantam à se belli molem avertere cupiente solicitati, insidias Theodorico regi pararunt, atq; ipsum, antequam iter ingrederetur, adorti ad prælium lacessiverunt Theodoricus de improviso tantâ armorum tempestate oppressus animo haud quaquam defecit, sed converso in eos impetu summâ non solum virtute sed etiam felicitate pugnavit. nam uno prælio Transillam, alterò Bulgaros prostravit. Ita viâ sibi ad profectionem munitâ, protinus se ad cogitationes Italicas retulit. Tria erant loca quæ præcipuè barbaris Italiam invadentibus moram afferre aut claustrum objicere poterant, Alpes Italiæ, amnis Sontius & oppidũ Aquileiæ. Odoacer quoniam Alpes urbemque communitas superioribus bellis parum ad victoriam profecisse cognoverat, Aquileiam desolatam transgressus ad amnem occurrit ejusque trajectionem sibi impediendam suscepit. Theodoricus ingenti Pannoniæ flumine Dravo Savoque trajecto, quod immensa illa, ut plurimum, agmina barbarorum Italiæ infudit, ad Alpes

Ostrogothorum adversus Odoacrem res & successus.

CCCCLXXXVIII.

Alpes profectus ijsque superatis ad Sontij mox ripam è regione castrorum Odoacris accessit. Hic dum omni ope transire flumen molitur, frustrà se objiciente ac renitente Odoacre, feliciter tandem transmisit, neq; ità multò post, instructo ad pugnam exercitu, manum cum eo ità cõseruit, ut prçlio pulsum trepida fuga in castra se referre coegerit, moxque secutus eorundem oppugnationem instituit. Odoacer castra se tueri posse adversus Theodoricum diffisus, captato tempore, retro abijt ac Veronam usque contendit. Theodoricus, omnibus ad Sontium, quæ in rem videbantur, compositis, Odoacrem per vestigia insecutus exercitum similiter Veronam adduxit. quo comperto Odoacer, qui copias suas dissipatas ex fuga collegerat ac novis etiam auxiliorum supplementis adauxerat, alacris ex urbe ad prælium egressus est. Verum neq; tum virtuti fortuna respondit. nam magna militum parte amissâ superatus, eo quoque loco cedere cogitur. Theodoricus dum fugientes insequitur, Veronã civibus inusitato terrore perculsis intravit: atque eâ post paulo relictâ, Odoacrem ad amnem Abduam assecutus, tertio secum confligere compulit: cujus prælij idem fuit qui superiorum eventus. Itaq; Odoacer in hoc rerum articulo constitutus cum ijs, qui supererant, maturato itinere Romam contendit, sperans si urbem tenuisset, facilè se totius Italiæ imperium servaturum. Verum cum ad urbem accessisset, clausis portis â Romanis exclusus est, Theodorico ut iusto domino (jam pridem enim ipsam imperatoris voluntatem acceperant) se obtemperare velle referentibus. Vnde irâ incensus suburbana ædificia omnia, quæ potuit, repente ac hostiliter diruit, aut subito igne exussit. Romaque repulsus, quod alterum erat perfugium, animum ad Ravennam saltem obtinendam applicuit. Cum autem & hanc Libilla, magister militum, castris ante urbem positis, pro Theodorico sibi custodiendam sumpsisset, eam oppugnare adortus cepit, ac Libilla interempto Ravennam intravit. Theodoricus interim Abduâ relicto Mediolanũ processit, CCCCXCI.
idque suam in potestatem redegit: inde Ticinum Ravennamque versus promotis castris Odoacrem intra urbem se continentem obsedit. atque ibi multa quidem sed levia prælia edita, cum Odoacer partem militum quotidie emitteret, ut & vires suorum pugnis levioribus exerceret & Theodorici exercitum eruptionum crebritate & lentæ sessionis ad CCCCXCII.
urbem diuturnitate fatigaret simul ac frangeret. Postea Albino consule, Odoacer post multas sed inanes eruptiones ac certamina, cum jam extrema rerum urgeret inopia, silen- CCCCXCIII.
tiò noctis, auxilio â virtute petito, universum adversus Theodoricum eduxit exercitum. Quod ubi ille sensit & ipse suos in aciem promovit. Ceterum commisso prælio tantâ vi Odoacer pugnavit, ut Theodoricum cum suis præcipiti fuga se referre cogeret. Eique in castra redeunti obvia mater, quò tendis, inquit fili? neque enim locus superest, quò te fugiens recipere possis, nisi ego veste sublatâ te eo, unde in lucem prodijsti, recipiam. Quibus verbis irritatus ac pudore succensus collectâ suorum, quos nancisci potuit, exiguâ quidem sed validâ manu infestus in hostem, qui victoriæ quasi certus latè jacebat in campis, revertit: ac magna strage edita, Odoacrem in urbem denuo compulit. Crescebat jam indies cibariorum omnis generis intus inopia, foris autem Gothi diuturnæ ad unam urbem mansionis tædio languescebant. Itaque fessis utrimq; rebus animisq; haud gravate legati ultro citroque missi audiri de pace sunt cæpti. Neque etiam urbis episcopus Odoacrem ad pacem accipiendam hortari, si honestæ & tolerabiles ferrentur conditiones, desinebat, nec præsentem urbis calamitatem & civium servitutem proponere ob oculos desistebat. Theodoricus itaque cum petijsset, ut æquo cum Odoacre imperio Ravennam regnumque Italiæ obtineret, Odoacer assensus est. Ictoq; in eas conditiones fœdere urbem Theodoricus ingenti magnificentia intravit. Post verò aliquot exinde dies (ut appareat quam infida sit omnis regni societas) Odoacrem Italiæ partem ex pacto sibi attribui postulantem ad convivium invitavit: ibique ab eo insidias paratas criminatus ipsum cum filio ac primoribus per dispositos sicarios interfecit. Atque hic Odoacris Rugorumque in Italia dominationis ut finis fuit, ità & occasionem præbuit novi ibidem ab Ostrogothis imperij constituendi. Cui *primus* præfuit, dequo jam diximus, Rex *Theodoricus:* A quo ad annum usque 552. sequentes recensentur:

Athalaricus Theodorici ex filia Amalasuenta nepos, unà cum Amalasuenta matre	Anno *526*	CCCCCXXVI.
Theodabatus sororis Theodorici filius	*534*	
Vitiges â Gothis evectus	*536*	
Ildobaldus â Gothis evectus	*539*	

Araricus

Post natum Christum.

Araricus à Rugis evectus & occisus à Gothis	541
DLII. *Totilas Ararico à Gothis suffectus*	541
Teias à Gothis evectus.	522

Teia rege à duce Narsete Imperatoris Iustiniani armis superato atque interfecto, reges regnumque in Italia Ostrogothorum desijt: Atque ità Iustinianus imperator ab anno statim 553. Italiam, tanquam Orientalis imperij provinciam, gubernare cæpit, relicto ibi ad res ordinandas eodem Narsete. Initio autem belli, quod cum Gothis gessit, memorabile est & ad historiam rerum Danicarum præcipuè pertinens quod refert Procopius, Herulorum legatos auxiliares copias domo, id est, ab ultima Scandinavia, ipse Thylen vocat, conquisituros, post Slavorum ditiones, regionem undiquaq; desertam transgressos ad Varnos primò devenisse, atque inde, peragratis Danorum nationibus, ad oceanum delatos mare transmisisse. Ex quibus de patria & primigenio horum populorum solo conjecturam facere: Et eos quidem omnes, antequam Italiam invaderent, circa Istri ripas cõsedisse, sed è borea profectos huc accessisse intelligi perfacile erit, quomodo est jam ante commonstratum à nobis propius. Debellatis vero confectisq; in Italia tam Gothis quam Ostrogothis & qui illis se miscuerant, Rugis Herulisq;, Longobardorum gens, qui ex ultimo similiter Borea sub nomine Vinulorum, quod ante dictum, in Germaniam profecti, tum adhuc intra Pannonias se continens a Narsete in invidiam Sophiæ Augustæ evocata, paulatim successit novumque in Italia imperium est auspicata. Nam annum circiter Christi DLXX. post cæsum Teiam Alboinus Longobardus è Pannonia veniens in Italiam descendit, & regnum illic sibi constituit: cujus sedes Ticinum fuit. Post quem regnavit Clepho; post Clephonem præfuêre XXX duces per annos viginti: quibus annis finitis regnum paternum inijt Autheris Clephonis natus, primus Christianismi sacris initiatus. Atq; eum longa regum series ejusdem gentis secuta fuit: quorum ultimus Desiderius à Carolo Magno Francorum rege debellatus anno æræ Christianæ DCCLXXIV. regno huic Longobardico finem dedit, cum stetisset ab Alboini in Italiam adventu & occupato Ticino annos CCIV.

Margin: DLIII. (beside "anno statim 553"); DLXX. (beside "Christi DLXX."); DCCLXXIV. (beside "Magno Francorum rege")

ISIDORI BREVE CHRONICON GOTHORVM,

Ad uberiorem paulo enarrationem eorum, quæ superius de rebus præsertim Visegothorum in Hispaniâ parcius sunt indicata, obiter additum.

GOTHORUM antiquissimum esse regnum certum est, quod ex regno Scytharum est exortum, Isti enim sunt quos Alexander vitandos pronuntiauit, Pyrrhus pertimuit, Cæsar exhorruit. Per multa quippe sæcula & regno & regibus usi sunt: sed quia in chronicis adnotati non sunt, ideo ignorantur. Ex illo autem in historiis inditi sunt, ex quo aduersum se Romaui eorum virtutem experti sunt: quorum oportet tempora & reges per ordinem cursim exponere, & aliqua eorum gesta de historiis libenter retexere.

ERA CCXCIII. anno Valeriani & Galieni Impp. Gothi descensis Alpibus, quibus inhabitabant, Græciam, Macedoniam, Pontum & Asiam, atque Illyricum vastauerunt: ex quibus Illyricum & Macedoniam XV. fermè annis tenuerunt. Deinde à Claudio Imperatore superati, sedes proprias repetunt. Romani autem Claudium Aug. pro eo quòd tam fortissimam gentem à finibus reipubl. remouisset, insigni gloria honorantes, in foro illi aureum clypeum, in Capitolio autem auream ei statuam collocauerunt.

ERA CCCLXIX. anno XXVI. Constantini Imperatoris, Gothi regionem Sarmatarum aggressi, copiosissimis super Romanos irruerunt agminibus. Adversus quos idem Constantinus aciem instruxit, ingentique certamine vix superatos vltra Danubium expulit; de diversis gentibus virtutum gloria clarus, sed de Gothorum victoria amplius gloriosus: quem Roma-

Romani, acclamante ſenatu, publica laude proſecuti ſunt, quòd tantam gentem vicerit, quòd pacem reipublicæ reformaverit.

Era cccc viii. anno Valentis v. Gothorum gentis adminiſtrationem Athanaricus accepit, regnans annos xiii. qui perſecutionem adverſus fidem communem voluit exercere contra eos qui in locis ſuis Chriſtiani habebantur. ex quibus plerique, quia idolis immolare non adquieverunt, martyrio coronati ſunt: reliqui autem coacti ſunt de regno ſuo exire, & in Romanam tranſire regionem.

Era ccccxv. anno xiii. Valentis Imp. Gothi adverſum ſe in Athanarico & Fridigerno diviſi ſunt, alternis ſe cædibus populantes: ſed Fridigernum Athanaricus Valentis Imp. auxilio ſuperans, hujus rei gratia cum omni gente Gothorum in Arrianam hæreſim devolutus eſt. Tunc Gulfilas eorum epiſcopus Gothicas literas adinvenit, & ſcripturas ſacras in eandem linguam convertit.

Era ccccxvi. anno xiv. Valentis Imperatoris, Gothi qui primum Chriſtianos à terra ſua expulerant, poſtmodum ipſi ab Hunis expulſi ſunt, tranſitoque Danubio fluvio, Valentis Imp. poteſtati ſe, non depoſitis armis, dederunt, accepta ab eo ad habitandum Thracia. Sed ubi viderunt ſe opprimi à Romanis contra conſuetudinem propriæ libertatis, reſumptis armis rebellando Thraciam ferro incendijſque depopulantur, deletoque Romanorum exercitu, ipſum Valentem jaculo vulneratum in quandam villam fugientem incendunt: ut meritò, juxta cujuſdam ſententiam, ipſe ab eis temporali cremaretur incendio, qui tam pulchras animas ignibus æternis tradiderat.

Era ccccxix. anno imperij Theodoſij Hiſpani tertio, Athanaricus cum Theodoſio jus amicitiæ diſponens, mox Conſtantinopolim pergit: ibique xv. die, ex quo fuerat à Theodoſio favorabiliter ſuſceptus, interijt. Gothi autem proprio rege defuncto, aſpicientes benignitatem Theodoſij Imperatoris, inito fœdere, Romano ſe imperio tradiderunt.

Era ccccxlvi. anno xiv. Arcadij & Honorij Impp. poſt Athanaricum duo reges Gothis imperaverunt, qui pacis fœdere rupto, ad deprædandam Romaniam ſe dederunt. Quorum unus Radagaiſus Scytha atque paganus, cum cc. ferè millibus Italiam belli feritate aggreditur, promittens ſanguinem Chriſtianorum dijs ſuis litare ſi vinceret. Cujus exercitus à Romanis in montuoſis locis concluſus, fame eſt potius quàm ferro conſumptus: ipſe poſtremùm rex captus eſt & interfectus.

Era ccccxlvii. anno Honorij & Arcadij Imperatorum alter ille Alaricus Chriſtianus quidem, ſed hæreticus, pro conſorte regni amiſſo in vindictam ſanguinis ſuorum profectus in Italiam, urbem irruit, & obſeſſam capit: ſicque Roma irruptione atque impetu magnæ cladis everſa eſt. Tantum autem Gothi clementes ibi extiterunt, ut votum antea darent, ut ſi ingrederentur urbem, quicunque Romanorum in locis Chriſti invenirentur, in eos agere belli jure non liceret, ſed ibi & feriendi refrenaretur immanitas, & captivandi cupiditas coërceretur. ſicque poſt hoc votum aggredientes urbem, quoſcunque in locis ſacris Chriſti vel martyrum vel baſilicis confugientes invenerunt, in vaſtatione urbis non miſerunt, nec cruentus ſævijt in eos gladius, commiſerantibus hoſtibus. Sed & qui extra loca martyrum erant, & nomen Chriſti vel ſanctorum nominabant, & ipſis ſimili miſericordia hoſtilis furor pepercit. Sic evaſerunt multa millia Romanorum, quibus Gothi propter Chriſtum miſericorditer pepercerunt. Unde & hucuſque Romani, qui in regno Gothorum conſiſtunt, adeo amplectuntur, ut melius ſit illis cum Gothis pauperes vivere, quàm inter Romanos potentes eſſe, & grave jugum tributi portare. Gothi autem poſt tertium diem quo Romam ingreſſi ſunt, nullo hoſte cogente ſponte diſcedunt.

Era ccccxlix. anno primo Theodoſij minoris, Alarico mox poſt captam urbem defuncto, Athaulfus Gothus Italiæ regno præficitur annis ſeptem. Iſte quinto regni anno de Italia ſuccedit ad Gallias, ibique Placidiam filiam Theodoſij principis, Arcadij & Honorij Imperatorum ſororem, quæ à Gothis Romæ capta fuerat, uxorem ſibi aſſumpſit nullo ex ea ſemine ſubſiſtente. Qui dum à Conſtantio Romano patricio admoneretur, ut relictis Gallis Hiſpanias peteret, per quendam Gothum apud Barcilonem inter familiares fabulas jugulatur.

Era ccccliv. anno vii. Theodoſij minoris, poſt Athaulfum Gothis Sigericus princeps electus eſt, qui dum ad pacem cum Romanis eſſet promptiſſimus, mox à ſuis eſt interfectus.

Era & anno quo ſuprà, Vallia ſuccedens tribus annis regnavit, belli cauſſa princeps à

Gothis

Gothis effectus, sed ad pacem divina providentia ordinatus. mox enim ut regnare cœpit, fœdus cum Imperatore Honorio pepigit: Placidiam sororem ejus honorificè reddidit: Romani quoque nominis causa intra Hispanias cædes magnas Barbaris intulit: Wandalos Silingos in Betica omnes bello extinxit: Alanos, qui Wandalis & Suevis potentabantur, adeo *.* ut extincto Utaco rege ipsorum, pauci qui superfuerant oblito regni nomine, Gunderici regis Wandalorum, qui in Gallia resederant, se patrocinio subjugarent. Isti sunt Wandali qui postea Suevorum obsidione relicta ad Beticam transierunt, captaque Hispali in Africam migraverunt. Vallia autem confecto bello Hispaniæ, dum instructa navali acie in Africam transire disponeret, in fretum Gaditani maris vi tempestatis interceptus, in Hispaniam redire coactus est. Qui deinde per Constantium Romanum patricium ad Gallias revocatur, data ab eo Gothis ob meritum victoriæ ad habitandum secunda Aquitania usque ad Oceanum, cum quibusdam civitatibus confinium provinciarum.

Era ccccLXVII. anno XX Theodosij minoris, Theudoridus post Valliam regnat annis XXIII. qui regno Aquitanico non contentus, pacis Romanæ fœdus recusat, exercitum movet, Arelatem nobilissimum oppidum Galliæ obsidet: a cujus obsidione imminente virtute Aëtij Romanæ militiæ ducis remotus abscedit. Extincto autem à Valentiniano Imperatore Eëtio, dum Theudoridus Narbonæ esset infertus, rursus Theudo à Litorio duce Romanæ militiæ Hunis auxiliantibus effugatur. Litorius autem dum primum res prosperas adversus Gothos gessisset, denuò responsis dæmonum deceptus, in bello à Gothis amisso exercitu miserabiliter superatur: & qui antea hostium millibus cæsis feliciter vicerat, dum fallacia dæmonum oracula quærit, ignobiliter victus interijt: Theudoridus autem sumpto contra Hunos prælio in campis Chatalunicis superatus occubuit. Gothi autem dimicante Turismodo Theudoridi regis filio adeò extitere victores, ut Attila rex Hunnorum prælio victus, metu insequentis exercitus, nunquam comparuisse dicatur.

Era ccccxc. anno Marciani Imp. primo, Turismodus filius Theudoridi regnavit anno uno: qui postquam de Hunis triumphavit, dum multa ageret insolentiùs, à Theudorico & Frigdarico est fratribus interfectus.

Era ccccxci. anno II. Marciani Imp. Theudoricus post fraternam necem in regnum succedens imperavit annis XIII. qui pro eo quòd Imperatori Avito sumendi imperialis fastigij cum Gallis auxilium præbuisset, Aquitanias cum ingenti exercitu & cum ingenti licentia ejusdem Aviti Imperatoris ingreditur. Cui cum magna copia rex Suevorum Rectiarius occurrens, duodecimo Asturicensis urbis milliario, apud fluvium qui Urbicus appellatur, inito mox certamine superatus est, cæsis suorum agminibus, aliquantis captis, plurimisque fugatis, ipse postremùm rex telo sauciatus fugit. Theudorico autem cum exercitu ad civitatem Bragarensem pertendente, die Dominico, etsi incruenta tamen satis lamentabilis ejusdem direptio civitatis, & Romanorum magna captivitas fuit. Rectiarius verò ad locum Portuculæ profectus, regi Theudorico captus adducitur. Quo perempto cæteris qui de priori certamine superfuerant sese tradentibus, aliquantis nihilominus interfectis, regnum Suevorum pœne destructum est & finitum. Reliqui Suevi, qui remanserant in extrema Galliciæ, Massilæ filium nomine Masdrum sibi regem constituunt, regnumque reparatur Suevorum. Theudoricus autem de Gallicia ad Lusitaniam victor succedens, dum Emeritensem urbem deprædari moliretur, beatissimæ Eulaliæ martyris terretur ostentis. Mox adversis sibi nuncijs territus, de Emerita egressus, Gallias repetit, & partem exercitus, cum suis ducibus, iterum ad campos Galliciæ dirigit, qui cæsa Asturicensi regione rursum revertuntur ad Gallias. Nec mora, Gothicus exercitus duce Cevrila & Theudorico ad Hispanias missus succedit ad Beticam. Post quem sequenti anno Sigericus cum alia parte exercitus dirigitur, & Ceurilas revocatur ad Gallias. Pars autem Gothici exercitus à Sunierico & Nepotiano ducibus ad Galliciam directa, Suevos apud Lusitaniam deprædatur. In Gallias autem Agrippinus Comes & concivis Egidio Comiti Romano æmulus, ut Gothorum mereretur auxilia, Narbonam tradidit Theudorico. Post aliquot legati Suevorum ab Arismodo rege Masdræ filio, rege Suevorum, missi ad Theudoricum venerunt, pacem amicitiamque poscentes. Similiter Theudoricus Arismodo remittit, cum armorum adjectione, munera, directa etiam & conjugi quam haberet. Sallanem quoq; legatum denuo Theudoricus mittit ad Arisinodum, qui reversus ad Gallias Theudoricum ab Eurico fratre suo repperit interfectum.

Era DIV. anno imperij Leonis octavo Euridicus, pari scelere quo frater, succedit in

in regnum annis XVIII. in quo honore provectus & crimine, statim bello desævit, parteisque Lusitaniæ deprædatur. Qui priùs capta Pamphilona, Cæsaraugustam invadit, totamque Hispaniam superiorem obtinuit. Terraconensis etiam nobilitatem, quæ ei repugnaverat, exercitus irruptione peremit. In Gallias autem regressus, Arelatum, & Massiliam urbes capit, suoque regno utramque subjecit. Iste quodam die congregatis in colloquio Gothis, tela quæ habebant omnes in manibus, à parte ferri, alia viridi, alia roseo, alia croceo colore mutata, naturalem ferri speciem aliquandiu non habuisse comperit. Sub hoc rege Gothi legum instituta scriptis habere cœperunt: nam antea tantum moribus & consuetudine tenebantur. Obijt Arelato Euricus morte propria functus.

ERA DXXII. anno XI. Zenonis Imperatoris, Eurico mortuo, Alaricus filius ejus apud Tolosensem urbem princeps Gothorum efficitur, eosque rexit annis XX. tribus. Qui cùm à pueritia vitam in otio & convivio peregisset, tandem provocatus à Francis, in regione Pictavensis urbis prælio inito, extinguitur, eoque interfecto regnum Tolosanum occupantibus Francis destruitur.

ERA DXLV. anno XVII. Anastasij Imp. Geselicus superioris Regis ex concubina filius Narbonæ princeps efficitur: & regnavit annis quatuor: sicut genere vilissimus, ita infelicitate & ignavia summus. Denique dum eadem civitas à Gumdebaldo Burgundionum Rege direpta fuisset, iste cum multis vi, dedecore & cum magna suorum clade apud Barcinonam se contulit. Ibi moratus, quo usque regni fascibus à Theudorico fugæ ignominia privaretur. Inde profectus ad Africam, Wandalorum suffragium poscit, quo in regnum posset restitui. Qui dum non impetrasset auxilium, mox de Africa rediens, ob metum Theodorici Regis, Aquitaniam petijt. Ibi anno uno delitescens Hispaniam reversus ab Ebbave Theudorici Regis duce, duodecimo à Barcinona urbe milliario commisso prælio superatus in fugam vertitur, captusque trans fluvium Druentium Galliarum occiditur.

ERA DXLV. anno XXVI. Anastasij Imperatoris, Theodericus junior dum jampridem à Thracia & Pannonia veniens, fugato Arnulfo Rege Ostrogothorum, regnasset in Italia annis X. & octo, rursus expulso Rege Vuisigothorum Geselico, regnavit in Hispania annis XV. sicque priùs Italo regno potitus, postea Hispaniam rexit, quam superstes ejusdem Amalarico nepoti reliquit. Per hunc dignitas urbis Romæ non parva est restituta. muros enim ejus iste redintegravit. ob quam causam à senatu inauratam statuam meruit.

ERA DLXIV. XIV. anno Iustiniani Imperatoris, defuncto Theuderico, Amalaricus nepos ejus quinque annis regnavit. Qui cum ab Hildeberto Francorum Rege Narbonæ prælio superatus fuisset, Barcinonam fugiens venit, omniumque contra se odio excitato, apud Narbonam in foro ab exercitu jugulatus interijt.

ERA DLXX. nona, Iustiniani Imp. tempore, post Amalaricum Theudis in Hispania creatur in regnum per annos XVI. menses quinque. Qui dum esset hæreticus, pacem tamen concessit Ecclesiæ Dei, ut licentiam Catholicis Episcopis daret in unum apud Toletanam urbem convenire, & quæcunque ad Ecclesiæ disciplinam necessaria existerent, dicere licenterque disponere. Iste Francorum Reges quinque Cæsaraugustam obsidentes, omnemque ferè Terraconensem provinciam bello depopulantes, misso duce Theudisclo fortiter debellavit, atque à regno suo non pace, sed armis exire coëgit. Vulneratur autem à quodam in palatio, qui jamdiu dementis speciem, ut regem deciperet, simulaverat. Finxit enim arte insaniam, & quasi furore repletus perfodit principem. quo vulnere prostratus occubuit, & vi gladij indignantem animam exhalavit. Fertur autem inter effusionem sanguinis conjurasse homines suos, ne quis interficeret percussorē suum, dicens recepisse se dignam vicissitudinem, quòd & ipse privatim ducem suum sollicitatum occiderat.

ERA DLXXX. anno XVI. Iustiniani Imperatoris interempto Theudi Theudisclus Gothis præficitur. Regnavit anno uno, mensibus VII. Hic pari conjuratorum manu inter epulas cœnæ, gladio confossus extinguitur.

ERA DLXXXIV. anno XXI. Iustiniani Imperatoris, extincto Theudisclo, Agila Rex creatur, regnans annis quinque. Cujus tertio anno Athanagildus tyrannidem regnandi cupiditate arripuit. Gothi autem Agilam apud Emeritam fide sacramenti oblita interimunt, & Athanagildo se tradunt.

ERA DXCIII. anno XXVIII. Iustiniani Imperatoris, Agila perempto, Athanagildus regnum, quod invaserat, tenuit annis XVI. Iste cùm jam dudum sumpta tyrannide Agilam regno privare quæreret, militum sibi auxilia ab Imp. Iustiniano poposcerat, quos postea submovere à finibus regni molitus non potuit. adversus quos huc usque confligitur.

,, Nam frequentibus antea prелijs cæsi,nunc verò multis casibus fracti & diminuti sunt. Decessit autem Athanegildus Toleto propria morte,vacante regno mensibus quinque.

,, Era dxiv. anno secundo Iustini minoris post Athanagildum Liuva Narbonæ regno præficitur,regnavitque annis tribus.qui secundo anno postquam adeptus est principatum Leuvigildum fratrem suum socium regni constituit,Hispaniæque administrationi præfecit. ipse autem Galliæ regno contentus est. sicque regnum duos capit, cùm nulla potestas patiens consortis sit. Huic autem in ordine temporum unus tantùm annus reputatur, reliqui,Leuvigildo adnumerantur.

,, Era dxiv. anno Iustini minoris,Leuvigildus adepto Hispaniæ & Gallię regno ocium periculosum ratus,regnum bello ampliare statuerat. Subegit Aregenses. cepit Sabariam. Crospida ab eo devicta est. Cesserant etiam armis illius omnes rebelles Hispaniæ urbes. fudit quoque diverso prælio militem,& quædam castra ab eis occupata dimicando recepit. Erminigildum deinde imperijs suis tyrannizantem obsessum exsuperavit. Postremò bellum Suevis intulit, regnumque eorum injuria gentis suæ mira celeritate transmisit, Hispania penè tota potitus. Nam antea gens Gothorum angustis finibus artabatur. Sed obfuscavit in eo error impietatis gloriam tantæ virtutis. Denique iniquæ perfidiæ furore repletus,in Catholicos persecutione commota,plurimos Episcoporum exilio relegavit, & Ecclesiarum reditus & privilegia tulit. multos quoque terroribus suis in Arrianam hæresim & pestilentiam impulit: plerosque sine persecutione,illectos auro rebusque decepit. Ausus quinetiam inter cætera hæresis suæ contagia, rebaptizare Catholicos, & non solùm ex plebe sed etiam ex sacerdotalis ordinis dignitate, sicut Vincentium Cæsaraugustanum de Episcopo apostatam factum, & tanquam a cœlo in inferna projectum. Extitit autem & quibusdam suorum perniciosus. nam vi cupiditatis & livoris quosque potentes ut vidit, aut capite damnavit, aut opibus ablatis proscripsit. Ærarium quoque ac fiscum primus iste auxit: primusque inter suos regali veste opertus,solio resedit. Nam ante eum & habitus & consessus communis ut genti,ita & regibus erat. Condidit autem civitatem in Celtiberia, quam ex nomine filij sui Recopolim nominavit. In legibus quoque ea quæ ab Eurico inconditè constituta videbantur correxit, plurimas leges prætermissas adjiciens,plerisque superfluas auferens. Obijt propria morte Toleto anno regni sui xviii.

,, Era dcxxxv. Leuvigildo defuncto filius ejus Recaredus regno est coronatus, cultu præditus religionis, & patrijs moribus longè dissimilis. Namque ille inreligiosus & bello promptissimus, hic fide pius & pace præclarus. ille armorum artibus gentis imperium dilatans, hic gloriosus eandem gentem fidei trophæo sublimans. In ipsis enim regni sui exordijs Catholicam fidem adeptus, totius Gothicæ gentis populos inoliti erroris labe detersa, ad cultum rectę fidei revocavit. Synodum etiam ad condemnationem Arrianæ hæresis congregavit, cui concilio idem gloriosissimus princeps interfuit, suaque eam præsentia & subscriptione firmavit. In belli quoque gloria satis clarus ac præcipuus extitit. Francis enim cum sexaginta ferè millibus armatorum copijs Gallias irruentibus,misso Claudio duce adversus eos,glorioso triumphavit eventu. Nullus unquam in Hispanis Gothorum vel major vel similis extitit. Prostrati sunt enim & capti multa millia, residua pars exercitus in fugam versa, Gothis post tergum insequentibus usque regni sui finibus cæsa est. Sæpe etiam & lacertos contra Romanas insolentias & irruptiones Wasconum movit, ubi non magis bella tractasse, quàm potiùs gentem, quasi in palæstra eludij,pro usu utilitatis videtur exercuisse. Provincias autem pater prælio conquisivit: iste pace conservavit, æquitate disposuit, moderamine rexit. Multi quoque adversus eum tyrannidem assumere cupientes, detecti sunt, suæque machinationis consilium implere non potuerunt. Fuit autem placidus, mitis, egregiæ bonitatis, tantamque in vulgus gratiam habuit, & tantam in animo benignitatem gessit, ut in omnium mentibus influens etiam malos ad affectum sui amoris attraheret: adeò liberalis, ut opes privatorum, Ecclesiarum prædia direpta à patre & fisco adsociata, juri proprio restitueret. Adeo quoque clemens fuit, ut populi tributa sæpe indulgentiæ largitione donaret. Multos etiam ditavit rebus, plurimos sublimavit honoribus, opes suas in miseris,thesauros suos in egenis recondens: sciens ad hoc illi fuisse collatum regnum, ut eo salubriter uteretur,bonis initijs bonum finem adeptus, fidem enim rectæ gloriæ quamprimum percepit,novissimè publica confessione pœnitentiæ cumulavit. Quintodecimo anno Toleto morte propria decessit.

Era

Era dcxl. anno poſt Recaredum principem filius ejus Liuva regni ſuſcepit ſceptra annis duobus: ignobili quidem matre progenitus,ſed virtutum indole inſignitus: quem in primo flore adoleſcentiæ Vittericus ſumpta tyrannide innocuum regno dejecit,præciſaque ejus dextra occidit,anno ætatis xx. regni verò ſecundo.

Era dcxlii. extincto Liuva Vittericus regnum, quod vivente illo invaſerat, ſibi vendicat annis vii. vir quidem ſtrenuus in armorum arte, ſed tamen expers victoriæ. Namque adverſus Romanum militem bella ſæpe molitus, nil ſatis gloriæ geſſit, præter quòd milites quoſdam Sagontia per duces obtinuit. Hic in vita plurima illicita fecit. in morte autem, quia gladio operatus fuerat, gladio perijt. Mors quippe innocentis inulta in illo non fuit. inter epulas enim prandij conjuratione ſuorum eſt interfectus. Corpus verò ejus viliter eſt exportatum atque ſepultum.

Era dcxl. octava, Gundemarus poſt Vittericum princeps efficitur annis duobus. hic Waſcones una expeditione vaſtavit,alia militem Romanum obſedit. Toleto propria morte deceſſit.

Era dcli. Siſebutus poſt Gundemarum regali faſtigio evocatur,regnans annos viii. menſes ſex. qui in initio regni ſui Iudæos ad fidem Chriſtianam permovens æmulationem quidem Dei habuit, ſed non ſecundum ſcientiam. Poteſtate enim compulit, quos provocare fidei ratione oportuit. Sed ſicut ſcriptum eſt, ſive per occaſionem, ſive per veritatem, Chriſtus adnuntietur. Fuit autem lingua nitidus, literarum ſtudijs ex parte imbutus. In bellicis quoque cauſis favorem habuit præliorum. Aſtures enim rebellantes miſſo exercitu per ducem ſuum Richilanem in ditionem ſuam reduxit. Roccones arduis montibus undique circumſeptos ſimiliter per duces devicit. De Romanis quoque præſens feliciter triumphavit, & quaſdam urbes pugnando ſubegit: adeo clemens poſt victoriam,ut pœnè omnes ab exercitu ſuo hoſtili præda in ſervitutem redactos precio dato abſolveret, ejuſque theſaurus redemptio captivorum exiſteret. Hunc alij morbo, alij veneno aſſerunt interfectum. Hi ſunt anni Gothorum regum, ab exordio Athanarici regis uſque ad iſtum Siſebutum,anni ccl. unus. Era dclxvi.

Explicit hiſtoria Gothorum.

INCIPIT

HISTORIA WANDALORUM.

Vuandali cum Alanis & Suevis pariter Hiſpanias ingrediuntur. Hi pace inter ſe inita, ſorte ad inhabitandum ſibi provinciarum dividunt regiones. Galliciam Wandali & Suevi occupant. Alani Luſitaniam & Carthaginenſem provincias. Wandali autem cognomine Silingi Beticam ſortiuntur. Hiſpani autem per civitates & caſtella reſidua barbaris dominantibus ſe ſubjugunt. In Hiſpanias Gundericus primus rex Wandalorum ſucceſſit, regnans in Galliciæ partibus annis xvi. qui dum rupto fœdere pacis Suevos in Nervoſis montibus obſideret, relicta tandem Gallicia cum omnibus Wandalis ad Beticam tranſivit: captaque Hiſpali cum inreverenter in Eccleſias ipſius civitatis manus extendiſſet, mox Dei judicio dæmone correptus interijt. Cui Geiſericus frater ſuus ex Catholico apoſtata factus ſuccedit in regnum annorum ſexaginta. qui de Beticæ provinciæ litore ad Mauritaniam venit, & Africa relicta in Hiſpaniam transfretavit. Cui Valentinianus occidentis Imperator non valens obſiſtere, pacem mittit, & partem Africæ quam Wandali poſſederant tanquam pacifico tradidit, conditionibus ab eo ſacramenti acceptis ne quid amplius invaderet. Ille autem ſacramenti religione violata Carthaginem pervadit, Siciliam deprædatur, Panormum obſidet, Arrianam peſtilentiam per totam Africam intromittit, ſacerdotes Eccleſiæ expellit, martyres plurimos effecit. Adverſus quem Theodoſius minor Orientis Imperator bellum præparavit, quod ad effectum non venit. Hunis enim Thraciam Illyricumque vaſtantibus, exercitus Wandalorum à Sicilia revocatur, & ad defendendos Thraces &

Illyrianos transmittitur. Geisericus autem non contentus solis Africæ vastationibus, navibus advectus Romam ingreditur, direptisque opibus Romanorum per quatuordecim dies, relicto Valentiniano, filias ejus multaque millia captivorum secum tulit. moxque Carthaginem redijt, & per legatos postulata pace à Valentiniano filias ejus ei Constantinopolim mittit. sicque post multarum provinciarum clades & Christianorum spolia atq; neces moritur regni sui anno sexagesimo. Hunericus autem filius ejus regnavit annis septem, mensibus quinque, habens in conjugio Imperatoris Valentiniani filiam, quam pater ejus Roma captivam cum matre abduxerat, qui & ipse Arriano suscitato furore Catholicas per totam Africam atrocior patre persequitur Ecclesias, tollit sacerdotes, & cuncti ordinis clericos in exilium mittit: monachos quoque atque laïcos quatuor circiter millia exilijs durioribus relegavit, martyres fecit, confessoribus linguas abscidit, qui linguis abscissis perfectè usque ad finem suum locuti sunt. Tunc Lætus Leptensis civitatis Episcopus glorioso martyrio coronatur. Venericus autem inter innumerabiles suarum impietatum strages, quas in Catholicos exercuerat, octavo regni sui anno ut Arrius pater ejus interioribus cunctis effusis miserabiliter vitam amisit. Cui succedens Guntabundus regnavit XII. annis, qui statim pacem Ecclesiæ donavit, & Catholicos protinus ab exilio revocavit. Quo defuncto Thrasemundus regnavit annis XXVII. mensibus quatuor. Iste Arriana insania plenus Catholicos insectatur, Ecclesias claudit, in Sardiniam exilio ex omni Africana ecclesia CXX. Episcopos mittit. Apud Carthaginem moritur. Post quem regnavit Hildiris ex filia Valentiniani Imp. genitus à Geiserico captivata, quæ Hunerico filio suo fuerat juncta. Regnavitque Hildiris annis septem & tribus mensibus. Iste sacramento à prædecessore suo Trasemundo fuerat obstrictus, ne Catholicis in regno suo Ecclesias aperiret, aut privilegia restitueret. priusquam regnaret, ne religionem sacramenti violaret, præcepit sacerdotes Catholicos ab exilio reduci & Ecclesias aperiri. Quem Gilimer assumpta tyrannide regno privavit, & cum filijs carceris custodia mancipavit. Post hæc Gilimer tyrannus regnavit annis tribus, mensibus octo: qui multos nobilium Africæ provinciæ crudeliter extinxit, multorumque substantias tulit. adversus quem Iustinianus Imp. incitatione Læti Episcopi, qui ab Hunerico Wandalorum rege martyr fuerat factus, exercitum in Africa Belisario magistro militum duce mittit: quem Belisarius cum omni gente Wandalorum prælio fugavit. Africam cepit centesimo XVII. Wandalorum ingressionis anno. In ipso autem Belisarij occursu, priusquam congressio fieret, Gilimer tyrannus Hildirim regem cum quibusdam generis ejus affinibus occidit. Belisarius Gilimerum tyrannum capit, & eum cum divitijs suis ex rapinis provinciarum Africæ conquisitis Constantinopolim Iustiniano Imperatori duxit: sicque regnum destructum est & finitum Wandalorum. Fiunt simul à primo anno Gunderici Regis, quo in Hispaniam ingressus est, usque ad Gilimeri casum & Wandalorum interitum anni CXX. tres & menses septem.

Explicit historia Wandalorum.

INCIPIT

HISTORIA SUEVORUM.

SUEVI duce Hermerico rege cum Alanis & Wandalis simul Hispanias ingressi sunt ERA CCCCXCVII. Hi Galliciam cum Wandalis occupant. Wandalis autem transeuntibus Africam, Galliciam soli Suevi sortiti sunt; quibus præfuit Emericus annis quatuordecim. Gallici autem in parte provinciæ regno suo utebantur: quos Emericus assidua vastatione deprædans tandem ob morbi dolorem eis pacem dedit: quo morbo diutissimè per annos septem oppressus interijt. Post quem Riccila filius ejus succesit & regnavit annis octo. Hic jubente patre ab eo missus, Undebotum Romanæ militiæ ducem cum suis omnibus copijs ad Singilium Beticæ fluvium inito bello prostravit, magnis ejus auri argentique copijs occupatis. Post obitum autem patris suscepto regno,

Hispania

Hispania ab eo obtenta cum Betica, Carthaginenses provincias in suam redegit potestatem. Quo defuncto Rectiarius succedit in regnum annis novem. Hic accepta in conjugio Theudoridi regis Gothorum filia in initio regni sui * deprædatur. Mox ad Theudoridum socerum suum profectus Cæsaraugustanam regionem cum auxilio Gothorum rediens deprædatur, irruptaque per dolum Ilerdensi urbe, egit ibi magnam captivitatem. Ad ultimum dum Theudoridus rex Hispaniam ingrederetur, inito prælio adversus eum, primò fugatus, deinde captus occiditur. Occiso Rectiario Suevi bifariè divisi, pars Fratan, pars Masdram sibi regem constituunt. Masdras autem cum manu Suevorum statim Lusitaniam deprædatur, acta illuc Romanorum cæde prædisque contractis. Civitas etiam Olisepona sub specie pacis intratur. Nec mora, Fratan mortuo, Suevi, qui cum eo fuerant, ad Masdram revertuntur: regionem Gallicæ adhærentem flumini Durio deprædantur. Masdras autem peracto tertio anno regni sui jugulatur. Quo extincto inter Frumarium & Remismundum Masdræ filium oritur de regni potestate dissensio. Sed Fumarius, cum manu quam habebat, Flamensem civitatem grandi evertit excidio. Remismundus autem vicina sibi pariter Arigensium loca & Lucensis conventus maritima populatur. Frumario autem mortuo, Remismundus omnes Suevos in suam ditionem revocat, pacem cum Gallicis reformat, legatos fœderis mittit ad Theoderidum regem Gothorum : à quo etiam per legatos & arma & conjugem quam haberet, accepit. Tertio regni anno ad Lusitaniam transijt. * Cimbricam pace deceptam diripit. Olisepona quoque ab eo occupatur: cives verò qui illic præerant, custodiendos tradidit Lusidio. Hujus tempore Alax natione Galata, effectus apostata & Arrianus, inter Suevos regis sui auxilio fidei Catholicæ hostis emersit. cujus seductione Suevi à fide Catholica recedentes, in Arrianum dogma declinant. Post multos deinde reges regnum Suevorum suscepit Theudemirus: qui fidem Catholicam adeptus, Arrianæ impietatis errore destructo Suevos unitati fidei reddidit. Hujus temporibus Martinus monasterij Dumiensis episcopus fide & scientia claruit. Cujus studio & pax ecclesiæ reddita est, & multa monasteria condita. Post Theudemirum, Miro Suevorum princeps efficitur, & regnavit annis XIII. Hic bellum secundo regni sui anno contra Roccones intulit : deinde in auxilium Liuvigildi Gothorum regis adversus rebellem filium ad expugnandam Hispalim pergit, ibique vitæ terminum clausit. Cui Eburicus filius in regnum succedit: quem adolescentem Audicas assumpta tyrannide regno privat, & monachum factum in monasterio damnat, pro quo non dilata est sententia. mox enim Liuvigildus Gothorum rex Suevis bellum inferens, obtento eodem regno Audicam dejecit, atque detonso eo, post regni honorem, presbyterij officio consecravit. Sic enim oportuit, ut quod regi suo fecerat, rursum idem ab alio congrua meriti vicissitudine pateretur. Regnum autem Suevorum deletum in Gothos transfertur, quod mansit annis centum XX. sex.

* *Conimbricam.*

Explicit historia Suevorum.

LECTORI.

HIS non abs re esset subjungere nonnulla de origine & gentium harum, quibus Gothis, Vandalis ac Suevis est nomen, primis sedibus: Et præsertim de Suevis aliquid attexere, cū de illis non una omniū sententia sit, eaque maximorum etiam virorum; & in his summus ille, tam veterum quam recentium scriptorum Aristarchus, Cæsar Scaliger libro VI. *Poëtices, cui Hypercritico titulum fecit, Lucani illum versum,*

Fundat ab extremo flavos Aquilone Suëvos
Albis.

In reprehensionem rapuerit, & maximum authorum erroris insimulaverit, quod Suevos albicolas fecisset, existimans Rheno eos quàm Albi propiores. At rectè à Lucano scriptum id & Albi vindicandos Suevos imo ultra etiam Albim antiquitus egisse, quamvis hodie circa Danubium vestigiā sui nominis retineant & Schwaben *vocentur, vel unus doceat idq; disertis verbis Cornelius Tacitus, qui in libro de Germania hæc habet: Maxima est Suevorū natio: nam & à Rheno ad Albim usq; pertingit, & trans Albim habitat pars eorū, ut Hermunduri & Longobardi: atq; nunc quidē hi fugā factā omnino in ulteriorem regionem se conjecerunt. Ubi non tantū Albi vicinos, sed ultra etiā Albim, & partem eorū Longobardos fuisse demonstrat.*

Vt meritò quoq; à Peucero sit traditum, verbis quæ Ortelius memorat, Suevos olim omnem eam borealis Germaniæ oram tenuisse, quam nunc incolunt Cassubij & Pomerani universi ad littus usque maris Balthici, quod Suevicum Tacitus nuncupat. Ità ut jure inter Vandalos meruisse ac ijs mixtos egisse superiora ostendant. Sed de his cum antea & eo præsertim libro, qui Historiam præcedit, distinctè ac proprie diximus, eo remittere lectorem, quàm hîc, quod dicitur, crambem repetere satius duco.

Illud interim monendum lectorem habeam, in CHRONICO, *quod posuimus,* ISIDORI, *Initia regni Gothorum in Hispania ratione Ærarum Hispanicarum esse expressa, eaque ad annos Christi reducenda, aut annorum potius Christi ordine, qui sequitur, distinguenda:*

Anni ÆRÆ *Hispanicæ.*	Anni *Christi.*	
407	369	Athanaricus.
420	382	Alaricus cum Radagatho.
449	411	Athaulphus.
454	416	Segericus.
454	416	Wallia.
457	419	Theuderedus.
490	452	Turisinundus.
491	453	Theudericus.
504	466	Euricus.
521	483	Alaricus.
544	506	Gesalricus.
549	511	Theudericus.
565	527	Amalaricus.
569	531	Theudis.
586	548	Theudisculus.
587	549	Agila.
592	554	Atanagildus.
605	567	Liuva.
606	568	Leovigildus.
624	586	Reccaredus.

Anni ÆRÆ *Hispanicæ.*	Anni *Christi.*	
639	601	Liuva.
641	603	Wittericus.
648	610	Gundamarus.
650	612	Sisebutus.
659	621	Suinthila.
669	631	Sisenandus.
674	636	Chintila.
678	640	Tulca.
680	642	Chindasuinthus.
710	972	Wamba.
718	680	Eruigius.
725	687	Egiga.
739	701	Witiza.
749	711	Rudericus.



RERVM



RERUM DANICARUM HISTORIÆ LIBER III.



POST ergò Gothorum, Rugorum Vandalorum ac Longobardorum absolutam jam pene claritatis ac nominis periodum, emissi ex eâdem hac veluti vagina ac promptuario gentium, sed àlijs appellationibus, *Angli*, *Vithæ* & *Saxones*. Quorum *Vithas* Bedæ nominatos Chersonesum hodieque Cimbricam constanter sub *Iutharum* vocabulo retinere aliàs indicavimus, quemadmodum & *Anglos* ante Bedam in eàdem hac Septentrionis ac Chersonesi Germaniâ haud ignoravisse Cornelium Tacitum. *Saxones* verò paulo pòst circa ejusdem Chersonesi collum Ptolemæo, qui Tacitum proximè est secutus, agnitos, antea similiter & alibi nobis memoratum. Hi quam validus populus, quamque non classibus modò, sed & terrestri militiâ prævaluerint, eorum expeditiones & ductæ ex Chersoneso suâ in vicinas gentes transmarinæ coloniæ regnaque ibidem & imperia constituta, mutatis ac deletis priorum vocabulis, præcipue indicio *Angli* fuerint. Quæ tamen omnia ut clarius luculentiusque ob oculos proponantur, semovenda est, quæ glaucomã hîc solet objicere, antiquitatis nebula, ipsaq; rerum principia atque occasiones repetendæ nonnihil altius, servatâ ubique atque addita, quæ hic per necessaria, annorum serie.

Cum jam in extremâ, quod dicitur, tegula res Romana versaretur & hinc Italia inde Hispaniæ Galliæque quasi discerptæ à peregrinis gentibus tenerentur, illisque omnibus superveniens Attila majorem adhuc tempestatem minaretur, legiones, quæcunq; haberi potuerunt, ad subsidium revocatæ, & Ætio, supremo militiæ duci, commissæ. Britanniam tum veluti alium orbem & extra continentis terminos collocatam, tres diversæ nationes habitabant: *Britones*, qui indigenæ erant, Romanis parentes, itemque *Picti* & *Scoti*; qui ut advenæ, ex Hibernia nimirum profecti, Borealiorem insulæ partem colebant. Hi Britonibus perpetuò infesti & licet Romanorum sæpenumero præsidijs repressi haud tamen quiescere potuerunt, præsertim cum difficillimis ac multiplicibus bellis Romànos distineri, eorumque legiones partim ex insulâ avocari, partim lente parceq; in eandem reduci animadverterent. Scoti igitur sine mora cum Pictis arctiori percusso fœdere collectisq; undiquaque copijs (quas inter & Norvagienses & Danos fuisse Math. Westmonasteriensis ad annum CCCCXXXIV. videtur innuere) Britannos invadunt vastantque. Britones ut CCCCXXXIV.
sese recolligerent, auxilio jam omni destituti ad Ætium confugiunt. Ille fatigatus com-

Poſt natum Chriſtum.

motuſq; eorum precibus, utpote adhuc in fide Romanorum conſiſtentium, unam ipſis ex Gallia legionem ſuppetias miſit. Quâ illi confiſi, repulſiſque ac profligatis ſemel iterumque hoſtibus, rem fortiter agere, & inito cum Ætianis ducibus conſilio vallum inter Romanorum provinciam & fines Pictorum conſtituere, futurum in omnem eventum adverſus hoſtium incurſionem haud invalidum munimentum. Dumque hoc pacto unius legionis præſidio conquieſcit Britannia, infeſtis ſignis Galliam petunt gentes, adeo ut ſuos ex inſulâ ſubitò ac neceſſario revocarit Ætius. Scoti, re intellectâ, confeſtim Britannos repetunt magnoque impetu unà cum Pictis murum ſuperant. Et actum fuiſſet de Britonibus niſi Valentinianus Imperator, qui aliquammultas copias Pariſijs adhuc retinebant, inſulanis auxilium rogantibus ſubſidio adfuiſſet. Tum vallus ille ſive murus denuo ſed ex lapide communitur & additis inſuper ad excubias habendas caſtellis aut ſpeculis multò quam prius validior redditur. Verum Scoti mox Pictique fractis jam aut langueſcentibus imperij viribus, ubi multò quam antea ferocius in Britannos incumbunt, iterum ad Ætiū, Galliarumque militiæ præſidem, legati à Britonibus miſſi, qui auxilia flagitarent. Sed Ætio jam ad reprimendum Attilam ſummo animo ac viribus intento, haud quicquam impetrare potuerunt. Quæ dum fiunt, occupant Scoti extremā inſulæ partem, quæ à Grampio colle ad boream ſpectat, quam & hodieque tenent ac ſuo de nomine Scotiam nuncupant. Inde Britanniæ proceres cum viderent tantam tempeſtatem à Scotis æquè ut à Pictis aſsiduè impendere, de duce aliquo ac rege nuncupando conſultare incipiunt. Itaq; habito conſilio, Vortigernus eligitur, quod eſſet inter ſuos non tantum authoritate, ſed etiam virtute ac generis nobilitate præcipuus. Alij, quos inter Buchananus; & ſi qui eum ſecuti recentiores, referunt è gente ſuâ Britones Conſtantinum è Gallica Britannia accerſitum regem pronunciaſſe; eumque per decennium pacem qualemcunque cum finitimis habuiſſe, ac tandē fraude Vortigerni ſublato, ejuſdem filium à Vortigerno in regnum ſubſtitutum; & eo ſimiliter per ſicarios clam interfici juſſo ipſiſque viciſſim ſicarijs necī traditis, non invitis Britonibus regnum exinde ſibi Vortigernum occupaſſe. Verum hallucinatos eos aut ſaltem popularia quædam ac minus vera ſecutos exiſtimo. Nam Conſtantinus ille, quem è Gallica Britannia non Britones ſed miles Romanus non tam ullo ejus merito, quam ominatione nominis apud Btitannos gratioſi, ad imperium ſurrogarat, multò jam ante, intra nimirum Arelatem à Comite Honorij Conſtantio obſidione victus miſſuſque ad Honorium cum uno filiorum Iuliano ad Mincium flumen truncatus eſt. Sicuti & Conſtantem filiorum ejus alterum Gerontius Britannus Viennæ in Gallijs oppugnatum ſuamque in poteſtatem adductum vitâ exuit. Vortigernus igitur ad regni clavum vocatus nihil antiquius habuit quam de Repub. cogitationem ac curam ſuſcipere, quo nimirum patriæ fatum, quod jam præ foribus erat, omni ope conſilioque averruncaret. Cumque diu multumque, quid maximè è re foret quæſitum agitatumque eſſet, procerum præcipui rebus ſuis ac viribus diffiſi externa auxilia circumſpicienda judicarunt. Quapropter ex conſenſu populi vicinos è regione ad ortum borealem *Anglos*, ad collum Cimbricæ Cherſoneſi locatos, *Vitaſq;* Bedæ, nunc Iutas vocatos, una cum *Saxonibus*, qui tū præcipuè rei militaris famâ longe lateque illuſtres ac celebres habebantur, accerſendos decernitur. Atque ità miſſi quamprimum ſunt, qui eos ad opem laborantibus ferendam ampliſſimis promiſſis adhortarentur, ac demum auxilium non abnuentes in Britanniam protinus ducerent. Quo nuncio accepto, unà cum Vitis & Saxonibus Angli, læta bello gens & quæ vel ultrò ſtipendij faciendi erat avida confeſtim delecta fortiſsimorum juvenum manu navibuſq; impoſitâ, ducibus Hengiſto & Horſo, ij fratres erant Martijs animis viri, Britanniam appellunt, annum circiter ſalutis humanæ CCCCXLIX. Egreſſos in terram honorificè ac comiter Rex accepit, aſsignatis inſuper in Cantio ad habitandum ſedibus. Ac mox adjunctis ſibi inſulanorum auxilijs in Pictum & Scotos, agrum late vaſtantes, contendunt: prælioque commiſſo inſigni victoria potiti ſunt. Rex ſucceſſu gaudens novam gentem, & cujus auſpicijs vim hoſtilem profligârat, liberali cumprimis ſtipendio remuneratur. Quanquam ſint, qui non evocatos patriâ, ſed ut homines vagos & qui ſponte ſuâ prædandi animo ad littora inſulæ ubi forte adveniſſent, regi Vertigerno conciliatos autument. A qua opinione ut abhorream, faciunt Pauli Diaconi verba, qui diſertè Anglorum gentes à rege Vertigerno invitatas commemorat. Hengiſtus igitur, ut erat non tantum manu fortis, ſed & ſenſu celer & ultra barbarum promptus ingenio, cognito regis animo, qui jam totus in Anglorum virtute conquieſcere videbatur; tum etiam perſpectâ, ad tranſmittendum bellum ac commercia, regni oportunitate, id ſibi agendum putavit, quibus

Lib. 5. in Eugenio rege XLI.

Vide Orig. Fran. lib. 4. ad annum CCCCIX.

CCCCXLIX.

quibus ipſe modis ſibi ſuiſque poſſeſſionem ac ſedem ſtabiliorem in regione tam commoda tamque amœnâ paulatim firmaret. *Poſt natum Christum.* Itaque omnium primò locum, qui ad colendum erat conceſſus, haud perfunctoriè communire, ejuſq; fines deducere, impoſitis etiam præſidijs accuratius cuſtodire curæ habuit. Deinde, non ceſſantibus Pictorum incurſionibus, de novo gentis ſuæ ſupplemento deque majore militũ manu convocanda cum Vertigerno cæpit agere. Et Vertigernus quidem futuræ ſortis neſcius nequaquam conſilium aſpernatur. Itaq; famâ jam ultra Oceanum latè divulgatâ, ſive ab Hengiſto per nuncios exciti, ſive ab ipſo domum hoc nomine remiſſo conſcripti (utrumque enim traditur) multò quam prius majore multitudine ex ijſdem nationibus viri ſimul ac fœminæ, naves conſcendunt, magnàque claſſe completâ, in Britanniam commigrant. Quin & illud addunt quidam, adductam ſimul fuiſſe Hengiſti filiam, cui Ronix nomen erat, miræ pulchritudinis puellam & moribus, qui ut talem decerent, ita non diſplicerent Vertigerno. Hengiſtus comperto ſuos haud eſſe regi ingratos, id porrò operam dedit ut eundem in filiæ amorem illiceret. Quod & occaſione feſtivi convivij, ad quod ab Hengiſto vocatus acceſſerat, factum memorant. Hic enim delectatus Rex cum elegantiâ corporis tum morum Ronicis, eam continuo in thori ſociam aſſumptam matrimonio ſibi copulavit. Angli igitur præter agros, quos acceperant affinitate jam inſuper regia cum Britonibus junctâ fidentes gnaviter adverſus Pictos ac Scotos ſe gerere eoſque extra vallum, quem diximus ab Ætianis ducibus eductum, ſubmovere, tutam Britonibus quietem undiquaque præſtare: mox agmine facto, certatim novi coloni in inſulam adventare, ac numero aucti inſolentius ſe extollere ac ipſis quoque indigenis eſſe formidini, ac tandẽ, ceu fieri ſolet, ad contentiones ex contentionibus ab arma & injurias devenire. Accedebat quod Ronix Vertigerni conjux ſuos præcipue apud maritum commendare & ad eorum injurias connivere crederetur. Unde Britanni, ſtudio quodam vindicandi ſe excitati, Vertigerni primogenitum, Vertimerium nomine, quem & mirè noverca oderat, ſpreto parente regem creant. Hic ad novos habitatores, quos pater acciverat, ejiciendos ſigno ſublato, primum in arctum eos cogere Tanetha inſula juxta Cantij latus concluſos: inde Britanniâ quoq; totâ tentat ejicere. Sed in medio rerum curſu novercalibus inſidijs extinctus patri ſedem regni vacuam, unde dejectus erat, reliquit. Et ita Anglis Saxonibuſque commutata fortunæ alea. Hengiſtus igitur, aſpirante jam rurſus ſecundiore aurâ vires reſumit, atque ità exinde in inſulam animatus inſtructuſque regreditur, ut vim tumultuariam Britonum, aut in fide levitatem metuendam deinceps magnopere non haberet. Quod & advenæ ubi animadverterent, erectis altius animis, frumentum, ſtipendia, agros novos, majora indies poſtulare, renuentibus vim & arma oſtentare, & proxima quæque invadere ac ſedes denique trans Humbrum locare cæperunt. Britonibus tum ſolatium aliquod, ſed in tantis miſerijs fugitivum ac leve attulit *Aurelius* Ambroſius, qui, ut habet Diaconus, ſolus forte Romanæ gentis Saxonum cædi ſuperfuerat. *Aurelianus eſt in Gilda & Beda.* Hic purpurâ ſumptâ & imperator ſalutatus cum Vertigerno & Anglis conſerere manum auſus; ipſum Vertigernum, in oppido Walliæ Genora, imparatum oppreſsit atque in turri, in quam ſui conſulendi cauſa confugerat, concremavit. Inde aucto exercitu contra Saxones ſe vertit, quos ter inſtauratâ pugnâ fudit ac fugavit, Horſo Hengiſti fratre alijſque permultis neci datis. Verum juncti Saxonibus Angli, viribuſque reparatis ac novis è Cimbriâ acceptis auxiliorum manipulis animoſi, iterum fortunam tentare ac bellum redintegrare haudquaquam ueriti. Aurelius intellecto hoſtem cum exercitu ſatis firmo adventare, nihil cunctatus ad ripam fluminis, quod dunum vocant, cum expedita ſuorum manu ſe obvium tulit, prælioque ingenti commiſſo victoriam priore majorem reportavit, ipſo Hengiſto primo impetu interempto & alijs inſuper quamplurimis deſideratis. Hengiſtus duos reliquit filios, Oſcam, ſive ut alij vocant, Occonem & Otham, maſculis animis juvenes. Hi reſarcitis copijs adverſus Aurelium ituri iterum ſuccumbunt ac repelluntur; ſed dum & inſtant acriterque pugnant repugnantque, ipſe Aurelius accepto obiter vulnere, paucis poſt diebus interijt. Vertimerio jam, ut diximus, ſublato ſucceſſerat frater Utherius cognomento Pendraco, qui nihil ſibi ſtatim a principio potius duxit, quam ut Patriæ rebus conſuleretur, modò id per civium diſcordiam licuiſſet. Initio regni ejus Paſcentius Vertigerni ex Anglo Saxonicâ filius novas copias ex Cimbrico littore tranſvectas ducens, junctâ cum Hibernis ſocietate, in Bitannos incubuit. Sed Utherius qui Pictos Scotoſque tumultuario ſibi fœdere conciliaverat, victor tum extitit. Nec ſic tamen animum remiſère Angli Saxoneſque quin denuo ad præliandum ſe pararent. itaque Occone, quem diximus, duce, magnis copijs

AURELIUS AMBROSIUS IMP.

Post natum Christum. copijs atque animis cum Utherio congressi, non ante pugnare destiterunt quàm, utrimq; ingenti strage editâ, Occonem ab hoste captum intelligerent. Quo postmodum è vinculis elapso ad prælia & pugnas redierunt. Ac tandem cum animadverteretur parum aut nihil tot expeditionibus diminutas Anglorum Saxonumque vires, consultius judicavit Utherius pacisci cum ijs, quam ad nova auxilia repetenda eosdem concitare. Conditiones inter ceteras dictæ, ut ager Britanniæ inter Britones Saxonesque atque Anglos certis terminis divideretur, suâ quisque parte contentus ageret; nec quicquam ultra molirentur. Beda qui aliter paulo hæc refert, ait Anglo-saxones Londinum properantes voce clamantium Britonum canentiumque Alleluia, præcinente Germano Episcopo, perterritos in fugam se conjecisse, ac sic discessum utrimque nullo effuso sanguine: indeque aliquamdiu ab armis temperatum ac veluti inducias fuisse, donec tandem inter se contendere exorsi Britones: Eaque occasione Anglos eorumque fœderatos Saxones monte quodam edito, (Badovicum appellabant) in littore Germaniam prospectante, celeriter occupato, qui esset auxilijs eorum è patriâ recipiendis idoneus, præsertim cum fluminis ostium, in proximo haberetur; denuò se communire bellaque & Martem spirare cœpisse; sed Britones expeditis statim copijs eo profectos locum obsedisse; Anglosque ad prælium & planiciem descendere ob mediam adactos, post longam tandem dimicationem, magnâ illâ clade affecisse, in qua Occo cum fratre perierit: Hujus prælij etiam Gildas meminit, adjiciens se in lucem eodem illo anno editum, qui fuit ab adventu in Britanniam Anglo-
CCCCXCII. rum XLIV. humanæ verò salutis CCCCXCII. Utherij, de quo est dictum, obitus refertur
DXVIII. ad annum quinquagesimum ac decimum octavum. Eique tum successerit Arthurus filius, adolescens, qui corporis dotes animi bonis cumulabat. Ejus ætas cum esset Anglo-saxonibus contemptui, facilè etiam pacta cum parente inita ijdem floccifecêre. Nullus tamen in Britannia regum plus ipsis facessijt negotij. Firmatis enim, quæ cum Scotis & Pictis icerat, fœderibus, eorum accitis auxiliaribus copijs, priusquam vel audire quicquam bellicum, aut sibi à rege adolescente metuere hostes poterant, ultrò in eos ducit, iteratòque magnis prælijs superior evadit. Et fractis profligatisque gnaviter instans Anglo-saxonici regni metropolim Londinum subitò invadit atque occupat; Eboracum alteram hostium sedem coronâ cingit & quamvis è littore Cimbrico adventantium copiarum famâ motus remittere obsidionem cogeretur, tandiu tamen parte exercitus obsessos attinuit, dum tandem deditio sequeretur. Anglo-Saxones nec istis attriti iterum se parant, ac novo circa Humbrum flumen exercitu Britonibus occurrunt. Tunc Arthurus, cum Scotis & Pictis firmiori pacto inito, de tota paganâ hac gente ex insulâ ejiciendâ ac sacris Christianis per universam Britanniam instaurandis consilium capit. itaque conjunctis copijs trium diversarum gentium reges in aciem prodierunt. Nec morati Anglo-saxones prælium fortiter capessunt, editâque ingenti hostium strage diu in ancipiti Mars stetit. Sed tandem Arthurum victoria respexit. Occo, qui Anglis ceterisque dux erat, superioris Occonis filius Hengistique nepos, cum diu inclinatam aciem animosè sustinuisset, gravi accepto vulnere ad classem delatus in continentem trajecit. Eum subsecuti continuò, quibuscunque navium copia fuit. Arthurus re adeò feliciter expeditâ, triplicato sub proximum ver exercitu in Cantium & Orientalem Britanniam, ubi Angli eorumque socij validum adhuc militem tenebat, ducit, ac sæpe dubiâ fortunâ rem agens postremum tamen victor abijt. Et obtrita jam, penitusque deleta Anglorum Saxonumque gens videri poterat, vulgoque existimatum haud unquam vires recuperaturam. Sed versa propediem fortuna est. Nam à morte Arthuri, quo cum occubuisse virtus Britonumque felicitas est visa, regressi, qui insulâ exierant, memoriâque amissorum stimulati, haud destiterunt prius, quam Britones sæpe victos, aliquando & per intervalla præsertim sub Cadavallone, rursus victores, iterumque sub Cadavallardo cladibus multis afflictos, agris tandem excedere partimque in Walliam & Cornubiam è fuga se recipere, partim in Britanniam Aremoricam, trans mare, novas quærere sedes adegissent. Ipsi verò totius tum insulæ, præter Scotiam & quæ Picti tenebant, imperio potiti vacua loca novis colonis implerunt. Fuit is annus
DC. Regis Cadavillardi duodecimus, salutis verò humanæ DC.

Angli igitur majore jam insulæ parte occupatâ in plura se regna divisere. Primum regnum Cantianum fuit. Hengistus enim, ut ante dictum, Cantium tenuit, ejusque territorij se regem dixit. Habuit id regnum ab oriente Sole & meridie oceanum: à borea Thamesin flumen, ab occidente terminabatur finibus Australium Saxonum. Secuti Hengistum Occo & Otha ejus filij: itemque Henricus & Etelbertus quintus ab Hengisto vir

pari

pari innocentia atque animo egregius, bellicæque rei studiosissimus: quippe qui post partum foris otium, domi minimè quietus, omnium primus bellum adversus suæ gentis regulos gerere ausus fines regni sui ad Humbrum usque flumen extendisse memoratur. Neque id contra quam belli jus suadet, fecisse dicendus, cum Regnum Britannis ereptum occupanti tum patuerit. Deerat adhuc ei totique genti veræ religionis cultus. Cui promovendæ occasionem præcipuè dedisse uxor Bertha potest. Quæ cum è gente Francorum esset, sanctis suis monitis ità maritum instituit, ut à nomine Christiano nequaquam abhorreret. Unde factum, ut Gregorius Magnus, Romanæ sedis antistes, Augustinum miserit, qui tum ipsum Ethelbertum, tum ceteros ejus populares rudemque plebem Christianam pietatem, qualis tunc temporis habebatur, haud paucis superstitionum involucris contaminatam, edoceret. Accidit id annum circiter Christi sexcentesimum ac tertium imperante Romanis in oriente Mauritio. Tunc & idem Rex, Augustini rogatu, ædem divis Apostolis Petro & Paulo posuit, donisque ornavit amplissimis, ac postea seorsim apostolo Paulo Londini templum extruxit & aliud Rocestriæ divo Andreæ: Successores ejus hi fuerunt: Edbaldus, Eccombertus, Egbertus, Lotharius, Edricus, Vihtredus, Edbertus, Ethelbertus, Alricus, Edbertus aliàs Edelbertus, Cuthredus, Baldredus, Ethelbolphus. Hic ordine regum decimus octavus & ultimus ab Egberto occidentali rege captus victori possessione regni cessit. Sicque Cantianum regnum adjunctum occidentali. Regnatumque in Cantio ab Hengisto usque ad amissam libertatem annos circiter CCCLXIII.

Post natum Christum. DCIII.

Alterum regnum fuit Australium Saxonum. Hoc anno trigesimo altero ab adventu in insulam Anglorum habuisse initium ex Ella Saxone putatur. Is enim dum Britanni varijs belli motibus defatigantur, paulatim Australem insulæ partem occupavit, ibique regnum tenuit. Pauci admodum illius districtus reguli enumerantur: superati enim civili bello in nomen ditionemque occidentalium Saxonum concessère. Fines regni fuisse suspicantur, quibus nostro hoc tempore continentur Vintoniensis & Cicestrensis dioeceses. Post Ellam quatuor duntaxat reges recensentur, Sisca, Ethelvalchius, Berutius & Aldinius. Quem Inas occidentalium Rex vita pariter & regno expulit.

Tertium regnum Anglorum Orientalium, quod illi eam insulæ partem tenerent, quæ ortum Solis spectat. Hoc terræ spatium hodie dioeceses Nordovicensis & Elijensis complectitur, in tres divisum Comitatus, Eutfolchiam, Nortfolchiam, & Cantabrigiensem. Hujus primus regulus fuit Uffa: quem secuti Titullus, Redovaldus, Carpvaldus, Sigebertus literarum patronus, Egricus, Annas, Ethelherius, Aldulphus, Edvoldus, Beornas, Ethelredus, Ethelbertus martyr. Idem hoc regnum modò à Mercijs modò ab Occidentalibus, aliquoties à regulis Cantianis possessum, donec illud Edmundus vir sanctus ex gente Anglorum ultimus tenuit. Edmundum secuti ex gente Danicâ Guthormus, & Ericus post cujus cædem coacti Angli se regi Occidentalium dedere. Atque ità Orientales Angli & regnum, quod diutius quam ullum aliud stetit, & nomen amisère.

Quartum sequitur Orientalium Saxonum regnum, juxta Bedam, qui alios esse Saxones, alios Anglos tradidit. Hi igitur sibi regnum constituerunt, quod ab Erchenvino regulo ortum habuit. cujus regni caput fuit Londinum, quà urbe postea Ethelbertus Cantianus rex, uti supra ostensum, potitus est: claudebatur ijsdem finibus ac memoria nostra Londinensis dioecesis. Sunt authores, quibus & plures assentiuntur, qui autumant Orientalium Anglorum & Saxonum idem fuisse regnum & à duobus regulis interdum administratum cum & gentis utriusque caput Londinum sedesque regia fuerit. Reges ab ipso regni initio Ercehvino successerunt Sladda, Sibertus, Surredius, Sigebertus parvus, Suthelinus, Sigerius, Sigehardus, Offa, Colredus, Sutthedus, undecimus & regum ultimus. Hujus principatum Egbertus demum occidentalium rex unà cum Cantianorum & Northumbrorum regnis suis ditionibus, ut mox dicetur, adjunxit.

Quintum regnum Merciorum, id est, mediterraneorum Saxonum fuit à Crida Saxone inchoatum. De hujus longitudine aut latitudine nihil certi traditur, eos tamen fines habuisse judicant, quibus hodie terminatur Lincolniensis, Conventrensis & Lichefeldensis ac Vigorniensis dioeceses. Crida vir copijs ac fama potens, cum Britannis bellando paulatim in ea insulæ parte principatum obtinuit, quem ad ultimum per manus Vibbæ filio tradidit. Neque Vibbas virtute inferior parente regnum non servavit modò, sed auxit etiam, Britannis finitimis passim devictis. Deinde Cearlus regnum obtinuit, cui Penda Wibbæ filius à Crida quartus successit. Hic moriens septenos reliquit liberos. Ex quibus

Beda

Post natum Christum.

Peda & Vuilterus ordine successerunt. Regnavit post eos Chenredus Vuilfredi filius sub Ethelredi patrui tutelâ. Maturus ævo filium genuit Celredum regni hæredem, quem Ethelbaldus postremum secutus; qui à Mercijs, postquam annis XL. regno præfuerat, interfectus. Author cædis Beruredus fuit, qui & regnum occupavit. Beruredum Offa secutus; Inde Egtridus, Conulphus, Chenelmus, Cevalphus, Bernulphus, Ludicemus, Utlacus, Bertulphus. Hic à Danis, qui, Regnero rege in insulam delati sedes sibi quærebant, acie victus, regno cessit. Dani qui domo patriaque procul nulla arma aut insidias magnopere timebant, dum universos insulanos aut vi aut dolis superare inque officio continere satagunt, Burthredus homo potens & cui jure hæreditas regni Merciorum veniebat, intra Merciæ fines derepente cum magno armatorum numero ingressus hostes ubique cædit & fugat, seq; regem dicit. Regnat idem annos circiter viginti. Interea variâ fortunâ cum Danis congressus, postremò magnâ acceptâ clade ac patria pulsus Romæ privatus obijt. Dani regno Merciæ rursus potiti, sed dubij an ex suo commilitio regem aliquem pronunciarent, præsertim motis adhuc ubique rebus & insulanis prævalentibus, capto in arena (quod dicitur) consilio Cevolphum Burthredi servum regem creant, adactum prius jurejurando se ut regno abdicaret, quandocunq; id fieri imperarent. Fuit Cevolphus à Cridâ Merciorum rege primo XXII. & ultimus. Eum enim nullo genere aut virtute clarum Alvredus Occidentalium Rex levi negotio vicit regnumque Merciorum suo adjecit, annum circiter DCCCXX.

Sextum regnum Northumbrorum sive Berniciorum, quod & in Deirorum regnum dividebatur, ab Idâ & Allâ primis illius provinciæ possessoribus, post adventum Anglorum initium sumpsit, anno nimirum LXXXIV. salutis verò humanæ DVIII. Latitudinem eam habuit, in quam nunc diœceses, Eboracensis, Carliolensis, & Dunelmensis patent. Dicta Northumbria, non, ut vult Polydorus, quod ob montium altitudinem umbrosa sit, sed à North & Humbro flumine, cui à parte nimirum Boreali adjacet. Dividitur in duas regiones, Berniciam scilicet, quæ ad Scotiam spectat, & Deiram. Hanc primum occupasse Allum ferunt, inque ea annis circiter XXX. regnâsse. Idas vir acer & bellicosus, ut regio nomine se dignum demonstraret, ita feliciter arma circumtulit ut brevi imperij fines ab Humbro flumine ad fretum usque Scoticum propagarit, Lotho Pictorum, & Conrano Scotorum rege, acie victis. Post eum & Allam ordine regnarunt Addas, Clapas, Theodulphus, Freodulphus, Theodoricus, Ethelricus, Ethelfredus, Edvinus, Osvaldus, Osuvius, Egfredus, Alfredus, Offredus, Chenredus, Osrichus, Ceoloulphus, Egbertus. Qui ab altero & vigesimo anno, quam regnare ceperat, regno relicto, monachum induit. Ex illo res Northumbriæ inclinare cæptæ, populo per factiones in partes discisso. Successit Osoulphus, qui brevi domestico odio oppressus perijt. Hunc Alfredus secutus est, qui decimo post anno, discordia itidem civili fatigatus, imperio cedere est compulsus. Cujus exemplo territus, qui ei successit, Osredus vix anno circumacto, ad privatam vitam se recepit. Postremò Ethelbertus seu Adelredus ab Idâ vigesimus quartus, & ultimus, curam regni tot antea regulis exitialem suscipere ausus, superiorum tamen fatum effugere haudquaquam potuit, post enim quartum, quam illud occuparat, annum à suis quoque occisus est. Vacavit regnum aliquandiu nemine id magnopere ambiente, utpote quod velut aurum quoddam Tholosanum aut equum, quod ajunt, Seianum, quisque reformidaret. Sic Northumbria domesticis & intestinis agitata malis, deinceps triginta & amplius annis tam finitimorum quam externorum injurijs exposita fuit. namque & Dani sedibus patrijs egresi inque insulam delati imperium aliquandiu exercuerunt, dum tandem Egbertus Occidentalium rex regnum seditionibus scissum suo id adjecerit anno salutis DCCCXXVII.

Septimum regnum Occidentalium Saxonum, anno adventus Anglorum circiter altero & septuagesimo, salutis humanæ DXXI. exordium à Cerdicio primo rege sumpsit. Fines ejus fuerunt, quà hodie fere Bathoniensis & Vuellensis, item Sarisberiensis ac Exoriensis diœceses patent. Cerdicius ex Germanico littore, ut referunt authores, fere ultimus cum auxiliaribus copijs accesit. Cumque ab insulanis impugnaretur, prospere adversus eos re gestâ superior fuit. Isque primus belli successus quietem ei peperit. Nam occupata paulatim ulteriusque invasa ea insulæ parte; quæ ad occidentem vergit, ibi regnare cæpit indeqve est dictus rex occidentalis. Regnum sibi ac posteris longe pulcherrimum comparavit, reliquitque ab se in dies singulos majoribus auctum opibus. Cerdicium secutus est *Cenricus* à patre accepto imperio. Post Cenricum regnat *Ceaulinus.*

Ceaulino

Poſt natum Chriſtum.

Ceaulino ſucceſſerunt *Celricus* & Ceoloulphus ſive *Quichelmus*, ut placet alijs. Hi diviſo æquâ lance imperio cõcorditer vixiſſe memorantur; Quod ut illo ævo inq; Martia ea gente rarum, ità difficillimum judicatum, cum præſertim, ut ille inquit, imperium omne impatiens conſortis habeatur. Cleoloulphum *Cynigillus* ſecutus, quo regnante, imbutus eſt populus chriſtianæ doctrinæ initijs, cæpitq; pietati ac moribus manſuetioribus paulatim aſſuefieri. poſtea Cynigillus ſecutus eſt, quo regnante, operâ præſertim Berini epiſcopi, quem Honorius pontifex in inſulam id temporis miſerat, in totum ſe Chriſtianæ religioni populus dedidit. Poſt Cynigillum *Cenovalchius* regnat à Cerdicio ſeptimus. Qui obijt anno regni ſui trigeſimo. Secuti ſunt reges *Elcuinus* & *Centuinus* ambo adoleſcentes virtute & armis inſignes, ſiquidē ille Mercios, hic Britannos clade affecit: ſed brevitas vitæ diuturniorem eis felicitatem invidit. Vix enim annis novem imperio præfuerant, cum vitâ functi ſunt. Beda eos non communi, ut quidam volunt, imperio regnâſſe, ſed regnum inter ſe diviſiſſe tradit. Eos proximè excepit *Cedovalla*, qui ordine regum à Cerdicio decimus, ab initio præclariſſimorum facinorum famam quærens, finitimos circumquaq; bello vexandos exiſtimavit. Unde & varia bella confecit, modo Auſtrales Saxones, modo Cantianos infeſtando. Vectem inſulam hoſtiliter ingreſſus, parum abfuit, quin totā deleret. Quæ & ipſa gentium adhuc idolis deſerviens geſsit. mox ad humanitatē ac vitam mitiorem converſus ſeq; in ſocietatem eorum, qui Chriſto nomen dederant, tradere deſiderans, Romam profectus eſt ibiq; aquâ baptiſmatis initiatus, brevi poſt vita exceſſit. Cedovallam ſecutus eſt *Inas*. qui confeſtim inito principatu, Cantianos aggreſſus, eos pactione cum bellum detrectarent ſuas in partes attraxit. Deinde in Saxones Auſtrales arma vertens, victo Aldinio, totum id regnū ſuo adjecit. Poſtremo domi foriſq; clarus ac pacis duntaxat artibus vacans cœnobia atq; ædificia ſacra, ut illa erant tempora, excitari curavit. Quin & eo imperante atq; indulgente, Angliæ regnum pontifici eſſe vectigale primum cæpit, ſingulis argenteis nummis, quos Petri denarios vocant, ſingulas in domos impoſitis. Tandem tædio humanarum rerum monaſticam vitam profeſſus regnū conſanguineo ſuo Ethellardo tradidit, quem & antea hæredem inſtituerat. De quo quod referant annales, nihil habent memoria magnopere dignum. Succeſſit ei *Cuthredus*, vir animo ferox, qui cū affectus eſſet injurijs à gente Merciorum, bellum illis intulit ſuperiorq; evaſit. Inde otio deditum nec ità multò poſt vitâ functum excepit *Sigebertus*, homo domi crudelis & ſævus, foris vecors & ignavus: qui cum ſuos aſpernaretur benè conſulentes, unum præ ceteris, nomine Cumbranum, ſincerè quidem ſed vehementius admonentem interfecit. Quâ re indignati reliqui, factâ conjuratione, eum primo imperij anno regno deturbant. Sigebertus, ut erat naturâ timidus graviora metuens in loca ſilveſtria dum abdere ſe annititur à viliſſimo Cumbrani ſervo, qui armentis præerat, trucidatus eſt. In ejus locum principes gentis ſubſtituerunt *Cinevolphum* egregiâ virtute juvenem & regia quoq; ſtirpe editū, ſed felicitate minus reſpondente nataliū ſplendori aut animi dotibus. Nam commiſſo mox prælio cum Offa Merciorum rege, inferior fuit, licet haud magno accepto incommodo. Ac deinde in otio dum agit, ejecit in exilium fratrem Sigeberti nomine Cineardum, juvenem manu promptum atq; animo alacrem. Qui injuriæ mox memor cupiduſq; ulciſcendi, cum non mediocri perditorū hominum manu clam in patriam rediens regem nil tale opinantem in ædibus cujuſdam nobilis matronæ circumſedit. Rex ancipiti diſcrimine permotus, primum fores domus claudi juſſit, ſperās aut blandis verbis delinire hoſtē, aut majeſtate deterrere. Sed cum neutrum procederet, ad arma ſe vertit ac fortiter rem gerens à Cineardo interfectus eſt. Quo intellecto, quæ erat in proximo regis cohors, confeſtim renovato certamine percuſſores invadit, cædem principis vindicatura. Dimicatū aliquandiu eſt, his pro vita, illis pro gloria ſummâ ope nitentibus; tandem Cineardus, qui quaſi victoriam manu tenebat, prœliando cecidit. Cujus caſu perculſi reliqui ad unū quoq; omnes trucidati. Eum ſecutus *Britrichus* ordine regum à Cerdicio ſextus decimus, vir pacis quam belli ſtudioſior: Unde & Egbertum egregium juvenem, qui poſtea ſucceſsit, quod ejus virtutem haberet ſuſpectam ac formidaret, in Gallias veluti exulatum ire juſsit. Hic licet regio quoq; ſanguine ortus eſſet, hoc tamen patienter tulit, haud dubitans, quod & poſtmodum contigit, ſibi id bono futurum. Sed Britricho, qui eo pacto ſe fruiturum otio ſperabat, aliud aliunde malum oblatum eſt. Nam Dani & Humbri fluminis oſtium ex inopinato appulſi totam eam maritimam orā primò vaſtare atq; inde ad interiora converſi finitima circumquaq; loca depopulari cæperunt. Quibus ut obviam iretur, convocati magno numero inſulani, qui confertim arma expedientes redire eos ad portū & naves repetere coegerunt.

Petri denarius

GOTILA[CUS] Rex. *Anno Chr[isti]* DX.



RERVM DANICARVM HISTORIÆ LIBER IV.



ANGLORUM ex Cimbrica suâ chersoneso in Britanniam profectiones eorumque res atque imperium ibidem constitutum excipiunt proximè, quæ *Dani* mox *Normannique*, eadem origine sed alijs nominibus gens, ejusdem inquam chersonesi partim indigena, partim vicinus, versus boream Scandinaviæ & insularum Balthici maris populus, tam in suos illos populares Anglos, quàm Belgas & Frisios totumque Francorum imperium, terrâ aut classibus attentarit. Erant scilicet & versabantur ante oculos multa virtutis exempla, sive majores suos respicerent, qui jam, ut ante memoratum, non tantum in Britanniam Anglos transfuderant, sed & olim, ut suo est loco relatum, in Italiam Cimbros itemque Gothos ac Rugos emiserant: Atq; inde & ante quoq; ab Estonibus, Sembis, Curetibus & Russis tot bellorū trophæa, tot gentium spolia ac regum manubias feliciter reportarant: Sive etiam ad proximos Saxones, eisq; vicinos Francos sese converterent, habebant quod torporem omnem atq; animis desidiam excuteret. Nam Saxones, Albi transmisso, Rhenanis jam gentibus imminebant: Franci, occupato Rheno, & mox perruptis aut fugatis Romanorū præsidijs, in Gallias Franciam transtulerant. Horum igitur suorumq; tam illustribus victorijs incitati classē viris, armis, commeatu haud illubentes nec segniter illi ipsi Dani Normannique instruebant, gnari & regna & opes ejusmodi factis parari; odiū verò Christiani nominis, ut causā prætendi. Accedebat & patrius mos. Nā Rege defuncto, liberi regij ità inter sese Regnorū jura dividebant, ut uno rerū domi potiente, ceteri extraneis ac maritimis expeditionibus præfecti, cā terræ oram, quam aut venti aut occasio monstraret, sibi tutandā atq; incolendā acciperet.

GOTILACUS DANORUM REX.

PRIMUS omnium, qui ævi medij scriptoribus, quamvis Saxoni ceterisque domesticis authoribus ignoratus, Danorum vocabulo insignitur, *Gotilacus* Rex fuit. Hic ut habet Gregorius Turonensis, qui res Francorū circa annū Christi DL. posterorū memoriæ consignatas reliquit, cū haud invalidâ populariū suorū manu à boreâ profectus exscensionem in eam Francici regni partē fecit, quæ post Clodovei regis excessū Theodorico liberorū ejus natu minimo sub Austrasiæ aut Mediomatricū regni appellatione sortitò obvenerat. *Dani* enim inquit, *cum rege suo Gothilaco evectu navali per mare Gallias appetunt*. Et initio quidem pagum, cujus nomen Turonensis omittit, suæ potestatis factum diripiunt, navigia

THEODORICUS AUSTRASIAE REX.

Gotilacus Rex A. C. captivis & prædâ onerantes. Theodoricus intellecto ditionis suæ territorium externorum incursionibus vastari, nihil prius habendum putavit, quàm Theodobertum filium cum instructis atque expeditis copijs eodem demittere, ut primis eorum conatibus retusis, ipsos quasi in herbâ succideret. Theodobertus ergo cum ex inopinato supervenisset; Rex Gothilacus in littore consistens id agebat ut classiariorum aliqui lembos præda ac spolijs onustos è terrâ in altum molirentur, & ipse, vasis conclamatis signoque receptui dato, postremus sequeretur. Verum illa spes frustra Gothilacum habuit. Nam undique & terrâ & mari commeatu intercluso, Theudobertus nihil tale cogitantem desubitò oppressit: Socios verò, & qui naves servabant navales, prælij fortunam licet animose ausos ad unum tamen omnes & profligavit & prædam captivosque universos victoribus ereptos suis restituit.
DXVI. Hoc ad annum quingentesimum decimum sextum chronologi fere ejus gentis referendum existimant. Aventinus incertum facit videturque ambigere, num, authore Theodorico Ostrogothorum rege, instigatus tum fuerit ad invadendam Galliam Gothilacus, cum ejus, Theodorici inqua, ad sinus Codani incolas, (ità ipse refert) extent epistolæ. Et ante hoc tempus integro propemodum seculo in annalibus Francorum mentionem fieri, si non Danorum, Cimbrorum saltem, commonet in historiâ suâ Flandricâ statim sub initium, fide authorum, quos non nominat, Iacobus Mejerus: Referens regem Francorum Clodionem, postquam Rheno Mosaque transmissis Tungros ac Texandros subegisset, ad Scaldim usque flumen accessisse ac cæsis fugatisque Romanis, suæque potestatis facto Cameraco Tornacoque, in Morinos exercitum duxisse, ac ibi Golduerium Cimbrorum Ruthenorumque Ducem Morinis suppetias accurrentem unà cum filiâ captivum abduxisse, direpto simul Morinorum opido Tarvanâ. Atque inde Goldueri, Cimbrici ducis, captivam filiam Flandeberto, ex Blesindâ sorore nepoti, nuptam dedisse, ac ipsum Flandebertum, pulso Romanorum præsidio, Belgici littoris, quod tum latè Cimbri tenebant, præfectum constituisse. Qui & Flandriæ exinde nomen dederit.
DLXX. Inde circa annum salutis quingentesimum septuagesimum alias ab eodem hoc tractu in Gallias irruptiones tentatas, authores, qui ævum *Iustiniani* proxime sunt sequuti,
DLXXX. literis consignatum tradiderunt. Nam & postmodum anno circiter quingentesimo octuagesimo, alij decennium minus numerant, incursiones Danorũ ac Saxonum in terras Francorum, defuncto jam rege Gotilaco, satis indicant verba Fortunati; qui ijsdem temporibus superstes ad Lupum ducem Sigeberti Francorum regis scribens, & prælij & victoriæ adversus utramque gentem commeminit, cum inquit:

Quæ tibi sit virtus cum prosperitate supernâ,
Saxones & Dani gens cito victa probat.
Borda à quo fluvius sinuoso gurgite currit,
Hic adversa acies, te duce, cæsa ruit.

Victoriam quidem à parte Francorum stetisse, sed admodum cruentã fuisse vel inde constet, quod præter multos fortissimos viros, Condanis viri principis duo filij, magnis honoribus conspicui, tum occubuerint, ut idẽ refert Fortunatus, addens nullis periculis nullisq; difficultatibus territos Danos, sed identidem arma & vires resumsisse: Et, licet primum impediti fuissent à Guntrano, & jã à Sigeberto quodammodo superati, regis tamen Hulferici provinciã Suessionensem adortos eamq; transgressos, ad Rhenum tandem usq; pervenisse. Quo spectant illi quoq; ejusdem Venantij Fortunati notabiles versiculi:

Hulferrice potens, si interpres barbarus exstet,
Adjutor fortis nobile nomen habes:
Quem Geta, Vasco tremunt, Danus, Suio, Saxo, Britannus,
Cum patre quos acie te domitasse patet.

Ità enim versum tertium constituimus, cum vulgo ac perperam edatur, *Danus, Euthio, Saxo, Britannus:* vel, ut Christophorum Brouverium, qui Venantium Commentario illustratum primus evulgavit, conjecisse postmodum vidi, *Danus, Esthio, Saxo, Britannus*: ut *Esthiones* sive *Esthones* intelligãtur, qui Tacito & Eginhardo *Æstij*, borealis similiter & ejusdẽ hujus cœli populus; hodieq; inter Saxonũ reliquias circa fines Livoniæ, Moschis quã Danis aut Saxonibus propinquiores. Hinc plurimis annis integroq; circiter ad ævum usq; Caroli Magni seculo,

feculo, apud authores, qui res præsertim Francorũ tradiderunt, Daniæ quidem regum nomina vix occurrunt, Domi interim *Snio, Biornus, Haraldus Gormusq;* memorantur, de quibus jã ante, & suo superius loco relatum fuit. Et quanquam hoc pactoGalliarum exinde regno quies aliqua parta videretur, haud tamen diuturnam eam aut perpetuam fuisse, aut prorsus exinde conquievisse Daniam Normannosque indicio sint ea ipsa Caroli Magni tempora. Nam & illum verè magnum imperatorem eorum tum in Frisiam Rhenique ac Schaldis insulas aliosque vicinos portus irruptionibus veluti scopulum objectum refert alumnus ejus Eginhartus. Et jam ante prævidisse divus Ludgerus ac prædixisse Frisijs suis imminentem à Boreâ tempestatem memoratur. Nam ut extat in gentis illius annalibus Ludgerus è finibus Danorum ad suos reversus cum extruere in solo natali cœnobium suaque omnia pietati consecrare pararet, somnio admonitus à proposito idcirco destitisse perhibetur, quod vidisset per quietem atras à septentrione nubes cogi & assurgere, ventoque impulsas per oceani littora Frisiæ incumbere, donec à meridie tandem sol serenior emergens tenebras paulatim dispelleret. Quod si ita videtur, referri ad Carolum Magnum, ejusque res adversus Normannos postmodum gestas, haud incommode potest. Ille enim ijsdem statim temporibus, cum jam, quod annotasse Eginhartum cœperamus dicere, freta undiquaque & sinus inferioris Germaniæ à Normannis, quos, ut idem addit, Danos vocabant, infesta haberentur, per omnes portus fluviorumque, qui in oceanum septentrionalem se exonerant, ostia & fauces, stationes militum per intervalla disponi imperavit, qui noctes diesque in excubijs consistentes id præcipue operam darent, ne quid res imperij detrimenti acciperet. Molitus est & classem adversus eosdem, fabricatis ad hoc navibus juxta fluenta præsertim illa, quæ è Gallijs & Germania borealem oceanum influunt, quò ità fluminum eorundem ingressus ab omni depopulandi injuriâ sartos tectos præstaret. Quod etiamsi per aliquot annos magno imperij & provincialium bono fieret, haud tamen in totum ab omnibus incommodis imperij præsertim extremas partes tutas reddidit. Nam bellum Saxonicum, quod quasi intermissum videbatur, statim ubi ad imperium vocatus est, anno circiter septingentesimo septuagesimo secundo repetitum fuit. Saxones enim, sicuti omnes tum fere Germanorum extimi, in quibus & Dani censebantur, naturâ feroces & idolorum cultui adhuc dediti, neque divina neque humana jura, ut idem habet Eginhardus, magnopere curabant. Itaque susceptum adversus eos bellum, quod magna utrinque animositate per annos fere triginta continuos gestum. Et poterat finiri citius nisi *Vuitechindus* Saxonum princeps, Danorum præsertim auxilijs atq; opibus fretus, perpetuo restitisset. Accedebat & affinitas ejusdem Vuitechindi cum rege Danorum Sigefrido. Cujus etiamsi Saxo Grammaticus nusquam meminerit, ejus tamen accurata habetur in annalibus Francorum & apud Abbatem Stadensem mentio.

SNIO, BIORNUS &c. Daniæ Reges. A. C.

DCCLXXII.

SIGEFRIDUS REX.

SIGEFRIDO igitur, Vuitichindi Saxonum Ducis socero, rerum in Dania potiente, Carolus Magnus primis, quæ in Saxones movit, armis Hæreburgum, quod ad Lippiæ fluentum Saxonum erat præsidium, capit ac solo æquat. Inde ad templum augustum, & illis vetustâ religione celeberrimum ac frequentissimum, donarijs etiam opulentum, *Irmensul* dictum, procinctus est motus. In eo imago erat statuæ, vir armis terribilis, & gladio accinctus. Galea gallum loco coni gerebat, thorax ursum ostentabat: in clypeo leo visebatur: manus dextra vexillum; sinistra bilancem ferebat æquilibrem, quæ item in clypeo spectabatur. Hoc numen Saxonibus erat quasi tutelare atque omnibus commune. Templum ipsum *Irmensul* sive *Idermansseul* vernaculo gentis idiomate veluti *universalem columnam*, quæ omnia sustineat, dictam credidit Adamus Bremensis. Alij quasi *Hermionis salam*, id est, aulam sive basilicam Arminij, viri bellicosi, & qui, ut Tacito memoratum, Varum Quintilium Romanorum legatum universo cum exercitu circa Visurgim fudit & fugavit, potius nuncupatam autumant. quamvis Aventinus Hermioni Tuisconis nepoti, Manni filio Tacito etiam nominati malit tribuendum. Hoc igitur templum Carolus initio spoliat magnis thesauris absportatis; deinde evertit ac cremat, sublatis etiam loci vestigijs. Post hæc evocatis Saxonum primoribus acceptisque obsidibus in Franciam regressus est. Saxones, absente Carolo, dum in Italiâ Desiderio Longobardorum regi, bellum facit, universi deficiunt, seque in libertatem asserunt. Quin & ulturi ædis suæ vastationem, in ipsos Francos movent. Sed Carolus, intellectâ ipsorum defectione, per præ-

Sigefridus Rex A. C.

fectos ter cum ipsis dimicat, ac totidem victorijs potitur. Mox, confecto bello Longobardico, ipse expeditionem in eos suscipit; Sigeburgum castellum capit, Hæreburgum instaurat, & in formam ampliorem reducit; prope arcem Brunoburgum de transitu Visurgis cum hoste contendit, ac ripam utramque non sine multorum cæde occupat. Inde acceptis obsidibus ac munitis circumquaq; præsidijs, pacatam in posterum fore Saxoniam sperabat. Verum, regresso Carolo & bellis Italicis districto, iterum in Saxoniâ motus exorti. Itaque Vormatiæ Vangionum anno Christi septingentesimo septuagesimo sexto comitia indicta; ibique inter cetera, de bello Saxonico disceptatum, itumque in hanc sententiam; Saxoniam ob toties violatam fidem nequaquam impunem relinquendam: Esse tot victorias de ipsis partas, favoris divini indices. Præterea vires gentis magna ex parte debilitatas, interfectis viris fortissimis, tum fundamenta religionis posita, in quam & vir princeps Bruno, Vuitechindi frater, consenserit; Obstare unicum Vuitechindum & qui eum sequerentur; de hoc explorandum corrigi, aut everti malit: Decernitur itaque rem benè feliciterque cœptam porro continuandam. Evocantur Padelbornam Saxones, ut ibi se sistant. Eique mandato dum cæteri parent, qui frequentissime aderant, solus Vuitechnidus declinare periculum cupiens ad Regem Danorum Sigefridum, quem annales Saxonici sororium ejus perperam faciunt cum socer fuerit ob filiam, quam in matrimonio Vuitechindus habebat, sese contulit. Vuitechindi è patria in Daniam discessu, nemo dubitabat bella, horrida bella, Saxoniæ deinceps imminere. Sed Carolus summa humanitate erga eos usus præsulibus mandabat, ut mentes rudes & asperas severitate potius leni ac paternâ mitigarent, quam frangerent aut indurarent: se videlicet non fortunas eorum aut libertatem quærere, sed animorum cultum & salutem cupere insertam. Proponi igitur jubet mandata quædam plena benevolentiæ, & invitari populum spe præmiorum, si in fide Christianâ persisteret & errores ac superstitionem veterem mutari permitteret. Igitur cum voluntates vulgi videret erectas, propè Lippiæ fauces maxima hominum multitudo ad ecclesiæ societatem per Baptismi sacramentum aggregatur, tum & præsulatus Bremensis, Verdensis & Padelbordensis constituti, datis cuique diœcesi pastoribus, quorum erant Vilradus & Suibertus Angli, Harimarius vero Saxo, ut Crantzius tradidit; Alij Suibertum ab eo, qui cum Vuillebrordo ex Angliâ venit esse diversum, & in Frisijs natum volunt. Carolus deinde ob incursiones Saracenorum vocabatur in Hispaniam: Vuitechindus ea occasione non neglectâ è Daniâ regressus rumorem spargit de Carolo in Hispania à Saracenis occiso. Qua ratione effecit, ut & aliqui deficerent. Exercitu igitur, quem in Daniâ partim, partim apud suos tumultuarium in modum compararat, percurrit totam Saxoniam; templa nuper condita incendit, præfectos Francos occidit, præsules expellit, ausus etiam progredi longius universam Rheni oram à Tuitio, quod è regione est Coloniæ, adusque Mosellam ferro & igne depopulatur, nulli sexui aut ætati parcens, ut facile appareret, eum non tam prædandi, quam ulciscendi sui & suorum causa è patria fuisse profectum. Carolus re intellecta præmisit primo cohortes, & militem subitaneum, qui Saxonum arma compesceret; inde ipse Tuitium veniens conventus agere & in Saxoniam rursus properare. Cui dum opponunt se Saxones fusi fere omnes & fugati sunt. Et tum denuò tota eorum ditio citra & ultra Visurgim in potestatem Francorum redigitur, obsides imperantur, sacramentum exigitur, leges severiores præscribuntur, templa quæ violaverant instaurare coguntur. Atque inde anno DCCLXXXI. solutis Vormatiâ hibernis rursus in Saxoniam Carolus contendit: Ac veniens ad Ocræ & Albis confluentes convocat Saxones, illisque, quam Deo fidem dederant & quam sibi essent polliciti, in animos revocat. Monet insuper ne Vuitechindi partes foveant. Non obtemperantibus & libertatis & fortunarum ad patriæ amissionem minitatur. Pacatâ in hunc modum de integro Saxoniâ, constituit in eâ annuos conventus celebrandos, quò turbulentis & factiosis hominibus rebellandi occasionem præcideret, & qui modestiores essent in officio retineret. Legatos præterea Danicos, qui erant à rege Sigefrido ad eum magnificè missi, benigne excepit atque honorifice dimisit, tantum ne receptum aut hospitia seditiosis darent, adhortatus. Idq; ut videtur non tam ob Vuitechindum & qui ei favebant, quam Radbodi quoq; regis Frisiorum aspectu imperatum. Radbodus enim à Francis jam ante patriâ ejectus exul tunc in Dania delitescebat. Et volunt quidā vitam quoq; ibi clausisse, ac Danis odij in Frisios ac Francos materiam reliquisse; quamvis nec desunt, qui in patriam cum classe postmodum Danorum reversum velint, ac diu exinde ea regione, quæ trans Flevum est, principatum tenuisse. Vuitechindus porrò cum in animum inducere non posset

DCCLXXVI.

DCCLXXXI.

posset ut Francis obtemperaret aut patrios ritus ac religionem majorum relinqueret, denuò res novas molitur. Nam Sorabi, qui inter Albim & Salam habitabant, cum primò Turingiam atque inde Saxoniam prædandi causa essent ingressi, & Carolus duces suos Adalgisum à cubiculis, & Geilonem stabuli comitem nec non Volcadum palatij magistrum adversus eos cum exercitu misisset, Saxones, duce & impulsore Vuitechindo, copias Francicas invadunt, & loco pugnæ superiores facti viros spectatos & illustres Adelgisum & Geilonem in acie cædunt: reliquum exercitum in fugam conjiciunt, Slavis & Sorabis, ne progrederentur longius, prælij istius successu territis. Carolus cum non ignoraret tanti facinoris caput & incentorem fuisse Vuitechindum, eum sibi tradi sine morà postulat. Sed illo in Daniam interiorem digresso, & ibi apud amicos, unde non nisi cum hostium detrimento prodire erat solitus, latente, alij, qui consenserant, missi in castra regia circiter millia quatuor & quingenta, devota in pœnas capita, quos omnes, spectante Francorum excercitu, gladijs cædi jussit ad pagum Fredam juxta Alaram. Territus exempli gravitate & animadversionis constantià populus Saxonicus animos dimittit, seque jussu atq; authoritate ipsius victurum jurat. Sed ut crudelitate nulla apud mortales efficias ut ament quod naturaliter odêre, ita & hîc accidit. Nam denuò rebelles Carolo occasionem præbuerunt, ut anno DCCLXXXIV. jam sextum in Saxones properaret, ipsorumq; excercitum DCCLXXXIV.
in campo Thitemello (hodie est Dethmolde aulæ Lippiensis sedes) non procul à monte Osego, ut vocat Eginhardus, magna vi dissiparet ac dejiceret. Verum mox ad Hasiæ flumen recollectus miles denuò se pugnæ accingit. Carolus qui castra habebat Padelbornæ, copias, quæ erant ad manum, recenset, & in hostium conspectum alacriter ducit. Nec Saxones Francorum præsentia territi, pugnæ signum confestim edunt, maximisque viribus dimicant. Duravisse dies continuos tres, id est, identidem repetitum atque instauratum prælium Chronologi memorant. Cæso excercitu suo Vuitechindus in arcem à se dictam juxta Visurgim veste vili, ne agnosceretur, indutus se recepit. Atque inde in locum tutiorem recedens etiam Frisios, qui erant proximi, in belli societatem convocat. Quapropter Carolus duplici excercitu conscripto, alteri, qui in Westphaliam & Frisios irrumperet, præfecit Carolum Filium, adolescentem paternæ virtutis imitatione animosum: ipse per Turingos & Hercinios in Ostvaliam conabatur irruere. Uterque & pater & filius fortissimè rem gerentes, prælijsque variè commisis, superiores evasere. Saxones tot tantisque fracti cladibus dare tandem manus coacti sunt. Eratque in extremas jam angustias redactus Vuitechindus, nec locum habebat tutum nec quo se verteret inveniebat consilium. Itaque acceptis tandem à Carolo tuti itineris literis atque impunitatem spondentibus, venit cum patruele suo Albrone Attoniacum, ubi tunc morabatur Carolus. Vuitechindus, præter cæteros, conjugem secum ducebat Gevam nomine, natione Danicam, Sigefridi nimirum regis filiam: Albro, vel ut alij scribunt Albio, qui cælebs erat, multorum nobilium comitatu stipabatur. Carolus hospitio omnes honorificè excipi jubet: cumque in conspectum admisisset, imprimis in Vuitechindum conjectis oculis, ait: Miror abusos vos toties nostrà patientià ac facilitate, idque cum vestro & patriæ, quam squalidam nunc lugentemque conspicitis, maximo detrimento. Sed deleta præteritorum memoria, patet etiamnum locus veniæ, modo consilia nostra favoremque ac benignitatem non aspernamini. Vuitechindus natura asperior, patrios inquit Deos & patriam defendimus, nec negamus infenso nos semper in Francos fuisse animo, neque etiamnum desisteremus ab incepto, quamvis afflicti, nisi tua Cæsar revocaret auctoritas & moderatio. Igitur tuæ nos fidei committimus, quam experti sumus præstantem, & recta atque utilia suadenti ultrò parebimus, idque eà virtute atque constantià, quam à majoribus accepimus. Auditus est cum admiratione vir militaris. Nam qui armis nondum victus erat, victum se mansuetudine fatebatur. Inde dies dictus, quo & ipse cum uxore; & Albro cum nobili comitatu undis lustralibus tingeretur. Carolus ipse plenus gaudij & observantiæ fide jubendo astabat Vuitechindo, dum nomen majestati cœlesti daret, seque in religione Christiana ac fide erga Francos permansurum pollicetur. Conjugi ejus Gevæ ipsa regina Fastrada proximam se applicarat, sicuti & cæteris Caroli ipsius viri aliquot principes interque aulicos illustriores. Lætissimus atque optatissimus omni populo dies visus est, quo tanta fiebat ad ecclesiam accessio. Baptismum Lullus administrasse memoratur, olim Bonifacio datus collega, antistes Moguntinus. Plures interea ex Saxonum gente apud Danos Vandalosque latebant, qui Vuitechindum acerbè oderant, & moris majorum ac libertatis proditorem nominabant, primum quod suos fasces submisisset

SIGEFRIDUS Rex A. C. DCCXCVIII.

Francis, populo ſuperbo & inſatiabili; deinde quod adjuraſſet religionem & ſacra majorum conculcaſſet. Hujus factionis dux erat Thraſico, qui ferro & igne ſæpenumero in fines Francorum ſæviebat, Obotritos Francis fœderatos bonis ejiciebat. Ortumque tum annum circiter DCCXCVIII. novum in Tranſalbiana regione belli incendium. Nordalbingi enim vel, ut habent à Pithæo editi annales, Norliudi regios præfectos, quos illis adminiſtrandæ juſtitiæ Carolus præfecerat, vel quod atrociores in exigendis pœnis eſſent, vel quod ad extorquenda tributa iniquiores, facto concurſu, partim interficiunt, partim vinculis includunt. Revertebatur tum temporis legatus imperatoris è Dania vir maximæ auctoritatis Godeſchalcus, qui, cum per eorum territoria iter haberet & ipſe interceptus occiditur, & comites quoque contumeliâ affecti trucidantur. Delato ad ſe tanti facinoris rumore, ſtatim in eos excercitum miſit Carolus, & una congreſſione quatuor hominum millia neci dedit. Qui erant reliqui aut fugati, aut de pace tractantes non auditi, dum tandem anno exacto, poſt ſedatum nonnihil animum regis miſſi Padelbornam legati veniam ſupplices impetrant. Inſequenti deinde anno iterum cum exercitu trans Albim profectus Carolus ut Vilſos Henetorum gentem in ordinem ſimiliter redigeret. Traductoque trans flumen exercitu, quò reditum ad ſuos tutum haberet, ſi quid adverſi accideret, duos Albi pontes imponit; relictoque ad capita eorum utrâque in ripâ præſidio in hoſtem contendit ſicque preſſit, ut ſe victori dederit. Multum hic uſus Imperator Friſiorum operâ, qui, ſuperatis Saxonibus ac Vidichindo in fidem recepto, id temporis Carolo militabant.

GODEFREDUS REX.

SIGEFRIDO poſtmodum intra regnum ſuum pacificè defuncto, quippe qui vixerat quietis quam belli amantior, frater *Godefredus* (Saxo, ut ſupra patuit, *Gotricum* dixit) ſuperites relictus, Daniæque rex declaratus, pronus ad arma ferebatur. Et jam ſolicitati per eum Saxones, qui Cimbricę Cherſoneſo colebant viciniores, relicta Francorum ſocietate, ſeſe Danis conjunxerant, quod ſuſpectę utriſque eſſent imperatoris vires atque potentia. Tum & jactaretur vulgo, Auguſtum imperij orbis terrarum avidum ferre parem non poſſe, exciſurumque regium nomen ex univerſa, qua pateret, Germania. Proinde Godefridus borealis Germaniæ (unde & Nortmanni dicti) rex potentiſsimus qui Danis, Gothis, Norvagis, nationibus ferociſsimis, imperitabat, qui & Scandiuaviam incompertæ magnitudinis, ut veteres exiſtimabant, Gothlandiamque, ac cæteras Codani Venedicique ſinus inſulas, longe lateque poſsidebat, aſſeverabat ſibi jure deberi Germaniam, ſe genuinum Germanum vetuſtiſsimumque Germaniæ regem eſſe; qui tenax diſciplinæ patriæ, avitos Deos, fines moreſque ſuorum, nunquam deſeruiſſet: Carolum degenerem ad Italorum, Gallorumque & eorum, quos vicerat, vitia, ſuperbiam atque avaritiam deſciviſſe, habitus peregrinos recepiſſe, natale ſolum, inſtituta ac religionem majorum juxta faſtidire, victos victoribus imperare. Addebatque Saxones in univerſum, ſi Danorum finitimorum conſanguineorumq; ſuorum amicitiam ac ſocietatem ſervituti Francorum præferrent ſecumque fœdus facerent, in animo ſibi eſſe communibus armis, communique conſilio Germaniam, communem patriam, ab exterorum injuriâ vindicare inque libertatem priſtinam adſerere. Unde & cladibus ſuperiorum temporum novam etiam ac graviorem plagam accumulaturus, velut turbo inexpectatus, in littora Francorum atque oram præcipue Friſiorum incubuit. Dicta quidem jam ante inter eum & imperatorem Carolum colloquij dies fuerat, ſed ipſe haud ultra regni ſui & Saxoniæ terminos propè Sliedorpium progreſſus per legatos cum imperatore quam coram agere maluit: Monitus ſcilicet à conſiliarijs plenum periculoſæ aleæ opus eſſe imperatorem præſentem affari: Quod nimirum doloſa eſſet Francorum ſocietas, utpotè qui imbuti levitate Gallica & Italorum perfidiâ familiaria haberent ridendo fidem frangere. Inculcant igitur ipſum, dum obſequi Auguſto ſtudet, manifeſtum diſcrimen adire. Debere non Danos ad Francos, ſed Francos ad Danos, ſi quid velint, venire. Itaque miſſi ad Albim flumen nuncij in locum qui Holſtein Alberto Stadenſi, alijs Hodingſtede nominatur, anno circiter octingenteſimo & quarto. Actumque de captivis & transfugis, qui bellis ſuperioribus fuerant intercepti, utrinque reddendis, tùm & de fœdere ac pace utrimque conſtituenda. Sed, redditis vice verſa captivis & transfugis, de cætero ſuis cuique legibus permiſſum vivere. Inde ingentis tributi modum Saxonibus imperavit, & belli virtute Nordalbingos, Obotritos, cæteraſq;

DCCCIV.

cæterasque illas gentes, frustra se opponente Carolo imperatoris filio, dicto audientes reddidit; ex Frisijs quoque victrice laureâ, quam prioribus adoreis adjungendam voluit, feliciter reportatâ. Sed de Frisijs priusquam dicam, præmittendum de bello, quod cum Abotritis gestum est. Abotriti & Nordalbingi boream versus intra Albim & Cimbricam Chersonesum locati, fidem & imperium Francorum sequebantur. Hos cum invasisset hostiliter Godefredus, idque nunciatum esset imperatori Carolo, confestim filium sibi cognominem valido cum excercitu in adversum contendere, tutarique Saxoniæ fines ab impetu hostium jubet. Verum Godefredus, expugnatis jam antè ac direptis Abotritorum pluribus castellis, ipsorum quoque ducem Traschonem loco & sedibus suis pepulerat. Gotlæbum alterum gentis regulum per insidias captum in crucem egerat, reddita potiori provinciæ parte sibi stipendiaria. Nec tamen sine clade & sanguine suorum hæc illi steterat victoria. Nam & optimos militum & manu promptissimos interque eos Reginbaldum, fratris Sigefridi filium, desideravit; qui in oppugnatione cujusdam oppidi cum primoribus Cimbrorum occubuit. Filius verò imperatoris Carolus de singulis certior redditus celeriter ad Albim pontem erigit, flumen cum copijs transmittit, Helvionum & Sameldingorum, qui & ipsi ad Godefredum desciverant, agris vastatis, incolumem militem in Saxoniam reducit. Vilizi quod ægrè Francis obsequentes essent, suas cum Danis copias junxerant, sed vim majorem metuentes domos se recipiunt. Godefredus verò emporium, quod in Oceani littore constitutum, lingua Danorum, ut habent annales, Rerick dicebatur, negotiatoribus frequentissimum, unde & magna portoria vectigaliaq; ad fiscum redibant, exscindit, mercatoribus cum civibus & rebus omnibus secum translatis; Ac classe ad portum Sleswici una cum copijs delatus, ibi per aliquot dies stativa celebrat. Et simul Cimbricæ peninsulæ cervicem, regni sui limitem, qua Saxoniam attingit, aggere & vallo munire aggreditur. Quicquid loci inter oceanum occidentalem & sinum Codanum orientalem in longum tenditur, per ripam Eidorę borealem munimento destinat: relictisque qui operi extruendo præessent, ipse ad regni negotia revertitur. Aggesta igitur terra truncis & stipitibus arborum compacta ingens sepimentum surgit. Unicam toti moli adjici portam curat, per quam equiti carroque ingressus exitusque pateret. Hæc ferè ad annum octavum & octingentesimum referuntur à Chronologis. Anno qui secutus est nonus & octingentesimus Rex Godefredus mercatores ad prætorem, qui Frisiam pro Cæsare administrabat, proficisci jubet; ijque referunt inaudisse regem succensere imperatorem, quod arma lacessitus ulturusque injurias in Abotritos vertisset: At falso ipsum & immeritissimum accusari fœderis violati. Proinde abs Cæsare postulare, ut aliquem locum medium amico colloquio deligeret, quo de Repub. & summis utriusq; rebus agi cognoscique possit: velle jure potius illum disceptare, si quid esset peccatum, quam bello decernere. Hisce ad Carolum relatis, amborum principum legati trans Albim in confinio utriusque regni die constituta conveniunt. Franci salva amicitia postulant primò ut Godefredus Abotritis ablata restitueret, obsides redderet, stipendium remitteret: deinde ne amicos imperatoris & socios amplius injuriâ lacesseret, nec Vilizos hostes & transfugas reciperet: neve dedititios imperio subtraheret. Quod si fecerit perpetuam gratiam amicitiamque imperatoris cum Danis futuram. Ad hæc Francorum postulata Dani responderunt, regem suum injuriam propulsasse, non intulisse. Abotritos, quoniam belli aleam tentassent & armis congresi ac superati essent, stipendiarios jure belli esse, licere victoribus jure agere cum victis, hisque tributum imponere. Nec posse principem optimum deserere eos aut ipsorum injuriam negligere, qui ad suam fidem ac tutelam confugissent, amicitiam imperatoris regno Danorum ornamento potius & præsidio esse oportere quam detrimento. Atque ita irritatis per contentiones utrimque animis, colloquium diremptum est; legatique re infecta discessêre. Trascho regulus Abotritorum contractis raptim popularium reliquijs accitisque Saxonum auxiliarijs copijs finitimos sibi Vilizorum agros invadit ac præda ingenti potitur: Sameldingorum maximam urbem expugnat omnesque qui defecerant, absque cunctatione ad deditionem & officium imperataque rursus facienda cogit. Post hæc insidijs circumventus intra Rericum emporium ab hominibus Godefredi est interfectus, vir alias bellicosus & amicitia ac fide erga imperatorem clarus. At Carolus quam citissime hisce rebus occurrendum ratus, constituit trans Albim, ducta colonia, præsidiarias Francorum cohortes collocare. Quapropter conscriptis atque coactis ex omni Germania, qui nomina sua dederant Egoberto principi proceribusque Saxonum, deducendæ coloniæ capiendiq; soli potestatem concedit,

Gotricus Rex A. 6

Reginbaldus.

DCCCVIII.

DCCCIX.

Gotricus Rex A. C.

concedit. Hique comparatis armis, re frumentaria cæterisque omnibus provisis novos colonos per Frisiam deducunt; & vicum sive castrum tum *Eisoveltam* nuncupatum ad Sturiam amnem ultra Albim boream versus collocatū circa idus Martias prosperè occupant. Deinde mœnibus, fossa, vallo celerrimè muniunt. Veteranis agros dividunt, & novam civitatem præsidio Francorum, adversus Danorum præsertim irruptiones, validissimo firmant. Quibus incensus Godefridus, vel, ut alij volunt, ob regem præcipuè Frisiorum Radbodum, memor irarum veterum cum classe ducentarum navium de Cimbricâ peninsulâ in Frisiæ continentem appellit. Frisij cum ijs semel tertioque pugna congressi ter quoque superati inferiores abière; victique non solum tributum solvere sed certa quoque pensione se redimere ac pacem à victore mercari coacti fuerunt. Addunt Frisiorum & Daniæ annales vectigal illud annuum fuisse, nec sine contumelia victis imperatum. Nam, ut Saxo refert, constitutum ab eo ædificium CCXL. pedum longitudine ac bis senis distinctum paribus spacijs maceria diremptis, ad cujus caput, cum esset pendendum tributum, considere quæstorem jussit, collocato ad extremam ædificij partem concavo ex ære clypeo, in quem singuli Frisiorum tributum solituri nummum conjicerent: cujus nummi cadentis sonum, si quæstor ex longo intervallo exaudiret in solutum cedebat; sin minus, regio quidem fisco ille accrescebat; sed qui jecerat alium atque alium majoris ponderis eodem conjicere cogebatur, donec tinnitum quæstor perciperet. Ita ferè Saxo noster, Frisiorum vernaculi auctores plura adjiciunt: omnibus nimirum fortunis exutos Frisios & auri argentique usu in cultu corporis penitus prohibito, ad torques vimineos similiaque servitutis extremæ insignia, lege latâ, redactos, addito præfecto, qui vilibus ministerijs dum plebem detinet, ostium in ædibus septentrionem prospectans haberet humilius quam pro statura corporum, quo & jugum turpiter quotidiè subire, & exituri, inflexo toto corpore, Regem Danorum quasi venerari viderentur. Quam ille ignominiam defectione quadam priori, ut quidam tradunt, irritatus, an studio nimio & fide gentis erga Francos offensus, an denique alia causa actus irrogarit, haud liquido memoratur. Captum tum etiam Hochbocorum oppidum, Albi conterminum, quod Odo legatus imperatoris & Saxonum præsidium tenebat; Sed captum hoc expugnatumq; non tam à Danis quam à Vilizis, Danorum fœderatis ac socijs. Quibus alijsque successibus lætatus Godefredus ad ulteriora jam animum applicabat. Frisiam enim & Saxoniam Vendorumque regiones haud aliter ac suas defendendas judicabat. Minitabatur etiam rumoreq; spargendum curabat se brevi atque propediem ad aquas Graneas imperij sedem castra moturum: inque amœnissima Mosellæ ripa legatis responsa, popularibus jura redditurum: potentissimo regi veterumq; ac fortissimorum Cimbrorum genuino hæredi indecorum ac turpe esse pati Germaniam Theutonesque populares ac consanguineos suos opprimi servitute: Carolum Italia ac Gallia alijsque exterorum ditionibus, in quorum mores, habitum, superstitionem longinqua consuetudine transisset, oportere esse contentum, sibi permittendas liberas Germanias: seque adhuc germanè Germanum Germanis integris imperaturum. Quæ ut Carolus rumore famæ longè latèque jactata cognovit, absque morâ evocatis undiquaq; copijs ad obviandum hosti, quanta potuit celeritate, contendit; Relictisq; Aquis Grancis ac Rheno celeriter transmisso ad Lippiam amnem tabernacula figit: ibiq; diebus aliquot moratus, ne paucitas suorum sperneretur, majorem manum operiri statuit. Quo cum ex Gallijs, Germanijs, Italia militares cohortes equitumque turmæ provolassent, imperator intento infestoque excercitu acieq; instructa ad Alaræ Albisque fluminum confluentes perrexit, ibique, positis castris, quam primum cum Godefredo confligendum atque inde, promotis armis, omnem in ipsam Daniam belli impetum transferendum decernit. Et erant ad tantam molem expeditionemque adfatim cuncta comparata, legiones, equitatus, auxilia, commeatus, arma, tormentaque, sed frustra hæc omnia. Nam Dani, exortis invicem contentionibus, ac Rege per vim à satellite proprio è vivis sublato, cum classe universa, relictis Frisiæ portubus, domum rediere: Eginhardus non à satellite sed à proprio filio, cujus matrem, superinductâ aliâ, rejecerat, fraude interfectum, & vitæ suę & belli à se inchoati finē fecisse ait. Saxo eum non armis modò, sed etiam liberalitate conspicuum fuisse, & severitatem mansuetudine castigasse insigni elogio commemorat. Et Cæsar quoque, dum ibi agit, ob iram cœli pestemque gravissimam, quæ in jumenta primum atque inde in homines desævire cæpit à proposito desistere, quam numine averso quidquam tentare, satius habuit.

OLAUS

OLAUS REX.

DEFUNCTO igitur, aut per fraudem, ut dixi, extincto *Godefredo* successisse *Olaum* filium Saxo refert; eumque ubi paternæ necis percussorem esset ultus, aut saltem vindictæ studio patriam bellis civilibus implicasset, haud multo post fatis concessisse. Addens extincti ejus corpus collem, Olavi titulo celebrem, prope Lethram congestum excepisse.

HEMMINGUS REX.

HUJUS Olai nec Albertus Abbas Stadensis nec Francorum chronologi meminerunt, sed *Hemmingum* successisse omnes tradunt. Qui paci magis, quam armis deditus tranquillitatem aliquamdiu vicinis gentibus præstitit: præsertim occasione sacramenti, quod inter eum & Carolum Imperatorem continuo tunc firmatum. Saxo pactionem eam ad Cæsarem Lodovicum referre videtur, cum Albertus Stadensis diserte, ut retuli, in extrema Caroli tempora rejiciat. Pacti conditiones hoc præcipuè continuisse reperio, ut videlicet in futurum inter Francos & Danos utriusque regni confinia Eidora flumen disterminaret, ut & habent in vita Caroli Francorum annales à Pithæo editi. Quamvis vel ideò quoque amicitiam fœdusque Caroli expetivisse credibile est, ut se nimirum adversus regni æmulos, Godefredi puta posteros aliosque muniret. Fœderis ipsius formula apud Aimonium & alios concepta corruptissimè exhibetur, additis utriusque partis legatorum nominibus: Quorum qui ab Hemmingo rege erant missi, nominatur uterque regis frater *Haquinus* & *Angandeo*: nec non *Ostredus* cognomento *Turdimulo*; *Wasteimus*, *Suomus*, *Vrnus*, filiusque *Helligeni* sive *Haquini Otfredus*, & alius ejusdem appellationis *de Scanonue* itemque *Ebbo* & *Vffo*. Pace igitur inter imperatorem & Hemmingum regem ritè constitutâ, cessatum aliquantisper à promiscuis vicinarum regionum depopulationibus. Dissidere verò inter sese tum cœperant Avari & Venedi, Danubio contermini, videbanturque in Boariam irruptionem moliri, sævaque imperio minitari: itaque & Avarorum regulus Cranzaucus & Thudano & Hunnorum rector cum proceribus Slavorum Venedorumq; jussi ad aquas Graneas se contulêre. Ubi & *Haquinus* & *Ebbo* Hemmingi regis legati cum muneribus adventum præstolabantur Augusti. Qui, posteaquàm ei id renunciatum est, relictâ Gallorum, ubi agebat, Bononiâ, Schaldim fluvium, Gandavosque petijt, ac medio deinde novembri ad aquas Graneas perveniens legationes singulorum audivit atq; absoluit. An isto simul tempore à Carolo constitutus sit in agro Leodiensium Lossæ Comitatus Comitique Danico Ogerio traditus, certò ex annalibus asseverare nequeo. Saltem id constat ex actis Leodiensium principum, à Carolo Magno eum Comitatum originem accepisse, qui eum *Ogerio* Dano (ita nomen exprimitur) Franciæ Pari ob virtutem dono dederit. A quo exinde *Ogerio* originem suam repetendam habent Lossenses sive, ut hodie scribunt, Lonenses Comites; quorum Ludovici, qui Adam Theodorici Hollandi filiam uxorem habuit, meminerunt prolixe annales Hollandiæ.

Lib. IV. c. CXCIX.

SIVARDUS & RINGO REGES.

HEMMINGUM autem ipsum brevi & inglorio dominatu potitum, sunt qui à *Sivardo* (quem & *Sigefridum* cognomento **Ring** vocant) Godefridi nepote, solio dejectum tradant. Albertus Abbas ad annum octingentesimum & septimum ait, mortuo Hemmingo, *Sigefridum* & *Annulonem*, cum de regni primatu convenire non possent, prælio sceptrum partitos: idque tanta animorum pervicacia, ut plus minus undecim Danorum millia uno conflictu ceciderint, Regè utroque & spe regni & vita exuto; ita tamen ut victoria, quamvis cruenta Annulonis partibus cesserit. Hic *Amulo* scriptoribus Francicis *Amilo*, dicitur. At *Amulo* Danicum vocabulum interpretatur: Saxoni enim *Ringo* est, quod *annulum* Danis Germanisque significat. Filium fuisse Olai, consobrinum verò Sivardi ex Saxone eodem est intelligere.

DCCCXVII.

HARALD

HARALDUS & REGNERUS REGES.

PORRO à partibus Ringonis, qui victores supererant, in Haraldum Ringonis filium & *Ragnifridum (Regnerum Lodbrogum* Saxo vocat) Sivardi filium communem regni titulum transtulêre. Sed ut esse potestas omnis impatiens consortis solet, ita & hic perpetuæ inter utrumque & lites & diffidia viguerunt. Pulsus primò ut tradit Stadensis, ab Haraldo Reginfridus mari fortunam tentare instituit, piraticam longè lateq; per Hybernias ac Scotiam exercendo: Atque inde longinquam militiam ingressus Hispaniasque prætervectus, non quievit donec ad mare mediterraneum longo circuitu pervenisset omnesque circumpositas regiones una cum ipsa Constantinopoli divexasset, & tandem eodem remenso itinere in Daniam cum admirabili victoria redijsset. Haraldus interea, defuncto
DCCCXV. Carolo, cum Lodovico imperatore inito fœdere, ipsius copijs adjutus, regnoque potitus
LUDOVICUS IMP. est. Missi tunc simul nomine imperatoris ad pacem regni solidè constituendam, præter Theotharium, & Rotmundum præfectos, Ebbo Rhemorum episcopus, qui eâdem tum operâ complures Cimbrorum Christi Euangelium recipere atque aqua Baptismatis lustrari persuasit. Sed in patriam, ut dixi, regressus *Regnerus* iteratis prælijs victum *Haraldum* regnoque atque omnibus domesticæ opis præsidijs spoliatum ad Ludovicum Imp. sibi jam fœderatum externa majoraque auxilia circumspicere compulit, ut refert ferè pluri-
DCCCXXVI. busque exponit Saxo noster. Alij quos inter ad annum octingentesimum vigesimum sextum Stadensis, Francorumq; annales, à filijs Godefridi ejectum regno volunt, ac tum demum ad Cæsarem Lodovicum in extremis rebus suis confugisse. Eum vero ut advenisse imperator intellexerit haudquaquam fœderati ac supplicis preces respuit, opem & auxilium largiter spondens, modo ille vicissim Christi cultum ejusque nomen ac baptisma susciperet. Lodovicus enim ut erat fortasse bellicis laudibus patre inferior, ita summo, imo multò majore, quam pater amplificandæ religionis Christianæ ardore accendebatur. Haraldus ergo his acceptis conditionem haud penitus sprevit: præsertim cum imperatoris auspicijs in regni sedes reducendum se intelligeret. Itaque Magunciæ primus Daniæ regum una cum uxore ac fratre *Erico* alijsque regni proceribus per baptismum Christo nomen inseruit. Atque inde acceptis ab Imperatore Saxonicis trans Albim præfecturis in territorio Slesvicensi Deo dicandam ædem multis impensis soliciteq; molitum Danici annales testantur, quamvis & ijdem posthabuisse exinde Christiana sacra & infamem eorum desertorem evasisse adjiciant. Quod tamen ego nec apud Adamum Bremensem nec Stadensem Abbatem neque in annalibus Francorum reperisse memini. Haraldi frater *Ericus* missus ab eodem Lodovico in oræ Frisiorum maritimæ possessionem, cum ut ipsemet liberaliter se sustentaret, tum ut limitem imperij tutando, piratarum incursiones propulsaret. Frisiæ illam partem quam assignatam ei inter cætera scriptores consentiunt, plerique *Rustri* appellatione afficiunt. Ubboni Emmio in Frisiæ orientalis descriptione chorographica *Rustringia* sive *Rustria* appellatur. Estque ei duplex *Cisiadana* & *Transiadana*.
Cap. x. *Lib.* I. Populus ipse **Rustringen** vulgo dicitur. Quin & eum Orientalis Frisiæ tractum, Danos adhuc suis temporibus, tanquam legitime sibi debitum, exegisse Adamus Bremensis alijque testantur. Quamvis interea nec inficiandum, quin & reliqui Frisiorum tum nomine censi Erico duci dicto audientes fuerint, cum præsertim referant annales Pithæani ipsum cum fratre Haraldo Dorestadum, (hodieque ad Rhenum in diœcesi Trajectensi notum oppidum) jure fiduciario Ludovici Pij beneficio possedisse. Hoc propemodum tempo-
DCCCXXVIII. ris tractu, anno scilicet octingentesimo vigesimo octavo, Ludovicus Imperator Ansgariū è Francis oriundum, virū virtute & doctrinâ conspicuum cum Haraldo Danorum Rege, suadente quoque & petente id ipsum Haraldo, è novo cœnobio Corbeiensi à se nuper juxta Visurgim, ad æmulationem ejus, quod erat in Gallijs, condito, evocatum in Daniam ad prædicandum Christi Euangelium demiserat. Multos ibi sudores multaque pericula dum tolerat, magnam interea plebis multitudinem ad veri Dei cultum veramque religionem traducit, operam conferente, quem sibi collegam laborumque socium assumpserat, Autheberto. Verum sæva mox tempestate ab idolorum patronis excitatâ, cui cedendum videbat, in Germaniam regressus Corbeiensi monasterio se reddidit. At Ledoricus insi-
DCCCXXXIII. to sibi pietatis zelo incensus, post annos aliquot, anno nimirum octingentesimo trigesimo tertio, probante & favente, quem circa se habebat, ecclesiastici ordinis senatu, archiepiscopum

copum

HARALDUS Rex. A. C.

copum eum constituit Hamburgensem; ejusque curæ septentrionis populos *Danos, Norwegos, Suedos, Finnos* & qui his omnibus ulteriores sunt, *Islandos, Groenlandosque* Christi doctrinâ ac pabulo imbuendos pascendosque commisit. Consecratum à Drogone Metensi episcopo chronologi adjiciunt, astantibus & assensum suum interponentibus, Othgario Maguntiensi, Ebbone Rhemensi, Hattone Treverensi, itemq; Bremensi & Ferdensi episcopis. Quo autem, haberet locum certum, quo se, ingruente fortassis circa Albis easque regiones persecutionis procellâ posset recipere *Turmholti* apud Belgas Brabantiæ refugium & veluti asylum illi, exstruxit, additis rerum necessariarum reditibus. Sed hæc prolixius propiusque edocebunt, quibus tum à Lodovico donatus ornatusque est, publici instrumenti tabulæ. Quarum hic formulam subjungendam, vel ob ævi illius antiquitatum studiosos, omnino prætium operæ judicavi:

IN *nomine Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi, Ludovicus divino favore, & propitiante clementia, Imperator Augustus. Si specialibus cujusque fidelium nostris necessitatibus prospective subveniendum esse, temporalis authoritas monstrat, quanto magis ad debitam generalitatis providentiam, æquum dignumq; pertinet, ut & Ecclesiæ Catholicæ, atque Apostolicæ, quam Christus suo pretioso sanguine redemit, eamque nobis regendam tuendamque commisit, piam & solicitam in cunctis oportet gerere curam, & ut in ejus profectu vel exaltatione, congruam exhibeamus diligentiam, novis ad ejus necessitatem vel utilitatem atque dignitatem pertinentibus rebus, nova, imò necessaria & utilia provideamus instituta. Idcircò sanctæ Dei ecclesiæ filijs præsentibus scilicet & futuris certum esse volumus, qualiter divina ordinante gratia nostris in diebus, aquilonaribus in partibus scilicet, in gentibus, Danorum, Sueonum, Norvagorum, Fariæ, Groenlandorum, Helsinglandorum, Islandorum, Scrifindorum, & omnium septentrionalium & orientalium nationum magnum cœlestis gratia, prædicationis sive acquisitionis patefecit ostium, ita ut multitudo hinc inde ad fidem Christi conversa, mysteria cœlestia Ecclesiasticaque subsidia desiderabiliter expetenent, unde domino Deo nostro laudes immensas persolventes extollimus, qui nostris temporibus & studijs, sanctam Ecclesiam sponsam videlicet suam, in locis ignotis sinit dilatari atque profiteri. Quamobrem una cum Sacerdotibus, cæterisque nostri imperij fidelibus, hanc Deo dignam cernentes causam, valdè necessariam atque futuræ Ecclesiæ dignitati profecturam dignum duximus, ut locum aptum nostris in finibus, evidentius eligeremus, ubi sedem Archiepiscopalem, per hæc nostræ authoritatis præceptum statueremus, unde omnes illæ barbaræ nationes, æternæ vitæ pabulum, facilius uberiusque capere valerent, & sitientes salutis gratiam præ manibus vel oculis haberent. Insuper & magnorum progenitorum nostrorum sacra lucrandi studia, nostris in diebus nunquam deficerent. Progenitor enim noster gloriosæ memoriæ Carolus, omnem Saxoniam Ecclesiasticæ religioni subdidit, jugumque Christi adusque terminos Danorum atque Slavorum, corda ferocia, ferro perdomans, docuit, ubi inter has utrasque gentes Danorum sive Vinnedorum ultimam Saxoniæ partem sitam in diversis periculis temporalibus videlicet & spiritualibus, interjacentem perspiciens, Pontificalem ibidem sedem fieri decrevit, Transalbiam unde postquam terram Transalbinorum laxata captivitate, quam ob multam perfidiam ipsis Christianitatis initijs patratam per septennium passa est, ne locus ille à barbaris invaderetur, Ereberto comiti restituere præceperat, non jam vicinis episcopis committere voluit, sed ne quisquam eorum hanc sibi deinceps parochiam vendicaret, & è remotis Galliæ partibus quendam episcopum* Anscharium *nomine direxit, qui primitivam Ecclesiam ibidem consecraret, sed & eidem Ecclesiæ sacras reliquias ac plura Ecclesiastica munera pia largitate specialiter destinare curavit. Postmodum verò captivis optatam ad parochiam undiq; confluentibus, eandem parochiam, cuidam præsbytero* **Herodach** *nomine, specialiter commendavit, quem universæ Transalbinorum Ecclesiæ, ne ad ritum relaberentur gentilium, vel quia lucrandis adhuc gentilibus locus ille reddebatur aptissimus, disposuerat consecrari episcopum, ut ipsa occasione vel authoritate summa in ipsis terminis gentium sedulitate prædicandi sancta multiplicaretur Ecclesia, dum vicinorum ipsius novitatis Episcoporum multa latitudinis cura non sufficiebat discurrere per omnia. Delegavit etiam eidem præsbytero quandam Ecclesiam* **Rodnach** *vocatam, quatenus eidem loco periculis circumdato, fieret supplementum. Sed quia consecrationem jam dicti viri, velox ex hac luce transitus pij genitoris nostri fieri prohibuit; Ego autem quem divina clementia in sedem regni ipsius asciverat, cum in multis regni negotijs insisterem, hoc quoq; prædictum patris mei studium velut regni in finibus minus cautè attenderem, prædictam parochiam vicinis Episcopis interim commendavi. Nunc autem propter supra dicta Ecclesiastica lucra in gentibus demonstrata, quam & propter votum pij genitoris nostri ne ejus studium infectum remaneat, statuimus unà cum consensu Ecclesiastico, præfata ultimâ in regione Saxonicâ trans Albiam in loco nuncupato* **Hammenburch**; *cum universa Transalbinorum Ecclesia proprij vigoris constituere sedem Archiepiscopalem cui ut primum præesse atq; solenniter consecrari per manus Drogonis Metensis & summæ sanctæ palatinæ præsulis* Anscharius *fecimus Archiepiscopum, adstantibus Archiepiscopis, Ebbone Remensi, Hattone Trevirensi, Ottigario Moguntiensi cum plurimis alijs, generali in cõventu totius imperij nostri præsulibus con-*

LODOVICUS Imp.

HARALDUS Rex. A. C. *congregatis adsistentibus quoq; specialiter ac consentientibus atq; consecrantibus Helingaudo sive Villerico Episcopis; à quibus jam dictæ Parochiæ partes à nobis & à patre nostro sibi olim commendatas recepimus, cui videlicet Anschario, tam nostra quam sancta Romana authoritate, hanc Deo dignam præfatis gentibus commisimus legationem, ac proprij vigoris asscribere decrevimus. Et quia casus præteritorum cautos nos facit in futura, ne quisquam Episcoporum aliquam sibi Transalbiam, vel alicubi in Parochia vindicet potestatem, certo limite circumscriptum esse volumus videlicet ab Albio flumine deorsum usq; ad mare oceanum sursum per omnem Slavorum provinciam usq; ad mare quod Orientale uocant & per omnes prædictas nationes septentrionis, omnes quoq; paludes infra sive juxta Albiam positas, cultas & incultas, infra terminos ejusdem Parochiæ ponimus, ut trans Albiani se & sua ab incursu Paganorũ qui sæpe timendus est, in his locis occultare queant. Et ut hic nova constructio periculosis in locis cæpta subsistere valeat, quandam cellam* Turnholt *vocatã tam huic novæ quam ejusdem Archiepiscopi successorumq; suorum, in gentibus legationi permittere servituram ad nostram nostræq; sobolis perpetuam mercedem, divinæ offerimus Majestati. Res itaq; præfatæ sedis & jam dicti monasterij sub plenissima defensione & immunitatis tuitione, volumus ut consistant, ut liceat venerabili Archiepiscopo prædicto suisq; successoribus ac cum clero sub eorundem regimine constituto quiete in Dei servitio degere & pro nobis proleq; nostra atque statu totius imperij nostri, divinam misericordiam exorare; & ut hæc authoritas sui vigoris perpetuam obtineat firmitatem manu propria subter eam firmavimus & sigilli nostri impressione signari jussimus, Hirnimarus notarius ad vicem Theodori recognovit. Data idus May. Anno* XXI. *imperij Romani Ludovici*

DCCCXXXIV. *pijssimi Augusti Indictione* XV. *Actum Aquisgrani Palatio Regio, in Dei nomine feliciter, Amen. Anno Domini nostri Iesu Christi* DCCCXXXIV.

Accedunt illis Gregorij quarti Romani pontificis literæ, quibus vocationem Ansgarij ab imperatore & episcopis factam, anno sequente ratam se habere demonstrat. Eæ in hunc modum scriptæ fuerunt:

Gregorius Episcopus servus servorum Dei, omnium fidelium dignoscentiæ, certum esse volumus, qualiter beatæ memoriæ, præcellentissimus Rex Carolus, tempore prædecessorum nostrorum divino afflatus spiritu, gentem Saxonum sacro cultui subdidit jugumq; Christi, quod suave ac leve est, adusq; terminos Danorum sive Sclavorum, corda ferocia ferro perdomans docuit, ultimamq; regni ipsius partem transalbiã inter mortifera paganorum pericula constitutam videlicet ne ad ritum relaberetur gentiliũ vel etiam quia lucrandis adhuc gentibus aptissima videbatur, proprio Episcopali rigore fundare decreverat, sed quia mors effectum prohibuerit succedente ejus præcellentissimo filio, Ludovico Imperatore Augusto, pium studium sacri genitoris sui efficaciter implevit, quæ ratio nobis per venerabiles, Racolfum, sive Vernoldum Episcopos, nec non Geroldum comitem vel missum venerabilem relata est confirmanda. Nos igitur omnem ibi Deo dignam statutam providentiam cognoscentes, instructi etiam præsentia fratris filij nostri Anscharij primi Nordalbingorum Episcopi per manus Drogonis Metensis episcopi consecrati, sanctum studium magnorum Imperatorum: tam præsenti authoritate quam etiam pallij donatione more prædecessorum nostrorum roborare decrevimus, quatenus tanta authoritate fundatus prædictus filius noster, eiusque successores lucrandis plebibus insistentes adversus tentamenta Diaboli validiores existant, ipsum filium nostrum iam dictum Anscharium & successores eius legatos in omnibus circumquaq; gentibus Danorum, Sueonũ, Noruegorum, Fariæ, Groenlandorum, Helsinglandorum, Islandorum, Scrichfindorum, Sclavorum, nec non omnium septentrionalium & Orientalium nationum quocumque modo nominantur delegamus & posito capite & pectore super corpus & confessione sancti Petri Apostoli sibi suisque successoribus vicem nostram perpetuo retinẽdam publicamque evangelizandi tribuimus authoritatem ipsamque sedem. Nordalbingorum Hammenburch dictam, in honore Salvatoris, eiusque intemeratæ genetricis Mariæ consecratam Archiepiscopalem esse decrevimus. consecrationem verò sacerdotum donec consecrantium numerus ex gentibus augeatur sacræ Palatinæ providentiæ interim committimus, strenui verò prædicatoris persona, tantoque officio apta, in successione semper eligatur omnia verò a venerabili principe ad hoc Deo dignum officiũ deputata nostra etiam authoritate pia eius vota firmamus, omnemq; resistentem vel contradicentem atque pijs nostris his studijs quo libet modo, insidiantem anathematis mucrone percutimus atq; perpetua ultione reos diabolica sorte damnamus ut culmen Apostoli cum more prædecessorum nostrorum causam Dei pio effectu zelantes ab adversis hinc inde partibus tutius muniamus. Et quia te Charissime Fili Anschari, divina clementia nova in sede disposuit, esse Archiepiscopum, nos pallium ad missarum solemnia celebranda tribuimus, quod

DCCCXXXV. *tibi in diebus tuis uti largimur. Sancta Trinitas vitam tuam conservare dignetur incolumen atque post huius seculi amaritudinem ad perpetuam perducat beatitudinem. Amen. Datum. 835.*

His instructus Ansgarius difficilimo operi accingitur; sed numine tam pius & honestis conatibus aspirante, labor illi omnis dulcis fuit, præsertim cum & fructum uberrimum indies persentisceret, exsurgentibus passim, qui Christo nomen darent. Nec interea desistunt Dani fortunæ aleam iacere. Nam paratâ haud exigua

id

REGNERUS Rex. A. C.

poris classe ex intervallo Angliæ littus invaserant. Rex *Egbertus* re intellecta, militem confestim coëgit hostique obviam processit. Sed prælio inferior ac multis suorum desideratis, vix ipse cum paucis elapsus est. Dani autem, etiamsi superiores se scirent, trepidi tamen ne in hostili solo insidijs circumvenirentur, à persequendo destitêre. Unde, reparato mox idoneo exercitu, Egbertus confertas in hostem copias eduxit, commissoque iterum prælio fudit pæne universos ac fugavit. Difficilior in Galliarum littora exscensus fuit, quod jam exemplo patris Caroli, de quo supra monuimus, portus omnes atque aditus maritimos militaribus præsidijs circumquaque obseptos teneret Lodovicus. Flandriæ tamen oras Mejero memorante, nec sic quidem intactas reliquerunt furtivis scilicet expeditionibus modo has, modo Sequanæ ostia infestantes: sed præcipuè in Aquitaniam se effudisse author est Aimonius direpto ibi vastatoq; vico Bundij vocabulo. Et hæc quidem, ut innui, claudestinè & subito ab illis perpetrata, dum vel persistunt adhuc cum rege Francorum intra pactionis leges, vel potius dum contentionis etiamnum funem cum Godefredi posteris Rex Haraldus eique associati domi ducunt, adeò ut justas tum classes moliri & in longinqua terrarum mittere cogitationes haud vacuum fuerit. Sed istis paulatim pacatis, & mox exortis in domo Palatinâ intestinis dissidijs, miserrimus imperij Francorum status subsecutus est. Nam hinc imperatoris filij, sumptis in patrem Lodovicum armis inde classicum canentibus episcopis eò illum adegerant arbitrio ac nutu eorum sceptri diadema deponere intraq; cœnobij conclave se continere necessum habuerit. Et licet haud multò post in integrum restitueretur, alia tamen atq; alia discordiarum ac simultatum interna mala suborta, quæ civilibus motibus occasionem præbuerunt. Dani Normanniq; hæc eminus speculantes se quoq; pactis conventis jam exemptos, aut saltem novas conditiones resumendas, æquum judicabant. Chronologi. & præsertim incertus ille annalium scriptor à Pithæo primum publicatus hoc insuper habiti fœderis tempus refert ad annum DCCCVIII. aitq; per negligentiam ruptum, sive incuriam hanc intelligens limitum custodibus imputandam seu potius Palatinorum socordiæ; hoc certè idem adjicit tum continuò invasa à Normannis Francorum castra direptaq;, palam & sine feciale bellum aliquandiu intermissum quasi instaurare parantibus. Quin & conflatæ extemplo navales copiæ interque duces divisæ, veluti justâ expeditione modo Germaniæ modo Galliæ oras infestas habuerunt. Tunc Batavorum, (Dorstadum vulgo) vastatum atque eversum: incensa Andwerpia; & Wittha (modò vera sit Chronologi Pithæani scriptura) celebre ad Mosam emporium ferro similiter & flammis deformatum: Frisijs vectigal imperatum exactumque. Et anno qui fuit octingentesimus trigesimus DCCCXXXVI. sextus; Walahria quoque, Zelandorum insula reddita ijsdem tributaria, trucidato, præter alios, limitis comite Eginhardo, unà cum Hemmingo Halpdani filio, dum se fortissime dimicando singuli defendunt. Ibique aliquandiu commorati exacta prius ab insulanis ingenti pecuniæ summa, iterum ad Dorestadum proximosque ei Frisios vires suas atq; arma convertunt. Quæ res inprimis Lodovici Imperatoris animum accendit injecitque de classe sub annum proximum instauranda cordatissimo principi deliberationem. Sed, ipso partim animi ægritudine ob filiorum discordias, partim senecta & morbis minus alacri, inhiberi haudquaquam Normanni potuerunt, quo minus inchoata feliciter persequerentur. Ac primò quidem tentati, qui proximi occurrebant, Frisij inde Rheni faucibus frænum injectum & ipsa Agrippinensium colonia obsidione vexata. Ac denique Nordalbingorum metropoli Hamburgo (quod in regressu, ut videtur, patratum) excidium & solitudo illata. Siquidem hanc universam vel incendio vel ferro una cum bibliotheca librorum veterum thesauris instructissima consumptam Abbas Stadensis & ante eum Adamus Bremensis sub annum octingentesimum quadragesimum gravissime DCCCXL. conquererentur, adjicientes *S. Ansgarium* destitutum omni præsidio cum paucis aliquot nudum ac nudatum evasisse. Helmoldus summam tum temporis Danorum potentiam agnoscens ità de rebus ijsdem verba facit: Eâ tempestate, scisso per discordias fraternas imperio, primi vel præcipui Danorum populi, viribus & armis præpotentes, prius quidem Slavos itemq; Fresones tributis subjiciunt, de hinc classe piraticâ per Rhennm subvecti, Coloniam obsiderunt: per Albiam *Hammenburg* funditus exciderunt. Inclyta civitas & recens ecclesiæ structura, tota incendio disperijt. Quin & Nordalbingorum provincia, & quidquid flumini contiguum fuit, barbarorum direptionibus cessit, Saxonia magno terrore, concussa est. Sanctus autem Anscarius Hammenburgensis archiepiscopus, & ceteri prædicatores in Daniam & Slaviam destinati, magno persecutionis fervore

I ij sedibus

Regnerus Rex. A. C.

,, sedibus suis pulsi sunt, & usquequaque dispersi. Præcesserant jam ante Lodovici Augusti exequiæ, qui in insulam Ingelheimensem juxta Maguntiam valetudinarius delatus, ibi ad XII. Iul. anni antecedentis animam cœlestem Deo reddiderat, cum filiorum maximum Lotharium ornatum imperij titulo Italiæ, Lodovicum Germaniæ, Pipinum Aquitaniæ, Carolum natu minimum hæredem Galliarum instituisset. Quam tamen regnorum divisionem cum præsertim Lotharius ac Pipinus, ut iniquam judicassent, funestissima inter fratres concitata sunt bella, ijsque factum ut enervato atque in partes scisso imperio veluti classico sit excitus Aquilonis populus, nec ut ante clandestinis irruptionibus, sed justis copijs classibusque regium in modum armatis verè formidabilem se faceret. Accedebat præterea quod notat ævi istius synchronus Nithardus, Lotharium tam effero in fratres Lodovicum & Carolum fuisse animo, ut ipsos paganos interque eos Normannorum præcipuè gentem suas in partes pellectam traductamque ad utriusque regnorum confinia infestanda sollicitarit, proposita ijsdem publica non tantum exercendi paganismi libertate, sed & christianos quoscunque sub Lodovici vel Caroli imperio agentes dispoliandi ad libitum immunitate. Itaque terrâ marique in rem suam intenti occasioni nuspiam deerant, direpto Cantvici municipio atque inibi transmisso pelago etiam Hamuicum una cum Nothumvico eadem expeditione deprædati, ut memorat iterum Nithardus, omissa tamen regionis, in qua hæc sita nomenclatione. Sed levior hæc clades illâ, quæ vix biennio post, Aimonio testante, ad annum DCCCXLV. Caroli regis opes miserrimis modis afflixit. Regenarius enim, Rorici Danorum Regis auspicijs, majore animo ac vi ad littora vicina classem applicans modò Frisiam modò Flandricam atque ultimò Gallias armis infestas habuit. Ad ostia Sequanæ delatus, primò Parisiorum civitatem incursavit, mox D. Germani monasterium depopulatus, ad Melodunum, Senonum opidum, igne & flammis devastandum se vertit, prius, quæ in urbis erat conspectu, insulâ suam in potestatem redactâ. Tandem etiam prælio cum regijs copijs inter Santonas & Burdigalam commisso, superior discessit, Siguino Vasconum præfecto inter pugnandum cæso ipsoq; Rege Calvo vix ægre per fugam dilapso tanta omnium consternatione, ut ingentis pecuniæ summâ in publicum collectâ, Rex gravioris belli metu, mercari ab eo pacem coactus fuerit. Addit miraculum Aimonius Raganarium scilicet, dum se suosque adversus Calvum successus & hanc præcipuè S. Germani divastationem Regi Rorico jactaret diceretq; plus ibi mortuos quam vivos potuisse, quod solos sibi divi Germani manes occursantes habuisset, continuo collapsum atque inde post triduum expirasse: Ex commilitonibus quoque permultos, qui sacrilegas ædi manus intulissent, dysenteriâ extinctos. Hunc *Regenarium*, Aimonio dictum, regem esse *Regnerum Lotbrogum* parum ambigam; licet Saxo, qui eũ quoq; peregrè fato suo functum ait, paulo aliter narret, & ab Ellâ apud Hibernos truculentissimâ nece confectum referat, ut inde dicemus. Quis autem eidẽ Aimonio *Roricus* Rex sit, cujus ista auspicijs Regenarius gesserit, ex Saxone eodẽ aut actis domesticis nuspiã liquet. Mors verò atq; exitus Regneri cujusmodi Saxoni memoretur, quamvis aliquid quoq; de

DCCCXLV.

,, eodem mox dicemus, ità verbis illius refertur: Hellam apud Hibernos Regnerus classe ,, adortus, justâ omnipotentis animadversione manifestas detractę religionis pœnas pependit. ,, Comprehensus enim atq; in carcerem conjectus, noxios artus colubris consumendos ,, advertit, atq; ex viscerum suorum fibris tristem viperis alimoniam præbuit. Cujus adeo ,, jocinore, cum cor ipsum, funesti carnificis loco, coluber obsideret, omnem operũ suorum ,, cursum animosâ voce recensuit, superiori rerũ contextui hanc adjiciens clausulâ, si suculę ,, verris supplicium scissent, haud dubio irruptis haris afflictum absolvere properent. Quo ,, dicto Hella adhuc nonnullos filiorũ ejus vivere interpretatus, quiescere carnifices, amo- ,, veriq; viperas jubet. Cumq; satellites peragendæ jussionis gratiâ accurrissent, Regnerus ,, imperium regis funere suo præcesserat. Quem quid aliud quam duas inter se fortunas par- ,, titum esse dicemus, alteram quæ ei incolumem classem, propensum imperium, præcipuas ,, piraticæ vires adjiceret; alteram, quæ claritatis ruinam, commilitonum necem, acerbissi- ,, mum vitæ exitum irrogaret, cum ipsum carnifex venenatis belluis circumfusum, eo cor- ,, de, quod adversus omne discrimen immobile gesserat, aspides exatiantẽ videret. Itaq; ex ,, speciosissimo victore ad miserabilẽ captivi sortẽ deductus, ne quis nimiũ fortunæ credat, ,, edocuit. Sed hæc utcunq; se habeant, illud sane chronologorũ etiã aliorum assertionibus constat, haud minora, ab ejusdẽ Regneri socijs in patriã mox reditum parantibus Flandrię Frisiæq; oris illata detrimenta. Cũ Frisijs præsertim tribus cõmissis conflictibus, cũ primo certamine victi essent, reliquis duobus, validius instaurato impetu, superiores evaserunt.

Atque

REGNERUS Rex. A. C.

Atque inde regione omni atque incolis circumquaque direptis proſtratiſque, onuſti opimis ſpolijs ovantium ritu ſuos ad lares regreſſi; invaſo prius vaſtatoq; caſtello, cui nomen Hamburgo ad Albis ripam in Saxonum confinijs collocato. Quibus alijſque de cauſis veriſimile eſt Regem mox Lodovicum cui, ut ante memoratum, ſortito obvenerat Germania, Regni comitia Paderbornæ in ipſâ Saxoniâ ſub autumnum indixiſſe. Ad ea certè non modò fratrum ejus Caroli & Lotharij nuncij, ſed & Normannorum legationes, præter Sclavos & Bulgaros, frequentes adfuêre. Quin & interquieviſſe exinde & quaſi reſpiraſſe pauliſper eos comperior, inita tum forte aliquali inter Lodovicum & Carolum cum imperatore Lothario reconciliationis pactione: niſi quod anno interea octingenteſimo quadrageſimo ſeptimo Doreſtadum tertiò ab ijſdem tentatum flammiſque fœdatum Pithæi annales injiciant; DCCCXLVII. atque anno viciſſim proximo circa Cal. Octob, iterum generale à Lodovico Maguntiaci habitum placitum: in quo denuò præter fratrum ipſius DCCCXLVIII. Slavorumque legatos etiam Normannorum proceres benignè excepti dimiſſique. Valida per ea tempora claſſis eorundem ad littus Hiſpaniarum profecta orā univerſam Galleciæ infeſtam reddidit, dum ope regis Ramerici, exuſtis ſeptuaginta navibus, ad mare regreſſi ſunt, Qui cladi ſuperfuerunt, Nerio promontorio ſuperato ad Tagi oſtium invecti Oliſſiponem urbem, quę ad Maurorum ditionem redierat, omni belli injuriâ fatigarunt. Atque inde aucti claſſe & viribus Hiſpalim obſederunt, Gaditanos agros & Aſſidoniæ fines, ablatis opimis prædis, vaſtarunt. Mauri, qui prælij fortunam tentare ſunt auſi, tribus conflictibus magno numero ſunt cæſi. Ad extremum cum diutius ijs locis conſediſſent & jam nova arma in adverſum molietur Aderrhamus, magna gloria parta, ſpolijſq; onuſti diſceſſerunt. Hinc cum ageretur annus octingenteſimus quinquageſimus, Ericus, quem DCCCL. cum fratre Haraldo, concedente Lodovico pio, poſſediſſe aliquandiu, Doreſtadum jam ſupra indicatum, poſt exceſſum Auguſti obitumque ipſius Haraldi, apud Lotharium imperatorem proditionis crimine, ſed, ut fama vulgavit, falſo inſimulatus comprehenſuſq; & in vincula conjectus, ſed elapſus mox cuſtodiâ ad fratrem imperatoris Lodovicū Germanię regem, ut ſibi conſuleret ſalutiſque præſidium inveniret, ingenti feſtinatione contendit. Quo cum perveniſſet eſſetque in fidem ac clientelam ejus jam admiſſus, eo confeſtim Saxoniæ tractu, qui eſt Daniæ quam proximè conterminus, non nolente Lodovico, ſedem ſibi ac domicilium poſuit. Ubi dum agit, coacta traductaque in ſuas partes popularium haud exigua manu, fortunam mari tentare, ac Lotharij Imperatoris regiones, oceani borealis littoribus confines, hoſtiliter invadere ac divaſtare aggreditur. Et mox per Rheni fluminis oſtia ſubvectus Doreſtadum per vim occupatum, invito eodem Lothario, belli jure poſſedit. Unde cum exturbare eum abſque manifeſta ſuorum clade imperator haud poſſet, per legatos cum eo agere cœpit: Actaq; in hunc modum res eſt, ut imperatori reconciliatus inque fidem receptus id operam daret, ne qua fraus regio tributo cæteriſque ad ærarium pertinentibus negotijs obveniret; ac denique ut imperij limites, quibus eſſet præpoſitus, à piraticis popularium præſertim incurſionibus tutas atque inviolatas præſtaret. Quibus ille conditionibus acceptis, gnave fideliterq; quod promiſerat, executus Normannos undiquaque à Rheni Friſiorumque æſtuarijs ſecluſos arcuit. Quo exinde factum, ut ad Caroli pomæria opeſque converſi, primo in Galliæ maritimas oras atque inde ulterius miſſis armis, ad interiora quoque ejuſdem regni pervaderent. Siquidem Duce Godefredo Regneri Lodbrogi regis ex Lathgertha filio (quem ſecundum GODEFRIDUS II. Daniæ Dux. nominandum puto, aſpectu prioris, de quo ſupra dictum) opulentiſſimas Francorum ditiones per Sequanam ingreſſi nihil pœne intactum à deprædatione reliquerunt. Quorum expulſioni imperator Lotharius in auxilium vocatus, fratri Carolo ſine morâ ſe ſtitit: adductiſq; auxiliaribus copijs, paratum ſe promptumq; ſatis oſtendit cum hoſte in omnem eventum manus conſerere. Sed Carolus mutato, præter expectationem, conſilio ipſum Godefredum totumque ejus exercitum in regni ſocietatem accepit, bona Neuſtriæ parte eidem ad incolendum attributâ.

SIVARDUS REX.

QUÆ dum foris peraguntur, domi rerum potiebatur Godefridi ex alio thoro frater Sivardus. Qui quod anguino obtutu eſſet Snogðye, id eſt, *anguis oculum* appellatum authores teſtantur domeſtici. Erat autem Regnero patre natus & jam fato functus Ericum admodum infantulum magis naturæ quam regni hæredem reliquerat, quippe, de quo

ERICUS Rex A. C. de quo memoravimus, Haraldi frater Ericus, postquam multo nunc tempore externa arma, modò ut hostis, modò ut socius imperij circumtulisset, sive vi & sponte sua, sive ab altera diffidentium parte in patriam evocatus Sivardi solium, posthabito ejus filio Erico, ut minorenni, sibi occupavit.

ERICUS REX.

IS ergo Ericus regno potitus nec à Christi fide magnopere alienus, utpote Magunciaci ut memoratum baptismate jam ante initiatus, identidem ab Ansgario, apud Danos id temporis agente, compellatur; nec, ut habent chronologi, Christianus tum factus (jam enim, quod indicatum, Magunciaci Christo nomen dederat) sed magis magisque in verâ fide ac pietate ab eodem Ansgario firmatus, templum, in quo Christus doceretur, Slesvici constituit. Promulgari insuper publicè fecit, Christi nomen quicunque assumere, vitamque ad ejus sanctissima jussa vellet componere id liberum esse omnibusque permitti. Eaque occasione infinita gentilium multitudo, relictis idolis, Christum confessa memoratur. Inde ad Suecones quoque authore ipso conversus Ansgarius, jactaque & ibi fideliter Euangelij semente, haud exiguam laboris sui messem reportavit. Non debet hoc loco præteriri silentio Genaldus Normannus, uti eum Francorum annales nominant. Hic superioribus annis Erici heri sui iram atq; offensam tempestive declinans ad regem Germaniæ Lodovicum confugerat. Cujus auspicijs cum esset non tantum perbenigne acceptus, sed & baptizatus quoque & fidei nostræ sacramentis imbutus, honorifice aliquandiu inter proceres Francorum aulæque optimates habitus fuit. Tandem apud principes borealium partium atque inprimis apud comites, qui limitibus castellisque adversum Danos erant impositi, delatus, quasi dubiæ ac lubricæ fidei suspectari cœpit. Unde & mox conceptæ potius, quam patratæ proditionis nomine, capite pœnas persolvit. Qua eadem
DCCCLIII. tempestate Normanni ducentis quinquaginta duabus omnis generis navibus ad Frisiæ littora inopinato appellentes, terram universam populabundi percurrerunt, omnibusque quæ aut agi ferrive poterant direptis, ad naves se denuò receperunt. Proximo autem vere majora ausuri, ad Galliæ maritima conversa classe post Sequanæ ostia ac portus bis iterumque victricibus armis superatos, urbemque Parisiorum sollicitatam Ligeri quoque fluviorum regi navales injecêre compedes. Atque inde in terram progressi mediterranea etiam impetere ac penetrare non destitêre. Nam & Britones Galliarũ in societatem ipsis adsciti: Nannetes verò, Turones aliaque vicina oppida vel occupata vel desolata rapinis ac prædæ victoris patuerunt. Ipse Nannetum episcopus, dum rei divinæ operatur, à milite furente una cum opidanorum multitudine obtritus, incensa simul, præter alia, insigni apud Turones æde, quæ sacra Martino habebatur. Nec dissimilis Andegavensium fortuna fuit; cum & ipsi derelictis penatibus suis idoneum propugnatorem non invenirent. Carolus enim Rex, ut ab Æmylio Gallicarum rerum historiographo est traditum, etiamsi ad defensionem seriò se pararet, serius tamen & quod dicitur post Pythia ac depugnato jam prælio adcucurrit. A quibus quantopere dissentiat Albertus Stadensis, illi seculo vicinior scriptor, paucis adjiciam. Nam post alias Galliarum oræ illatas clades, testatur eos
DCCCLVIII. circa annum DCCCLVIII Sequanæ fluvio invectos, Parisijs obsidionem fecisse ipsumq; adeò regem Calvum campis & castris exutum eo angustiarum ac necessitatis compulisse, ut bonam regni sui partem obtinendam ipsis colendamque concesserit: Nec illud modo, sed Lotharingiam tunc quoque ab ijsdem vastatam & Frisios deniq; invasos subactosq;. Et hæc insuper in annũ ut posui DCCCLVIII. ab eodem relata; cum Regino, Frisingensis, Sigebertus ipsique à Pithæo vulgati Francorum annales quinquennio ante evenisse concorditer unoque ore loquantur. Quæ dum apud exteros geruntur, domi quoque exserere caput Bellona cœpit. Ericus namque, ut diximus; contempta ætate nepotis & cognominis sui Erici Sivardo geniti, postquam sceptrum eidem delatum ad se rapuisset, tanta clade inter eum & Guthormum, fratris sui Haraldi filium, confectum est bellũ, ut eorum utroque cum innumeris alijs interempto, regia Danorum stirps atrocissimis exhausta cædibus ad unicum superioris Sivardi filium Ericum redacta fuerit. Occasionem hujusce mali luculentius enarratam referunt Francorum annales, Gothurmo nimirum summis jam viribus hoc agenti; ut idonea instructus manu regnũ patrium adversus patrui perfidiã sibi vendicaret, insperato & præter opinionem accidisse ut classis copiæque Danorum Normannorumque, qui jam permultos annos circumquaque cum vicinas tum longius positas

positas regiones fuerant depopulati, domum & ſuos ad lares regreſsionem facerent: Eoſq; ex disjunctiſsimis provincijs, per quas belli & rei ſuæ augendæ cupidine ſe diffuderant, ubi in unum veluti claſsico conveniſſent, de præda, quam ex tot regum regionumq; manubijs ac ſpolijs conflarant, inter ſeſe diſsidentes tumultuari mutuo & ſerram, (quod dicitur) reciprocare inſtitiſſe: Atque inde à rixarum verborumque proluſionibus ad arma & pugnas deveniſſe, tandemque poſt mutuam ſuorum ſtragem diſceſsiſſe in partes: Earumque alteram Erico, alteram ſe Guthurmo militari ſacramento addixiſſe: Atque ita prælio commiſſo, perijſſe non tantum Ericum regem una cum adverſario ſuo Guthormo, ſed militem quoque univerſum pene omneſque regiæ ac Palatinæ domus principes, uno excepto juniore Erico, quem ſola ætatis immaturitas tam funeſto atq; internecino conflictu exemptum reſervarat. ERICUS Barn Rex. A. C.

ERICUS Barn ſive Puer REX.

ERICUS itaque interemptis omnibus, qui ſanguine regio cenſebantur, ſolus ſuperſtes, eorum infortunio ac clade ad regnum evectus ductaque Guthormi filia initium imperij laudabile habuit. Nam paganiſmo adhuc imbutus in omnes, quicunque jam modò ſub Erico priori, adnitente ut diximus Anſgario, Chriſti nomen aſſumpſerant, adeò efferum ſe adeoque iniquum declarabat ut eccleſias circumquaque, expulſis Euangelij præconibus, aut aboleri aut claudi viciſsim præciperet. Anſgarius nihilominus divino fretus numine haudquaquam veritus, ex Suetia jam redux, præſentem præſens adire coramque verbis affari. Quod & illi totique regno haud infeliciter ceſsit. Nam Ericus, ſalutaribus ejus monitis aure adhibitâ, non modo errorem omnem & quidquid in animo adhuc ejus ferum ſupererat, paulatim depoſuit, ſed expiatis etiam, quæcunque in Chriſti famulos inſolentius commiſerat, ſe pietatis verum alumnum verumque cultorem omnibus in poſterum approbavit. Quin & edito in publicum mandato, religionem Chriſtianam per univerſas regni ſui oras ac territoria promulgari ſinguliſque ſeriò ac ſeverè commendatam haberi voluit, exſtructâ ad hæc in Dei ſempiterni honorem inſigni apud Ripenſes eccleſiâ. Sed Anſgarius non tantum Hamburgenſis ſed & Bremenſium epiſcopus poſtquam jam annis circiter triginta quatuor borealibus populis verbum vitæ fideliter deprædicaſſet, regnante adhuc Erico, mortem obijt, relicto ſucceſſore præilluſtri ac multæ pietatis viro Remberto diacono. cujus temporibus Sigefridi quoque ejuſque fratris Haldani regnantium apud Danos mentionem injici, præter Adamum Bremenſem Francorumque annales, etiam Albertus Stadenſis ſubindicat, addens eoſdem Cæſari Lodovico gladium capulo tenus inauratum aliaque donaria muneri miſiſſe, pacem efflagitantes: atque inde miſſis ad flumen Eidoram legatis, fœdus utrinque, more gentis, per arma firmaſſe. Enumerant & ipſi plures ea tempeſtate reges ſive duces potius qui patriâ procul longinquis expeditionibus Anglorum Gallorumque littora infeſta habuerunt: quorum præcipui recenſentur *Horicus, Ordvigus, Godefredus, Rodulphus* & *Inguarus*, ſive *Agnerus* filij omnes, ut volunt domeſtici authores, Regis Regneri, quem vulgo *Lotbrogum* appellatum ſupra diximus. Eidem & *Sigefridum* una cum Haldano jam ante nominato, alioſq; præterea ut *Hebonem* & *Ivarum* attribuunt. Hic Regnerus Haraldi, ut ſupra patuit, præcipuus adverſarius cum modò Sueonibus modò Anglis, alijſque continua moveret bella, videtur ab obitu Haraldi, poſthabito Daniæ regno, aut liberis ſuis (quos ut indicatum plures habuit) in hæreditatem relicto, apud exteros fortunam quæſiviſſe. De morte ejus quæ adfert Saxo, quod nimirum poſt varios rerum eventus multaque diſcrimina carceri apud Hibernos incluſus fame & colubris enectus interierit, ut & ante injecimus, non conſentiunt cum Anglorum relatis. Volunt enim illi Regnerum (Lothebricum vocant) patrem Agneri & Hubonis, cum aucupio plurimum delectaretur, hiberno tempore aſcenſâ naviculâ, dum ſtudio inſectandi aquatiles aves circa littus vagatur, ſubitâ ventorum vi in altū abreptum duaſque continuo noctes huc illuc agitatum, tertio tandem die ad Orientalium Anglorum littus perveniſſe, & ibi ob ſcientiam aucupandi ab Edmundo in familiam acceptum, & mox à ſervo Edmundi domeſtico accipitrum domitore, qui invidia motus quod ſe peritiorem aucupij Regnerum animadverteret, per inſidias interemptum: Eumq; famulum, cum ei à rege ob commiſſum facinus venia negaretur, in Daniam aufugiſſe, ibique Edmundo infenſum indicaſſe Agnero & Huboni de patre admodum anxijs eum Edmundi juſſu necatum eſſe: Agnerum, cognita patris morte, ira & furore accenſum, ſumptis confeſtim

SIGEFRIDUS & HALDANUS Duces. DCCCLXV.

ERICUS Barn Rex. A. C.

festim armis, cum haud exigua armatorum manu in insulam properasse ad ulciscendam paternam necem: Cumque ad Anglos Orientales pervenisset, Edmundum per exploratores compellari curavisse, pecuniamque atq; alia usui necessaria imperasse: Edmundum verò respondisse deliberaturum se si sacra Christiana amplecti vellet: Quo accepto, haud multo post Edmundi regiam ab Agnero occupatam ipsumque Edmundum multis verberibus exceptum flagellatumque, ac tandem, amputato capite, veluti martyrio coronatum oppetijsse. Saxo verò Grammaticus Ivarum filium ultum parentis necem, idque non in Edmundo Anglo, sed Ella Hiberno, pluribus, sed aliter commemorat. Inter cetera autem hæc habet: Ivarus petitis Angliæ partibus, quum classem suam conserendi cum hoste belli impotentem animadverteret, altum audaciæ præferens, Hellam acumine tentat, spatium arvi quantum equino tergore complecti potuisset, in sequestræ pacis pignus expostulans. Et quidem quod petijt, impetravit. Rex enim parvo preces stare autumans, à tanto hoste exiguum magnæ rei loco expeti gratulatus est, ratus perquam breve tergus, paululum ruris occupaturum. At Ivarus, corio in exiles admodum corrigias scissum extracto, habilem exædificandæ urbi agrum implicuit. Igitur Hella prodigalitatis pænitentia succedente, magnitudinem corij serâ æstimatione collegit, divisam cuticulam rectius quam incolumem mensus. Quam enim exiguam soli cincturam credidit, amplissima jugera latius occupantem aspexit. Ivarus verò conditæ urbi abunde suffecturos obsidioni commeatus invexit, ab inedia perinde atque ab hoste defensam haberi cupiens. Interea Sivardus ac Biornus cum quadringentarũ navium classe supervenientes, bellum regi manifestâ provocatione significant. Idque statuto tempore exsecuti. Comprehensi ipsius dorsum plaga aquilam figurante affici jubent, sævissimum hostem atrocissimi alitis signo profligare gaudentes. Nec vulnus impressisse contenti, laceratam salivere carnem. Taliter perempto Hellâ, Biornus ac Sivardus regna sua reduces petivere. Ivarus Angliam biennio tenuit. Hactenus Saxo. Sed Dani qui jam aliquoties cum Anglis popularibus suis (de quo in rebus Anglorum supra actum) manus conseruissent, modò arte & insidijs, modò Marte aperto rem agentes tandem cum Ethelredo rege collatis signis conflixère. Ivarus enim ejusdem, ut dictum, Regneri filius, ingenti classe delatus in Humbri ostium hostilem in modum terram circumquaq; depopulatur. Ei occurrens *Ethelredus* suos confestim in aciem eduxit. Dani haud usquam loco cedentes, apparatis similiter ordinibus alacres appropinquant, ac signo utrinque dato concursum est acriter varieq; dimicatum. Perijt eo in prælio Ivarus; Cujus in locum continuo Aguerum & Hubonem fratres, quorum & modo mentionem fecimus, duces Dani elegerunt. Eorumque animositate & studio exercitus extemplo reparari atque in gradum constitui cœptus fuit. Decimo enim quinto post cladem acceptam die, refecto jam milite, cum Anglis denuo congressi haud dubia spe ita eos fuderunt, fugaruntque ut parum abfuerit quin ille ultimus ipsis dies conserendi cum Anglis signa fuisset. Sed mox dum victor exercitus late omnia divastare aggreditur, insidijs Ethelredi interceptus haud exiguam stragem adijt: quanquam nec Anglis incruenta victoria fuerit, & ipsi præsertim Ethelredo regi, qui vulnere accepto, intolerabili ejus cruciatu brevi post extinctus est. Tumulus ejus hodieque Winburnæ, in virginum quodam monasterio, conspicitur cum hujusmodi inscriptione:

IN HOC LOCO QUIESCIT CORPUS S. ETHELREDI
REGIS WESTSAXONUM MARTYRIS, QUI ANNO
DCCCLXXII. DOMINI DCCCLXXII. APRILIS XXIII. PER MANUS
DANORUM PAGANORUM OCCUBUIT.

Ethelredus fratrem successorem *Aluredum* habuit. Quem circa hæc ipsa tempora Danorum copiæ, quæ Londini morabantur, dum in vicino venationi vacat, circumcinctum villæ cujusdam parietibus includunt. Ille, re intellecta, perterritus quidem sed occurrendum periculo existimans factus est irruentibus obviam. Verum à multitudine cum circumveniri se intelligeret fugæ cœpit insistere; collectoque quam celerrimè idoneo exercitu iterum se Danis objicit. Qui inde vim majorem pertimescentes de pace per legatos agere instituunt. Pacis conditiones erant, ut res occidentales nullo post id tempore infestas incursionibus suis redderent, ac pacti servandi causa obsides darent. At illi haud multò post religionem & fidem occasioni & commodo suo posthabentes Londino movent, maximisque itineribus Exoniam profecti urbem ipsam vi capiunt. Est autem Exonia urbs Devoinæ comitatus, loco præcelso versus occidentem posita, abluiturq; flumine

Exi,

Exi, à quo & nomen habet, distans à mari circiter millia passuum tria. Aluredus intellecto violatum à Dano milite fœdus obsidibus pœna affectis subitò in hostem vadit. Danus nequaquam regem exspectans, sed, relicta Exonia, præpropere Londinum regressus ad Chipenhaum pagum prope Bristollum castra posuit ibique circumducto vallo se munijt. Qua re cognita, Rex de via paulatim divertens hostemque ad certamen quasi provocaturus juxta eum castra posuit. Dani, quibus satis constare jam poterat aut pugnandum aut oppetendum esse, nihil cunctati ad pugnam se expediunt, dato utrinque classico, ad arma clamatum. Angli sine signo & ordine in aciem tumultuarie irrumpentes tanto impetu prælium inchoarunt ut ipsa audacia terrorem hosti injecerint. Deinde rari in confertos illati, cum paucitas parum esset tuta, respicere alij alios & undique pulsi coire in orbem cœperunt. Quod quantumvis è re eorum esse videbatur, tamen urgentibus undique Danis adeò in arctum compulsi sunt, ut vix movendis armis spatij satis esset: ita tamen in globum coacti cladem haud exiguam Danis intulerunt. In ijs Hubo Agneri frater, de quo diximus, alijque nobiles duces perierunt. Postremo Angli, qui coronâ hostium cincti ad multum diei ex omni parte cædebantur, eruptione facta, se in castra retulêre. Fuit eo prælio adeo æquo Marte pugnatum, ut neutra pars cognorit qui victi aut victores evaserint. Postea sauciatis cura adhibita cæsique sepulturæ mandati. Dani imprimis corpus Hubbonis magnâ pompâ humandum curarunt. Locum ubi occubuit *Hubleston* ab historicis Anglicanis vocari author est Asserius Menevensis: Addens vexillo quoque ejus dicto *Raunsan* (ita enim legendum non *Reosan*, ut est in Cambdeno) tum potitos Anglos; idque vexillum corvi insignibus, veluti invicto omine, à Lotbrochi filiabus opere Phrygio artificiosè intextum fuisse. Inde cœptum iter pergentes Abyndomiam (qui locus est ad Thamesin Londino circiter milliaria quadraginta distans) pervenêre ibique castra locarunt: quo & Angli cum accessissent sua castra prope hostem metati sunt. Aluredus postridie ejus diei quam eodem advenisset, copias suas satis auctas in aciem eduxit; nec Dani extraxerunt pugnam, sed acriter cœptam viriliter tolerarunt; quippe tanto irarum certamine gesta res est, ut neutra à patre emissa sint tela gladijs pugna cœpit & acerrime commissa adeò anceps fuit ut non cum Danis aut notis adversarijs sed cum gente aliqua nova videretur esse dimicatio. Iam cruor ubique exundabat, cum nox præliantes oppressit simulque certamen diremit. Cui parti victoria cesserit, dubium habetur, ita utrinque pari virtute & gloria certatum est. Ad extremum debilitatis utriusque viribus ad pactionem deventum, idque hisce conditionibus: ut nimirum Dani manus ab armis abstinerent, nullum Anglis aut palam aut clam bellum inferrent, neque ex Dania novum in insulam militem advocarent. Sunt qui tradant, ex eo fœdore cunctos in patriam Danos remigrasse: quod tam à vero quam à facto alienum esse indicabant sequentia. Annales Francorum, quos à Pithæo editos habemus, fere eodem hoc tempore anno nimirum præcedente octavum & octingentesimum quinquagesimum, iterum Erici, qui Dorestado fuit præpositus, mentionem injiciunt, quasi is Lotharij auspicijs, ducta in fines Normannorum classe, eam regni Danici partem, quæ inter Eidoram & mare est, ab Erico, quem regem Danorum ijdem annales appellant, una cum socijs obtinuerit. Plures fuisse Erici nomenclatione interque eos præter Haraldi Klag fratrem, & alterum, quem Sivardi regis filium diximus, etiam ille subinde Horicus, sive Ruoricus chronologis dicitur, quem inter Regneri Lothbrochi liberos regio quoque nomine clarum supra recensuimus, virum fortem & qui Britanniæ ac Galliæ oras, ut ante memoratum, suis armis sæpenumerò conterruit: Eum proxime secutus Hastingus alijs Haddingus regio similiter sanguine vir, magnumque nomen domi militiæque cum ob animi promptitudinem, tum res præclarè gestas adeptus. Hic à rege *Biorno* costæ ferreæ cognomine, qui inter filios quoque Regneri censetur, exercitus Dux declaratus, post Galliæ borealis oras variè tentatas, instructa cum classe Herculeo freto penetrato, atque orâ illâ Hispaniæ interioris prænavigatâ, Rhodanum ascendit. Eodemque vicissim non sine clade incolarum regressus Italiam petijt caput orbis Romam incursione subitaneâ aut territurus aut suam in potestatem redacturus. Sunt qui tradunt in animo habuisse, modò omnia ex animi sententia successissent, Biornum Cæsareo diademate ornatum imperatorem proclamare. Primam omnium Liguriæ claram urbem Lunam cum haberet in conspectu, eam Romam arbitratus inopinatam intravit. Moxque dolo magis quam armis agendum ratus, delegit ex primarijs linguæ peritos qui legatorum quasi vice fungentes urbis præfectos, instituta in hanc fere sententiam oratione compellarent: Reliquimus, viri illustres, Daniam natale

ERICUS Barn Rex. *A. C.*

DCCCLVII.

HASTINGUS *Danorum Dux.*

ERICUS Barn Rex. *A. C.*

natale nobis ſolum, non culpa aut crimine, ſed ſorte ducta & more gentis cum alendæ multitudini vix terra ſufficeret. Multis maribus tranſmiſſis Franciam primum ingreſſi atque inde armis repulſi erravimus: Tandem varijs circumacti tempeſtatibus haud ſatis notam nobis regionem veſtram attigimus, nihil à vobis niſi amicitiam & lares hoſpitales expectaturi. Facultates & opes commeatui comparando non deſunt. Fas modo ſit à mari adhuc recentes veſtris in oris refici pauliſper ac reſpirare. Senior, quem principis loco columus, annis gravis & jam viribus feſſus tum & maris tædio fractus, ante abitum vitæque extremum habitum imbui chriſtianis ſacris ſequè baptiſmatis fonte ablui depoſcit. Si quid apud vos pium propitiumque eſt, miſeremini. His dictis reſpondit pontifex; Alienum à ſe & moribus ſuorum eſſe, lavacro ſalutis quempiam prohibere, illud potius agere, ut inuitentur atq; allicientur etiam reluctantes ac dubij. Itaq; principi veſtro vobiſque ſi cordi ſit pietas libere, inquit accedite & teſſeram hoſpitalem commerciaq; nobiſcum communia pacifici accipite. Hinc magno apparatu lavacrum juſſu pontificis inſtruitur, accurrentibus ad novum ſpectaculum omnis ſexus atque ordinis hominibus ſimulque admirantibus virum Barbaræ gentis principem ad Sacra Chriſti feſtinantem. Omnibus ritè præparatis prodibat auro oſtroque inſignis Haſtingus innixus baculo ac debilem (ut videbatur) greſſum trahens. Sequebantur ordine longo juvenes aliquot honeſta veſte, ac vultu, ſatellitibus ac militiæ præfectis proximum latus claudentibus. Mox ſolenni ritu ſacris initiatus fidem opidanis fecit ſine fuco & fallacijs rem agi. Itaque ſpeculatus urbis ingreſſum ac mœnia contemplatus ad claſſem reducitur: Proxima luce fama divulgat vita functum principem. Simulatur luctus in caſtris ac toto exercitu. Procedunt pullati proceres, ac locum ſepulturæ ab urbis præſidibus petunt. Eoque impetrato, parantur intra urbē regio more funeralia confluente ad exequias tota civitate. Poſt hæc, ut erat armatus, feretro imponitur inq; publicū producitur, concomitante pro more gentis exercitu militariter inſtructo. Nec erat qui dolum ſuſpicaretur in luctu. Itaq; procedente in hunc modum funere, antiſtes loci ſolemni indutus habitu rem divinam facere meditabatur: ſed feretro commodum depoſito, exſurgit Haſtingus, ac dato militibus ſigno, proſternuntur ſacra cum prophanis. Ipſe non tantum Epiſcopus, ſed & clerus laiciq; ſine diſcrimine cuncti trucidati. Vaſa ac donaria eccleſiæ & quicquid uſpiam in templis aut ædibus habebatur prætioſum ad naves deferebatur. Ac denique exuſto opido, luctus quem ſimulaverat exercitus, in verum urbis luctum converſus eſt. Haſtingus ejuſmodi ſtratagemate eluſis ac divaſtatis Lunenſibus in Franciam præda onuſtus revertitur. Hic cum rege Francorum (Carolus Calvus is erat) inito fœdere Carnutenſium (hodie *Chartres*) civitatem atque agrum dono accipit; Biornum vero in patriam remittit. Qui dum in itinere eſt, moritur in Friſia. Unde colligere ſit Danos cum in Angliam aut Gallias vel etiam ulterius claſſes mitterent vel ijs ex locis regredi in patriam pararent; apud Friſios præſertim ſtativa in omnem eventum habuiſſe & ibi veluti interjungere ſolitos. Invenio ante hanc in Italiam eorum expeditionem, Biornum præſertim in Scotos moviſſe, ſollicitatum à dictis. Nam ut habent Scotorum annales, Dani tum omnium Germanorum florentiſſimi non tantum à Pictis evocati ſed animos quoque faciente Biorno, cujus uxori Oſbrethus per vim ſtuprum intulerat, cum & domi juventutis multitudine abundarent, facile conſenſerunt, ut in Britanniam claſſe magnâ tranſmitterent. Primum in agrum Fiſanum exſcenderunt. Ibi obvijs omnibus, ob Chriſtiani nominis odium, ſine diſcrimine trucidatis, bifariam diviſo exercitu agros latè vaſtarunt. Adverſus eos Conſtantinus, Scotorum Rex, profectus, primum in eam incidit manum, cui Hubba regis Danorum frater præerat. Hi ſubito Levini amnis incremento prohibiti cum ſuis vires conjungere, facile victi, omneſque cæſi, præter paucos, qui nandi periti flumen tranſiêre, atq; ad Humbrum alterum ducem pervenêre. Ad hos, fluvio jam permeabili, Conſtantinus tanquam ad prædam, non ad prælium ducens eos eſt aſſecutus non procul à Caraliâ opido, caſtris jam permunitis. Dani enim ab adverſæ pugnæ eventu magis in omnia intenti; ſuper modicas & flexuoſas rupes, prope littus, cumulis objacentium paſſim Saxorum aggeſtis, ſpeciem valli objecerunt. Ibi Conſtantinus eos adortus, loci iniquitate Danorum virtutem juvante, multo cum ſuorum ſanguine ſuæ temeritatis pænas luit. Magnâ enim exercitus parte amiſsâ, ipſe captus & in ſpeluncam modicam tractus occiditur. Extant adhuc ejus pugnæ monumenta ſpecus & caſtrorum ambitus non æquis ſpatijs dimenſus, ſed ad rupium flexus circumductus. Rei male geſtæ culpam quidam in Pictos conferunt, qui à Conſtantino in fidem recepti ac in commilitiū adſciti fuerant. Ab eis initium fugæ factum,

factum, magnam exercitus partem unà avertit. Dani spolijs collectis ad naves abierunt. ERICUS Postridie regis cadaver inventum, ad sepulchra maiorum in insulam Ionæ defertur ibiq; Barn Rex. humo mandatum. Anno DCCCLXXIV. Hac etiamnum tempestate rerum in Daniâ potiebatur Ericus iunior, Biorni iam dicti ex fratre nepos. Quo eodem tempore non Belgium tantum, sed imperium pene totum, & maxime qua Oceanum spectabat ingens calamitas invasit. Nam licet post illam funestam, de qua supra dictum, Guthormi & Erici maioris intra regnum acceptam cladem, collapsæ iam gentis vires Normannique in totum protriti videri poterant, multo tamen acrius multoq; vehementius exiguo exinde temporis intervallo de integro convalescentes eminuerunt. Quippe toties iam percepta Galliæ vbertate atq; opulentia quodammodo inescati, partem eius Neustriam non iam, ut alienam, sed virtute quasi acquisitam factamque paulatim suæ potestatis, provinciam, belli iure reposcebant. Quocirca novo virorum armorumq; delectu redintegratis classibus tota denique borealium regnorum mole in Gallias rursum terra marique incubuêre: Accedebat quod cruentissimo illo ad Fontoniacum, prælio, in immensum debilitatæ iam essent Frãcorum vires; vigerentq; inter regem Carolum eiusque nepotem Lotharium fatales controversiæ: Tum & aberat Ludovicus Germaniæ rex, posthabitis Normannis aut fœdere pacatis, cum Slavis, Obotritis & Sorabis bello illigatus; convulsô ad hæc intestinis procerum factionibus ac dissidijs Regni interiore gubernamine. Atque inde annum circiter, ut habet Stadensis, octingentesimum septuagesimum sextum, ipso Ludovico vitâ functo, DCCCLXXVI. & iam aut rupta aut neglecta, quæ inter eum & Normannos facta fuerat, sacramenti fide, omnium primos eis & ultra Albim infesto agmine Saxones invadunt, occiso eorum duce Brunone cum duodecim comitibus & episcopis duobus, Tiadrico & Marquardo. Hi enim collectis a Brunone copijs suas iunxisse ac sponte ad reprimendos Christianæ pietatis hostes concurrisse videntur. Alij ex sacro ordine tres cæsos referunt, Mindensem, Verdensem, & Hildeshemium episcopos. Brunoni duci Brunsfaga urbs principium & nomen debere putatur, orto e Vitechindi familia, Henrici aucupis patruo. Hinc, perculsa & clade miserabili affecta Frisia ad Batauos & Gelros versi, Vltraiectum incolis pœne vacuum cum oppugnare cœpissent, facili negotio cœperunt captumq; exsciderunt. Radbodus Episcopus cedens cum suis paganorum incursionibus Daventriæ, quam vel a Ludovico imp: vel a Carolo Calvo Francorum rege prædecessores eius dono acceperant, sedem episcopalem posuit; ibique anathematis gladio incredulos ultus est. At illi, Hastingi ducis fiducia, lectis reliquis Galliæ littoribus, cum Ligeris ostia ingressi essent, Nannetum, Andium, Turonum Pictonumq; agros diripuerunt: Inde in Aquitanos procinctum vertentes Rainulphum, Aquitaniæ ducem, & Robertum Andium principem, Caroli regis comitem, e Saxonum prosapia ortum, Vindechindi nimirum Magni progeniem occurrere ausos cum omni exercitu ad internecionem deleverunt. Nec defuit quibusdam animus Italiam denuo tentandi, classe per Rhodanum in mare Ligusticum diducta. Alij (quos inter Orduigum, Regneri filium sunt qui memorant) per Rhenum subeuntes, direpta primum atq; incenso Batavo duro, Coloniam Agrippinam ac Treviros simili ruinæ involuerunt; Aquisgrani palatio, quod exstructum a Carolo Magno magnificentissimum ea tempestate habebatur, equis stabulandis adaptato. Nec prius finem fecerunt quam ingens tributum quod viritim per regni oras collectum fuit, a Carolo Calvo rege extorsissent. Quo deliniti ad tempus, sed mox è Belgio in Galliam interiorem reversi, cum Andes in potestatem iterum redegissent, eum sibi locum perpetuô domicilio eligendum iudicarunt. Sed a Calvo rege Francisq; continuo obsessi, deficiente commeatu, sese tandem coacti sunt dedere, collato in fiscum Caroli redemptionis ingenti pretio. Hoc circiter tempore, quod notant annales Fuldensium, etiam Rudolphus Normannus Regnero similiter rege prognatus, direptis exhaustisq; varijs Galliarum partibus præda dives cum popularium exercitu, ac classe valida in Frisiam appulit, indictôq; ac negato tributo ad diripiendam vastandamque regionem se vertit. Sed Frisij, Normanno quodam, qui Christum professus fuerat, ductore secundum Deum freti, ad arma quantocius conversi, grassantibus se obiecêre; ac prælio commisso cæsisq; eorum aliquot, tum & duce ipso Rudolpho perempto, reliqui reditu ad naves exclusi & commeatu prohibiti ad deditionem adacti sunt. Deditos non spolijs modo nudavêre sed ingenti quoq; pecuniæ vi è navibus reportata multarant: Et tandem suasore eodem Normanno obstricti promisso per iusiurandum facto se in Frisiam haud unquam redituros, dimisi sunt. Quod priusquam impetrare a Frisijs idem Normannus potuit, huiusmodi apud manipulares suos usus suasoria memoratur; Commilitones

ERICUS Barn Rex. *A. C.*

litones optimi, sufficiat nobis feliciter ac pene supra votum ex parte nostra a paucis adversus tam numerosam gentilium multitudinem esse pugnatum, ac Christianos paganis prævaluisse. Quod quidem ipsum Dei benignitati potius, quam vel armorum vel animorum nostrorum robori tribuendum, quisquis vel turpiter ignorat, vel maligne dissimulat, eum verò ego indignum censeo, qui unquam posthac victoriæ litet. Sed & illud insuper vos non latet nostrum plerosque vulneribus graviter saucios, omnes vero præliando opido defessos esse; adversarium verò, quem obsessum tenemus, redactum ad desperationis quodammodo metam. Quod ideo moneo, uti animadvertatis; neve temeraria potius consilia ex casu, quam cauta cum ratione conducere rebus nostris existimetis. Nam si (ut fieri plerumque solet) clausis ex desperatione gliscat audacia, & quibus spei nihil est, arma formido ministret, quàm tum erit dubia aut si indubitata, quanto cum nostro sociorumque nostrorum sanguine constabit victoria? Nonne ergo satius humanarum rerum memores atque incertos præliorum eventus reputando, ab obsessis fidei obsides accipere? Mihi sane ita videatur. Atq; interim aliquot ex ipsis ultro citroque ad classem commeare permittemus, donec captivum æs omne, quod intra navium suarum foros tenent, nobis & in manus nostras transcriptum resignaverint, prius tamen, ritê præstito sacramento, ne posthac in regnum Ludovici regis cum classe hostiliter armata reversionem unquam instituant. Et Frisij tum quidem consilium sui ducis secuti. At Dani sive ijdem, rupta promissi fide, sive alij, eorundem conterranei in occiduam Frisiam impressione postmodum facta, ab incolis iterum superati spolijs variarum regionum direptione congestis victores locupletarunt. Sed hæ velitares ac tumultuariæ incursiones veræque pugnæ quasi præludia tum fuerint. Nam postea iustis armis & classibus in Franciam effusi, quicquid Sequanam Rhenumque fluvios interiacet, opida, castella, fana, agros, ferro flammaque pessum dedêre. Certa eorundem manus, occupato per insidias Neomago, incendijs ac direptionibus cuncta commiscuit. Tunc & Ivonem episcopum ex urbe abductum necique deditum annales loquuntur. Inde in Frisios vicinos versis armis cæde & flammis omnia vastata sunt. Opposuit se quidem, qui patri succes'sit Ludovicus, sed levibus prælijs haud magnum victoriæ pretium referens. Iuxta Schaldum tamen converso in eos exercitu initoq; certamine quinque amplius millia prostrata memorantur. Sed eam victoriam quam luctuosam patri Ludovico reddiderit Hugo filius in prælio desideratus ex Reginone, qui pluribus narrat, potest intelligi. Ceteri, qui in Frisios, Amaso superato, sese effuderant, prope Nordam castra posuerunt. Hanc Norwidam sive Nordwigam in proximis oceani locis sitam Alberti Stadensis Chronicon appellat eique evertendæ totos imminuisse adjicit quamvis alij & præsertim Hollandici annales recentiores ad pagum mari vicinum non procul Leydâ collocatum, quem Nordvicum indigenæ vocant, potius referendum sed perperam existiment. Agebat verò tunc temporis Nordæ Rembertus, quem supra nominavimus Ansgarij successor, vir illustri ob pietatem fama, qui istuc se contulerat ut populum suæ curæ commissum (erat enim Hamburgensium non tantum sed & Bremensium antistes) tam difficili tempore præsens consilio iuvaret, atque ad constantiam ac pietatem erga Deum hortaretur. Confluxerat eodem ingens Christianorum multitudo, qui imbellibus sexu & ætate sepositis semet paratos declarabant pro patriâ & religione fortiter pugnando aut vincere aut morti occumbere. De quibus cum accepissent Normanni, ad eos obterendos quasi de victoria certi contendunt. Tum episcopus ad concionem vocatos paucis sed seriò admonuit, ut quæ verbis ante magnifici jactaverant, rebus atque opere comprobarent, se divino freti auxilio viros præstarent, præsertim cum ad effugium nec locus nec tempus propè reliqua essent: tum & meminissent suscipi certamen, non tantũ pro aris & focis, proque uxoribus, parentibus ac liberis, sed religione quoque & libertate) ac postremo cogitarent sicuti morte quæ pro hisce oppetitur, nihil beatius, ita victoria, pro ijsdem parta haud quicquam existere gloriosius; Hinc ad Dei opem implorandam singulos cohortatus precibusque communibus fusis bono omine in prælium eos misit. Normanni non tam ad pugnam, quam ad certissimam victoriam venientes in proximo iam aderant atque impetu facto in aciem hostilem primi irruebant. Frisij ex adverso monitorum Remberti memores magno ausu patentibus in campis eos exceperunt. Exortumque ingens certamen, Normannis indignantibus post tot facinora editasque strages perpetuum felicium, armorum suorum cursum à rusticâ plebe temere collecta inhiberi; Frisijs interim pro aris & focis summa vi devotisque animis in paganos euntibus. Et tandem facta ingenti suorum cæde, quod multa præter expectationem obvenissent, cedere loco

DCCCLXXVII.

Neomagum.

Normanni

ERICUS Barn Rex. A. C.

Normanni cœperunt sibique, qua poterant, fuga consulere. *Bavo* Corbiensis ejusdem fere seculi scriptor, prodit ad x millia & cccc. in acie aut prima fuga ferro perijsse; plurimos etiam in vadorum ac fluminum transitu circumventos occubuisse. Hac adoreâ læti Frisij solemnes per omnia delubra Deo gratias agi ac supplicationes per singula territoria instituti curarunt, verum ea felicitas haud in longum illis fuit. Nam Godefridus & Sigefridus, intellecta suorum clade, magno studio magnisque animis in ultionem exsurrexêre, nec Frisiam modo sed universas Francorum provincias nomenque Christianum vindictę destinabant. Itaque majore quam unquam antea exercitu coacto & in naves imposito è Dania alacres solverunt, maximo ubique adventus sui fama excitato terrore, Galliamq; agmine tripartito per Rhenum, Mosam, ac Schaldim subeuntes, classe sua infestam habuerunt. In Angliam quoque missus ex Haldani socijs unus, qui dum ibi præliando occumbit, in locum ejus Gundredum substituerunt. Atque ex illo tempore, expugnata per eundem Gundredum Northumbriâ, & Angliam & Frisiam sub Danorum constitisse imperio, præter Albertum Stadensem etiam Adamus Bremensis testatum facit. Convenêre exinde novæ præterea ex Gallijs sociorum copiæ, quæ præter alia municipia ac loca, etiam Bajorzumam (ubi partem Frisiorum maximam habitasse annales Francorum loquuntur) incendio concremarunt: Atque istinc digressi intrato Vahali amne, Noviomago naves applicuêre, castrisque inibi positis, nec non vallo & propugnaculis firmissimis urbe iam antea probè communita hiemandi sibi locum in ipso regis palatio delegerunt. Rex Lodovicus, his acceptis, exercitū eodem pręproperè convertit arcemq; obsidione circumcinxit. Consumpti ibi dies aliquot velitationibus utrinque ac levibus initis prælijs, sed parum promotum, cum ob hiemis vehementiam tum quod ipsum palatium immensæ molis ac operis satis firmi, tutissimum obsessis præberet munimentum. Captus est tamen, inter illa oppugnationum præludia, a partibus Normannorum Eberhardus Saxo, filius Meginhardi comitis, quem postea mater eius Enessa magno pretio redemptum incolumem recepit. Lodovicus denique animadvertens obsidionem hiberno præsertim tempore esse difficilem parumque armis profici; pollicitis Normannorum, qui se regni ipsius finibus decessuros spem iniecerant, inductus est tandem ut obsidionem missam faceret. Eoque cum copijs omnibus digresso Normanni dum vasa conclamant, palatium incendio corrumpunt, ac navibus insuper regijs igne iniecto, per Rheni fluminis ostia, unde advenerant, recedunt. Haud levem eodem tempore exercitus ipsorum, circa Carbonariam silvam cum regis nepote Ludovico confligens, cladem incurrerat; amissis ex equitatu millenis aliquot. Quam ut repararent militum suorum iacturam instauratæ sunt de novo copiæ; & supra quam cuiquam credibile, celerrimè auctis manipulis etiam equitibus supplementum additum; idque Godefredi maxime ac Sigefridi regum, de quibus modò dictum, auspicijs ductuque. Consederant hi in loco, qui dicitur *Hasloo*, iuxta Mosam flumen & primò quidem impetu finitima loca, quantum poterāt depopulati, Leodium, Traiectum ac Tungros (ad Mosam hæc omnia sita) ferro ac flammis exscindunt. Secunda deinde excursione per Ripuariorum agros diffusi præcipua in ijs cœnobia ut Prumiam, Indam Malmundam, aliaque loca in favillas convertunt. Nec præteritum Aquense palatium, in cuius sacellum equi ad stabulandum introducti. Præterea Colonia Agrippina, Bonna, civitates ad Rhenum locatæ, cum circumiectis castellis Tulpiaco ac Novesio igne immisso similique calamitate defœdatæ. Sigebertus ad annum octingentesimum octuagesimum secundum eandem hanc temporum noctem notans, ita de re tota verba facit: Normanni adiunctis sibi Danis Franciam & Lotharingiam pervagantes Ambianum, Atrebates, Corbeiam, Cameracum, Tervennam, fines Morinorum, Menapiorum, Brachatensium omnemque circa Schaldim fluvium terram, monasteria Sanctorum Valarici & Richarij ferro & igne devastant. Inde Vahalim fluvium ingressi totam Bataviam, Palatium etiam Neomagi incendunt. Eodem anno Godefridus & Sigefridus reges Normannorum cum inæstimabili multitudine iuxta Mosam in loco Haslou consedentes Leodium, Traiectum, Tungros, Coloniam Agrippinam, Bonnam cum adiacentibus castellis comburunt. Aquis in palatio equos stabulantes opidum & palatium incendunt: præterea monasterium Stabulaus, Malmundarium, Indam, Prumiam. Hucusque Sigebertus. Et adde post Cameracum, de quo dicit, una cum cœnobio D. Gangerici ab ijs exustum, Flandriæ Comitem Baldevinum primùm emunivisse tum adversus eosdem Brugis castellum, quod hodieque Burgum ibi vocatur. Interea Lodovicus Rex, quia ipse Francofurti ad Mænum graviter decumbens occurrere hostibus non poterat, exercitum suum adversus eos destinavit. Quo eodem

DCCCLXXXI.

DCCCLXXXII.

Ericus Barn Rex. A. C.

Cometa.

DCCCLXXXIII.

eodem tempore ad diem xv. Cal. Feb. sub primam noctis horam insolitum sidus apparuit, Cometem vulgo vocant; cujus haudquaquam temerarius tum ignis fulsit. Nam infausta illa ac tristia, quæ brevi sunt subsecuta non vane præmonstrasse videtur. Ludovicus enim, invalescente morbo, XIII Calend. Decemb. diem ultimum claudens immane quantum regno suo mœroris, insperatæ vero lætitiæ ac securitatis, præter alios, Normannis attulerit: Et maxime cum jam ipsi, inter cætera, exercitum paulo ante ejus mortem, ut indicatum, adversus se destinatum re infecta defluxisse certis authoribus intelligerent. Cujus vestigia, relictis suis castris, presse secuti, cætera, quæ prius demiserant, per incendia ac rapinas adusque Confluentis castellum, ubi Mosella Rhenum ingreditur, populando devastant. Præteritum ipsis Maguntiacum, quod id restauratum tunc habebatur, ductâ fossâ, quæ mœnia exterius circumquaque tuta præstabat. At Treviros nobilissimam Galliarum civitatem ipso Paschatis die inopinato ingressi habitatoribus urbis partim expulsis partim occisis, totam exusserunt. Metantibus inde castra Mediomatricum versus Walo episcopus, assumpto in commilitium Bertolpho antistite, & Comite Andalhardo, ultro illis obviam in pugnam processit. Inito prælio superiores decesssere Normanni, episcopo inter primos perempto, ac reliquis, quibus id oportunum fuit, fuga sibi consulentibus. Unde immensis jam ecclesiarum ac urbium spolijs manubijsque locupletati, itinere, quod instíterant, omisso, ad munitiones castrorum prope Mosæ flumen in locum, quem & modo nominavimus, *Haslou* dictum; sive ut alij scribunt *Aschloham*, à Rheno miliaribus XIV distantem, quanta poterant celeritate sese receperunt. Tum frequentes ad Carolum, cui Crasso cognomen erat, totius pene Christiani orbis nomine ex omnibus undiquaque imperij partibus missæ in Italiam legationes, eum identidem prænsantes orantesque ut regni fraternâ morte ad se hæreditario jure devoluti gubernacula susciperet: simul fessis rebus ac periclitanti imperio difficillimis ejus temporibus haud deesset. Quibus acceptis, confestim relictâ Italiâ in Franciam perrexit, indictis ex tempore Vormatiæ Vangionum, imperij generalibus comitijs. Atque inde regio verêque imperiali exercitu ex universis undique regni sui ditionibus ac populis Francis, Alemannis, Longobardis, Boijs, Saxonibus, Frisijs, in unum collecto recta ad Normannorum castra contendit: Ita tamen divisis prius copijs, ut Bojarij cum principe suo Arnulpho, Franci, Duce Henrico, valida cum manu regem exercitumque præcederent, si fortè incautos & extra munitiones evagantes nonnullos ex inopinato oppressos suam in potestatem redigere potuissent. Quod & successu haud caruisset nisi ex Francis aliqui muneribus corrupti proditione rem aperuissent. Comprehensis nihilominus atque interemptis ex magno numero perpaucis ad regem regressi sunt. Illis redeuntibus mutato consilio Carolus cum omni exercitu ad fines ac castra Normannorum, quibus se præsertim Godefridus & Sigefridus reges una cum principibus Vorinone & Halso continebant, occupanda properavit. Sed illi, obsidionis in longum sustinendæ securi, Caroli conatus flocci faciebant utpote commeatu antea proviso luculenter instructi. Iamque ultra duodecimum diem trahebatur obsidio cum stupendum quiddam tam obsessis quam obsessoribus cælitus objectum. Nam XII Cal. Aug. statim à meridie densissima desubitò oborta caligo castra utrimq; in totũ cooperuit omniaq; fulgure ac tonitru horrendo concussit. Quibus insolitus præterea grandinum globus accedens non minus miraculo quã pavori propius inspectantibus fuit. Erat enim ea singularum ratio ut superficiem non aliarum grandinum more planam & æqualem sed verò angulosam & corniculatã præferentes vix pollice & digito medio comprehendi magnitudo earũ potuerit. Hoc veluti prodigio talem in modum aliquandiu desæviente, etiam equi refractis habenis consternati, partim extra castra, partim in ipsis castris repagula omnia disjiciebant; adeò ut rei novitas ac religio quædam ipsos quoque militares animos perculsos habuerit. Quæ & eo formidabiliora sunt visa, quod vi ventorum magna murorum pars, apud Normannos disjecta, ruinam tam vasto hiatu dederit, ut equitum turma per eum servatis ordinibus intra muros recipi potuisset, nisi lorica exterior, quâ erat circumquaque munitum opidum (Asloha nimirum de quo supra. Crantzius cap. 10. lib. 2. Norveg. appellat *Hasban.* videturque esse *Hasbanium* de quo consulendus Divæus lib. 1. cap. 10. Rerum Brabant,) obstaculo fuisset. Verum nihil æquè utrosque fatigabat, quam adultæ æstatis fervor, quem etiam ultra solitum flagrans canicula accenderat; tum promiscui hominum equorumque ferro acervatim occumbentium pedores ac cadavera, quibus non soli modo; sed & cœli pestilentis tabum utrimque

utrimque exortum varijs ægritudinum malis ac mortibus denique occasionem præbuit. Carolus igitur aut deserendum hostem aut paciscendum cum eo animadvertens, alterum hoc elegit. Itaque datis à sua parte obsidibus pactum inijt, idque hisce conditionibus: uti nimirum Godefredus Danorum princeps, cujus validiores erant copiæ, ad Carolum, qui diei itinere castris aberat, progrederetur, Christo nomen daturus ea lege, ut ipse mox imperatori affinis Giselam, quam alij Ægidiam vocant, Lotharij imperatoris ex Lothario filio, Italiæ rege, neptem uxorem duceret; ac Frisiam provinciam, sive quod juris aliquam speciem majorum suorum aspectu in eâ habere videretur; sive quod armis occupatam teneret, in dotem servaret, una cum opidis ac municipijs omnibusque dignitatibus cujusmodi eas antea Roricus sive, ut alij & quidem rectius scribunt Ericus, Daniæ postmodum Rex, Lodovici Pij beneficio ibidem usurpaverat. Atque ita à Caroli provincijs, tum ipse tum socij recederent nec unquam (dum quidem in vivis esset imperator) aut noxam aut detrimentum ijsdem inferre animum inducerent. His peractis ac jurejurando utrimque firmatis, ipse imperator Godefridum sacris fidei ac religionis initiatum è fonte baptisterij more Christianorum suscepit biduumque festis epulis mutuisq; gratulationibus insumptum. Ac mox regressis è Normannorum propugnaculis, quos Carolus miserat, obsidibus, Godefredus vicissim ad suos ut rediret non sine solemni omniumque benigno applausu, postquam ab AUGUSTO bis mille octuaginta auri argentique libras dono accepisset, honorificè est dimissus. Sigefrido etiam ac Vormoni alijsque Normannorum proceribus similiter muneribus gratificatum, indultis auri argentiq, donarijs, quæ de S. Stephani Metensis aliorumque divorum thesauris sublata imperator acceperat. Quæ omnia tam prolixè ac liberaliter à Carolo præstita, ipsi ac consobrino ejus Carolomanno eorumque regionibus nec non vicinis omnibus populis præcipuè incommodo nedum exitio postmodum fuêre. Nam Frisiam dum belli sedem Normanni tenent, in eá veluti specula, excubantes & ad omnes undiquaq; occasiones parati omnium cervicibus imminebant. Prima tum arma Sigefridus movit; qui cum quadragenis, ut habet Aimonius, Normannorum millibus Lutetiam Parrhisiorum circumvallare ausus; sed rejectus, annitente; qui opido impositus erat; Goslivo alijsque Francorum principibus, ad Sonam castra locavit. Hic aliquoties vario cum ijs eventu confligens Carolomannus tandem victoribus manus dedit; eoque postremò angustiarum redactus, ut necessum habuerit duodecim millibus talentis annorum duodecim inducias ab illis mercari: Quæ & ipsæ ad breve admodum servatæ. Nam Carolomanno sub annum octingentesimum octuagesimum quintum fatis functo; causantes cum rege; non cum indigenis inducias pactas, denuo in terras Francorum irruptionem faciunt. Nec ante quies concessa; quam à successore Carolomanni ad animos victoris populi placandos summæ priori tantundem adjiceretur. His exterriti Galliarum proceres, festinatâ ad Crassum imperatorem legatione; quo adversus paganos (ut tunc vocabant) esse tuti possent, se suaque in fidem ac potestatem ejus ultro detulêre. Qui accepto à Francis sacramento, Normannos continuo ut vim hostilem suo à regno abstinerent seriò commoneri fecit, sibi alioqui constitutum subditorum causam suscipere; & eorum injurias putare suas. Sed illi imperatoris edicta parum reveriti omissâ Franciâ; in Lotharingos usque penetrarunt. Est in eorum confinio locus; annalibus Fuldensium Lovonnium; sive ut nunc scribimus Lovanium dictus. Hic positis castris; modò in Francos modò in Germanos excursiones instituere æque ipsis promptum atque obvium habebatur. Sed imperator cum valido exercitu tandem accurrens multis frustra tentatis; sub extremum ad Mosam flumen præcipuam eorum multitudinem loco idoneo deprehensam castris suis ita circumdedit; ut deditionem facere è re sua existimaverint: quanquam alij, ijque potiores, tradant nec istam militiam Crasso satis ex sententia cessisse, ideòque fœdere instaurato incolumes dimisisse; ac duces insuper muneribus maximis prosecutum. Accidit hoc biennio non integro post pacem cum ijsdem in castris juxta Ascloam sancitam. Quo propemodum eodem temporis tractu Normannorum aliqui circa Kinhemum. (Ubi, ut videtur, Rhenus medio ore modicum nomine suo custodivit alveum, ut verba habent Plinij) in Frisiam è Dania cum classe appellunt & connivente Godefredo (cui ut ante memoratum in dotem Frisia cesserat) Rhenum ascendunt suamque in potestatem redacto Duysburgo, propugnaculum in proximo extruunt per totum ibi brumæ tempus una cum copijs, in hibernis acturi. In Reginone ad annum DCCCLXXXIV. locus mendosè legitur: *Eodem anno Normanni, qui in Chinheim & Danemarcam venerant adsentiente Godefredo Rhenum navi-*

ERICUS Barn Rex, A. Ç,

DCCCLXXXV.

navigio ascendunt; cum legendum non, *& Danemarcam,* sed, *ex Danemarcâ* vel *è Danemarcâ.* Hoc porro intellecto Henricus Dux castris ex adverso locatis eos à cæde ac prædis agendis intra nimirum septa coercitos continuit, donec redeunte demum vere atque exustis aut dirutis munitionibus in partem Frisiæ maritimam, unde venerant, à rege, ut videtur, Godefredo ipsis concessam remigrarent. Anno deinde, qui secutus octin-
DCCCLXXXVI. gentesimus octuagesimus sextus, maximi motus, ne dicam internecinum quiddam, Crasso parabatur, nisi detectâ machinatione in tempore fuisset occursum. Erat Lotharij regis, è pellice Waldrada, natus filius Hugo, Giselæ (Gilæ est in Sigeberto) Godefredo regi denuptæ frater Germanus. Hic Lotharingiæ regnum affectans ac repente invadens, cum id, ut jure sibi debitum, retinere bonis artibus desperaret, clam directâ in Frisiam legatione Godefredo sororio suo persuadere institit, ut primo quoque tempore validis è Dania & aliunde accitis copijs, sibi ad regni paterni defensionem adesset. Quo autem pondus dictis accederet, Lotharingiæ simul partem ei in dotem pollicetur. Godefredus his alijsque persuasionibus inductus, adminiculante Hugone, varia comminisci incipit, quo se religione sacramenti Carolo Augusto præstiti eximeret. Inter cætera, Gerolphum & Gardolphum Frisiorum Comites ad Cæsarem certis cum mandatis ablegat, exposcitque inter alia, quo limiti ab imperatore sibi concredito promptius atque alacrius tutando præesset, cum Frisiæ ager vinum non ferret, concedi sibi imperialia aliquot & vini feracia interioris Germaniç oppida Andernacum, Confluentes, Sulicham; tum ut militi suo è publico imperij fisco stipendia numerarentur; sperans nimirum hoc pacto suos, acceptis ab imperatore stipendijs, auctoratos in imperij penetralibus hæsuros, aut speciosam rebellandi causam, si negaret imperator, hanc ipsâ esse habituros. Sed Crassus quid agitaretur intelligens, rectè atq; ordine facturum se credidit si pari arte periculum à se in auctores transferret. Habito itaq; cũ Henrico Brabantiæ duce, viro cato ac rerum peritissimo, secretiore consilio illud præcipue agendum duxit, ut ipsi videlicet doli machinatores suis potius artibus quam aperto Marte percellerentur. Nec latebat Crassum in eam, quam tenebat Godefredus provinciam, ob loca paludosa & aquarum in diversa tendentium varios decursus difficilem cohortibus ac turmis militaribus ingressum esse. Itaq; legatos præproperè ad Godefredum remittit mandatq;, ut regi suo referant curæ sibi fore quæ nomine ipsius postularant, eâq; super re brevi ad ipsum ablegaturũ viros certos cum amplissimis mandatis, quæ cum sibi tũ regi inprimis conductura judicaret. Rogare interim & pro imperij Romani jure mandare uti in officio ac fide, quã inviolatam hactenus custodivisset, constanter porrò perseveraret. Crassus inde acceleratis cœptis, ad Godefredum, præter ducem Henricum, Willibertum insuper Coloniensem Episcopum ablegandum curat. Quorum Coloniensis suos monet, ut maturatis per Saxoniam itineribus, non agminatim sed sparsim, loco & die, quo edixerat, in occursum sibi venirent. Atque ita compositis rebus, dux & episcopus paucissimis comitati, quo id, quod agebatur, occultius foret, in Bataviam proficiscuntur. Godefridus cognito eorum adventu bonæ spei plenus rectâ ijs obviam procedit ad locum qui dicitur, ut verba habent Reginonis, *Herispich* circa initium agri Batavici; ubi Rheni ac Vahalis fluenta uno se alveo resolvunt, longiusque mox in diversa bifariam dispertito cursu labentes Bataviam gurgitibus suis hinc inde circumcingunt. Ibi indicto mox conventu ac multis utrimque consumptis sermonibus, dies per altercationes ad occasum usque de industria extracta est. Et tandem soluto colloquio, Imperatoris legati insulâ excedunt hospitiaque sua, quæ erant in continente, repetunt, eodem scilicet die sequenti ad constitutum reversuri. Quod priusquam fieret episcopum ante adhortatur Henricus ut postera luce Giselam Godefredi conjugem extra insulæ terminos evocatam ad pacis studium suis verbis animaret, dum ipse apud Godefredum causam Eberhardi comitis (qui se indignè tractatum ac rerum suarum possessione interversum querebatur) in controversiam ac disceptationem vocaret. Simul eidem Eberhardo auctor est, ut in rem præsentem veniens coram de injuriâ sibi illatâ voce altiore cum Rege expostularet. Idque ubi fieret, Godefredus animo elatior nec talia audiendi solens Comitem non sine stomacho vicissim affatur. Ille contra iræ quam deprecationi proprior, & manu potius quàm linguâ offensas vindicare paratus gladio repente evaginato summis viribus adnisus caput Regis ingenti plagâ consauciat. Unde mox è solio suo in humum provolutus ac resupinatus, priusquam erigi de terra ac sustolli posset, repetitis identidem ictibus, ab Henrici porrò satellitio nefarie confossus moritur. Trucidati & reliqui, quos secũ in insulã Rex abduxerat. Eũ Saxo Gram-

Grammaticus nō *Godefridum* sed *Fridlevum* appellat; Atq; matre Lathgertâ, patre verò quod & ante notatum, Regnero Lothbrogo procreatum; primisque militiæ stipendijs Norvegiæ atque Orcadum insulis à patre præfectum, omissis aut ignoratis quæ à nobis jam, certis auctoribus tradita, prolixe sunt memorata. Porro Hugo, qui consiliorum præcipuus incentor fuerat, postquam ab eodem Henrico blandis pollicitationibus ad villam Gundulphi esset deductus inque vincula coniectus jussu imperatoris luminibus orbatus est; ac cæteri ejusdem factionis affines ac conscij pro meritis quique aut pœna aut ignominiæ nota affecti. Et Hugo insuper post hæc omnia in cœnobium S. Galli missus atque illinc porrò in patriam revocatus, novissimè temporibus Sundobolchi regis in secretum Prumiensis monasterij sepositus ac manu Reginonis, ut ipsemet de se atque illo Regino fatetur, attonsus non ita multos post annos inibi obijt ac sepultus est. Normanni haud leviter his offensi atque irritati duce Sigifrido Godefridi, ut ante memoratum, commilitone ac socio circa Lovanium castra posuerunt. Ubi cum aliquandiu consedissent nec armis Crassi dimoveri loco possent, instructis copijs, quas ultra triginta armatorum millia fuisse chronologi referunt, Lutetiam Parisiorum perrexerunt, eamque obsessam oppugnationibus premere ac fatigare agressi sunt. Imperator ad urbem obsidione liberandam expedito cum exercitu ducem suum Henricum Godefredi interfectorem subsidio mittit. Qui in ipso aditu præparatis ad hoc Normannorum insidijs circumventus (dum nimirum astu militari fossæ levi stipula & terrâ intectæ Henricum nescium præcipitant) occisi Regis manibus suo sanguine parentavit. Nec imperator cum novis exinde copijs excedens aut solvere obsidium aut rebus afflictis quidquam adferre momenti valuit: potius ratus parte sui regni cum adversario decidere, quam dubiam pugnæ aleam expectare: Proinde & Parisienses ad arbitrium Sigefridi ingenti auri pondere direptionem hostilem redimere; Et Crassus ut a reliqua Gallia ejusque depopulatione abstineretur, concessione Neustriæ victorem placare pacareque coactus fuit. Unde ex eo tempore pars illa Franciæ, quæ ab Epta flumine ad Britones oceano Gallico terminatur, incoli à Normannis cœpta, paulatim in Normannorum nomen ac ditionem concessit. Ditionis hujus caput seu metropolis habebatur Rothomagum. Carolus deinde Crassus cum tantæ rerum moli nec mente nec corpore sufficere satis videretur, communi optimatum sententia imperio abdicatus est, anno octingentesimo octuagesimo septimo. Successor ei & veluti curator datus Carolomanni filius Arnulphus, novo prorsus exemplo nepos patruo. In Crasso autem summam felicitatem cum summâ infelicitate conjunctam animadvertere est operæ pretium. Nam & monarcha augustissimus & Dominus regnorum avitorum omnium supra mortales omnes eminuit; Et mox vicissim ab eodem deturbatus fastigio abjectusque pene infra cunctos jacuit: ut videatur in eo præcipuè extremas experiri vires, fataque Carolinæ domus complere fortuna voluisse. Extatque in æde monasterij, quod est in insulâ Rheni prope Constantiam Richenau dicta, ubi & diem supremū clausit, ejus epicedium: Quod ego ante annos complures cum ea iter facerem, præsens inspexi ac descripsi, dignum non modò ob antiquitatis reverentiam, sed ob rerum quoque, quas continet memoriam, quod ibi non solum spectetur. Est autem ejusmodi:

ERICUS Barn Rex. A. C.

DCCCLXXXVII.

CAROLUS CRASSUS REX SUEVIAE PRONEPOS CAROLI MAGNI ITALIAM POTENTER INTRAVIT EAMQUE DEVICIT IMPERIUMQUE ROMANUM UBI CAESAR CORONATUS OBTINUIT AC MORTUO FRATRE LUDOVICO UNIVERSAM GERMANIAM ET GALLIAM IURE HEREDITARIO ACQUISIVIT DEMUM ANIMO MENTE ET CORPORE DEFICIENS AB IMPERIO SANE MAGNO CUM FORTUNAE LUDIBRIO DEIECTUS à SUIS OMNIBUS POSTPOSITUS HUMILI HOC IN LOCO SEPULTUS IACET. OBIIT ANNO DCCCLXXXVIII. IDIB. IAN. DCCCLXXXVIII.

Hoc etiam anno 888 obijsse Regino tradit: At Sigebertus ad annum 890 videtur referre. Mausoleo, sub quo conditur, hæc præterea incisa in eadem Richenavensi æde leguntur;

Pannones & Cimbros diverso Marte subegit
Carolus, à Crasso corpore nomen habens:
Sed bene quas juvenis regni tractarat habenas,
His iterum senior dispoliatus obit,

ERICUS Barn Rex. A. C.

Mortuo Crasso, & jam imperium auspicante Arnulpho, nusquam tamen interquiescebant Normanni, sed in omnes ubiq; occasiones arrecti intentiq; Parrhisioru urbe leviter tentata omnem belli apparatum in Burgundos convertêre: positisque ad Senonum civitatem castris, totos sex menses in obsidione perseverarunt. Verum obsessi cum strenuè rem gererent, receptui canere consultius ipsis visum. Atque ita demissis non sine clade Senonibus Parisios denuo oppugnatum ivêre: Sed repulsi, & ad Oxonam flumen, duce Othone (qui comes Parrhisiorum tum Galliam regis imperio pro Carolo simplice administrabat) prælio superati; atque inde per Sequanam cum classe Matronam fluvium ingressi Trecarum civitati flammas injecerunt, cæteris circumquaque Verdensi Tullensique opidis tenus, populando direptis. Quæ cum successissent haud infeliciter, motis à Matronâ, ubi naves erant, castris, rursus ad expugnandam Lutetiam se accingunt, septimum jam annum, repetitis vicibus, in expugnatione illius occupati. Sed & isto quoque tempore post varios insultus postque multa utrinque commissa prælia desperantes urbis deditionem, rem memorandam aggressi sunt. Classem enim, quæ in Matrona stabat, magno cum molimine compendium viæ nacti, vitatis Parrhisijs, in Sequanæ alveum terrestri itinere deducunt, omnibusque ad navigationem paratis, in proximos Britanniæ Aremoricos impetum faciunt. Fervebant id temporis inter duces Britonum Alanum & Insilem, Vidicheil Reginoni, recentia odia. Quorum occasione Normanni magnam inter eos stragem ediderunt. At Britones reconciliatis quibus cum lis fuerat, tum & resumptis cum virtute animis belli eventum de integro periclitari ausi, duobus ingentibus prælijs ex sententiâ pugnatis Normannorum vires propè pessumdedêre, dum ex quindecim armatorum millibus, ut habent Francorum Chronologi, vix ad classem quingenti incolumes evaserint. Sigebertus ad annum DCCCXCIV: duodecim millia perempta ait. At illi ne sic quidem remisêre animos. Nam repente qui è classe supererant traductis in Lotharingiam, reparatoque ex socijs exercitu, castra in ejus regni confinijs metati, prædas agere haud segniter cœperunt. Arnulphus, quem Crasso successisse diximus, maximis copijs instructum exercitum in adversum mittit ac fixis ad Mosæ ripam tentorijs, transitu fluminis Normannos prohibere annititur. Verum illi haud procul Leodio, cum nondum omnes ad præstitutum castris locum Cæsarianæ advenissent copię, Mosam transmittunt relictisque à tergo hostibus per loca saltuosa ac palustria Aquensi Palatio contigua se diffundunt. Ibique post principia latitantes in obvios impetu facto vehicula etiam ac plaustra, quibus annona subvehebatur intercepta diripuerunt. Idq; cum longè lateq; rumor divulgasset, ad ipsa etiam Cæsarianorum castra dimanavit: Unde panicus quidam terror omnium mentes invasit. Duces convocata militari concione, ut solet in re trepida ac dubia, inter se anxij deliberare, num per Ripuariorum fines propere Coloniam transeuntes, atque inde per Pruniam facto itinere Treviros versus agmen instituendum haberent; an vero declinata Normannorum multitudine ac Mosa transvadato classem repetere tutius foret. Quæ dum consultantur, nox superveniens conventum solvit. Posterâ autem luce simulatque radios aurora sparsisset, universi ad prælium armantur, levatisque vexillis secundi fluminis ripam tenentes ad pugnam prodeunt; transmissoque, qui Gulid dicitur, torrente, acies utrinque substitêre. Inde nova consilia inita statutumque ne in cassum universus fatigaretur exercitus, ut turmis aliquot præmisis, hostium copiæ explorarentur. Hæc agentibus subito atque inopinato apparuere speculatores Normannorum. Quos cum incondita multitudo, inconsultis ducibus, confusè ac sine ordine insequeretur, in vicum nescio quem dilapsi ex hostium peditatu quosdam offendunt, qui in unum conglobati nullo negotio sparsim supervenientes repellunt ac retrocedere cogunt. Inde concrepantibus ex more pharetris sublatoque baritu, prælium committitur. Equites Normannorum audito clamore, quàm celerrimè atque expediti advolant, instantque animosè. Ac mox ingravescente certamine Imperatoris exercitus terga cæpit vertere sibique fugâ, quantum licuit, consulere. Præter nobilium turbam ac militem gregarium, qui eo in conflictu plurimus cecidit, etiam episcopus Moguntinensis nec non Arnulphus & Zunso comites occubuêre. Normanni victoria potiti, castra rebus omnibus referta invadunt ac diripiunt: Sicque onerati opimis spolijs ac trucidatis, quos in bello ceperant, ad classem redeunt. Hanc cladem ad VI. Kal. Iul. anni octingentesimi nonagesimi primi refert Regino; Sigebertus vero, ut ante positum, quadriennio post factam computat.

DCCCXCI.

CANUTUS

ARNULPHUS IMP.

CANUTUS REX.

QUÆ dum apud exteros geruntur, in Dania poſt patrem Ericum rerum potiebatur Canutus, quem alij *parvum* alij *hirſutum* (**Lodnecnudt**) cognominatum tradunt. Saxo adhuc infantem regni rebus ſub tutore admotum innuit, ubi inquit: Hujus (Canuti) manente infantia regni pupillique tutor expoſcitur. Verum quoniam hujuſce muneris advocationem præſtare, pleriſque vel invidioſum vel arduum videbatur, ſortitione virum legi placuit. Prudentiſſimi namque Danorum in tam excellenti negotio delectu uti pertimeſcentes plus alienæ fortunæ quam ſuis ſententijs permiſerunt, electionis eventum fortuito magis quam ſolido conſilio delegantes. Quo evenit, ut Emignupus quidam ampliſſimè atque integerrimè virtutis tam oneroſè functioni humeros ſuos ſubmittere cogeretur, decretamq́ ſorte adminiſtrationem ingreſſus non minus univerſorum res, quam ſingularia regis incunabula tueretur. Unde & ei quidam parum annalium periti medium in faſtis locum tribuunt. Cumque Canutus decurſis adoleſcentiæ ſpatijs ab annis virilitatem traxiſſet, amotis, qui ſibi beneficium educationis impenderant, ex pene deſperato adoleſcente author inſperatæ probitatis invaſit. Hoc uno deflendus, quod abſque religionis Chriſtianæ inſignibus è vitâ ad mortem tranſitum habuit; Hæc Saxo, adjiciens, ad ejus mox filium Frothonem rerum ſummam devolutam. Interea accepta à Normannis ſuperiori clade Imperator Arnulphus tot ſuorum jactura turbatus tum & ignominiæ magnitudine perculſus apud ſuos cum gemitu querelam deponit. Inde iram atque indignationem in virtutem vertens hoſtem invadere de novo parat. Collectoque ex orientalibus regnis exercitu Rhenum tranſmittit; ac caſtra haud procul Moſæ ripis metatur. Normanni pugnæ prioris ſucceſſu adhuc feroces ad prædas agendas pro more excurſiones inſtituunt. Quibus ut obviam iretur, Rex Arnulphus cum expeditâ ac levis armaturæ manu in procinctum feſtinat. Illi animadverſo acies appropinquare, prope fluvium, qui Thilia dicitur, juxta Lovanium opidum, ſepibus ac vallo ſe communiunt: convicijſque & cachinnis imperiale agmen, ut ſolent inter ſe milites, inceſſunt, identidem ingeminantes ut reminiſcerentur Guliæ turpiſque fugæ ac ſtragis, quam ibi pertuliſſent, ſimiliaque nunc ipſis interminantes. Imperator hiſce commotus ac videns hoſtem flumine ac palude clauſum, nec in equis facile invadi poſſe, jubet omnes dimittere equos, ac hoſtem in receſſu ac latebris ſuis conſiſtentem pedeſtri congreſſione invadere. Et illi quidem dum juſſa faciunt, haud ſegnius etiam Danus pro ſalute arma expedit, ordines inſtituit; ſubſidijs firmat, tot jam antecedentibus adoreis haud parum animoſus ac ferox. Fitque deſubitò concurſus impelluntque atque impelluntur utrimque: cædes, gemitus, clamor, miſcentur: hæretque diu ambigua atque anceps victoria, donec tandem ità cœſi ut ex innumerabili multitudine, vix eſſet, qui ad claſſem nuncium reportaret, ut refert Regino, qui illa tempeſtate ſuperſtes claruit: Et addit Fuldenſe chronicon, pleroſque dum fuga ſibi conſulere ſtudent, adeò confertim flumine merſos, ut cadaveribus interceptus alveus ſiccus appareret: cæſoſque ex regibus Sigefridum & Godefredum. Quod & Abbas quoque Stadenſis notat. Sed de fide utriuſque jure ambigi poteſt. Nam de Sigefrido fortaſſis ut concedam, de Godefredo, Lotharij genero, quomodo concedi aut verum id eſſe poteſt? Godefredum enim in Batavâ inſulâ dolo ducis Henrici jam ante interfectum fide Reginonis, aliorumq́; idem accuratè referentium modo memoravimus. Et accedunt Friſiorum annales, qui teſtantur, tacentibus licet Francorum chronologis, etiam Sigefridum Godefredi ſocium ac necis vindicem cum tota æſtate Franciam afflixiſſet, ſub autumnum in Friſiam celeriter regreſſum, ſive ut tumultuantem à morte Godefridi præſens compeſceret, ſive ut hibernorum ſedem quietam eam haberet; ibiq́; (quam verè, neſcio) ferro peremptum occubuiſſe. Eſt præterea apud Chronographos in annorum computu non levis hic diſſenſus. Siquidem Abbas Urſpergenſis in annum nonageſimũ ſupra octingenteſimum hanc cladem rejicit. Alij (in quibus Regino Fuldenſibus annalibus ſubſcribens) annum unum adjiciunt, ut nimirum eodem, quo ſuperior illa ſtrages, anno contigerit. Sigebertus vero toto poſt quadriennio eveniſſe videri cupit. Cui annorum ſummæ integrum pænè octenniũ detrahit inſuper Marianus Scotus, in annũ ſcilicet DCCCLXXXVII referens. Qui & ipſe Arnulphi quidem imperatoris auſpicijs, ſed ductu præcipuè ac ſolertia Othonis (Roberto ex Saxonum proſapia Andium Duce geniti) rem omnem geſtam haud obſcure profitetur. Et denique ut maximam (qualis revera fuit) victoriam

DCCCXCV.

CANUTUS Rex. A. C.

hanc ijdem concinnent chronologi, adjiciunt plerique eam unius tantum capitis jactura Christianis constitisse, cum à parte paganorum centena millia occidione occisa sint. Sed ego hoc loco Reginonem potius sequendum putavi qui *innumerabilem multitudinem* dixisse satis habuit, accedentibus quoque Fuldensium annalibus, qui durè asperèque admodum, hoc est, ancipiti Marte à paganis decertatum innuunt. In quibus & Danicæ gentis tale elogium extat: *Erat ibi gens fortissima Danorum, quæ nunquam antea in aliqua munitione aut capta aut superata auditur*, ut nimirum hæc Danorum illis temporibus quasi propria laus fuerit, locorum præsidia ac munitiones cum curâ ac fide adversus vim hostilem tueri ac defendere. Atque ita fusi fugatique tandem hac clade Dani, qui reliqui erant, trans mare se receperunt. Et videbatur jam quasi extincta illis in oris una cum nomine universa Danorum Normannorumque natio, nisi sexennio post *Rollo* ingentis animi ac spiritus vir, de novo motis armis collapsas popularium res felici successu restituisset. Is enim illustri natalium splendore inter suos conspicuus, sed ob factiones intestinas minus domi tutus, tum & gloriâ majorum nec non dolore ex recenti gentilium suorum clade incitatus adeoq; novarum sedium parandarum percupidus, instructissima cum classe è Daniâ in altum provectus est: Et primum quidem vel consulto vel vi ventorum delatus in Angliam ad littora Northumbriæ appulit, commissisque levibus aliquot in exscensu ad terram prælijs, cum gentis illius Rege Alvredo societatis fœdus componit. Idque eo, ut videtur, animo consilioque, ut ibi in hibernis persistens impetraret à rege commeatum suosque manipulos novo militarium virorum supplemento adaugêret. Quod & ei feliciter cessit. Nam actis hibernis auctusque novis copijs primo statim vere classem ad Franciæ littora destinavit, somnio, ut volunt, monitus, quo laborum ei requies ac tranquilla sedes ejus in regni maritimis partibus portendebatur. Cujus spei fiducia plenus, datis vento velis, sed tempestate desubitò exorta præstitutum sibi ab initio cursum neque tenêre neque exsequi potuit. Itaque fluctibus obsequens in Valachriam Zelandiæ insulam rejectus, cum descendere cum suis in terram vellet, ab insulanis prohibitus ferro viam munijt insulamque suæ potestatis fecit. Verum ubi diutius quam par videbatur moram cum exercitu ac classe trahit, veriti Valachrienses ne sedes ibi perpetuas figere ac firmare in animum induceret, ad eum majore vi atque omni modo adoriendum insulaq; exturbandum fidem atque auxilia circumquaque vicinorum sociorumque principum implorare instituunt: Inter primos & qui situ regionis erat proximus, advenit Reinerus Longicollus Basbacensium Dux; eumque secutus mox Radbodus Frisicæ gentis princeps. Hi conjunctis in unum exercitibus magno utrinq; animorum robore *Rollonem* aggrediuntur. Sed *Rollo* pro prædâ, gloriâ ac dominatu depugnans, superior evasit; quamvis ex adverso insulani pro libertate proque aris ac focis haud segniter rem gererent. *Rollo* victoriæ compos & ipso successu, ut fieri solet, animosior occupata in totum Valachria præsidijsque locatis expedita cum manu in Frisiam ducit, Radbodo æquissima talionis lege arma quæ sibi in alieno solo intulerat in suo repositurus. Frisij cum in se verti aciem viderent, ipsi quoque alacriter ad excipiendum Normannum procedunt, partim sua sponte partim exhortationibus ducis atque exemplo magis magisque ad defendendam patriam excitati. Idque animadvertens *Rollo* arte potius quam Marte aperto agendum sibi existimavit. Quocirca ut primos Frisiorum assultus strophâ aliqua declinaret, suos in genua subsidere, sublatisque supra caput clypeis ad excipienda hostium tela quietos esse atque immobiles jubet. Quod cum cernerent Frisij diffidentiæ ac pavoris indicium sinistre id rati, animoso quidem sed temerario ausu, magnoque suo malo propius se inferre cœperunt. Idque ubi fieret, viriliter obnitentes Dani ac signo confestim dato, omnes extemplo corpore erecti terga tandem Frisios dare, sibique victoriam relinquere pulcherrimam adegerunt. Tum *Rollo* fortunam urgens, haud ante persequendi instandique perculsis finem fecit quam legibus à victore acceptis, ingens viritim vectigal penderent. Sicque opimâ prædâ magnoque censu onustus cum suis è Frisia, nullo ibi relicto præsidio, decessit. Aliò enim festinabat, & ipsum quoque Reinerum Basbacensem ducem bello persequendum & ad imperata cogendum animo cogitabat. Quapropter victrice classe Schaldis ostia subiens terramque infestans lusorijs aliquot pugnis de industria subdolè lacessitum ex insidijs intercipit, sibique mira comitate ac beneficentia cum perdere captivum posset dux providus ac circumspectus ex hoste amicum ac fœderatum efficit, Africani Scipionis exemplum hoc ipso æmulatus. Inde mare repetens ac prætervectus à dextra Britanniam in Franciam appellit Sequanæque ostium cum classe ingressus nemine jam vim prohibente in terram, quam

Militis Danici peculiaris olim laus.

DCCCCI.

CANUTUS Rex. A. C.

quam Neustriam id ævi vocabant, descendit, felicem quidem illam, sed ob vastationes continuas parum tum cultam. Mox Rothomagum obsidione arctissimâ clausum, postquam opidani diu ac frustra à Rege auxilia expectassent, deditione accipit. Quâ vetustâ Aulercorum sede potitus, ad finitima etiam loca occupanda omnes curas ac cogitationes convertit, ratus huic rei maturandæ præcipue conducere, quod tres fluvij navigabiles *Sequana*, *Ligeris* & *Garumna* sibi esse usui quam maxime possent. Itaque Francos sedem æquis conditionibus negantes armis superat ipsamque, regni caput, Parrhisiorum Lutetiam toties quoque à populari ejus Sigefrido (ut ante memoratum) tentatam, obsidet, Bajocum & Eboricas obiter excurrens occupat: Inde Alvredi sibi jam ante fœderati regis precibus è medio rerum supra vota fluentium cursu in Angliam revocatus, eum in solium, ubi subditorum suorum defectione erat exturbatus, restituit; Neustriamque denuò petens, tripartita classe Sequanam, Ligerim & Garumnam uno eodemque tempore populabundus invehitur; quo nimirum undique devastato Francorum regno animos incolentium facilius inflectere ac percellere, simulque Parrhisiorum civitatem quam denuo obsidione urgere cogitabat, ad deditionem faciendam compellere posset. Hinc cum in arctum se agi animadverterent Franci, Carolus Rex, cognomento Simplex, ratus lenitate potius, quam armis mitigandum adversarium, misit ad *Rollònem* legatos trium mensium inducias petitum. Quæ res cum Dano haud importuna videretur, quippe qui militem multis jam fessum laboribus reficere cupiebat, neutiquam negata; Completo verò induciarum tempore Carnutes confestim invasit, opidumque eorum (Castres hodie) obsidione cinxit. Adfuit auxilio obsessis Richardus Burgundiorum dux una cum Pictaviensium principe: Qui cum omni exercitu circumventum *Rollonem* in summum deduxêre discrimen. Coactaque fuisset bona exercitus ejus pars aut hostibus se permittere, aut extremo cum periculo de vita dimicare, nisi ab animi invictâ fortitudine præsidium mutuatus ex omnibus simul castrorum portis de nocte erumpendi ac per medios hostes, dum juvarent tenebræ, vi viam pateficiendi consilium cepisset. Rollo in tutum receptus, multo quam ante asperior inque omnia obvia, humana divinaque sævire pergens, eo rem deduxit ut denuo ad regem fessi ac fracti tot malis Franci auxilia rogatum pergerent. Rex convulso non tantum externis hisce sed domesticis quoque seditionibus Galliarum statu, quod solum poterat, concilio principum convocato; quodnam malo remedium adhibendum exquirit. Ac tandem consentientibus omnibus ad pacandum placandumque Normannum Neustriam etiam olim, ut supra patuit, Normannis concessam, nunc vastam & bellis pene pessumdatam perpetuò habendam offert: traditque ea lege ut Christianam religionem cum suis suscipiat & pacem cum Francis constantem atque æquam colat. Sic ea Galliarum pars Normanno contra Normannos, assidue huic imminentes, defendenda est data, communique in posterum consensu ab incolis *Normannia* nuncupata. Volunt aliqui regionem Britonum, Franciæ regibus male parentem, Neustriæ quoque adjectam & regis insuper sororem aut filiam *Ægidiam*, sive *Gislam* nomine, matrimonio eidem *Rolloni* collocatam; Alij non *Ægidiam*, sed *Opem* sive *Popam* Beringarij, Bello-vacorum comitis filiam fuisse scribunt; Ægidiam autem non Simplicis, sed Crassi neptem Godefredo Danorum regi, de quo ante memoratum, datâ in dotem Frisiâ, conpulatam: sed cognomines fuisse ex alijs liquet, qui, defunctâ sine liberis Ægidiâ sive Gisla, Popam antea repudiatam, ex qua & filium Wilhelmum, cognomento *longa spatha*, jam adultum habebat, denuo in conjugio ab eo assumptam literis traditum reliquerunt: Postremum *Rollo*, sacris Christianis initiatus, *Roberti* nomen accepit & Normanniæ duces sequentes adeoque posteris seculis Angliæ reges à secundo Gulielmo, quem Conquæstorem appellant, ad præsens usque ævum præsentemque magnæ Britanniæ serenissimum regem IACOBUM inclyti Danorum regis CHRISTIANI IV affinem, & qui modo regnat *Carolum*, ejusdem *Christiani* nepotem, ex sese propagavit.

Baptismum Rollonis in annum nongentesimum vigesimum; alij, quos inter Walsinghamus & Gemmeticensis, in annum nongentesimum duodecimum referre videntur. DCCCCXII. Quorum Walsinghamus hoc præterea habet, *Hastingum* Danum, supra ut diximus Carnutensium civitate & agro à rege Calvo donatum, tunc adhuc, cum primum in Franciam *Rollo* appelleret, superstitem, inter cæteros ad Rollonem à Simplice legatum missum, Rollonemque his verbis convenisse: fortissimi milites à rege Francorum ad vos missi accedimus, intellecturi, quinam & unde huc profecti adveneritis; quæ

CANUTUS Rex. A. C.

quæ veniendi causa fuerit, quis præfectus aut princeps vobis imperitet; Ad hæc ut benignè respondeatis, amicè rogamini. Cui vicissim *Rollo*, Dani, inquit, sumus, imperio & dignitate pares, soli hujus incolas exturbatum accessimus, & nobis parentem regionem reddere: Tu vero ecquis es, qui tam festivè nos compellas? Haud dubio respondit ille, fando audistis *Hastingi* nomen, qui à vobis extorris & exul cum classe huc appellens, Francorum hoc regnum maximâ pro parte aut in solitudinem aut suam in potestatem redegit. Cui *Rollo*, accepimus quidem *Hastingi* vocabulum, sed & ipsum bene cœpta minus feliciter peregisse, id simul intelleximus. Tum *Hastingus*, vultis Carolo regi vos vestraque submittere. Nequaquam inquit *Rollo*, sed illud regi renuncia, nos quæcumque armis acquisituri sumus nostro jure vindicaturos. Atque ita utrimque discessum. Addit deinde Walsinghamus; falso postmodum accusatum à Comite Theobaldo Hastingum; quasi idem cum Rollone faceret; Eoque perterritum, divendita eidem Theobaldo Carnutensium urbe cæterisque omnibus distractis peregrè profectum disparuisse. Norvagiæ Chronicon vernaculum; ubi de Haraldo Haarfagero agit, Rollonis patrem nominat; aitque apud Norvagos virum præpotentem fuisse ac Iarli, quæ ibi Comitis habebatur dignitas, potestate egisse: vocatumque Rogvaldum cognomento *divitem*; filium autem ejus Rollonem eâ fuisse corporis mole, ut illi vix ullus veredus ferendo esset, indeque & *Rolfonem Gaange*; quod peditem notare videtur, appellatum: Cumque aliquandiu piraticam, ut tunc erat moris, exercuisset & domi quoque, licet interdicto id vetuisset Haraldus, à prædis agendis haud abstineret, succensuisse ei supra modum Haraldum, ac totâ Norvagiâ proscripsisse; Rollonemque eâ occasione assumptis, qui se ducem sequi vellent, in Angliam primò, atque inde in littus Francorum, quod tum Neustria dicebatur, institutâ navigatione profectum; atque ibi Ducatus Normannici fuisse conditorem. Ità Chronicon: Alij Danos referunt postquam ex Angliâ, ubi se illis Rollo junxerat, in Gallias cum classe & copijs devenissent, & jam Rothomagum tenerent, sortitione de duce eligendo cogitasse, sorteque in Rollonem Norvagum devolutâ, ei omnes obsequium & fidem pollicitos. Nos in ijs, quæ superius de Rollone adduximus Dudonem de S. Quintino, &, qui eum exscripsit, Wilhelmum præcipue Gemmeticensem sumus secuti. Illi autem cum è Danamarchâ (hac enim voce utuntur) Rollonem deducant, & patrem quidem ejus non nominantes, virum tamen ditissimum ac late in partibus Daniæ dominatum ipsique Danorum regi controversiam movisse fateantur, tum & Rollo ipse, ut modò ex Walsinghamo patuit, se suosque commilitones Danos non Norvagos dixerit, existimem verba Chronici Norvagici de Rollonis parente ità accipienda, ut is, latè in borealibus tam Daniæ quam Norvagiæ oris cum auctoritate tum opibus florens, domesticâ præcipue factione compulsus apud Norvagos se continuerit. Nam addit postremò idem Gemmeticensis, Daniæ Regem, intellecto quod dux potentissimus pater Rollonis & *Gurim* esset defunctus, armis sumptis, in filios facta parentis vindicare voluisse: Eâque occasione cum classe aliquot navium è Dania ad Scangianos sive Norvagos Rollonem concessisse; ac postquam ad eum frequens populus conflueret, qui à rege Danorum, utpote partibus Rollonis favens, indies proscriberetur, auctis copijs, vela ventis dedisse ac primo Angliam, atque inde, ut memoravimus, superatis Valachrensibus ac Frisijs ictoque cum Duce Basbacensium fœdere in littus Francorum impetum atque arma vertisse. Controversiam verò qui movisse Rolloni memoratur Danorum rex, is an Canutus fuerit, cognomento, ut meminimus, *Lothneknud* dictus, silentibus rerum memorijs certò affirmare non habeam. Interim rebus moderante eo ipso Canuto, in oras exteras variè egressos regni incolas etiam Erici Daniæ regis, quod habetur, chronicon ostendit verbis, quæ subscripsi: *Lothneknud filius Erici Barn, bellicosus erat multum & versutus regnavitque anneis* XI. *Huius tempore quilibet tertius de servis & hominibus exivit de regno aliasque quàm plures terras subjugaverunt sibi & delectati terrarum ubertate noluerunt redire. Huic successit Frothi filius ejus.* Hactenus chronicon. Nunc Rollonis &, qui ex eo prognati, Normanniæ Ducum stemma subjectum propius inspiciamus.

ROLLONIS

ROLLONIS

Ducumque NORMANNIÆ Genealogia ac Series adusque GULIELMUM CONQUÆSTOREM: Qui & Angliæ postmodum Rex fuit.

ROGVALDUS *cognomento* Dives, *Iarlus sive Comes ac familiaris Haraldi Haarfaveri Regis. Ei filius fuit.*

ROLLO *sive* ROLFO. *Qui factus cum popularibus suis Christianus Neustriam, quam armis occuparat, à* Carolo Simplice *incolendam obtinuit circa annum* IↃCCCCXII. *Vxorem habuit priore loco* Popam *Berengarij Comitis Blessinensis & Belovacensis filiam. Postea duxit* Ægidiam *sive* Gillam Caroli Simplicis *filiam improlem. Obijt* DCCCCXX. *Ex* Popâ *ei nati:*

Gurim. *Huius utpote junioris filij meminit Dudo lib. 2. de rebus Normannorum.*

Gerloca *nupta Comiti Pictavorum Gulielmo.* Gemitensis lib. 3. cap. 3.

GULIELMUS *cognomine* Longa Spatha, *Dux Normanniæ II. Vxor illi* Sprotha, *puella nobilissima Danico more juncta. Postea ei ducta Viromanduorum Comitis filia Leudogardis, ab Arnulpho Flandriæ Comite occisus an.* DCCCCXLIII. *Vide Gemmeticensem lib. 3. cap. 2. 3. Ex* Sprotha *natus:*

RICHARDUS *I. Dux Normanniæ III.* Senex *dictus. Obijt* DCCCCXX. *Sepultus Fescampi. Vxorem habuit* Emmam *Hugonis Magni filiam improlem: quâ mortua duxit* Gunnorem *sive* Gunildam *nobilissimæ prosapiæ Danicæ virginem speciosissimam, ut habet* Gemmeticensis *lib. 4. cap. 18. Ex hac nati:*

RICHARDUS *II. Dux Normanniæ IV. Obijt* CIↃXXVI. *Sepultus Fescampi apud patrem. Vxores habuit duas;* Iuditham *Comitis Britanniæ sororem, &* Estritham *Suenonis regis Daniæ & Norvagiæ filiam, Canuti Magni Daniæ & Angliæ regis sororem.*

Robertus *Comes Ebuovicensis ac postea archiepiscopus Rothomagensis.*

Maugerius *Comes Corbulensis.*

Haduvis *uxor Godefredi Comitis Britanniæ.*

Emma *Regina Angliæ.*

Matildis *juncta Odoni Comiti Carnotensium.*

nati ex Esthrithâ,

Gulielmus *Comes Talogij &c.*

Maugerius *archiepiscopus Rothomagensis.*

Hos ex Popiâ *natos ait Gemmeticensis lib. 7. cap. Quæ* Papia *est hæc ipsa* Esthrita *Danica.*

Ex Iudithâ:

RICHARDUS *III. Dux Normanniæ V. à fratre veneno sublatus, uxorem nō duxit. Reusnerus tamen, & qui eum sequuntur, filium ei tribuunt* Tancredum *Siciliæ postmodum regem.*

ROBERTUS *I. Liberalis cognomine. Dux Normanniæ VI. post fratrem. Obijt in peregrinatione Hierosolymitanâ, sepultus Niceæ anno 1035. Ei ex* Herlevâ *concubinâ natus,*

Gulielmus *monachus Fiscampi.*

Filiæ *IV.* Adeliza *uxor* Rainaldi *Burg. Comitis. Ceteræ non nominantur.*

GULIELMUS *Nothus sive* Bastardus *ejus nominis II. Dux Normanniæ VII.* Conquæstor *cognominatus, quod Angliæ regnum, sibi testamento legatū ab Eduardo cognato, armis conquisiverit. Mortuus anno* MXCIII. *Sepultus Cadomi in æde S. Stephani. Vxorem habuit* Matildam, *Balduini Pij Flandriæ Comitis filiam. Ex quâ filios IV. & filias V. procreavit.*

FAMILIA

FAMILIA

SORORUM GUNNORIS NORMANNIAE DUCISSAE, Nobilissimâ Danorum prosapiâ ortæ.

In hac eminent Giffardi Comites de Buchingeham.

N.

Sainfria *uxor Forestarij Ducis Richardi I.* — Gunnor *Ducissa Normanniæ, uxor Richardi I. Ducis. Eorum liberos vide supra.* — Voeva *seu* Weviva *copulata* Turulfo de Ponte *Audomari filio Torf.* — Auvelina *uxor* Osberni *de Boslebec.*

Humfredus de Vetulis *pater Rogerij de Bellomonte.* — Ioscelina *uxor* Hugonis de Montegomerici. — Galterius Giffardus *N. filia Girardi Flaitelli.* — Godefridus.

Galterius Giffardus *II. Comes de Buchingeham in Anglia.* Agnes *soror Ansoldi de Ribothmonte.* — Rohais *uxor* Richardi *filij Gisleberti Comitis.* — Vuillelmus de Archis.

Galterius Giffardus *III. Comes de Buchingeham.* — Mathildis *uxor* Vuillelmi *Camerarij de Tancarvilla.*

Comites de Buchingeham. — Rebellus *Camerarius de Tancarvilla.*

Hæc ex Gulielmo Gemmeticensi *&* Oderico Vitali, *scriptoribus Normannicis, collecta.*

DE REGIBUS & REGNO IN ITALIA & SICILIA à Normannis constituto

EPIPHONEMA.

EPIPHONEMATIS hic loco paucula quædam superioribus adjicienda de primis Apuliæ & Siciliæ regibus. Hos enim ex gente Normannorum ut nemo ortos ambigit, ita unde & quando in Italiam venerint, haud liquido traditum apud auctores occurrit. Fatetur quidem Blondus Gulielmum quendam Normannum, cognomento Ferrabachum patre Tancredo procreatum ac parte Hetruriæ, quæ Romandiola dicitur, potientem, expulsis Saracenis, Apuliæ ac Siciliæ imperium sibi ac posteris suis parasse. Sed idem quo tempore Italiam intraverit aut quâ fretus auctoritate seu occasione eas sibi regiones subegerit, à nemine perspicue expositum addit, existimans interea à Longobardiæ Comitibus utriusque stemma promanasse. Quapropter ut propius aperiantur fortissimæ gentis natales, repeti obiter à primâ origine expeditiones necessum est, quæ in Italiam diversis profectionibus ab ipsa fuerunt institutæ. Nam præter ea, quæ superius de Hastingi in Italia classe & rebus sunt commemorata, occupatam nimirum ab eo Lunensium civitatem, accedunt insuper Sigeberti varia testimonia, ex quibus verisimile fit non unis in locis sedes apud Italos posuisse Normannos, quemadmodum factum ab ijsdem in Galliæ
DCCCLVII. maritimis partibus. Ait enim anno quinquagesimo septimo post octingentos: *Normanni Hispaniam & Africam navigantes ingrediuntur Rhodanum, direptisque civitatibus ac monasterijs in*
DCCCLX. *insulam quæ Cannarias dicitur, venerunt.* Et anno sexagesimo: *Normanni Italiam petunt & Pisas*
DCCCLXXIX. *civitatem aliasque capiunt ac devastant.* Et rursus anno septuagesimo nono, quum imperium Carolus Calvus teneret, *Normanni mare intrant: & pars quædam ex ipsis in Italiam redijt:* Ubi disertè redijsse in Italiam dicuntur, ut constet jam ante sedes ibi tenuisse. Quin & Calvi seculo, cujus expeditionis etiam Blondus ipse mentionem injicit, Normanni prædâ in Aquitania & ceteris Galliarum regionibus factâ, trecentarum sexaginta navium classe Constantinopolim duxêre, suburbanisque illius spoliatis atque incensis in mare Britannicum reversi sunt. Nec desunt qui tradunt, Tancredum Gulielmi patrem quintum fuisse à Rollone,

Rollone, quem post baptismum Roberti nomen accepisse supra indicavimus: Eumque Tancredum natum patre Richardo III Normanno, qui ex duabus uxoribus cum suscepisset duodecim filios, & res domesticæ essent, quàm pro tot filiorum numero tenuiores, ad ampliores quærendas in Italiam profectum, primò militasse Berengario contra Hunnos; deinde Pandulpho Longobardorum duci contra Guaimarum Salernitanum: Moriturum verò ceteris filijs præfecisse Gulielmum, qui à corporis robore nominatus est Ferrabachus vel, ut scribunt alij, Ferrobrachius, qui & præter ceteros, fratrem habuerit Robertum cognomento *Guiscardum*, quod nomen Normannicâ linguâ significaverit *erronem* sive *virum victorem*, quod nimirum oberrando terrarum multum ac imperium victor obierit, nisi à victorijs *Guincarlum* potius fuisse; aut saltem *Guiscarlum* ab ingenij sagacitate, & ut habet quoque Thomas Fazelus alijque plerique censent, quia versutissimus fuerit, ita popularibus appellatum dicamus.

Initium autem claritudinis ipsorum in Italia, & quomodo duce, quem diximus, Gulielmo Apuliâ atque inde Siciliâ potiti sint, ita se breviter habet: Gulielmus gente Normannus, cognomento ut dictum Ferrebachus, annum circiter millesimum, cessantibus M. in Italia motibus à Berengarijs & Saracenis atque Ungaris (quorum incursibus diu labefactata erat provincia) præclarum aggressus est facinus, Capuano namq; & Salernitano principibus per fœdera sociatus ad Malochum Græcum, Apuliam Calabriamque pro imperatore Græcorum administrantem, legatos mittens, eundem fœderibus adjungit. Convenitque inter quatuor ut æquis viribus ac fortunis enavigantes in Siciliam, eam, Saracenis ejectis, occupent. Collatis viribus enavigatum est: Et insulam ingressi, Saracenos obviam euntes fundunt: fugatisque residuis prædâ ingenti locupletantur, æqualiter inter se divisâ. Malochus autem insulæ possessionem suo servavit imperatori. Indignatus Gulielmus, quod sibi ceterisque insulæ partem non daret, expedito agmine, reliquis quiescentibus longum iter ingressus duxit in Apuliam, circumseditque Melphim, & ad extremum expugnavit. Quo accepto Malochus & ipse cum milite festinus accurrit, urbem recuperaturus. Ibi autem Normannus Græcos ab itinere fessos nec castris adhuc communitos agressus facile fudit ac fugavit: & magnum similiter illius territorij partem, pulsis Græcis, sibi acquisivit. Verum Bubaganus cum mox Malocho successisset oportuno Apuliæ loco coloniam extruere conatus, Trojam eam vocat; quò nimirum Græcis habitatoribus impleta præsidio esset regioni. Quod nequaquam ferens Henricus imperator ejus nominis secundus, qui jam erat cum exercitu in Italiâ, admotis copijs, urbem novam quatuor mensibus obsessam expugnavit &, acceptis obsidibus, Romam revertitur. Cum verò exinde successisset Henrico Conradus, Græci Normannis in Apulia gravi bello oppositi, pellere eos annisi sunt; sed frustra. Collatis enim signis victores Normanni Græcos ejecêre. Atque inde repetitis vicibus ijdem Græci Normannos agressi, interque Aufidum præsertim amnem & Oleventem oppidum acerrime concurrentes victoriam Normanno cedere coacti fuerunt. Gulielmo deinde fatis functo, frater Drogo substituitur. Quem secuti post fratrem Hunfredum, Godefredus & Robertus, quem diximus, *Guiscardi* cognomento celebris. Hi consilio & opera Bettumeni Saracenis oriundi expugnarunt Messanam in Sicilia anno Christi millesimo sexagesi- MLX. mo. Inde progressi continuis triginta annorum bellis post aliquoties profligatos Saracenos Siciliâ universâ potiti sunt, anno millesimo nonagesimo. Roberto nepos fuit ex MXC. filio Rogerio Gulielmus, qui & postmodum successit, natus ex Adelisiâ sive Adelâ Canuti IV Daniæ Regis relictâ vidua, Roberti Flandrensis filiâ. Hoc enim in more tum positum habuisse videntur Italiæ Normanni, quo gentis suæ cum Galliæ Normannis summam necessitudinem demonstrarent, ut nuptias plerumque cum eâdem suâ gente contraherent. Nam & Richardus Normanniæ dux, repudiatâ conjuge, Canuti Magni Angliæ & Danorum regis sorore, ejus iram atque impetum, de quo postea dicetur, declinaturus haud alio quàm ad Siciliæ Normannos confugisse authores tradunt. Atque hæc cum in Italia tum in insula florentissima Siciliæ Normannici imperij fuerunt initia. Nunc in viam & domum quasi redeamus; Si prius stemma familiamque Ducum Apuliæ ac Regum Siciliæ ex Normannis progenitorum hîc proximè subijciamus:

FAMILIA

DUCUM APULIAE, Comitum & Regum SICILIAE:

NEC NON

Principum Antiochiæ, Normannorum.

N.

Tancredus Normannus de Alta-villa, *de pago Constantino* XII. *filios & filias plures habuit de duabus legitimis uxoribus, quarum una* Fredesendis *dicta, testo Orderico Vitali lib. 3.*

- Goifredus *paternæ hæreditatis agros in Normannia possedit.*
- Vinfredus *Dux Apuliæ.*
  - Abailardus, *quē pater moriens Roberto Vuischardo commendavit.*
- Drogo *princeps Normannorum in Apuliâ.*
- Vuillelmus.
- Hermannus *Ordericus pag. 472.*
- Robertus Wischardus *Apuliæ Dux habuit duas uxores. Ex prima, quam propter consanguinitatem reliquit natus.* — Sichelgauta *secunda uxor filia Gaumari principis Salerni. ex hac nati.*
  - (ex prima) Marcus Buamundus *princeps Antiochiæ:* Constantia *filia Philippi Regis Francorum.*
    - Buamundus *II. Princeps Antiochiæ. Vxor filia Balduini II. Regis Hierosolymitani.*
  - (ex secunda) Rogerius *Bursa, Dux Apuliæ seu Calabriæ uxor* Adela, *Canuti IV. Danorum regis relicta vidua,*
    - Gulielmus *Dux Apuliæ, obijt sine liberis. Principatū testamento reliquit aguato* Rogerio *II.* Rogerij Gibbosi *filio.*
  - Guido. Mabilia *uxor Gul lelmi de Grentemesnil. & aliæ adhuc filiæ duæ.*
- Rogerius Gibbosus *Comes Siciliæ* Adelais *filia Bonifacij Marchionis.*
  - Rogerius *II. Comes Siciliæ & Dux Apuliæ, tandemq; Rex. uxor* Iudith *filia Willelmi Ebroicensis.*
    - Rogerius *III. Dux Apuliæ, patrem morte prævertit. uxor filia Roberti Comitis Aletij.*
      - Constantia *legitimo patris Thoro nata. quinquagenaria jā à Romano pontifice è cœnobio reducta, regni Siciliæ hæres nuncupata, & filio Imp. Frederici Barbarossæ Henrico VI. est desponsata.* : A
      - Tancredus *è concubina natus Comes Aletij. Testamēto* Gulielmi Boni *Rex utriusq; Siciliæ creatus.* : B
    - Gulielmus *cogn.* Malus. *Rex Siciliæ & Dux Apuliæ. à papa Adriano II. diris devotus: mox in gratiam receptus Tunetum diripuit. Ob tyrannidē à proceribus captus, sed brevi dignitati restitutus, obijt A.C. 1166. Vxor* Margareta *filia Garsiæ Regis Navarræ.*
      - Rogerius *IV. Dux Apuliæ, Rex Siciliæ contra patrem populari tumultu nominatus ac fortuito interemptus.*
      - GULIELMUS *II. cognomento* Bonus. *Rex utriusque Siciliæ. Obijt improlis. quamvis nupta ei esset* Iohāna *filia Hērici II. Angliæ regis.*
      - Robertus. Henricus *principes Capuani improles.*
    - Henricus.
    - Tancredus *ante patrem obijt.*
    - Constantia.
  - N. *uxor Roberti filij Roberti Ducis Burgundiæ.*

Frede-

A	B		
Fredericus *II. Imp. Rom. Rex Neapolis & Siciliæ: ductâ in uxorē* Iole *Iohannis Brennij Hierosolymorū regis filiâ jus Hierosolymitani regni est consecutus. Senex ac lecto æger decumbens à filio notho Manfredo Tarentinorū principe est suffocatus A. C. 1250. Ab hoc longâ serie propagati Arragonū Hispaniæq; reges, ac ipse postremū* Carolus *V. Imp. natus matre* Iohanna: *cujus avus* Iohannes *Arragoniæ & Navarræ Rex proavos suos ad Manfredum refert.*	Rogerius *V. à patre Rex utriusq; Siciliæ nominatus, brevi morte eum prævertit A. C. 1194. uxor* Irene *filia Isacij Imp. Byzantini.*	Gulielmus *III. Rex Siciliæ post patrem: captus ab Hērico VI. Imp. est excæcatus testibusque orbatus stēma Normannorum in Sicilia principum finijt: A. C. 1195.*	Alceria, Constantia & Migdonia, *unà cū matre ab Hērico VI. Imp. captæ in carcere diem obiêre.*

LECTORI.

VT Lector propius & ad oculum, quod dicitur, introspiciat, Rollonem, ejusque majores posterosque, qui sæpenumero ac vulgo fere apud authores Normanni nominantur, non Norvagicæ seorsim, ut Crantzius est interpretatus, sed Danicæ fuisse originis ac gentis; quomodo etiam innuisse superius in ipsâ historiâ, & alibi, nos scio, idem nunc verbis authorum, qui temporum eorum propemodum æquales fuêre, Dudonis & Gemmeticensis aliorumque, hîc ostendendum existimo. Et est inter primos *Dudo*, cujus magnificè historiæ suæ initio Saxo Grammaticus meminit, *rerum Aquitanicarum scriptorem eum* appellans, utpote qui claruit sub Richardo ejus nominis Normanniæ I. Duce, cui avus Rollo fuit. Is autem cum pro more *Daniam* fere semper *Daciam* vocet, ità loquitur lib. 1. pag. 65. de *Hastingo* verba facturus:

> *Igitur* DACI *nuncupantur à suis* Danai, *vel* Dani; *gloriantur que se ex* ANTENORE *progenitos. Hi Daci relato ritu olim à suis expulsi, quà suos tractus* FRANCIA *protensè exporrigit, cum Duce Hastingo ferociter sunt appulsi.*

Hæc eo loci Dudo, suntque eadem, quæ Saxoni nostro Grammatico, de quo dictum, in mente fuerunt, cum scriberet initio statim historiæ Danicæ: *Dan igitur & Angul, à quibus Danorum cæpit origo, patre Humblo procreati, non solùm conditores gentis nostræ, verum etiam rectores fuêre. Quanquam Dudo rerum Aquitanicarum scriptor, Danos a Danais ortos nuncupatosque recenseat.*

Inde idem Dudo libro secundo de Rollone acturus, ac quædam de parente ejus, quem nos, sequuti vernaculum Norvagiæ Chronicon, Ragvaldum nominavimus, præmittens hæc habet:

> *Illis in diebus senex quidam erat in partibus Daciæ, omnium rerum affluentiâ locupletissimus, innumerabiliumque militum frequentia undique secus stipatus; qui nunquam colla suæ cervicis cuiquam regi subegit, nec cujuslibet manibus gratia servicij manus suas commendando commisit. Qui Daciæ regnum pene universum possidens, affines Daciæ & Alaniæ terras sibi vendicaret, populosque sibi prælijs quamplurimis vi & potestâte subjugavit. Erat enim omnium orientalium præstantiore virtute præpotentissimus, cunctorumque exaggerato omnium virtutum*

tutum cumulo praecellentissimus. Defuncto verò illo, superstiterunt duo filij eius, armis strenui, bellis edocti, corpore pulcherrimi, animositate robustissimi. Quorum verò maior natu ROLLO, *alter verò junior* GURIM *nuncupatur.*

Gulielmus Gemmeticensis, qui Dudone posterior est, hæc fere eadem & eisdem verbis Dudonis recitat historiæ suæ Normannorum libro secundo cap. 1. At tertio & quarto capite ejusdem libri Rollonem non semel Danum vocat. Et tertio præsertim capite, ubi occasiones recitat digressus è Daniâ Rollonis, ità ait:

Rollo verò morari non valens in Dacia propter Regem, diffidens sui SCANZAM *insulam cum sex navibus aggressus est. Tunc Dacia pio Duce, Patricioque: atque robustissimo Advocato privata, magno eiulatu concussa cœpit nimium flere.*

Et Capite deinde, quod proxime sequitur, quarto, ubi de somnio agit, quo monitus Angliam Rollo idem petijt, ità loquitur:

Cumque diu Scanzâ insulâ mœstus moraretur, sollicitéque contorquentis animositatis cogitatione æstuans, moliretur ut vindicaret se de inimicis suis: plurimique, quos fugarat de Daciâ regalis immanitas, ad eum reverterentur, fessis labore artibus, sopore oppressus, vox divina illi sonuit, dicens: Rollo velociter surge, ponto festinanter navigio transmeans ad ANGLOS *perge: ibi audies quod ad patriam sospes reverteris, perpetuaque pace in eâ sine detrimento frueris. Hoc somnium cum cuidam sapienti viro & Christicolæ retulisset, hujusmodi sermone interpretatus est: Tu vergente venturi temporis cursu, sacrosancto baptismate purificaberis, prædignusque Christicola efficieris, & ab errore fluctuantis seculi ad Anglos, Angelos scilicet, usque olim pervenies, pacemque perennis gloriæ cum illis habebis. Illico vela navibus aptans, remisque eas exornans: atque frumento, vino, tergisque suum eas onerans, velivolum mare celeriter permeans, Anglos aggreditur, ibique morari quiete diu suspicatur. Audientes autem illius territorij pagenses quod* ROLLO DACUS *adveniret, aciem magnam contra illum construxerunt, cumque ab illis finibus fugare conati sunt, &c.*

Quibus in verbis, ut & antecedentibus quoque, quæ & apud Dudonem habentur, disertè, præter cetera, liquet è Daniâ in Scandiam transgressum cum suis Rollonem, atque inde perpetuo Danum (*Dacum* ille, ut & Dudo, quamvis perperam, scribit) esse intellectum. Scandiam autem cum *Scanzam* dicant, latè accipere eos hanc vocem est verisimile, nec Scandiam sive Scaniam solam, quæ hodie regni tantum est Danici, sed & Norvagiam quoque complexos, ut veteres olim id totum, quod est ultra Daniæ insulas & Chersonesum Cimbricam, boream versus, unâ voce *Scandinaviam* appellarunt. Et hoc demonstrent præterea verba, quæ exstant in GENEALOGIA quapiam DUCUM NORMANNORUM ex veteri Codice MS desumpta, ista scilicet:

Anno Dominicæ incarnationis DCCCXCVI. *regnante Francorum Rege Karolo, qui Simplex appellatus est, piratæ Danorum ex insula Scanzia, quæ Northuega dicitur, egressi; cum in Francia multa gessissent prælia, regnumque devastassent: Karolus prædictus acceptis obsidibus, eis Neustriam tradidit, quam ab ipso tempore vocaverunt Northmanniam, eo quod ab ipsis, qui ex Nortvegâ venerant, possessa erat. Robertus igitur, Rollo dictus, eorum primus erat Dux, Comesque Northmanniæ. Robertus iste genuit Vuillelmum, qui Longa spatha cognominatus est, quem*

Franci dolo occiderunt. Vuillelmus autem Longa-ſpatha genuit Richardum Senem &c.

Clarè ex ijs intelligere eſt, *Scanziam* hanc, in quam è Daniâ conceſſiſſe Rollonem ejuſque populares Dudo & Gemmeticenſis volunt, *Norvagiam* fuiſſe, & ipſos interea Danorum piratas intellectos: Normannos autem, quod ex boreali hac plagâ progreſſi adveniſſent, eſſe vocitatos. quamvis etiam, quod & alibi oſtendimus, non ſolum Norvagi, ſed & Dani quoque omneſque boreæ populi promiſcuè *Normanni* olim vocitati. Quod feſelliſſe præcipue Crantzium clarum eſt, qui voce Normannorum deceptus, ſolos hos populos fuiſſe Norvagiæ ac Norvegianos aſſertum voluit: cum contra tradat diſertèque ſcribat ad annum DCCCX Albertus Stadenſis: *Dani & ceteri, qui trans Daniam ſunt populi, omnes Normanni vocantur.* Et adde hiſce inſignem locum Eginharti, qui in vitâ Caroli Magni hæc habet;

Ultimum, quod contra Normannos, qui Dani vocantur, primò piraticam exercentes, deinde maiori claſſe littora Galliæ ac Germaniæ vaſtantes, bellum ſuſceptum.

Nec diſſimilia ſunt, quæ eâdem de re ſuggerit Adamus Bremenſis. Quæ addere cui libet, in promptu erit. Et eſt præterea illud quoque ex præcedentibus notatu haud indignum, quod in illâ GENEALOGIA DUCUM NORMANNORUM, quæ citata jam eſt ex Codice MS, diſerte *piratæ Danorum* appellentur ij, qui è Daniâ in Scanziam ſeu, ut interpretantur, Norvegiam advenerant, nec *Daci* aut *Dacia*, ut apud Dudonem & Gemmeticenſem, ſed *Dani* rectiſſimè efferantur. quamvis Ordericus Vitalis, Uticenſis monachus, qui Gemmeticenſem continuat, ac res præcipue *Gulielmi Conquæſtoris*, coætanei ſui, &, qui eum proxime excipiunt, Roberti ac Stephani regum Ducumque ad annum uſque Chriſti MCXLI exequitur, *Daciam* etiam ſemper fere, non *Daniam* nominet. Et ſtatim in Præfatione hæc idem habet:

Nunc aliud mihi à magiſtris opus injungitur, & de Normannicis eventibus materia porrigitur: quoniam ipſi de Dacia prodeuntes, non literis, ſed armis ſtuduerunt, & uſque ad Gulielmi Nothi tempora magis bellare quàm legere vel dictare laborarunt: Bellicos ſiquidem actus trium Ducum DUDO *Vermandenſis Decanus enarravit; & Richardo Gunnoridæ, gratiam eius captans, tranſmiſit. Quem* Gulielmus *cognomento* Calculus Gemmeticenſis *cœnobita ſequutus abbreviavit, & quatuor Ducum, qui ſucceſſerunt, res breviter adjecit.*

Sed hæc ceteraque, cum alibi & ſuo loco propius preſſiuſq; à nobis ſint indicata tractataque, hîc repetere pluribus ſupervacuum habeam.

AD

ILLVSTREM AC GENEROSVM VIRVM

CHRISTIANVM FRISIVM

DOMINUM IN CRAGERUP,

EQUITEM AURATUM,

MAGNVM DANIÆ CANCELLARIVM.

OLim ABSOLONUS, CANDIDUS *cognomine,*
Aras focosque, pontifex ac dux, duo hæc
Defendit unus, Daniæ decus suæ,
Illustris heros, gente VIDORUM *satus.*
Quin Saxonem idem fovit, & suasor fuit
Viresque & animum fecit ad res Patriæ
Ævo explicandas, nocte cæcâ conditas;
Quapropter etiam jure nunc primus sator,
Author paterque Danicæ historiæ cluit.
Sed Absolonem tempus atque ævum tulit;
Nunc mente simili te, FRISI, *quisnam neget*
Juvare patriam resque præclaras situ
Evolvere atro, nec pati prisca ut patrum
Sileantur acta, laude sed vigeant suâ,
Dum nos priorum subsequi vestigia
Voluisti, & illa gesta maiorum stilo
Nostro notari prodierque posteris?
Quis præeuntem, quis patronum te sequi
Vir magne renuat? Tu facis vires mihi.
Nam quod nequibat nostra Musa incultior
Sperare proprio domini ab ingenio sui,
Debebit istud forsitan genio tuo.

RERVM



RERVM DANICARVM HISTORIÆ LIBER V.

FROTHO REX LX.

FROTHO Rex. A. C.



CANUTO superius, qui *Parvus* itemque **Lodnecnudt** est indigetatus, succesisse Frothonem memoravimus: Cujus tamen neque Stadensis Abbas neque Adamus Bremensis mentionem injiciunt, volentes nimirum post cladem illam ab Arnulpho Augusto Normannis Danisq; illatam sceptrum apud eos tenuisse *Helligonem*, virum ob justitiæ & sanctitatis opinionem populo gratum atque amabilem: Postque eum, à Sueonibus protectum Olavum, vi & armis regnum occupasse, qui & plures habuerit filios, inter quos *Ehnabum* & *Giurdum* successores ejus, nominibus haud satis emendatè expressis, ijdem recensent. Verum *Helligonem* adversus Anglos arma, ut plurimum, moventem in Angliâ occubuisse authores alij testes sunt, qui & ibi frequentius quam in Daniâ egisse simul adjiciunt. Mortuo mox post annum nongentesimum Imperatore Arnulpho, suffectus est ei filius Lodovicus: Cu- DCCCC.
jus deinde excessu ut stirpis Carolinæ ità quoque imperij Francici, tot gentium irruptionibus enervati & fracti, finis fuit. De eisdem his rebus ac Daniæ per id tempus regibus hæc habet à prioribus nonnihil dissentientia Chronicon Erici regis: *Anno Domini* DCCCCII. DCCCCII.
Arnulphus *Imperator Danis in Teutonia occurrens prostravit ex eis centum hominum millia bello cælitus administrato, eodem anno obijt Ericus Barn, & regnavit pro eo Olaff rex Sueciæ. Iste vi & armis obtinuit regnum in Dacia & regnavit* V *annis*. Frothonis verò adolescentia armis belloque exercita eò felicitatis adolevit ut provincias, quæ à Danis defecerant, ad pristinas obsequij leges redegerit. Utriusque & Angliæ & Daniæ imperio præfuisse annales domestici subindicant: Et in Anglia præsertim, suscepto baptismi lavacro, sacris Christianis initiatum. Unde & mox privatam suam salutem in publicum omnium bonum redundare cupiens ab Agapeto, vel, ut alij, ab Adriano pontifice, Daniam Christianâ religione imbui præoptavit. Sed votis ipsius priusquam satisfieri potuerit, morte præventus est, cum regnum tenuisset annis circiter viginti. Hujus tempestate Slesvicensem & Ripensem ecclesias, quæ bellis superioribus dejectæ fuerant, redintegratas reperio. Tertiam ipsemet è solo noviter excitatam constitui apud Arhusienses curavit. Imperitabat autem, superstite adhuc Frothone, Anglis Orientalibus Ericus Danus Haraldi Gormonis filius: Nam

FROTHO Rex. A. C.

& fratrem ejus Gormonem jam ante Alvredus amore filij complexum Northumbris præfecerat, de quo & infra referetur. Verum Alvredo Regi succedens mox Eduardus ut reipublicæ ac regno à se suscepto, quantum posset, consuleret, loca omnia præsidijs munire, urbes, quas hosti oportunas duceret, singulas obire, suorum atque hostium res pariter attendere, barbarorum insidias antevenire magno studio maturat, ut ità & suos in officio ac fide retineret & ipsis Danis, tum adhuc Northumbris & Angliæ Orientali, ut dictum, dominantibus, occasionem belli movendi usquequaque præcideret. Verum isti rei bellum Scoticum subito prævertendum fuit, vexante continenter fines Anglicos rege Constantino. Itaque Eduardus primo quoque tempore bellum ei intulit, quod multa utrimque cæde gestum est. Sed Scotus majoribus affectus incommodis non invitus ab armis decessit, pace cum Eduardo in tempore compositâ. Post hæc Wallos vacillantes ad sanitatem reducere studio habuit & Merciam quoque suo adjicere imperio. Sed eam Eduardi felicitatem, prosperosque successus, Danorum præsertim, qui in Northumbria erant, præsidia potētiaq; haud leviter fregit ac retardavit. Cū enim rebus suis minus eos Eduardi progressus commodos viderent, discordiarum semina inter eum fratremq; ejus Adelvoldum concitare haud cessavêre, adeuntes Adelvoldum, juvenem suâpte naturâ regnandi avidum, monentesque tempus & occasionem præstò esse, quâ posset, modò velit, regnum, expulso fratre, obtinere. quod nimirum Eduardus suis ac finitimis omnibus infestus res ac territoria sua, ultra quàm jus fasque permitterent, proferre & aliena contrahere plus nimio studeret. Quo autem maturaretur negotium, ipsi ultro auxilia pollicentur & periculū omne ac damnum inde exoriturum se præstituros liberaliter promittunt. Quibus dum aurem ille commodat, animum intendit in regnum fratris, comparatoque extemplo exercitu hostiliter illud occœpit invadere. Verum post aliquot insultus diffisus viribus aut metu exterritus fugam capessit, seque Danis, qui Northumbriam tenebant, conjungens denuo ad arma redit. Quo intellecto, tantâ celeritate est insecutus Eduardus, ut juvenis omittere institutum, & ad mare tendere indeque transmarinas oras petere coactus sit: Ubi vix annum moratus redijt ad Northumbros. Dani, licet Eduardum suspicerent, perbenigne tamen Adelvoldum accipientes, belli ducem constituunt. Adelvoldus, accepto imperio, iterum adversus fratrem movit: Dumque cuncta, quæ erant in proximo, Dani pervadunt ipse conversus in Merciam, pariter dat prædæ omnia. Atq; inde Thamesim transmittens usque ad pagum, quem vocant Basynstochum, regionem circumquaque populatur. Rex, instructâ in adversum acie, hosti obviam factus eum soluto agmine venientem magno impetu adoritur. Dimicatum summis utrimque viribus fuitque diu atrox atque anceps conflictus, multis parte utrâque cadentibus. Adelvoldus inter primos fortiter rem gerens occubuit: Cujus tamen interitu nihil intermissum à Danis, dum tandem regij milites repugnando victi terga verterent. Sed & ipsi tandem, longo certamine fessi, pacem cum Eduardo vel, ut alij, inducias fieri permittunt. Nec ægre concessit Eduardus. Ericus enim Danus, qui, ut diximus, Orientalibus Anglis præerat, toti Anglorum nomini imminens alios è popularibus suis in belli societatem adducere paulatim studuit, quo junctis armis universorum simul opes uno eodemque tempore concuteret. Ceterum Eduardum cum non lateret ejus studium, insidias ille præveniens, invasis regni ejus finibus, agros circumquaque depopulatus est. Ericus qui suos quidem in armis habebat, dum in hostem præcipitantius fertur, minus feliciter pugnavit. Nam victus fugatusque, ab Anglis exinde Orientalibus interfectus est.

DCCCCXIII. Hæc ad annum circiter nongentesimum decimum tertium referuntur à Chronologis: Qua eadem tempestate, ut habet Stadensis, catervatim atque identidem a Danis, Slavis & Bohemis conturbatæ Saxonum ecclesiæ. Nec multo

DCCCCXVIII. post, anno nimirum nongentesimo decimo septimo Normanniæ Dux Rollo sive, ut inde appellatum supra monuimus, Robertus, mortem obijt: vir profecto belli laudibus clarissimus: quippe quo vix alius in hostili solo sibi ac posteris suis majore virtute principatum non modò paravit, sed ità præterea constituit, ut ceteris quibusque maximis regibus ac regnis par viribus fuerit. Imperio tū temporis Ro. post Ludovicum Conradus præfuit.

GORMO Anglicus REX LXI.

INDE Gormo, qui ob diutinam in Angliâ habitationem Anglicus dictus, ad regni clavum vocatus est, anno nongentesimo trigesimo primo, ut quidam tradunt. Stadensis

DCCCCXXI. ad annum DCCCCXXI retulisse videtur. qui & *Hardeviti* vel potius *Haraldi* filium facit: Adamo

Adamo Bremenſi cap. 46. & 47. eſt *Hardwich*. Quamvis hic alium præterea Gormonem Haraldumq; interſerit Saxo, quorum neque Bremenſe chronicon neque Francici uſpiam annales meminerunt. Hunc vero Gormonem trucem admodum ac religionis Chriſtianæ acerrimum fuiſſe perſecutorem, adeo ut *Vormo* ſive vermis crudeliſſimus vulgo ſit vocitatus, fere omnes conſentiunt. Templum quod in agro Sleſvicenſi à religioſis tum conditum habebatur, tanquam ſacrilegum aliquod impietatis domicilium ab imis fundamentis evertit, quo priſcum ibi delubris cultum reſtitueret. Anglici ſcriptores Gormondum fere vocant. Conceſſuſque illi, cum ibi ageret, ab Alfredo rege totus propemodum Huntingthoniæ tractus, qui & inde **Gormonceſter** appellitari eſt cæptus, atteſtante vetere verſiculo, quem citat clariſſimus Camdenus: *Gormonis à caſtri nomine, nomen habet.* De eodem recitat hæc I. Picus antiquus item ſcriptor: *Rex Danorum Guthrum (quem Gormondum vocant) cum triginta proceribus, & omni pene populo baptizatus, in filium ab Alvredo ſuſceptus, impoſito ei nomine Athelſtano. Hic igitur manſit, dataque ſunt illi provinciæ Orientalium Anglorum & Northanhumbrorum, ut eas ſub fidelitate regis foveret hæreditariò, quas pervaſerat latrocinio.* Ejus temporibus Henricus Auceps, qui poſt Lodovici, cujus ſupra meminimus, atque inde Conradi Auguſtorum obitum rebus imperij admotus, poſtquam magna virtute magnoq; ſucceſſu Henetos, Sorabos, Polonos, Sileſios, Bohemos, Luſatios reliquaſque gentes Slavicas, conſtitutis novis limitum præfecturis, ſubmoviſſet, nec tamen ſævire exinde deſinerent, iterum adverſus ipſos valido cum milite, quem bella ſuperiora erudierant, & in armis promptum fecerant, ad Merſburgum congreſſus ingentem eorum ſtragem edidit, ut reliquiæ conſiſtere nuſquam auderent. Eâque victoria potitus in Danos movit. Quippe Dani, ut ante injecimus, cum in Saxoniam excurſiones creberrime inſtituerent cladeque à Comite Ringelhemio eſſent affecti, ut ſeſe ulciſcerentur, non ſolum in Saxoniam eo tempore arma tranſtulerant, verum vicinam etiam Friſiam, imperij provinciam, prædando atque urendo infeſtam habebant. Quibus incommodis ut obviam iretur ac ſimul ut ſacra Chriſtiana longius inter gentes feras promoverentur, accurrit cum exercitu imperator profectuſque in dorſum uſque Cimbricæ Cherſoneſi, Danorum copias cęcidit, ac Sleſvicum, Hedeby tum dictum, validum ac florens oppidum, vi captum, præfecto tuendum dedit. Eumque marchionem ſeu limitis Comitem appellavit, conſtitutâ ſimul ibidem Saxonum coloniâ. Quin etiam regem ipſum Gormonem pietati Chriſtianæ, ut diximus, inimicum victricibus ijſdem armis ità conterruit, ut liberam religionis noſtræ profeſſionem deinceps intra regnum ſuum ſe admiſſurum pacemque æquam cum imperio culturum per legatos ultrò promitteret. Unno Hamburgenſium id temporis præſul hac uſus occaſione in Daniam Sueciamque enavigans magno ibi fervore, nec ſine fructu, Chriſtum deprædicavit, conſtitutis paſſim novellis eccleſijs. Et licet Gormonem ad ſaniora inflectere nequierit, filius tamen ejus Haraldus doctrinâ Chriſtianâ ſemet imbui libenter permiſit. Prodit Sigebertus Aucupem, defenſis contra injurias Friſijs, victos Danos ad tributa pendenda ac regem eorum *Chiupam* ad baptiſmum ac Chriſti profeſſionem coëgiſſe. Quod tamen, ſilente hîc etiam Saxone, nec veri ſimile eſſe, nec cum hiſtoriâ ejus temporis, quam Stadenſis alijque prodiderunt, conſentire videtur. Neque etiam regem ullum *Chiupam* antiquiſſimi Bremenſium annales, ſicuti nec tributum niſi ab Ungaris, Sorabis & Slavis tum Aucupi promiſſum agnoſcunt. quamvis interim pro *Chiupam* Gormonem aut Haraldum, de quo ſtatim dicemus, legendum apud Sigebertum haud ægre admiſerim. Necdum circa hæc tempora Dani, accerſitis identidem domo auxilijs, littora Francorum infeſta habere deſierant. Et duxerat quidem in illos Rodulphus, Rex Burgundionum, Comiteſque Flandriæ Arnulphus & Adulphus, qui ad Falcobergam, commiſſo prælio, victoriam quidem ab eis, ſed haud incruentam retulêre: Dum tandem, anno DCCCCXXVIII, ut notat accurate Mejerus, ijdem, Siſrido Duce, factâ in oram maritimam Morinorum impreſſione, Giſnas opidum ibi captum, Comite Arnulpho inconſulto, duplici foſsâ cingunt, ac mox, pace ſancitâ, idem ab Arnulpho cum totâ adjacente regione poſſidendum impetrant. Verum haud multò poſt, cum Eſtrudem Arnulphi filiam vi rapuiſſet Sifridus, bellum de novo exortum eſt. Arnulphuſque, contracto raptim milite, Sifridum petit. Qui, cum reſiſtendo non eſſet, nec haberet qui auxiliarentur, ad ultimam neceſſitatem confugit, ac manu ſibimet fortiter illatâ, iram ac minas inimici evaſit. Eſtrudis verò impleto utero peperit exinde Adulphum, qui, avo concedente, primus eſt factus Comes Giſnenſium, *(Comes Guineſiorum* eſt in Mercantio, qui & *Guineſam* oppidum non *Giſnas* vocat.) Hic Sifridus an idem ſit, quem

GORMO Rex. A. C.

DCCCCXXII.

DCCCCXXVIII.

HARALDUS Rex. A. C. DCCCCIX. quem supra Godefridi regis commilitonem ac socium diximus, quemque Frisij annales in Frisia occubuisse existimant, an verò ab illo diversus habendus, dispiciendum alijs. Anno hinc proximo, qui fuit Christi DCCCCIX, Saxoniam penitius ingressi Vandali, eam multis afflixêre cladibus, donec Imperator, missis in eos cum exercitu principe Lunneburgensi Bernardo & Comite Wethinensi ducibus suis, qui eorum ad centena & viginti millià cæciderint circa mare, quod Balthicum vocant. Conjugem sibi Gormo copulaverat Hadelradi Anglorum regis filiam Thyram, Christianâ pietate alijsque virtutibus multis insignem; atque inde etiam *Danebod* cognominatam. Ex eâ Canutum & Haraldum genuerat. Quorum Canutus adeò ei charus & curæ fuit, ut nunciato ejus apud Hibernos excessu, ipsemet protinus exspirarit. Alter filiorum Haraldus regni sceptrum unà cum patre tum, ut videtur, valetudine & ætate fesso, administrasse aliquandiu chronologis memoratur.

HARALDUS REX LXII.

DCCCCXXXI. DEFUNCTO Gormone regnum adeptus est annum circiter nongentesimum trigesimum primum filius Haraldus cognomento *Blaatand*, tenuitque annos circiter quinquaginta, excepto tempore quo imperitasse cum patre meminimus modò. Erat illi maternus avus Hadelradus sive, ut Saxo habet, Hetelredus, Polydoro Eduardus est, Angliæ Rex: Cujus filius Adelstanus, ubi intellexisset paterno testamento Haraldum regni hæredem designatum, armis sibi vindicare, quod patria denegarat voluntas, præoccupat. Haraldus traductâ tum in orientem classe, dum circumpositum lacessit oceanum, ejus rei nuncium seriùs accepit, & prius Norvegiæ Regis cum avunculo factam pactionem intelligit, quam parare in adversum arma potuerit. Domi interim pius atque æqui amantissimus, illud inter cetera primum ac præcipuum duxit, ut Gormoni regium in morem funerato mausolei præterea saxum superimponeret, quod hodieque characteribus Gothicis perscriptũ in ipso Iellingi cœmeterio visitur, memoriæ ac pietatis in parentem prẹclarum monumentum. Eadem fere tempestate Unno Hamburgensium antistes, quo, ut diximus, adminiculante, Haraldus licet à matre jam ante Christianis conciliatus, fidei doctrinam uberius didicerat, apud Suecos obijt. In Angliâ tum adhuc Dani Northumbriam tenebant. Sed Adelstanus capta occasione ex obitu Regis *Sithrici*, vel *Sigfridi* potius, Northumbriam sibi subijcit, spretis eius filijs Analepho & Godefrido. Quorum alter in Hiberniam, in Scotiam alter fugâ elapsus externa cæpit circumspicere auxilia. Godefridus apud Scotos nonnihil virium comparasse visus Dunelmum, quàm maxima vi potuit, circumsedit; sed repulsus est. Analaphus, sive ut alij scribunt, Avalassus cum regij generis esset à Danis, qui in Northumbriâ remanserant, ex Hibernia ad accipiendum regnum, mortuo jam Adelstano, vocatur. Edmundus verò, Adelstani frater, prospiciens quantâ belli moles instaret, Milcolumbum Cambria & Vestmatia donat, eâ lege, ut qui proxime in regnum Scotorum successurus esset, sacramentum Anglorum regi, ceu supremo eorum locorum domino, diceret. Atque inde varijs calamitatibus obtritos Danos facile superavit, licet ipse haud diu victoriæ superstes fuerit. Cuius in locum cum frater Eldredus rex esset creatus & adversus eum quoque Dani, qui Northumbriam tenebant, nec unquam bona fide cum Anglis pacem fecerant, rebellassent multaque munita loca, & in ijs Eboracum cepissent, tandem Eldredus acceptis Scotorum auxilijs, eos aliquatenus compescuit. Quæ dum ibi geruntur, apud Slesvicenses anno salutis humanæ nongentesimo
DCCCCXLVIII. quadragesimo octavo Marchionem, qui, ut ante monstratum, adversus Danorum incursus tuendo ibi limiti ab Aucupe Henrico erat constitutus, ex improviso cum legatis Othonis Augusti, qui Aucupi successerat, circumventum Dani trucidant, deletâ insuper ibidem loci Saxonum coloniâ. Otho ignominiæ impatiens exercitum in eos confestim duxit ingentique clade fusis Danis, totam Iutiam, Cimbricam olim chersonesum dictam, victor emensus ad usque Cimbrorum promontorium, quod ad boream postremum est, pervenit. Ibique in littore consistens ac septentrionem prospectans in mare lanceam conjecisse memoratur marique nomen dedisse, quod ex nomine ipsius hodieque **Ottesunt**/ut tradit Adamus Bremensis, appellatur. Distinebatur id temporis Haraldus Sturbiorni Suetici regis Biornonis filij querelis. Is enim è Suetiâ in Daniam unà cum sorore Gyritha *sive Guinilda* profugus Haraldi adversus Ericum opem implorabat, quod se paternâ regni hæreditate iniquè spoliaret. Nec deerat precibus locus, præsertim cum eidem sororis

HARALDUS Rex. A. C.

sororis suæ matrimonium liberalius offerret. Verum intellectâ Germanorum in oras suas irruptione Haraldus, sepositis rebus Sueticis, haud procul Slesvico, quà est angustissima peninsula, valido cum exercitu ac omnibus regni viribus adfuit, locisque idoneis præsidio occupatis aut exitu prohibere Germanos aut justam ad pugnam loco sibi commodo vel invitos lacessere constituit. Verum commisso acri prælio, superior fortuna fuit imperatoris. Saxo ab hisce non nihil dissentiens ait, sinu Lymico Vendalam aquis claudente progredi ulterius vetitum imperatorem: ac reditum ejus non victoriæ, sed fugæ fuisse simillimum, dum Haraldus hostium tergis insistens Eponem, extremi agminis ducem, unà cum socijs trucidat. Sed operæ est ipsa apponere verba Saxonis: *Haraldus,* inquit, *Theutonicæ* irruptionis, quæ à Cæsare Othone gerebatur, nuncium accipiens alienæ rei impetitionem quam propriæ defensionem prosecutus externæ pugnæ proposito domesticæ curam antepofuit, reflexoque è Sueciæ atque Hallandiæ finibus in Iutiam cursu, ad opem oppressis ferendam præcipiti celeritate contendit. Sed eo superveniente, Cæsar Iutiam, utpote regio ductu vacuam, nullo resistente, permensus cum Lymici sinus objectu tunc temporis aquis Wendalam claudentis, ulterius excurrere vetaretur, conjectâ in undas lanceâ, non solum iter ad Eidoram reflexit, verum & similimum fugę reditum habuit. Siquidem hastam ejus, cujus usum habebat, maritimos in fluctus relinquendi monumenti gratia jaculatus, suum freto vocabulum indidit. Verum ut impetu gravis, ita exitu vanus apparuit. Haraldus quippe ardentissimo cursu abscedentes hostium reliquias insecutus, Epponem extremi agminis ducem cum ijs quos reperit, trucidavit. Sed hoc utcunque se habet, illud certe constat, Haraldum, instituto cum imperatore colloquio, ac rebus, quod & ipse deinde Saxo fatetur, compositis, consortium catholicæ religionis amplexum divinam humanamque pacem regno suo conciliasse. Alij addunt cum omni familià conjugem ejus Gunildam ac filium Suenonem baptismo admotos idq; haud procul Slesvico, juxta rivum, qui inde sacer dictus. Vulgo enim **Helligebeke** appellant. Et filium quidem honoris ergo ex nomine imperatoris, qui eum ex lavacro susceperit, SUENOTHONEM esse nuncupatum, quamvis Saxo historię hujus quasi ignarus, referat in exilio, de quo mox dicam, apud Scotos & baptizatum eum & Christianam simul hausisse pietatem. De Haraldo quoque ipso non consentiunt scriptores, ab Unnone baptizatus multo ante sit, an eruditus quidem ab eo prius, verum animo fluctuans ad hoc usque tempus baptismum distulerit. Putatur & primus, qui Slesvici est institutus episcopus, ab Othonē eò missus. Nam cum verbi divini prçconem initio ibi constituisset, mox & episcopum miserit, quem acta ecclesiæ Slesvicensis Marcum nominant.

Othone in Germaniam regresso, Dani immensi operis vallo, curante præcipuè Haraldi matre Thyrà, quæ tunc adhuc superstes fuerit, supra Slesvicum & Gottorpiam inter utrumque Orientis & occidentis mare, octo aut novem circiter milliarium spacio, unà cum fossâ excitato, Germanos ab irruptionibus clandestinis Daniæque limitibus seclusos arcuerunt. Erant in hoc aggere extructæ turres, vel speculę potius, per intervalla ità dispositæ, ut ex ijs eminus adventantem hostem facile esset animadvertere atque aditu prohibere. Hodie **Dannewirckam** appellant. Similis monumenti annales quoque Francici mentionem injiciunt sub Caroli Magni tempora à Rege Godefredo ibidem constituti: Cujus & supra suo loco meminimus. adeò ut vero haud sit absimile non quidem à fundamentis hoc fortasse tempore eductum, sed opus olim cæptum, nunc aut reparatum aut communitum luculentius. Postea quoque regem Valdemarum, adjuvante Danorum antistite Absalone, quò esset terrestris molis solidior structura cocti lateris murum superjecisse testimonio sunt annales domestici. Otthone deinde è Germaniâ in Italiam profecto, cum multis esset criminibus coram ipso accusatus Papa Iohannes XIII, consentientibus Prælatis, pontificatu est abdicatus inque locum ejus suffectus ab Othone Leo octavus. Quo vicissim, adjuvante nobilitate Romanâ, urbe excluso, Iohannem populus recepit. Sed eodem in adulterio mox deprehenso ac pugione, ut habet Ticinensis, à marito adulteræ perfosso, Benedictus quintus ab amicis Iohannis, neglecto Leone, pontifex creatus est. Sed Otho eam injuriam Leoni, à se constituto haud quaquam impingi passus, admoto urbi exercitu, cives Romanos adegit ut restituto in sedem Papalem Leone, Benedictum sibi traderent. Quo facto, in Germaniam reversus Otho Benedictum, Papali dignitate privatum, cancellario suo Adeldago, tum Hamburgensium Archiepiscopo in exilium Hamburgum transmisit. Ubi anno Christi DCCCCLXIV ex animi, ut volunt, mærore defunctus in Ecclesia cathedrali ibidem sepultus jacet. DCCCCLXIV.

Hinc

Haraldus Rex. Hinc è vivis sublato apud Norvagos Haraldo, filius ejus Haquinus Adelstenus patriam
debitâ Danis pensione exuere cupiens speransque Germanicis cum Cæsare bellis penitius implicatum Haraldum Danum, palam detractare obsequium hac captâ occasione,
haud destitit. Sed Haraldus, Othone pacato, nec diu cunctatus Norvagos ad pristinæ
reverentiæ cultum compulit, missâ adversus eos Iulinæ piraticæ manu, Boo & Sivaldo
ducibus, quibus contemptus sui ultionem mandavit. Soror præterea ejus Gunilda, Erici
Blodoxe Norvagiæ regis vidua, cum filio Haraldo in Daniam ad fratrem Haraldum profecta eousque adversus Adelstenum fraternis adjuta auxilijs bellum lacessijt, donec tandem, interempto Adelsteno, regnum paternum filius reciperet. Atque inde dum Christi
religionem per Daniam ac Norvagiam magno studio promovere curæ Haraldus habet,
acceptis ab Adeldago, Hamburgensi præsule, episcopis, qui, præter Ripensem, Slesvicensem & Arhusiensem ecclesias, (quas ab Othone Imp. institutas ac totam ab eodem Iutiam in tres episcopatus, Slesvicensem, Ripensem & Arhusiensem divisam Bremensis
ait) etiam insulanos proximos ac Scandam sibi commendatam haberent, proceres plerique & plebs pristinis adhuc superstitionibus fascinati ac novis sacris minus æqui, non solum suis domi, sed patriâ quoque relictâ vicinis regionibus, ubicunque dabatur, molesti ac
more suorum majorum infesti incubuêre: Adeo ut ne Normannos quidem in Galliæ
littoribus ceterosque in proximo populares intactos reliquerint. Frisia etiam, quæ ejusmodi injurijs ob vicinitatem maxime erat oportuna, omne malorum genus tum denuò
experta. Nec omissa quoque ipsis Hispania. Nam Galleciæ littoribus, quæ Portugalliæ
vicina sunt, cum jam olim assuevissent, comparata instructaque circa annum nongentesi-
CMLXVIII. mum sexagesimum octavum, numerosa classe universam eam oram, duce Gundredo, armis infestam habuêre. Vici, castella, oppida ferro atque igne vastata, multi mortales
cum alia omnis generis præda abacti. Cumque biennium circiter omnia sibi subjecta tenuissent, destructa insuper, quæ Flavij olim Brigantij fuit, coloniâ (Compostellam vulgo
vocant) interemptoque, qui se irrumpentibus objecerat, Sisinando episcopo, tandem partem eorum Consalvus Sanctius circa mare improvidam ac præda gravem adortus profli-
CMLXXIII. gavit. Obijt post hæc Otho Imperator annum circiter nongentesimum septuagesimum
tertium, atq; inde commodum surrogato in loco ejus filio Othone, ejus nominis secundo,
CMLXXIV. circa annum Christi CMLXXIV. Haraldus in Saxoniam, facta excursione, eam vastasse, abactis hinc inde ingentibus prædis, memoratur. Pace deinde cum novo Imperatore constituta, Gliscere in eum indies populi invidia cæpit, cum ob religionem Christi assumptam, tum bella assidua aliaque onera, quibus in excitando Thyræ monumento impensius
plebem fatigabat. Induci itaque se Sueno filius permisit, ut ejuratâ, quam suis sciebat esse
exosam, Christianâ religione, arma adversus patrem capesseret. Sumptis armis, ejectus
est regno pater, religio profligata ac denique victimarij templis, aris libamenta restituta.
Regno extorris pater apud Vandalos Iulini, quod Danicis tum erat præsidijs refertũ, exilio suo receptum invenit. Ibique mixtis Danorum Slavorumque copijs bellum adversus
Suenonem filium reparat. Sed ille semel iterumque victum patrem, ac demum apud
Hellegenesi promontorium, dum factis inducijs incautius in proximum littus evagatur,
à Tokone quodam miro jaculandi artificio præ ceteris prædito, sagitta vulneratum mo-
CMLXXX. ri in exilio apud Iulinenses adegit anno CMLXXX. Ita fere authores domestici; Francorum
alijque annales aliter referunt. Volunt enim ejectum regno Haraldum primò omnium
in Normanniam ad ducem Gulielmum filium Rollonis venisse, benigneque ab eodem
susceptum ac donatum, qui est ibi inter littoreas regiones, Comitatu Constantiensi; indeque collectis copijs in patriam regressum ac filio fuisse reconciliatum, sed postmodum
ab eodem iteratò repulsum Iulinum tandem concessisse atque ibi mortuum. Sed verba
Gemmeticensis antiqui auctoris, qui eam historiam accurate, & additis rerum occasionibus, prosecutus est, plenius subjiciemus. Nam postquam lib. 3. cap. 8. historiæ Normannicæ, de filio Gulielmi Ducis Richardo, & præstito eidem à Normannis & Britoni-
,, bus fidei sacramento verba fecisset, addidit statim: Quem Richardum confestim pater
,, (Gulielmus) Baiocas mittens, Bothoni, militiæ suæ principi, nutriendum tradidit; ut ibi
,, Lingua eruditus Danica suis exterisque hominibus sciret apertè dare responsa. atque
inde continuo de ipso Haraldo è Dania in Normanniam profugo, & quæ dum ibi hæret
,, secuta sunt, loquens, Interea, inquit, tanti principis (Gulielmi) fortitudinem ac pietatem
,, famâ divulgante, Haroldus Danorum Rex à filio suo Suenone regno pulsus, cum LX
,, navibus armato milite plenis, in Normanniam venit ac supplex Gulielmum Ducem adijt.
quem

quem ille, ut potens ac liberalis princeps, magno cum honore recipiens, eidem CONSTANTIENSEM COMITATUM ad præsidiū concessit, donec fabricatis navibus exercitum multiplicaret & amissum cum validiore militū manu repeteret regnum. Ea tempestate Arnulphus Flandrēsis Comes, homo versutus intra sui juris terminos, cupiditate illectus, se cohibere haud valens, plurimos in vicino positos fastu dominandi studuit conturbare. Unde inter ceteras suæ nequitiæ machinationes, cuidā comiti nomine HERLUINO gravissimum inferens detrimentum, castrum, quod MONASTERIOLUM vocatur, fraude abstulit. Qui ab Hugone Magno, domino suo, defectus ad Normannos confugit. Cujus calamitati princeps animo benevolente condolens, idem castrum, ejecto per vim Flandro, Herluino reddit. Arnulphus verò de ablato municipio mæstus, ac dolos agitans, mandat per legatos Gulielmo duci se *amicitiam cum eo velle ac pacem indelebilem firmare, & simul Herluino comiti infensa remittere.* Deniq; toto animo rogat, *ut locum indicare satagat, quo ei occurrere ad mutuum colloquium possit.* His acceptis, cupiens quoque Dux suum Ducatum reddere pacatum, eò quod ad monasticam vitam anhelaret; nominato loco apud PINCHINIACUM cum innumerâ manu lectissimorum militum super SOMNAE fluento tanti negotij ergo proficiscitur. Ubi & ARNULPHI ex unâ parte fluminis, Wilhelmi vero ex altera è regione consedit exercitus. Erat quippe insula in medio alvei, in quâ libatis osculis uterque ducum convenit. Arnulpho etenim proditoris Iudæ morem imitato, nænijs & ambagibus diutius telam araneæ texente, novissime post jurata amicitiarū sacramenta, & plurima pacis atq; honoris officia, Sole occasum spectante, ab invicem dirimuntur. Sed ecce, remeante per flumen Wilhelmo, HENRICUS necnon BALSO, RÓBERTUS quoque atque RIULPHUS, quatuor Satanæ filij, clamoribus illum revocantes referunt; *dominum suum præcipuum quiddam omisisse.* Quem navim ad ripam retorquentem, mox ut terram tetigit, extractis pugionibus trucidant innocentem. Corpus deinde cum luctu illatum Rothomago, ac statim funeri obviam procedens clerus, & populus utriusque sexus ad portam urbis, cum mæstis singultibus intulerunt illud in ecclesiam sanctæ Mariæ. Atque inde mittentes ad Bajocassinam urbem, puerum RICHARDUM adsciscunt ad patris tumulationem. Ibique iteratò renovantes fidei sacramentum, tradiderunt eum sub tutela BERNARDI DANI, ut sub ejus tam providâ quam fideli curâ tutius custodiretur intra muros civitatis. Audientes deinde Francorum optimates tam nefariam Flandrensis Arnulphi proditionem & lugubrem Gulielmi ducis necem, plurimi ejus vicem doluerunt. Alij & inter cæteros LODOVICUS Francorum Rex æstimans sibi magni honoris januam hac occasione patefactam, & immemor beneficiorum fideique à Duce sibi impensæ; quasi consulturus Normannos super illius morte accelerato itinere Rothomagum venit. Quem Rodulphus & BERNARDUS atque ANSLECHUS totius Normannici Ducatus tutores, cum regali honore, uti decebat, suscipientes, eius se submisêre famulatui. Videns autem Rex cœli solique totius commoditatem tum & cupiditate irretitus fraudulētis promissis inescare eos aggreditur. Siquidem RICHARDUM puerū ad se accersiri jussit, & eum, cum egregiâ formâ decoratum cerneret, cū coœtaneis in suo palatio decrevit educandum. Interea ingratus rumor totam urbem concussit, Richardum suæ spei depositū à rege captivum teneri. Quocirca cives mixti militaribus globis per urbem gladijs strictis discurrentes, curiam regiam irrumpunt, illum omni conatu trucidare festinantes. Quorum tumultū ut comperit, vehementer territus, consilio Bernardi Dani *puerum in ulnis arripuit, eumque furentium conspectui exhibuit, & sic efferos eorum motus compressit.* Volens ergo Rex tumultuantes Normannorū animos penitus sedare, consilio suorum usus Richardo puero paternā hæreditatem, pacta sibi inde fidelitate, concessit. Quem in suâ fide suscipiens, spospōdit se eis, licet subdole, eum redditurum, palatinis disciplinis ac moribus decenter institutum. His ita peractis, Rex dedecus, quod à Normannis acceperat, sub occulto pectoris ægre comprimens, cum Richardo puero, quasi patris eius mortem de ARNULPHO Flandrensi hostiliter ulturus, Franciam repetit. Arnulphus itaque metuens, ne Rex Ludovicus cum manu armata in se irrueret; & à crimine proditoris factum suum expiare cupiens, missis legatis cum decem auri libris à GULIELMI nece se coram Rege fatetur esse immunē. Peremptores verò illius, si iubeat, procul à patriâ se exterminaturum pollicetur: Attamen reminisci debere contumeliæ & opprobriorum, quæ tam longo tempore à Normannis ipse & pater eius perpessi fuissent. Et ne diuturnâ ægrimoniâ langueret, optimum fore consilium, ut Richardum puerum, adustis poplitibus, gravi custodia arctaret & GENTEM NORMANNICAM gravissimis vectigalibus tam diu affligeret, quoadusq; DANAMARCHAM, ex qua erupêre, coacta repeteret. Rex igitur muneribus, versutiisq; proditoris

HARALDUS Rex.

A. C.

M decipulis

OTHO II. IMP.

HARALDUS, Rex. A. C.

decipulis cæcatus, ipſum ſupplicio dignum à ſcelere abſolvit, & iram in puerum innocentem reflexit. Unde cum apud LAUDUNUM CLAVATUM moraretur, puerum ab aucupio redeuntem acerbiſſimis confutatum convicijs, meretricis filiū vocavit, & ne elaberetur, mutatis cuſtodibus, quàm diligentiſſime ſervari præcepit. OSMUNDUS autem procurator ejus audiens ſeveriſſimam regis ſententiam, & intelligens futuros rei caſus, animo conſternatus Normannis legatum mittit, indicans dominum ſuum Richardum regio juſſu incarceratum teneri. Quibus compertis, confeſtim per totam Normanniam indicto triduano jejunio eccleſia pro eo ſuis apud Deum precibus intercedit. Oſmundus autem inito cum YVONE patre Wilhelmi de BELISMO, puerum hortabatur, ut ſimulatâ corporis ægritudine lecto decumberet. Puerq; monitis obſequens extremam valetudinem mentiebatur. Quod videntes cuſtodes negligentius officium ſuum facere, ac rebus proprijs intenti huc illuc diſcurrere inſtituunt. Eâq; occaſione Oſmundus accepti forte fortuna fœni faſciculo puerum in eo collectum humeris ſuis imponit, velut pabulū equo laturus, ac mox cœnante rege mœnia urbis transgreditur fugienſq; quantocius CODICIACUM appellit. Ibiq; commendato caſtellanis puero ipſe SILVANECTIS Bernardum Comitem adijt atq; ei rem totam aperiens eum ſolito lætiorem fecit habitoq; cum HUGONE MAGNO conſilio contractiſq; raptim copijs puerum ad urbem Silvanectenſem gaudentes deducunt. Mox Lodovicus ſollicitato Bernardo Silvanectenſe deq; reſtitutione Richardi diffidens miſit ad ARNULPHUM Flandrenſem ut ſibi feſtinus occurreret ad vicū, quod dicitur RESTIBULUS. Ubi dum uterq; diverſe diſceptaret ſuper rei hujus caſu, noviſſime ſubintulit Arnulphus: Novimus, inquit, Hugonem Magnum cum Normannis diu ſentire, & ideo expedit muneribus illum ineſcare. Concedo ergo ei à Sequana uſq; ad mare Normanniæ Ducatum, tibi reſervato Rothomago. Quibus perſuaſus Rex continuo per legatum ſuum, convocato ad colloquium Hugone, ei ſententiam ſuam de Comitatuum diſtributione aperit. Qui confeſtim, majus ſcilicet ducens honore ampliari, quam fidem Richardo inconvulſam ſervare, regi annuit. Ac ſtatim jurata adverſū Normannos expeditione & ab utraq; parte congregato milite, Rex CALCINA, Hugo BAIOCASSINA, cœperunt rapinis & incendijs divaſtare. Quæ cum Bernardus Danus didiciſſet, Bernardi Silvanectenſis adhibito conſilio, extemplo legatos ad regem Lodovicū cum hujuſmodi mandatis dirigit: Quare, inquiunt, potentiſſime Rex, tuam demoliris patriam, præſertim cum ſit tibi nullo obſiſtente pacifica & quieta? Deſiſte igitur à tuorum rapinis, & utere ac fruere Normannorum militum militiâ urbeq; Rothomago, quæ tuā eſt. Hac legatione opido exhilaratus Rex prohibitiſq; à prædâ militibus, ad urbē feſtinato digreſſus eſt. Quo cum veniſſet, eſſetq; à clero ac civibus gratanter exceptus, indeq; ad regias dapes deductus, cœpit epulari ſplendide, Bernardo Dano miniſtrante. Hinc, durante adhuc prandio, ac rege jam vino ac lætitiâ incaleſcente, ſic eum affari Bernardus cœpit: Hodie, ſereniſſime Rex, lætiſſimus illuxit nobis dies, quo cœpimus eſſe regales. hactenus militavimus Duci, ulterius ſerviemus invictiſſimo regi. Teneat ſibi Bernardus Silvanectenſis Richardum ſuum nepotem: nos utinā tempore longo habeamus te dominum & regem! Revera exitiale tibi conſilium dedit, qui totius Normannici exercitus robur amittere ſuaſit. Quē verò inimicorū non terruiſſes illorū adjutus virtute & armis? Sunt enim, ut nos, tuo obſequio dediti. Quare ergo 20 millib. bellatorum in nos armaſti Hugonem inimicū tuum? Nonne tibi ſemper ipſe infenſus extitit, & contra te aſſidue rixatur? His & hujuſmodi Rex placatus verbis, cum feſtinatione Hugoni legatos mittit, qui eum, quamvis indignantem exire è Normanniâ jubent. Rex deinde aliquandiu Rothomagi moratus, præfectoque Comitatui iſti RODULPHO cognomento TORTA, ipſe Laudunum regreſſus eſt. Metuens interea Bernardus Danus, ne in reditu Lodovicus Rex & Hugo Magnus caput conferentes, ad opprimendos Normannos conſilia ſua verterent, clam HARALDO Danorum Regi (HAIGROLDO eſt in Gemmeticenſi) tum adhuc apud CHIERISBURCH agenti, legatos mittit, mandans, ut ſociatis ſibi Conſtantienſibus atq; Bajocaſſinis militibus, expeditione terreſtri, ipſe cum hoſticâ claſſe direptionibus Normanniam à parte maris concuteret: quatenus hujus rei gratiâ Ludovico Rege ad colloquiū contra ſe veniente, ſatageret amici ſui GULIELMI ſanguinē de hoſtibus vindicare. Cujus monitis rex Haraldus celerrime favēs, propulſis ad mare navibus, ſubductiſq; in altū velis, circio flante, CORBONIS ſalinæ littora appulit, qua rapido meatu ſe proceloſo mari DIVA infundit. Enimvero fama ſolito more volans Francorū aures illico perculit, paganos maritima loca occupaſſe cū naviū multitudine gravi. Bernardus etiā Danus & Rodulphus Torta, Regi Ludovico, miſſo ad eū legato, quid ageretur ſignificarunt. Qui

validum

validum congregans exercitum, quantocius venit Rothomagum. Hinc Haraldo Danorum regi mandat, ut apud Vadum, qui HERLVINI vocatur, sibi occurrat, insinuaturus scire cupienti, cur infestet terminos regni sui. Quæ res regi Haraldo vehementer complacuit, utpote qui decrevisset mortem Ducis toto annisu ulcisci. Ibi igitur cum regum uterque die præfinito adesset, & de Gulielmi Ducis injusta nece diutius inter se disceptarent, quidam Danus HERLVINUM Monasterioli castri Comitem, pro quo idem Dux occubuerat, inter alios prospiciens, zelo amici succensus, confestim illum lancea perfodit, mortuumque sub momento sternit. Cujus mortem LAMBERTUS frater ejus, ceterique Franci, graviter ferentes, concitatis animis ad dimicandum super Danos repentino impetu proruunt. Quos illi viriliter excipientes, sæviente Marte, satrapas decem & octo cum innumeris alijs obtruncatos letho tradunt. Alij occulere se festinantes, per diversa latibula hac illacque nutabundi vitæ suæ consulere satagebant. Rex quoque ipse Lodovicus pernicis equi cursu à Regis Haraldi insecutione liberatus, in manus cujusdam militis incidit. Cui cum multa promitteret, ne ejus proditione hosti traderetur, tandem miles victus Regis lachrimis in quandam Sequanæ insulam clanculum eum abduxit. Quod ut agnovit ex relatoribus Bernardus Danus, direxit extemplo, qui militem in vincula conjiceret. Ille necessitate coactus regem in insulâ teneri confessus est. Unde mox Bernardi jussu Rothomagum deductus sub arctâ custodiâ ibidem retentus fuit. Gerberga regina maritum suum à Normannis esse captum intelligens, petit ab Imperatore HENRICO, patre suo, & (quod Dudo addit) fratre OTHONE contra Normannos auxilia. At ille juste hoc illi accidisse respondit, quod fidem Gulielmo datam, filium ejus capiendo, fregisset. Inde regina traditis proprio filio ac duobus episcopis, Beluacensi & Suessionensi, obsidum loco, regem Lodovicum in regnum recepit. Post hæc Normanni mittentes ad Silvanectensem Bernardum, revocaverunt magno cum exercitu Richardum seniorem suum. Et mox, ascitâ militari manu, Francorum Rex venit ad fluvium Eptæ cum præsulibus Magnoque Hugone, Normannis occurrentibus in altera parte fluminis cum puero Richardo. Discurrentibus autem ab utraq; parte internuncijs, pax inter eos stabilita fœderibus firmis, juratisq; sacramentis obsides redditi, mortuo filio Regis apud Rothomagum. His autem rite expletis, Rex Ludovicus regreditur Laudunum, & puer Richardus Rothomagum. Haraldus verò Rex, haud multò post in regnum suum Danamarchæ procinctum movit; atq; ibi cum filio suo Suenone reconciliatus est. Inde, imperium Romanum moderante post Henricum Aucupem Othone, & mortuo jam Francorum rege Ludovico, successerat patri Lotharius filius, qui adscitis sibi Richardi Ducis inimicis ac hostibus, Balduino Flandrensium Comite, Gaufredo Andegavensi & Thebaldo Carnotensi, nova Normanniæ arma intulit: Captaq;, præter ceteras, urbe Ebroicâ, eam Thebaldo possidendam tradidit, dum interea Richardus ex adverso Carnotensem & Dunensem Comitatus igne ferroq; divastat. At videns idem Richardus Dux (sunt porrò verba Gemmeticensis) tantarum fraudium molimina Comitesq, Francorũ unanimiter adversus se sævire, HARALDO Danorum regi legatos dirigit, & mandat ut ocius illi succurrat, & paganorum multitudine Francorum rabiem solotenus comprimat. Cujus legatos Rex non modò gaudenter recepit, verum etiam maximis muneribus ditatos Duci remisit, seq; missurum celerrime illi auxilia spopondit. Quid plura? jussu regio naves ad mare propelluntur. Ad tantæ expeditionis negotium paganica juventus præparatur, clypeis & loricis ac galeis omnique armorum apparatu innumerabilis exercitus munitur. Inde statuto die elevantur vexilla, ventis salubriter spirantibus librant vela, celeriq; navium cursu permenso mari ad Sequanica devolvuntur ora. Quorum adventu dux cognito, vehementer gavisus, illis obviam processit, atq;, eo præeunte, sulcantes remigio alveũ Sequanæ, & ad fossam usq; Givoldi provecti, fixis ibi anchoris, de subversione consulunt Franciæ. Et ecce, repentino tumultu è navibus proruunt, totamq; in circuitu regionẽ exitialiter comburunt. Dehinc viri cum mulieribus concatenati distrahuntur, vici diripiuntur, desolantur urbes, subvertuntur castella & terra in solitudinem redigitur. Fit luctus omnium in commune, nullo cane per Comitatum Thedbaldi latrante. Ubi vero illa deficiunt, regalia territoria continuo invadunt. adeo ut necessitate tandem compulsi Rex Lotharius & Thedbaldus Comes cuncta, quæ Duci Richardo eripuissent, sarta tecta restituerint. Hactenus fere Gemmeticensis. ex quibus liquere satis potest temporis, quo primũ è Dania in Galliæ seu Normanniæ littus appulerit Haraldus, æra incidisse sub extremos fere Gulielmi Ducis annos, qui excessit anno à nato Christo 943. Quod autem refertur deinde, ubi de Richardo Gulielmi

HARALDUS Rex.

Ac C.

HARALDUS Rex. A. G

filio agit, Gerbergam Galliarum reginam, capto Ludovico, auxilium patris Henrici Imperatoris ac fratris Othonis adversus Normannos & Richardum implorasse, id verius de Othone tantum fratre accipiendum, cum Henricus quinquennio fere ante Gulielmum Normannum obierit, anno nimirum, quomodo omnes tradunt, CMXXXVIII. Quando verò in Daniam Haraldus redierit, & cum eo filius Sueno sit reconciliatus, referendum videtur ad primos imperij Othonis annos. Nã, ut supra meminimus, anno CMXLVIII, cum eo in intimâ Cimbriæ suæ Chersoneso præsens conflixit: Imperator verò fato suo functus anno CMLXXII. Adeò ut Haraldus ab exilio Normannico regressus, domi egisse permultos annos pacatè videatur, præsertim cum obitus ejus ad annum demum CMLXXX. referatur. Suenonem verò, quem anno illo CMXLVIII, cum Cimbriam intrasset Otho, baptismatis aquâ tinctum chronologi omnes tradunt, non quidem recenter tum natum, si Gemmeticensem sequimur, sed ætate grandiorem fuisse vero est simile: utpote qui patrem jam ante regno pepulerit: Ideoque nec Gyrithæ Sueticæ, quæ, ut Saxo habet, tum demum Haraldo in matrimonium à Storbiorno fratre fuit oblata, cum Cimbriam Otho irrupisset, sed Gunildæ (cujus Helmoldus & Adamus Bremensis nec non Abbas Stadensis ad annum CMXLVIII meminere, quam & simul baptisatam tum ajunt) filium fuisse certius putem. Helmoldus, uti nec Adamus Bremensis Saxoq; noster & eũ proxime secutus Stadensis Abbas, hujus Normannici exilij, aut rerum ibi ab Haraldo gestarum, ullam mentionem injiciunt. Helmoldus quin etiam Suenonem, cum ab Othone Cæsare, unà cum Haraldo & Gunildâ parentibus, è lavacro baptismatis susciperetur, *parvulum* vocat, quod quomodo potest, si, ante imperium aut irruptionem in Iutiam Othonis, patrem patriâ pepulerit, quemadmodum jam innuimus & ex Gemmeticense ostensum est. Illud præterea in verbis Gemmeticensis notandũ existimo, unum fuisse eundemq; populum Galliæ Normannos & Danos eos, qui, occupatâ quondam Britanniâ, Anglicum nomen ex suâ gente constituerint: Et ideo haud frustra decrevisse Gulielmũ, ut filius Richardus apud Bothonem, militiæ suæ principem, educatus linguam suæ gentis, Danicam nimirum, recoleret. Quod & Dudo de S. Quintino, qui eo ævo claruit, ac res Normannicas adusq; Richardum hunc primum, Rollonis nepotem, pertexuit, luculentius aperit, ubi refert quid eâ de re, veluti ultimis ceris, pater Gulielmus statuerit, hæc adducens digna quæ adscribantur: *Quoniam Rothomagensis civitas Romano potius quã Danico utitur eloquio, & Bajocensis frequentius Danicâ linguâ, quã Romanâ, volo ut ad Bajocensia mœnia Richardus deferatur, & ibi ut sit sub custodia Bothonis, atq; erudiatur ac educetur cum magnâ diligentiâ, fervens loquelâ Danicâ.* Hic Dudo, qui nuper Lutetiæ Parisiorum typis primum descriptus est, is est quem etiam Saxo noster, initio historiæ suæ nominat, rerũ Aquitanicarum scriptorem vocans. Cur autẽ ità vocet, cũ res Normannorum literis tradiderit, nondum satis expedio, nisi Aquitanos & Aremoricos unos eosdemq; intellexerit, utpote aquis & oceano adhabitantes, quod placuisse in Naturali historiæ etiam ante ipsum Plinio comperior. Extincto igitur Iulini inter paganos Haraldo, corpus Roschildiam translatum in sacrario, quod ab ipso jam ante conditum fuerat, solemnem sepulturę locum recepit. Epicedium ejus, quod ibi hodieq; exstat, licet id, prout tum erat seculum, incultius minusq; amœnum aut elegans sit, annum interim, quo vitâ excessit, multo; quam æræ chronologorum, certius annotatum subindicat. Ità enim habent postremi duo versiculi:

Post natale Dei, dum scripsimus octoginta
Nongentos, meruit scandere celsa Poli.

CMLXXX.

Notat Stadensis, rebus ipsum adhuc integris non Daniæ modò, sed Transalbianis quoq; & Frisijs civilia statuta & leges tulisse; quas & ipsi, à tanto præsertim rege profectas, haud illibenter amplexi ut sacras exinde atq; immotas tenuerint. Præter Suenonem filium habuit Haquinum insuper; qui fratrem virtutum fulgore supergressus, longo post se intervallo reliquit, rebus præsertim ejus ductu atq; auspicijs apud Sembos præclare gestis. Quorum tandem connubijs innexus patriæque, ut loquitur Saxo, barbariem præterens, ibi fato functus est.

SUENOTHO REX LXII.

CMLXXXI.

HARALDO succedens Sueno (Suenotho vulgo & aliàs quoq; à barbâ furcatâ vernaculè tiufkeg nominatus) etiãsi, ut dictũ, Christo per baptisma nomẽ dedisset, Iulini tamẽ apud Van-

Vandalos inter paganos ac Martium populum à teneris educatus, ferum & Christo inimicum animum retinuit. Iamque sine æmulo regnans, quod promiscuæ multitudini haud ingratum fore prævidebat, in omne nomen Christianum crudeliter invectus est. Unde & populares suos, qui vicina Francici imperij Angliæq; littora atq; oras prædationibus infestabant, non solum non inhibuit, verum vires etiam atq; animum addidit. Ipsos quin etiam educatores suos Iulinenses, tum adhuc, qualis & ipse erat, idolorum cultui deditos, non ob religionem, sed aliam facto causam prætexens, quod nimirum Haraldum patrem hostem regni judicatum, contra fœdus contraque patrios deos auxilijs juvissent, navali prælio aggreditur. Sed ipsi haud segnes in adversum festinantes bellum animosè excipiunt. Nec obiter aut tralatitie pugnatum. Sed semel iterumq; ac tertiò in mari cum ijs confligens singulis quoq; vicibus infeliciter pugnando captus, non nisi arbitrio victorum multo auro è vinculis liberari regnoq; restitui potuit. Alterâ vice victus, datis obsidibus, cum ex fisci thesauris solvendo non esset, indigenæ, qui filios pro salute ejus, proprio spiritu chariores, prædes dederant, viritim ex suis opibus, ære collato, captivos redimere coacti sunt: Ac tertiò in idem infortunium dilapsus, agris ac regni latifundijs passim distractis, patriam fere suis venalem effecerat, ut cathenis solveretur. Regno restitutus cum superasse tot mala videbatur, major ab aquilone tempestas incubuit. Nam Ericus Sueciæ Rex, memor sive irarum auxilijque, quod Sturbiorno adversus Sueones Haraldus jam pridem destinaverat, sive fractas Suenonis res videns, arma in eum corripuit, ac Daniâ omni expellens toto septennio regnum tenuit. Obierat jam ante annum circiter nongentesimum octuagesimum tertium Otho secundus, cum ei continua serie est surrogatus ejus nominis tertius Otho; vivente adhuc apud Bremenses archiepiscopo Adeldago, à quo, ut supra est commemoratum, episcopos ecclesijs Danicis acceperat Rex Haraldus. Et nunc, eodem apud Othonem tertium adminiculante, eædem ecclesiæ, in quibus, præter Ripensem, Slesvicensem & Arhusiensem, etiam Othoniensis sive, ut est in codicillis Cęsareis, Othenesvigensis nominatur, singularibus privilegijs atq; immunitatibus ab Othone donatæ anno CMLXXXVII, ut habent ejusdem literæ, quas ob antiquitatis ac rei memoriam, qua conceptę sunt ævi ejus phrasi ac formulâ, proximè subjiciendas putavi: In nomine S. & individuæ Trinitatis Otho Dei clementia Rex, omnium fidelium nostrorum, tam pręsentium quam futurorum prędevotione, pateat quomodo nos ob petitionem & interventum dilecti nostri Adeldagi, Bremensis Ecclesiæ venerabilis Archiepiscopi, ac pro statu & incolumitate regni nostri, quidquid proprietatis in regno Danorum ad Ecclesias in honorem Dei constructas, videlicet, Slesvicensem, Ripensem, Arhusiensem, Othenesvigensem, vel adhuc pertinere videtur, vel in futurum acquiratur, ab omni censu vel servitio nostri juris absolvimus, ut & Episcopis præscriptarum Ecclesiarum absque ulla comitis vel alicujus fisci nostri exactoris infestatione serviant ac succumbant, volumus & firmiter jubemus. Insuper concedimus prædictarum Ecclesiarum episcopis ut potestatem habeant emendi agros, possessiones & prædia in omnibus regni nostri partibus, ubicunq; velint, aut possint, servos verò & colonos in eorum proprietatibus habitantes, nulli nisi Episcopis servituros, ab omni etiam nostri juris servitio absolvimus, & sub nullius banno & disciplinâ illos, nisi sub illarum Ecclesiarum advocatis esse volumus. Ad hæc etiam omnes fideles nostri dignoscant, quod nos Folgeberti nuncij Ecclesiæ, Episcopi rogatu, omnes etiam inquilinos, sive qualicunq; paratu euntibus in nostri regni finibus Telonium prorsus perdonavimus. Et ut hoc nostræ auctoritatis præceptum firmum atq; inconvulsum permaneat, hanc chartam conscribi, annuliq; nostri impressione signari jussimus, quam & manu propriâ subtus firmavimus. Datæ XV. Kal. April. anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXXXVII. Indictione decima, anno autem tertij Othonis regnantis V. Actum Wildelhusen, in Dei nomine feliciter. Amen.

SUENOTHO Rex.

CMLXXXIII.

CMLXXXVII.

Quo eodem fere tempore, anno nimirum Christi CMLXXXVIII, mirabilis exorta prædonum manus, qui vulgo Æscomanni vocabantur, quod scilicet de annonâ & commeatu ampliore sibi non prospicerent, quàm peris aut pixide, Danis hodieq; *Escke* dictâ, circumferre poterant. Hi intermissam aliquandiu, contemptâ tum quoq; Othonis III pueritiâ, magno ausu maximisq; in classē comparatis subsidijs, instaurare piraticā cæperunt. Et licet Christi jam nomen professi Dani Norvegiq; ac Sueones essent, erant nihilominus plurimi adhuc singulis in regnis cum dubij tum veteri superstitioni penitius inhærentes. Horū itaq; impetum perpessa primò Saxonia atq; inde Hathelariæ ac Frisiorum littora. Saxones ubi intellexissent, Albi penetrato, Stadā usq; ac cetera circumquaq; vicina populationibus ac CMLXXXVIII.

SUENOTHO Rex. A. C.

flammis vastari, collecto quidem aliquanto milite obviam occurrerunt, sed impares numero omnes pæne cæsi aut capti aut in fugam compulsi terga turpiter dederunt. Inter captivos Sigafridus Marchio fuit, itemq; Thiadricus Comes, alijq; illustres viri. Marchio cum forte fortuna ope atq; industria cujusdã piscatoris, adjuvantibus nocturnis tenebris, esset elapsus, piratas id pessime habuit maximeq; irritavit. Nam & homines domi nobiles aliosq; honestæ familiæ, quosdam etiam naribus præcisis, in terram semianimes projecerunt. Quorum aliqui multo exinde tempore superstites veluti in opprobrium imperij spectaculo cunctis fuerunt. Sigafridus, quem elapsum diximus; vindicandi se cupidus patriæque defendendi studio Bennonem Saxoniæ totius Ducem commovit, ut, sumptis secum armis, occurreret prædonesque ulcisceretur. Quod ille dum haud ignavè agit, denuo in certamen juxta Stadæ opidum, junctis copijs, sed felicius quam ante progressi, piratas vicerunt. Tum & aliùs similiter eorum globus in proximis ejusdem Saxoniæ confinijs ad internecionem deletus. Nec sic tamen harpagum conquievit licentia. Nam & sociorum alij, qui Visurgim flumen ingressi latè se ad vicina quæque effuderant, maximum omnibus terrorem incusserunt: Adeo ut ecclesiæ vasa ac thesauros in urbe Bremâ vix satis tutos, aliò transferre necessum fuerit. Verum & hi virtute Harvardi equitis, quem captum habebant, suorum mox scelerum pænas dederunt. Ille namque ductor eorum designatus, cum in loca eos difficillima ac paludibus invia ità irretitos abduxisset, ut effugio locus non esset, ad unum omnes obtruncati à Saxonibus. Maximum eorum numerum fuisse nec pauciores XX millibus Abbas Stadensis memoriæ prodidit. Inde Saxonici districtus pagi atq; opida, dum novas quotidie irruptiones extimescunt, sibi consulere atque objectis hosti munimentis, ad defensionem omnia comparare cœperunt. Tum quoque fossa valloque ac mœnibus Brema circumcincta.

Sueno interea apud vicinos, ac reges cognatos extorris agens, ab omnibus fere, prout solet fortuna mutare fidem, fastiditus est. Inter primos Olaum Norvagiæ regem adijt, quod parentem ejus similiter regno exactum Haraldi patris sui ope restitutum meminerat. Sed ille spreto jacente ac supplice, parentis ipsius meritis gratiam referre neglexit. Inde ad Anglos conversus suspectari apud Eduardum cæpit, quasi exilij simulatione regnum à callido peteretur, Ideoque & profugum auribus obseratis aversatus est. Tandem ad Scotos & ultimum pæne boream dilatus clementiam, quam in gente ac cœlo aliquanto mitiore non reperit, apud eos invenit. Quin & ibi dum agit tot jam ærumnis eruditus, cæpit antecedentem vitam suaque facinora, paricidium præsertim ac sacrilegia, circumspicere & ad saniorem paulatim mentem regredi. Factusque, ut existimabatur, ex acerrimo Christiani nominis hoste seriæ pænitentiæ Christianus, regnum quod tum, oportunè Ericus Suecus suo obitu vacuum reliquerat, acceptis apud Scotos modicis copijs, feliciter recuperat. Receptoque domi sceptro, annum circiter nongentesimum

CMXCIII. nonagesimum tertium, ità se in negotio religionis gessit, ne inter initia suis, quos à Christo aversos noverat, esset offensui; donec tandem Popponis Frisij concionibus ac ferri præsertim igniti (quod ille sibi fidei faciendæ gratiâ nudis manibus prælendens aliquandiu illæsis manibus tenuit) miraculo, ac rege insuper sanctum studium promovente, universa, qua patet, Dania in Christi cultum consenserit. Atque inde varijs in locis varij constituti præsules. Popponi Arhusium, Slesvicus Harico, Ripæ Lefdago cesserunt. Gerbrandus Roschildiæ clarus est habitus. quamvis alij de Poppone non consentiant & ante Suenonis ad regni gubernacula reditum, obijsse jam volunt. Sed priori sententiæ, quæ vero videtur propior, etiam annales adstipulantur Frisici.

Hæc continuo subsecutum est bellum, quod ab Olao Truggone, Norvegiæ rege, cæptum minus feliciter eidem cessit. Erat tum adhuc cœlebs Olaus. Itaque ut Sueciæ regem, Olaum etiam nomine, sibi per nuptias conciliaret, missis ad matrem ejus Sigritham, olim Erici regis illustrissimam conjugem, legatis, effecit ut ipsa in suum conjugium consentiret. Sueno id agi animadvertens omnem movit lapidem, ut regum duorum animos sibi mox minus futuros æquos, dissociaret. Quapropter ex aulicis subornat quasi transfugas, qui ad Olaum Norvegianum profecti ac more gentis benigniter ab eodem admissi, ubi data esset sermocinandi occasio, inter cetera Suenonem vituperant, Thyram filiam ejus laudibus vehunt. Quod cum multis atque identidem fieret, Olaus tandem à Sigrithâ reginâ ad filiam Suenonis cogitationes suas transferens, sibi eam per legatos in Daniam transmissos desponsari curavit. Quo facto, Sigritham illius rei ignaram colloquij specie ad se invitat. Quæ cum navem conscensura pedem pensili ligno imponeret, mox per

SUENO OTHO Rex.

per insidiosos ligno everso, ipsa præceps inter undas periclitata, vixque suorum manibus aquis erepta, semianimis in littus exportatur: Recepto spiritu, cum se duabus non ferendis injurijs periculi ac probri delusam videret, dolorem, quem animo conceperat, vultu ac voce non tacuit. Atque ità Sueno astuti ducis officio functus, vires, quibus Olaum spoliavit, sibi adjecit: confestim namque petitæ in matrimoninm Sigrithæ assensum obtinuit, Olao, quam desponsaverat Thyram, negavit. Olaus itaque, dum alteram stolide contemnit, ab altera turpiter repellitur, duobus illustrissimis conjugijs destitutus, nec ignarus machinationis illius authorem fuisse Suenonem, extremæ audaciæ rem aggreditur. Collectis siquidem copijs ac validæ classi impositis in Suenonem ducit. Sueno autem privigni sui Olai Sueonum regis auxilio tum quoque suffultus facile adventantem excepit ac vicit. Victus ne in hostium potestatem vivus veniret de puppi cum impetu in fluctus prosilijt seque arbitrario fato oculis victoris subduxit. Commissa ea pugna in freto nunc *Oresunda* nuncupato. Quam antiquitus navalium ejusmodi conflictuum veluti arenam vicinos reges habuisse Adamus Bremensis author est. Norvagiense quod est in manibus vernaculum Chronicon, in diversum nonnihil hìc abit. Vult enim Burislao, Vandalorum principi, Thyram, Suenonis non filiam sed sororem, nuptui datam idq; invitam quod senex is & paganus esset: indeque captà occasione, furtim cum Atzero nutricio suo ad Olaum Truggonem, Norvegiæ regem, profectam eique connubio copularam: ac factis nuptijs, authorem Olao, marito suo, fuisse ut dotem à Burislao sibi debitam repeteret: ipsumque, dum sæpius iterumq; ab eà urgetur, paratà in Vandalos classe procinctum movisse: Eoque Sigritham intellecto, Suenonem adhortatam ut ista occasione injuriæ sibi ab Olao Norvego illatæ pœnas reposceret. atque ità conjunctà cum Sueonibus classe ac copijs, Olaum, qui in littore Theutonico quadraginta cum navibus aderat, à Suenone impetitum ac superatum; ac mox cum Olai, Sueonum regis, affinibus successisse in partem Norvegiæ Suenonem. Hæc dicti annales. qui & ideò conjugium inter Sigritham & Olaum non successisse tradunt, quod Olaus Christianis jam sacris esset initiatus, illa autem paganismo dedita, quem nec ejurare cuperet. Sueno porro interjecto tempore, ex Sigritha *Canutum* filium procreavit, regem postmodum ut suo monstrabitur loco, ex rerum gestarum magnitudine *Magni* nomen adeptum.

Lib. 2. cap. 29.

Priusquam autem ad regnum Sueno rediret, non cessaverant interea populares ejus Angliam identidem invadere ac deprædari. Successerat jam Eduardo patri Ethelredus, qui otij & luxus magis quàm militiæ studiosus, suisque ob id ut minus gratus, ità & exteris quoque, minus habebatur formidabilis. Unde Dani, capta imbellis principis occasione, tum sua majorumque virtute excitati, primum insulæ maritima loca paucis aut nullis munita præsidijs suam in potestatem haud difficiliter redigunt; atque inde, secundis rebus elati, intimius penetrant omniaque passim diripiunt. Dux Essexiæ Brithnothus, collectis copijs, obviam ire ac reprimere adventantium impetum connisus, suis cum omnibus præliando occubuit. Rex succedaneum se objicere vel nolens vel metuens pacisci cum eis decem millibus auri pondo satius habuit, idque ea lege, ut Angliç regnò relicto, in oras patrias versoriam capescerent. Notant Chronologi primum id tributum fuisse, quod Danis depensum Angli solverint. Et regressi tunc quidem in Patriam Dani. Verum longe ab expectatione creduli regis res cecidit. Vix enim annus interjectus, cum auro atque eventu priori illecti, denuo insulam adoriuntur, nec ut prius tumultuario milite, sed classe justa instructi negotium gerere instituunt. Rex cum nihil tale futurum speraret, quippe quietis quam belli amantior, tum pacto & fide data confisus, ad repugnandum vix quidquam reperiebat præsidij. Necessitate tamen, duro telo, adactus classem confestim virosque instruxit. His præter Alstanum & Æschevinum antistites, Alfricum præcipue ducem præfecerat, virum animo & corpore ferocem, sed fidei erga regem haud satis integræ. Is itaque adventantibus Danis obviam factus seque ad prælium quasi parans, sed aliud mente agitans, ad Danos deficit. Quæ res adeò insulanos perculit ut nullum pæne operæpretium effecerint. Dani verò idonea tempestate in terram delati ad prædas agendas se effudêre. Qui ex illis ingressi Northumbriam, dum sibi quisque studet, ab agrestibus aut cæsi plerique aut profligati sunt. Alij qui Londinum oppugnaturi petierant, resistentibus animose civibus, sponte sua obsidionem solverunt. Nec segnius tamen Anglum urgebant ac divexabant vastando agros, aperiendo limites, urendo domos obviosque fundendo. Dum tandem Ethelredus viribus impar atque animo consternatus de pace ac quiete redimenda legatos miserit. Qui missi venerunt, ea conditione cum Danis

M iiij pacti,

SUENOTHO Rex. A. C.

pacti, ut in annos singulos Anglia, veluti in formam redacta provinciæ, certam stipendij summam penderet. Ethelredus qui existimabat, hoc pacto compositis rebus, pacem se qualemcunque tunc nactum, non de bello & imminentibus curam aut cogitationes suscepit, sed otio potius atque avaritiæ intentus suis indies gravior incubuit: Adeò ut dum alios facultatibus exuit, alios oneribus premit, nonnullos calumnijs ac delatoribus objicit, sibi invidiam atque execrationem pæne omnium conciliavit.

Horum nec ignari Dani hanc præsertim regis socordiam rem suam facientes, haud imprudenter speculati sunt neminem celerius opprimi, quàm qui nihil timeret, & frequentissimum initium esse calamitatis, securitatem. Sueno igitur qui Norvegiæ magnam tum partem, ut supra memoratum, Daniæ adjunxerat, & Sueciæ rege, propinquo suo, ad arbitrium suum utebatur, tum memor repulsæ ab Eduardo Ethelredi parente sibi olim exuli illatæ, de invadendâ Angliâ belloque in Ethelredum faciendo primò cum paucis, mox adhibitis pluribus, consilia agitat, opprimi eum posse & dicit & persuadet. Itaque, copijs & classe comparatâ, ad Angliæ oram, quæ ortum spectat, naves appellit. Hic cum intellexisset per exploratores locorum accolas esse imperatos, relicto apud naves levi præsidio, in terram descendit, ac vicos vi expugnat, domos obviosque prosternit. Moxq; ad boream contendens, Northumbros primum invadit. Illi periculo & armis territi tum memores non tam hostes quàm populares suos adesse, ultro deditionem faciunt. Hinc Mercios adortus nullo fere negotio superat. Postea ad australem conversus plagam similiter & ibi incolas sibi omnes subigit. Quibus tam claris elatus victorijs ipsam Londinensium civitatem, gentis caput, & quò recepisse se Ethelredū acceperat, adoriri statuit. Verum cives etiamsi casu tam inopinato trepidarent omnia tamen ad defensionem graviter conferunt, nec ignari periculorum, ferratas sudes, gravia saxa non temere jaciebant. Ubi sonus molientium, aut scalæ appositæ, hostem in manus dederunt, propellere umbone, pilo sequi. Ac tandem instantibus fortissime Danis, effusi portis impetum in hostem fecêre. Suêno dum sustentare suos & jam quasi adeptam victoriam retinere satagit, ab hoste propemodum circumventus inter infesta tela erumpit, ac dato receptui signo cum exercitu toto Bathoniam versus concedit. Hinc in Essexiam & Sudesexiam impetu factó utramque suis subjecit legibus. Cantium deinde & Sudhamthoniam aliaque in vicino loca eodem adegit. Cetera, & si qui arma in adversum ostentare parabant, aut ferro repulit aut diripuit. Ethelredus, intellectâ suorum strage, misit qui censum & commeatum promitterent. Posita tunc erant juxta Sudhamthoniam Danorum hibernacula. Atq; ibi dum agunt, Vestsaxia ceteriq; fere Anglorum totâ Britanniâ, quod erat pactum conventum detulêre stipendium. Idque fuisse librarum circiter sedecim millium chronologi referunt. Agebat in comitatu Regis Suenonis Anslavus, sive Olaus potius, Norvagiæ princeps, quem ad se vocatum Ethelredus, datis obsidibus, honorifice suscepit ac filij loco habens multis honestavit muneribus. Anslaus vicissim, redditis gratijs, non nisi volente Ethelredo rediturum se in oras ejus pollicitus, ac datis mox vento velis, ex Angliâ regressus promissum tenuit. Sueno quoque non diu moratus ad sua abijt. Classem interea omniaque præsidia idoneis locis relinquens id obtinuit, ut, absens licet, cuncta tamen armis & multitudine infesta retineret. Horum dum aliqui ad Normannos Galliæ hostiliter procinctum movissent, Ethelredus Rex, Cumbris vastatis, Monam insulam vi occupat. Alij non hostiliter sed amicè profectos ad Normannos volunt, ut nimirum veterem necessitudinem & cum posteris Rollonis, consanguineis & popularibus suis, amicitiam instaurarent. Inter hos fuisse Olaum, qui postea Norvagiæ rex inter divos relatus est, sunt qui existimant: Et esse fortasse eundem, qui supra comes Suenonis minus rectè Anslavus est nominatus, haud abs re non nemo suspicetur. Hæc ad annum fere Christi millesimum referuntur à chronologis. Proximo, qui sequutus est, novi seculi anno MI

M. MI.

vitâ excessit Otho Imperator ab uxore Crescentij, quem antea capitis supplicio affecerat, chirothecis veneno infectis Romæ enecatus anno imperij decimo septimo. Hic est Otho, qui uxorem habuit Mariam de Arragonia fœminam impudicam ac sterilem, virorum appetentissimam: Quæ cum secum aliquandiu muliebri habitu cicumduxisset juvenem concubinū idq; innotuisset Imperatori, juvenis præsentibus multis exutus vestibus, proq; famula famulus agnitus flammis est traditus. Sed & imperatrix exinde in Italiâ circa Mutinam urbem, adulterij ac falsi criminis convicta, viva etiā cremata memoratur. Cum enim Comitem quendam elegantis formæ & virum optimum cœpisset deperire, cumque multis blanditijs conatâ esset in sui amorem pellicere, nec is assentiri vellet,

fallis

OTHO III. IMP.

falsis delationibus ab eâ est apud Imperatorem accusatus, & pœnâ capitis damnatus. Uxor Comitis conscia mariti sui innocentiæ, caput ejus abscissum deosculatur, & secum ablatum diligenter recondit. Deinde ad Imperatorem pro tribunali sedentem properans, magno clamore & ejulatu petit causam suam recte cognosci & legum auctoritate defendi. Sciscitanti itaque Imperatori à quonam læsa esset: Tu, inquit, ô Imperator is es, à quo sum læsa, simulque in medium projiciens mariti sui caput, hunc maritum meum contra jus & fas capite multasti, & statim candens ferrum illæsis manibus apprehendens mariti sui innocentiam cum stupore omnium, qui aderant, comprobavit. Ibi Imperator detecta rei veritate graviter commotus viduam multis muneribus & castellis quatuor donavit, suam verò conjugem supplicio afficiendam permisit. Quod vel ideo prolixius addidi, ut constaret hisce temporibus, judicium igniti ferri passim usurpatum & apud Danos adeo fuisse usitatum, quomodo & sequentia ostendent, ut hodieque *signum veri* suâ linguâ *signum candentis ferri* vocent, vulgo enim & vernaculè **iern tegen** dicunt.

Mox ab eorum, quos diximus, plerisque, ubi è Galliæ Normannia in Angliam essent reversi, obsidium continuo Exsoniensis oppidi tentatum est. Sed repulsi magnam circumquaque stragem dedêre, opponentibus licet arma Sumersetanis illorumque vicinis Dorsetensibus. Vectam insulam classis suæ perfugium, & velut asylum, habebant. Expeditiones quoque & procinctus inde, ut plurimum, moti. Dorsetania itaque & Suthamthonia omnisque ille, qui Vectæ objicitur, maritimus insulæ tractus partim in potestatem redactus, partim igne ferroque vastatus est. Ethelredus rex ut pace potiretur, cum armis non possit, pecuniâ evicit. Solutaque tunc constat quatuor & viginti librarum millia. Hoc lutro depcsito ille jam omnium quasi securus, ducta etiam in conjugem Richardi primi, Normanniæ ducis, filia Emma, liberius cæpit agere. Quin & nefarium inijt consilium clanculumque mandavit, ut quidquid superesset in Anglia Danici nominis, illi sive viri sive fœminæ essēt, ætatis quoq; aut sexus nullo habito discrimine, una nocte tollerentur. MII.
Tradunt annales, hujus tragœdiæ prologum acturum ipsum Ethelredum Danorum duces Oxoniam ad colloquium pollectos perfidè interfecisse; reliquorum magnam multitudinem Fridesnidæ ejusque monumenti patrocinio se concredentem unà cum summa ecclesiæ turri, qua se tuebantur, concremasse. Et author est Gulielmus Gemmeticensis, ut ejus verbis utar, Danos unanimi concordia per omne regnum agentes, subito furore perimi jussos, mulieres alvo tenus terræ esse defossos, & concitatis ferocissimis canibus mamillas ab earum pectoribus divulsas, puerosque lactentes ad postes ædium allisos, nullis criminum existentibus causis. At ille perpetrato hoc facinore, evulgari nomenque præberi mox fecit, quasi detecta conjuratione regnum prodere, & ad populares suos transferre, consilia agitassent. Verum Ethelredus, qui ista sanguinis offusione Danicum incendium se restincturum existimabat, id potius effecit, ut in multò majorem magisque exitialem flammam exarserit. Sueno enim hac suorum lanienâ (in qua & soror ejus Gunilda Palingo Comiti nupta, quæ & pacis sæpenumero inter Anglos & Danos sequestra fuerat, capitis supplicio affecta) irritatus, numeroso cum exercitu Angliam iterato invasit. Primoque statim, postquam è Dania solvit, ingressu Exencastriam suæ potestatis fecit, adminiculante limitis Comite Hugone Normanno, quem Domnaniæ præfecerat regina Emma. Hic rebus Danorum studens, reclusis opidi portis, Suenonem admiserat. Admissus destruxit mœnia vallosque ac cetera munimenta disiecit urbemque præsidijs nudatam militi spoliandam reliquit. Oram deinde universam Viltoniensis provinciæ plurimum diuque infestam habuit. Ac tandem Viltonienses unà cum Suthamtoniensibus, collecto exercitu, cui Alfricus dux præfectus est, in adversum progredi ausi, sed proditi ab ipso duce; turpiter fugere coacti sunt. Hinc Vintoniam & Sarbyriam urbes ingressus, totas diripuit atque incendit. Mox Nordvicum advectus, simili oppidanos clade affecit. Erat tum illius districtus totiusque Angliæ Orientalis dux Ulfchetillus, vir non minus fortis quàm providus ac multi consilij. Hic cum inopinato adesse Danos accepisset, habito cum proceribus senatu, inducias potius faciendas, quam belli tentandam aleam è re & bono censuit. Nec Sueno petentibus pacem difficilem se præbuit, sed eam volentibus concessit. Verum rupto mox, quod pactum fuerat, fœdere, è navibus cum expeditis copijs progressus totam Theotfordiam devastat ac flammis involvit. Eoque intellecto, Ulfketillus ad classem invadendam nonnullos ex suis demittit. Sed hi, cum re infecta aut parum feliciter tentata, essent reversi, ipse collectis copijs in hostem movit; datoque classico, adeò ab utraque parte immaniter ac diu dimicatum, ut ex Danica nobilitate

SUENOTHO Rex. A. C.

tate plurimos, ex Anglis verò universos pæne acies absumpserit. Nec illo fuisse acriorem inter utramque gentem conflictum Danorum ipsorum confessione proditum. Anno deinde millesimo ac quinto, maxima annonæ charitas universam insulam afflixit. Tum
MV. evocatus ad regni negotia Sueno, domum cum paucis maturat. Sed expeditis quàm celerrimè regni rebus, ad destinata mox revolat. Immissâque Sandvico classe, miles, qui in terram expositus, obvia quæcunque habuit, cæde atq; incendio complevit. Ac modò invaso, quod proximum occurrebat, Cantio, modò divexatâ Suthsexiâ, undique prædas egit. Ethelredus, tot circumquaque oppressus malis, è Mercia & Vestsexia coactis, quas potuit, copijs, seriò conserere cum hoste manus constituit. Verum ille tum sui copiam facere, aut palam confligere recusans, id præcipue studio habuit, ut onustus opimis spolijs Ethelredi paulatim exercitum fatigaret tempusque traheret. Atque inde adventante jam hyeme, direptisque in vicino provincijs, ad Vectam insulam in hiberna concessit. Ethelredus, quod unum dabatur, consentientibus regni primoribus, tributum denuo offert, idque ea vicissim lege, si à direptionibus temperaturos se promitterent. Illi, ut prius, prolixe omnia polliciti librarum tunc acceperunt triginta sex millium pondo.

Et respirare aliquantulum jam Anglia cœperat erantque pacatiora omnia, cum ecce sub annum millesimum septimum Danicus Comes Torchillus, quem aliquot instructum
MVII. prætorijs navibus subsecutus continuo est Hemmingus & Eigenulphus, suæ quisque classi præfectus insulæ appropinquant. Hi, in unum junctis viribus, Sandvici portum intrant; ibique factâ in terram exscensione Cantuariorum opidum adeunt hostilia minantes, nisi imperata facerent. Illi cum obsistere non auderent, confestim ut sibi ac suis parceretur librarum tria millia promittunt penduntque. His acceptis, Vectam versus progressi, maritimam nihilominus Suthamthoniæ Suthsexiæque oram depopulari omniaque flammis exurere insistunt. Rex Ethelredus videns exactionibus ac tributis exhauriri cives hostiumque animos efferari potius, quàm mitigari, irâque atque indignatione identidem succensus universam Anglorum gentem in arma rapit. Quibus & sua junxisse tum auxilia Scotos, frustra dissuadente ac hostilia comminante, si id facerent, Suenone, annales ipsorum indicio sunt. Hisque præsidijs cum passim provincias ac loca, quæ erant mari vicina, Ethelredus communisset, magna vi magnisque animis irrumpenti hosti manipulos suos objicit. Dani nihilominus, capta occasione ac tempore, prædas agere proque locorum situ irruptiones tentare haudquaquam desinebant. Cumque aliquando longius à littore ad interiora penetrassent, onustisque ingenti prædâ reverti ad naves difficulter concederetur, quod itinera, quæ ad mare & classem ducebant, Rex undique milite sepsisset, unum tunc illis saluti fuit: Dux enim Edricus Streona, qui Adgitham Regis filiam sibi connubio sociarat, socero regi persuadet, ne teneret abeuntes aut prælium adversus desperabundos committeret. Quo consilio, aut ut Anglici interpretantur authores, perfidia ducis, erepti, quod dicitur, ex orci tum faucibus Dani. Nam sanè, quod Rex decreverat, aut oppressi fuissent universi aut ingens periculum incurrissent, si hinc Ethelredus, inde Edricus, motis utrimque copijs, medios clausissent. Verum Dani, digressis Anglis, ovantes ac multis ditati manubijs ad classem incolumes redierunt. Eoq; successu animis aucti, statim exinde, flexo Cantij promontorio, Thamesin subeunt atq; ibi locatis hibernis, totam Essexiam vicinasque ripæ fluminis provincias aut armis aut depopulationibus infestas faciunt. Londinensem quoque civitatem semel atque iterum aggressi re tamen infectâ desistere coacti sunt. Agebatur jam annus millesimus ac decimus, cum iterum ad
MX. interiora progressi Oxonium vi magna diripiunt, direptumq; flammis admotis incendunt. Et mox acceptis opimis spolijs, cum intellexissent cogi adversus se Londini exercitum, qui transitu prohiberet, continuo cum parte copiarum ripam Thamesis borealem emensi juxta locum, qui *Stane* dictus, flumen transierunt. Atque ibi in unum denuo collecti multâ cum prædâ, pervastato simul Suthregiæ territorio, reditum ad naves paraverunt. Dum etiam in Cantio circa quadragesimam consistunt, refectis obiter navibus, à Paschatis mox festo Angliam Orientalem advecti ac prope Gibisvicum classe egressi ducem Ulfketillum, qui ibi tuendo limiti consederat, expositis inopinato in terram copijs, invadunt, dubioque utrimque commisso prælio, terga tandem Anglos dare coëgerunt. Illisq; fugatis universa, qua patet Orientalis Anglia, ad imperata concessit. Nec multo exinde tempore ceteræ quoque provinciæ aut dicto obedientes aut nutantes redditæ. Præcipue autem Cantuariæ opidum, accedente defectione Almeari archidiaconi, miserum in modum expugnatum, direptum, atque exustum est. Præter alia, quæ in victos vis hostilis perpetrat,

perpetrat, archiepiſcopus Alfegus, cum redemptionis pretium, quod erat imperatum, gravaretur perſolvere, à milite trucidatus occubuit. Ceterorum tam civium quam monaſticorum cum frequens ac numeroſus intra urbem eſſet populus, ne occidione omnes interirent, novam nec priſcis notam aut uſurpatam decimationem inſtituunt. Apud Romanos enim veteres, cum decimarentur legiones, decimus quiſque ſupplicio aſſignabatur, reliqui dimittebantur liberi. At hi, more & exemplo plane contrario, ſolum decimum quemque, teſtante Vigornienſi, vitæ reſervabant, reliquis, qui ſupererant novem, neci deditis. Unde ex univerſâ, qui decimati ſunt civitate, quatuor tantum & octuaginta ſalvos ac ſoſpites dimiſſos Anglici annales referunt: Quibus denuo motus Ethelredus, miſſis ad eos ex optimatibus aliquot, ut ab ulteriori provinciarum depopulatione ſuperſederent etiam atque etiam orat, addens nec defuturum tributum. Quod uti fuiſſet eouſque liberaliter perſolutum, ità & porro, quodcunque promitteretur, prompte perſolutum iri. Promiſſa tunc autem quadraginta octo librarum millia: Eaque anno proximo, qui fuit millesimus duodecimus, à duce Edrico Streona ceteriſque regni primoribus Londini curata perſolutaque his legibus ac conditionibus, ut pacem ac ſecuritatem regno incoliſque præſtarent, ut arma ac defenſionem pro ijſdem, ſi à piratis aut aliàs invadi hoſtiliter inſulam contingeret, prompte paratèque ſuſciperent. Quas & illi conditiones ita acceperunt, ſi viciſſim commeatus & annona à rege regnoque ſibi præberetur. Quæ cum negata quoque haud eſſent, deceſſit è Thameſi claſſis, relictis in uſum & obſequium regis navibus quadraginta quinque. Domi exinde & in ipſo patrio ſolo religionis inter cetera, curam capeſſens Sueno diœceſin Epiſcopalem Roſchildiæ inſtituit. factuſque tum præſulum eo loci primus Heribrandus, vel, ut ſupra nominatum memini, Gerbrandus. Eſt & ibidem Trinitatis circa idem fere tempus ab eodem exædificatum monaſterium, ſeu ædem potius aut templum appellare libeat.

SUENOTHO Rex.

MXII.

Anno, qui ſuperiorem ſecutus eſt milleſimus decimus tertius, cum jam eò Anglorum res deductas Sueno animadverteret, ut ad ignavum redacti ſtipendium, tributo, quod *Danegildum* vulgo vocabant, pacem quotannis cogerentur redimere; Et anno ſuperiori immenſo ære pacatis, qui cum navibus ſuis, duce Torchillo Comite Danico, Thameſim erant ingreſſi, ſatis oſtenderint, non niſi ipſorum Danorum armis aut ſtare ſe, aut opprimi poſſe; tum atroci illa gentis ſuæ ac propriæ ſororis cæde ac ſupplicio commotus, univerſa bellorum mole in Angliam verſâ, infeſtam Sandvico claſſem intulit. Nec ibi diu moratus, ſed Angliam Orientalem mox circumvectus, Humbri fluminis oſtium intravit. Inde Trentam ſubiens, ibi vires ſuas explicaturus conſedit. Hinc, ſi Gemmeticenſem ſequimur, paucis cum navibus Rothomagum profectus eſt, ut pacem cum Richardo Duce conſtitueret. Quem & Richardus regaliter acceptum benignè apud ſe aliquandiu detinuit; ac fœdus ea lege ac conditionibus utrimque firmatum, ut id per ſuccedentia Danorum Regum (ſunt verba Gemmeticenſis) Normannorumque Ducum eorumque heredum tempora, firmum maneret; & quæ Dani hoſtibus abſtuliſſent, ea diſtrahenda Normannis inque portus eorum liberè transferrent. Si qui verò eorundem valetudinarij aut aliàs vulneribus ſaucij manum medicam aut ſolatia poſcerent, ijs tutum acceſſum & velut lares proprios Normanniâ concederet. Hæ conditiones, ut ratæ inque perpetuum firmæ manerent, utriuſque ſacramento ſignatæ. Quibus ex voto peractis, confeſtim ad ſuos redijt Sueno. Ac primò omnium Canuto filio claſſis ac oræ maritimæ cuſtodiam demandans, tum ipſe cum robore militum in terram progreſſus proxima omnia ferro flammiſq; vaſtavit. Inter primos Northumbri, Lindeſij, Silburij deditionem fecerunt, præeunte præſertim Northumbrorum principe Uthredo. Hinc ſubſecuta univerſa penè, quà ſpectat Aquilonem Anglia, tributum & obſides detulit, adjecto præterea fidei ſacramento. A boreâ ad Auſtrũ deinde converſus pari modo graſſatus eſt: oppreſſi cives, trucidati coloni, vaſtati agri, exuſtæ domus, luci & promeria ſucciſa, ſpoliatæ eccleſiæ nec parcitum imbelli ſexui, ſed obvium quodcunq; aut jugulatnm aut reſervatum libidini. Mox Oxonium ubi deventum, levi ſimiliter conanime & opidum & opidanos ſibi ſubjecit. Hinc Vintoniam tranſiens, eam quoque leges ſuas accipere civeſque ac ſubditos obſequij juramentum præſtare coegit. Totque jam adoreis ac proſperis elatus, Londinum aggredi ac caſtra mœnibus admovere properat. Neq; ceſſabat agere omnia, ut ea veluti regni metropoli potitus ad alia ſe quam celerrime converteret. Primo acceſſu, multi ex militibus, dum nec ponti nec vado inſiſtere curæ habent, flumine abſorpti ſunt. Regi Ethelredo, qui intra civitatem cum Danico Comite Torchillo ſe continebat, id graviter curatum, ut unà

MXIII.

SUENOTHO Rex. A. C.

ut unà cum opidanis mœnia urbis adversus vim hostilem viriliter defenderentur; idque cum tantâ quoque animositate fieret, ut adipiscendæ civitatis ereptam sibi spem omnem Sueno videret, subito motis castris, Valingfordam ac Bathoniam concessit. Ubi dum exercitum reficit, sponte se obtulit Domnaniæ Comes Athalmarus, qui obsides & fidem promittens pacem cum eo pepigit. Hinc ad classem ac filiū Canutum recedens ab omnibus Angliæ Rex salutatus est. Cives etiam ac civitas Londinensis, post longas deliberationum moras, missis obsidibus, eius se tandem fidei ac potestati similiter permisit. Ethelredus comperiens undiquaque se deseri, & jam à Londinensibus quoque desertum, misit confestim ad Richardum affinem suum, Normanniæ ducem, Emmam coniugem cum Alphredo & Eduardo liberis. Quibus ille benigne susceptis, omnia quoque cum ipsis, tum Ethelredo parenti eorum, fraterni amoris officia pollicitus fuit. Cuius cum Ethelredus, qui in flumine Thamesi juxta Grenvicum, extremum & unicum refugium Danicam Torchilli classem, magno, ut ante diximus, ære pactam ad manus & nutum suum retinebat, nuncium accepisset, datis statim vento velis, ad insulam Vectam profectus ibique paulisper subsistens recta ad Galliæ Normannos suumque affinem Richardum delatus est. Sueno interea sub pellibus se continens id, inter cetera, curabat ut vicini, omnisque Angliæ populus, qui jussa atque imperium suum essent sequuti, ad persolvendum, quod erat imperatum, stipendium parati adessent. Torchillus quoque classi suæ, quæ in Thamesi apud Grenvicum consistebat, quod pactum fuerat, ut tempestive redderetur similiter studio habuit. Hic Torchillus, etiamsi à partibus Ethelredi regis, ex pacto ac promisso, ut supra patuit, tum staret, Suenoni tamen, utpote populari ac regi suo fidelior, ei præsertim (quod notat Malmesburiensis) & auctor & adhortator esse non desijt, ut aliud tum agente Ethelredo, Angliæ occupandæ occasionem haud intermitteret.

Porro victoria ex Anglis hoc pacto potitus Sueno, sibi quoque multandos Scotos judicavit. Dum enim Anglicum bellum urget, auxilia Scotorum, Ethelredo & Anglis submissa, non ignorabat, quamvis multa fuisset ipsis comminatus quòd, Anglis relictis, domum redire nollent. Itaque Olaus Scandianus & Enecus, summus Daniæ præfectus, ab eo cum exercitu valido in Scotiam immissi. Hi per Moraviam vagi, cæsis obvijs, sacris profanisque direptis, tandem in unum collecti, arces & alia munitiora loca aggrediuntur. Quæ dum oppugnant, Scotorum Rex Milcolumbus è proximis regionibus milite collecto, castra non longe ab eis locat. Postridie Scotos, visa Danorum multitudine & apparatu bellico, ingens terror invasit. Rex eos confirmare aggressus, cum haud multum proficeret, tandem clamor à paucis exortus, & à reliquis exceptus, fecit ut statim, velut lymphati, injussu ducis in hostem proruerent, ac multi à Danorum exercitu telis petiti conficerentur. Primis cadentibus, reliqui citatiore quam venerant gradu fugam intenderunt. Rex accepto in capite vulnere, vix à suis in nemus proximum ablatus, ac ibi equo impositus discrimen evasit. Dani, obtentâ victoria, Narnim arcem, custodibus eventu infelicis pugnæ perterritos, per deditionem acceperunt, Hæc arx Danico exinde vocabulo *Burgus* appellata. Reliquæ arces, quæ Elginæ & Foressæ erant, ob metum desertæ. Dani rebus tam feliciter fluentibus, naves domum dimittunt, quæ liberos & familiam adveherent. Verum Milcolumbus, ut ijs resisteret ac regno submoveret, majores undique vires comparat. Quibus collectis, de novo commissa pugna cæsoque in acie Eneco Scoti audaciores redditi fugientibus instare cœperunt. Multisque occisis, alter imperatorum Olaus cum militum præcipuis in Moraviam salvus redijt. Hanc suorum cladem ad se in Angliam delatam magno animo tulit Sueno, nec diu cunctatus ad veterem exercitum supplendum Camum ducem cum aliquot è veteranis ac novis subsidijs transmisit. Sed & illi, priusquam popularium suorum copijs conjungerentur, unà cum duce profligati penitusque deleti sunt. Huius victoriæ extare monumenta obeliscum & vicum proximum, adhuc memoriam nominis Cami retinentem, rerum Scoticarum auctores memorant. Nec eo quoq; dispendio fractus Sueno confestim Canutum filium cum novo delectu substituit. Qui dum æquo sæpenumero, aliquando etiam ancipiti cum Scotis Marte confligit, ac plurimi utrimq; ferro indies oppeterent, nec tam bellum quàm cędes esset, placuit utrisq; ad pacis conditiones descendere. Quæ ad hunc modum conceptæ: ut Dani, Moraviâ Buchaniaque relictis, discederent; neuter populus, Suenone & Milcolumbo viventibus, alterum bello lacesseret, aut etiam hostibus alterius adversus alterum auxilia ferret.

Sueno autem dum in Anglos victoriam exercet, nihil à sævitiâ suâ immune præstitisse omniaque

omniaque humana divina promiscue habuisse scriptores præsertim Anglici passim injiciunt. Tradunt præterea postquam multas ædes sacras donarijs dispoliasset, postremò cœnobium Buriense, in quo Edmundi regis ac martyris corpus sepultum jacebat, diripuisse: ac paulo post, inter suos de regno adepto exultantem, velut pugionis superne demissi ictu confossum in terram corruisse, ac voce elatâ proclamasse, manus sibi ac mortem inferri, nullis tamen ex ijs, qui aderant, percussorem uspiam cernentibus. Saxo ab his haud parum divertens, nec de expeditionibus ejus Anglicanis exactè referens, Angliam tamen ab eo devictam obiter dicit, & mox senilis animæ laboribus fessum & ab omni humanâ perturbatione vacuum, solisque operantem divinis ad vitam meliorem decessisse. Qui tamen idem lib. 14. ubi de dolo Rugianorum Santvito loquitur, alia his omnia & ab Anglicis chronologis, haud magnopere dissentientia videtur adducere, cum inquit: Hanc statuam totius Slaviæ pensionibus cultam, finitimi quoque reges non absque sacrilegij respectu donis prosequebantur. Quam inter ceteros etiam rex Danorum Sueno, propitiandi gratia, exquisiti cultus poculo veneratus est, alienigenæ religionis studium domesticæ præferendo: cujus postmodum sacrilegij infelici nece pœnas dedit. Nec enim de alio id capi an posset satis reperio. Sunt qui sepultum Eboraci, alij ex Angliâ in Daniam reductum funus volunt, & mortem ejus incidisse in annum MXII, cum alij in annum MXIV MXII.
rejiciant. Refert præterea Iulinensium chronicon, non ex legitimo matrimonio, sed è MXIV.
pellice susceptum, Haraldi quidem filium, sed naturalem fuisse. Quamvis Emmæ Reginæ encomiastes omnia de eo magnifica memoret, cum scilicet, domitis Anglis, exiguo quidem supervexisse tempore, sed summâ cum gloriâ: Et mox præsentiscentem vitæ finem advocasse CANUTUM filium, atq; ei multa de regnorum gubernatione, multaq; de Christianitatis studio coram commonuisse, ac tandem animam Deo, illi regale sceptrum commendasse, hoc addito veluti ultimo voto, ut quandocunq; in patriam reditū institueret, eodem quoque paterna ossa deportari curaret; Quod scilicet haud ignoraret, se in Angliâ terrâ alienigenam, & populum, quem subjugarat, ipsi aliquando minus futurum propitium. Memorat hinc idem Encomiastes id quoque diligenter curatum: Et corpus mox ejus aromatibus suffultum à quadam Anglicarum matronarum, magna cum cura in Daniam navigio delatum, atque ibi in monasterio S. Trinitatis, ab ipso quondam Roschildiæ extructo, præsentibus filio ac regni primoribus honorifice tumulatum.

SVENOTHO Rex. A. C.

LECTORI.

Operæpretium erit verba etiam alia Encomiastæ, qui Emmam reginam defunctam celebravit, & cujus jam modò meminimus, quatenus ea regem Suenonem tangunt, hic proximè subijcere; & præcipuè, quia author is est eorum temporum, quiq; de rebus sui seculi loquitur. Initio igitur Laudationis, quam de eâ instituit, Suenonis statim mentionem injicit, utpote patris Canuti regis, cui Emma nupserat: Eumque à natalium regij stemmatis vetustate, à moribus & mansuetudine, tum & charitate, quâ eum cuncti, & præsertim miles complectebatur, dilaudans, tandem & odij inter eum & parentem Haraldum occasiones recensens, cuncta quæ ad Suenonem in partem benigniorem rejcit, in modum, ut sequitur:

Regem Danorum SVEINUM *veridicâ comperi relatione omnium sui temporis regum ferme fortunatissimum extitisse; adeo ut (quod raro contigit) principijs felicibus secundum Deum & seculum, multo felicior responderet exitus. Hic deniq; à nobilissimis, quod primum est inter homines, duxit originem, magnumq; sibi decus secundum seculum peperit imperij, quod administrabat; regimen. Tantam deinde illi gratiam divina concessit virtus, ut etiam puerulus intimo affectu diligeretur ab omnibus: tantum patri proprio invisus, nullâ hoc promerente pucrili culpâ, sed solâ turbante invidiâ. Qui factus juvenis, in amore quotidie crescebat populi, unde magis magisque invidia augebatur patri: adeo ut eum à patria non jam clanculùm, sed palam vellet expellere, jurejurandoque asserens, eum post se regnaturum non esse. Vnde dolens exercitus, relicto patre, hærebat filio, & eum defendebat sedulo. Hujus rei gratia congrediuntur in prælio, in quo vulneratus fugatusque pater ad Slavos fugit, & non multo post ibi obijt, &* SVEIN *ejus solium quiete tenuit.*

Inde occasionem recensens, quâ Turchillo adhortante, relicto suo regno, ad invadendam Angliam excitatus Sueno fuerit, additque postremo hæc verba:

Rex videns populum innumerabilem, voce præconiariâ jussit suam patefieri voluntatem; se velle scilicet classem adversum Anglos armare ditionique suæ omnem hanc patriam ferro dolisque subijcere. Quod ubi

„ *omnibus visum esset laudabile, elegit primum qui regnum suum deberent custodire, ne dum alienum incautè*
„ *appeteret, illud quod securus tenebat, amitteret, & intentus in utroque neutri imperaret. Habebat enim*
„ *filios duos bonæ indolis, ex quibus primogenitum suo junxit comitatui, natu verò minorem præfecit universi*
„ *regni dominatui, adjuncta ei copia militari, paucisque primatum, qui puerulum sagaciter instituerent, &*
„ *qui huic consilijs armisque pro muro essent.*

Horum filius major, CANUTUS MAGNUS; *minor,* HARALDUS *fuit, ut mox è rebus Canuti, & Emmæ quoque Laudatione, quam deinde verbotenus adjiciemus, luculentius patebit.*

AD

Illustrem, magnificum ac generosum virum

D. CHRISTIANUM FRISIUM

Toparcham in Cragerup, equitem Auratum,

Serenis. CHRISTIANI IV. *Daniæ, Norvegiæ, &c. Regis*

CANCELLARIUM MAGNUM;

Ejus Mag^tiæ inscriptum hoc Carmen, cum Libri hujus quinti partem insequentem eidem manu descriptam transmitteremus.

CANUTUS *ille est Daniæ regum decus,*
Qui Magnus ob res maximas dictus fuit,
Quas gessit olim præpotens, domi & foris,
Dum regna boreæ trina, dum Britanniam
Dum Sembiaque & Slaviæ gentes feras
Moderatur, uno sic tenens sceptro suo
Septentrionis regna sex præfulgida.
Quæ nunc papyrus ista, quam mitto tibi
Vir summe, chartis explicabit pauculis,
Et addet unà, quæ sequens ætas tulit
Adusque primum VOLDEMARUM, *qui novus*
Sol Danici orbis audit, & merito suo,
Dum regna in unum dissipata colligit,
Et mox, ab Albi ad ultimos Germaniæ
Moschos & Æstios, promovet sceptri jubar.
Quas Saxo graphicè noster, & præsens, sui
Res narrat ævi, temporum si æram simul
His addidisset atque alia, quæ seculi
Negavit horror cultiora reddere.
Nos hæc & illa, & quæ sequuta, promimus
Rege auspicante, gemma qui Regum cluit,
Sed te, FRISI, *ductore; tu lætus cape*
Labore nostro, sed lubentiâ tuâ
Quod ecce natum est; & simul natum fove.

CANUTUS MAGNUS Rex. A. C

CANUTUS MAGNUS REX LXIV.

Ejusque frater Rex HARALDUS.

SUENO igitur tot tantisque victorijs ac triumphis gloriosus Daniæ Angliæq; regna, quibus solus præfuerat, filio Canuto moriens administranda mandavit. Canuto inquam, cui ex rerum gestarum magnitudine Magni exinde nomen impositum. Erici regis de gente Danorum, quæ exstat, historia, non continuò Canutum Magnum, sed HARALDUM, ejus fratrem, successisse parenti quàm proxime injicit: Et eum cum ob luxũ lasciviamq; regno esset exactus, ejus loco fratrem ipsius Canutũ hunc Magnum; virum, ut idem habet chronicon, bellicosum, regia dignitate ornatũ; sed & eo exinde, cum raro domi ageret, & foris continuè bellis distineretur, neglecto, iterum assumtũ Haraldum; qui tamen post id haud diu superstes sceptrũ Canuto vicissim reliquerit. Quæ sanè nec dissonant à relatis illis, quę adfert author horum temporũ æqualis; cujus, inter scriptores Normannicos, absq; auctoris nomine, *Encomium Emmæ reginæ*, conjugis, ut inde referemus, Canuti Magni, Latinè contextum habetur. Disertèq; in eo *Haraldi* Danorum regis mentio fit, & idem frater *Cnutonis*, ità enim verba habent, sed ætate minor, vocatur. Quod silentio nequaquã involvendum censui, præsertim, cum hujus Haraldi regis filijq; Suenonis, ne per somnium quidem vel Saxo aut Crantzius ceteriq; scriptores domestici meminerint, uno excepto, quod jam dixi, Regis Erici chronicio. Cui haud quaquam deroganda fides, accedente præcipue Emmæ reginæ encomiaste, ævi illius, ut indicatum, synchrono. Olaus autẽ Norvagus, qui inter divos post relatus, quẽ & supra nominavimus, occasionẽ defuncti Suenonis haud negligens Norvagiæ regnum, cujus quoq; partem Sueno tenuerat, sibi in totum à subditis delatum oportunè accepit. Sed & Angli, intellecto Suenonis ejusdẽ obitu, nihil habuêre antiquius, quam ut Etelredus à Suenone, ut ante memoratum, paternis ditionibus in Normanniam, olim Neustriam dictam, pulsus, regno quàm primum redderetur. Itaq; de proximo Galliarum littore præmissus in Angliã Eduardus, filius ejus natu major, animos & vota singulorũ præsens explorat omniaq; secunda cognoscens ac magna usus celeritate ad patrem continuò regreditur, singula tuta nuncians. Etelredus, tam læto accepto nuncio, in spem bonam erectus statuit fortunæ aleam jacere. Acceptisq; cum à Richardo Normanniæ duce, affine suo, auxiliaribus copijs, tum fide suorum fretus præpropere in Angliam enavigavit. Angli adventu illius majorem in modum lætati, Regem eum confestim salutant. Et Canutus quidem, etiamsi in Anglia tum adhuc classem validissimam obsidesq; patri traditos retineret, tempori tamen cedens nec universum suorum robur inter initia rerum periclitandum ratus, dissimulandum tum potius quàm omittendã regni recuperationem, ad alia scilicet prævertens, consultius judicavit. Itaq;, relictâ Angliâ, ante omnia in Daniam ad res ejus regni componendas digressus est. Referunt chronologi, priusquam Anglia excederet, ubi accepisset, se præterito, regem ab Anglis pronunciatum Etelredum, tumultuariam ad ulciscendum se manum parasse, sed ab Etelredo præventum ac tota Lindesia, indigenis severè prius multatis ac trucidatis, fuisse profligatum. Indeq; ad classem, quæ in portu Sandvicensi stabat, cum ira & minis de reditu suo, digressum, ac obsides quoscunq; regni habebat, miserum in modum ora inutilatos in terram remisisse; atq; ita datis vento velis domum festinasse: Additq;, de quo dixi, Emmæ encomiastes eo consilio, præter cetera, in Daniam se tum recepisse Canutum, ut fratris Haraldi, Daniæ regni habenas moderantis, consilium ac sententiam exquireret; ac simul Danici regni portionem sibi debitam ab eodem acciperet. Inde idem ne intra patriæ pomœria potentiam suam obsolescere sineret, Slaviæ ac Sembiæ vicina regna Daniæ adjecit. Eaq; re præclarissime gesta, majora paulatim animo agitans, destinavit & Norvagianos armis aggredi, utpote qui, audita morte Suenonis, Olaum, quem dixi, regẽ sibi elegerant. Sed minus tutum ducens multis simul distineri, sepositis in tempus commodius Norvagis, ad Anglicum bellum intentus; quæcunq; ei rei essent necessaria, magno studio comparabat. Quæ dũ agitantur, populares ejus è boreæ littoribus profecti, Frisiam ex intervallo, Hollandis conterminam, invadunt, prædisq; abactis, Tielæ Batavorum, nunc Gelriæ opidum, ad Vahalim flumen in Episcopatu Trajectino situm, penitus exurunt. Idq; cum impunè ipsis esset, postero anno rursum Frisiorũ littora legunt, nec jam prædas tantũ agunt, sed in obvios quosq; desæviunt cædemq; pro-

CANUTUS MAGNUS Rex. A. C. MXIV.

promiscuam edunt. Atq; inde Trajectum inferius festinato contendentes, cui tum Adelvoldus episcopus præerat, cum urbem metu pæne desertam invenissent, eam occupant incenduntque; atque ità spolijs onusti ad naves suas se recipiunt. Numerabatur eo tempore annus Christi millesimus & decimus quartus, quo & varia apud Anglos animadversa prodigia, quæ regni mutationem solent portendere. Inter cetera, Oceanus præcipuè fuit, qui sine ulla evidenti causâ eo altitudinis assurrexit, ut pagos multosque mortales absorpserit. Ethelredus interea otio potius quam ulli honestæ rei deditus, nec de exercitu conscribendo nec bello gerendo, quæ opus essent, curæ magnopere habuit. Unum vel maxime visus agere, quod ipsi tandem in perniciem vertit. Nam Danos, quicunque in insulâ lares suos liberosque ex Anglicanis conjugibus susceptos habebant, ità oppressit, ut plurimi passim capti, alij per varios cruciatus miserè necati interierint; interque eos Sigefredus & Morgandus Danorum nobilissimi; qui ab Edrico Streona, homine doloso, apud regem falsi criminis insimulati. Cui sceleri & aliud accessit. Nam uxor Sigefridi, quæ inter captivos habebatur, mulier ut formâ elegantissimâ, ità singulari pudicitiâ, postquam ab Edmundo, filio regis, esset stuprata, ab eodem, post necem mariti in matrimonium assumpta est: Quæ omnia ut Canuto rumore famæ nunciata sunt, ità illius animum haud leviter irritarunt. Et oportune eodem tempore Danicus Comes Turchillus, qui, ut supra memoratum, relictâ in Angliâ classis suæ parte, qualecunq; cum Ethelredo pactum inierat, cum navibus novem in Daniam advenit; Nec injussus exire in littus ausus, utpote qui, rege inconsulto, in Angliâ se remansisse non ignorabat, præmisit, qui portus subeundi veniam postularent. Quo concesso, cum gratiam ac benevolentiam regis summo cum studio emeruisset, dato confestim sacramento, obsequium ei atq; officia sua deinceps obtulit, adhortatus simul, ut sine morâ Angliam repeteret, esse ibi ac præstolari ejus adventum valido cum milite triginta navium suarum classem, notos utrique ac patere jam regni aditus sinuumque anfractus, tantum rem alacriter aggrederetur, & fortunam, tam secunda ac felicia pollicentem, bonis cum avibus tentaret. Itaque rebus, quantum licuit, domi cum fratre Haraldo dispositis, tum & inito cum Sueonum rege Olavo, uterino sibi fratre, nec non Olavo Norvagiæ rege fœdere, confestim in Angliam ad causam suorum vindicandam cum classe, quæ sufficere visa, mille, ut habet Adamus Bremensis, navium,

MXV.

sub annum millesimum decimum quintum, occupato Scandvici portu, redijt. Auctor, qui Emmam reginam encomio, quod inter historię Normannicæ scripta habetur, eo ævo celebravit, præcipue ducentarum navium mentionem injiciens: eas omni telorum ac commeatum genere, tum & viris ac milite longe instructissimas fuisse refert; tantumque fulgoris arma & apparatum eminus intuentibus objecisse ut igneæ potius quàm ligneæ viderentur: Puppesque leones inauratos terribili specie, alias humanis vultibus è metallo simulachra ostentasse, & alias vicissim radiantibus cornibus tauros effigiatos diaconesque exhibuisse obrizo inardentes; omnesque velis habiles ac remis citas, tum & auctas alacritate militum ac legionum, quas vehebant, in speciem ac terrorem. Hîc primo Canutus, relictis, qui navibus essent præsidio, populabundus Cantium invasit. Inde ad Saxones occiduos copias vertens, ferro omnia flammisque involvit. Præ ceteris eminebat Torchillus, qui fidem suam Canuto probaturus, expeditâ cum manu in terram progressus prope locum, qui SCORASTAN dictus, hostem invasit. Qui cum numero ac vi majore, quam Turchillus, esset, tantâ strage Danos affecit, ut jam de fuga cogitarent, nisi Ducis alloquium fugibundos stitisset. Ille enim declarans evadendi locum non dari, urgente præsertim à tergo hoste, & navibus quàm longissime à littore stantibus, vincendum esse aut occumbendum ostendebat. Unde animosiores facti inque hostem de novo ducentes pulcherrimam victoriam maximaque ad suos spolia retulerunt. Quod primum adoreæ decus Torchillus promeritus haud leve momentum occupatæ deinceps Britanniæ attulit. Et ejus exemplo exciti alij, & inter primos Norvagorum princeps Ericus, vir armis strenuus, qui, acceptâ à rege lacessendi hostem copiâ, cum aliquot suorum manipulis excursionem instituit, ac passim direptis atque incensis vicis, cum prædâ opimâ ac multis captivis ad classem redijt. Decumbebat id temporis æger Ethelredus: itaque Edmundum filium de exercitu cogendo inque hostem ducendo solicitat. Erat Edmundus cum animi tum corporis viribus ferox, unde & ferreum latus (Iernside est in Vuilhelmo Malmesburiensi) vulgò nominabatur. Eum Ethelredus non ex Emmâ, sed aliâ conjuge Ethelginâ, ignobili genere ortâ, susceperat. Ipse igitur exploratis hostium itineribus, quam maximas potest copias parat; id præcipue animo volvens, ut præventis ex occulto Danis, inopinantes ac derepente

pente

CANUTUS MAGNUS Rex.

pente oppprimeret. Erat ei consiliorum omnium ac belli socius Edricus Streoma, vir callidi magis quàm recti animi, & qui Edmundum, quamvis sana volentem, perpetuo dehortatus alioque abdúcens, id nimirum spectabat, ut eo subverso, ipse aut domi aut apud hostem clarus potensque haberetur. Ac tandem cum multa, sed frustra tentasset, postremò haud amplius dissimulandum ratus, Canuto palam sacramentum dixit. Quo factum, ut ingens insulanorum multitudo idem exemplum secuta, ultro datis obsidibus, in foedus ac pacta Danorum consenserit. Soli Mercij cum Anglis persistentes declarabant se nequaquam defecturos, modò ducem haberent. Inter hæc Ethelredus morbo paulisper levatus, videbatur in hostem ipse ducturus, sed accepto adversæ rei nuncio, deflexit Londinum. Ubi cum gravius solito malum invalesceret, Edmundus magno animo rem agens optimum factu arbitratus est, si, omisso hoste, urbes, quæ metu defecerant, aut vi aut arte recuperaret. Unde & loca nonnulla, duce Utredo, Northumbriæ Comite, aggressus, subito cepit, alia, postquam expugnasset, solo æquavit: In eos quoque, qui studio desciverant, animadvertens id obtinuit, ut ceteri supplicij metu deterriti in officio permanerent. Canutus intellecto consilium id hostis sibi summopere detrimento futurum, nisi in tempore occurreretur, continuo copiarum partem in Northumbriam transfert, ut rebus ibi Utredi, qui exercitum Edmundi ductabat, turbatis, ipse ad sua defendenda domum festinaret. Nec fefellit ea spes Canutum. Utredus enim, accepto injuriæ sibi illatæ nuncio, præpropere in Northumbriam ad sua revolavit. Et licet fortissime aliquandiu restiterit, ad ultimum tamen vi majore superatus cum totâ Northumbriâ Canuto se dedidit. Edmundus eo præsidio destitutus, & paulo post quoque, à Turbrando Comite interempto Utredo, Londinum ad patrem se recepit. Quod ubi cognovit Canutus, impositis Northumbriæ, quantum satis esset, præsidijs, navem conscendit atque oram Cantianam petens ad classem reversus est. Ethelredus inter hæc, qui annus fuit millesimus decimus MXVI. sextus, morbo pariter ac moerore contabescens vitâ excessit, cum annum circiter ætatis quadragesimum octavum complevisset, quod & indicat ejus in æde Paulina epicedium ac tumulus, quæ hodieq; adhuc apud Vestmonasterienses servari inviolata Londini constat. Est autem illud ejusmodi, seculi sui genium referens:

IN ISTO TUMULO IACET ETELREDUS, QUONDAM REX ANGLIAE DE GENERE SAXONICO, FILIUS REGIS EDGARI, DICTI PACIFICI, ET PATER SANCTI EDUARDI REGIS ET CONFESSORIS. FUIT ETIAM PATER EDMUNDI REGIS. POSTQUAM AUTEM REGNAVERAT ANNOS XXXVIII IN MAGNA TRIBULATIONE DANORUM OBIIT XXIII, DIE MENSIS APRILIS, ANNO DOMINI MXVI, AETATIS SUAE XLVIII; ET HIC SEPULTURAM PROMERUIT, &c.

Post obitum Ethelredi potissima regni pars unanimi consensu sceptrum Canuto detulit, solis Londinensibus, præter perpaucos alios, Edmundo adhærescentibus. At Emmę Encomiastes refert, defuncto ac sepulturę mandato Ethelredo, cives Londinenses, missis ad Canutum nuntijs ei obsequium pollicitos; & Canutum quoq; firmato cum ijs foedere urbem ingressum; sed cum animadverteret exercitũ Ethelredi Edmundo adhærere & opido jam ante egressum de vi majore consilia agitare, tum & dubitaret de fide civiũ, cessisse ad tempus, & ascensis navibus insulam *Scepei* dictam petijsse, atq; ibi in hibernis constitutâ classe rei eventum expectasse. Edmundum autem, regrediente Canuto, magna cum manu Londinum, volentibus civibus, intrasse, ac mox singulare ei certamen detulisse, sed Canutum responsum dedisse, ut, qui hic hiemali die duellum expeteret, videret ne sub æstatem & tempore commodiori id detractaret. Canutus itaque coactis exinde copijs Londinum petit & mox, subvecta eodem per Thamesin flumen classe, urbem obsidione circumdat. Londinenses, quibus de commeatu & annona satis erat prospectum, tum & armis & viris muniti obsidionem, licet arctissimam, animose tolerarunt, tentatis fere indies novis irruptionibus; dum tandẽ, festinante Canuto cum Edmundo confligere, obsessis nonnihil quietis ac pausæ concessum. Edmundus autẽ, qui ad pagum Andoverã prope Sarisberiã castra locaret, ubi signa Danorũ efferri animadvertit, se quoq; certamini accingit. Inde ab horâ tertia, ad noctem fere usq; extractũ prælium, cum in neutram adhuc partẽ inclinata acies consisteret. Quod animadvertens Edricus prælio egressus est ac tumulo conscenso gladiũ

HENRICO II. IMP.

cruore manantem vibrans tali voce perclamavit; *fugite Angli, fugite, Edmundus extinctus eſt.* Habent annales Anglici idiomate gentis in hæc fere verba id ipſum prolatum : *flet Engle, flet Engle, ded is Edmund.* Alij volunt caput gregarij militis cervice reciſum, pro capite Edmundi oſtentatum ; atque eo veluti Panico terrore commotum exercitum de fuga cogitaſſe, niſi dolus extemplo omnibus innotuiſſet. Itaq; Anglus ea indignatione magis magiſque commotus tanto poſt id impetu in hoſtem prorupit, ut eum loco primum moverit, atque inde in fugam conjecerit. Canutus commiſſo prælio, ad urbem propius movens aciem de novo inſtruxit : factaq; tum pugna atrox recentibus animis corporibusq;, quam æquo utrimque Marte diu commiſſam nox tandem diremit. Similiter & aliquot deinceps diebus dimicatum ; donec ultra viginti hominum millia utrimque deſiderata. Poſt hæc Canutus circa Roceſtriam dies aliquot moratus, partim ut majorem exercitum faceret, partim ut hoſtium conſilia per exploratores intelligeret. Quod & facili negotio obtinuit. Nam Edmundus haud patiens moræ iterum fortunæ aleam tentare auſus caſtra ſua Danorum caſtris quam proxime locavit : Priuſquam verò committeretur acies, alloquitur militem monetque ut memor tot antea commiſſorum præliorum fortiter in adverſum iret, quo tandem aliquando tantis laboribus optatus finis imponeretur. Canutus itidem, qui ſuos in dies horaſq; eſſe paratos juſſerat, alacris ex adverſo in arenam deſcendit. Pugnatumq; eſt amplius horis quatuor, cum cedere Dani cœperint. Quod ubi vidit Canutus, equitem in primam aciē ire juſſit. Sed dum alij trepidi cedunt, alij ſegniter ſubeunt, turbata eſt acies, & fuga ſecuta omniū. Multi nihilominus ex Anglis cæſi, quāvis major Danorum ſtrages fuerit. Clariſſimus Cambdenus Brentfordiæ ſitum commemorans, ait ad ejus amniculum, qui & urbi nomen dederit, Edmundum Danos, quos à Londini obſidione gradum referre cogerat, ità adortum, ut effuſis habenis fugam non ſine magnâ cæde capeſſerent. Ac mox de ipſo Londino idem agens refert, Canutum, dum urbem obſidet, effoſſo canali, Tamiſim avertere molitum, ſed operam luſiſſe, dum impetum hoſtilem cives fortiſſimè propulſarent. Poſtridie ejus diei Edmundus, orto ſole, ad ſpolia colligenda intentus ſuos expediebat ut hoſtium deinde tergis inſiſteret, cum ecce diſſipatos antea, tum verò in unum collectos, Thameſi tranſmiſſo, in Anglos orientales arma vertiſſe certior redditur. Ille nihilo ſegnius veſtigia eorum legens flumen quoq; tranſijt, & aſſecutus, dato confeſtim ſigno, ad pugnam provocat. Tum prælium adeo atrox exarſit, ut cedere jam jam Dani viderentur. Sed Canutus, intellecta ſuorum trepidatione, illico in cornu ſiniſtrum, unde præcipue periculum impendebat, impreſſione facta, it ſuis ſubſidio, atque obvios quoſque vi magnâ proſternit. Quo perterriti Angli facto impetu fugam capeſſere inſtituunt. Verum Edmundus ſiſtere ac velut ſufflaminare fugientes, quantum in ſe erat, anniſus id effecit, ut, ordinibus diſjectis, cum reſtitui acies haud poſſet undiq; à Danis intercluſi ad unum fere omnes occidione occiderint. Concidiſſe in eo prælio florem pæne univerſum nobilitatis Anglicanæ ac robur militum notant chronologi. Inter ceteros addit Malmeſburienſis Edricum Streonam, perfidiæ notæ hominem, & ſupra quoque eodem elogio non ſemel nominatum, paulo ante pugnam commiſſam, deſertis ex compoſito Canuti partibus, ad Edmundum, à quo defecerat, denuo tranſiſſe ac primum fuiſſe, qui ſe cum ſuis in fugam conjecerit. Alij & præſertim author encomij Emmæ reginæ nihil de tranſito Thameſi aut clade Canuti injiciens, refert victoriæ auſpicium Danis factum ex eo, quod tempore prælij corvus, vexillo candido quaſi intextus, à milite ſit animadverſus modò aſſilire modò ſe dimittere, primumq; fuiſſe Torchillum, qui eodem conſpecto, militem bono animo eſſe juſſerit, ac ſimul in hoſtem duxiſſe circa *Eſcedunum*, quod *montem fraxinorum* interpretatur: Ac tum defeciſſe ab Edmundo Edricum: Verum Edmundum ſuos nihilominus cohortatum ut pro patriâ, pro libertate proque liberis & conjugibus animoſè pugnarent nec moverentur meticuloſorum quorundam diſceſſu, qui impedimento magis quàm adjumento fortibus erant futuri : atq; ità in medios hoſtes progreſſum: ſed Danos cedere neſcios & ad necem potius quàm ad fugam paratos, ab horâ diei nonâ in veſperam uſque prælium extraxiſſe & ne tunc quidem ceſſaſſe, ſed Lunâ lumen præbente in hoſtem irruiſſe, dum tandem fatigati Angli & ſtrage ſuorum numeroſa compulſi fuga ſibi conſuluerint, relictâ penes Canutum victoriâ. Edmundus igitur rem conclamatam videns magnis itineribus ad Anglos occiduos contendit ſeque Gloceſtriam recepit. Et licet fracti eâ clade jam Angli viderentur ac paſſim opida ipſumque Londinum Canuto obſequium ac fidem pollicerentur, tamen Edmundus iterum exercitum parare & Canuto, qui victum victor inſequebatur, ſe opponere ſeque extremo commit-

committere periculo nequaquam dubitabat. Iamque operiebatur haud procul Sabrinæ ripâ ad pugnam ineundam expeditus utrimque exercitus, cum repente suasu Edrici, qui post varias technas pacis demum sequestrum se offerebat, institutum fuit inter reges colloquium. Quo conventum exque fœdere pactum (ità enim traditur) ut positis utrimque armis Mercia & quidquid à Thamesi est Angliæ, ortum & boream versus, Canuto cederetur; Edmundus insulæ partem, quæ Austrum & occidentem spectat, teneret. Alij produnt unum ex ducibus, is Anglusne an Danus fuerit, non memoratur, impetratâ loquendi facultate ità coram regibus verba fecisse: Satis, ô fortissimi imperatores, armis utrimque certatum, satis utriusque gentis fusum sanguinis, satis etiam vestra ac militum vestrorum virtus perspecta. Si pro regno belligeratis, dividite inter vos opulentissimum regnum, quod olim septem regibus satis fuit: Sin verò gloria ad incerta vos ducit, & unus præesse velit omnibus, inite rationem, qua sine magna clade, sine tanto utriusque populi cruore decerni possit, uter alteri præstet. Et addunt placuisse posteriorem sententiam Edmundo, eamque nec Canuto improbatam. Itaq; decretum ut reges inter se duello certarent. Quorum qui vicisset, is seorsim & solus regnum obtineret. Erat in medio Sabrinæ flumine perexigua insula (ità porro tradunt) Olvea dicta, in hanc uterque regum armatus descendit. Ac dato extemplo per tubicinem signo, armis infestis concursum. Edmundus, cujus corpus erat mole & magnitudine spectabile, ingenti cum pondere magnoque fragore in adversum ruebat. Canutus verò statura mediocri, quod deerat corpori, viribus atque animo pensans, & exire ac reddere ictus paratum se ostendebat. Cumque cominus aliquandiu & æquo sic esset marte pugnatum, spesque victoriæ appareret dubia. Tum Canutus, ecquid juvabit, vir fortissime, immaturam pro regno oppetere mortem. Quin potius dispositis cum odio armis, pacem inter nos colimus. Sane tu, prout lubet, utere Canuto tuo, quem vides præsentem tuique faventem. Quibus verbis dilinitus Edmundus, evestigio projectis armis porrigit adversario dextram. Secutusque exemplum exercitus. Inde pace firmata, ac multos in annos sancito fœdere, regnum, ut modò est memoratum, partiuntur. Et ità quidem nonnulli traditum memoriæ reliquêre. At Emmæ Reginæ Encomiastes, æqualis eorum temporum, & quem ideo sequendum potius existimem, duelli hujus non meminit, tantum de Edrico refert eum inter Canutum & Edmundum pacis sequestrum fuisse. Sed fluxæ sunt opidoque caducæ res mortalium! Nam Edmundus integra jam pace fruens, atq; animo securus haud multò post humanis exemptus est. De cujus morte quàm varient auctorum sententiæ, libet vel paucis interserere. Sunt qui tradunt Edrici filium, impulsore parente, regem, dum alvum exonerat, furtim adortum ac ferro ventrem atque inguina interscidisse. Alij, quibus fabellæ cordi sunt, perhibent ipsum Edricum ità domi suæ aptasse imaginem, tenentem dextra mucronem, ut, quoties vellet, accedentem ad eam feriret; Et forte fortuna Edmundum, dum imaginem propius contemplatur, eo mucrone confossum. Alij morbo obijsse volunt. Plurium interim stat sententia, Edricum sceleris auctorem fuisse, ideoque & statim, post extinctum Edmundum, salutasse Canutum Angliæ totius regem; ac postea, cum suo id ei obvenisse beneficio profiteretur, Canutum facinus detestatum, atque Edricum proditionum artiumque talium veterem ac peritum merito affecisse supplicio. Saxo etiam noster & hujus & regni inter reges divisi mentionem, sed obiter injicit. Abit verò à ceteris, quod septennio post factam divisionem excessisse Edmundum memoret; quodq; pro Edmundo Eduardum perpetuò ac perperam appellet. Ità enim historiæ suæ libro decimo loquitur: *Eduardus contusis suorum animis, intolerabilem Danici exercitus spiritum animadvertens, quia manum non poterat, pactum cum hoste conseruit, ut quoad ipse viveret, Kanutum dimidij regni consortem haberet, extinctus omnium bonorum hæredem relinqueret.* Atque inde paucis interjectis: *Septenis postmodum elapsis annis quidam triclinium, in quo Canutus epulabatur, ingressi, totius Angliæ regem salutare cæperunt. A quibus rex sibi ictum cum Eduardo fœdus per involucrum exprobrari ratus, nihil ejus se pudere respondit. Sed neque ab irâ animum neque vultum à rubore continuit, profectas à scelere voces ludibrio propinquas existimans. Tunc illi funestum ministerium incauto confessionis officio prosecuti, Eduardum suâ interemptum operâ jactitabant, eo se regi placituros rati, quo summam ejus offensam accenderant. In quos rex perinde ac majestatis insidiatores, præparati præmij loco, suspendio protinus animadvertendum curavit, deterrimum facinus deformi vindictæ specie puniens. Quamquam enim se acri æmulo liberatum cognosceret, sceleri tamen pœnam, quam utilitati gratiam referre maluit.*

Canutus, defuncto Edmundo, senatum ac principes regni convocari fecit, à quibus more majorum ac festis acclamationibus rex renunciatus; & ab antistite Cantuariensi Al-

CANUTUS MAGNUS Rex.

CANUTUS MAGNUS Rex. A. C. MXVII.

vredo sub annum humanæ salutis millesimum decimum septimum consecratus, regnum sibi solus retinuit. Sunt qui tradunt in eo conventu quosdam ex magnatibus, qui postremis inter Edmundum & Canutum pactis conventis interfuissent, à Canuto, quasi transactionis parum memori, interrogatos, quid de fratribus & filijs Edmundi si forte ante se mori eum contingeret, decretum fuisset? datumque responsum id sibi constare, nunquam decrevisse Edmundum ut aliquam, ipso sive vivo sive mortuo, regni portionem fratres acciperent; de filijs verò hand ignorare se, eos Canuto summopere commendatos, dum ad eam tandem ætatem pervenissent, qua & sibi ac suis consulere ac rebus pręesse possent. Sed eos quacunque tandem gratia id falso testificatos non ignarus Canutus, quosdam eorum è medio exinde, detecto consilio aut qua alia occasione, tolli curavit. Unus item fratrum ipsius Edmundi inter ceteros quoque suspectatus, cum aliquandiu necem evasisset, postea tamen sublatus est, si vera sunt, quæ referunt Chronologi Anglici. Interea ceteri omnesque regni primores, abjuratis Edmundi liberis ejusque fratribus, se uni Canuto fidem atque obsequium perpetuo præstituros solemni sacramento promiserunt. Et ipse vicissim omnia sua prolixe proceribus pollicitus, talem se ipsis totiq; genti futurum principem, qualem esse Christianum deceat, seriò est adstipulatus. Inde senatum sibi domesticum delegit, de cujus consilio cuncta regni negotia gererentur. Ei inter ipsa rerum initia, quo omnes dissidiorum occasiones amoverentur, è re visum, ut quam primum Edmundus atque Eduardus, Edmundi regis filij, extra insulam ablegarentur. Qui post longos viarum errores tandem ad regem Hungariæ Salomonem, Henrici III. Imp. affinem, delati atque ibidem regio cultu habiti, in exilio vitam tolerarunt. Edmundus procedente tempore ibidem apud Pannonias obijt. Eduardus, acceptâ in matrimonium Agathâ regis filiâ, ex eâ Margaretam, postea Scotorum reginam, nec non Christinam monialem itemque Edgarum Clithonem liberos suscepit.

Canutus deinde diviso in quatuor territoria toto regno, cum unicuique suum dedisset Comitem, sibimet Vestsaxiam reservavit. Postremo moribus ac nobilitate exornandum regnum deque omnibus bene mereri velle in animum inducens, Edgari regis Constitutiones aliasque salutares leges partim in usum revocavit, partim de novo ut sancirentur, mandari curavit. Atque ità dispositis domi rebus, cum filios tantum ex Albinâ Haraldum & Suenonem naturales haberet, constituit cum finitimis amicitiam esse nectendam tollendosq; ex thoro legitimo liberos, qui sibi aliquando hæreditatis jure possent succedere. Quapropter Emmam, Ethelredi olim regis conjugem, quæ cum Eduardo & Alphredo filijs apud fratrem Richardum, Normanniæ ducem, exulabat, in matrimonium duxit: Et ipse Richardo vicissim sororem suam Esthritham, quam aliàs Margaretam appellant, conjugio elocavit. Inter alia quoque de eadem hac laudabili ejusdem mente ac proposito Saxo Grammaticus, postquam de Ulphone sororio ipsius, Margaretæ nimirum post Richardum marito, verba fecisset, ità ait: *Quinetiam sororem Anglorum satrapæ Godvino nuptijs junxit, genti gentem animis atque affinitate conserere cupiens. Ex quâ Haraldum, Biornonem, Tostonem ortos memoriæ proditum habemus*: Ubi notandum id modo, sororem hanc intelligendam non, ut vulgo accipiunt, atque interpretantur etiam vernacule, Canuti Thyram (cum hæc Burislao Vandalorum, ut dicetur, principi primum, atque inde facto divortio, Norvagiæ Regi Olao Tryggonis nupserit) sed de Thyrâ capiendum, quæ soror fuit ipsius Ulphonis, ut habet diserte Adamus Bremensis. Et nos de Haraldo, quem rectè ex hoc connubio, præter ceteros, natum Saxo observat, Angliæ postmodum rege, dicturi referemus inferius.

MXVIII. Anno, qui secutus est, millesimo decimo octavo, septuaginta bis millium librarum tributum Angliæ imperatum ad præstandam solutionem classi ac regio militi debitam. Cujus tributi soli Londinenses mille quingenta pondo in solutum tradidêre. Inde universa Danorum classis, navibus quadraginta exceptis, in patriam remeavit. Et subsecutus est

MXIX. anno proximo sub autumnum ipse Canutus, qui hyeme tantum eâ apud Danos transactâ, confestim in Angliam ante festum Paschatis reditum maturavit. Reversus omnium regni procerum cogi concilium apud Cirencestrenses imparavit; ubi, inter cetera, dux Etelvardus cunctorum suffragijs regno exactus. In Daniam verò missus Regnerus, qui ibi, postquam ab archiepiscopo Cantuariensi Elnotho solenni ritu fuisset apud Anglos inauguratus, episcopatum Fionensem administrandum suscepit. Et anno mox vigesimo pri-

MXXI. mo post millesimum Torchillus, quem Anglię Orientali comitem Canutus constituerat, itemque Ericus, qui Northumbriæ ab eodem fuerat præfectus, Angliam relinquere jussi. Quorum Torchillus, qui occasionem præbuisset tollendi beati Alphegi, cujus supra meminimus,

CANUTUS MAGNUS Rex. A. C.

minimus, statim ut Daniæ littus attigit, oppressus est à limitum ducibus. Atque ità cum omnis Anglia uni Canutö pareret, summo ubique studio allaboravit ut Anglos sibi conciliatos magis magisque devinctos retineret. Itaque sine discrimine Danos Anglosque habendos censuit, idem utrisque in consessibus, in castris, in concilijs omnibusque in locis ac rebus jus ac prærogativam concedens. Quâ etiam re, Ethelredi, quam diximus, viduam, Richardi sororem, è Normannia accersitam in pristinum solium restituit, ac sibi connubio jungens tristium lætorumque esse sociam uoluit, ut ità non mutatos dominos, sed receptos, quos putarant amissos, omnes recognoscerent. Et ipsum denique Richardum sibi hoc pacto devinciens, eum de nepotibus securiorem ac minus solicitum reddidit, cum alios se consecuturum ex Canuto persuasum haberet. Eundem quoque in finem passim per Angliam monasteria, bellis superioribus aut diruta aut fœdata, reparavit. Quædam etiam ex ipsis fundamentis de novo excitata, additis præfectis & reditibus amplissimis, locupletavit. Basilicam præterea in honorem & memoriam Edmundi martyris, à popularibus ejus ac milite grassante olim trucidati, regiâ planè magnificentiâ exstrui curavit: Quam & suo adhuc tempore perdurasse integram Malmesburiensis ait, & cetera omnia Anglicana cœnobia, cum elegantiâ tum amplitudine domorum, multis parasangis superasse. Quin etiam curæ habuit ut episcopi pietate & doctrina commendati ex Anglia in Daniam transmitterentur. Nec contentus Regnerum, de quo diximus, Fioniæ episcopum constituisse, nisi & Bernardum Scaniæ, & Gerbrandum vel, ut alij, Heribrandum Selandiæ præficeret. Quorum Gerbrandi jam ante quoque sub Suenone mentionem injecisse nos memini; At nunc episcopi titulo ab archiepiscopo Cantuariensi Elnotho cum ceteris insignitus, ubi reditum ex Anglia in Daniam pararet, retentum ab archiepiscopo Hamburgensi Unvano notat Adamus Bremensis, utpote consecrationem ab Anglis factam minus æquam judicante. Verum ille pro tempore Unvano obsecundans omniaq; Hamburgensi cathedræ prolixè deferens cum archiepiscopo in gratiam redijt. Qui exinde legatos suos muneribus instructos ad regem Canutum discedenti addidit: ijq; Regi de rebus in Anglia feliciter gestis postquam fuissent congratulati, simul eundem commonendum sibi in mandatis datum significarunt, quod despectâ Hamburgensium ecclesiâ, cui illud summi pontificis privilegio debebatur, Danorum episcopos inungi apud Anglos permitteret. Quæ omnia benigne rex accipiens & obsecuturum quoque archiepiscopo in posterum pollicitus, eo deinceps peramico usus est. Adeo ut de ipso verè dici possit, eum sanctitate & fortitudine instructissimum non minus religionem, quàm regnum proferre curæ habuisse.

Hoc circiter tempore, qui fuit post millesimum annus vigesimus secundus, obijt imperator Henricus II, ob justitiam & pietatem *sanctus* appellatus; quem & *claudum* cognominatum tradunt. MXXII. Ab eo ad Conradum Salicum translatum imperium, cum post biennij interregnum discordantium inter se principum sententiæ in eum tandem omnes consensissent. Initio statim imperij Bohemos & Slavos compescuit. Cum rege Canuto, medium se interponente archiepiscopo Unvano, pacem & fœdus pepigit. Ejusdem quoque cura & studio Sydericus & Utho, Slavorum satrapæ alijque vicini principes, in fide & amicitiâ Canuti perstitêre, dum ipsum ad publica subinde gentis suæ comitia & amica colloquia invitant.

Eodem propemodum temporis spacio Norvagiæ Rex Olaus, cum domi forisque salutarem Christi doctrinam summo studio etiam usque Islandos propagasset, armaque unà cum Sueco Danis movisset, seditione domestica pulsus regno, occasionem Canuto dedit occupandi sceptri. Advenerat tum commodum magna cum Anglorum manu è Britannia ille: Et licet haud deessent, quibus nón displiceret Olaum ab exilio ad regni solium revocari, pluribus tamen placuit Canutum, ut populo magis gratum, in locum absentis substitui. Cum itaque redijsset è Russia (eo enim profugerat) in patriam Olaus, & orta MXXVIII. esset inter ipsum & regni proceres ob cædem quorundam præfectorum contentio, erupit tandem ea in apertum bellum. In quo ad extremum, deleto Olavi exercitu, ipse ut sanctus & martyr, acceptis aliquot à ducibus belli vulneribus, in loco prælij prope Stekelstadam expiravit: fraterque ejus Haraldus similia timens, primo ad Moschum atque inde in Græciam profectus, aliquandiu apud Orientis imperatorem stipendia meruit. Filius verò Magnus ad Moschos delatus ibi similiter aliquandiu delituit. Tum Canutus, qui & Norvagiensium quosdam, ut Saxo notat, devinctos sibi pecunia tenebat, Daniæ & Angliæ regnis adjiciendi insuper Norvagiæ titulum occasionem arripuit. Nam confestim post cædem

CANUTUS MAGNUS Rex. A. C.

cædem Olai claſſe navium quinquaginta Norvagos adijt, & ſuperatis aut ſemotis, qui favere Olao videbantur, facili negotio regnum univerſum ſibi pacatum ac dicto audiens reddidit. Inde priuſquam in Angliam vela verteret, nepotem ſuum Haquinum, cognomento Iarlæum, quem rebellionis nomine ſuſpectum habebat, ſpecie legationis ſemovere ſtudens, Regem Norvagiæ nominavit. Cui dum ille aliquanto tempore præeſt, captâ occaſione, in Angliam navigat, ut inde pactam ſibi ſperatam ſecum ad Norvagos deducat. Sed tardius & adulto jam autumno cum claſſe regreſſus, & ipſe & ſponſa cum ceteris, qui aderant, oborta tempeſtate naufragio perijt. Idque cum intellexiſſet Canutus Suenonem ex Alvina filium, qui tum apud Iulinenſes agebat, domum accerſitum Norvagiæ rebus impoſuit. Refert Norvagiæ chronicon vernaculum ſtatim à primo in Norvagiam Canuti Magni appulſu nepotem ejus Haquinum Norvagis præfectum; atq; inde, digreſſo Canuto, ſocijs Norvagorum armis in totum ab ipſo pulſum Norvagia Olaum, ſeceſſiſſe ad Iarlevum Ruſſorum principem, qui Aſtritæ conjugis ejus ſororem Ingeburgam duxerat: & mox elapſo tempore, ubi accepiſſet Haquinum naufragio abſumptum, è Ruſſiâ ad repetendam Norvagiam redijſſe, ſed armis indigenarum retuſum, eum, ut memoravimus, in modum præliando occubuiſſe. Saxo præterea id adjicit, Canutum, obtentâ Norvagiâ, ad Anglos reducem arma ſtatim in affinem ſuum Richardum, Normanniæ ducem, ob ſpretam Eſthritam conjugem, vertiſſe, eumque patria exegiſſe: Ac mox ſororem Eſthritam ad Daniæ Zelandos regreſſam regni rebus ab eodem Canuto, fratre ſuo, præfectam. Sed de eo dicetur uberius poſtea. Mox annum circiter milleſimum vigeſimum nonum

MXXIX.

ſucceſſit Unvano, Hamburgenſium archiepiſcopo, Libentius. A quo deinde in locum Herbrandi conſecratus eſt Avaco Selandiæ, Alburgenſium vero antiſtes nominatus Meinherus.

Canutus igitur ſuperiori adverſus Norvagianos bello cum & Scaniam recepiſſet & Suecorum vires perplurimum attriviſſet, non tantum Norvagiæ, ſed Suetiæ quoque regno frœnum injeciſſe videri poterat. Itaque Slaviæ & Sembiæ, de quibus ſupra indicatum, tum & Daniæ, Norvagiæ, Sueciæque atque Angliæ, ſex præpollentium regnorum latè dominus, ad Scotiam quoq; ſubigendam animum applicuit. Saxonis hoc loco Grammatici verba, quibus ſex regnorum meminit, non ſatis intellecta Crantzio, quem fugiſſe videtur Sembiam & Slaviam ab eo inter regna Septentrionis numerari. Sueno igitur Norvegiæ, ut monuimus, cum regio imperio à Canuto præfectus, paternæ laudis æmulus magna cum claſſe è Norvegiâ in Fifam Scotorum trajecit. Ad rumorem adventus ejus, hinc Macbetus inde Duncanus, velut è ſomno excitati, hoſti obviam eunt. Primum prælium prope Culroſſiam pugnatum eſt, tanta pertinacia ut Danis ad ſequendum fugientes animus deeſſet, Scotis ad fugam vix vires ſuppeterent. Itaque Sueno, modò inſiſteretur, totam Scotiam brevi ſuæ ditionis fore non vanè auguratus, Bertham cum omnibus copijs ad obſidendum Duncanum contendit, claſſe circummiſſa, ut per Taum amnem eodem appelleret. Quod Duncanus videns, omni jam ope quaſi deſtitutus ut arte ſe expediret, dimittit nuncios, alium ad Macbethum ut ſubſiſteret, alium ad Suenonem, qui de deditione ageret. Scotus petebat, ut urbe dedita, ſibi cum ſuis incolumibus abire liceret. Sueno exiſtimans eam petitionem ab ultima deſperatione profectam, nihil, niſi omnibus ſibi permiſſis, audiebat. Miſſi & alij, qui in ſcribendis conditionibus tempus traherent. Hi ut ampliorem beneficentiæ ſpeciem adjicerent, regem adfirmant, dum leges pacis darentur, earum rerum, quæ ad commeatum ſpectant, abunde in caſtra miſſurum. Itaque miſſa magna vis panis & vini nec non cerviſiæ ex hordeo confectæ ac ſucco herbæ cujuſdam, quam Latini ſolanum ſomniferum vocant, imbutæ. Hæc herba, ſi largius ſumatur, in amentiam agit. Ea igitur cum eſſent infecta pæne omnia, qui commeatum in caſtra vehebant, ne fraus appareret, prægustabant, Danoſque ad bibendum invitabant. Idem quoq; Sueno ipſe benevolentiæ teſtandæ, ut mos eſt genti, faciebat. Ac mox potu copioſiore in ſomnum ſolutis Norvagis, caſtra ingreſſi Scoti cædunt univerſos. Sueno ipſe ſomno adhuc gravis à paucis, qui minus temulenti erant, arreptus ad naves delatus eſt. Quæ dum fiunt, adfertur aliam ad Kingornum Danicam claſſem ſtare ſubſidio Suenoni à Canuto ſubmiſſam; rectores in terram expoſitos ferre, agere, nullo reſiſtente, incolentium bona. Adverſus eos Scoticus dux, Bancho nomine, cum copijs miſſus primos adortus & quoſdam concîdens reliquos ad naves compulit. Verum Scoti iſto ſtratagemate, ſive dolo potius, non virtute ſuperiores, ad incitas tum acti fuiſſent, præſertim ſi altera hęc claſſis priori juncta rem integrâ repeVriſſet. Regreſſus inde ad Norvagos Sueno Scotos demiſit.

Hanc

Hanc in Scotos expeditionem Malmesburiensis, qui & eâ subactos eosdem videtur innuere, refert ad annum non quem posuimus, sed proxime sequentem, quo Româ nimirum Canutus redierat. de qua ejusdem profectione nunc breviter dicendum:

CANUTUS MAGNUS Rex.

Agebatur à nato servatore annus millesimus trigesimus, vel, ut alij, trigesimus primus, cum relatâ ad filios Haraldum, Suenonem & Canutum regnorum suorum curâ, ipse Romam iter ingressus & à Iohanne ejus nominis vigesimo primo pontifice maximo, perhumaniter exceptus, multis ex auro argentoq; fulgentibus donis alijsque pretiosis honorarijs Apostolorum principem Petrum veneratus est. Ab ipso autem summo pontifice, inter cetera, comiter impetratum obtinuit, ut illustre quod habebatur apud Anglos liberalibus studijs dicatum Athenæum ab omnibus post id temporis exactionum oneribus immune atque exemptum præstaretur. Se præter hæc, dum itinere faciendo distinetur, tam eundo quam redeundo, mire se adversus egenos munificum præbuit. Quin & locis diversis, ubi in publicum conferre aliquid portorij vice peregrini ex more tenebantur, ipse deposito semel ingenti pretio, collationes ejusmodi in totum abrogari curavit. Assistens verò ac coram contuens Apostolorum divi Petri & Pauli memorias (ità monumenta vocant) sancte seriòque pollicitus est, ac Deo veluti vovit, se exinde talem vitæ morumque inituram rationem, quæ verè pœnitentem approbaret. Quibus de rebus epistolam insuper memoriâ posterorum dignissimam venerabili ac spectato viro Livignio, ecclesiæ Stavetocensis Abbati, quem sibi itineris comitem elegerat, alijsque legatis suis traditam, in Angliam præmisit, dum ipse, unde digressus fuerat in Daniam prius quàm ad Anglos redit. Hac epistolâ Etelnoto Metropolitano & AlfricoEboracensi archiepiscopo ceterisq; præsulibus ac regni primatibus præmissâ salute, profectionis suæ ad urbem Romam fuisse causam indicat, ut ibi pro remissione suorum delictorum proque incolumitate regnorum ac populorum suorum apud Deum Opt. Max. precibus intercederet: seque jam diu id animo agitasse, sed hactenus ob varia rerum ac regnorum suorum negotia impeditum; nunc vero Deo grates agere, qui illud iter perficere ac sanctos suos Apostolos coram adorare ac salutare concesserit: Cumque à viris prudentibus doctus non ignoraret præcipue Petro Apostolo datam à Domino potestatem ligandi ac solvendi, eique & claves aulæ cœlestis concreditas, ideoque vel maxime illius opem ac patrocinium exorandum judicasse. Non itaq; latere eos velle in illâ solenni Paschatis festivitate ingentem undiquaq; hominum multitudinem omnesque à Gargano monte ad proximum usque mare gentium principes cum ipso pontifice Max. Iohanne & imperatore Conrado præsentes adfuisse; seque ab omnibus summo studio exceptum ac salutatum multisq; muneribus honoratum; & maxime ab ipso imperatore cum aureis tum argenteis vasis alijsque singulari artificio elaboratis rebus, ut pallijs maximique pretij vestibus esse donatum; Eâque occasione cum imperatore & pontifice ceterisque principibus viris de oneribus ac querimonijs subditorum suorum, tam Anglorum quam Danorum, sermones miscuisse, ac petivisse ne ij, Romam ituri, tot telonijs atq; exactionibus alijsque remoris fatigentur; ijsq; & annuisse imperatorem & Regem quoque Rudolphum, qui præcipue istarum, per quas transitus patet, clusarum curam gerit: Conquestum etiam apud summum pontificem, sibique displicere disertè à se eundem commonitum, quod præsules suorum regnorum tanto ære tantisque impendijs exhauriantur, si quando ad pallium accipiendum sedem Apostolicam pro more accedant: atque id ne deinceps fiat decreto sancitum: Sicque cuncta, quæ à se essent postulata & quorum nomine pontificem maximum atq; ipsum Romanorum Imp. & Regem præterea Rudolphum, per quorum territoria commeari Romam solet, compellavisset, ea benigne omnia indulta ac præsentibus insuper quatuor archiepiscopis nec non episcopis viginti, exceptis ducibus ac nobilibus, qui frequentissimi aderant, singula sacramento firmata. Se itaque omnipotenti Deo & ore & pectore ingentes gratias reddere, quod quæcunque animo & mente concepisset ea omnia feliciter & ex votis esset consecutus. Et velle idcirco, ut constet suis omnibus, Deo supplicem vovisse, se ab isto temporis puncto vitam ac mores suos in melius relaturum; regnisq; ac subditis suis, habito ubiq; æqui ac juris respectu, pie ac religiose præfuturum; Et si quid esset vel negligentiâ vel alias juvenili imprudentiâ à se hactenus commissum, id, numine juvante, deinceps emendaturum. Ideoque obtestari ac seriò mandare consiliarijs suis, quibus regni negotia commissa sunt, ne ullo pacto aut sui metu aut cujusquam præpotentis favore ab æquo deflectant, aut suis in territorijs quidquam quod iniquum sit, surrepere aut prævalere permittant; Præcipere etiam vice-comitibus omnibus, ac regni sui universi præfectis, quatenus sui

MXXX. MXXXI.

sui favorem ac propriam salutem charam habeant, ne quenquam sive divitem sive pauperem, nobilem aut ignobilem ullâ injuriâ afficiant, sed omnes ex æquo legibus ac jure ut frui sinant; à quibus nec ob sui favorem nec ob personæ alicujus præillustris potentiam neque ob fiscum denique suum adimplendum ut recedant, ullatenus cupere, cum necessitas nulla suadeat ut modis iniquis aut artibus malis opes sibi aut pecunias cumulet. Se idcirco, quod eos ignorare nolit, in Daniam & ad borealia sua regna unde iturus Romam, fuerat digressus, redire, quo pacem ac firmum cum ijs populis fœdus feriat, qui ut se regno ac vitâ spoliarent modis omnibus allaborarunt, sed, Deo consilia & conatus ipsorum dissipante, frustra fuisse. Qui & porro suo nutu regnum sibi pacatum concedat honoresque adaugeat, ac animum ex adverso suorum inimicorum viresque ac machinationis destruat. Denique constituisse se hac æstate, composita cum gentibus vicinis pace, ac tranquillato, quod est in oriente, regno universo, ità ut nullibi extimescendum sibi bellum sit, quam citissime in Angliam cum classe reverti: Hanc autem idcirco præmittere epistolam, ut de felici rerum suarum successu omnes exultent, gnari nec labores se nec molestias ullas subterfugisse, neque etiamnum subterfugere, quibus suorum commoda promovere suisque prodesse possit: Ideoque & obtestari ac mandare Episcopis suis omnibus ac regni præsidibus, per eam, quam Deo & sibi fidem dederunt, ut, priusquam in Angliam adveniat, nomina omnia, & quæcunq; more majorum Deo exsolvenda non ignorent, expuncta ac soluta sint: Cujusmodi sunt, pro aratris elemosynæ & animalium anni cujusque decimum; itemque S. Petri denarius tam ab urbanis quam ex vicis exigi solitus, ac denique decimæ medio Augusti mense ex frugibus reddendæ; atque inde sub festum divi Martini satorum primitiæ, quas suæ quisque parochiæ persolvit, Anglis vulgo **Kirkeschat** nominatæ. Hæc & his similia, si ante suum reditum non fuerint reddita, se ut regiâ auctoritate secundum leges in delinquentes statuatur, haud prætermissurum. Ipsam epistolam, quâ est exarata phrasi ac formula, ne quis & eam desideret, proxime subjiciendam curavi:

CANUTUS *Rex totius Angliæ & Danemarciæ & Norreganorum, & partis Suanorum, Æthelnotho Metropolitano, & Alphrico Eboracensi archiepiscopo, omnibusque episcopis & primatibus; & toti Anglorum genti, tam nobilibus quàm plebeis salutem. Notifico vobis, me noviter ivisse Romam, oratum pro redemptione peccaminum meorum, & pro salute regnorum, quique meo subjacent regimini populorum. Hanc quidem profectionem Deo jam olim devoveram, sed pro negotijs regni, & causis impedientibus, huc usque perficere non poteram. Nunc autem ipsi Deo meo omnipotenti valde humiliter gratias ago, qui mihi concessit in vitâ meâ sanctos Apostolos suos Petrum & Paulum, & omne sanctuarium, quod intra urbem Romam aut extra addiscere potui, expetere, & secundum desiderium meum præsentialiter venerari & adorare. Ob id ergo maxime hoc patravi, quia à sapientibus didici, sanctum Petrum Apostolum magnam potestatem à domino accepisse ligandi atque solvendi, clavigerumque esse regni cœlestis, & ideo specialius ejus patrocinium apud dominum diligenter expetere valde utile duxi. Sit autem vobis notum, quia magna congregatio nobilium in ipsâ Pascali solennitate ibi cum domino Papâ Iohanne & Imperatore Conrado erat, scilicet omnes principes gentium à monte Gargano usque ad istud proximum mare, qui omnes me & honorifice suscepêre, & donis pretiosis honoravêre: maxime autem ab Imperatore donis varijs, & muneribus pretiosis honoratus sum, tam in vasis aureis & argenteis, quàm in pallijs & vestibus valde pretiosis. Locutus sum igitur cum ipso imperatore, & domino Papâ, & principibus qui ibi erant, de necessitatibus totius populi universi regni mei, tam Anglorum quàm Danorum, ut eis concederetur lex æquior & pax securior in viâ Romam eundi, & ne tot clausuris per viam arctentur, & propter telonium injustum fatigentur, annuitque postulatis imperator, & Rudolphus rex qui maximè ipsarum clausurarum dominatur, cunctique principes edictis firmaverunt, ut homines mei tam mercatores quàm alij orandi causâ viatores, absq; omni angariâ clausurarum & telonariorum, firma pace & justâ lege securi Romam eant & redeant. Conquestus sum iterum coram domino Papâ, & mihi valde displicere causabar, quod mei archiepiscopi in tantum angariabantur immensitate pecuniarum, quæ ab eis expetebatur, dum pro pallio accipiendo, secundum morem, apostolicam sedem peterent, decretumque est ne id deinceps fiat. Cuncta enim, quæ à domino Papâ & ab ipso imperatore, & à rege Rodolpho, ceterisque principibus, per quorum terras nobis transitus est ad Romam, pro meæ gentis utilitate postulabam, libentissimè annuerunt, & concessa sacramento etiam firmaverunt, sub testimonio quatuor archiepiscoporum & viginti episcoporum & innumeræ multitudinis Ducum & nobilium, qui ibi aderant. Quapropter Deo omnipotenti gratias magnificas reddo, quia omnia quæ desideraveram, prout mente decreveram, prospere perfeci, votisque meis ad velle satisfeci. Nunc itaque notum sit omnibus vobis, quia ipsi Deo omnipotenti supplex devovi vitam meam à modo in omnibus reformare, & regna mihi subdita, populosque juste & pie regere, æquumque judicium per omnia observare:*

& si

& si quid per meæ juventutis intemperantiam aut negligentiam hactenus præter id quod jussum erat, actum est, totum Deo auxiliante deinceps dispono emendare. Idcirco obtestor, & præcipio meis consiliariis, quibus regni consilia credidi, ne ullo modo, aut propter timorem mei, aut alicuius potentis personæ favorem, aliquam injustitiam à modo consentiant, vel patiantur pullulare in omni regno meo. Præcipio etiam omnibus vice comitibus, & præpositis universi regni mei, sicut meam amicitiam aut suam salutem habere volunt, ut nulli homini (nec diviti nec pauperi) vim injustam inferant, sed omnibus tam nobilibus quàm ignobilibus, & divitibus & pauperibus, sit fas justâ lege potiundi, à qua nec propter favorem regium, aut alicuius potentis personam, nec propter mihi congregandam pecuniam ullo modo devietur; quia nulla mihi necessitas est, ut iniquâ exactione mihi pecunia congregetur. Ego itaque, quod vobis notum fieri volo, eadem viâ quâ exivi, regrediens Danemerciam, eo pacem & firmum pactum omnium Danorum consilio cum eis gentibus & populis compositurus, qui nos & regno & vitâ privare, si eis possibile esset, volebant, sed non poterant, Deo scilicet virtutem eorum destruente, qui nos sua benignâ bonitate in regno & honore conservet, omniumque inimicorum nostrorum potentiam & fortitudinem deinceps dissipet & & annihilet. Compositâ denique pace cum gentibus, quæ in circuitu nostro sunt, dispositoque & pacato omni regno nostro hic in oriente, ità ut à nulla parte bellum aut inimicitias aliquorum timere habeamus, quàm citius hac æstate apparatum navigii procurare potero, Angliam venire dispono. Hanc autem epistolam idcirco præmisi, ut de meâ prosperitate omnis populus regni mei lætificetur; quia ut vos ipsi scitis, nunquam memetipsum, nec meum laborem abstinui, nec adhuc abstinebo, impendere pro omnis populi mei necessariâ utilitate. Nunc igitur præcipio, & obtestor omnes episcopos, & regni præpositos, per fidem, quam Deo & mihi debetis, quatenus faciatis, ut antequam ego Angliam veniam, omnia debita, quæ Deo secundum legem antiquam debemus, sint soluta, scilicet elemosynæ pro aratris, & decimæ animalium ipsius anni procreatorum, & denarii, quos Romæ ad sanctum Petrum debemus; sive ex urbibus, sive ex villis, & mediante Augusto decimæ frugum, & in festivitate sancti Martini primitiæ seminum ad ecclesiã, sub cujus parochiâ quisq; est, quæ Anglicè Circesceat *nominatur. Hæc & his similia si (dum venero) non erunt persoluta, regia exactio secundũ leges (in quem culpa cadit) districtè absq; veniâ comparebit. Valete.*

Rex Rudolphus, cujus epistola meminit, Abbati Stadensi Rex Burgundiæ est. Hic anno MXXXII diadema suum Cunrado Imp. per tabulas testamenti moriens mandavit. Nam ut tradit Helmoldus, annis jam ante à subditis ditione pulsus pòstquam confugisset ad Imp. Henricum cognatum, per antistitẽ Argentoratensem Vernerum, victis prælio Burgundis, solio suo restitutus est. Hoc etiam tempore ipsius Canuti regis & Bernardi Saxoniæ Ducis operâ firma inter eas gentes, quæ Albim borealem accolebant, pax constituta. Eâque occasione usus episcopus Libentius sæpenumero Bremâ Hamburgum commeabat. Nam & Cæsar Vinnulos tum bello domuerat. Horum principes habebantur Gneus, Anatrogus & Utho: Quorum postremus Utho tertius dictus, Mistovi filius, se adversus Christianos periniquum atq; inimicum declarabat. Unde & mox à transfugâ quodam Saxonum trucidatus, filium reliquit Godeschalcum: Qui per idem tempus Luneburgi, quod Ducis erat monasterium, liberaliter habitus, ibi literarum cultu imbuebatur. Verum intellectâ parentis cæde, adeò vindictæ cupidine efferatus exarsit, ut rejectis cum fide Christianâ literis, earum vice arma corripuerit, & ad Vinnulos fidei Christianæ hostes, Albi transmisso, profugerit. Quibus conjunctus multa Saxonum millia, ut patrem ulcisceretur, ferro sustulit: Tandem ut grassatorum coryphæus à Duce interceptus custodiæ est traditus. Sed postmodum icto cum eo, utpote viro fortissimo & quem rebus suis haud incommodum futurum Dux judicabat, fœdere, dimissus est. Inde ad Regem Canutum digrediens cum ipso in Angliam transmisit. Ubi aliquandiu inter aulicos ac regis familiares militiæ laboribus aliisq; honestis studiis vitam traduxit. Saxoni Grammatico parens ejus non Utho, sed Apribigneus appellatur. qui & illud à superioribus, in quibus Adamum Bremensem & Abbatem præcipue Stadensem sumus secuti, diversum habet, quod patrem Christiani cultus fuisse amantissimum & Slaviã à religione deficientẽ revocare, sed frustra conatũ dicat.

Canutus verò cũ esset, ut diximus, in Italiâ, & Imp. Cunrado familiariter & multũ uteretur, accidit ut, præter cetera modò memorata, de nuptiis quoq; inter Henricũ 3. Imperatoris filiũ, & Gunildã ex Emmâ genitã, Canuti filiã, cõtrahendis ageretur. Quæ & pactæ exinde ac celebratæ, ut volunt, in inferiori Germania Neomagi sunt, ingenti magnificentiâ. Cujus lætissimi connubii æram referunt chronologorum pleriq; ad annũ MXXXVI, quamvis nec desunt qui anno minus numerent. Et sunt quoq; qui tradunt, imp. resignasse tum simul regi Canuto jus quod haberet in terris Holsatiæ & Daniæ conterminis. Ex eâ haud multo post Cæsar, Saxone attestante, filium suscepit æque fortunâ ac nomine Magnum. Postmodũ, ut solet fere gaudia mœror consequi, calumniis malevoli cujusdã coram Imp. accusata

CANUTUS MAGNUS Rex. ad C

MXXXII.

MXXXVI.

CANUTUS MAGNUS Rex.

A. C

accusata adulterij, cum se judicio candentis ferri, ut tum erat moris, marito purgasset, nec tamen vel ei aut calumniatori satisfactum videretur, submisit in duellum suo nomine adolescentulũ, quem secũ domo adduxerat. Hic, Deo innocentiæ vindice, vicit ac prostravit accusatorũ, giganteæ staturæ ac roboris hominem, ipse pæne puer ac pumilio. Et licet istis indicijs ac testimonijs Henricũ placasset animoq; ejus omnem quodammodo exemisset scrupulũ, tamẽ offensa tam pertinaci mariti suspicione, misit illi libellũ divortij, secessitq; ad Balduinum Pium, Flandriæ Comitem, qui tum Brugis, ut plurimum agebat. Apud eum, quandiu vixit, splendide ac regali cultu est sustentata, utpote cui sanguine erat cõjunctissima. Post obitum, qui incidit in annũ MXLIII, in urbe Brugensium sepulturæ locum accepit in Ecclesia S. Donatiani, quam collegiatã vocant, à latere ostij borealis. Multa cum vivens tum moriens eidem Canonico sodalitio testamento donasse legitur, in quibus fuerunt Augustalis corona, multiq; optimorũ auctorũ libri magno sumptu descripti, qui fere jã perierunt, unico ipsius servato psalterio lingua Danica, quemadmodũ ex actis illius, quam dixi, ecclesiæ, memoriæ prodidit vir clarissimus Antonius Schoonhovius ibidem olim Canonicus. Mejerus insuper rerum Flandricarum clarus scriptor de eadem ad annũ MCCCLXXXIX. hæc interserit: „Brugis cum templum divi Donatiani vetustate suâ penè corrueret, vendita est preciosa auri & argenti suppellex pro templi reparatione, quã olim ecclesiæ dederat Gunnildis Augusta, uxor Henrici Imp. filij Conradi, quæ nupserat anno salutis MXXXVI: filia regis Danemarchiæ & Angliæ ex Emma sorore Richardi Ducis Normanniæ. quæ quidem Gunnildis, Brugis obijt sub annum domini MXLIII, ut alibi fusius per Dei gratiam explicabimus. Sepulta est ad Donatiani juxta ostium septentrionale templi: ubi nunc visitur imago beatæ Mariæ, ejus superimposita monumento. Polydorus in rebus Angliæ, & Cuspiauus in Cæsare Henrico, Gulielmus item Malmesburiensis in historia Angliæ, alijq; scriptores mentionem de ea faciunt: sed nemo omnium quo devenerit, vel ubi sepulta est, novisse videtur. Venit enim ad consanguineum suum Balduinum Pium Comitem Flandriæ, postquam injustè à marito accusata adulterij, justum per duellum innocentiam suam defendisset, repudiumque injusto marito misisset. Hucusque Meierus.

Per idem id tempus, qui Norvagis, ut indicatum, à Canuto erat impositus Sueno, apud populũ paulatim evilescere ac fastidiri cœptus, partim ob nova quędam ab ipso lata statuta ac leges, partim quod ij, qui Canutum, parentem ejus, ad solium Norvagię evexissent, minorem meritis suis gratiam relatam existimarent. Unde postremum arma in eum sumpta. Et licet subinde in hostem adversum ducens superior evaderet, tandem tamen revocato, qui ad Moschos profugerat, Magno Olai filio, à procerum plerisq;, quibus res opesq; Danorum insurgere minus placebat, neglectus primo, atq; inde à ceteris spretus, ad fratrem Canutum, qui Daniæ præerat, facto procinctu, festinavit. Atq; ibi haud multo post mortem obijt. De origine ejus sicuti & fratris Haraldi, quorum uterq; Canuti filius ex Alviga Northamthumensi censebatur, quæ prodita exstant, vix exequi libuisset, nisi Vigorniensem auctorem præferrent. Ait igitur is, Algivam, cum masculam prolem Canuto nullam pareret, etiamsi quam maxime vellet, fœtum suppositium à sacrificulo quodam acceptum, Canuto ut suum obtulisse, eumq; Suenonem nominatum: Haraldũ, verò alia similiter matre, ac patre calceario genitum, eidem pro suo exhibuisse. Quæ tamen nos in medium relinquere, quàm falsa promere aut vera silere malumus. præsertim cum Norvagiæ vernaculum chronicion ab istis longe diversa prodens Alvinam Norvagam faciat, filiam Alfringi Comitis, Iarli ipsorum idiomate dicti.

MXXXVI. Ultimam Canuti expeditionem referunt auctores in annum MXXXVI: eamq; susceptam tradunt adversus Richardum Normanniæ Ducem ejus nominis II. Cum enim, ut supra ad annum 117 est memoratum, uxorem ille accepisset Estritham Canuti sororem germanam, Margaretam alij vocant, eamq; levi de causa postmodum repudiasset, Canutus quidem eam recepit atq; educandum in Daniam remisit, nuptã exinde Ulphoni, cui & Suenonem regem peperit, suo deinceps loco memorandum. Ab Richardo verò pœnas repetiturus Canutus, utpote maritali supercilio severius uso, classe multarum navium in littus illud Galliarum trajecit. Sed Richardus, cognito Canuti aduentu, oculis se affinis sui subduxit, suscepta in Siciliam aut terras sanctas, ubi & fatis concesserit, longinqua peregrinatione. Vix autem in hostico militem Canutus exposuerat, cum de rebus & obitu filij sui, non, ut est in Saxone, Haraldi, qui parenti superstes Angliã ultra biennium tenuit, ut infra dicetur, sed Suenonis Norvagiæ præfecti, factus est certior. Eoq; nuncio sicuti haud leviter perculsum par est credere, ità accedente adversã mox valetudine, tum gravis ac diuturnæ

turnæ

turnæ militiæ laboribus pressus ac veluti consumptus in ipsa, quod dicitur, statione, & quomodo mori oportere imperatorem ipse Imp. Vespasianus olim dicebat, è vitâ migravit. Corpus ejus tribunorum ac centurionum humeris tumulo illatū Vintoniæ; ductumq; magnifice funus, postquam annos viginti septem Daniæ, Angliæ verò quatuor & viginti ac deniq; septem Norvagiæ præfuisset. Præter faces ac similes funerum apparatus, conspecta incomta signa, versi fasces ac plebs proceresq; atrati trabeatique, dolorem vultu ac voce testantes. Saxo Grammaticus non quidem Vintoniæ Anglorum, sed Rothomagi, ut defunctum ità etiam funeratum memorat; addito elogio, quod verbis ipsius subjeci: Hunc Canutus exitum habuit, quod nemo nostrorum regum, tametsi plura alij victorijs illustraverint, splendidor fuit. Adeo enim operum ejus magnitudinem propitio famæ fides auxerat, ut quos rerum gestarum gloria pares habuerit, amplitudine claritatis excellat. Cumq; aliorum splendorem ignorantiæ obscuritas, ac vetustatis rubigo perederit, hujus decus longæ famæ usurpatione subnixum, perpetuis memoriæ fructibus revirescit. Siquidem sanctitate ac fortitudine instructissimus, non minus regnum, quàm religionem proferre curæ habuit. Quippe cum bellicis latè titulis inclaruisset, placidiore studio usus ex fisco suo compluribus in locis privatorum clericorum convictu instituto, cellularum frequentiam novis conventiculis auxit, sacrorumq; venerationem, quam maximam semper exhibuerat, regiarum opum impendio stipendijs multiplicavit: sacrum quoq; ordinem uberiorem reliquit, ne ferociæ propior quàm pietatis officijs videretur, æquam sibi utriusq; laudem adjicere cupiens. Cujus studij industria ad tantum claritatis lumen accessit, ut cum fortissimorum regum bellica virtus antiquitate exoleverit, ejus famā gloriæ quæstu opulentissimam tenacissima posteritatis agnitio comprehenderit. Genuit ex Algivâ sive, ut alij scribunt, Albinâ Suenonem & Haraldum, de quibus indicavimus. Hanc Olao Norvago adamatam, sed ob formæ pulchritudinem eidem præreptam, sibi sociaverat. Quæ & causa, præter alia, inter ipsum & Olaum simultatum exstiterit. Postmodum Emmam Richardi II, Normanniæ Ducis sororem, Regis Ethelredi, ut meminimus modò, viduam, legitimis sibi nuptijs copulavit. Ex hac *Canutus* cognomento *Durus*, & *Gunilda* procreati. Quod vel ideo repetere visum, quia Emmam confundi cum Alvinâ & Durum Canutum non Emmæ, sed Alvinæ tribui apud auctores, præter Vigorniensem, etiam domesticos, quanquam perperam, traditum reperi.

Soror verò ejus Esthrita, vel, ut aliàs appellatam diximus, Margareta, primum quidem Normanniæ Duci Richardo II atque inde, ab eo remota, Ulphoni matrimonio conjuncta fuit. Sed quod Saxonem præcipue & Adamum Bremensem sequuti jam diximus, Richardum, cum ob id pœnas ab eo repetiturus Canutus in Galliæ littus, sub annum MXXXVI, cum classe trajecisset, Hierosolyma & in terras longinquas, facta fuga, abijsse: atque ibi fatis concessisse: Id neque cum ætate neque cum rebus Richardi II convenit. Nam Richardus, ut fere omnes putant, octennio ante id tempus, id est anno MXXVI, aut ut alij MXXVIII, è vita migraverat: & quidem non Hierosolymis aut in longinqua aliqua peregrinatione, sed domi in ipsa patria sua, conditus juxta parentis tumulum Fescampi: adeo ut anni æram etiamsi ad anteriora revocemus, quod facile possit, haud tamen alterum hoc, de longinquâ & ad sacras oras peregrinatione, Richardo quadrabit. Conveniet interim Roberto ejus filio, qui postea, defuncto fratre Richardo III, imperium tenens obijt anno, ut traditur, consensu fere omnium millesimo trigesimo quinto in peregrinatione Hierosolymitanâ. De eo autem, quia omissum alijs video, ad Canutum tamen & res istas proprie spectans, huc attexere operæpretium puto, Gemmeticensi proditum; ROBERTUM nimirum hunc sub annum millesimum trigesimum quartum, missis ad Canutum in Angliam legatis, eum commonuisse ut consobrinorum suorum Eduardi & Alvredi filiorum regis Etelredi, diuturni exilij meminisse, & eos paternis hæredijs restituere postliminio vellet: Sed Canutum legatos, re infecta, ac nihil lætum nunciantes remisisse: Eoque accensum irâ Robertum, cum suis habito consilio, classem extemplo ac viros adversus Canutum armasse, sed ventis adversis diu circa insulam Gersei detentos, ac mox altum denuo tentantes, sed obortâ identidem tempestate, domum redire coactos, Et Robertus exinde cum eandem classem ad infestandum Britanniæ, in orâ maritimâ Galliæ, Comitatum misisset, salutatum eum advenisse Canuti Anglorum regis legatos, pacata omnia ac regni portionem liberis Etelredi, Canuto jam debili ac longâ valetudine fesso, offerentes: Sed Robertum, dilatâ tum re, Hierosolymam, quod dudum constituerat, perrexisse atq; inde regredientem, Niceæ supremum diem clausisse.

Ita ferè Gemmeticensis. Quæ an aliquam fœnerare lucem superioribus de Richardo ex Saxone relatis possint, alio dispiciendum erit loco. quamvis hoc obiter hîc indicasse à re alienum non erit, videri non tam Richardum II, quàm III aut eorum familiam ac posteros Normanniæ Duces nomine Richardi Saxoni nostro intellectos; ut solet fere in rebus præsertim externis alia sæpenumero regum ac principum nomina pro alijs ponere. Sic & Eduardum Angliæ regem in rebus Canuti hujus Magni perpetuò nominat, cum tamen is sub patre Canuti Snenothone jam diu ante fatis concessisset, ac regno post eum præesset primò Etelredus, atque inde aliquandiu unà cum Canuto ipso Edmundus, quod & liquere ex antecedentibus satis potuit: ut ità, quemadmodum ibi Eduardus pro Etelredo aut Edmundo, ità etiam hîc secundum Richardum pro tertio aut Roberto potius posuisse verò consentaneum habeam. Estque Robertus hic ille; frater scilicet Richardi III Normanniæ Ducis, quem fuisse Tancredi Normanni, primi Siciliæ principis; parentem, tradere plerosq; superius meminimus: Adeo ut Richardus hic idem ejusq; frater Robertus, proavi fuerint ROGERII II Normanni, Tancredi nepotis, Ducis ac regis Siciliæ Apuliæque: qui & postmodum rex insuper Calabriæ ac Neapolis declaratus, etiam Pœnos felicibus armis compescuit, ac suo inscriptum ensi hunc de se legi propalam, ac evulgari versiculum haud veritus fuit:

APULUS ET CALABER SICULUS MIHI SERVIT ET AFER.

Fuit porrò sub extremis vitæ temporibus singulari erga Deum pietate Canutus omnesq; præsertim adulationes & ultra humanum fastigium honores, ut maledicta & opprobria aversatus est. Aliquando cũ juxta littus obambularet essetq; *Rex omnium potentissimus* salutatus: Idq; universi, qui aderant, comprobare viderentur, ille & vultu & manu indecoram salutationẽ repressit, & tali præterea argumento coarguit; Veste enim exteriore in terrã depositã ac super convolutã ad littus maris sedens, vel, ut alij, sede regiã in littore positã, alluentem oceani undam his cœpit verbis increpare: Tu mare ditionis meæ es, & terra, in quâ sedeo, es mea: impero tibi & denuncio, ne in terram meam ascendas, nec membra, aut vestem domini tui madore perfundas. At mare nihilominus æstu insurgens totum madefecit. Tum ille ad suos conversus, videtis, inquit, quem *regem potentissimum* appelletis, qui ne illas quidem aquarum guttulas cohibere atque imperio meo possum remorari? Solus itaque universi conditor ac rector Deus hoc honore ac nomine compelletur. Quâ erga summum rerum moderatorem animi demissione nescio an quisquam Christianorum principum Canuto præferri debeat; Certe gentium imperatoribus, & quicunq;, ut apud Græcos Alexander ille Magnus, divinitatem affectarunt, ut verâ erga Deum pietate major fuit; ità ipsi Augusto, quod ad hanc civilitatem attinet, parem se gessit. Nam primus fuisse Augustus legitur, qui aulicorum ejusmodi blanditias corripuerit, seque *dominum* appellari, ne à liberis quidem aut nepotibus suis, vel serio vel joco, passus sit. Sed & alia sunt, quæ ejus pietatem prolixe testari poterunt: Nec repetam nunc insignem illum in divina cultum, quem Emmæ encomiastes in unâ S. Audomari urbe ejusque monasterijs, cum ea de viâ transiret, se oculatum testem observasse pluribus meminit, illud tantum addam quod Anglici tradunt annales, Canutũ in memoriã prælij prope Asdunum adversus Edmundum commissi, in quo is, cum prosperâ initio pugnâ Danos profligasset, versâ exinde fortuna, ab illis, ut supra est memoratum, fuit profligatus, templum non eo tantum loci posuisse, sed & alibi & ubicunq; pugnasset, ob effusum humanum cruorem pœnitudine motum ædiculas postea sacras excitari curasse. Et est, quod addunt ijdem chronologi, memorabile, Rusticos ebulum, quod sanguineis baccis juxta locum jam dictum copiosè provenit, non alio nomine quàm *Danes-bloud*, id est, *Danorum sanguinem* etiamnum appellitare, ob atrocitem scilicet conflictus & sanguinis utrimq; effusi eo loci copiam.

Tali Canutus animi altitudine ac modestiâ vere Christianâ insignis, ut regnum insuper laudatissimis statutis ornaret, civilia etiã jura sibi curæ ac cordi esse ostendens, ex collectis prędecessorum regũ placitis congessit consuetudines Angliæ libris tribus. Exstant & centum ejusdem instituta unico libro comprehensa. Edgari præterea leges, de quibus ante injectum, in Oxoniensi parlamento circa annum Christi MXXVI authoritate sua regia confirmavit ac stabilivit. Quàm etiam juris ac disciplinæ præsertim militaris rigidus exactor fuerit, docent ab ipso in Dania similiter latæ consuetudines ac leges, quarum longum catalogum Saxo texuit. In his, adjutore usus *Opone Sialandico*, omnia veterem ac severiorem ad morem reduci curavit. Eaque optimi principis diligentia fuit, ut optimis

CANUTUS MAGNUS Rex.

optimis institutis omnia constarent. Nec tantum quid in agmine, pugnâ, stationibus, vigilijs ceterisque diurnis nocturnisque munijs militem deceret, sed etiam tempore pacis qualis esse miles domi deberet, accuratè ut traditum haberetur elaboravit. Statuitque inter cetera, verba sunt ipsius Saxonis, ut in capessendo discubitu ordine quo quisque militaris officij advocationem sortitus fuerat, uteretur, locoque antecederet, qui prior obsequio foret. Eum verè, qui cœnâ initâ aliquâ interpellante morâ tardior supervenisset, inter considentes excipi oportebat. Qui si tam arcto se consessu junxisset, ut ob nimiam eorum frequentiam, qui supervenerat, sessum recipi nequiret, qui ejus loco insederat exurgens proximum occupabat, eousque invicem se assurgendi officio venerantibus, donec laxato totius consessionis ordine, legitimum recipiendo spacium patuisset, mensâque, qui postremus residebat, abscederet. Si quis verò alieno discubitu uti per insolentiam perseverasset, qui eo spoliatus fuerat proxime circumsedentibus injuriæ querelam detulit, hisdemque testibus in concionem productis adversus reum actione contendit, effecitque ut qui cedere jussus contumaciter supersedisset, contumeliosè stipendijs amoveretur: Ter tamen regi tali culpâ affectis necessitatem pœnæ remittendi fas erat. Quod si quarto se quis eodem reatus genere maculasset, discreto à milite loco, mensæ alienus fiebat, commilitonum nemini catino aut calice communicabat. Eodem pœnæ genere in minutos quosque animadvertebatur excessus; ut si quis alium convicio insecutus fuisset, aut potione per contumeliam respersisset. In eos, quorum egregiâ operâ usus fuerat, asperè pronunciare nolens, quæstionem ad se delatam, ad curiæ cognitionē relegavit. Cumq; exauditâ militum responsione, totius concionis suffragia judicationi consentanea noscerentur, qui damnatus fuerat, interrogari solebat, terrestri an maritimo secessu fugam petere decrevisset. Ita rex proscriptione suos quàm nece puniri maluit. Quod si reus mare delegisset, eò commilitonum frequentia prosequendus; dataque navi, remigijs, commeatu, vasculo egerendis aquis idoneo tandiu in littore operiendus fuerat, donec remi, si eis navigatio gereretur, vel si velis, antennæ extra conspectū abijssent. Quod si tempestate in littus relatus fuisset, continuo ut hostis habitus violatæ societatis pœnas pendebat. At si terra profugere maluisset, ad nemus usq; pari militum curâ comitandus erat, cunctis tandiu in ejus abitu expectantibus, quousque procul abesse cognoscerent. Ac tunc demum magno cum totius militiæ fragore ter valide edendus clamor, cunctaque strepitu miscenda fuerant, ne fugiturus ullo ad eos errore referri posset.

Earumque ac similium, quæ apud Saxonem prolixè videndæ, legum occasio præcipue extitit, quod frequens ad eum jam undiq; miles confluerer, quorum multi bello strenui, pacis commoda minus æquâ mente tolerabant. Cujusmodi, præter ceteros, Ulpho memoratur: Cui, licet sororio suo, nequaquam parcitum voluit. Is enim genialiter una cum ipso ac regni proceribus ceteroque palatij comitatu cum esset epulatus, ac tandem temulentiâ incalescens hostium laudes, cladem verò Danorum celebraret, hanc ut exprobrationem suam Rex ducens, impetuque excandescens, invadi hominem ac confodi coram, inter ipsa licet mensæ sacra, imperavit. Quo se rex sanè Alexandro, cognomento similiter Magno, hic verò se Clyto gessisse parem videri potest. Nam Clytus cum inter epulas & pocula, idque rege etiam suo Alexandro præsente, haud satis sobrius Euripidis Græci poëtæ retulisset carmen; quo significabatur, malè instituisse Græcos, quod trophæis, regum duntaxat nomina inscriberentur: Idq; Alexander, quasi laudes suas obterens, acciperet, conceptâ parem in modum intra pectus ira, Clytum secum epulantem occidit.

Hic autem ille est *Vlpho*, de cujus prosapiâ, sicuti & de matrimonio cum Canuti sorore, alijsque factis, haud vulgaria & penè fabulosa sunt, quæ referuntur. Ait enim Saxo cum virgine Suetica, quæ forte fortuito in avijs silvarum à comitatu suo aberraret, ingentem ursum venereo modo consuevisse, & ex eo congressu avum Ulphonis prognatum; ipsumque patre Turgillo Sparchalego exinde genitum, cum esset in familiaritatem Canuti, tunc in Anglia commorantis, assumptus, astutia singulari usum ut à Canuto ad ejus sororem Estritham, quæ tum, post nimirum divortium cum Richardo II, Normanniæ Duce, factum, in Dania manebat, literas acciperet, quibus à fratre præciperetur, ne ipsa facere omitteret, quæ Ulpho per eam fieri postularet. Persuaserat autem Canuto se (acceptis ab eo militum copijs) bellum adversus Norvegianum Olaum & ejus fœderatum Amundum Suecum pro viribus promoturum. At cum ad Estritham pervenisset, & illa, lectis literis, interrogaret, quid factum vellet, tum Ulphonem ejus conjugium summis precibus expetentem, voti confestim compotem evasisse,

O iij præsertim

CANUTUS MAGNUS REX. A. C.

præſertim cum ipſa crederet, eam petitionem ex arcano fratris conſenſu prodijſſe: Nuptijſque peractis Ulphonem, ne Canutum patratæ perfidiæ vindicem in Daniâ expectandum haberet, ad Suecos unà cum Eſtritha profectum, & ea Amundo atque Olao conſilia ſuggeſſiſſe, quibus Canutus & tota propemodum Dania exinde in diſcrimen venerint. Addunt auctores eum, ubi ad prælia Sueci veniſſent, non armis tantum & ferro rem adverſus Danos egiſſe, ſed ipſa quoque elementa ſuum ad nutum habuiſſe, & aquas ſimul & flammas in hoſtem armaſſe: ſed tandem interceſſione Eſtrithæ conjugis in gratiam apud Danos regemque affinem receptum: atque ejus deinde operâ reductum ad Canuti obſequium Scaniam: & iſtum poſtremò, ut memoravimus, vitæ ſortitum exitum. At verò auctores non externi tantùm, ſed & regis Erici de gente Danorum hiſtoriola, & ante eum Adamus Bremenſis, Ulphonis propemodum ſynchronus, ea adducunt, quæ Saxonem & cetera illa de ejus origine penitus redarguant, cum non Sueticæ proſapiæ, ſed Anglum faciant ducemq; Anglicum, vel, ut alij, Comitem Angliæ nominent. Et addunt Anglorum chronologi Canutum vel ob id ſororem ſuam Ulphoni Anglorum præcipuo Duci deſponſaſſe, ut amicitiæ inter utramq; gentem Danorum & Angliæ firmiores coaleſcerent. Sororem certe Ulphonis Thyram Godvino Anglorum ſatrapæ denuptam, & ex eâ Haraldum Angliæ exinde regem procreatum, præter ſuperius memorata, repetetur inferius. Sed verba ipſa Adami Bremenſis operæpretiũ exiſtimo hîc proximè ſubjicere; ut & illa, quæ ſuo in chronicio eadem de re habet, ſæpenumero jam nobis laudatus, Rex Ericus. Ait enim Adamus lib. 2. cap. 37. Chnut Adelradi regnum accepit, uxoremq; ejus Immam nomine, quæ fuit ſoror Comitis Nordmannorum Richardi, cui Rex Danorum ſuam viciſſim dedit germanam Margaretam pro fœdere. Quam deinde Chnut repudiatam à Comite, Ulff Duci Angliæ dedit. Ejuſq; Ulff ſororem copulavit alteri Duci Gudvino; callide ratus Anglos per connubia Danis fideliores. Hæc Adamus. Erici vero regis chronicon, poſtquam verba feciſſet de Canuto Magno ejuſque filio Canuto Duro, hæc addit: Huic ſucceſſit Suen Eſtreth, filius ſcilicet ſororis Canuti Magni Gammelknud dicti. Suen autem Eſtreth patrem habuit Ulff Comitem Angliæ regnavitque poſt Canutum Durum. Utrobique autem, tam apud Adamum Bremenſem, quam apud Ericum regem, *Vlff* non *Vlpho* dicitur: ſoror verò Canuti Magni *Margareta* eſt Adamo, quæ eadem Erico *Eſtreth* nominatur, quomodo & alijs modò Margaretam, modò Eſthritham appellari aliàs monui. Crantzius porro iſtud de origine Ulphonis fictum ſimiliter ac commentitium cenſens, occaſionem nominis hinc natam verius putat, quod avus aut proavus Ulphonis *Lupus* appellitatus fuerit, cujuſmodi à feris petitæ appellationes hodieque ſunt non tantum apud Danos & Suecos, ſed alias quoque boreæ ac Germaniæ gentes uſitatiſſimæ, ut alius *Leo*, alius *Lupus* atque *Vrſus* nominetur. Quanquam & hoc quoque dici poteſt, antiquitati nonnihil in talibus indulgendum, quod ea ut origines ſuas luculentiores afficiat, ad fabulas & res ejuſmodi à veritate prorſus alienas, & quas eſſe falſas, nec fieri poſſe quivis odoretur, confugere nonnunquam ſoleat: Veluti cum è Titanuum cruore & capitis Meduſæi ſanguineis guttis ſerpentum genus enatum Græci, Romani verò Romulum & Remum, conditores ſuos, Marte genitos, & à lupa lactatos atque educatos, aliaque ejuſmodi, memoriæ prodiderint. Nec itaque vertendum vitio Danorum annalibus, ſi & illi, quo regis præſtantiſſimi Suenonis Eſtrithij (cujus, ut diximus, ac porro dicemus, parens Ulpho fuit) auguſtiores natales facerent, non tam manifeſta ſectari, quam fabulæ involucris obſcurata tradere, vel potius à majoribus ſimpliciter prodita, & ipſa vetuſtate in majus aucta, repetere voluerint. Quamquam hîc Anglicorum non modò chronologorum, ſed Adami quoq; Bremenſis, ut dixi, temporũ eorum æqualis ſcriptoris, tum & Erici regis domeſtici teſtis, cujus præter alia, verba jam poſita, ſequi potius auctoritatem & fidem haud defugiam; & aſſeverare ex eorum teſtimonijs, Ulphonem è vetuſtâ Cimbricæ Cherſoneſi Anglorum proſapiâ oriundum, Danorum Regi Suenoni Eſthrithio natalium originem longâ majorum ſerie impertiſſe.

Præter autem *Magni* cognomen, quod ob rerum geſtarum magnitudinem inditum fuiſſe Canuto ſupra meminimus, etiam *Divitem* cognomento & denique *Gammelknud*, id eſt, *ſenem Canutum*, reſpectu ſcilicet filij cognominis, appellatum ex hiſtoria gentis Danicæ, ab Erico Rege concinnata, poteſt intelligi. Ita enim verba ejus habent, poſtquam de Canuti parente, quem vulgo *Suen Tyngeſkeg* cognominatum refert, ità inquam habet: Haraldus fuit homo effœminatus & totus libidini deditus, hac de cauſa Dani eũ depoſuerunt de regno, & Gameleknud fratrem ejus regem fecerunt, quod bellicoſus homo eſſet: ſed

ſed tœdio affecti ſuper eo, & raro in regno fuit, & continue extra regnum in bellis, quod tamen pro gloria regni libenter tolerare debuiſſent, Canutum depoſuerunt & Haraldum effœminatum & ibi valentem regno præfecerunt, qui tamen cito poſt mortuus eſt, & ſucceſſit ei dictus Gammeleknud frater ejus. Et ante Ericũ Regem Adamus Bremenſis modò memoratus ejuſque vetus ſcholiaſtes ait, Canutum abjecto nomine gentilitatis in baptiſmo *Lamberti* vocabulum accepiſſe: & ideo ſcriptum reperiri in codice Fraternitatis Bremenſium: LAMBRICHT REX DANORUM ET IMMA REGINA & KNUT FILIUS EORUM DEVOTE SE COMMENDARVNT ORATIONIBVS FRATRVM BREMENSIVM.

CANVTVS MAGNVS Rex. A. C.

Exſtant verſiculi haud inelegantes, qui res ejus paucis perſtringentes hoc ſolum involuti habent, quod quinque tantum regnorum eum regem faciant, cum ſex tenuiſſe, Saxone teſte, conſtet, & præterquàm Anglis, Danis, Suecis, Norvagis etiam Slavis & Sembis imperitaſſe, ut ante meminimus, quamvis alij, qui verſus ipſos interpretati ſunt, exiſtimarint poſt Daniam, Angliam, Sueciam, Norvagiam loco quinto Normanniam, quæ eſt in Gallijs, intelligendam. Sed eos rationem fugiſſe inde liqueat, quod nunquam ei Normanniæ, quæ in Gallijs fuit, ſceptrum ceſſerit, nec etiam ut regnum, ſed Ducatus potius cenſeatur, ſemperque cenſitus ſit Normanniæ tractus. Sunt autem, quos dixi, verſiculi iſti:

Deſine mirari, quos garrula laudibus effert
Græcia, quos jactat Roma ſuperba Duces;
Dania non ulli veterum virtute ſecundum
Edidit, hiberno terra propinqua freto.
Facta mihi Magni pepererunt inclyta nomen;
Quinque ſub imperio regna fuêre meo.
Iuſtitiâ præclarus eram, regeſque potentes
Subjectos docui legibus eſſe ſuis.

Hæc de Canuto Magno; jam ad filium ejus Canutum, cognomento *Durum*, ſtilus vertendus, ſi prius, quod ſupra promiſimus, EMMAE reginæ, conjugis Canuti Magni, ELOGIVM his proximè ſubjungamus; Præſertim, quia authorem id habet ejus; quo Emma Canutuſq; vixerunt, ſeculi: inſigne antiquitatis monumentum ac magno hiſtoriæ Danicæ ac rerum præſertim Canuti Magni bono reſervatum; nuperque inter ſcriptores Normannicos, à viro clariſſimo Andreâ Ducheſnio Turonenſi è ſitu bibliothecarum ſummâ cum curâ erutum evulgatumque Pariſijs. Eſt quidem, quod & ante & alibi injeci, author ejus anonymus, at certus interea, & ejus, ut dixi, ævi. Nam vernulam ipſe ſe & monachum ſancti Bertini vocat. Ac ſuam hanc hiſtoriolam ipſi EMMAE reginæ adhuc viventi conſecrat, ac regem CNVTONEM, ſecundum ejus maritum, ingentes oblationes in monaſterijs Audomari & ſancti Bertini facientem ſe vidiſſe præſentem conteſtatur, de quo & ſupra nonnihil in rebus ipſis Canuti Magni injeciſſe me ſcio. Nunc ipſum ELOGIVM (ipſe *Encomium* vocat) videamus.

EMMÆ ANGLORVM REGINÆ CANUTI MAGNI CONIUGIS ELOGIUM;

Conſcriptum ab autore eorum temporum ſynchrono.

MORTUO patre (*Suenothone*) CNVTO *regni parat retinere ſceptrum. Sed ad hoc minimè ſufficere potuit, deficiente copia fidelium. Angli ſiquidem memores, quod pater ejus injuſtè ſuos invaſiſſet fines, ad expellendum eum, utpote qui juvenis erat, omnis regni pariter colligerunt vires. Quo comperto, Rex clam per fideles amicos reperto honoris ſui conſilio, claſſem ſibi præparari jubet: non quod aſperos eventus belli metuendo fugeret, ſed ut fratrem ſuum* HAROLDVM, *Regem ſcilicet Danorum, ſuper tali negotio conſuleret. Paternâ itaque claſſe repetitâ, inſtauratoque remige, ventis marique regalia commiſit carbaſa: ſed tamen non omnem militiam ſecum reduxit, quæ cum patre ſuo ſecumque patriam introivit. Nam* TVRKIL, *quem principem militiæ prædiximus, terra, quod eſſet optima in-*

CNVTO ANGLIAE Rex. A. C.

specta, maluit conversari vitam fertili patria, cum patriensibus pace confectâ, quàm velut expulsus demum redire ad propria. Et, ut quidam ajunt, hoc non fecit despiciendo dominum; sed uti cum resumptis viribus fratrisque auxilio repedaret ad debellandum regnum: aut optimates regni consilio suo ad deditionem flecteret, aut si id parum processisset, dimicantes contra dominum suum hostes incautos à tergo cæderet. Cujus rei patet veritas ex eo, quod secum maximam partem militum retinuit, quod Rex non amplius quam sexaginta naves secum abire permisit.

PROSPERO *itaq; cursu Rex natales ad fines, * cum mirarentur omnes solitarium reditum ejus, quantû ad Regem, patri antea fideles.* HARALDI *Regis subito complevit volitans fama palatia, fratrem ejus majorem,* CNUTONEM *scilicet sua advenisse littora. Miratur Rex, omnisque pariter exercitus; atque adhuc nescij duros ipsius præsagibant casus. Igitur à latere Regis milites diriguntur delecti, paratique in occursum transmittuntur equi. Fraternus siquidem amor fratris eum movebat inservire decori. Cumque tandem honorifice, utpote Regem decet, fraterna subintraret limina; frater ipse in primo aditu occurrit, mutuaque brachiorum connexione pressis corporibus sibi invicem pia quàm sæpe defigunt oscula. Collum utriusque partim pro amore, partimque pro patris morte fusæ madefecere lachrymæ: quibus vix extinctis multo refocillantur affamine. Ubi dum quisque fortunam fratris inquireret, propriam quoque patefaceret;* CNUTO, *qui major natu fuerat, sic* HARALDUM *fratrem alloquitur*: Adveni, frater, partim causâ tui amoris, partim verò ut declinarem improvisam temeritatem barbarici furoris: non tamen metuens bellorum, quæ meæ repetam gloriæ, sed ut tuo consultu edoctus, præsidioque suffultus, redeam certus victoriæ. Est autem primum, quod mihi facies, si non gloriæ meæ invides, ut dividas mecum regnum Danorum, meam scilicet hæreditatem, quam solus tenes: deinde regnum Anglorum, si communi opera poterimus nostræ hereditati adjicere. Unum horum quodcunque elegeris feliciter teneto, & ego aliud similiter tenebo. Hujus rei gratia tecum hiemabo, ut tempus tuo sufficiat consilio, & ut expedit reparentur naves & exercitus, ne deficiant necessaria, dum pugnæ ingruerit tempus. THURKIL noster, nos reliquendo, ut patrem, in terra resedit, & magnam partem navium nostrarum retinuit; & ut reor, nobis adversarius erit, sed tamen non prævalabit.

HARALDUS *Rex, audito quod noluit, his fratrem verbis excepit*: Gaudeo, frater, de tuo adventu, habeoque gratias tibi, quod me visitasti: sed est grave auditu quod loqueris de divisione regni. Hereditatem, quam mihi pater, te laudante, tradidit, guberno: tu verò hac majorem si amisisti, doleo, teque juvare paratus regnum meum partiri non sustinebo. *Hoc* CNUTO *audiens, fratremq; recte locutum tacitè perpendens*: Hoc tempore de hoc sileamus, *inquit*. Deus enim rectius fortasse hoc solus ordinabit. *Talibus, alijsque diversis sermonibus colloquentes, convivijsque regalibus convivantes, aliquanto tempore simul manserunt; & naves meliorantes exercitum restaurarunt. Pariter verò Slavoniam adierunt, & matrem suam, quæ illic morabatur, reduxerunt.*

INTEREA *quædam matronarum Anglicarû navim sibi fecit parari, & assumpto corpore* SVEINI *Regis suâ in patriâ sepulti, illoq; aromatibus condito, pallijsq; velato, mare adijt, & prospero cursu appulsa ad portus Danorum pervenit. Mittens ergo utrisq; fratribus nunciû, mandat corpus adesse paternum, ut hoc maturent suscipere, tumuloq; quod sibi præparaverat locare. Illi hilares adsunt, honorifice corpus suscipiunt, honorificentiusq; illud in Monasterio in honorê sanctæ Trinitatis ab eodê rege constructo, in sepulchro, quod sibi paraverat, recondunt. Quo perfecto, jamque appropiante sole æstivo accelerat* CNUTO, *redintegrato exercitu, redire, suasque injurias vindicare. At illi circa littora deambulanti subitò apparescunt carbasa non multa in medio mari. Nam* THURKIL *memor quod* SVEINO *fecerat, & quod tunc in terrâ Anglica absque licentia dominî sui* CNUTONIS *inconsultè remanserat: cum novem navibus earumque exercitu dominum suum requisivit, ut ei patefaceret, quia non contra ejus salutem se recedente remanserat. Qui veniens, non præsumpsit littora injussus subire, sed ejectis anchoris præmissisque nuncijs, poscit se portus subintrare licere. Quod ubi concessum est, ascendit, misericordiamque domini sui requisivit; & illi multo labore conciliatus, dat fidei sacramentum se illi deinceps fideliter serviturum. Cum quo mense plus integro moratur, & ut ad Anglos redeat, hortatur, dicens eum leviter illos posse superare, quorum fines longè lateq; notificarentur utrisque. Præsertim ajebat, se triginta naves in Anglorum patria cum exercitu fidissimo reliquisse, qui venientes susciperent honorificè, ducerentque per fines totius patriæ. Tunc Rex valedicens matri & fratri, curvi littoris repetit confinia, quà jam adunaverat ducentarum naviu̅ speciosa̅ spectacula. Nam hic erat tanta armorum copia, ut una earum navium, si omnibus reliquis defecissent, sufficeret abundantissimè tela. Erant autem ibi scutorum tot genera, ut crederes adesse omnium populorum agmina. Tantus quoq; decor inerat puppibus, ut intuentium hebetatis luminibus flammeæ magis quàm igneæ (ligneæ) viderentur à longe aspicientibus. Si quando enim sol illis jubar immiscuit radiorum, hinc resplendult fulgor armorum, illinc vero flamma dependentium clypeorum. Ardebat aurum in rostris, fulgebat quoque argentum in varijs navium figuris. Tantus siquidem classis erat apparatus, ut si quam gentem*

ejus

ejus vellet expugnare dominus, naves tantùm adversarios terrerent, priusquam earum bellatores pugnam ullam capeßerent. Nam quis contrariorum leones auri fulgore terribiles, quis metallinos homines aureo fronte minaces, quis dracones obrizo ardentes, quis tauros radiantibus auro cornibus necem intentantes in puppibus aspiceret, & nullo metu regem tantæ copiæ formidaret? Præterea in tantâ expeditione nullus inveniebatur servus, nullus ex servo libertus, nullus ignobilis, nullus senili ætate debilis. Omnes enim erant nobiles, omnes plenæ ætatis robore valentes, omnes cuivis pugnæ satis habiles, omnes tantæ velocitatis, ut despectui eis essent equitantium pernicitates.

CNUTO ANGLIAE Rex.

A. C.

TALIS *itaque militiei fastuosis scansis ratibus intrat pelagus, solutis à littore anchoris & funibus, talique verrit impetu fluctus, ut alatis puppibus hanc supervolare undas putares, vix tanto mari rudentibus. Regalis autem navis reliquis erat honor & intentio, quia nulla alijs inerat optio, nisi tantùm, ut regis sui fasces ampliarent toto studio. Expectabili itaque ordine, flatu secundo, Sanduinch, qui est omnium Anglorum portuum famosissimus, sunt appulsi; eiectisq; anchoris, baculis* * *exploratores se dedunt littori, & citissimè finitimâ tellure explorata, ad nota recurrunt navigia, Regique edicunt adesse resistentium parata millia. Patrienses enim regi Danisque, ferventissime rebellare ardentes, quas sibi ad luctam credebant adunaverant phalanges, conglobatique in unum conspirati advolitabant, dextris nobilium morituri. Tunc* THURKIL *tempus intuens instare, quo fidelitatem suam domino suo valebat patefacere;* Ego, *inquit,* hoc certamen domino meo accurabo cum meis evincere, nec regem meum ad bellandum, utpote juvenem ferventissimum, huic misceri patiar pugnæ. Nam si victor fuero, regi ipsi triumphabo; si autem cecidero, sive tergum dedero, non Anglis gloriæ erit adeo, quia Rex supererit, qui & prælium restaurabit, & fortasse victor meas injurias vindicabit. *Hoc dictum cum sanæ mentis videretur esse omnibus, annuente Rege ascendit cum suis è navibus, dirigens aciem contra Anglorum impetum, qui tunc in loco* SCORASTAN *dicto fuerat congregatus. Quadraginta deinde navium, & eo amplius, Danorum exercitus ascenderat: sed adhuc hic numerus medietati hostium par fuerat. At Dux eorum magis fisus virtute quam multitudine, omnes rumpens morulos, classica insonuit, gradiens in prima fronte, & mente semper Dei auxilium exorans, quæque obvia metebat mucronis acie. Angli verò imprimis fortiores dirâ cæde Danos obtruncarunt, intantum ut penè victoriam adepti, adversarios fugere cogerent; si non Ducis alloquio retenti, memoresque virtutis, fugam erubescerent. Namque memorabat ille abesse diffugium, in terra scilicet hostes, & à littore longè remotas puppes: Ideoque si non vincerent, quod pariter occumbere deberent. Unde illi animosiores effecti, in prælio ilico manifestant, quàm periculosa sit desperatio. Enimvero de refugio fugæ desperati, tantâ in hostes debacchati sunt insania, ut non tantum mortuorum aspiceres corpora cadentia, verum etiam vivorum ictus declinantia. Tandem ergo potiti optatâ victoria, suorum quæ repetere poterant tumulabant membra. Ab adversarijs quoque diripientes spolia, revertuntur; & adjacentem regionem invadendam accinguntur. Hoc primum decus Thurkil armis* CNUTONIS *auxit; & magnam partem patriæ pro hoc postmodum promeruit.*

* Nō bacula sed *batula* sive *botula* sunt cymbæ ac lembi minores linguâ Danicâ. Unde & remiges eâdē Danorum linguâ *botecarls* dictos indicat Vigornensis.

AT *tunc ad dominum regressus, ei & socijs suis indicat eventus, facitque eos spolijs, quæ attulit ardentiores ad pugnam, manubijs lætus & palmæ successibus. Quo exemplo* ERIC *quidam Dux, & princeps provinciæ, quæ Nordvega dicitur, incitatus (nam & is* CNUTONIS *Regis intererat officialibus, jamdiu illi subditus, vir armis strenuus, omni honorificentiâ dignus) acceptâ licentia cum suis est egressus; & partem terræ aggressus spolia diripuit, vicos invadendo destruxit, occurrentes sibi hostes domuit, & multos ex eis captivavit, tandemque victoriosus ad socios cum spolijs redit. Quo reverso, Rex parcens patriæ, prohibuit ultra eam prædari; sed jussit civitatem* LONDONIAM *metropolim terræ obsidione teneri, quia in eam confugerant optimates; & pars exercitus, & maximum (ut est populosissima) vulgus. Et quia hoc equites peditesque nequibant explere (undique enim mari quodammodo non pari vallantur flumine) turritis puppibus eam coangustare fecit, & firmissimâ vallatione tenuit. Deus itaque, qui omnes homines vult magis salvare quàm perdere, intuens has gentes tanto periculo laborare; eum principem, qui interius civitati præsidebat, educens è corpore, junxit quieti sempiternæ; ut eo defuncto liber Cnutoni ingressus pateret, & utrique populo confectâ pace paulisper respirare copia esset. Quod & factum est. Nam cives suo honorificè sepulto principe, initoque salubri consilio, elegerunt, internuncios mittere, & Regi placita mandare: videlicet ut dextram illis daret; & civitatem pacificè susciperet. Hoc ubi Cnutoni satis videretur probabile facto, fœdus firmatum est, ingressui ejus die constituto. At pars interioris exercitus sprevêre statutum civium: latenterque nocte illâ, cujus sequenti die ingressus est rex, cum filio defuncti principis egressi sunt civitatem, ut experirentur rursus collecta innumerabili manu, si forte à finibus suis valerent arcere ingressum Regem. Nec quieverunt, quousque omnes penè Anglos sibi magis adhuc acclives quàm Cnutoni conglobarent. Cnuto autem civitatem intravit, & in solio regni resedit: sed tamen Londinenses non sibi adhuc esse fideles credidit. Unde & navium stipendia illa æstate restaurare fecit: ne, si forte exercitus adversariorum civitatem oppugnaret, ipse ab interioribus hostibus exterioribus traditus interiret. Quod*

cavens,

cavens, rursus ad tempus ut prudens cessit: & ascensis ratibus, ac civitate relicta, insulam SCEPEI dictam cum suis petiit, ibique hiemans pacifice eventum rei expectavit.

ÆDMUND itaque (sic enim juvenis, qui exercitum collegerat, dictus est) recedente Cnutone, cum populo non mediocri, sed innumerabili veniens, civitatem pompaticè ingreditur, & mox eum universi sequuntur, obtemperant & favent, & virum fortem fieri suadent, dicentes quod eum magis quàm Danorum principem eligerent. Erat quoque ejus partis Comes primus EDRICUS, consiliis pollens, sed tamen dolositate versipellis, quem sibi ad aurem posuerat ÆMUND in omnibus negotiis. Fertur autem ipse juvenis illo tempore domino CNUTONI recedenti singularem pugnam obtulisse; sed Rex sapiens dicitur sic respondisse: Ego tempus luctæ præstolabor congruè, dum non casum suspectus, certus fuero victoriæ. Tu verò qui aves duellum in hieme, cave ne deficias etiam aptiori tempore. Sic Rex, ut dictum est, in Scepei, quòd est dictum Insula ovium, ut poterat, hiemavit: Ædmundus autem in Londonia, dimisso exercitu, ultimam hiemem duxit.

RECEDENTI verò brumali tempore, tota Quadragesimâ rursus militiam adunavit, & mox post Paschales dies Regem & Danos à finibus Anglorum deturbare paravit: & veniens cum innumerabili multitudine, eos subito cogitavit invadere. At sermo non latuit Danos, qui puppibus posthabitis petunt arida, aptantes se excipere quæque obvia. Erat namque eis vexillum miri portenti, quòd licet credam posse esse incredibile, lectori tamen, quia verum est, veræ inseram lectioni. Enimvero, dum esset simplicissimo, candidissimoque intextum serico, nullius figuræ in eo inserta esset imago, tempore belli semper in eo videbatur corvus, ac si intextus, in victoriâ suorum quasi hians ore, excutiensq; alas, instabilisq; pedibus, & suis devictis quietissimus, totoque corpore demissus. Quod requirens THURKIL auctor primi prælii: Pugnemus, inquit, viriliter, socii, nihil enim nobis erit periculi. Hoc denique testatur instabilis corvus præsagientis vexilli. Quo audito, equi audentiores effecti, ferratisque induviis indurati; occurrunt Anglis in ÆSCENDUNO loco, quod nos Latini Montem fraxinorum possimus interpretari. Ibique nondum congregatione facta, EDRIC, quem primum Comitem EDMUNDI diximus, hæc suis intulit affamina: Fugiamus, ô socii, vitamque subtrahamus morti imminenti, alioqui occumbemus ilico. Danorum enim duritiam nosco. Et velato vexillo, quod dextra gestabat, dans tergum hostibus, magnam partem militum bello fraudabat. Et, ut quidem ajunt, hoc non causa egit timoris, sed dolositatis, ut postea claruit: quia hoc eum clam Danis promisisse nescio quo pro beneficio, assertio multorum dicit. Tunc EDMUNDUS hoc intuitus, & undique angustiatus; O Angli, inquit, aut hodie bellabitis aut omnis una in deditionem ibitis. Pugnate igitur pro libertate & patria, viri cordati. Hi quippe, qui fugiunt, utpote formidolosi, si non abirent essent impedimento exercitui. Hæc dicens, in medios ingreditur hostes, circumquaque cædens Danos, nobiles hoc exemplo suos reddens ad bellandum proniores. Commissum est ergo prælium pedestre gravissimum, dum Dani, licet pauciores, nescii cedere, magis eligerent internecionem quam fugæ periculum. Resistunt itaque viriliter, & prælium horâ diei nona cæptum ducunt in vesperam, se gladio haud sponte opponentes, sed gladiorum aculeis valentius alios urgentes. Cadunt utriusque partis armati, plus tamen ejus quæ erat numero eminentiori. At ubi jam advesperantis noctis adessent tempora, vincit amor victoriæ tenebrarum incommoda, quia neque horrebant tenebras, instante cura majore, neque etiam nocti dignabantur cedere, in hostem tantùm dum ardebant prævalere. Et nisi luna clarescens ipsum monstraret hostem, cæderet quisque suum commilitonem, ut inimicum resistentem; nullusque utriusque partis superviveret, nisi quem fuga salvasset. Interea, cœperunt Angli fatigari, paulatimque fugam meditari, dum intuentur Danos in hoc conspiratos, quatenus aut vincerent, aut usque ad unum omnes unà perirent. Videbantur enim iis tunc numerosiores, & in tam diutinâ conflictatione fortiores. Fortiores namque eos æstimabant verâ suspicione, qui jam stimulis ferri commoniti, casuque suorum turbati, magis videbantur sævire quàm bellare. Unde Angli terga vertentes, hac & illac fugitant absque morâ, semper ante adversarium cadentes: adduntque decus CNUTONIS & victoriæ, decorato EDMUNDO, fugiente principe. Qui licet devictus valentioribus cedens recederet; tamen adhuc non penitus desperans, tutis se commisit locis, ut demum fortiori multitudine collectâ, iterum experiretur, si quid forte boni sibi succedere possit. At Dani fugientes non longe sunt persequuti, quia incogniti locorum noctis obscuritate sunt retenti. Angli verò loci non nescii, cito à manibus hostium sunt elapsi: eos relinquentes ad spolia, seseque dantes ad honesta refugia.

TUNC victores suâ læti victoriâ, transacta jam nocte plus mediâ, pernoctant quod supererat inter mortuorum cadavera. Non autem in nocte spolia dirimunt, sed interim suos requirunt, seseque adunantes ut securiores esse possent, simul omnes uno in loco perstiterunt. Illucescente verò jam mane, suorum agnoscunt multos in prælio cecidisse, quorum cadavera ut potuerant, tumulavêre. Ab adversariorum quoque membris abradunt spolia, bestiis & avibus eorum relinquentes morticina: Et ad naves redeuntes, Londoniamq; repetentes, saniora sibi quærunt consilia. Similiter & Angli suo cum principe sibi consulunt,

& super

& super hoc negotij Dei auxilium quærant: ut qui toties armis sunt devicti, saltem aliquo consilio valerent remanere suffulti. Iam etiam EDRIC, *quia antea à bello recessit profugus, ad dominum suum, & ad socios rediit; & susceptus est, quia vir boni consilij fuit. Is surgens in medio agmine, omnes tali allocutus est sermone:* Licet omnibus pene vobis sim invisus, quia bello cessi: tamen si vestris sederet animis dictio parere mei consilij, victoriosiores effici meo consultu possetis, quàm si totius terræ his viris resisteretis armis. Satis enim Danorum victorias expertus, frustra nos reniti omnino scio; & ob hoc me subtraxi à prælio, ut vobis postmodum prodessem consilio, non, ut vos æstimatis, perculsus timore aliquo. Dum enim scirem necesse esse me fugere, quid satius fuit, aut vulneratum aut sanum recedere? Est procul dubio certa victoria interdum à fortiori hoste elabi fugâ, cui nequit resisti per arma. Omnes enim, qui adsumus, proh dolor! fugimus. Sed ne hic casus vobis eveniat ulterius, dextras Danis demus, ut ipsos fœderatos habentes, fugam periculumque bellorum sic saltem declinemus. Attamen hoc aliter nequit fieri, nisi divisione regni nostri. Et melius esse judico ut medietatem regni Rex noster cum pace habeat, quàm totum pariter invitus amittat. *Placuit sermo optimatibus, & licet invitus, hoc tamen annuit* EDMVNDVS, *electisque internuncijs, præmittit ad naves* CNVTONIS, *qui dextras Danis dent & accipiant ab eis. Quos ubi primum Dani venientes intuentur, exploratores eos esse suspicantur: sed postquam propius eos vident accedere, accersitis eis, quidnam quæsierunt, orsi sunt rogitare. Discedentes verò ab eis pro conficienda pace eos venire, lætantes eos sistunt conspectui regis. Erant enim obnixè optantes prospera pacis, jam lassi bellorum, & continuatione navigationis. Tunc missi, Rege pacificè salutato:* Miserunt nos, *inquiunt*, ad te, ô Rex. Princeps noster, & procerum nostrorum multitudo, ut consentias eis de pace datis nobis dextris & obsidibus, à nobis indidem recipias cum regni medietate. Dominare in boreali parte cum quiete: è regione autem sit noster EDMVNDVS in finibus meridianæ plagæ. Hujus rei gratia ad te sumus legati: tu verò bene faciens, placito consenti. Alioquin licet simus semel & iterum à vobis bello deturbati, adhuc tamen majori violentia roborabimur vobiscum bellaturi. *Quibus Rex non temere respondit, sed ipsis amoris consilium à suis quæsivit, & sic eis postmodum pacificè consensit. Audierat enim à suis, quod multi suorum defecissent: nec erat qui locum morientium suppleret, cum longè remoti à propria patria essent: Anglorum quoque quamquam perplurimi interficerentur, numerus eorum non adeo minuebatur, quia in proprijs positi, semper qui morientis locum restauraret inveniebatur. Revocatis igitur internuncijs:* Vestris, *inquit Rex*, ô Iuvenes, legationibus consentio, & uti dixistis media mihi liberè erit regio. Sed tamen vectigal etiam suæ partis vester Rex, quicunque ille fuerit, exercitui dabit meo. Hoc enim illi debeo, ideoque aliter pactum non laudo.

CNVTO Rex.

A. G.

FOEDERE *itaque firmato, obsides dantur ab utraque parte; & sic exercitus solutus bellorum importunitate, optatâ lætus potitur pace. Veruntamen Deus memor suæ antiquæ doctrinæ, scilicet omne regnum in seipsum divisum diu permanere non potest, non longo post tempore* EDMVNDVM *eduxit è corpore, Anglorum misertus imperij; ne forte si uterque superviveret, neuter regnaret secure, & regnum diatim adnihilaretur renovata contentione. Defunctus autem regius invenis regio tumulatur sepulchro, defletus diu multumque a patriensi populo, cui Deus omne gaudium tribuat cœlesti solio. Cujus rei gratia cum Deus jusserit obire, mox deinde patuit, quia universa regio ilico* CNVTONEM *sibi regem elegit: & cui ante omni conanime restitit, tunc sponte sua se illi & omnia sua subdidit.*

ERGO *miseratione divinâ monarchiam regni* CNVTO *vir strenuus suscepit, & nobiliter Duces & Comites suos disposuit, & fine tenus deinceps regnum Anglorum pacificè tenuit. Erat adhuc primæva ætate florens, sed tamen indicibili prudentia pollens. Vnde contigit ut eos, quos antea* EDMVNDO *sine dolo fideliter militare audierat, diligeret, & eos, quos subdolos scierat, atque tempore belli in utraque parte fraudulentâ tergiversatione pendentes, odio haberet: adeò ut multos Principum quadam die occidere pro hujusmodi dolo juberet. Inter quos* EDRICVS, *qui à bello fugerat, cum præmia pro hoc ipso à Rege postularet, ac si hoc pro ejus victoriâ fecisset: Rex subtristis,* Qui dominum, *inquit*, tuum decepisti fraude, mihine poteris fidelis esse? Rependam tibi condigna prœmia, sed ea ne deinceps tibi placeat fallacia. *Et* ERICO *Duce suo vocato,* Huic, *ait*, quod debemus persolvito, videlicet, ne nos decipiat, occidito. *Ille verò nil moratus, bipennem extulit, eique ictu valido caput amputavit; ut hoc exemplo discant milites Regibus suis esse fideles, non infideles.*

OMNIBVS *itaque ritè dispositis, nil Regi defuit absque nobilissimâ conjuge, quam ubique sibi jussit inquirere: ut juuentam hanc legaliter adquireret, & adeptam imperij sui consortem faceret. Igitur per regna & per urbes discurritur, & regalis sponsa perquiritur: sed longè latèque quæsita, vix tandem digna reperitur. Inventa est verò hæc imperialis sponsa in confinitate Galliæ, & præcipuè in Normandensi regione, stirpe & opibus ditissimâ: sed tamen, pulcritudinis & prudentiæ delectamine omnium ejus tempo-*

CNVTO Rex. A. C.

rum mulierum præstantissima, utpote Reginâ famosa. Propter hujusmodi insignia multum appetebatur à Rege, & pro hoc præcipue quod erat oriunda ex victrici gente, quæ sibi partem Galliæ vendicaverat, invitis Francigenis, & eorum Principe. Quid multis immoror? mittuntur proci ad dominam, mittuntur dona regalia, mittuntur etiam verba precatoria. Sed abnegat illa se unquam Cnutonis sponsam fieri, nisi illi jusjurando affirmaret, quod numquam alterius conjugis filium post se regnare faceret, nisi eius: si fortè illi Deus ex eo filium didisset. Dicebatur enim ab alia quadam Rex filios habuisse. Vnde illa suis prudenter providens, scivit ipsis sagaci animo profutura præordinare. Placuit ergo Regi verbum virginis, & jusjurando facto virgini placuit voluntas Regis. Et sic, Deo gratias, domina Emma mulierum nobilissima, fit conjux Regis fortissimi CNUTONIS. Lætatur Gallia, lætatur etiam Anglorum patria, dum tantum decus transvehitur per æquora. Lætatur, inquam, Gallia, tantam tanto Regi dignam se enixam. Anglorum verò lætatur patria, talem se recepisse in oppida. O res millenis millies parata votis, vixque tandem effecta auspicante gratia Salvatoris. Hoc erat, quod utrobique vehementer jam dudum desideraverat exercitus, scilicet ut tanta tanto digna etiam digno maritali convinculata jugo, bellicos sedaret motus. Quid enim majus ac desiderabilius esse posset in votis, quàm damnosos ingratosque labores belli placidâ finiri tranquillitate pacis, cum pares paribus vi corporis, virtuteque animi concurrerent? cumque nunc hi, nunc vero illi, alternante casu belli, non sine magno detrimento sui, vincerent?

VERUM, ubi divina dispensatione, multisque alterutrum diu habitis internunciis, maritali se tandem copulâ placuit confœderari: difficile creditu est quanta repentè in utrisque alteri de altero exorta sit magnitudo gaudii. Gaudebat enim Rex nobilissimus insperatò se usum thalamis: hæc autem hinc præstantissima virtute conjugis, hinc etiam spe gratulabunda accendebatur futuræ prolis. Inæstimabiliter quoque uterque gaudebat exercitus, opes suas communibus sperans augendas viribus; ut rei postmodum probavit exitus. Quamplures enim populi domiti bello, gentesque complures longè distantes vitâ, moribus, etiam & linguâ, æternaliter Regi regiæque posteritati annua compulsi sunt solvere vectigalia. Sed quid mirum si tantus talisque Rex repugnantes sibi dimicando devinceret? cum quamplurimos partim liberali largitione, partim patrocinandi gratiâ imperio suo ultraneos submitteret? profectò non mirum. Quoniam illic divina aspirat gratia, ubi justitiæ probitatisque æqua libratur trutina.

SED quid multis immoror? Gaudium magnum in conjugatione tantorum dixi fuisse: multò autem amplius dico, suscepta masculæ prolis opportunitate. Nam multò post siquidem, Salvatoris annuente gratia, filium peperit nobilissima Regina. Cuius cum uterque parens intima, atque ut ita dicam, singulari gauderet dilectione: alios verò liberales filios educandos direxerunt Normanniæ, istum hîc retinentes, sibi utpote futurum heredem regni. Itaque dilectissimum pignus, uti mos est Catholicis, sacro abluunt fonte baptismatis, imponuntque ei vocabulum quodammodo obtinens indicium futuræ virtutis. Vocatur siquidem HARDECNUTO, nomen patris referens cum additamento. Cujus si etymologia Teutonicè perquiratur: profectò quis quantusve fuerit dinoscitur. HARDE quidem, velox vel fortis, quod utramque, multoque maius his in eo cognosci potuit. quippe qui omnes sui temporis viros omnium virtutum præstantia anteivit. Omnes igitur ejus virtutes enumerare nequeo. Quapropter ne longius a proposito exorbitem supra repetam, historiæque sequar ordinem.

ADULTO denique puero, de quo sermo agitur, pater adhuc in omni felicitate degens, omne regnum suæ ditioni subjectum sacramento devinxit: eumque postmodum ad obtinendam Monarchiam regni Danorum cum delectis militibus misit. Cum autem Rex CNUTO solum imprimis Danorum obtineret regimen, quinque regnorum, scilicet Danomarchiæ, Angliæ, Britanniæ, Scotiæ, Nordwegæ, vendicato dominio, Imperator extitit. Amicus verò & familiaris factus est viris Ecclesiasticis, adeò ut Episcopis videretur Coëpiscopus, pro exhibitione totius religionis, Monachis quoque non secularis, sed cœnobialis pro continentiæ humillima devotionis Defensabat sedulo pupillos & viduas, sustentabat orphanos & advenas: leges oppressit iniquas, earumque sequaces justitiam & æquitatem extulit & coluit. Ecclesias extruxit & honoravit: sacerdotes & clerum dignitatibus ampliavit: pacem & unanimitatem omnibus suis indixit: ut de eo illud Maronicum dici posset, nisi extra Catholicam fidem hoc fuisset:

Nocte pluit tota, redeunt spectacula mane.
Divisum imperium cum Ioue Cæsar habet.

Deo omnibus modis placita studuit, ideoque quicquid boni agendum esse didicerat, non negligentiæ, sed operatione committebat. Quæ enim Ecclesia adhuc eius non lætatur bonis? Sed ut sileam, quæ in suo regno positis egerit, huius animam quotidie benedicit Italia, bonis perfrui deposcit Gallia, & magis omnibus hanc in cælo cum Christo gaudere orat Flandria. Has enim provincias transiens Romam petijt, & ut multis liquet, tanta hoc in itinere misericordiarum opera exhibuit; ut, si quis hæc describere omnia voluerit, licet innumerabilia ex his fecerit volumina deficiens fatebitur se vix etiam cucurrisse per minima.
Nam

CONRADUS SALICUS IMP.

Nam quid singulis in locis fecerit sileo. Verumtamen, ut credibiliora fiant quæ aſſero, quid in una urbe S. Audomari fecerit quod dicam pro exemplo, quod etiam oculis meis me vidiſſe recordor. CNUTO Rex. A. C.

INGRESSUS Monaſteria, & ſuſceptus cum magna honorificentia, humiliter incedebat, & mira cum reverentia in terram defixus lumina, & ubertim fundens lachrymarum, ut ita dicam, flumina, tota intentione Sanctorum expetijt ſuffragia. At ubi ad hoc perventum eſt, ut oblationibus regijs ſacra vellet cumulare altaria: Ohe! quotiens primum pavimento lacrymoſa infixit oſcula! quotiens illud pectus venerabile propria puniebant verbera! qualia dabat ſuſpiria! quotiens precabatur, ut ſibi non indignaretur ſuperna clementia! Tandem à ſuis ei imminenti * ſua porrigebatur oblatio non mediocris, nec quæ aliquo clauderetur in marſupio, ſed ingens allata eſt palleali extento in gremio, quam ipſe Rex ſuis manibus altari impoſuit, largitor hilaris monitu Apoſtolico. Altari autem cur dico? cum vidiſſe me meminerim eum omnes angulos Monaſteriorum circuiſſe, nullumque altare, licet exiguum præteriſſe, cui non munera daret, & dulcia oſcula infigeret? Deinde adſunt pauperes, munerantur etiam ipſi protinus ſingulatim omnes. Hæc & his mirificentiora à Domino CNUTONE geſta vidi ego veſter vernula, ſancte Audomare, ſancte Bertine, cum fierent veſtris in Cœnobijs. Pro quibus bonis tantum Regem impetrate vivere in cœleſtibus habitaculis; ut veſtri famuli Canonici & Monachi ſint orantes orationibus quotidianis.

DISCANT igitur Reges & Principes huius Domini imitari actiones, qui ut valeret ſcandere ſublimia, ſeſe humiliavit in infima; & ut poſſet adipiſci cœleſtia, hilariter largitus eſt terreſtria. Non enim fuerat oblitus propriæ conditionis, quod moriturus erat in mundo, & relicturus quæq; poſſunt concupiſci in ſeculo: & ob has divitias, quas ſecum nequivit moriens auferre, vivens Deo & ſanctis eius locis partitus eſt honorificè: ne fortè ſi avaritiæ ſtuderet, omnibus inviſus viveret, nulluſque eſſet qui eius animæ aliquid boni & alius ei ſuccederet, qui in ejus regno largius viveret, & de ejus parcitate indignaretur. Verùm hoc nè fieret ſatis cavit, & ſuis poſteris bonum exemplum largitatis, totiuſque bonitatis reliquit: quod & ipſi adhuc, Deo gratias, ſervant, optimè pollentes in regni moderamine, & in virtutum decore.

TANTUS itaque Rex poſtquam Romà eſt reverſus, & in proprio aliquantiſper demoratus, omnibus benè diſpoſitis tranſijt ad Dominum, coronandus in parte dextera ab ipſo Domino auctore omnium. Turbabantur itaque ejus obitu omnes qui audierant, maximeque ejus ſolio deſervierant: quorum maxima pars cuperet ei commori, ſi hoc diſpliceret divinæ diſpoſitioni. Lugebat domina EMMA ejus Regina cum parentibus, ululabant pauperes cum potentibus, flebant Epiſcopi & Clerici cum Monachis & Sanctimonialibus. Sed quantum lugebatur in mundo, tantum lætetur in cœli palatio. Iſti flebant hoc quod perdiderant: illi gratulentur de ejus anima, quam ſuſcipiant. Iſti ſepelierunt corpus exanime, illi ſpiritum deducant in ſublime, lætandum in æterna requie. Pro ejus tranſitu ſoli flebant terreni, ſed pro ejus ſpiritu interveniant cum terrenis etiam cives cœlici. Vt ejus gloria creſcat cotidie, oremus Deum intentè. Et quia hoc promeruit ſua bonitate, cotidie clamemus, ANIMA CNUTONIS REQUIESCAT IN PACE, AMEN.

MORTUO Cnutone Rege, honorificèque ſepulto in Monaſterio in honore ſancti Petri conſtructo, domina Regina EMMA ſola remanſit in regno, dolens de domini ſui morte amara, & ſollicita pro filiorum abſentia. Namque unus eorum HARDECNUTO ſcilicet, quem pater Regem Danorum conſtituit, ſuo morabatur in regno: duo alij in Normanniæ finibus ad nutriendum traditi, cum propinquo ſuo degebant ROBERTO. Vndè factum eſt, ut quidam Anglorum pietatem Regis ſui jam defuncti obliti, mallent regnum ſuum dedecorare, quam ornare; relinquentes nobiles filios inſignis Reginæ Emmæ, & eligentes ſibi in Regem quendam HARALDUM, qui eſſe filium falſà æſtimatione aſſeritur cujuſdam ejuſdem Regis Cnutonis concubinæ. Plurimorum verò aſſertio eundem Haraldum perhibet furtim fuiſſe ſubreptum parturienti ancillæ, impoſitum autem cameræ languentis concubinæ. Quod veracius credi poteſt. Qui electus, metuenſq; futuri, advocat mox Archiepiſcopum ÆLNOTUM, virum omni virtute & ſapientiâ præditum: imperatque & orat ſe benedici in Regem, ſibique tradi cum coronâ regale ſuæ cuſtodiæ commiſſum ſceptrum, & ſe duci ab eodem, quia ab alio non fas fuerat, in ſublime regni ſolium. Abnegat Archiepiſcopus, ſub jurejurando aſſerens, ſe neminem alium in Regem (filijs EMMAE Reginæ viventibus) laudare vel benedicere. Hos meæ fidei CNUTO commiſit, his fidem debeo; & his fidelitatem ſervabo. Sceptrum & coronam ſacro altari impono, & hoc tibi nec denego, nec trado: ſed Epiſcopis omnibus, ne quis eorum ea tollat, tibive tradat, teve benedicat, Apoſtolica auctoritate interdico. Tu verò ſi præſumis, quod Deo menſæq; ejus commiſi, invadito. Quid miſer ageret, quo ſe verteret ignorabat. Intentabat minas, & nihil profecit. Expendebat munera, & nil lucratus; doluit, quoniam vir Apoſtolicus nec valebat minis deijci, nec muneribus flecti. Tandem deſperatus abſceſſit, & Epiſcopalem benedictionem adeò ſprevit, ut non ſolum ipſam odiret benedictionem, verum etiam univerſam fugeret Chriſtianitatis Religionem. Namque dum alij Eccleſiam Chriſtiano more Miſſam audire ſubintrarent; ipſe aut ſaltus canibus ad venandum cinxit, aut quibuſlibet alijs viliſſimis rebus ſeſe occupavit, ut tantum declinare poſſet quod odivit. Quod Angli videntes dolebant,

CNVTO Rex. A. C.

sed quia hunc sibi Regem elegerant, hunc erubuerunt dejicere, ideoque disposuerunt hunc sibi Regem finitenus esse. Domina autem Regina EMMA *tacitè exitum rei expectabat, & aliquantisper sollicita auxilium* DEI *cotidie exorabat. At ille clam, quia nondum palam audebat, Reginæ insidias moliebatur; sed ut illi noceret à nemine permittebatur. Unde ille cum suis iniquo excogitato consilio, natos dominæ suæ volebat interficere; ut sic securus deinceps in peccatis vivens posset regnare. Verumtamen nullum in hoc omnimodis effectum acciperet, nisi fraudulentorum dolo adjutus, hoc quod narrabimus adinveniret. Namque dolo reperto, fecit Epistolam in persona Reginæ ad filios ejusdem, qui in Normannia morabantur, componere; cujus etiam exemplar non piget nobis subnectere.*

EMMA tantum nomine Regina, filijs EDWARDO & ALFRIDO materna impertit salutamina. Dum domini nostri Regis obitum separatim plangimus, filij carissimi, dumque diatim magis magisque regno hæreditatis vestræ privamini; miror quid capietis consilij, dum sciatis intermissionis vestræ dilatione, invasoris vestri imperij fieri cotidie soliditatem. Is enim incessanter vicos & urbes circuit, & sibi amicos Principes muneribus, minis, & precibus facit. Sed unum è vobis super se mallent regnare, quam istius, qui * non eis imperat, teneri ditione. Undè, rogo, unus vestrum ad me velociter & privatè veniat; ut salubre à me consilium accipiat, & sciat quo pacto hoc negotium quod volo fieri debeat. Per præsentem quoq; internuntium quid super his facturi estis remandate. Valete, cordis mei viscera.

* f. nunc.

HAC *fraude jussu* HARALDI *Tyranni composita, regijs adulescentulis est directa per pellaces cursores, eisque ex parte matris ignaræ oblata, & honorificè ab eis, ut munus genetricis suscepta. Legunt dolos ejunescij, &, proh dolor! nimis falsitati creduli, inconsultè remandant genitrici, unum eorum ad eam esse venturum, constituuntque ei diem, & tempus, & locum. Regressi itaque legatarij intimant Dei inimicis, quæ sibi responsa reddita sunt à juvenibus nobilissimis. Hinc illi præstolabantur ejus adventum, & quid de eo facerent ad suum invenerunt detrimentum. Statuto igitur die,* ALFRIDUS *minor natu, laudante fratre, elegit sibi commilitones; & arripiens iter, Flandriæ venit in fines. Quo paululum cum Marchione* BALDUINO *moratus, & ab eo rogatus ut aliquam partem suæ militiæ secum duceret propter insidias hostium. Sed tantum Bononiensium paucos assumpsit, & ascensis puppibus mare transfretavit. At ubi littori venit contiguus, mox ab adversarijs est agnitus. Qui occurrentes volebant eum aggredi, sed statim ille agnoscens jussit naves à littore illo repelli. Alia autem ascendens in statione, matrem parabat adire; æstimans se omnem insidiarum pestem evasisse. Verum ubi jam erat proximus, illi Comes* GODVINUS *est obvius factus, & eum in suâ suscepit fide, ejusque fit mox miles cum sacramenti affirmatione. Et devians eum à Londonia, induxit eum in villa* GILDEFORDIA *nuncupata, inibique milites ejus vicenos & duodenos, decenosque singula duxit per hospitia, paucis relictis cum juvene, qui ejus servitio deberent insistere. Et largitus est eis abundanter cibaria & pocula: & ipse ad sua recessit hospitia, mane rediturus, ut domino suo serviret cum debita honorificentia. Sed postquam manducaverant & biberant & lectos, utpote fessi, libenter ascenderant; ecce complices* HARALDI *infandissimi tyranni adsunt & singula hospitia invadunt, arma innocentum virorum furtivi tollunt, & eos manicis ferreis & compedibus arctant, & ut crucientur in crastinum servant. Mane autem facto adducuntur insontes in medio, & non auditi damnantur scelerosè. Nam omnium exarmatis vinctisque post tergum manibus, atrocissimis traditi sunt carnificibus: quibus etiam jussum est, ut nemini parcerent, nisi quem sors decima offerret. Tunc tortores vinctos ordinatim sedere fecerunt, & satis supraque eis insultantes, illius interfectoris Thebeæ legionis exemplo usi sunt, qui decimavit primùm innocentes multo his mitius. Ille enim Rex paganissimus, Christianorum novem pepercit, occiso decimo. At hi profanissimi, falsissimique Christiani bonorum Christianorum novem perimerunt, decimo dimisso. Ille licet paganus Christianos trucidaret, patulo tamen in campo eos nexibus non inretitos decollari jussit, ut gloriosos milites. At isti licet nomine Christiani, actu tamen paganissimi, lanceolarum suarum ictibus non merentes Heroas catenatos mactabant ut sues. Unde hujusmodi tortores canibus deteriores dignè omnia dicunt secula, qui non militiæ violentiâ, sed fraudium suarum insidijs tot militum honesta damnaverunt corpora. Quosdam, ut dictum est, perimebant, quosdam verò suæ servituti mancipabant. Alios cæca cupidine capti vendebant, nonnullos autem arctatos vinculis majori irrisioni reservabant. Sed divina miseratio non defuit innocentibus in tanto discrimine consistentibus: quia multos ipsi vidimus, quos ex illa derisione eripuit cælitus, sine adminiculo hominis ruptis manicarum compedumque obicibus.*

ERGO *quia militum agones succinctim transcurrimus, superest ut & eorum Principis, gloriosi scilicet* ALFRIDI *martyrium narrando seriem locutionis abbreviemus: ne fortè si singulatim omnia, quæ ei acta sunt, perstringere voluerimus, multis ubique præcipuè dominæ Reginæ dolorem multiplicemus.*

Quâ

Quâ in re, rogo te domina, ne requiras amplius quàm hoc, quod tibi parcendo breviter dicturi sumus. Possent enim multa dici, si non tuo parceremus dolori. Est quippe nullus dolor major matri, quam videre vel audire mortem dilectissimi filij. Captus est igitur regius juvenis clam suo in hospitio, eductusque in insula HELI *dicta, à milite primum irrisus est iniquissimo: deindè contemptibiliores eliguntur, ut horum ab insaniâ flendus juvenis dijudicetur. Qui judices constituti, decreverunt illi debere* * *oculi utrique ad contemptum primum erui. Quod postquam parant perficere duo illi super brachia ponuntur, qui interim tenerent illa, & unus super pectus, unusque super crura, ut sic facilius illi inferretur pœna. Quid hoc in dolore detineor? Mihi ipsi scribenti tremit calamus, dum horreo quæ juvenis passus est beatissimus. Evadam ergo brevius tantæ calamitatis miseriam, finemque hujus martyrij finetenus perstringam. Namque est ab impijs tentus, effossis etiam luminibus impijssimè est occisus. Quâ nece perfecta, relinquunt corpus exanime, quod fideles Christi, Monachi scilicet ejusdem insulæ Heli rapientes, sepelierunt honorificè. In loco autem sepulchri ejus multa fiunt oracula, ut quidam ajunt, qui etiam se hæc vidisse sæpissimè dicunt. Et meritò; Innocenter enim fuit martyrizatus, ideoque dignum est ut per eum innocentium exerceatur virtus. Gaudeat igitur Emma Regina de tanto intercessore, quia quem quondam in terris habuit filium, nunc habet in cælis patronum.*

* l. oculos utrosque.

AT *Regina tanti sceleris novitate perculsa, quid facto opus sit mente considerat tacitâ. Animus igitur ejus diversus huc illucque rapitur, & se amplius tantæ perfidiæ credere cunctatur: quippe quæ perempti filij inconsolabiliter confundebatur mærore, verum multo amplius ex ejusdem consolabatur certâ requie. Hinc duplici, ut diximus, angebatur caussa, necis videlicet filij miserabili mæstitiâ, tum verò reliquæ suæ vitæ dignitatisque diffidentiâ. Sed fortassis hîc mihi quilibet clamabit, quem livor hujusce dominæ lividum onerosumque reddit. Cur eâdem nece mori refutabat, quæ sub hac proditione necatum filium æterna requie frui nullatenus dubitabat? Ad quod destruendum, tali responsione censeo utendum: quoniam si persecutor Christianæ religionis fideique adesset, non vitæ discrimen subire fugeret. Ceterum nefarium & execrabile cunctis orthodoxis videretur, si ambitione terreni imperij talis famæ matrona vitâ privaretur: neque profectò emori, fortunis tantæ dominæ honestus exitus haberetur. Hæc & his similia antè oculos ponens, & illud autenticum Dominicæ exhortationis præceptum suis fortunis conducibile censens, quo videlicet electis insinuat,* Quoniam si persecuti vos fuerint in una civitate, fugite in alia: *pro suo casu spes satis honestas reliquæ dignitatis conservandæ exequitur, & tandem gratiâ superni respectus consilio solerti utitur. Exteras nationes petere sibi utile credit, quod sagaci ratione sine tenus perducit. Tamen quas petit non externas sibi experta est fore, quis* * *immorans haud secus ac suis colitur decentissimè. Igitur pro re atque tempore, quamplurimus potest sibi fidos optimates congregat; his præsentibus secreta cordis sui enucleat. A quibus etiam inito dominæ probato consilio, commeatus classium eorum apparatur exilio. Itaque prosperis usi flatibus transfretant, & cuiquam stationi haud longè à castello Bruggensi distanti sese applicant. Hoc castellum Flandrensibus colonis incolitur, quod tum frequentia negotiatorum, tum affluentia omnium, quæ prima mortales ducunt famosissimum habetur. Hic equidem à Marchione ejusdem Provinciæ* BALDUINO *magni & invictissimi Principis filio, ejusque conjuge* ATHALA, *quæ interpretatur nobilissima, Francorum Regis* RODBERTI *& Reginæ* CONSTANTIAE *filia honorificè, uti se dignum erat, recipitur. A quibus etiam in prædicto oppido domus regali sumptui apta eidem Reginæ tribuitur: ceterum obsonium benignè offertur. Quæ partim illa cum gratiarum actione suscipit, partimque sese non indigere quodammodo ostendit.*

* quibus;

IN *tanta igitur posita securitate, legatos suo filio mittit* EDUARDO *postulatum, ne versus se pigritaretur venire. Quibus ille obaudiens equum conscendit, & ad matrem usque pervenit. Sed ubi eis copia data est mutuo loquendi, filius se matris fortunas edocet miserari; Sed nullo modo posse auxiliari, cum Anglici optimates nullum ei fecerint jusjurandum. quæ res indicabat à fratre auxilium expetendum. His ita gestis,* EDUARDUS *Normanniam revehitur, & mens Reginæ quod sibi foret agendum, etiam nunc cunctatur. Post cujus reditum, nuncios* HARDECNUTONI *filio suo legat, qui tunc temporis regimen Danorum obtinebat, per quos sui doloris novitatem aperit, & ut ad se venire quantocius maturet, petit: Cujus aures ut tanti sceleris horror incussit, primò omnium mens ejus intolerabili obtusa dolore in consulendo fatiscit. Ardebat enim animo, fratris injurias ultum ire, imò etiam matris legationi parere. Hinc utrique rei prævidens, quàm maximas potest navium militumque parat, quorum ampliorem numerum quodam maris in anfractu collocat: qui si inter eundum sibi copia pugnandi, seu etiam necessitas repugnandi accideret, præsidio adventaret; Ceterum, non amplius decem navibus se comitantibus ad matrem proficiscitur, quæ non minima doloris anxietate fatigabatur. Dum igitur prospero cursui intenti non modò certatim spumas salis ære ruebant, verumetiam suppara velorum secundis flatibus attollebant,*

CNVTO Rex. A. C.

ut maris facies non unquam certa, sed semper mobilitate flatuum dubitanda habetur, & infida; repentè fœda tempestas ventorum nubiumque à tergo glomeratur, & ponti superficies jam supervenientibus austris turbatur. Itaque quod in tam atroci negotio solet fieri, anchoræ de proris jactæ arenis affiguntur fundi. Quæ res tametsi tum illis fuerit importuna tamen non absque Dei nutu cuncta disponentis esse creditur acta, ut postmodum rei probavit eventus, membris omnium placidæ quieti somni cedentibus. Nam postera nocte, eodem HARDECNUTONE *in stratu quiescente, divinitus quædam ostenditur visio, quæ eum confortans & consolans, forti jubet esse animo. Hortatur præterea, ne ab incœpto desisteret, quia paucarum dierum intervallo injustus regni invasor,* HARALDUS *scilicet, occideret; & regnum patrijs viribus domitum sibi justo heredi justissima successione incolume rediret. Evigilans igitur somniator talibus indicijs certior fit, & Deo omnipotenti tantâ consolationis causâ gratias reddidit: simulque futura nullatenus dubitat, quæ sibi memorata visio praduxerat. Denique maris ira pacata, omnique tempestate sedata, prosperis flatibus sinus pandit velorum: sicque secundo usus cursu, ad Brugensem sese applicuit portum. Hic anchoris rudibusque navibus, & nautis qui eas servarent expeditis, recta se via cum delectis ad hospitium dirigit matris. Qualis ergo mœror, qualisque lætitia in ejus adventu fuerit exorta, nulla tibi unquam explicabit pagina. Dolor haud modicus habebatur, dum in vultu ejus faciem perempti fratris mater quadam imaginatione contemplaretur: Item gaudio magno gaudebat, dum superstitem salvum adesse sibi videbat. Vnde viscera divinæ misericordiæ se sciebat respicere, cum nondum tali frustraretur solamine. Nec longo post filio cum matre morante, & memoratæ visionis promissa expectante, nuncij læta ferentes nuncia adventant, qui videlicet* HARALDUM *mortuum nunciant: qui etiam referunt Anglicos ei Principes nolle adversari, sed multimodis jubilationibus sibi conlætari. Vndè regnum hereditario jure sibi debitum non dedignetur repetere, & suæ dignitati, eorumque saluti juxta in medium consulere.*

HIS *Hardecnuto materque animati repetere statuunt oras aviti regni. Cujus rei fama ut populares impulit aures, mox cuncta dolore & luctu compleri cerneres. Dolebant enim divites ejus recessione, cujus semper amabili fruebantur collocutione. Dolebant pauperes ejus recessione, cujus diutinis largitionibus ab egestatis defensabantur onere. Dolebant viduæ cum orphanis, quos illa extractos sacro fonte baptismatis non modicis ditaverat. Quibus igitur hanc laudibus efferam nescio, quæ ibidem numquam absfuit renascentibus in Christo. Hic ejus fides patet laudanda, hic bonitas omnimodis celebranda. Quod si pro singulis ejus benefactis parem asserere, prius me tempus quàm rem credo deserere. Vndè ad seriem nostræ locutionis propero redire.*

DUM *Reginæ filijque ejus reditus apparatur, omne litus planctu gemituque confunditur, omnes dextræ cælo attollebantur infensæ. Flebant igitur à se discedere illam, quam toto exilij tempore ut civem vidère suam. Nulli divitum gravis hospita, nulli pauperum in quolibet onerosa: Omnes igitur natale solum mutare putares, cunctas secum exteras petere velle diceres regiones. Sic toto plangebatur litore, sic ab omni plorabatur populo astante. Licet ei quodammodo congauderent pristinum gradum repetere dignitatis, non tamen eam matronis siccis dimittere poterant oculis. Tandem vincit amor patriæ, & omnibus viritim osculatis, & flebili eis dicto vale, cum filio suisque altum petit mare, non absque magna lachrymarum utrimque fusa ubertate. Igitur Principes Anglici parum prævenisse fidentes legatione. antequam ab illis transfretaretur obvij sunt facti, optimum factu rati, ut & Regi Reginæque satisfacerent, & se devotos eorum dominationi subderent. His Hardecnuto cum matre certus factus, & transmarini littoris tandem portum nactus, à cunctis incolis ejusdem terræ gloriosissimè recipitur; sicque divini muneris gratiâ regnum sibi debitum redditur. His ita peractis, & omnibus suis in pacis tranquillitate compositis fraterno correptus amore, nuncios mittit ad* EDUARDUM *rogans, ut veniens secum obtineret regnum. Qui fratris jussioni obediens, Anglicas partes advehitur, & mater amboque * filij regni paratis commodis nulla lite intercedente utuntur. Hic fides habetur regni socijs, hic inviolabile viget fœdus materni fraternique amoris: Hæc illis omnia præstitit, qui unanimes in domo habitare facit,* IESUS CHRISTUS, *Dominus omnium: cui in Trinitate manenti immarcessibile floret imperium,* Amen.

* His haud dissona sunt, quæ à Saxone inferius relata attulimus.

CANUTUS

CANUTUS DURUS Rex. A. Ch

CANUTUS REX LXV, cognomento DURUS.

MORTVO Canuto Magno, filius ejus Harde-Canutus, qui jam aliquandiu vivo patre Daniæ præfuerat, summo Ordinum omnium consensu in regnum succedit. Sceptro potitus, sepositâ paulisper Angliæ curâ, ante omnia Norvagiam, cui, ut dictum, filius MXXXVII. Olai Magnus è Moschoviâ redux imminebat, Daniæ adjungere omniaque nexu firmiore disponere constituit. Nec enim levius Norvagorum defectione, quàm paterni fati rumore perculsus, nihil non agendum existimavit, quo in fide suos retineret. Sed id majoris moliminis cum re ipsâ experiretur, inijt cum Magno pactum, ut uter eorum superesset, regnum utrumque solus possideret. Adeò enim, quod Saxo addit, Daniam Norvagiamq; unius esse regiminis affectabat, ut alteram alteri subjici, quam utramq; separatim regnum gerere præoptaret, patriæque exteros imperitare, quàm patriam sine exteris imperium gerere mallet.

Interea apud Anglos regni primores concilium de rege creando coegerant, in quo Haraldum, quem pater ad bellum Normannicum proficiscens insulæ præfecerat, plurium suffragijs, morante in Daniâ diutius Canuto, regem pronunciant. Alij tradunt, ità inter utrumque divisum regnum, ut Thamesis fluvius fratribus regni fines herciseeretur: Borealis ab eo fluvio pars Haraldo, australis Hardecanuto cederet: sed in Daniam proficiscente Canuto, totius Angliæ regem proclamatum Haraldum. Emmæ superius Encomiastes, cui, ut temporum horum æquali, potissimum fides debetur, solùm Haraldum, præteritis Emmæ liberis, electum quidem à plebe memorat, sed cui Elnothus archiepiscopus, viventibus Emmæ liberis, utpote sibi à Magno Canuto præcipue commendatis regni diadema conferre, aut alium quempiam, præter ipsos, in regem inungere haud quaquam voluerit. Verum Haraldus in regnum, non verò mores patris succedens, statim ut regium titulum populi solius suffragio adeptus est, imperium exercere violentius instititit. Inter primos Emmam novercam proscripsit, & civium alios aut despexit aut vi aut fraudibus oppressit. Alphredum Emmæ reginæ filium quàm dolosè ad se evocatum circumvenerit, ac tandem adjuvante Godvino, miserrime emori adegerit, superius prò parte ex Emmæ Elogio potuit intelligi. Emma autem regina, regno exacta, in Flandris apud Comitem Balduinum receptum invenit.

Sed ipse exinde Haraldus, post annum quàm regnare cœperat circiter tertium è vitâ demigrans, anno scilicet salutis humanæ millesimo quadragesimo, ipsâ imperij brevitate MXL. famæ suæ consuluit. Ejus ità solum Saxo mentionem injicit, quasi is vivente adhuc & peregre in expeditione Normannicâ agente Canuto Magno, apud Anglos fato suo functus sit: Cum Angliæ ultra biennium post Canuti Magni excessum præfuerit, quod ex Emmæ superius posito Encomiastâ diserte fuit intelligere, & alij quoque tradunt, & ipsi jam modò meminimus. Canutus verò Durus paulo antę ejusdem obitum, instructâ cum classe Brugas in Flandriam ad Emmam matrem profectus, ibi de rebus Haraldi ac morte tandem ejusdem certior redditur. Atque inde ex Angliâ missi confestim ad eum legati, qui ipsi ut hæredi legitimo, regnum delatum significant. Itaque habito suorum delectu classeque paratâ Angliam petit: ac mox Londinum ingressus animisque lubentibus exceptus omnium votis Rex declaratur. Factus Rex initium regnandi à vindictâ fecit. Memor enim injuriæ, sibi pariter ac Emmæ matri illatæ, Haraldi cadaver, quod apud Vestmonasterienses paucis ante diebus sepulturæ mandatum fuerat, exhumari ac capite truncato in Thamesin jubet projici. Inde Emmam, quæ adhuc apud Flandros agebat, in regnum revocat: Ejusque quamprimum in Angliam redijt, consilio perplurimum est usus; sicuti & Godvini Cantij Comitis. Hic Godvinus cum se, regnante Haraldo, severius nonnulla in liberos præsertim Ethelredi (quorum Alphredum excœcatum ac carceri mancipatum mori adegerat) perpetrasse non ignoraret, donis sibi demereri Canutum ejusque favorem aucupari studuit. Inter alia, quibus regem in Angliam adventantem muneratus est, Vigorniensi præsertim recensetur singulari ingenio magnisque impendijs fabrefacta triremis, cujus erat prora inaurata, vehens præter armamenta ceterumq; navalem apparatum milites præsidiarios octuaginta: quorum quisq; lorica triplici indutus aureas armillas brachijs ostentabat, uncias sedecim pendentes; cassides, quas quisq; habebat, sparsim quoque erant auro argentoque variegatæ, sicuti & capuli gladiorum, qui lumbis adhærebant.

CANUTUS DURUS Rex. A C. MXLI.

Pendebantque de humeris sinistris Danicæ secures, auro similiter argentoque redimitæ undique: Quique sinistra gestabantur clypei, clavos præferebat atque umbones eundem in modum pretiosè exornatos: in dextris lanceæ erant, quas Angli *Ategar* dicebant.

Anno post hæc millesimo quadragesimo primo, imperato in usum classiariorum ingenti vectigali, eoque paulo inclementius exacto, haud parum sibi Canutus odij conciliavit. Venitque eodem anno è Normannia Eduardus salutatum regem fratrem ac matrem Emmam; paucisque diebus moratus, unde venerat, mature redijt. Sunt qui volunt jussu regis cum Eduardo atque ijs, quos secum adduxerat, fuisse inhumanius actum, & ipsum Eduardum ægrè evasisse. Sed tradunt plures peramanter à Canuto acceptum fratrem: quod & vero propius habendum; præsertim cum Emmam non modò præsentem, sed & consiliorum suorum, ut diximus, participem Canutus haberet: ut taceam indolem ipsius omnium confessione mitem & ad benignitatis officia fuisse propensissimam. Vitæ ejus finis talis memoratur. Invitatus à viro principe Osgodo, qui filiam suam Comiti Danico, *Tovoni Pruden* dicto, elocabat, ut nuptiarum interesset solennibus, agensque hilarius inter ipsa vina rosasque concidit atque exspiravit, haud sine veneni suspicione, biennio postquam regno potitus fuisset, ut referunt atque uno fere ore etiam superioribus à nobis relatis consona testantur Annales Anglici. Scriptores tamen domestici, & Saxo præcipue Grammaticus, cui fides nequaquam est abroganda, temporum horum historiam longe aliter digerunt. Tradit enim Saxo Haraldum, vivente adhuc Magno Canuto, vitâ functum; eique in Angliæ præfecturam suffectum Suenonem Estritium: adeò ut Haraldum nunquam regnasse, sed Canutum continuo post obitum patris in regnum successisse velit: Eundemque è Daniâ in Angliam profectum, cum operâ atque industriâ Suenonis præfecti omnia tuta offendisset, impertisse imperium Eduardo fratri ex Ethelredo & Emmâ progenito; idque non tam quia fraternum in illo affectum magnopere percoleret, sed ut, regni parte concessâ, totum appetere prohiberet: Atque inde biennio post, defuncto Canuto, Suenonem, relictis in Angliâ præsidijs, redijsse in Daniam repetitum avitum regnum, quod jam Magnus Olai filius, Norvagiæ Rex, fœderis cum Canuto percussi jure sibi vindicarat. Quamvis Adamus Bremensis innuere videatur, statim à Canuti in Angliam trajectione occupatam à Magno Daniam, eique exturbando cum classe submissum à Canuto Suenonem, sed à Magno superatum in Angliam remeasse; ac tum demum defunctum comperisse Canutum: atque ità cum Eduardo nec non Godvino affinitate sibi junctis, initâ de insulæ parte retinenda portione, in Daniam denuo ad Magnum oppugnandum esse regressum. Ità fere illi. Addunt autem annales Saxonici, Suenonem dum identidem cum classe ac milite instructo in Angliam navigat, sive sponte sive tempestate coactum in Albis ostia deflexisse, ibique in terram expositos classiarios forte fortuna, & more militum, Hadeleriam, quæ ostio est proxima, depopulatos: Idque animadvertentes, qui tum forte ex satellitio episcopi Bremensis ibidem aderant, homines militares, raptim collectâ colonorum manu, & pro tempore armatâ, in prædam facientes duxisse; commissâque tumultuariâ pugnâ, ac cæsis aliquot, ipsum Suenonem captivum cepisse: Sicque lætos & quasi triumphantes Bremam, ubi tunc archiepiscopus Bezelinus, cognomento Alebrandus, erat, vinctum perduxisse; Episcopum autem, ubi coram se consistentem aspexisset, commiseratum fortunam regiam laxari vinculis & benigne haberi eum jussisse: simulque humanissimis ipsum verbis affatum honore & donis insignibus affectum paulo post dimisisse: Eoque facto toti illi Saxonum maritimæ oræ haud male consuluisse Bezelinum; Quod Sueno regnum postmodum adeptus, beneficij illius nequaquam immemor, pacem non tantum cum ipso, sed & ceteris Germaniæ principibus prolixe coluerit. His non abs re erit addere, quæ habet in historiâ suâ, ut vocat, gentis Danorum Rex Ericus. Nam ad hæc tempora ubi devenit, ità de rege Canuto Duro Haraldoque ejus fra-
,, tre & Suenone loquitur. Harald verò quatuor tantum annis regnavit in Anglia & mor-
,, tuus est. Cujus regnum Hardeknud rex suscepit. Suen vero quinque annis in Norvagia
,, regnans obijt. Cujus regnum accepit Magnus filius sancti Olai. Quod audiens Harde-
,, knud, cum Anglis & Danis Norvegiam intravit, sed per amicos reconciliati sunt, Magnus
,, & Hardeknud tali pacto, quod qui diutius viveret superstes regnum defuncti acciperet.
,, Iste Hardeknud regnavit super Daniam, Sueciam, Slaviam & Angliam. Qui præter quo-
,, tidianam familiam suam VI millia armatorum continuè tenuit. Qui cum LX longis navi-
,, bus ad domandum regna æstate discurrebant, hieme verò in castris manebant, quibus
,, quasi religiosis leges & statuta præscribebat honestatis: unde tempore suo super omnes reges

reges mundi terribilis & laudabilis exstitit. Transivit etiam cum imperatore in Italiam ,, ad domandum nationes exteras. Obijt autem in Anglia, Huic successit Suen Estreth, ,, scilicet filius sororis Gameleknud. Quibus ex verbis cum lux superioribus non tantum, ,, sed & sequentibus accedat, monendum modò, posteriora illa de legibus & statutis militi latis, deque laude, quâ temporum suorum reges omnes supergressus Canutus formidabilis ubivis exstiterit, ac demum quod cum Imperatore in Italiam transierit, ea non Canuto Duro, sed parenti ejus Canuto Magno convenire singula, ex memoratis superius, facile intelligi: adeò ut huc perperam irrepsisse, & loco non suo posita esse, dubium non sit.

CANUTUS DURUS Rex. A. C.

Eodem hoc tempore denuo irruptio ac nomen auditum piratarum, quos supra ad annum CMLXXXVIII à pixidibus, Danice *Escke* dictis, *Æscomannos* diximus appellatos. Hi magno ausu ac multis cum copijs Visurgis alveum ingressi omnia circumquaq; igne ac ferro divexarunt. Sed tandem ad naves opimis onusti spolijs cum reditum pararent circa Avonem remora ipsis injecta. Indigenæ enim ac nobiles ejus loci alijque vicini, convocato præpropere milite, maximam eorum partem aut trucidarunt aut turpem in fugam compulerunt. Horum quoque Crantzius mentionem injecit, sed minus accurate, dum hos & priores illos temporibus non distinctis, unos eosdemque facit.

Porro Canuto juxta parentem suum Magnum Canutum in Ecclesia Vintoniensi regium in morem funerato, Rex Anglis electus est ac renunciatus Eduardus, opera ac studio maxime Godvini Comitis: Qui occasioni intentus, & jam ante per scelus sublato ejus fratre Alfredo, hoc potissimum agebat, ut aut sibi aut liberis suis ad regni solium viam hoc pacto muniret. Nam Eduardus cum vir esset mitis ac minime sagacis ingenij, abhorrens à bellis ac cædibus, adeò ut etiam exul dicere soleret, malle se vitam perpetuo privatam agere, quam cæde & strage mortalium ad regnum evehi; ideoque sperabat Godvinus facile se eum, qui rerum gerendarum esset nescius, aut compositurum suum ad nutum, aut datâ aliquando occasione subversurum. Itaque postquam se apud Eduardum de nece fratris purgasset, enixe elaboravit ut Editha filia sua, suscepta ex Thyra non Canuti, ut perperam tradunt scriptores Anglici, sed sorore Ulphonis, qui Canuti Magni, ut memoravimus, germanam duxerat, ei nuptui cederetur. Quod & contigit. Eâq; re fretus, continuo Eduardum adversus Emmam matrem concitavit, allatis causis atque accusationibus partim frivolis partim confictis; Quod nimirum, Canuto, patriæ hosti, nupsisset, quòdque filios extorres parum aut nihil promovisset, ac denique quod rumor ferret eam etiam proprijs filijs necem machinatam. Atque ita fœmina innocentissima bonis omnibus, & maxime auro, argento, monilibus aliâq; supellectile pretiosâ, impulsore præsertim Godvino, non modò exuta, sed & intra Vintoniæ septa ut subsisteret nec pedem eo loco efferret, severè commonita astrictaque. Fatalem habuit annum, qui fuit millesimus quadragesimus tertius, Henrici Imperatoris conjux Gunildis Augusta; Canuti Magni, de quo dictum, filia, hujus de quo agimus, Duri soror germana, utpote Emmâ genita. Obijt verò Brugis apud consanguineum suum Balduinum Pium Flandriæ Comitem, ad quem, ut ante relatum, post divortium cum marito, confugerat, XII Cal. Septemb. quo die solenniter hodieque fiunt anniversariæ ejus exequiæ. Sepulturam ostentat ædes divi Donatiani, juxta ostium templi boreale, ubi suâ adhuc tempestate visam refert Meierus, rerum Flandricarum accuratus author, imaginem beatæ Mariæ, monumento ejus superimpositam. addens nec Malmesburiensem, nec Polydorum in rebus Angliæ, neque etiam Cuspinianum aliosque, qui ejus, utpote Cæsaris Henrici conjugis, mentionem faciunt, uspiam meminisse, quò post divortium devenerit, aut ubi postremum defuncta sepulturam acceperit; ut & ante, allatis ejusdem Meieri verbis, injecimus.

MXLIII.

Eodem circiter tempore, qui fuit annus Christi millesimus quadragesimus quartus, illustris matrona alia, Gunilda etiam nomine, regis Virthgorni ex sorore Canuti filia, modo id recte annotatum à chronologis, Comitum Haquini atque inde Haroldi relicta vidua, cum filio utroque Hemmingo & Turchillo relegata ex Anglia in Flandriam concessit. Cumque aliquandiu Brugis fuisset commorata tandem in Daniam profecta est. Apud Cimbros (hodie Iutenses dicimus) ecclesiæ Ripensis episcopus Othinkarus, quem juniorem appellant, mortem obijt. Hujus in plerasque ejusdem diœceseos ecclesias singulare studium ac munificentia plurimum celebratur. Ei successit filius Christianus nomine. In locum verò Regneri Fionensis episcopi, de quo ante memoratum, surrogatus ab Adelberto, archiepiscopo Hamburgensi, Edbertus: quem volunt à prædonibus ad Christi fidem conversum inhabitasse primitus insulam Faræ, nunc Hillegerlandam nuncupatam,

MXLIV.

MAGNUS Rex. A. C. MXLV.

atque ibi cœnobium condidiſſe. In vitâ S. Wilhadi eadem hæc inſula Foetiſlandia dicta, ac ſita memoratur inter Daniam ac Friſiam. Edbertus poſtquam eſſet, ut dictum, Hamburgi inauguratus, unà cum Wilhelmo Sialandiæ epiſcopo in Daniam redijt.

Qui deinde ſecutus eſt, anno milleſimo quadrageſimo quinto, inſtructiſſimam claſſem conſiſtere Sandvici ac locis illis præſidere adverſus Magnum Norvagiæ Regem, hoſtiliter in Angliam adventare parantem curavit Eduardus. Sed hæc Magni Anglicana expeditio inhibita bello, quod illi confeſtim Danorum rex Sueno faceſſijt.

MAGNUS REX LXV, cognomento BONUS.

POSTQVAM increbuiſſet Canutum vitâ functum, ſtatim Olai filius Norvagiæ rex Magnus Daniam ex pactione cum Canuto initâ, ac procerum regni conſenſu firmatâ, ſibi ut jure debitam, accepit. Sed Sueno ex ſorore, ut indicavimus, Canuti Magni genitus, ſolus ſe Magni conatibus objecit, fretus non tam amicorum præſidijs quam ſuâ virtute & natalibus, quibus id, quod poſcebat, omni ratione deberi exiſtimabat. Itaque de Angliâ ſecurus, quam ſibi fidam atque integram manſuram Eduardi ac Godvini promiſſis, tum & proprijs, quas ibi paſſim collocarat, militaribus copijs confiſus, ad Daniam à Magno repetendam omnes omnino cogitationes ac vires contulit. Sed Haraldus Godvini filius, cujus arbitrio ſe totum Eduardus permiſerat, Suenonis diſceſſu lætatus aliud conſilium inijt. Nam Danicum præſidium, quod in Angliâ Sueno certis locis diſpoſuerat, magnificis convivij apparatibus per obſequij ſimulationem exceptum ubi mero ac ſomno ſopitum noctu intellexiſſet, immiſſis per inſidias percuſſoribus, trucidari univerſum curavit. Eaque nox exiguo temporis momento vetuſtam Danorum dominationem ac longo multoque majorum ſudore ac ſanguine partum imperium ità peſſundedit, ut vix unquam Danos exinde fortuna reſpexerit. Haraldus verò ſeſe deinceps potentiâ undiquaque muniens, ac rerum adminiſtrationem gerens, inane majeſtatis nomen Eduardo relinquebat. Nec ijs contentus, tandem etiam eò cupiditati fræna laxavit, ut rege vix vitâ functo, aut, ut Saxoni placet, per ſcelus necato, ipſam quoque regis nuncupationem atque inſignia in ſeſe tranſtulerit. Sed hæc poſtea fuère. Sueno interea belli fortunam cum Magno experiri volens, ſed videns vires ſibi ac copias perquam eſſe tenues, nequaquam è re judicavit exiguâ cum manu adverſus multitudinem confligere. Itaque miſit in Angliam ad Eduardum legatos, ut claſſe & exercitu ad ſe tranſmiſſo, ſuppetias ferret. Sed Godvinus aut ejus filius Haraldus ſuper eo rogati ſententiam, cum naves tantum quinquaginta parari poſſe, atque eas ſufficere dicerent; alijque ex conſiliarijs etiam pauciores mittendas decernerent, variantibus ſuffragijs, nihil auxilij ſubmiſſum eſt. Igitur Magno plenis adverſus Suenonem copijs adventante, Sueno primum maritimâ cum eo pugnâ congreſſus, atque inde terreſtri militiâ rem agens, ſed victus utraque in Fioniam conceſſit. Ibique cum omni ſe auxilio deſtitutum, nec quidquam ſupereſſe in popularibus ſpei animadverteret, in Succiam abijt; ſperans vel ibi amicorum ope vires reparaturum, ut narrant fere ſcriptores Anglici, à quibus nec Saxo magnopere diſſentit. At vetus Norvagiæ Chronicion, ab illuſtri olim Vitveldio vernacule editum, refert poſt obitum Canuti, Magnum continuo ad Daniæ proceres legatos miſiſſe, quibus indicabat ſe primâ occaſione in Daniâ adfuturum juxta fœdus, quod inter ſe & Canutum erat percuſſum, ut uter alteri ſupereſſet, utrumque regnum, Norvagiam nimirum & Daniam, ſolus poſſideret: Magnumque deinde, poſtquam numeroſo cum exercitu adveniſſet, omnium ſuffragijs Viburgi in plenis comitijs Daniæ regem renunciatum, atque ibi, aut in proximâ Norvagiâ, æſtate totâ commoratum: Ac mox Suenonem prope Bahuſiam, ubi tum regia claſſis ſtativa agebat, Magnum coram conveniſſe; eſſeque inter utrumque ejuſinodi pactum initum, ut Sueno, datâ Magno fide, veluti ſatrapa aut præſes, abſente Magno, Daniam adminiſtrandam acciperet: atque ità conceſſiſſe in Norvegiam penitiorem Magnum: Suenonem verò, dum in Norvegia eſt Magnus, procerum ac ſubditorum ſibi in Daniâ benevolentiam conciliaſſe, ac tandem regis titulum uſurpare cœpiſſe, idq; aſſenſu multorum ſed non omnium: Ideòque cum claſſe & exercitu ad Iulini obſidionem in Daniam properante Magno, profugiſſe in Suetiam Suenonem, atque ibi delituiſſe, donec militem Magnus dimiſiſſet; Sed mox cum Vandali Slavique repente ſe in Iutiam effudiſſent, denuo

MAGNUS Rex. A. 6

denuo à Magno & proceribus milite collecto, & accedente Brunſvicenſium duce Othone, ſeu, ut alijs placet, Ortulpho, qui ſororem Magni filiam Olai, conjugem habebat, profligatos à Magno Vandalos ac tantâ ſtrage concidiſſe ut vix quiſpiam evaſerit, ac tum confeſtim è Suetia moviſſe cum copijs ſuis Suenonem, ſed ter à Magno fuſum ac fugatum Sueciam repetiviſſe. Hæc Chronicon jam indicatum, addens circa idem fere tempus reverſum Byzantio Haraldum (quem, cæſo fratre Olao, ad imperatorem Orientis conceſſiſſe ſupra monuimus) Eumque, in Sueciam ubi adveniſſet, copias cum Suenone adverſus Magnum junxiſſe; & Magnum re intellectâ, exercitum viciſſim paraſſe, ſed regni procerum interceſſione ità bellum compoſitum, ut Haraldus alterâ Norvegiæ parte contentus agens, mobilia ac rem familiarem omniaq; ſtipendijs externis parta unà cum Magno divideret; eoque facto quietè ab utroque adminiſtratam Norvegiam: Suenonem verò, dum apud Norvagos Magnus agit, omnes Danici regni reditus, qui eo anno erant perſolvendi, ſibi vindicaſſe, ſed Magnum ex tempore cum Haraldo in Daniam profectum denuò propulſaſſe Suenonem ac regnum univerſum recuperaſſe; nec multo poſt morbo correptum, cum diem fatalem imminere ſentiret, Suenoni Eſtritio Daniæ regnum ſua ſponte detuliſſe, ſervatâ ac relictâ Haraldo patruo Norvegiâ. Ità Norvegici, quos diximus, Annales. Adamus verò Bremenſis ſeorſim hìc abiens ait Suenonem auxilio Suecorum regis Iacobi ac Tuphi ducis ſuffultum, è Dania propuliſſe Magnum: atque ipſum deinde Magnum, cum denuo bellum inſtauraturus mare transfretaret, in navi exſpiraſſe. At Saxo de morte Magni plane diverſa adfert, eum nimirum, dum profugum Suenonem in Scaniâ perſequitur, juxta Alextatiam, ità Halemſtadiam nominaſſe videtur, concidente ex occurſu leporis equo, in ſtipitem præacutum collapſum animam efflaſſe: Corpus verò ad Norvagos relatum, Nidroſiæ in area regiorum monumentorum magnificè tumulatum: adjiciens, hoc pacto Suenoni anguſtiſſimis rebus implicito omnique mortalium ope deſtituto præſidium ſuperne affulſiſſe; regnumque, quo illum fortunæ iniquitas ſpoliaverat, ejuſdem beneficium reddidiſſe. In illo autem Magni adverſus Slavos conflictu cladem hominum maximam factam, ex Chronico eodem Norvagiæ, quamvis numerum non exprimat, ſatis eſt colligere, cum eos in morem ovium concidiſſe referat. Alij quadraginta millia cæſa memorant. Saxo, qui paucis attingit, refert Magno eâ nocte, quam prælij dies eſt inſecutus, in ſomno imaginem cujuſdam viſam, qui eum hoſte ſuperiorem futurum inque aquilæ nece victoriæ fidem auſpiciumque habiturum memoraret; atque expergefactum viſionis ordinem die poſterâ magnâ cum omnium admiratione evulgaſſe, ac mox, progreſſo exercitu, aquilam, quæ in quiete fuerat demonſtrata, cominus conſidere animadverſam, jaculoque à Magno petitam in terram concidiſſe, ac omen victoriæ indubitatum hoc pacto ipſi reliquiſſe. Tradit præterea Adamus Bremenſis Magni ſororis maritum Ordulphum, Saxoniæ Ducis filium, ſupra Brunſvicenſem Ducem diximus, ſtatim poſt factas nuptias, in gratiam Magni affinis ſui, Haraldum, virum inter Danos principem, Româ redeuntem circa Albim obtruncaſſe: Cauſamque facinoris haud aliam habuiſſe, quàm quod is è regiâ Danorum proſapiâ ſceptro propior, quàm Magnus, videretur. Hic an patruus Canuti Duri, an quis alius fuerit, à chronologis non eſt proditum. Interim Emmæ reginæ Encomiaſtes Canuti Magni fratrem Haraldum natu minorem agnoſcit, qui Daniam, cum eſſet cum patre Suenone in Angliâ Canutus, imperio ſuo moderatus ſit. Meminit quoque ejuſdem Ditmarus, nec non & Regis Erici chronicion, ut eſt ſuperius à nobis memoratum.

Obitus Magni refertur fere ad annum milleſimũ quadrageſimum octavum, cum Daniæ præfuiſſet annos circiter octo. Dum autem utroque potitur regno, adeò ille ob pacis ac juſtitiæ ſtudia gratus omnibus amatuſque celebratur, ut *Boni* cognomen apud populares non tantum Norvegos, ſed Danos quoque meruerit. Res etiam pietatis quàm ei curæ fuerint, indicant eccleſiaſtici conventus, & præſertim ille Sleſvici indictus, ad quem non modò archiepiſcopus Bremenſis Bezelinus, ſed & dux Saxoniæ Bernardus cum aliquot territorij ſui epiſcopis præſens acceſſit. Interque eos, præter ceteros, nominatur *Tiadmarus Hildenenſis epiſcopus*, vir natione Danus, & qui ad illud faſtigium ob morum ac doctrinæ famam, annitente imperatrice Gunildâ, Canuti Magni filiâ, evectus fuerat. Slavorum autem Vandalorumque in Cimbricam cherſoneſum, qua Iutia Auſtralis eſt, irruptio, de quâ diximus, ſtrageſque eorundem, facta prope Sleſvicum in planitie Hedebuenſi, hodie **die Croppen Heide** dictâ, cæſis in ingreſſu ab eodem Magno multis ut dictum, eorum millibus. Ubi & vulgi tum natum diverbium, **du bist kroppe noch nicht vorby**, id eſt, MXLVIII.

Crop-

MAGNUS Rex. A. C

Croppenbedam nondum prætergreßus es, hodieque ibi usurpari solitum, si quando jactabundum, & ante superatum periculum nimis audacem, reprimere ac sufflaminare volunt. Et habent quidem ità recentiores, quos secutus sum authores, qui ditionem Slesvicensem topographicam ediderunt; at Chronicon Norvagiæ vernaculum, cujus & supra meminimus, hanc stragem factam memorat circa amnem Schotburgensem, qui Iutiam Australem à Boreali disterminat, idque in campo Lyskouæ, vulgo **Lyskows hede** nuncupato, quemadmodum quoque in chorographica regni descriptione ad eum locum, seu amnem jam ante notasse memini.

Nunc priusquam ad *Suenonem Esthritium*, de quo proxime dicendum, oratio se vertat, subjiciemus ad uberiorem cum antecedentum, tum eorum, quæ porrò sequentur lucem, Daniæ regum continuam seriem, ab anno DXVIII, quo *Gotilaci regis Danorum* mentionem Gregorius Turonensis injicit, adusque SUENONEM *Esthritium*, sumpto initio ab *Haraldo Gormoneque* avo patreque regis GOTRICI. Qui nobis singuli sub finem libri primi, & quarti principium superius memorati.

STEMMA REGVM DANIÆ

à GOTRICO, qui adversus *Carolum Magnum* belligeravit adusque SUENONEM *Esthritium*.

GOTILACUS, *Danorum Rex Gregorio Turonensi. Vide supra libro 4. pag. 87.*

HARALDUS *Rex, de quo pag. 37.*
|
GORMO, *vide supra pag. 38.*

Children of Gormo:

- GEVA *nupta Videchindo Magno.*
- SIGEFRIDVS *Daniæ Rex, Videchindi Magni affinis. Ejus non meminit Saxo. Vide supra pag. 89. & seq.*
  - Reinoldus *aliàs* Reginbaldus *cæsus in expeditione patrui* Godefredi *adversus Obotritos. Vide supra & Stadensē Abb. ad an. 808.*
  - HEMMINGVS *Daniæ Rex.*
- GOTRICVS *qui &* GODEFREDVS *Daniæ Rex, bellum gerit cum Carolo M. vide ad 804. superius.*
  - OLAVS *Daniæ rex.*
    |
    ANNVLO *Stadensi ad ann. 817. Vide supra Saxoni est* RINGO.
    - HARALDVS *Klack ab Imperatore Ludovico ad Christi fidem traductus.*
      - Guthormus *Adamo Bremensi & Alberto Stadensi* Gudure.
        - *Filia, nupta* ERICO *Puero, genuit* CANVTVM *parvum regem Daniæ. Vide * pag. sequenti.*
    - ERICVS *à Ludovico Imp. Frisijs præfectus. Postmodum Daniæ rex.*
  - *N. filia ἀνώνυμος nupta* Sivardo *Norvago.*
    - SIGEFRIDVS, *Saxoni* SIGVARDVS. *Hic cum* Anulone *pro regno confligens unà cum* Anulone *perijt. Vterq; & ipse &* Annulo, *Regis titulo insigniuntur.*
      - REGINFRIDVS *Abberto Stadensi; Saxoni est* REGNERVS *Lodbroch. Cum patrueli suo* HARALDO *de regno contendit, sicut & filij ejus, quos plures habuit ex pluribus matrimonijs,*

Ex

1. Lathgertâ.
   |
   FRIDLEVUM *Saxoni, qui Adamo Bremensi & alijs est* GODAFREDVS, *cæsus in insula Batavorum. Vide supra pag. 102. 112. 113. Quâ etiā pag. 113. vers. 1. legendum* Aitq; *pro* Atq;.
2. Thorâ *Herothi Sueci filia.*
   A
3. Suanlogâ.
4. *Esberni Sueci filia.*

Rath-

A

Rathbartum Dux Saxoni, qui Scotiæ australibus insulis præfectus.

Varthum.

Ivarum, qui patri in Anglia successit.

Agnerum, qui rex Angliæ post Ivarum.

Biornũ, qui aliàs Iernside dictus, Sueciæ reg.

SIGVARDVM ab anguino obtutu Snogoye Daniæ rex.

Sigefridũ & Haldan' fratres quorũ Abbas Stadensis & Annales Francorum, exq; ijs nos ad an. 865. & deinceps meminimus, an ad filios quoq; Regneri sint referédi, cũ id diserto chronologi haud tradant, in medio relinquimus.

* ERICVS barn sive puer Daniæ rex. — Vxor N. filia Guthormi.

CANVTVS parvus item Laaneknud Daniæ rex.

FROTHO

GORMO, qui Alberto Stadensi ad an. 921. filius Hardevechi sive Haraldi potius: Nam Saxo inter hunc & Frothonem interserit Gormonem Haraldumque, ut sumonitum nobis pag. 129. superius. Hic ex Thyra Anglorum regis filia, suscepit,

Ericus Angl. Orient. rex supra ad ann. 902.

HARALDVM Daniæ regem cognomento Blaatand. Cui uxor — Gyritha, ut Saxo habet, Helmoldo, Adamo Bremensi & Alberto Stadensi ad ann. 948. est Gunilda. Vide suo loco supra.

Canutum apud Hibernos cæsum.

Gunildam nuptá Erico Blodoxe Norvagiæ regi post Haraldum Harfagerũ.

Haraldus Graafeldus, defuncto Haquino Adelsteno, Norvagiæ rex.

Gunilda nupta Palingo Comiti Anglico. Vide supra ad an. 1000. & 1003. Itemq; Math. Vestmonasteriensem:

SVENO ab Othone Magno Imp. Suenotho dictus, ei ex Gyritha nati.

Haquinus à Sembis interemptus.

Thyra nupta primum Burislao Vandalorum principi, atq; inde facto divortio, Olao Truggonis Norvagiæ regi. Norvagiæ Chronicon non filiam sed sororem facit Suenonis. Perperã quoq; eam genealogiæ, quæ Saxonis editioni Danicæ inseruntur, Godvino Anglico nuptam referunt, cum de Thyra, Vlphonis sorore, id verum sit, quemadmodum etiam hac tabulâ, testante Adamo Bremensi, exhibuimus. Vide versâ paginâ.

HARALDVS Daniæ rex, cuius meminit Ditmarus & Erici Chronicon, silente Saxone.

Emma soror Richardi, Normanniæ Ducis, Vidua regis Anglorũ Ethelredi. — CANVTVS Magnus, Daniæ, Angliæ &c. rex. — Alvina Norvagica.

* MARGARETA aliis ESTHRITA. Vide versâ paginâ.

CANVTVS Durus Daniæ. & Angliæ rex.

Gunilda Vspergensi Cunigunda nupta Henrico III. Imp. Rom.

Haraldus rex Angliæ.

Sueno rex Norvagiæ.

Magnus fortunâ & vocabulo, ut habet Saxo Grammaticus libro 10.

Haquinus Iarlus Norvagiam Canuti Magni nomine administrans, periit naufragio inter Norvagiam & Angliam. Vide Chronicon Norvagiæ & nos in rebus Canuti Magni.

Richardus

Richardus *Dux Normanniæ.* — ‡ MARGARETA *alijs* ESTHRITA. — Ulpho *Comes Anglicus. Ejus soror* Thyra *nupta* Godvino, *peperit,*

Maugerius archiepiscopus Rothomagensis.

Gulielmus *non rex Angliæ, ut perperam Reineccius, sed comes Tullonis & Marquesij.*

Suenonem, *qui Saxoni est* Biorno.

Tostonem, *de quo in rebus Suenonis Esthritij inferius.*

Haraldum *regem Angliæ, de quo infra.*

Gytham, *quæ &* Editha, *nuptam regi Anglorum Eduardo. Perperā alij Iarislao Rutheno nuptam tradunt.*

Biorno *Dux, Adamo Bremensi cap. 37. lib. 2.*

Esbernus Dux, Adamo Bremensi lib. 3. cap. 14.

SUENO Esthritius *Daniæ & Angliæ rex, de quo in sequentibus.*

SUENO ESTHRITIUS REX LXVI.

STATIM ab excessu Magni Sueno, Ulphone & Estrithâ, ut antè memoratum, Canuti Magni sorore genitus, omnium procerum suffragijs Daniæ rex declaratus est. Quàm ille se Magno Norvagiæ regi, qui solo Canuti de regni cessione, ut est ostensum, sacramento nisus ad regnum pervenerat, adversarium perpetuo præbuerit, ex modò memoratis patuit. Et Saxo præterea, reprehensos non semel ab ipso Danici regni proceres adjicit, ut nimis hac parte religiosos; qui obsequi illis, quibus imperitassent, & in unius juramenti imprudentiâ communem deponere libertatem, seque ex fulgenti imperio in humillimam repente conjicere servitutem, quàm temerarium & stoliditati proximum Canuti regis pactum rescindere præoptarent: Laudans interim antiquam majorum severitatem, & nimio tum plus teneram & enervem Christianæ religionis valuisse pietatem, quàm suo ævo ejus jam adultæ vim atque authoritatem. At Sueno alius planè & à proceribus diversi animi, regnoq; potius quam religioni studens, præter stultum sacramenti vinculum, etiam illud Romani Cæsaris mente volutare videbatur: *Si violandum est jus, regnandi causâ violandum est, alijs rebus pietatem colas.* Regni solium tenenti adversarium se continuò objecit Haraldus. Is enim Norvagiâ, ut indicatum, post obitum Magni potitus, collectâ sub æstatem navium sexaginta classe, arma in Daniam transtulit. Ac omnium
MXLIX. primam, annum circiter Christi millesimum quadragesimum nonum, chersonesum Cimbricam ingressus expositoque in terram milite, quacunque iter ageret prædæ ac flammis involvit omnia. Slesvicum, inter cetera, cum esset deprædatus, opidum quoque igne absumpsit. Eoque incenso ac direpto una cum pagis vicinis ipsâque Arhusiâ, quidquid agi aut ferri poterat in naves congestum est. Idque Sueno intelligens, paratâ confestim in adversum classe, hostem quantum potest insequitur. Cumq; se premi Haraldus videret, quo tamen effugeret atque insequentes moraretur, obvia quæque abjici in undas imperat. Eaque ubi servare ac fluctibus eripere suos Sueno animadverteret, inhibuit atque hosti insistere jussit. Vidente ergo Haraldo, Danos nihilominus serio subsequi, cœpit non tantum cupas, asseres, scrinia aliaque supellectili omni vacuata, sed homines etiam, quos captos habebat, in fluctus projicere. Quos cum inter undas jactari cum ceteris opemque flagitantes Sueno videret, consulere afflictis atq; eripi eos aquis mandavit. Sicq; isto tum stratagemate evasit Haraldus. Ubi autem ad suos redijsset, capitales inter eum & Einerum Tambeschelverum exortæ contentiones, adeò ut Einerum in jus vocatum occidi per sicarios, unà cum filio ejus Endrido, curaverit. Unde tantæ postmodum ijs in locis enatæ lites ac diffidia, ut excedere Nidrosiâ rex cogeretur; dum tandem Arnissonius Findus Nidrosiam profectus, author omnibus esset, ut simultatibus positis, cum rege ac domino suo in gratiam redirent. Cui licet plerique omnes aures præbuissent, Iarlus tamen Hogenus, postquam petitâ in conjugem Magni filiâ, repulsam fuisset passus, in Daniam ad Suenonem concessit. Qui tamen haud multo post, mortuo Ornone Iarlo (quod præfecti ac dignitatis apud Norvagos nomen est) voti factus compos in Norvegiam redijt ac

dijt ac fidem ſuam Haraldo ſtrenue probavit. Eadem ætate ipſe Arniſſonius Findus verſâ fortunâ exercere cum rege inimicitias cæpit, accuſans Haraldum, quaſi eo auctore aut conſcio, cæſus fuiſſet frater ſuus Arniſſonius Calphus nominatus. Quapropter Findus è Norvegia profugus in Daniam venit, & à Suenone benigne exceptus Hallandiæ præfecturam accepit, ut eum nimirum Daniæ tractum, Norvagis conterminum, adverſus Haraldum tutaretur. Inde ad Suenonem miſſo feciale ſignificat Haraldus, ſe ſub proximum ver circa Albim, Norvagiæ amnem, adfuturum, atque ibi cum eo de rei ſumma, & uter utrumque regnum teneret, velle decernere. Itaque paratis omnibus Auſtrum verſus, ac Albim jam dictum ſupergreſſus ad Hallandiam fere uſque juxta fretum, quod Laveſiortum appellant, cum navium ducentarum claſſe hoſtiliter armatâ Haraldus appellit; Ibique conſiſtens Suenonem cum navibus trecentis obvium reperit. Fit acris hîc pugna. In quâ Findus ab Haraldo captus, ſed mox dimiſſus, & apud Suenonem quoque ſuſpectari cæptus in Sueciam profectus eſt, ubi extorris delituit. Inde percuſſum inter Haraldum & Suenonem pacis fœdus in hanc fere ſententiam, ut Haraldus Norvegiam, Sueno Daniam retineret, & damna, quæ belli tempore utrimque eſſent illata, utrique prout ea accepiſſent, æquâ & communi ſorte tolerarent. SUENO ESTHRITIUS Rex. A. C.

Circa idem fere tempus validò cum exercitu adverſus Flandriæ Comitem Balduinum perrexit Imperator Henricus tertius. Belli cauſæ memorantur, quod Cæſarem Lotharingiæ Moſellanicæ maximâ parte Balduinus ejeciſſet, nec non palatium ejus Neomagi cum agris finitimis protervè incendiſſet, ac tandem regionem Scaldi Dendræque fluminibus interjacentem eidem ereptam, Flandriæ adjeciſſet. Cæſari erat aſſociatus multis cum præſulibus alijſque diverſarum gentium principibus Leo Romanus pontifex. Aderat & Sueno Danorum Rex ingenti ac regio plane comitatu: Volunt aliqui non tantum ob bellum hoc Flandricum ſed idcirco etiam eò evocatum veniſſe ut imperatori ob certas circa Eidoram aliaſque in vicino ſitas provincias ſacramentum diceret. Exciverat quoque ad eandem expeditionem Auguſtus Eduardum Angliæ regem. Sed is aduſque Sandvici portum admoto exercitu, ibi conſedit, ſi forte mari conatus fuiſſet effugere Flandrus. Verum motus illi omnes pontificis maximi aliorumque principum virorum auctoritate atque interceſſione ità tandem compoſiti, ut Baldevinus datis obſidibus, cum Cæſare fœdus ferierit.

Surrogatus jam ante fuerat Bezelino archiepiſcopo Bremenſi, viro optimo ac pientiſſimo, homo, ut poſtea patuit, inexplebilis ambitionis, ſupra quoque jam obiter nominatus, Albertus ſive Adelbertus nomine, qui generis nobilitate (erat enim Bavariæ principis germanus, ſi Crantzio credimus, aut è Miſniæ Marchionibus, ut quidam volunt) faſtuque nimio ac gloriæ inanis vento inflatus, tum anteceſſorum proſapiam, fortunam, inſtituta pro vilibus habens, ſeque ac ſua tanquam multo potiora oſtentans, prioribus deſpectis, ad nova ac magna anhelabat. Hic cum plurimum apud Henricum III Imperatorem & Agnetam imperatricem valeret, mira concipiebat animo de honore, opibus ac poteſtate eccleſiæ ſuæ, ac denique ex archiepiſcopatu patriarchatus dignitatem per omnem oram Germaniæ maritimam triaque Septentrionis regna ſomniabat. Itaque primum prædia, agros, vicos ſparſim diœceſi ſuæ innexos à Cæſare impetrat: deinde plura ac majora cupiditate complectitur, deq; ijs identidem imperatorem fatigat. Poſtremo comitatum quendam ſive Friſici ſive Oldenburgici diſtrictus ab eodem Henrico dono acceptum eccleſiæ ſuæ adjiciendum procurat: Idq; quo facilius obtineret imperatorem, quaſi ad viſendum Liſmonam conveniendumque Daniæ regem Suenonem Bremam evocarat: cum id revera tum avaritiæ hujus cauſâ feciſſet, tum ut ducibus inferioris Saxoniæ, quibus erat infenſior, calumniam ſtrueret. Miſit interea ad reges Aquilonis legatos amicitiam ac fœdus eorum flagitantes, additis ad omnes Daniæ, Norvagiæ ac Sueciæ epiſcopos literis, quibus ſerio eos cohortabatur monebatque, ut Chriſti negotium agentes in viam præſertim veritatis paganos deducere, quantum in ipſis eſſet, intrepide allaborarent. Sueno eodem tempore, cum omnia ei ex votis fluerent ac titulis trium regnorum Daniæ, Angliæ ac Norvegiæ, quibus univerſis præfuerat, eveheretur, mandatorum ſummi ac cœleſtis dictatoris oblitus in conjugem duxit conſanguineam ſuam Giutham è Suecis oriundam. Idque ubi reſciviſſet archiepiſcopus, miſſis ad eum legatis, monet ut à ſe dimittat ductam cognatam; minaturque cenſuram

Q ac ful-

SUENO ESTHRITIUS. Rex. A. C.

ac fulmen pontificis nisi dicto audientem se præbeat. Sueno etiamsi ira incensus vix archiepiscopo cessurus videretur, ac multa simul in adversum reponeret ferrumque ac flammas diœcesi ejus illaturum minitans, tandem tamen manus dedit ac Gutham dimisit. Et ipse vicissim archiepiscopus, Suenonis tum minis perterritus, sedem pontificiam Hamburgo Bremam transtulit. Giutham verò ad Suecos exinde regressam, assumptis viduitatis insignibus, cum summâ morum castimoniâ vitam transegisse refert Saxo; adduntque annales Suetici ipsius vocabulo virginum monasterium hodieque ibidem exstare ab ipsâ fundatum ejusque honoratum sepulturâ. quamvis aliter narret scholiastes antiquus, qui Bremensium annales brevibus ad oram notis illustravit. Vult enim is ab unâ ex concubinis Suenonis, cui Thoræ nomen, veneno potionatam interijsse. Quod tamen ipsa Adami Bremensis lib. 3. cap. 16. verba minus suadent, qui Giutham à Suenone demissam apud Suecos suis in prædijs soli operantem pietati egisse docet; Atque ibi aliquando, adjuvante, qui postea Sueonum rex fuit, Stenchillo, recepisse ecclesiæ Bremensis legatos à Sueonibus pulsos, ac multis in eosdem, ut Dei operarios ac feciales, collatis benevolentiæ officijs, varia quoque ad ipsum archiepiscopum transmisisse honoraria. Scholiastes autem ille, quem dixi, hoc præterea de Thorâ adjicit, eam Suenoni filium peperisse Magni vocabulo: atque eum cum parens Sueno Romam mitteret, ut ibi consecraretur in regem; in itinere defunctum: nec exinde alios ex Thorâ liberos suscepisse. ut vel inde constare possit prolem eam omnem, quam post se, ut mox referetur, numerosam Sueno reliquit, non ex Thorâ sed alijs concubinis susceptam.

MLI. Apud Anglos hoc anno, qui fuit millesimus quinquagesimus primus, abrogari Eduardus curavit ingens illud tributum, quod, à parente ejus Ethelredo primitus concessum, dependi annuatim Danis solebat, vulgo *Danegildum* Angli vocabant. Obijt deinde

MLII. anno proximo Vinthoniæ, ubi & honorifice sepulta est, regina Emma, Ethelredi & Canuti Magni relicta vidua.

Eodem quoque tempore, Norvagiæ Rex, de quo antè dictum, Haraldus cum jam aliquandiu regno præfuisset, ad sæva atque aspera adigendo subditos exercere in eos imperium cæpit. Unde ob bella assidua aliasque molitiones inhumanas alij eum ut durum & immitem, alij ut fulmen ac fatale Septentrioni malum extimescebant. Tenebat non tantum Norvagiam, sed ad Orcadas usque transmissa potestate Islandiam quoquè legibus suis parentem habebat. Præcipue ejus furor in eos desæviebat, qui Christi nomen professi ecclesiæ thesauros sibi tutandos existimabant. Hos enim vexare ac res sacras rapere inque militem distribuere officij sui esse judicabat; adeò ut ne ab illis quidem donarijs, quæ fratris ipsius S. Olai tumulo essent illata, uncas abstinere manus potuerit. Quibus commotus archiepiscopus Bremensis eum per legatos seriò increpabat, quod ea, quæ sacris essent dicata, ad usus prophanos transferret; quodque Norvagiæ episcopos, pösthabito se, cui illud Apostolicæ sedis auctoritate competeret, initiari apud Anglos aut Gallias permitteret. Sed Haraldus, his acceptis, respondit, præter Haraldum non agnoscere se præsulem aut alium quempiam, qui jura aut modum Norvagis præscribat. Se Hamburgensi archiepiscopo Hamburgensia, & si qua ipsius forent ditionis, integra atque inviolata relinquere; sibi in suis jus esse. atque ità spretos legatos dimisit. Inde perlatæ ad eum Alexandri pontificis Romani literæ, quibus severè mandabatur, ut & ipse & episcopi ejus vicario Apostolicæ sedis, Hamburgensi archiepiscopo, debitam obsequij exhiberent reverentiam.

Hisque apud Norvagos peractis, summopere allaborabat archiepiscopus ut regi Suenoni, quem sibi ob divortium consobrinæ minus æquum non ignorabat, reconciliaretur. Nec enim dubitabat, impetrato tanti principis favore ac gratiâ, ad cetera, quæ animo agitabat, faciliorem deinceps fore aditum. Itaque profectus Slesvicum omnibus officijs demereri Suenonem curæ habuit. Eumque muneribus atque epulis sumptuosis quotidie excipiens, & quasi magnificentiâ cum rege decertans, tandem in gratiam cum eo redijt. Inde, ut mos est genti, extracto per octiduum convivio, fœdus & amicitia inter utrumque sancita. Ibi tum quoque de rebus alijs, tam divinis quàm humanis, deque pace Christianorum ac conversione paganorum, variè deliberatum. Postremò rebus feliciter gestis, domum regressus pontifex, Cæsari author fuit, ut evocatus in Saxoniam Daniæ rex perpetuum uterque societatis fœdus iniret. Quod & factum esse Bremensium annales non tantum prolixè loquuntur, sed & fœdus illud tum

suæ

Sueno Esthritius Rex.

suæ diœcesi, tum reliquis borealibus populis maximo fuisse emolumento testantur
insuper.
Ad idem hoc circiter tempus referendum Alexandri quoque, de quo dictum, pontifi-
cis maximi ad Suenonem datum epistolium, cujus meminit in libris suis de Donat. Con-
stantini Steuchus Eugubinus, demonstratum eo quasi volens, etiam Daniæ regnum ec-
clesiæ Romanæ esse peculium. Eæ literæ in hunc modum scriptæ fuerunt: Alexan-
der episcopus dilecto suo Suenoni Danorum regi salutem & Apostolicam benedictio-
nem: Prudentiam tuam monemus, ut censum regni tui, quem antecessores tui sanctæ
Apostolicæ ecclesiæ persolvere soliti sunt, nobis & successoribus nostris transmittere
studeas: ità tamen, ut non sicut oblatio super altare ponatur, sed tam nobis quam succes-
soribus nostris, ut certius approbetur, præsentialiter offeratur. Ijsdem diebus, anno scili-
cet Christi MLVI, Isslephus memoratur, qui primus apud Islandos episcopalis dignitatis MLVI.
candidatus Romam perrexit, acceptoq; pontificis mandato ad Bremensem archiepisco-
pum, ab eodem in ferijs Pentecostis Islandiæ præsul ordinatur. Salutavit in itinere Hen-
ricum Imperatorem, ejusque fratrem Conradum Bavariæ Ducem: In quorum gratiam,
donato urso Gronlandico, se insinuavit. Estque in patriam haud multò post, sub annum
scilicet, qui superiorem est insequutus, millesimum quinquagesimum septimum, incolu- MLVII.
mis reversus. Post hæc anno deinde proximo, Slaviæ Dux Godeschalcus, cujus & supra MLVIII.
injecta mentio, vir strenuus ac prudens, acceptâ in matrimonium filiâ Suenonis Siritha,
in Slavos arma convertit; Eosque cum proprijs viribus, tum copijs auxiliaribus, quas ei
Sueno tradiderat, subnixus ità perdomuit, ut, pacem flagitantes, facturos se imperata pro-
mitterent. Quibus tam prosperè fluentibus, etiam Hamburgensi ecclesiæ ac toti isti di-
strictui optata post varios nimbos serenitas obtigit. Missique passim ad Slavos pietatis
doctores, qui vineæ domini modò excolendæ, modò plantandæ indefessis suis laboribus
nusquam deessent. Quamvis, ut habent annales Slesvicensium, post exinde sexennium MLXIV.
Slavi in Cimbricam chersonesum, quæ tum Nordalbingiæ nomine erat celebrior, irru-
entes, Slesvici opidum expugnarunt, funditusque sunt depopulati, reducto etiam in lo-
cum veræ religionis paganismo. Sed illis mox pulsis restitutus paulatim est Dei cultus
templaque restaurata.
Incidit deinde in annum millesimum sexagesimum quintum obitus Edithæ, Anglo- MLXV.
rum reginæ, Eduardo regi, ut memoravimus, in thori sociam artibus Godvini traditæ.
Eam Mathæus Vestmonasteriensis suo thoro nec removisse Eduardum, nec ab ipso tamen
cognitam refert: Idque an odio patris, an verò castitatis studio, incertum addens. Sunt
qui asserunt regem sanctissimum, de genere proditoris, hæredes, qui sibi succederent,
procreare noluisse. Condita est à parte boreali mausolei, quod sancto eidem Eduardo est
positum in Regum Capellà Vestmonasterij. Inscriptio ibi sepulchro ejus hæc addita:

EDITHA REGINA ANGLIAE, FILIA GODWINI COMITIS
CANTII, UXOR SANCTI EDUARDI REGIS ET CONFES-
SORIS; FOEMINA SUMMA PIETATE ET MODESTIA.

Agebatur hinc annus humanæ salutis millesimus sexagesimus sextus, cum Eduardo MLXVI.
quoque Angliæ rege Edithæ marito, sine prole defuncto, Haraldus Godvini, ex Thyrâ
sorore Ulphonis Canuti Magni sororij, filius, regiæ domus Major, & qui, ut ante est indi-
catum, vivo adhuc Eduardo universam in se regni administrationem transtulerat, regnum
præpropere occupare conatur. Anglici scriptores, & in his Polydorus Virgilius, Ca-
nuti Magni sorore natum Haraldum hunc tradunt, sed perperam. quamvis & Saxo noster
haud aliud voluisse videatur; nisi in eo pro, *Quin etiam sororem, Anglorum satrapæ, Godvino nu-
ptijs junxit*, legendum potius: *Quin etiam sororem Vlphonis, Anglorum satrapæ, Godvino nuptijs
junxit*, ut habet diserte eorum fere temporum æqualis Adamus Bremensis libro secun-
do capite trigesimo septimo. Ubi ait: *Ejusque Vlffi sororem copulavit Canutus Magnus
alteri Duci Godwino.*
Eum igitur Haraldum ut præverterent hinc Tosto frater, illinc Galliæ Normanni, o-
mnem adhibuerunt lapidem. Itaque ancipiti cura de novo ac legitimo rege substi-
tuendo proceres populusque distrahebantur. Solus supererat è virili Saxonicorum re-
gum stirpe Edgarus cognomento Ethelingus, Edmundi Ferrei lateris è filio abnepos.
Sed ille cum ætate esset inferior, quàm ut rebus gerendis par videretur, & ingenium
Q ij quoque

SUENO ESTHRITIUS. Rex. A. C.

quoque peregrinis moribus miscuisset, utpote in Ungaria apud Pannones natus matre Agathâ filiâ regis Salomonis, qui terrarum situ erat disiunctior, quàm ut adolescentem auxilio aut consilio juvare posset, Anglis minus erat gratus: Quibus nihil videbatur antiquius, quàm si regem sibi è suo quasi corpore acciperent. Quocirca Haraldum modò nominatum, pacis ac belli artibus florentem, respicere plerique cæperunt. Et licet ille unâ tantum imagine, à parte nimirum matris Thyræ, esset nobilis, cum pater ob raptus & proditiones varie haberetur infamis, benigno tamen alloquio, comitate, liberalitate bellicâque virtute maximam sibi apud populum gratiam conciliaverat, adeò ut omnibus plane heroicis virtutibus instructissimus & ad Anglicum instaurandum imperium quodammodo natus videretur. Sperabatur præterea Danos, qui præcipue Britannis terrori erant, Haraldo rege creato, illis in posterum futuros æquiores, quod eum è Thyrâ, Suenonis Daniæ regis amitâ (alij magno errore *Gytham* nominant & sororem fuisse Suenonis tradunt) natum constaret. Et si qua aliunde vis, sive externa sive domestica oboriretur, civium benevolentiâ & nobilium cognatione atque affinitate satis munitum judicabant, præsertim cum Morcari & Edvini fratrum, qui inter potentissimos habebantur, sororem haberet conjugem, excepto quod ei Edricus insuper, vir excelso animo & auctoritate summâ, propinquitatis vinculo esset conjunctissimus. Commodum etiam Anglis accidit, quod eodem tempore Sueno rebus domesticis ac bello praeterea adversus Vandalos ac Slavos unà cum genero suo, Slaviæ principe, Godeschalco, de quo dictum modò, implicaretur; & Guilielmus in littore proximo Normanniæ cum rege Francorum Philippo funem contentionis duceret: Credebatur enim Eduardus cum exul apud Normannum ageret, conceptis verbis regnum Gulielmo promisisse si absque prole decederet; Et ad illud promissum præstandum se deinde sacramenti religione quasi sponsorem obligasse Haraldum, cum è Normanniâ captivus fratrem quoque obsidem reciperet, additâ etiam hac conditione, se Normanni filiam in uxorem ducturum. Unde Normanno regnum deberi & eidem deferri oportere plurimi existimabant; tum ut fidem liberando, bellum, quod imminere prospiciebant, suis à cervicibus averterent; tum ut Angliæ Normanniam vicinam adjungendo respublica sub tanto principe non modò in formam ampliorem exsurgeret, sed multò quoque firmior ac stabilior redderetur. Verum Haraldus omnes omnium deliberationes incidit, qui nihil sibi cunctandum ratus, eo ipso die, quo Eduardus sepulturæ est traditus, imperium præter plurimorum expectationem arripuit, & diadema sine inaugurationis solemnibus ipse sibi imposuit. Quo facto ecclesiæ antistites, quasi religionis violator, haud leviter irritavit. Quo itaque offensam eam obliteraret, & sceptrum sibi firmaret, ad rem sacram promovendam ac monasteria passim exornanda totum se contulit. Edgarum Æthelingum, quem Oxoniæ Comitem creaverat, reliquosque nobiles omni benevolentiâ complexus est; populum magna tributorum parte sublevavit: vim magnam pecuniarum in pauperes effudit; denique alloquendi comitate, audiendi lenitate, decernendi æquabilitate charitatem unà cum authoritate sibi circumponere undiquaque allaboravit. Quæ ut certis nuncijs Gulielmo Normanno allata sunt, Eduardi obitum gravissime dolere præ se tulit, cum interim animo discruciaretur, Angliæ regnum, quod jam spe quodammodo devoraverat, è faucibus sibi præreptum. Protinus igitur ex suorum consilio legatos ad Haraldum mittit, qui promissorum & sponsionis admonerent, simul regnum repeterent. Ille re deliberatâ respondet: Quod ad Eduardi promissa pertinet, Anglicum imperium promissis deferri non posse, nec se ejus promissis teneri cum electione non jure hæreditario regnum sibi obvenerit: Quod ad sponsionem, eam ab homine captivo, vi, dolo & perpetui carceris metu in Reipublicæ Anglicanæ damnum & ordinum præjudicium extortam, & proinde irritam esse; quam nec præstare si poterat, debuisset; nec, si vellet, potuisset, cum rege nesciente & populo non adsentiente facta fuisset. Illud verò admodum iniquum videbatur postulare, ut Normanno peregrinæ stirpis principi regno cederet: quod tanto omnium ordinum consensu suscepisset. Hoc responsum parum æquis auribus accepit Normannus, Haraldumque latebras perjurio quærere existimavit: itaque rursus per legatos Haraldum jusjurandi commonefecit. Verum cum jam Gulielmi filia Haraldo in pactis desponsa, quæ quasi firmamentum sponsionis erat, fatis erepta fuisset, haud aliud quam prius responsum est redditum. Ad bellum apertum jam omnia spectare cæperant. Haraldus classem instruit, milites conscribit, præsidia per littora locis oportunis disponit, & ad vim Norman-

SUENO ESTRITIUS Rex A. C

Normannicam propulsandam, quæ usui viderentur, omnia parat. Primam belli facem germanus eius frater Tosto in apertum extulit. Ille vir animo elato & effero, magna cum auctoritate aliquandiu Northumbris præfuit, verum cum severitate adversus inferiores, superbiâ in principem, & odio in fratres grassaretur, ab Eduardo confessore proscriptus in Galliam secessit. Hic auctoribus Balduino Flandriæ Comite & Gulielmo, ut est verisimile, Normanno (Nam & Tosto & Gulielmus, singuli unam Balduini Flandrensis filiarum in matrimonio habebant) fratrem, quem diu odio fuerat prosecutus, nunc bello aperto exercere incipit; Eq; Flandriâ sexaginta piraticarum navium classe solvit, Vectam insulam populatur, Cantij oram maritimã infestat, sed regiæ classis adventu territus, sublatis velis, ad remotiores Angliæ partes delatus in Lincolniensi agro terram prædabundus conscendit, ubi ab Edwino & Morcaro prælijs exceptus & fugatus, Scotiam petijt, ut ibi vires redintegraret. Duplici iam belli expectatione hinc e Scotia, inde è Normanniâ omnium animi suspensi erant, eoque magis quod in festo Paschatis cometes trifti admodum specie, septem plus minus diebus effulsit, qui anxias hominum mentes, ut turbulento fit tempore, ad infaustas ominationes convertit. Eius sideris Albertus etiam Stadensis sub annum 1066. mentionem inijcit, & belli non modò istius, sed & Slavicæ defectionis, de quâ deinceps dicemus, fuisse prænuncium innuit. Haraldus verò, intentis oculis omnes regni partes intuebatur, australe littus præsidijs firmabat. A Scotia & Tostone minus sibi timuit, cum Milcolumbus Rex Scotorum intestinis malis conflictaretur. Gulielmus interim multa animo de Angliâ agitat, rem cum ducibus subinde communicat, quos alacres & gestiente spe plenos videt: pecuniæ autem in tantum bellum conflandæ ratio difficilior videbatur. Nam in publico Ordinum Normanniæ conventu cum de ærario proponeretur, responsum est opes bello, quod contra Gallos erat gestum, ita accisas, ut si novi ingruerent motus, vix sua defendere pares esse, suâ potius tuenda quàm aliena invadenda: bellum illud etsi iustum, minus tamen necessarium & imprimis periculosum videri. Præterea Normannos neutiquam teneri peregre in militiam proficisci. Dux, istis acceptis, quod publico conventu non poterat, aliâ ratione obtinere instituit. Opulentissimum quemque seorsim ad se accersit, blandè alloquitur ut aliquantulum in hoc bellum conferrent, petit: Illi, quasi jam certamen esset iuvandi principis, prolixe promittunt, promissis statim in tabulas relatis, vis pecuniæ omnium opinione maior cito coacta est. His rebus confectis, opem & auxilium à vicinis principibus Andium scilicet, Pictonum, Cenomanorum & Bononiæ Comitibus petit atque impetrat. Nec defuit socer eius Balduinus Lilanus, Flandriæ Comes. Nam præter illas Tostoni, ut modo indicatum, concessas copias, Gulielmo præterea eâ lege suam est operam atque auxilium pactus, ut ipse omnesque post ipsum Angliæ Reges trecentas in annos singulos argenti selibras sive marcas Flandriæ principibus dependerent. Philippum etiam Gallorum regem adit. Verum cum ille è re Gallorum minime existimaret ut vicinus Normannus, cuius jam tum suspectam habebat potentiam, Angliæ accessione adaugeretur, non tantum opem non tulit, sed etiam ab invadendâ Angliâ deterruit. Guilielmus nihilominus ab incepto demoveri haudquaquam poterat, communitus præsertim atque alacrior redditus Alexandri Romani pontificis auctoritate, qui causâ probatâ sacratum vexillum in victoriæ ac regni omen transmiserat. Itaque classe ac copijs, quam maximas potuit, comparatis, ad portum S. Valerici, iuxta Somæ fluminis exitum, ventum secundum expectans aliquandiu substitit. Haraldus qui iam dudum adventum eius sed frustra præstolatus fuerat, exercitũ dimittere, classem subducere & littus relinquere constituit, tũ rei frumentariæ inopiâ coactus, tum quod Flandriæ Comes per literas significaverat, Gulielmum nihil eo anno moturum: cui facile credidit, quia anni tempore navigationem præclusam existimaret, instante iam æquinoctio. Dum hæc animo agitat, novi ex improviso belli necessitate exercitum revocare adactus est. Haraldus enim cognomento Haardraade vulgo *Durus* sive, ut placet, Saxoni *malus* (Gemmeticensis Haraldũ Herfagam vocat) Norvagiæ rex à Tostone in spem Anglici regni evocatus, Tinam flumen cum myoparonibus plus minus quingentis, vel, ut est in chronico Norvagico, navibus ducentis subintrat, quibus & suam quoq; classem Tosto adiunxit. Hic cum aliquandiu agros essent depopulati, sublatis anchoris, Eboracensis agri littus legentes in Humbrum delati omnia circumquaq; vastare cœperunt. Ad quos reprimendos Edwinus & Morcarus Comites tumultuariam manum ducunt, verum illi Norvagorum impetũ non ferentes pars effusâ fugâ unâ cum Comitibus sibi consuluerunt, plures

Cometes.

in Ousam flumẽ ruentes fluctibus hausti sunt. Norvagi tum obsidionẽ urbi Eboraco inferre parant, quam & statim obsidibus utrimq; datis, deditione recipiunt. Pauculis interpositis diebus Haraldus Anglicus omnibus circumquaq; contractis copijs Eboracũ contendit, & inde in Norvagos movet, qui castris positis loco tutissimo consederant: à tergo enim oceano, à sinistrâ Humbro æstuario, in quo eorum classis constitit; à dextra verò & à fronte Derventione flumine quodammodo muniti: in eos tamen Haraldus animose invehitur: primum ad pontem acriter decertatur, in quo Norvagum quendam aliquandiu universum Anglorum exercitum sustinuisse fertur, donec sagitta transfixus caderet. Deinde æqua virtute fortunaque in ipsis castris aliquandiu pugnatum. Tandem tamen dissipati Norvagi, & præter cæteros Haraldus ipse Norvagorum Rex & Tosto cum maxima exercitus parte interfecti. Victor Haraldus prædam ingentem sed sibi soli obtinuit, ut auri & argenti magnam vim, classemque insuper numerosam, præter viginti naviculas, quas Paulo Orcadum Comiti & Olao Haraldi interfecti filio ad saucios avehendos concessit, jurejurando prius dato ipsos nihil in Angliam jam inde molituras. Hæc victoriâ Haraldo animum erexit jamque se terrori Normannis fore existimavit, cum suis esset odio, quod nihil ex prædâ militi distribuisset. Fuisse enim prædam ingentem, tantumque auri pondus victori Anglo inter spolia obvenisse authores referunt, quantum duodecim juvenes cervicibus vix sustinere poterant. Interea verò Gulielmus Normannus idoneam nactus tempestatem, sub finem septembris naves solvit & leni vento provectus salvis omnibus ad Pevenseam in Sutsexia accessit nudoque potitus jam littore, ut spem fugæ suis præcideret, navibus ignem injecit munimentoque ibi posito, quod suis receptui esset, ad vicum Hastingum progressus & ibi quoque alterum excitavit propugnaculum præsidiumque imposuit. Hic belli causas divulgari curat, ut scilicet ulcisceretur mortem Alfredi cognati sui, quem una cum plurimis Normannis Godvinus Haraldi pater sustulerat; ut persequeretur injurias Haraldi, qui cum Robertum archiepiscopum Cantuariensem in exilium ejecerat, tum regnum Angliæ sibi delatum, conculcatâ sacramenti religione, occuparat, suis autem ne hostiliter Anglis depopulationem inferrent edicto vetuit. His ad Haraldum quàm celerrime perlatis, omnibus modis id egit ut primo quoque tempore Normannum exciperet. Quocirca & nuncios quaquaversus dimittit ac suos obtestatur ut in fide maneant. Contractisque undiquaque copijs magna celeritate Londinum properat, ubi illum legatus à Gulielmo adit: Qui cum regnum pluribus repeteret, parum abfuit quin Haraldus præcipiti ira percitus legato manum intulerit. Ac protinus suos vicissim ad Gulielmum legat qui insolentius comminarentur, nisi quamprimum in Normanniam se reciperet. Hos tamen facili responso magnâque humanitate ille demisit. Delectum interim Londini Haraldus habet, resque suas superiori contra Norvagos prælio admodum attenuatas novo exercitu ex nobilibus & alijs, quos patriæ amor ad commune periculum propulsandum evocarat, firmat. Inde in Sutsexiam, matre Thyra nequicquam remorante, ducit, & animo obfirmato vix septem mill. pass. à Normanno castris in planicie positis consedit. Quo etiam confestim suum admovit exercitum Normannus. Primum exploratores utrimq; submissi, qui ab Anglis erant, omnia

MLXVI. sive veri ignorantia, sive mentiendi libidine, Normannorum multitudinem, apparatum & disciplinam supra fidem extulerunt, adeo ut multi Haraldo authores essent ne se pugnandi aleæ committeret, admonentes dubium esse Martis eventum & victoriam à fortuna sæpius quam à virtute venire, ac denique cunctationem esse præcipuam disciplinæ militaris partem. Erat frater Haraldi bellicis operibus clarus, qui ab omni sacramento immunis Haraldum monuit ut ipse quiescens sibi exercitum concrederet, se nec boni fratris nec fortis ducis officio defuturum. Quæ tamen Haraldus, utpote cum dedecore suo conjuncta, minus æquis auribus accepit. Gulielmus autem ut ostenderet se à sanguine & cruentis consilijs esse alienum, mittit internuncium, qui Haraldo conditionem proposuit, vel regno prorsus cederet, vel sub Normanno clientelari se jure regnare agnosceret, vel singulari certamine cum Gulielmo decertaret, saltem ut Romani pontificis judicio de Angliæ imperio se sisteret. Sed Haraldus quasi sui impotens nullam conditionem amplexus postero die, qui II. Id. Octob. erat, pugnandi copiam se facturum respondit. Inde luce primâ, quæ secuta est, acies utrimque instruunt. Haraldus in primo agmine Cantianos (quibus veteri instituto exercitus frons debetur) cum bipennibus constituit, altero agmine ipse cum fratre, mediterraneis Anglis & Loedinensibus constitit. Normannorum verò aciem primam ducebant Rogerus Montegomercius & Fitsosbernus. Ea constabat ex equi-

equitibus Andegavensibus, Perticensibus, Cenomanis, Britonibus, quorum plurimi Fergento Britoni militabant. Mediam, quæ è Pictonibus & Germanis constabat, Galfredus Martellus & Germani regebant. Extremum agmen dux ipse claudebat, cum robore Normannorum suæque nobilitatis flore. Sagittariorum verò cohortes ubiq; erant immistæ. Normanni non incondito sublato clamore bellicum canentes agmina moverunt, primumque sagittarum grandinem undiq; immittunt, quod genus pugnæ ut Anglis novum, ità omnino terribile erat, adeò enim densè recidebant, ut in medijs copijs habere hostem viderentur. Deinde in primũ Anglorum agmen præcipiti impetu incursant: hi autem qui locum quem ceperant corporibus tegere potius quàm cedere destinarant, omnes connixi fortiter hostem magna cum clade averterunt, illi autem denuo irruunt, horrendoq; strepitu utrimque acies impellitur. Iam collato pede quasi vir viro congrederetur, acriter aliquandiu pugnatum est. Angli autem conferti & quasi cohærentes impetum sustinent, adeò ut multis vulneribus acceptis jam regressuri fuissent, nisi Gulielmus non ducis magis quam militis munere fungens sua authoritate inhibuisset: hæret itaq; pugna & equites Normannici quam concitatissimi immittuntur & superne vi sagittarum Angli quasi obruuntur, agmen tamen non perrumpitur. Haraldus enim intrepidi ducis munia obiens suis ubique præsto erat; Nec minus parte aliâ Gulielmus, qui cum, uno & altero equo suffosso, verâ virtute vincere non potuit, ad artem se convertit, suis imperat ut receptui canant & gradum servatis tamen ordinibus, referant. Angli jam terga dedisse rati & victoriam præ manibus esse, ordines laxant suos, incompositique hostibus instant, quasi certa jam & explorata victoria, cum illi reductis ex improviso agminibus, de integro signa inferunt & palantes Anglos adorti & circumfusi stragem maximam edunt: Plurimi inter fugæ pugnæque consilium oppressi, plures autem editiorem locum occupantes conglobati & mutua adhortatione firmati præsentibus animis diu restiterunt, quasi locum laudabili morti elegissent, donec Haraldus sagitta caput transverberatus una cum fratre ceciderit: Tum Edvinus Morcarusque & ceteri, qui cædi superfuerant, tempori cedendum rati fugâ sibi consuluerunt, cum ab horâ diei septimâ ad crepusculum usque continenter esset pugnatum. Desiderata sunt hoc prælio Normannorum plus minus sex millia. Anglorum verò longe plures. Tantâ potitus victoriâ Gulielmus decretâ supplicatione imprimis Deo optimo maximo honorem habuit. Postero die cum suos humo mandasset, Anglisq; idem permisisset, ipse Hastingas regressus est, ut quid deinceps factu esset opus, consilium iniret, & militem prælio fessum simul reficeret. Haraldi mater Thyra adeò se lamentis dedidit, ut vix solatium admitteret; infimisque precibus filiorum cadaveribus à victore impetratis ea Valthamiæ tradi sepulturæ curavit. Edvinus Algitham sororem, quæ & regina & uxor Haraldi erat, in regni remotiores partes dimisit.

Saxo addit filiam Haraldi cum duobus fratribus in Daniam ad Suenonem profectam; atq; ibi postea, adminiculante Suenone, nec memore paternarum ejus injuriarum, sed solo consanguineæ pietatis amore ducto, Ruthenorum regi Voldemaro, qui & ipse Iarislaus à suis est appellatus, nuptui traditam; natamque ex ejus deinde filiâ Magni Voldemari, de quo deinceps memorabimus, illustrissimam prosapiam. Adeò ut hinc Britannicus, inde Eous sanguis, ut est apud Saxonem, in salutarem tanti principis ortum confluens, communem stirpem duarum gentium ornamentum effecerit.

Porro proceres regnique primates populum, ne animum desponderet, admonent consiliaque de republicâ conferunt. Archiepiscopus Eboracensis, cives Londinenses & classiarij (quos Anglorum idiomate *bothecareles* appellat Vigorniensis) Edgarum in regem levandum bellumque cum Normannis redintegrandum censuerunt. Edvinus & Morcarus de imperio sibi occupando clandestina consilia agitarunt. Episcopis vero & præsulibus alijsque, qui Romani anathematis fulmen extimescebant, consultius videbatur deditionem facere &, omissâ dubij belli fortunâ, fatis cedere, quæ jam in manus Normanni Angliam quodammodo tradiderant. Gulielmus interim Hastingas præsidio firmans infesto agmine Londinum petere constituit: Verum ut latius sui metum inferret & à tergo omnia secura redderet, partitis copijs per Cantij territoria Suthsexiam, Suthreiã & agros Bercheriensem & Suthantonensem pervagatur, vicos & ædificia incendit prædasq; agit; ac tandem, transmisso ad Valingfordiam Thamesi, terrore omnia complet. Quæ dum fiunt in incerto habuêre proceres quidnam consilij capescerent, nec adduci poterant, ut positis simultatibus, communi animo Reipublicæ prospicerent. Cumq; se multi ex urbe subducerent, archiepiscopus tamen Eboracensis Alfredus, & Vigorniensis antistes Volstanus,

stanus, alijque præsules unà cum Edgaro Edthelingo, Edwino, Morcaro victori Normanno ad Berkhamstadam occurrunt, obsidibusque datis in fidem & deditionem sese permittunt. Normannus verò ubi Londinum advenit, ingenti lætitiâ & festis acclamationibus exceptus Rex salutatur, atque inde sub octavum Kal. Ianuarij regio ibidem diademate solenniter insignitus. Eratque absoluta jam in Britanniâ Anglici regni periodus, quæ à primo gentis è Cimbricâ chersoneso in insulam accessu annis sexcentis ac septem definita, universum in Normannos Rollonisq; Dani posteritatem imperium eo temporis momento transtulit. Hanc rerum ac status conversionem in Cometem, de quo supra diximus, & vim siderum Mathematici, Politici in magistratuum socordiam ac præsulum superstitiosam ignaviam, Theologi verò in Deum, qui occultis quidem, sed nunquam injustis judicijs, à gente in gentem regna transfert, rejecerunt. quamvis & alij propinquioribus causis intenti, prudentiam in Eduardo rege desiderarunt, quod Godvino & ejus familiæ nimium deditus, regnum ambitiosissimorum hominum libidini dilacerandum permisisset.

Eodem hoc temporis tractu, dum ista apud Anglos peraguntur, Slavorum princeps Godeschalcus, cui filiam Suenonis nupsisse superius memoravimus, Danorum & Saxonum auxilijs suffultus quatuor præcipuos Vinulorum populos Circipanos, Chizinos, Tholozantes & Rheteros, post varios conflictus multaque paganorum millia aut neci data aut carceri mancipata, dicto audientes reddidit. Quàm autem illustris eodem in bello Suenonis opera fuerit, demonstratur egregia ejus oratione, sive querimonia potius, super Saxonibus, docentis eorum præcipue avaritia, ac census magis quàm pietatis promovendæ studio factum, quod tam difficulter ad Christum converterentur Slavicæ gentis populi. Meminit orationis hujus Adamus Bremensis, eamque ex ipso Suenone libentissimis se auribus præsentem hausisse refert. Erat jam Brema ob Adelbertum archiepiscopum longe lateque fama celebris & à populis præsertim Borealibus, velut altera Roma, frequentabatur. Itaque missi ad eum ab extremis non tantum Islandis Gronlandisque, sed Orcadum quoque insulis legati, qui ad se Christianæ pietatis antistites transmitti obnixe flagitabant. Nec deerat officio archiepiscopus: statimque in Suecones & Norvagos atque inde ad ultimi maris insulanos amandati ad messem Christo faciendam operarij. Illustravit tum primum Islandos episcoporum antesignanus Islavus, cujus in Norvagiæ præfatione etiam Crantzius mentionem injicit. Eratque jam late adeo in Septentrionem Christiana religio propagata, ut de synodo apud Danos celebranda Albertus, missis quaquaversus in Boream episcopis, constituerit. Nec displicebat consilium Suenoni, & accesserant quoque literæ Alexandri pontificis, præter eas, quæ ad Gulielmum Roschildiensem episcopum ab Alberto transmissæ: Quarum omnium hodieque exempla servari atque exstare in annalibus Bremensium, qui anquirere volet, reperiet. Apud Slavos autem, dum voce & armis soceri Suenonis adjutus Godeschalcus, in eo est totus, ut confirmarentur neophyti, & qui nondum erant conversi, Christo lucrifierent, ecce à paganis interceptus occiditur, vir omni ævo memorandus ac vere seculi sui Machabæus. Martyrij coronam subijsse annales referunt in opido Leontio sive Lenzin, ut habet Helmoldus, VII. Id. Iunij unà cum præsbytero Eppone, quem juxta altare, cui deserviebat, veluti immolatum tradunt. Assuerus quoque monachus in opido Razinburgo, ut alter Stephanus, lapidibus est obrutus. Et Iohannes Scotus episcopus, postquam peregrinationis amore è Scotia ad Slavos devenisset, ac millia aliquot Slavorum ad Christum perduxisset, fustibus cæsus & opidatim, quasi in triumphum circumductus, cervicem tandem gladio subjicere adactus est. Caput ipsum conto præfixum in titulum victoriæ idolo ipsorum Rathegasto oblatum. Hæc Rathiæ in opido metropolitano Slavorum gesta sub IV. Id. Novemb. At Megapoli, quæ Obotritorum est civitas, filia quoq; Regis Suenonis Siritha gloriosum assecuta martyrium, dum omnibus nudata ornamentis unà cum alijs honestissimis matronis domo pulsa per vicos verbere ad necem agitur. quamvis alij, ut Helmoldus & Stadensis, nudam cum alijs mulierculis dimissam innuant. Fuit hæc, ut ante memoratum, Godeschalci Slavorum principis illustrissima conjux. Ex qua & filium ille susceperat Henricum. nam Buthus ex alia eidem natus est: Quorum uterque pientissimi parentis pij filij cum à Slavis paganis, utpote veritati Christianæ adversis, à successione arcerentur in locum eorum Crucho (alias *Crito*) substitutus est. Idque videns Henricus, qui Suenonis è filia nepos erat, in Daniam abijt: Buthus post varia cum ipso Crucone & Slavis commissa

MLXVII. prælia tandem à satellitio Cruconis perfide confossus interijt, annum circiter MLXVII.

Haraldo

SUENO Rex. C.

Haraldo autem Rege Norvagorum, ut ſupra eſt memoratum, in Anglia cæſo, duo ejus filij ſuperſtites Olaus & Magnus regni ſucceſſioni fuêre proximi. Hi pacem & fœdus cum Suenone pacti ſimul ſceptrum tenuerunt, annis circiter duobus: mortuoque mox Magno ſolus Olaus regno potitus connubio ſibi filiam Suenonis Ingertham ſociavit: atque ità ceſſatum utrimq; à bellis mutuis. Hic Olaus vulgo *Kirre* dictus, quod mite & quietum ejus eſſet regimen. *Kirre* enim ſeu *querre* Danis, quietum notat. Sed ut pax & quies inter Danos & Norvegos tum fuit, ità inter Anglos & Danos recruduit diu latens ſimultas, præſertim tenente jam imperium Gulielmo. Qui licet è boreali hac plagâ genus traheret, utpote Rollonis (qui primus in Galliæ littore à ſe & gente ſua appellatam Normanniam conſtituit) adnepos, tamen ægrè Suenonem habuit, quod Godvini & Haraldi primum technis deceptus, poſt Eduardum abſenti ſibi Angliæ ſceptrum videret præreptum, & nunc viciſſim, excluſo aut interempto Haraldo, id ſibi Normannum paraviſſe. Nec latere hoc Normannum potuit, qui idcirco nihil prius habuit, quam Danici belli tempeſtatem, quam impendere videbat, avertere & ſibi vel gratiâ vel pecuniâ quietem redimere. Quâ in re præcipue eſt uſus Adelberti archiepiſcopi Bremenſis operâ. Hic enim muneribus Gulielmi perſuaſus ſummo allaboravit ſtudio, ut inter Suenonem & Normannum pax coiret. Et eam licet aliquatenus conſecutus archiepiſcopi ſolertiâ Gulielmus videretur, non tamen in plenum frui potuit. Nam Sueno etiamſi ipſe domeſticis atque alijs rebus diſtentus, nihil in adverſum moveret, tamen filij ejus Haraldus & Canutus, aſſumptis Comitibus Eſberno patruo & Torchillo, cum claſſe ducentarum & quadraginta navium, anno milleſimo ſexageſimo nono oſtium Humbri fluminis hoſtiliter ingreſſi. MLXIX. Cumque in terram deſcendiſſent & fama eorum latè divagaretur, obvios habuerunt magnâ cum armatorum manu Edgarum Ethelingum & Comitem Walthoſum, qui à Gulielmo Notho, dum is leviſſimis de cauſis in omnes Anglici ac Danici generis nobiles deſævit, ex Anglia profligati apud Scotos ſe extorres continebant. Hi occaſione Danicæ claſſis illud agendum putaverunt ut, copijs ſuis cum Haraldo & Canuto conjunctis, Gulielmum communibus viribus oppugnarent. Itaque percuſſo inter ſe fœdere, Eboracum verſus iter inſtituunt cunctaque ferro & igne populantur. Inter ceteros archiepiſcopus urbis Alphredus tanto terrore adventantium de novo Danorum exhorruit, ut animi internecino mœrore affectus continuo exſpirarit. Interea qui urbi relicti erant præſidio Normanni, ubi per ſpeculatores cognoverunt Danos vix bidui abeſſe, conſilium capiunt incendendi ſuburbana præſidia ne uſui hoſtibus forent, ſeque intra urbem continendi. Injecto itaque caſtellis igne, ſubortus repente ventus vagantem flammam adeò in altum lateque evexit, ut igneæ ſcintillæ magnâ cum copiâ urbem verſus diffuſæ majus intra quam extra muros incendium fecerint, quo pæne ædificia univerſa cum æde divi Petri in totum abſumpta ſunt. Quocirca quod erat intra urbem præſidium civiumque plurimi exire compulſi, in hoſtem, quem vitare ſtuduerant, incidunt. Hic à Danis Normanni, cum ad urbem, quæ jam in favillas quaſi conciderat, regreſſus non eſſet, adeò confertim cæſi, ut ultra hominum tria millia trucidata chronologi referant. Inde manubijs & ſpolijs completâ claſſe ac verſo quàm celerrime in Northumbros procinctu, eos in fidem ultra ſe dedentes recipiunt. Iamque totam pæne, quæ eſt ad boream, Angliam Danus tenebat, ſeque ad oppugnandum Londinum parabat, niſi anni hiems, ſolito vehementior, expeditionem tardaſſet. Nec alia cauſa Guilielmum in adverſum ire parantem detinuit: dum cœlo tandem pacatiore uſus magnis itineribus in Eboracenſem agrum contendit, ac prope Trentam flumen, quod Humbrum influit, caſtra metatur. Hic aliquantulum moratus mox copijs explicatis manum cum Danis conſeruit. Dimicatumque eſt acriter & aliquandiu æquo Marte, dum tandem, qui equitatu erat ſuperior Normannus, aliquot ex Scotis Danorum auxiliaribus in fugam compulſis, ceteros quoque loco movet. Quorum Edgarus cum omnibus ſuis, qui cladi ſuperfuerunt, in Scotiam redijt. Gulielmus victoria potitus, poſtquam in defectionis auctores, quos nanciſci potuit, animadvertiſſet, Northumbriam atque omnem Eboracenſem agrum ita deſolavit, ut aliquot exinde annis incultus ſteterit. Tradit Vigornienſis Gulielmum non tam in hoſtem, quàm in ipſos Anglos, Northumbroſque deſæviſſe; ac miſſis ad Comitem Danicum Oſbernum nuncijs, præter ingentem pecuniæ ſummam, etiam commeatum, qui ei totique ejus exercitui ſufficeret, eâ lege obtuliſſe, ut hibernis tranſactis abſque pugna ac direptionibus cum claſſe totoque exercitu in patriam reverteretur; Eſbernumq; pecuniæ ac opum avidum non ſine ſuorum dedecore conditionem à Norman-

SUENO Rex.

Normanno oblatam accepisse. Addunt præterea Scotici annales, Gulielmum post varia deinde adversus Scotos & Edgarum prælia, tandem lenitâ ferociâ, & longo magis quàm necessario bello fatigatum ad pacis studia animum adjecisse pacemq; his legibus factam, ut limite regnorum constituto Cumbriam Scoti tenerent, quo jure eam majores ipsorum tenuissent; rediretque in gratiam Edgarus ac prædijs amplissimis in Angliâ donatus ab omni novandarum rerum suspicione abesset, ac denique Valthofus, Sibardi filius, receptis bonis paternis in affinitatem regiam adscitus uxorem acciperet neptem regis ex filiâ. Elbernus autem, finitâ hieme, cum classe in Daniam ex pacto regressus est. Reversum Rex haud quaquam benigne excipiens extorrem regno cedere quamprimum jussit, quod bellandi occasionibus posthabitis se reliquis invitis deliniri pecunia ac largitionibus sivisset. Hunc Osbernum cum Annales Anglici Comitem appellent, non videatur à temporum ærâ alienum si eum fuisse dicamus, cui sub nomine Gulielmi Osberni Normanni nupsisse exinde Richildam Balduini Flandriæ Comitis viduam annales Flandriæ testantur. Nam & cæsum eum à *Roberto* Frisio circa annum MLXXI Mejerus injicit, *Rischildis novum maritum* vocans.

MLXXI.

Dum autem Sueno domi pacatè agit, magnam tulit laudem & pietatis & sapientiæ, utpote qui non ipse tantum meliorum literarum cognitione excelleret, sed & eorum quoque convictu summopere gauderet, qui amore doctrinarum ac rerum veterum ducebantur. Inter ceteros, & exteros præsertim, Adamum Bremensem ob antiquitatis studium familiariter complexus est. Domi autem charissimum sibique conjunctissimum habuit Roschildiensem pontificem Gulielmum, Anglis oriundum; & ipse ab eo vicissim, ut par erat, quam studiosissime observabatur. Nec erat modò virtutum singularis æstimator is ipse Gulielmus, sed & vitiorum quoque acerrimus censor ac castigator. Itaque libenter se ab eo coargui atque admoneri est passus Sueno, si quid forte censura dignum committeret. De quo prolixe disserentem Grammaticum Saxonem, qui volet, inspiciat, & sub imagine Suenonis, qui se homicidio polluerat, Theodosium; sub Gulielmo verò Ambrosium, cædibus pollutum Imperatorem à templi foribus arcentem, recognoscat. Secundum Gulielmum maximi præterea faciebat Suenonem Norvagum; quo & intra domesticos aulæ parietes ut Euangelij ac verbi divini præcone, ut plurimum, utebatur. Fuerat hic à præfectura ad sacerdotium translatus. Estque ille, qui, teste Saxone, rem divinam facturus & librum, quem invidi lituris inspersum supposuerant, nactus, pro, *Deus regem famulum suum protegat*, legebat, *mulum suum protegat*, extritâ nimirum primâ in voce *famulum* syllabâ. Sed postea, ut alit æmulatio ingenia, ad studia literarum animum propius applicans etiam ipsis irrisoribus suis evasit cultior, & locum, quem in ecclesiâ Roschildensi sibi à rege designatum, episcopalem acceperat, ad vitæ usque finem tenuit digneque tutatus est.

Vix autem frui hoc otio Sueno cæperat cum illud archiepiscopus Bremensis, ut erat irrequieto & in Saxones præcipue efferato animo, interturbare per cuniculos aggreditur. Nam ubi Suenonem ad Imperatoris Henrici IV. colloquium, anno millesimo septuagesimo secundo, Luneburgum usque (aliàs *Hamburgum* est in editione prima Adami Bremensis) quasi ad fœdus iciendum evocasset, comperit Rex non fœdus sed arma parari. Et licet eò se abripi Sueno permisisset, ut copijs collectis, terrâ marique Saxones infestaret, mox tamen mutatâ sententiâ, & à suis saniora monitus, arma ab illis, quorum territorijs ut munimento semper usus fuerat, quam citissime abstinuit. Archiepiscopus autem eodem tempore post varios vitæ casus fato concessit. De quo ut paucula quædam altius repetam, additis extremis, deposcere locus videtur. Defuncto igitur, de quo supra dictum, Henrico III, ne rerum summa sine certo imperio fluctuaret, Hanno archiepiscopus Coloniensis & ipse duumviri designati, qui & aulæ & reipublicæ, impubere adhuc Henrico IV, præessent. Hoc veluti secundo vento Albertus usus reliqua, quæ cupitis adhuc deesse videbantur, pertexere aggreditur. Præter Hadeleriam & Lismonam tres in eodem tractu Comitatus Stadensem, Findgoam & Emisgoam itemque Corbeiam & Larissam, cœnobia duo opulentissima, gratia pretioque sibi comparat. Quod ne deesset, omnem ecclesiæ suæ pecuniam, omnes reditus, aurum & argentum fabrefactum gemmasque & quidquid ornamentorum in sacris erat, ac prior ætas magno studio religionis congesserat, profudit: irritatosque & in se insurgentes Ordulphum & Hermannum Saxones proscribi decreto imperatoris procurat, nec, nisi male multatos, in gratiam recipit, ceteros ab audendo deterret. Mox, ut solet secundante fortunâ, exortis compluribus æmulis

MLXXII.

æmulis & ipso præsertim Coloniensi archiepiscopo Hannone, in pœnam arrogantiæ & fastus solio suo dejicitur. Dejectus, continuo ab Ordulpho ac filio ejus acrius quàm prius affligitur atque omni afficitur contumeliâ; provincia ejus ferro & flamma pervastatur ne Bremâ quidem immuni; Ipse profugus latere aliquandiu apud Goslarienses coactus, donec tandem haud exigua provinciç suæ parte in feudum Magno concessa pacem parum honestam redimeret. Ità triennij calamitate edoctus, cum ad pristinum potentiæ gradum postea redijsset, cautius jam fortuna uti, & obsequio principes demereri amicosque ex æmulis facere instituit. Itaq; nihil omisit quod ad ditandam suam diœcesin pertinere ullo pacto videretur. Præter cetera Emisgoæ, quæ Bremensi parochiæ vicina erat regio, ut jus acquireret, mille argenti libras imperatori promisit, dictitans, ut notat istius temporis synchronus Adamus Bremensis, haud molestè laturum se si pauper ipse esset, modo dites servos haberet. Summam autem imperatori promissam cum præstare nequiret (erat enim jam ante exhaustus) quidquid habebatur in thesauris ecclesiæ suæ adhuc reliquum, quidquid in donarijs pretiosum; cruces, imagines, tabulas auro argentoq; graves, in usum nummorum, ausu temerario, conflavit; adeo ut sortem postremo tulerit, quæ esse iniquarum cupiditatum fere comes consuevit, ut exhaustus facultatibus omnibus, inter curas & sordes vitam traxerit, & quem felicem ac florentem ab antecessoribus episcopatum acceperat, eum, multis frustra tentatis, afflictissimum & cunctis exutum ornamentis reliquerit. Sicque ingravescente ætate mentis parum compos ac veluti in delirium ex nimio curarum æstu prolapsus & ab omnibus derelictus, seu, ut habet Stadensis, epulantibus ac cutem curantibus suis, animam efflavit ad annum Servatoris, ut diximus, MLXXII. Ei Liemarus successit natione Bavarus, adnitente præsertim imperatore, de quo dicere cœperamus, Henrico IV.

SUENO Rex. A. C.

Cujus quoq; Henrici tempora fuisse infelicissima, pontificum præcipue ambitione, docent hujus ævi memoriæ. Nam cum despectui primum esset imperij majestas ob ipsius ætatem, multa passim aut pueri aut rectorum vitio perperam gerebantur. Deinde adulto jam eo, maximi Germaniæ principes jurejurando soluti à Gregorio VII pontifice, quem & Hildebrandum vocant, in imperatorem suum nequissimo incentore, concitabantur. Origo mali partim hinc erat, quod in synodo Vormatiensi, præsente Henrico, omnes Germaniæ episcopi, exceptis Saxonicis, Gregorium abdicaverant; partim quod ambitione Alberti, episcopi Bremensis, jam ante exasperatam Saxoniam duo potentissimi principes, æmuli gloriæ imperatoris, denuo commovebant, Egbertus Marchio & Otho Saxonum Bojorumque dux: è quibus hic ob majestatis confictum ab æmulis crimen Bavaria exspoliatus ab Imperatore, quam à patre ejusdem acceperat; Ille in Saxoniæ medio, ubi Brunsviga opidum est, ditionem latam tenens arctissimâ etiam agnatione ipsum Imperatorem attingebat. Et hos Magnus, inferioris Saxoniæ dux, ac patruus ipsius Harmannus sequebantur. Has occasiones nactus pontifex; Romæ indictâ synodo; pronunciat suæ esse potestatis Imperatores constituere. Simulque Henricum excommunicat & subditos ipsi omnes absolvit obsequio & juramento eidem solemniter præstito. Hoc veluti classico cuncta commota. Et imperator, ut nexu pontificio se solveret, abit Romam: ubi dum jubet eum pontifex annum integrum ad valvas & limina templorum expiandi sui causa sese volutare, excitati à pontificijs æmuli, qui imperium contra eum capescerent: Electusque Rudolphus Suevus, cui papa coronam misit tali cum titulo: *Petra dedit Romam Petro, tibi Papa coronam:* Redux, aut potius fugâ elapsus ex Italiâ Imperator, cum Saxonibus & Rudolpho, multis commissis prælijs, tandem ad Elistrum Misniæ amnem cum ijsdem congressus victor evasit; Rudolpho; inter prçliandum, perjurâ dextrâ amputatâ, qui & Moesburgi haud multo post mortuus est. Inde in Italiam profectus Romam capit & in locum Gregorij Clementem III pontificem renunciat, à quo absolutus redit in Germaniam. sed frustra. Neque enim ante cessatum est ab episcopis & Gregorij fautoribus, quàm & Conradum & Henricum filios in patrem armassent. Quibus undique procellis agitatus imperator sexagies bis coactus est in acie cum hoste dimicare. ac tandem exauctoratus, dum omnia tentat omniaque circumspicit ac metu demum egestatis Canonicatum Spiræ obtinet, moritur Leodij anno MCVI.

Quæ dum in Germania atque Italia geruntur, apud suos Sueno ætate jam propemodum confectus levi primum valetudine tentatus, atque inde gravius graviusque eadem invalescente, sub annum millesimum septuagesimum quartum vitam cum morte commutavit in opido Cimbricæ chersonesi, quod Slutorpium domestici scriptores vocant: MLXXIV.

Exequias

SUENO Rex. A. C.

Exequias suas Roschildię celebrari atque in areâ regiorum monumentorum deponi funus mandavit. Ubi hodieque in ęde cathedrali comprehensum in tabulâ marmoreâ ejus elogium legitur, quo res ipsius gestę, ut brevius itâ quoque venustius quàm longis multorum annalibus exprimuntur. Itaque & apponendum hoc loco pretium operę existimavi:

Regum Sueno decus, magno quo Dania rege
Floruit, & sceptris imperiosa fuit.
Non virtute minor Sueno, quam nomine magnus,
Nam dici poterat Magnus utroque modo.
Hunc soror illustris Regis præclara Canuti
Estridis genuit, prole beata parens.
Anglos Marte premens Norvagica sceptra subegit,
Fit tria sceptra tenens unica Dana manus.
Res miranda nimis, quem vix tria regna valebant
Imperio capere, jam petra parva capit:
Et quia stare diu nequeat terrena potestas,
Terrarum reges quærite regna Dei.

Extat in eâdem cathedrali ecclesia epitaphium quoque Gulielmi episcopi, in quo non tantum cędis, qua se polluerat Sueno, & expiationis, quâ idem in ecclesiam receptus est, cujus modò meminimus, sed & funeris atque obitus mirabilis ipsius episcopi Gulielmi, dum nimirum exequias regi extra Roschildiam iturus ipsemet funeri funus accedit, mentio injicitur. De utroque pluribus differit Saxo, quę omnia paucis proponit, quod dixi, Epicedium mixtis ex jambis & choriambis rudi minerva, ut tum erat seculum, syllabis, in modum ut sequitur:

Gulielmus olim Episcopus Roschildensis
Præstantibus Dei relucebat donis,
Pietate, religione, percelebri vitâ
Et sancta & omni virtutum genere illustri.
Adeo ut in incerto erat isne officio tali
Dignior erat, an illo officium; tam spectatum
Episcopatus præstitit sui exemplum.
Hic fretus innocentia atque item justo
Injusti homicidij dolore permotus,
Quod à rege factum erat libidine, magis quàm
Ratione, regem ipsum quamvis magnum & tali
Potentem regno comitatuque stipatum.
Magno repulsum baculo, prohibuit templo
Rebusque sacris, donec pœnitens facti
In gratiam cum Ecclesiâ ac Deo offenso
Redisset. His actis tempore non ita multo
Post, mortui jam regis huc deferebatur
Funus, quod ut rescitum est *appropinquare* — *vel* rescivit
Vrbi, duo sepulchra confici jussit.
Duobus etiam pheretris adornatis, ibat
Guilielmus obviam. postquam ad funus ventum est,
Oratione facta, ut illi, quem in terris
Deo patri jam lucrifecerat sanam
Per admonitionem, commori posset.
Mox membra collapsus animam sanctam cælo
Reddidit, atque inde uterque suo loculo impositus
Hanc sacram ad ædem pariter (mirabile dictu)
Magno omnium stupore deportati sunt.
Gulielmo honorifice sepulto, ac de more
Episcopalibus insignibus unà cum illo
Terrâ conditis, *novo Deus funus* — *l.* reconditis

Miraculo

SUENO Rex. A. G

Miraculo hominum memoriæ, consecravit.
Hac ipsa namque ut obruta cumulo terræ
Vltro sepulchrum reddidit, translatum ergo
Huc funus est, ac magna cum religione
Hoc in loco commendatum sepulturæ.

Superstite adhuc Suenone, duo in Scaniâ episcopatus constituti, quorum alterius sedes Lundæ, alterius Dalbyæ habebatur. Qui Lundensem præsulatum primus tenuit, Eginus dictus; quem alij Eginonem vocant. Ejus erat Scaniæ, quà occasum spectat, diœcesis; Dalbyensium antistes ortivi districtus curam gerebat; Cui nomen Henrico fuit. Sed idem temulentiæ & intempestivis convivijs nimium deditus cum alia videretur agere, factus est ex duobus episcopatibus unus, qui hodieque Lundensis dicitur. In Cimbricâ similiter chersoneso, quæ borealis nunc dicitur Iutlandia, episcopatus quoque bini ab eodem instituti circa annum Christi MLXV. Prior Borchlumensis fuit, condito in id monasterio etiam Borglumense, quod præsulum adusque religionis reformatæ initia perpetuo sedes fuit. Et qui præfuit episcoporum omnium primus Magnus dictus, de quo alibi retulisse memini. Alter episcopatus constitutus Viburgi. Cujus administratio demandata, qui primus omnium nominatur, Heriberto. Suenoni ex legitimis nuptijs nulli fuerunt liberi, naturales plures habuit: è quibus præter Magnum, qui è Thorâ, de quâ supra diximus, natus fuerat, nominant chronologi Gormonem, Haraldum, Suenonem, Odmundum, Ubbonem, Olaum, Nicolaum, Biornem & Benedictum, accedentibus præterea Canuto & Erico præcipuis patriæ suæ columinibus, præter illustrissimas duas filias Sigritham & Ingertham: Quarum prior Godeschalco Slavorum principi, altera Olao Kirre, Norvagorum regi, denupsit, ut suis est supra locis indicatum. Adnumerandus postremò his omnibus, ex quorundam sententia etiam *Edmundus*. qui infans obierit: Itemque *Hardingus* non quidem Saxoni Grammatico, sed Anglicis authoribus nominatus, utpote qui in Angliâ, ductâ uxore, ibi pedem fixerit, relicto post se filio Roberto: Qui patritius fuit Bristoliensis, & Henrico II Anglorum regi ita charus, ut ejus beneficio unicam filiam & ex asse hæredem domini de Barcklei in uxorem acceperit: unde Roberti illius posteri, qui summo honore floruerunt Barones de Barclai etiamnum apud Anglos appellantur. Idem unà cum rege Henrico jam indicato, speciosum illud cœnobium sive templum prope Fromi fluentum condidisse memoratur, attestante, quæ ibi vestibulum prætendit, antiquâ inscriptione, quæ & Robertum hunc Hardingi filium regio Danorum sanguine natum subindicat. Ità enim habet, Camdeno teste:

REX HENRICUS II ET DOMINUS ROBERTUS F. HARDINGI FILII REGIS DANIAE HUIUS MONASTERII FUNDATORES.

Reges hoc tempore, qui Suenoni Esthritio fuère synchroni, reperio inter Suecos *Iacobum*, ità dictum cum ex fonte baptismatis susciperetur, antea *Amundum* appellatum, ut memorat accuratè Adamus Bremensis, quamvis parum id animadversum Sueonum annalibus. Eo regnante ad annum usque MLI latè se apud Sueones effudit Christiana pietas, adeò ut *Christianissimi* elogio eum afficiat idem Bremensis; Qui & successisse mox ei *Edmundum* notat, fratrem consanguineum, virum malum, & à fide Christianâ alienum: atque inde, eo extincto, ad sceptrum vicissim promotum *Stenchillum*, Christianæ religioni faventem, Apud Norvagos autem, initio rerum ejusdem Suenonis, *Haraldus Haarderode* imperitavit, vir, ut patuit ex antecedentibus, animo inquieto & sævo. Idem cum ageret apud Imperatorem Orientis Bizantij, cujus jam modò meminimus, quæ tum ejus fortuna fuerit, cum antea referre occasio non daret, & alia omnia sint, quæ memoret Chronicon illud Norvagiæ vernaculum, nobis non semel superius citatum, ab ijs quæ Saxo habet, operæpretium existimo, rem hoc loco paucis attigisse. Saxonis enim narratio memorabilis dicam an mirabilis est, certè fabulæ quàm veritati propior videtur, ipsaque sic verba habent: Hoc loci splendida Haraldi memoria tempestivam sui exhibet mentionem. Qui cum fratre (S. Olao) cassus, salutem suam intra patriam tueri non posset, fugam Byzantio credidit. A cujus rege homicidij crimine damnatus, domestico draconi lacerandus objectari præcipitur. Nihil enim ejus morsu ad necandos reos valentius ducebatur. Cui in carcerem eunti ingenuæ fidei servus ultro sese damnationis comitem obtulit. Exuit vernam ut socium ageret, mortemque excipere quàm domino deesse maluit.

SUENO Rex. A. C.

,, luit. Utrumque is qui custodiæ præerat curiosius observatum, per os antri inermem ex-
,, cussumque demisit. Itaque nudato ministro, Haraldum verecundiæ gratia linteo tan-
,, tum discinctum excepit. A quo clam armillâ donatus, pisciculis pavimentum instravit,
,, ut haberet draco in quo primæ famis procursum effunderet, reorumq́, carcerabilibus te-
,, nebris obfusi oculi vel parvulam perspiciendi copiam ipso squamarum nitore capesse-
,, rent. Tunc Haraldus lecta cadaverum ossa angustijs telæ consertioris implicuit, his-
,, demq́; in unum globum coactis veluti clavam effecit. Cumq́; allapsus draco in objectam
,, perquam avidè prædam irrueret, dorsum ejus veloci saltu conscendens, cultellum ton-
,, sorium, quem secum forte tectum attulerat, umbilico qui solus ferro patebat, immersit.
,, Hunc cultellum Valdemarus rex res gestas cognoscendi ac referendi cupidissimus, rubi-
,, gine exesum, vixq́; secandi sufficientem ministerio, familiaribus sæpe monstrabat. Sed
,, neq́; Haraldus ob sessionis eminentiam ingenti belluæ ore corripi, dentiumve acumine
,, noceri, aut caudæ voluminibus elidi poterat. Minister verò compacto gestamine usus,
,, converberatum belluæ caput ad sanguinem & necem usq́; crebris ictum ponderibus con-
,, tundebat. Quo cognito rex, ultione in animi rationem versâ, fortitudini supplicium remi-
,, sit. Nec pœnam remisisse contentus, addidit charitatem Navigio enim stipendioq́; do-
,, natos abire permisit. Hæc Saxo noster. At Chronicon, de quo dixi, Norvagiæ, Haraldum inquit, relictâ Norvagiâ, primò Moschos adijsse, atq́; ibi aliquandiu in aulâ & bellis apud Iarislaū strenuam operam navasse: ac mox in Græciā profectum, cui tum Zoe regina unà cum Michaele Calaphate præerat, ibi cum præside militiæ Georgio, cognomentò Maniace, Reginæ consanguineo, contractâ Constantinopoli amicitiâ, navalibus præfectum copijs, uniceq́; præ ceteris à milite suspectum amatumq́;, adeò ut ipsi seorsim classis commissa sit: eâq́; deinde Siciliæ Africæq́; oras advectum plurimas suæ potestatis arces opidaq́; fecisse, ac magnā eâ occasione pecuniæ vim sibi parasse: indeq́; Hierosylma digressum, Iordani fluentum visisse; ac multa donaria sacro Christi tumulo intulisse: atq́; ultimò cum inde Byzantium esset reuersus, intellexisse Magnum Sancti Olavi filium, nepotem suum, Daniâ Norvagiâq́; potiri: ideoq́; obsequij fide, quā Imperatori fecerat, renunciatâ de redeundo in patriam cogitasse: Idq́; ubi reginæ innotuisset, eā irâ succensam detulisse eum apud Constantinū Monomachum, qui tum imperabat, quasi partas peregre ingentes opes, aliasq́; Imperatori debita, sibi rapuisset: atq́; ideo mox carceri mancipatū: Sed & alios alias custodiæ causas adferre idē Chronicon ait, quod nimirum Zoæ reginæ neptis fuerit, Maria nomine, quam sibi, invitâ Zoe, connjubio jungere Haraldus voluerit: vel, ut plures referre addit, quod Maria ipsa Haraldi connubiū petierit, sed refugisse eas semper nuptias Haraldum: & hanc esse irarum veram causam: Sicq́; carceri inclusus dum detinetur cum famulis duobus Haldario & Rolffone, narrat porro idem Chronicon, honestā ac opibus præpotentem matronam, Haraldo fidā, curasse turrim, in quā servabatur, scalis conscendi dimittiq́; in eam funem, quâ evaserit; ac mox militibus suis redditum, manu armatâ ingressum Cæsaris palatium, Cæsarem cepisse, captumq́; exoculasse. Hæc Chronicon, adjiciens omnium, qui cum Haraldo Constantinopoli fuère regressi, sermonibus hoc jactatum, licet à Saxone aliter memoretur. Ut vel inde constet diligenter ab authore ejus chronici inspectum Saxonem, quamvis Saxone vix annis sexaginta fuerit posterior, utpote qui annum circiter Christi MCCLX chronicon suum finiat.

Ex eodem hoc Chronico invenio per hæc tempora conditum ab Haraldo Asloense Norvagorum opidum, & idem libenter ac sæpe ab eodem inhabitatum. Bello autem navali quod Saxo bis ab eo superatum Suenonem referat, ex antecedentibus, ubi Norvagicum præcipue chronicum jam memoratum sumus secuti, primò circa Cimbricam chersonesum non tam victum Suenonem, quàm masculè repulsum Haraldum, & victoriā quidem, sed fugæ habuisse simillimam constat. Altero deinde ejusdem adversus Suenonem bello, quod ad littus Hallandiæ ac Scaniæ classibus est gestum, memorabilis est virtus ac fortitudo Aslaci, militum tribuni, cujus cum Absolon pontifex præco exinde fuerit, ut Saxo refert, libet hîc ipsiusmet verba Saxonis, Aslacum quasi coram compellantis, adscribere:
,, Hic nobis Aslace Scialmonis Candidi remex ob immensam bellicæ virtutis glo-
,, riam literarum præconijs inculcandus occurris. Danis siquidem adversum Norvagien-
,, ses maritimo certamine decernentibus, non contentus clarissimam pugnam intra pro-
,, prium edidisse navigium, omnibus corporis tui munimentis præter scutum abjectis,
,, confertissimam hostium ratem insiluisti, quercuque quam in gubernaculi prius colli-
,, gamentum excideras, viribus fretus hostium corpora converberasti, ejusque crebris

& vegetis

Sueno Rex. A. 6

& vegetis ictibus quicquid obvium fuerat obtrivisti, ingentique verberum fragore stupentes præliantium animos à proprijs periculis ad tuæ virtutis spectaculum deflexisti. Quinetiam fortissimos utriusque agminis bellatores, operis tui admiratione suscepti certaminis immemores reddidisti, pugnæque ac periculorum oblitis avidius te intuendi, quàm se ipsos tuendi studium incussisti, ita ut promptissimi quique neglecto discriminis sui negotio, plus te viso stuporis, quàm ex dubiâ salute formidinis caperent. Itaque fortius fuste, quàm ceteri ferro, rem gessisti, cunctaque intolerabili modo comminuens, hinc Danicis, inde Norvagicis oculis incredibilem, nisi spectareris, operam edidisti. Adeo autem sociorum paucitatem hostium multitudini coæquasti, ut disparem viribus pugnam in noctē usq; per belli successus extraheret, numeroq; dissimiles copias fortuna persimiles reddidisti. Postremò cum omnem navis remigem partim fuste, partim fluctibus obruisses, compluribus sed levibus plagis perstrictus, ex tot hostibus admirabilem solus victoriam retulisti. Quæ res veri fidem excederet, si non Absolon autor suis eā relatibus tradidisset.

Porro apud Anglos, ut est superius memoratum, cęsus Haraldus successores habuit Magnum & Olaum filios. Quorum hic, ut dictū, *Kyrre* cognomento Suenonis filiam connubio sibi junxit, annosq; perplures in imperio exegit. Nunc ad Haraldum, qui sceptrū regiū post parentē Suenonem, utpote filiorum natu maximus, proximè suscepit, stilū vertamus.

HARALDUS REX LXVII.

MLXXXIII.

HARALDUS inter fratres natu maximus parenti suo Suenoni sub annum MLXXXIII. vel, ut alijs placet, octavum successor declaratus. Sed annorum utcunq; accipiatur calculus certum aliquandiu integrum fuisse ac disceptasse inter se ac dubios hæsisse regni proceres utrum, Canutum an Haraldum, ad regni clavum essent admoturi. Qui Canutum ætate minorem præferendum judicabant, ejus ut animi corporisque singulares dotes, ità & merita spectabant, quibus ipse sæpenumero patriæ salutem attulisset. Haraldus verò, licet ætate anteiret, illis tamen alijsq; virtutibus, quæ regem ac principem solent commendare, longe relinquebatur. Itaq; eum præficiendum regno existimabant, qui patriæ decus, civibus pacem, militibus gloriam posset parere: eumq; Canutum esse permultis ipsius laboribus ac periculis pro republicâ domi militiæq; exantlantis, sibi constare referebant. E diverso qui Haraldo favebant, etiamsi Canutum corpore & animo præstantiorem non negarent, memores tamen quantis per illum discriminibus, dum sub parente militat, essent impliciti, in Haraldum utpote sedatum & moribus compositum magis inclinabant. Quæ cum non ignoraret Canutus suis vicissim ob oculos ponebat cum summâ tamen verecundiâ, quantos ipse quiescente fratre, jam pridem in purgando piraticis infestationibus mari, quantos etiam pro illustrandâ apud vicinas nationes patriâ sudores & molestias subijsset: nec ista adferre se, ut quicquam in fratre suo carperet: esse illis liberum de rebus judicium, si majorem habeant fratris rationem se non deserturum pro gloria suæ gentis, quæ suarum essent partium, se ad utrumq; paratum & æquo id, quicquid foret, laturum animo. Hæc & ejusmodi cum inter suos dissereret Canutus, potior tamen procerum pars, accedente populi suffragio, Haraldum regem proclamat. Canutus animadvertens populi inclinationem, acceptis aliquot rostratis navibus, primo in Scaniam, atq; inde in Succiam se contulit, postremò bellum, vivente adhuc patre, adversus orientales cæptum, persequi aggressus est. Ait Saxo, solos Scanienses justâ animi inclinatione provectos, Canuti probitate cultâ, Haraldi desidiam respuisse.

Haraldus igitur suscepto regno totum se pacis artibus dedit. Inter cetera maximos meruit vulgi applausus, latâ lege, quâ reis permittebatur ad sui defensionem non ferro candenti, sed jurejurando se tueri. Erat autem vel ideo lex ea populo acceptissima, quod minus periculi formidaret ex perjurio, quàm ex ferro. Quamvis, ut Saxo notat, multis occasio ex eo data pejurando se polluere. Quocirca receptus est postmodum & servatus adhuc ejusdem Saxonis ævo, ferri usus adusq; Valdemari tertij tempora, quo regnante in totum est abrogatus, adnitente præcipue pontifice Eugenio & ejus vice sacramenti religio firmius sancita. Erat tum quoq; usitatissimum manu & duello lites dirimere, quod & veteres ferè olim Germanos factitasse universos authores tradunt, & præter alios, Velleius Paterculus, Varum Quintilium exercitus Romani ducem nominat, qui cum esset ingenio similiter miti, & moribus quietus, putavit in mediâ constitutus Germaniâ armis apud eos decerni solita, posse jure terminari. Unde tandem in summam perductus socordiam

Haraldus Rex. A. C.

sex legionum occidione pœnas ipsis pependit. Has quoque & ejusmodi velitationes congressusque singulares sustulerat jam, aut esse tollendos censuerit Haraldus, modò votis ac legibus ejus prudenter latis seculum respondisset. At leges sine moribus nihil proficere vanæ potuerunt. Saxonem nostrum minus ei æquum fuisse, ejus potius quam meis verbis declarandum. Haraldus verò, inquit, solis sacrorum officijs deditus, latarum à se legum severitate neglectâ, impunitas omnium noxas enervi legum indulgentia prætéribat, omniaque statuti juris munimenta convulsit, ignarus plus Deo sinceram regni administrationem, quam inania superstitionis monumenta placere, severumque justitiæ cultum supervacuâ precum adulatione gratiorem existere: præterea divinum plenius propitiari numen, ubi jura quàm thura promuntur: plus scelerum quàm pectorum contusionem probare, libentius criminum quàm genuum flexus aspicere, nullamque victimam vindicatæ pauperum libertati præferre. Quanquam enim regum majestas rite religioni intendere debeat, aliquanto tamen speciosius interdum tribunalia, quàm aras excolere potest. His omissis rex sola sacrorum charitate conspicuus, iniquissimos actus profusâ animi tolerantia sustinebat, pauciora experimentis prosecutus, quàm promissis complexus fuerat. Noxas non modò, sed etiam licentiâ prosequebatur, tamque inopem juris patriam reddidit, quàm antea promissis divitem fecit. Sed neque à regijs moribus habituque degenerare deforme ducebat. Hactenus Saxo. Quibus si adjungamus, quæ de fratre ejus Canuto sparsim refert, tàm in laudes hujus, quàm ejus vituperium effusus reperietur. Præter cetera, ubi de rege Suenone, parente utriusque dixerat, hæc de Canuto continue subjicit: Veniam nunc ad Canutum Suenonis filium, qui propriæ fortunæ beneficio summis naturæ dotibus cumulatus, magno cum indolis experimento ætatem animo præcucurrit. Quippe, contracta juventute, myoparonum piratica monstra perdomuit, Sembicis atque Esthonicis illustrem trophæis adolescentiam egit, novisque virium gradibus paterni roboris fundamenta transcendit. Quæ victoria futurum ejus dominium ominata est. Pro amplificandâ tuendâque patriâ juges excubias gessit, rerumque quarum ob infirmam ad huc ætatem vix spectator esse potuit, author haberi præsumsit. Quin etiam juvenile corpus continuo usu ad bella impigre conficienda, armaque viriliter sustinenda firmabat, famaque ejus bellicâ vi in tantum claritatis excessit, ut redivivum Magni Canuti spiritum fotrunamque simul cum nominis videretur communione sortitus, adeò ut nullus eum paterni regni successione potiturum ambigeret. Neque enim virtute jam maturus, honori intempestivus videbatur. Sed nec liberalitatis species ejus adolescentiæ defuit, cujus fratrem Haraldum natu majorem obtusi admodum cordis inter juventæ initia perpetuus inertiæ sopor oppressum tenebat. Et statim exinde, ubi de ipso Haraldo verba facere instituit, de utroque hæc habet: Major Danorum pars memor quantis per Canutum adhuc privatæ fortunæ periculis objecta fuerit, graviora si regnum indueret verita, maligna virtutis interpres, quod gloriæ ejus accrescere debuerat, iniquissimâ meritorum æstimatione damnabat, elevatis virtutum præmijs clarissima ejus opera repulsæ turpitudine rependendo. Igitur ut hunc negotiorum metu perosa, ità Haraldum ocij cupiditate complexa, audaciæ hebetudinem prætulit, ignavumque sibi regem maluit imperare quàm fortem. Atque ultimò de obitu & extremis ejusdem Haraldi dicturus, allatis verborum paucissimis, rem in hunc modum absolvit; Regnando biennium emensus Haraldus defungitur.

CANUTUS IV. REX LXVIII.

Sanctus dictus.

Haraldo igitur sine sobole rebus humanis exempto, Canutus ejus frater nullo ferè negotio rex est declaratus, maximè ab ijs, qui priusquam ad regnum pervenisset Haraldus, ei jam tum deferendum idipsum censuerant. Rebus imperij admoto prima illi curarum fuit, religionem Christianam, quæ jam in Daniâ passim efflorescebat, etiam orientalibus communem facere. Quocirca bellum, quod adolescens adversus eos inchoaverat, juvenis lacessijt, jam regno potitus majore quam unquam antea apparatu aggressus est. Itaq; in illos movens Estonum, Curetum, Sembonumq; regna armis undiquaq; concussit, ac tandem, imperato universis vectigali, reditum in patriam maturavit. Ad suos reversus ante omnia de certis sibi nuptijs prospiciendum censuit, patris in eo solutos amores & re

& animo

& animo detestatus. Quapropter Roberti Flandrorum & Hollandiæ Comitis illustrissimam filiam Adelam uxorem accepit, quæ illi, præter duas filias, Carolum progenuit ejus vocabuli primum inter Flandrenses Comitem. Inde haud mediocris illi quotidie labor obortus, quod leges haud quaquam inane nomen, sed eas etiam opere & facto implendas cuperet. Pietati præterea promovendæ quantopere studuerit ostendit non tantum cathedralis apud Roschildenses ædes, tum primum è lignea, qualem Gulielmus reliquerat, facta lateritia, sed aucta quoque sacerdotum & pontificum stipendia, honorque additus, ut interessent etiam consilio regiò episcopi, primusque illis inter proceres perinde ac ducibus locus tribueretur: ac reliquus clerus ut haberet non modò distinctos ordines, verum separatum à civium forensi curiá dicasterium. Sueno Norvagus, cujus ante meminimus, archiepiscopo Gulielmo tum commodum successerat, cujus monumentum ac cineres, ubi jacerentur Roschildiæ novi templi fundamenta, aliò transferendos, etiam ruinâ sacelli curavit. Quin & cœnobium eodem loci Mariæ sacrum, & aliud Ringstadiæ nec non ædem S. Michaëlis Slagosæ è solo & fundamentis excitatam constituit. Eginus similiter Lundensis ecclesiæ ædificationem jam ante cœptam animosè prosecutus, ac fretus præcipuè benignitate ac munificentia Canuti, summam tandem operi manum imposuit. Quin & Canutus, sedente, post Eginum, Richvaldo, ut singularem ergà ecclesias affectum monstraret, constituto ibidem, qui ab Episcopo secundus esset, præposito, adjecit & beneficia, quæ non in ædis tantum illius, sed in usum quoque scholæ bonarumque literarum cederent. Idem decimarum religioni rudem adhuc sacrorum populum assuefacere conatus haud facile dicto audientem habuit. Ruina autem illa sacelli Roschildensis, cujus memini, ea non sine prodigio & ob id accidisse prolixe à Saxone refertur, quod ossa Wilhelmi episcopi, qui inter sanctos exinde est habitus, commovere Sueno & alio transferre haud dubitasset. Sed ea aliaque illa de eodem porro conditorio post annos iterum perplures in locum alium translato, deque pœnâ, quæ authores ejus facti secuta est, à Saxone eodem liberalius commemorata, nos studio quodam & aliò festinantes omisimus, lectores talium avidos ad ipsum Saxonem remittentes. Canutus itaque postquam integrum ferè quinquennium ordinandis domi rebus operam impendisset, annum circiter millesimum octuagesimum quintum, assumtis in clientelam suam, quos plures habuisse suprà indicatum, fratribus, excepto Olao, quem regendis Slesvicensibus imposuerat, majus quiddam animo cœpit volvere. Nec enim contentus initia imperij sui orientalibus illustrasse victorijs etiam Angliam, infelicitate amissam, hæreditario jure repetendam existimavit: Recolebat nimirum bellicam majorum gloriam, cumq; opibus imperij fines, longe ex insulæ unius titulis, quàm ex omnibus Orientis spolijs exstitisse illustriores latiusque propagatos. Itaque occultum mentis ac sensus sui consilium, Olao primum prodit; eoq; hoc ipsum adhortante, idem deinde popularibus aperit. Quorum omnium propensi assensus animum atque impetum indies rei gerendæ regi majorem addiderunt. Accedebat & soceri ejus Roberti Flandriæ Comitis ad eandem expeditionem mira alacritas ac studium, præterquam ipsorum etiam Anglorum, qui in Daniam tædio Normannicæ dominationis profugi quotidianis quasi comitijs ad arma adversus Normannum capessenda Canutum sollicitare non desinebant; dictitantes Angliam ipsius & Danorum regnum esse, nec pati eos debere, illud à novo homine injustè possideri: Esse tyrannum & alieni territorij violentum insessorem Gulielmum: Iamque invisum omnibus de solio quàm facillimè posse deturbari, modò rerum agendarum occasiones non intermitterentur. Quibus alijsque persuasus Canutus belli aleam constituit jacere. Itaque, imperata classe, eam Lymico mari invehi & ibi præstolari mandavit. Fuit enim ab eo sinu brevissimus olim in oceanum transitus; quamvis hodie arenarum mole difficilior minusque navigijs sit pervius. Est autem hic ille ad Anglicum bellum apparatus, quem Polydorus eundem facit cum eâ expeditione, de quâ superius in Rege Suenone est dictum: Cui quidem interfuit etiam Canutus, sed præfuit præsertim Osbernus ejus patruus. Dum igitur exspectatur Olaus, rerum omnium ac consiliorum, ut diximus, particeps, illud ferè Canuto obvenisset, quod solet pro certis incerta appetentibus, ut aliena vestigantes propria amittant; ita & ille, Angliam petens, Daniam sibi à fratre præreptam propemodum vidisset: Nam Olaus etiamsi verbo quidem assensus fuisset, laudassetque regis institututum, sciebat interea quam essent plerique ex proceribus populoque jam longâ pace tabescentibus, iniquo ad arma animo: unde fratrem in eorum vel invidiam vel indignationem deventurum sibi haud vanè pollicebatur.

CANUTUS Rex.

A. C. MLXXXV.

HENRICUS IV. IMP.

Canutus Rex. A. C.

Itaque decessit à fratre quasi rebus instruendis paratissimus, cum ille omnino aliud animo volvens, cuncta pararet subvertere. Iamque diem conventus & locum rex præfinierat, quo parata classis, adhibente operam vento, celeri & uno veluti cursu Angliæ littoribus inferretur. Et aderant undique ex varijs regni partibus terrestres navalesque collectæ copiæ, solus, qui ijs cum fratre præesset, requirebatur Olaus. Isque identidem monitus, seque venturum etiam pollicitus cum tamen haud quaquam præsto adesset, ipse ad eum digressus rex, quietum & omnium rerum securum Slesvici reperit. Moxque causâ ventilatâ, indignatus hanc sive tergiversationem sive perfidiam fratris, innecti eum compedibus jubet. Et licet refugeret ac detrectaret imperium miles, regium in Olao sanguinem reveritus, communis tamen frater Ericus, perjuros accusans omnes, sed maxime Olaum fratrem, vinctum eum regi stitit. Qui deinde in Flandriam socero suo Roberto carcerali septo custodiendum transmisit. Interim conjurati, qui apud classem remanserant, dolum struunt, sparso clanculum rumore, quasi diutina exspectatione ac longâ regis morâ commeatus deficeret: Ideoque consultius judicasse se, si quisque domos repetens denuo ad regis imperium vocatus adesset. Hujus expeditionis, aut potius ad Angliam invadendam apparatus, qui meminerunt, quos vidi, recentiores, navium mille classem fuisse collectam referunt, & integrum circiter biennium in ejus apparatu consumptum, sed ventis in adversum perpetuò spirantibus, regem divino nutu, quem sibi obluctantem quasi experiretur, commotum dimisisse navales militemque; Verum intellecto exinde infortunium id sibi sagarum malitiâ objectum, novam classem navium circiter bis millium instruxisse; & eam à Gulielmo Normanno, tum rege Anglorum, ità exceptam ut facile receptui cecinerit. Ita illi. Sed cum multitudinis navium, nec temporis in apparandâ classe, uti nec ventorum adversantium, sed perfidiæ tantum Olai fratris mentionem Saxo & eum secutus Crantzius faciant, etiam illud, quod de sagis additur, ut & classe resumptâ, esse erroneum verisimile sit, ortum fortasse ex Polydori historia, qui classem etiam hanc cum classe aliâ confudit, ut & modò memini. Rex solutum haud multò post exercitum intelligens, nec satis adhuc gnarus ex compacto magnates agere, occasionem ex re natâ sumpsit, mulctæ ac supplicij loco, quod optimo jure omnes meruerant, decimarum solutionem exigere. Igitur ex commodo advocatâ concione docuit, quanta gloria majores sui victricia signa circumtulissent, solâ militum alacritate freti; quàmque unâ illâ re incredibilia memoratu peregissent, diuque res Danica disciplinâ militari incolumis perstitisset. Et nunc eâ contemptâ tantam sibi irrogatam contumeliam, quanta nulli antea regum. Et ea licet oratio haud parum permovisset militares animos, populus nihilominus ad decimas Ecclesiæ persolvendas seque perpetuæ, ut judicabat, involvendum servituti neutiquam adduci potuit. Quocirca mulcta militaris imperata. Cujus collectioni qui fuerunt propositi, omni diligentiâ id agebant, ut conjuratio paucorum ad plures permanaret. Et facile serpit offensa, ubi æris præsertim exactio animos exasperat. Primum itaque regis amici, rem, ut erat, in quæstores derivabant; Sed hi cum nihil moderatè agerent, versa est in regem indignatio. Eamque adjuvantibus ex occulto conjuratis, crevit tumultus. Quod ubi persensit Canutus sibi consulere studuit, profectione Slesvicum institutâ. Atque ibi conjugem Reginam cum filio commorantem allocutus, si res sinistrè cederent, in patriam ut pergeret, commonuit. Inde Vandali Cimbriæ (nunc Iutiæ dictæ) aquilonaris populus regi secedenti quasi victores insultare cœperunt, palam dictitantes non nisi armis redimendam libertatem. Rex, motis Iutis, etiam vetera auxilia deficere aut vacillare animadvertens, quo tutior foret, in proximam Balthici maris insulam Fioniam concessit. Sed semel concitus populus quiescere vix potuit. Inter cæteros memorabilis est Blacconis perfidia. Qui cum regi salutaria videretur suadere, contraria ad populum detulit, pellacis ingenij fuco & populum simul & regem frustratus. Itaque rex Othoniæ sedens, dum precibus vacando pietatis officia exequitur, in æde D. Albani cum fratre Benedicto à plebe consternatâ trucidatur. Ericus cum opitulari non posset, per medios hostes dextrâ lævaque irruentes cædens, vix salvus evasit. At Blacco ex hoste occulto manifestus jam ductor effectus, in ipso, per quem irruperat, aditu occisus, meritas utrimq; & parricidij & perfidiæ pœnas dedit.

Regina his tristibus perculsa cum filio Carolo tum adhuc impubere in patriam est profecta, filiarum utramque in Daniâ relinquens. Quarum prior, Ingertha nomine, Sueorum nobilissimo Folchoni connubio sociata. Unde Folchungorum exinde enatam prosapiam Sueticis annalibus est traditum. Saxo Benedictum & Canutum ex ijs progenitos indicat;

indicat; & alteram, Cæciliam dictam, Erico Gothorum præfecto denuptam, Canutum cum Carolo procreasse. Addit præterea Ingerthæ postmodum ex nuptijs filiorum præter cæteros Birgerum, Sueciæ ducem, obvenisse nepotem. Et Flandriæ similiter Chronica Arnulphum Danum nominant ex sorore Caroli natum: Cui jure post Carolum avunculum Flandria debebatur, nisi obstitisset Galliarum rex, ut infra dicetur, unà cum Wilhelmo Normanno, qui in conjugem acceperat reginæ Galliarum sororem, Iohannam. In ijs, quæ ante annos plusquam quadringentos & octuaginta de rebus & martyrio Sanctissimi hujus regis Elnothus Anglus posterorum memoriæ reliquit, proditor ejus non Blacco, sed Pibo nominatur: Quod fortasse cognomen fuerit. Nam inter ceteros, qui eâdem tum præter Benedictum strage perierunt, etiam Blacconis nomen occurrit. Memorantur enim Blacco, Sueno, Ebbo, Trudo, Thago, Bernardus, Gotmerus, Sunia, Eschildus, Paluus, Rhodulphus, Vilgriphus, alijque nonnulli. Corpus depositum in eâ ipsa, quâ obtruncatum diximus, S. Albani æde, quam ille ante octennium, allatis ex Angliâ ejusdem Divi ossibus atque ibidem conditis, exstrui curarat. Tradit præterea idem Elnothus ejus postea funus translatum in templum aliud, idque de nomine ipsius S. Canuti appellatum. Sunt etiam qui à loco sepulturæ Canutum Othoniensem vocant. Præfuit regno circiter septennium, defunctus cum annus ageretur millesimus octuagesimus septimus, ut habet Vigorniensis. Elnothus integrum pœne triennium adjicit, & anno demum nonagesimo excessisse videtur innuere. Cujus calculo etiam Saxonem subscribere, ex ijs, quæ de Olao ejusdem fratre ac successore tradit, potest intelligi. Vult enim duo circiter lustra, tot nimirum quot Canutus imperaverat annos, regnasse, de quo dicemus, Olaum.

CANUTUS Rex.

MLXXXVII.

MXC.

Othoniæ cum anno MDLXXXII die XXII Ianuarij Chorus, ut vocant, ecclesiæ D. Canuti instauraretur, reperta est tumba cuprea, auro obducta gemmisque, atque alijs ornamentis pretiosis affabre elaborata, in quâ reconditum fuit Canuti regis ac martyris sceleton cum ejusmodi epitaphio:

Iàm cœlo tutus summo cum rege Canutus
Martyr in auratâ rex, atque reconditur arca:
Et pro justitiæ factis, occisus iniquè;
Vt Christum vitâ, sic morte fatetur in ipsâ:
Traditur à proprio, sicut Deus ipse, ministro,
Et patiens potum, telorum pertulit ictum,
Lancea necne latus, ut Christi perforat ejus.
Ejus & ante sacram sanguis sacer effluit aram:
Spiritibusque sacris moriens sociatur in astris.

Legitur & illud:

Anno incarnationis Dominicæ MLXXXVI in civitate Othensiâ gloriosus rex protomartyr Danorum Canutus pro Zelo Christianæ religionis & justitiæ operibus ut Christus, à proprio convivâ Blacone traditus, in Basilica S. Albani Martyris, per eum paulo ante ex Anglia in Daniam transvecti, post confessionem delictorum sacramento munitus Dominici corporis, ante aram manibus solo tenus expansis in modum crucis latere lanceatus VII idus Iunij VI feria, Mortem pro Christo passus requievit in ipso.

Meminit etiam Canuti Martyris in Martyrologio suo Molanus, refertq; passionis ejus diem ad X Iulij, anni MLXXX, typographi aut scribarũ incuriâ integrum, ad minimum, sexennium minus, quam res est, ponens. Saxo de eo ac cæde ipsius quod habet epiphonema, populi nõ modò sed & ejus de ipso judiciũ complectens, libet colophonis hîc loco verbis ipsius subjicere: Populus, perempto rege exultans, quod scelus deflere debuerat, insultatione prosequi voluptatis loco ducebat. Qui cum pietatem parricidio prętexeret, idq; tyrannicidij nomine coloraret, militem suum Deus mercede fraudari non passus, arcanam sanctissimi viri innocentiam manifestis publicavit indicijs, eximioq; vitæ ejus splendore etiam clara mortis ornamenta concessit. Quorum plebs admiratione perculsa virtutis invidiam egit, conspicuamque signorum experientiam diu nequicquam infuscare tentavit. Quanquam enim damnatos à se mores cœlesti judicio comprobatos videret, ad dissimulandam tamen occultandamque miraculorum fidem justam cædis causam fingebat, firmamque facti tuitionem retinens, sententiæ suæ perseverantissima propugnatrix

Olaus Rex. A. C.

existere non erubuit. Nec vitâ regem spoliasse contenta, etiam fati laudibus exuere conabatur, cujus lucem extinxerat, famam quoque sepelire connisa. Cumque obtrectantium livor, crebescentibus signis, virtuti cedere cogeretur, nec fidem ulterius frustrari quivisset, in facti tamen defensione persistens sanctitati quidem assensit, sed eam non tam ex præteritæ vitæ meritis quàm ultimi temporis pœnitentiâ astruxit. Siquidem dignè regem perisse, sed pium lachrimis evasisse dicebat, ipsum avaritiæ quàm religioni propiorem existimans. Verum sacra ejus exiguo Othoniæ opidulo orta toto penè terrarum orbe fulserunt, cultusque ipsius primùm à civibus exceptus, paulatim in commune prorepsit. Cujus tam vitæ quàm miraculorum virtutem privatim Othoniensibus venerandam, publica exinde religio consecravit. Sed & cœlestem ejus spiritum ad hoc usque tempus felix signorum fortuna prosequitur. Hinc est quod Canutus divini jam animi immortalitate potitus, ut terrestribus patriam patrocinijs attollere studuit, ità cœlestibus protegere non desistit. Ideoque sanctitas ejus gloriæ & celebritatis fructu opulentissima, splendidum in fastis locum obtinet. Quin etiam salutares actus suos quotidianis administrat indicijs, malitiamque patriæ, beneficijs pensat. Nam virtutum ejus insignibus omnis ætas Danica glorabitur. Talibus illustrationis radijs sanctorum fatis claritas erogatur, cum cœlesti beneficio mortalium livor opponitur.

OLAUS REX LXIX.

CANUTO eum in modum, ut supra est memoratum, è vivis sublato, omnem movebunt lapidem ejus adversarij ut è custodiâ Flandrensi liberatus Olaus sibi ac patriæ restitueretur. Nam cum ipsi tanto studio, tantoque discrimine regnum quæsivissent, eodem vicissim propitio ac favente usuros se, ubi ad regnum mox esset vocatus, neutiquam ambigebant. Neq; fratri ejus Erico, quod is Canuti partes ac patrocinium suscepisset, eum honorem ullatenus deferendum existimarunt. Itaque pactâ pecuniâ, fratrem Nicolaum, qui postmodum quoque ad imperium promotus fuit, vadem pro ejus redemptione in Flandriam tum misère; receptoque Olao, regium ei diadema confestim imponunt. Quo facto, haud exiguum sanè fraterni affectus specimen Nicolaus edidit, dum sibi fraternas induens catenas regnum germano emere suis quasi vinculis haudquaquam dubitavit. Quamvis sint, qui præter Nicolaum obsides insuper datos referant, ex Danicâ nobilitate Suenonem Trunsonium & Estrithium: quorum ille archiepiscopi Lundensis Atzeri, qui Richvaldo successit, parens fuerit. Ericus, his acceptis, memor vinculorum, quæ mandante Canuto, injecerat Olao, cum conjuge Botilda ceterâque familiâ in Sueciam se recepit. Sed Olaus dum regnum duobus circiter lustris tenet, totidem nimirum, quot Canutus imperaverat annis, tanta non modo annonæ per regnum universum caritas fuit, sed ea etiam infelix aëris temperies, ut nec imbrem æstus leniret, nec æstus imbris illuviem tolleret. Si quid sol æstivo cœlo vix ægre produxisset, id autumnalis tempestas oppressit. Adeò ut subsecuta continuò sit tam insueta frugum penuria, quæ egenos inediâ passim necavit, locupletes verò ad egestatem perduxerit. Ipse rex, ut militi, qui regni ingressus aliaque opportuna loca præsidio tenebat, commeatum victumque sufficeret, latifundia sua distrahere necessum habuit. Hanc tam evidentem cœli solique calamitatem, alijs fruge abundantibus, Danis seorsim infestam, in noxam paricidarum & innocentiam trucidati regis, inflictam multi judicabant. Et Sueno Roschildiensium antistes, summâ ut authoritate ita quoque eloquio præditus, nec minori apud populum gratiâ & favore valens, eam cladem ingratis & erga regem pientissimum perfidis imminere haud semel præmonuerat. Is autem eodem hoc tempore, postquam sacris ædibus aut instaurandis aut è fundamento excitandis, magnam domi operam impendisset, majoremque adhuc impensurus videbatur, peregrè ad loca sacra & præsertim Hierosolymam visendam profectus, in ipsa Rhodo vivendi finem habuit. ut cujus pietatem scilicet admirata fuerat Græcia, ejus quoque cineres Rhodos servaret. Cui exinde communibus suffragijs in episcopatu successit Petrus cognomento Bodeldus. Nec episcopi tantum Suenonis animum eo tempore is fervor, Hierosolymam petendi, invaserat, sed & alij Danicæ gentis, ut refert ad annum MXCVII Albertus Stadensis, studio recuperandæ à Turcis ac Saracenis terræ sanctæ in Palæstinam profecti, ibi sub signis Lotharingiæ Ducis Godefredi, quem Imp. Henricus IV sacræ illi militiæ præfecerat, stipendia fecerunt. Occupata tum temporis difficili certamine Nicea, atque inde, biennio post, Asiâ longè latèque

latèque victorijs peragratâ, Godefredus tandem Hierosolymæ Rex declaratus est. Domi verò Olaus continuâ rei familiaris penuriâ pressus, cùm duo circiter, ut indicavimus, lustra regnando complevisset, nihil regio imperio, quantum quidem reperio, pace aut bello magnopere dignum exequutus; nisi quod paulò postquam Deum Opt. Max. summis fuisset votis deprecatus, ut, si quid adversus populum suum iræ concepisset id suo, non ejus capiti, accideret, vitâ functus sit, annum circiter millesimum nonagesimum sextum, ut ita eâ supplicatione sibi quidem vivendi finem, at patriæ hoc ipso, redeunte paulatim annonę ubertate, salutem ac prosperitatem acceleraverit. Vernaculi quidem annales, sive Rhytmi potius, ex decennali populi inedia Olaum cognomento *Hunger* appellatum volunt. Saxo tamen nihil ejus meminit. Tantum ait famelicum & inediâ laborantem à finitimis contemptum, aut præteritum, nec ullo quamdiu regnavit bello magnopere lacessitum. Alij ab ætate, non fame, cognomen mutuantes, Olaum *Vnge*, id est, juniorem appellant. Verum cognominis prioris ratio plus habere videtur verisimilitudinis, quod soleat plerumque infelicitas contemptibiles facere: Et Burgundiones quoque olim, ut notat Ammianus Marcellinus, reges suos exilio multabant, si aut belli fortuna titubasset, aut segetum copiam negasset terra. Olao adhuc imperante obijt Richvaldus Lundensium Episcopus; cujus in locum Atzerus, quem mòdo nominavi, vir genere ac pietate perillustris, proximè successit. Surrogatus tum quoque apud Roschildenses Suenoni alius, Bodeldus, ut diximus, cognomine. Conjugem Olao fuisse Ingertham, Haraldi Haarderodi Norvagiæ regis filiam, meminit, quod est in manibus vernaculum Norvagiæ Chronicon. Reusnerus verò quod filias illi tribuat Slavinam, & Giselam Ortulpho Electori Saxoniæ nuptam, in eo, quod ad Giselam, toto cœlo aberrare eum constat, cum Gisela Olai non Dani, sed Norvagi, qui sanctus est dictus, eodem Chronicio Norvagico testante, filia fuerit.

OLAUS Rex. A. G. MXCVI.

ERICUS REX LXX.

BONUS *Eiegod* dictus.

OLAO defuncto Ericum fratrem, qui ut supra memoratum, metu Olai in Sueciam secesserat, omnium acclamationes ac vota regem pronunciant. Sub ejus imperio, cum ipsemet multis esset heroicis virtutibus præditus, cuncta quasi reflorescere cœperunt. Et ipsi easdem ob dotes, tum morum tractabilitatem, Boni cognomen est inditum. Tantam autem, regnante eo, rerum omnium affluxisse ubertatem domesticorum scriptorum testimonio est traditum, ut singuli cujusque annonæ modij singulis denarijs venirent. Erat præterea eâ corporis spectatâ proceritate, ut vertices ceterorum humeris suis facile excederet. Vocis quoque ea vi ac perspicuitate, eâque in dicendo sonorâ facundiâ pollebat, ut non ab astantibus solum, sed procul etiam positis liquido exaudiretur. Quibus accedebat singularis ad conciliandam sibi uniuscujusque benevolentiam gratia ac comitas. Nec unquam è procerum aut popularium cætu solitus erat discedere, nisi salutatis singulis, & ut suos quoque nomine suo domi salutarent, benignè commonitis. Quæ tamen omnia obfuscabat haud parum, quod uxorem insigni formâ ac pudicitiâ Botildam nactus, aliò nihilominus amores transferret. Nam cum tres ei essent filij, Haraldus, Canutus & Ericus, & plures etiam filiæ, unus tantum Canutus legitimo thoro, Ericus etiam adulterio, cæteri è concubinatu suscepti sunt. Ejus temporibus cum jam nimium excrevisset per Olai socordiam Vandalorum insolentia; adeò ut impune per mare piratica vulgo exerceretur, decretum in eos, & præsertim Iulinenses classem mittere. Quæ ubi parata fuit, rectâ Iulinum, quod caput erat gentis, profecta, illud obsidione arctissimâ cinxit. Et licet omnia in adversum obsessi agerent, eò tandem res deductâ, ut deditis, qui eo profugerant, noxijs singulisque juxta delicti cujusque modum punitis, ac denique Iulinensibus tributo imposito, signum receptui sit datum. Novis tum cruciatibus animadversum præsertim in patriæ proscriptos, quorum nonnullis palo alligatis viscera exsecta, alijs alio sævitiæ genere nex illata. Archiepiscopus Bremensis (Liemarus is fuit) cui tum omnes Ecclesiæ Aquilonares parebant, his alijsque occasionibus concitatus regem anathemate ferire constituit. Quod animadvertens Ericus appellatione sententiam præcucurrit, Romamque solemni comitatu digressus ipse coram Maximo pontifice ita causam egit, ut archiepiscopi accusatione liquidissimis rationibus confutatâ domum actore

ERICUS Rex. A. C. actore superior redierit. Nec eo contentus, iterato deinde Romam profectus id apud pontificem obtinuit, ut ecclesiæ Danicę Saxonico jugo liberatæ propriũ archiepiscopum acciperent, cui sedes in ecclesiâ Scandinaviæ Lundensi attribueretur. Affirmabat enim, quod res erat, commodius edoceri populum per suæ gentis homines, qui linguam, mores, ingenia cujusque nossent, quam per alienigenas & longè dissitos, quibus ad declarandum animi sensa aut opus esset interprete, aut epistolis internuncijs, quæ moram aut temporis longioris usuram requirerent.

MXCVIII. Eadem circiter tempestate apud Norvagos rex Magnus, Olai filius, insulas Scotiæ, quas Orcadas vocant, per vim ingressus, occiso Comite Hugone, Norvagiæ regno adjecit. Imperitabat tum Scotis Donaldus, qui cum ad tantam contumeliam parum commoveretur, fraudem subesse Scoti existimantes eum suspectare cæperunt. Et accensa tandem multo vehementius est publica omnium indignatio, postquam in vulgus prolatæ sunt secretæ ejus cum Norvago pactiones. MC. Inde sub annum millesimum centesimum comitijs Congellæ indictis eò, præter Magnum Norvagiæ regem; concessère Ericus Daniæ & Ingo Suecorum rex. Conventumque ut quisque regnum suum, prout illud à majoribus possessum accepisset, ita deinceps retineret, & damna singulis illata singuli ex æquo rependerent, ac tandem ut rex Magnus, *Barfoed* dictus, in conjugem acciperet filiam Ingonis Margaretam. Barfoed autem, sive nudipes ideo appellatus Magnus, quod arma, ut Saxo notat, in Hallandenses movens ac inopinatâ eorum irruptione perculsus pedibus nudus ad classem profugeret. Norvagiæ Chronicion, quod pedibus incedere nudis delectaretur, cognominis id adeptum memorat. Et addit idem Chronicon, Magnum deinde rebus cum Dano & Sueco amice, ut memoratum, compositis, classe comparatâ ad Orcades profectum, ijsque in potestatem redactis Hiberniam petijsse ac juris sui fecisse insulę metropolim Dufflinum, omnesque, quæ erant in proximo, ditiones: Ac mox, hieme ibi transactâ, cum remeare ad Norvagos ac sibi de commeatu prospicere pararet, ex improviso ab irruentibus in se ac suos Hibernis oppressum occubuisse. Ut ità ea, quæ ante sunt memorata de ejus in Orcadas expeditione, non ante sed post pacificationem istam accipienda. Et ita non modo Norvagiæ, quod dixi, Chronicon vernaculum, sed & Manniæ vetus Memoriale, quod primus evulgavit V. Cl. Gul. Camdenus, à monachis, ut existimat, Monasterij Russinensis, quod in eâ insulâ præcipuum fuit, Latine conscriptum, præter cetera, refert, occasionem adjiciens, cur è Norvagia sit profectus Magnus insulasque illas ac demum Hiberniam invaserit. Cujus chronologi verba ipsa cum ob hoc tum alia, quæ interseruntur, ponenda verbotenus putavi, ità enim habent:

,, Eodem anno MXCVIII Magnus Rex Norvegiæ, filius Olavi filij Haraldi Harfagre, vo-
,, lens explorare incorruptionem S. Olavi Regis & Martyris, præcepit ut ejus Mausoleum
,, aperiretur. Episcopo autem & clero resistente, ipse Rex audacter accessit, & vi regiâ a-
,, periri scrinium fecit. Cumque & oculis vidisset, & manibus attrectasset incorruptum
,, corpus, subitò timor magnus irruit in eum, & cum magnâ festinatione discessit. Sequen-
,, te nocte, Olavus Rex & Martyr ei per visum apparuit, dicens: Elige tu, inquam, unum è
,, duobus, vel vitam cum regno intra triginta dies amittere, vel à Norwegiâ discedere &
,, eam amplius nunquam videre: Expergefactus rex à somno, vocavit ad se principes &
,, majores natu & exposuit eis visionem: Illi autem conterriti hoc consilium dederunt ei,
,, ut cum omni festinatione de Norwegiâ exiret. Ille sine morâ coadunari fecit classem
,, centum sexaginta navium, & ad Orcadas insulas transfretat, quas sibi statim subjugavit, &
,, transitum faciens per universas insulas, easque sibi subjiciens, pervenit usque ad Man-
,, niam: Cumq; applicuisset ad insulam S. Patricij, venit videre locum pugnæ quam Man-
,, nenses paulo ante inter se commiserant. Videns autem insulam pulcherrimam, placuit in
,, oculis ejus, eamque sibi in habitationem elegit, munitiones in eâ construxit, quę usque ho-
,, die ex ejus nominę nuncupantur. Galwedienses ità constrinxit, ut cogeret eos materias
,, lignorum cædere, & ad littus portare, ad munitiones construendas. Ad Moniam insulam
,, Walliæ navigavit, & duos Hugones Comites invenit in eâ, unum occidit, alterum fuga-
,, vit, & insulam subjugavit. Wallenses verò multa munera ei præbuerunt, & valedicens
,, eis ad Manniam rêmeavit. Murecardo Regi Hiberniæ misit calciamenta sua, præcipiens
,, ei, ut ea super humeros suos in die natalis domini per medium domus suæ portaret, in
,, conspectu nunciorum suorum, ut inde intelligeret se subjectum esse Magno regi. Quod
,, audientes Hibernienses ægre ferebant, & indignati sunt nimis. Sed Rex saniori consilio
,, usus, non solum, inquit, calciamenta ejus portare, verumque manducare mallem, quam

Magnus

ERICUS Rex. A. C.

Magnus Rex unam provinciam in Hibernia destrueret. Itaque complevit præceptum & nuncios honoravit. Multa quoq; munera per eos Magno Regi transmisit, & fœdus composuit. Nuncij verò redeuntes ad dominum suum, narraverunt ei de situ Hiberniæ, & amœnitate, de frugum fertilitate & aeris salubritate. Magnus verò hæc audiens, nihil cogitabat quàm totam Hiberniam sibi subjugare. Itaq; præcepit classem congregare. Ipse verò cum sedecim navibus procedens, explorare volens terram, cum incaute à navibus discessisset, subito ab Hiberniensibus circumvallatus interijt cum omnibus fere qui secum erant. Sepultus est autem juxta ecclesiam S. Patricij in Duno. Regnavit sex annis. Quo mortuo, principes insularum accersiverunt Olavum filium Godredi Crovam, qui degebat in Curia Henrici Regis Angliæ filij Gulielmi.

Circa hæc eadem tempora admirabilis fervor principum Christianorum animos invasit Hierosolymæ universæque terræ sanctæ à Turcis recuperandæ. Consentitque infinita multitudo hominum omnis generis, qui nomina in hanc militiam volentes, ac multis invitati stipendijs, dederant. Præter pontificem Urbanum, qui multam ei rei operam navabat, eminebat inter principes præcipue Godefredus Bulionæus Lotharingiæ dux, cui ab imperatore supremi ac splendidissimi exercitus imperiũ permissum est, Hugone Philippi Francorum regis fratre, Roberto Flandriæ, & altero ejusdem nominis Normanniæ duce, alijsque magnæ potentiæ principibus, eadem castra sequentibus. Aderant & alij non tantum ex Germaniâ & Galliâ, sed Dani quoque & Norvagi, viri militares incredibili multitudine, quos pietas & gloria stimulabat. Nec terrâ tantum sed classibus quoque Galliâ Hispaniâque circumnavigatâ, per Herculis fretum, mare mediterraneum, contemptis ac superatis omnibus difficultatibus, in Palæstinam festinatum. Inter eos præcipue Sivardi, Magni Norvagorum regis filius, cum fratre Olao, domi ad regni clavum relicto fratre altero Osteno, majore numero quàm quisquam vicinorum regum, ac studio ferventiore sacram hanc militiam secutus est. Navibus enim sexaginta ex Norvagiâ solvens atque omnium primò in Angliam appellens apud Regem Henricum in hibernis aliquandiu constitit. MCIV. Inde vere adventante, Galliâ ad lævam relictâ ad littora Galliciæ cum classe pervenit; atque ibi icto cum præside loci fœdere, hiemem pacate transegit: Mox Hispanias petens, plurimasque gentilium triremes obviam habens, octo earum cepit, reliquas profligavit. In terram descendens propugnaculum, quod Sintram vocant, à Saracenis occupatum obsidione cinxit; ac mox suam in potestatem ubi idem redegisset, multas, qui Christo dare nomen renuebant, ferro sustulit. Metropolim quoque Lusitaniæ Olyssiponem, totumque illum occiduum tractum, quem hinc inde Saraceni aliæque à Christo aversę gentes tenebant, armis aggressus, ac multis commissis pręlijs, latè circumquaque stragem dedit. Indèque Herculeum ingressus fretum, Insulasque Baleares aliaque Tirrheni maris loca, haud sine clade prætervectus maximis cum spolijs in Siciliam delatus est. E Siciliâ rectâ Hierosolymam, transmisso Ægæo mari, perrexit. Hîc à rege Balduino, qui tum commodum Godefredo fratri successerat, multis pretiosissimis donarijs sanctorumque, quæ vel maximi id temporis fiebant, reliquijs, accedente præsertim patriarchæ liberalitate honoratus sese exinde Byzantium recepit. Imperator eum adventare intelligens patefactis portis ac purpurâ, per quam incederet, stratâ, magno eum cum honore intra urbem admisit. Admissum magnificè excepit, ac regium in morem muneratus omnia humanitatis officia prolixe exhibuit. Cumque redire jam domum, idque terrâ constituisset, ac Cæsari idcirco universam classem cum milite omnibusque ornamentis dono relinqueret, exceptis, qui se sponte in Cæsaris famulitium tradidissent, ei vicissim equos & esseda aliaque ad iter terrestre necessaria, tum loca & lautia, quacunque iter ageret, dari imperator mandavit. Cæterum ut classe Sivardus, ita Ericus rex terrâ eodem profectus in Cypro insulâ, sub annum millesimum centesimum quintum è vivis excessit. MCV. De eâ expeditione, cum de superiori Norvagorum sileat, ità Saxo loquitur, quasi solâ delictorum expiatione motus Ericus iter illud instituerit. Ait enim eum, postquam à cithahredo quodam hominum affectus, prout vellet, inflectere docto, eò esset perductus dementiæ, ut quatuor ex satellitibus, qui ejus comprehendendi gratiâ accesserant, manu suâ contrivisset, mox mentis compotem non tantum militiæ justa persolvisse, verum insuper, ut lege severiori pœnitentiam demonstraret, noxæ redimendæ causâ religiosam hanc peregrinationem esse amplexum: ac socios sibi itineris selegisse, qui essent procerissimi, ac corporis eâ dignitate, quę ad suam proximè accederet; Haraldumque, qui erat inter filios ętate maximus, regis partibus perfunctiorie donasse; Scialamoni verò Vido

ERICUS Rex. A. C. Vido (Candidum Saxo vocat) cui non modò totius Sialandiæ, sed etiam Rugiæ vectigalis à se factæ, procurationem detulerat, Canutum educandum commendasse; atq; alijs minorum gentium tutoribus Ericum loco obscuriore natum, reliquisse; Botildam quoque haud impigram ad consectanda mariti studia peregrinationis se sociam, licet thoro dividuo, obtulisse: ac mox petitam navigio Russiam, indeque magnâ orientis parte transcursâ, Byzantium venisse, ibique imperatorem Alexium famam ejus ac magnitudinem suspicione insecutum, ac fraudem subesse ratum urbe eum excipere adhæsitasse; Ideoq; extra mœnia hospitij officia liberaliter exhibuisse; sed postmodum intra urbem admissum, spretis, quas largiter imperator offerebat, Græcorum opibus, sacros potissimum defunctorum cineres muneri accepisse: Simulque myoparones aliquot; ijsque in Cyprum trajecisse: atque ibi veluti fatali loco, cùm conjuge extremum efflavisse spiritum, accedente sepulturæ eorum hoc miraculo, ut Cypria tellus, quæ antea humanorum cadaverum fuerat impatiens, Erico & Botildâ ibi funeratis, nec aliorum exinde corpora respuerit. Addit Saxo Ericum patriâ excedentem non tamen patriæ aut ecclesiæ in universum curam ac sollicitudinem abjecisse, sed ordinatis, qui cum filio Haraldo regno præessent, etiam Romam legatos misisse, eosque cum Romano pontifice de archiepiscopatu intra Daniam constituendo, quod jam ante agi fuerat cœptum, ad plenum peregisse: ac missum continuo è curiâ legatum, eumque in Daniam ubi venisset, lustratis regni celeberrimis urbibus, Lundensium civitati ob egregios Atzeri mores, tum quod ad eam è finitimis regionibus terra marique transitus abunde pateret, hunc potissimum supremæ sedis honorem authoritate pontificiâ detulisse.

MCVI. Interea, cum ageretur jam annus millesimus centesimus sextus, surrogatus est in locum paternum per præsules ac principes Germaniæ Imperator Henricus V. Crucho autem Christianorum acerrimus adversarius, (quem occupasse Slavorum principatum, rejectis Buthone & Henrico Godeschalci pientissimi principis filijs, supra memoravimus) cum esset per idem tempus, senectâ propemodum confectus, in eum tamen Henricus cum classe & copijs è Daniâ (quo, ut dictum quoque supra, confugerat) movens, occupatoque Aldenburgo, universam illam Slaviæ maritimam oram ferro & flammis assiduisque direptionibus infestam reddidit. Idque cum repeteretur identidem, perterriti Slavi, præsertim insulani ac littorum accolæ, nec non & ipse Crucho, concessis ad incolendum oportunis locis, pacem cum eo hac mente fecit, ut quem vi & palam armatumq; non posset, occultè & per insidias inermem ac nihil inimici cogitantem oblatâ aliquando occasione opprimeret: Verum uxor Cruchonis Slavina ab Henrico non aliena, eum sæpenumero ut sibi caveret, præmonuit; ac denique seni marito paulatim invisa, nubere Henrico affectavit. Unde instinctu ejusdem Slavinæ invitatur ad epulas Henrici Crucho, ac multò mox potu temulentus ab uno è satellitibus securi percussus capite truncato concidit. Sicque ultione de hoste sumptâ, ducit Slavinam. Atque inde accepto universo Chruconis principatu, sacramentum cognato suo duci Magno dicit. Slavi, qui ortum & austrum versus agebant, intellecto Christianum sibi principem imperitare, tributa & collationes exigentem, arma expediunt. Verum ille inito uno atque altero cum illis certamine ad imperata facienda universos adegit: curavitque, exstirpatis primo latrunculis, ut ad agros colendos quisque rediret. Nordalbingi quoque, qui se ob grassationum insolentias intra munitiones continuerant, veteres suas in sedes ac possessiones missi undique cum privata tum publica, sacraque ædificia, per bella passim diruta instaurare cœperunt. Slavis vero nec ecclesia, nec sacerdos tunc ullus erat, 'nisi ea in urbe, quæ Lubeca vetus dicebatur, eo quod ibi, ut plurimum, cum familiâ omnique comitatu Slaviæ princeps Henricus demorari erat solitus.

Eodem tempore dux Saxoniæ *Luderus*, Imperator postea *Lotharius* dictus, Godefredo Holsatiæ Comite à sicarijs Slavorum perempto, Comitatum eundem illustri viro Adolpho Schouwenburgico possidendum tradidit: paxque tum inter Adolphum & principem Slavorum Henricum, facto utrimque fœdere, firmiter constituta. A discessu verò è patriâ Erici biennium propemodum intercessit, priusquam Dania certum de morte ejus nuncium acciperet. Haraldus igitur, quem, ut memoratum, pater peregre proficiscens regno in omnem eventum præfecerat, cum iniquâ rerum administratione popularium sibi odia peperisset, Sueno, qui cum Ubbone & Nicolao ex regiâ adhuc Suenonis stirpe superérat, sceptrum post Ericum fratrem ambit; evocatâque Viburgum concione, dum eodem festinat, fato præventus ante inaugurationis tempus diem obijt. Restabat idcirco

idcirco ut circa Nicolaum Ubbonemque delectus ageretur. Sed Ubbo, licet ei, ut natu NICOLAUS
majori, cunctis suffragantibus summa decerneretur, tanto tamen oneri humeros subjice- Rex.
re recusans, ac fratrem, vegeto ingenio agentem, eoque munere dignissimum asseverans, A. G
tum vires suas proprio quàm alieno judicio metiri prudentius ratus, omnem eum hono-
rem regiumq; diadema Nicolao fratri deferri non invitus permisit; tanto scilicet dignior
imperij fastigio, quo id magis recusaret.

NICOLAUS REX LXXI.

NICOLAUS itaque, Erici frater, rex declaratus regendi auspicium sub annum mil-
lesimum centesimum septimum fecisse chronologis memoratur, regnoque præfuisse MCVII.
annos circiter octo & viginti. Uxorem habuit Margaretam Ingonis Suecorum regis fi-
liam, quæ, ut supra indicatum, Magno Norvagiæ regi antea nupserat. Ex hac præter In-
gonem, qui adolescens ex equo præcipitatus obijt, filium insuper alterum suscepit Ma-
gnum nomine, sed ingenio & moribus, quod facta demonstrant, minus respondentibus
aut nomini aut natalium dignitati. Nicolaus initio statim imperij ad pacis opera conver-
sus cœnobium Benedictinum in memoriam D. Canuti Othoniæ exstruxit, allaborante,
præter ceteros, episcopo Hubaldo: maximaque exinde & cœnobium & ipsum ordinem MCX.
liberalitate est prosecutus, multisque proventibus locupletavit. Nec tacuit hanc ejus
munificentiam Papa Paschalis, mittens ad eum Anagniâ literas & codicillos, quibus hoc
ipsum luculenter deprædicat, approbatis præterea ac bullâ pontificiâ roboratis ejusdem
monasterij immunitatibus. Eidem studio impensè dedita regina Margareta, non solum MCXVI.
divinarum ædium opes latifundijs auxit, sed & totis viribus ad amplificandum sacrorum
splendorem incubuit. Hubaldus autem, quem dixi, gente Anglus, primus omnium, post-
quam Daniæ suus archiepiscopatus est concessus, ab Atzero Danorum summo præsule
Lundæ initiatus, ecclesiæ apud Fionenses aliquandiu præfuit.

Anno deinde millesimo decimo nono, ut notat Mejerus, Balduinus Flandriæ Comes MCXIX.
ex vulnere, quod Anglico bello fronti ejus erat impactum, moriturus, Carolum amiti-
mum suum, Divi Canuti Danorum regis filium, ex asse hæredem instituit. Qui post-
quam annos octo Flandris summâ cum justitiæ ac clementiæ laude præfuisset, in æde, ut
inde referemus, Donatiani Brugis manu paricidiali, ut ante apud Danos in æde Othoni-
ensi pater, confossus, nullis ex conjuge, quam duxerat, Reinoldi Comitis Claremontij
filiâ, post se liberis relictis, exspiravit. Vitfeldius ait nuptam Carolo filiam Roberti ju-
nioris Comitis Flandriæ; Nos hîc Marchantium sumus secuti: qui Robertum ex Cle-
mentiâ uxore, præter tres filios Balduinum, Gulielmum & Philippum, filias habuisse non
refert, & ipsam Clementiam, quæ soror fuit Calixti II. pontificis Romani sterilitatem
(quam medici asyllipsiam vocant) sibi accersivisse, ne prole numerosa gravaretur.
Erat Carolo ex sorore nepos Arnulphus Danus, ut eum Mejerus, & alij nominant.
Sed ille à justâ avunculi successione, adjuvante Francorum rege Ludovico, vel ideò
tum repulsus, quod Dani totumque Danicum nomen Francis id temporis præcipuè
haberetur odiosum ac formidabile. Arnulphus nihilominus comparatis copijs Flan-
driam irrumpens jus suum armis persequendum judicavit. Verùm Gulielmus Nor-
mannus, cui Gallus favebat, omnibus modis se ei opponens confugientem in oppidum
divi Audomari obsedit, ac destitutum mox à civibus coëgit iniquas conditiones accipe-
re, & amissâ hæreditate, domum quâ venerat, classe reverti.

Præcessit hæc paululum obitus Imperatoris Henrici V, qui annũ circiter millesimum MCXXV.
supra centesimum vigesimum quintum fato suo functus. Sepulturæ locum accepit Spi-
ræ Nemetum, conditus juxta parentis ac avi sui Henricorum & abavi Conradi monu-
menta. Cujus rei indicium præferunt hodieque eodem loci singulorum tumulis, in mo-
dum ac ordinem ut sequitur, appositæ inscriptiones:

FILIUS HIC, PATER HIC, AVUS HIC, PROAVUS IACET ISTHIC.

Imperatoris excessum, anno exinde, qui fuit vigesimus sextus supra millesimum centesi- MCXXVI.
mum, secuta est, de quâ innui, Flandriæ Comitis CAROLI (regis Suenonis Estrithij ex
filio Canuto, de quo superius est memoratum, nepotis) cognomento BONI, ad aram

HENRICUS V. IMP.

NICOLAUS Rex. A. C.

veluti sacram in æde Donatiani Brugensium immolati, cædes. Ejus ante annos quingentos, & quod excutrit, Gualterus, Morinensis seu Tarvanensis ecclesiæ canonicus & archidiaconus, martyrium in literas misit. Qui commentariolus Tornaci MS. ad divi Martini aliquandiu servatus, jam nuper, anno 1615, Lutetiæ Parisiorum typis Carmosij, in officinâ Nivellianâ, studio & curâ Iacobi Sirmondi S. I. bono publico est editus. Et eandem deinde retexuit, & excudendam ornatius procuravit V. Cl. Ianus Lernutius Brugensis. Quod egregium antiquitatis monumentum nos unà cum generis ejusdem schediasmatis alijs, volente fortasse numine, alibi ac loco exhibendum curabimus commodiore. Dum autem Fioniæ adhuc episcopatum Hubaldus tenet, interdictum fuit clero universo, quod antea permissum habebatur, conjugia frequentare. De quo & iste tum versiculus increbuit, inque ore ac memoria multorum, etiam annis insequentibus, habebatur:

M. C. bisque decem Danorum clerus abegit
Vxores ductas, non sine clade gravi.

Cladem nimirum gravem intelligens haud dubio populi & cleri ex ejusmodi re negatâ commotionem. Quippe & Moguntinus antistes, cum paulo ante, convocatâ Erphordiam Synodo, Papę super eodem literas, invitus licet, pręlegisset, orassetque summi pontificis edicto audientes esse, quęq; concilio placuissent, recipere vellent, repente tanta eo in consessu seditio exorta, ut parum abfuerit, quin pręsul ipse de cathedrâ proturbatus subitoque tumultu contrucidatus fuisset, clamantibus multis, satis esse Episcopum Papę fautorem ferro perire, quàm dogma tam vesanum & hęreticum cum tantâ sacerdotij contumeliâ promulgari. Neq; exemptus periculo fuisset pręsul, nisi in posterum saniora promisisset.

Eodem propemodum temporis tractu Sivardus, cujus supra mentionem fecimus, Norvagię rex relicto Bizantio, ac peragratâ Bulgariâ ac Germaniâ, ubi & Romanum imperatorem Lotharium Saxonem, qui tum commodum Henrico V successerat, salutavit, Hierosolymis redux in Daniam feliciter advenit. Cumq; regem Nicolaum honorificè adijsset, essetque vicissim ab eodem magnifice exceptus, magnâque postremum cum pompâ ac lætitiæ significatione prætoriæ navi impositus, regioque comitatu stipatus in regnum suum salvis omnibus perductus est. Norvagiæ Chronicon vernaculum, cujus jam sæpius meminimus, Sivardi hunc reditum ad initium imperij regis Nicolai refert, aitque haud ultra triennium domo abfuisse. Ordericus vitalis, quod apud alios non reperio, refert Sivardum in reditu ab Hierosolymis Russiam pertransisse, & ibi regis filiam Malfredam uxorem duxisse. Nostri annales Malfredam S. Canuti ducis sororem faciunt; at rectius Chronicon Norvagiæ jam dictum, sororem eam dicit non S. Canuti, sed uxoris ejus Ingeburgæ, quæ & regis Russorum Iarislai filia fuit, mater Waldemari I; & ante eam, Malfredam inquam, nuptam Sivardo innuit regis Irlandiæ Myrkiortani filiam, idque volente patre Magno, cum ibi adversus Irlandos bellum simul lacesserent. Addit præterea Ordericus Ostenum & Olaum legitimo tantum thoro susceptos, Sivardum verò ex Anglicâ captivâ, sed nobili natum. Adolescebat jam Magnus; & consobrinus ejus Canutus, Erico prognatus, princeps eo tempore juventutis habitus, ut ab omni invidiâ ac suspicione semotus ageret ad Imperatorem Lotharium concessit. Ibique in aulâ & domo Cæsareâ postquam aliquandiu benignè ac honorificè esset enutritus, ijsque artibus, quæ exornare principes solent, eruditus, in patriam reditum maturavit. Reversum Nicolaus clementissime excepit, donavitque Slesvicensi Ducatu. Regina quoque Margareta, ut suos regiæ prosapiæ arctius innecteret, Ingiburgam, sororis suæ filiam, conjugio eidem copulavit. Memorabile est quod Helmoldus observat, eum cum jam præfecturæ Slesvicensi esset admotus, idque ageret ut regionem circumquaque pacatam liberamque ab æruscatoribus redderet, & aliquot ex grassatoribus, qui inter Sliam & Eidoram latrocinia exercuissent, supplicio adjudicasset, unusque ex ijs, ut sibi consuleret, se consanguineum ejus ac regiâ stirpe oriundum diceret, respondisse, turpe fore consanguineum suum ceterorum more vulgari ac humili supplicio affici, debere ejus claritati aliquid illustrius, ac simul jussisse, ut in nauticam pinum sublimatus laqueo innecteretur.

Henricus interea Godeschalci Vandalorum principis è Siritha, Nicolai regis sorore, filius, cujus in rebus Suenonis suo superius loco injecta non semel mentio, cum se maternorum bonorum hæreditate fraudari à Nicolao existimaret, tam acrem eorum repetitorem egit, ut omnia armis infesta faciens ipsum Nicolaum intra Slesvici fines compulsum

statione

ſtatione & excubijs uti coëgerit. Sed Nicolaus indignum ratus ab impari hoſte haberi ſe contumelioſius, excitâ confeſtim claſſe, & equitum cohortibus per Elivum Sleſvicenſium præſidem terrâ dimiſſis, in proximos Vandalorum fines juxta Lubecam cum peditum præcipuo robore appellit. Hic dum Elivum cum equitatu operitur, majore feſtinatione, quàm conſilio, in terram pedites dimiſit. Quippe Elivus donis, ut volunt, corruptus & idem cum Henrico agens Nicolaum ſuo & equitum adventu fruſtratur. Unde Vandalus regis peditatum, qui in terram deſcenderat, obequitando defatigare ac frangere paulatim, quam manum cum univerſis conſerere tutius ducens, nunc alas, nunc cornua circumvolitando & jaculis hic inde inceſſendo, per intervalla dilacerabat. Sed pedites conſcenſo tandē, qui erat in proximo, montis vertice, & jam loco muniti, etiamſi deſpicere ab alto hoſtem potuiſſent, ne tamen loco magis, quàm ſuis viribus confidere viderentur in planum poſtremo digreſſi, pugnæ aleam redintegrare incipiunt. Verum & tunc idem, qui fuerat pridem, utpote ab omni equitatu deſtitutis exitus fuit. Tracta tamen in longum dimicatio. Et aderant Haraldus & dux ipſe Sleſvicenſium Canutus, Nicolai nepotes, qui dum acriter pro patriâ ac patruo rem gerunt, acceptis aliquot vulneribus, ſuorum clypeis ex acie in tutum dilati ſunt. Canutus præſertim promptiſſimam tum militis ſui fidem expertus. Ne enim vulneribus defatigatus in hoſtium poteſtatem herus deveniret, miles ſe victum ſimulans, ac ſpeciem præbens quaſi Vandalo manus vinciendas offerret, fræno equi adducto, barbarum jumento deturbavit, eoque receptus Canutus feliciſſimè diſcrimen evaſit. Inde Nicolaus, rebus omnibus ad claſſem reductis, digreſſuſque ad ſua præfectum Sleſvicenſium, quod patriæ incolumitatem pecuniæ poſt habuiſſet, damnatum perfidiæ, omnibuſque exutum bonis extremâ affecit ignominiâ. Henricus verò, ſucceſſu blandiente ferocior redditus, Holſatis, Friſonibus, Ditmarſiſque in auxilium convocatis crebras in agrum, Sleſvicenſi præfecturæ proximum, excurſiones inſtituit. Et actis identidem latrocinijs, variâque fortunâ utrimque commiſſis præliationibus, Canutus tandem vaſtatis exadverſo ad intima uſque Slavis ſuâ præcipuè prudentiâ ac fortitudine univerſas Henrici vires concuſſit ac debilitavit. Atq; ita cum patriam non hoſte tantum, ſed hoſtem quoque robore vacuefeciſſet omni, ipſum poſtremo Henricum ex infeſtiſſimo adverſario amiciſſimum ſibi reddidit; Et eundem quoque in gratiam Nicolai regis ſuâ præſertim moderatione, atque æquanimitate reduxit. Siquidem Henricus latifundia, totamque ad ſe pertinentem in Dania maternam rem, cujus obtentu arma in Nicolaum aſſumpſerat, pretij pactione interpoſitâ, Canuto in poſſeſſionem tranſſcripſit. Eandem Canutus viciſſim conditionem, uti acceperat, in regem tranſtulit, atq; inde receptam ab eo pecuniæ ſummam Henrico adnumerari curavit. Quin & hoc acceſſit, ut idem Henricus diffidens filiorum ſuorum indoli, Canutum poſt ſe Vandalorum principatum tenere hæredemque eſſe voluerit, potius ſcilicet ducens maturum ætate ac prudentia virum pro arbitrij ſui libertate ſucceſſorem conſtituere, quàm ſub naturali, ſed invalido liberorum patrocinio ditiones ſuas periclitari. Et licet petitioni iſti juſtiſſimè ſe adverſari, aſpectu immerentium liberorum, Canutus demonſtraret, tamen inſtante identidem Henrico & apud Cæſarem Lotharium, cui ſciebat Canutum haud eſſe ingratum, rem diligentius agente, haud difficulter votis ipſius aſſenſum; Canutuſque Obotritorumr rex declaratus eſt. Albertus Stadenſis hujus quoque, ad annum milleſimum centeſimum trigeſimum tertium, ſed aliter paulo mentionem injicit. Vult enim, defuncto Henrico, ſucceſſiſſe in principatum filios ejus Zuentoplochum & Canutum, ſed temporum tranquillitatem bellis inteſtinis conturbaſſe; atque inde, cæſo Lutilinburgi juniore filio Canuto, ſolum tenuiſſe imperium Zuentoplochum, eumque ſimiliter haud multo poſt dolo cujuſdam Dazonis, viri prædivitis, apud Holſatos occubuiſſe, relicto filio, qui itidem poſt patrem ferro aut fraude perierit. Atque ità, deficiente progenie Henrici, tranſlatum principatum ad ducem Canutum: Ipſumque profectum poſtea ad Imperatorem Lotharium, oblatoque impenſo pretio, Vandalici regis nomen ac coronam impetraſſe. Nec diſſimilia fere ſunt, quæ memorat Chronici ſui Slavici libro primo Helmoldus, quem & ſecutum Stadenſem eſt vereſimile. Niſi quod illud præterea habeat, Canutum, quem Lavardum cognomento appellatum ait, emiſſe ab imperatore Lothario multâ pecuniâ Obotritorum regnum; atque ità agnitum receptumque eum ut ejus, ut vulgo vocabant, homo imperijque cliens haberetur. Crantzius adjicit veriſimile eſſe Canutum, qui ab imperatore, Obotritorum, vel ut aliàs vocamus, Vandalorum regis titulo ac dignitate eſt decoratus, eundem ad poſteros inviolatum tranſmiſiſſe; atque

NICOLAUS Rex.

A. 6

MCXXXIII.

NICOLAUS Rex. A. C.

inde hodieque familiare esse Danorum regibus omnibus, ut se Danorum Vandalorumque reges inscribant.

Orta deinde inter Ericum quoq; & Haraldum, Canuti fratres, haud levis de bonis paternis dissensio, actaque res utrimque ingenti animorum armorumque contentione. Haraldus omnibus invisus omnium possessionibus imminebat: & præsertim Erico fratri, cui erat erga populares modestius ingenium, negabat ullam paterni hæredij communionem deberi, quod ex adulterio esset conceptus. At Canutus latius evagari lites ac licentiam videns evocatos Slesvicum acriter objurgat; ac comminatur, nisi à contentionibus atque armis supersedeant, se viribus suis modum ipsis positurum. Decernitque quo quisque contentus agens alium in suo conquiescere permitteret.

Post ista Magnus Nicolai filius Gothis imperitans & ipsis præsertim annitentibus, Sueonum etiam regno post cædem Ragvaldi potitus, ad nuptias cæpit respicere. Desponsâque sibi per internuncios Bogislai Polonorum ducis filiâ, regem mox Vartislaum cum Danis Polonisque inimicitias gerentem, classe paternâ lacessit. Adortusque Nicolaus urbem Ornam (Crantzio Cosna est) ære redimere obsidionem coëgit. Hinc Iulinum petens Bogislaum instructum copijs obvium habuit. Ejusque auctus manipulis oppidum ipsium quàm celerrimè expugnavit. Animadvertens autem Vartislaus res suas, nisi induciæ fierent, ad incitas ferri, bello componendo locum ac tempus postulavit. Quo permisso, ac à rege humaniter invitatus, cum adesset in navi prætoriâ captivi in morem à satellitibus detentus regredi prohibitus est. Quod Canuto quantopere displicuerit, in publicis concionibus neutiquam tacuit. Demonstrabat siquidem publicâ fide conturbatâ nihil sanctum atque tutum superesse. Eam omnium gentium consensu inviolatam semper atque integrè servatam: Itaque dimittendum Vartislaum, nisi privatum crimen ad patriæ universæ dedecus redundare cuperent. Hæc tam justa Canuti querimonia suffragijs reliquorum probata, effecit ut Vartislaus libertati redderetur, quamvis alienæ invidiæ haud leve irritamentum præbuerit. Dimissâ classe nuptiarum sacra Ripis, quod opidum est Cimbricæ chersonesi haud ignobile, regio ritu celebrata. Hîc invidiæ ærugo inter ipsam epulantium festivitatem se prodidit. Nam & Magnus & alius item Canuti patruelis Henricus Scatellerus cognomine, prosperè fluentibus Canuti rebus iniquiores, scommata in eum obliquè distringunt. Cum enim Canutus veste Saxonicâ ceteris nitidior videretur, Henricus inter alia cultus novitatem per altercationem irridens negavit latus ejus purpurâ quàm panno fore munitius. Ille jocum joco retundens, sed ne ovillis quidem pelliculis respondit. Idem piratas exinde in Sueciam usque persecutus, & ampla domum spolia referens, cum laudem speraret, laborem & increpationem promeruit, culpatus à rege quod amicam provinciam infestasset. Quamvis Magnus postea patruelem æmulando similia aggressus, cum malleos, inter cetera, joviales, quos pagana tum superstitio ad ciendos cœli fragores magnâ religione colebat, ex insulâ quapiam Sueonibus vicinâ, in patriam retulisset, nihil iniqui expertus fuit. Margareta interea regina simultates inter regios juvenes indies exoriri majores videns, eas ut in herba, quod dicitur, opprimeret, omnem navavit operam, præsertim cum ipsa valetudine jam & ætate fessâ præpropere sibi fatum imminere persentiret. Quocirca in primis Canutum, fiduciâ generosæ ejus indolis, advocatum orat atque obsecrat, ut ille saniora consilia sequens concordiam ac pacis studium inter propinquos perpetuò foveat, talemque se domi præstet, qualis militiæ semper ac foris egisset. Adjiciebat haud clam se esse, existere qui dissidia in regiâ domo concitare vi omni atque ope molirentur, quos opportunis suis monitis hactenus repressisset. Canutus Deum & innocentiam suam testem vocans se, quod perpetuò studuerat, in id quoque deinceps incubiturum sanctè pollicetur; injuriam potius ferre, quam infligere; beneficijs quam odijs certare paratum se semper fore testatur. Margareta, oratione ejus ac studio collaudato, tum ut hoc ageret identidem commonito, securius se fatalem suam diem tali fretam fiduciâ excepturam adfirmavit. Quod domesticis ac certis autoribus haud traditum reperiam, minus hîc affirmaverim, quamvis silentio interim nequaquam involvendum censuerim; prodente præsertim Alberto Stadensi, Canutum nimirum post superatos ac captos Pubislaum & Niclotum Obotritorum primates, Slesvici in eodem cum patruo Nicolao conventu se per omnia & loco & dignitate æqualem patruo tulisse; Idque indignissimè à Magno acceptum, qui deinceps instigante ad hoc eum matre Margareta, de occidendo Canuto consilia agitarit: & patrem deinde Nicolaum, cum

NICOLAUS Rex. A. G

cum idem reſciviſſet; convocaſſe regni optimates & juvenum diſſidentium animos conciliaſſe: ſed fœdera licet utrique jurata, apud Canutum firma, apud Magnum fucata fuiſſe. Verum hoc utcunque fuerit, id conſtat, ſtatim ab exceſſu Margaretæ, Canutum apud regem majeſtatis ac regni affectati accerſitum. Inter accuſatores præcipue habebatur Henricus alijque perpauci, quos ipſe conſilij ſui participes fecerat. Rex, re intellectâ, concionem quamprimum indicit, ac Canuto ut eodem veniat, per ſuos imperat. Qui cum prior adeſſet, ſupervenienti patruo, ut erat mos Theutonum, pallio vacuus obviam accurrit, atque equo deſcendentem continendæ ſellæ ac ſtapedis miniſterio honoravit. Hinc dicere orſus Nicolaus, demonſtrat; Suenonis filios antiquorum reſpectum in regni acceptatione habuiſſe; ſe ut natu minimum voluntate ac moderatione fratris Ubbonis, qui major erat, ad regni culmen, non ut raptorem, ſed uſurpatorem fraterni beneficij perveniſſe; Canutum; neglectis majorum exemplis, regni jus, cum re necdum poſſet, appellatione præcerpere. Quamvis acturum conſultius, ſi regni titulos non in adulatione ſuorum, ſed procerum conſentientibus ſententijs reponat. His & ejuſmodi à Nicolao in medium peroratis, reſpondit Canutus; Calumniatoribus haud temere aures commodandas, ſibi eorum opera pro benefactis malefacta rependi: Herum ſe non regem à ſuis ſalutari. Apud Vandalos quidem inſolito honore affectum, ſed nihil hoc ipſo patrui regno aut titulis diminutum; Se delatores ſuos æque patruo ac ſibi hoſtes judicare. Sibi quidem vitam, patruo etiam fidam clientelam invidere: & conceſſo, regium nomen donatum, quid? nonne & Magnus ijſdem inſignibus apud Gothos ornatus? ſibi itaque ſi par apud Vandalos fortuna affulſerit, jocundum id; non ingratum patruo accidere debere, qui duorum regum filij & nepotis obſequijs auctus; regno ſuo majus fortunæ incrementum, majuſque decus acquiſiviſſet. Nihil unquam antiquius; habuiſſe ſe quam terrâ marique excubare pro regni incolumitate. Fructus qui inde redierint, non ignorare patruum, & loqui Daniam præter veteres terminos tot novis latifundijs ac territorijs adauctam: loqui etiam eos, qui prius infeſti, nunc ſuâ operâ ad tributum acti; regni faſcibus ſubjiciuntur: à ſe militiæ ſementem jactam; patruum abſque negotio fructum ejus ac meſſem feciſſe: non itaque talibus operibus meritum ſe; adverſus quem genuinum ſtringeret. Alia ſibi pro immenſo labore præmia; pro gravi militia ſtipendia exſpectata. Se tamen non tam patruo, quam malevolorum vecordiæ hæc omnia imputare. Patruo precari ſe, ut diu feliciterque imperium paternum gerat, ſe quocunque in ſtatu fuerit, nunquam ipſius celſitudini aut fide aut obſequio defuturum. Delinitus nonnihil oratione Canuti Rex, deteſtari adulatorum ſuſurros, ſeque in poſterum haud facile accommodaturum talibus aurem ſecum ſtatuere.

Sed Henricus malorum incentor, licet ſpe ſua fruſtratum ſe videret, haud tamen ut erat animo indomito acquieſcere potuit. Regem itaque captâ occaſione adortus docet de Magni, filij ipſius; capitali re agi. Eum regno ac ſucceſſione excluſum iri, ſi populi ſuffragijs ſumma deferatur. Nota blandimenta & favorem apud omnes Canuti. Rectè facturum ipſum ſi ſuſpectam hanc ejus fortunam ferro præcidat, ut filio conſulatur. Hæ voces denuò regem novis involvêre ſollicitudinibus; & graviori quàm ante de re tota certi aliquid conſtituendi cogitationem præbuerunt. Quæ parentis ſollicitudo cum Magnum non fugeret; quaſi ſui conſulendi & æmuli tollendi à patre licentiam nactus Henricum & cæteros ad ſe conjuratos vocat; eoſque in verba ſua ſub fide ſilentij adigit. Haquinus, Canuti ſororius, intellecto de nece & capite Canuti agi, ſeſe è medio proripuit; hoc ſolum delinquens; quod, licet fautorem iſtius conſilij ſe fore negaret, haud tamen proditurum profeſſus ſit. Quo igitur ſcenam ſuarum fraudum Magnus explicaret, fingit decretum ſibi voti cauſa ſacram peregrinationem inſtituere. Petere idcirco ut Roſchildiam, quò & plures ex nobilitate convocarat, accedere ſub feſtum Dominicæ Nativitatis Canutus, haud dedignetur; velle ſe de tutelâ ſuorum liberorum; deque alijs ad conjugem ac familiam pertinentibus rebus cum eo familiarius agere: Uxor Canuti ſive per conſcios eorum conſiliorum; quæ Magnus animo volveret, rei non ignara; ſive, quod etiam traditur, ſomno monita marito per literas, quid timeret ſeque ſollicitum haberet; aperit. Sed ille ut à pavore muliebri profectum indicium reſpuens ſalubriter monentem neglexit. Itaque profectus, dies aliquot feſtis epulis cum magnatibus Roſchildiæ peregit: Inde ſoluto conventu Magnus & ipſe, quod erat reſidui temporis ſeorſim traduxêre. Mox autem ſecedens Magnus in locum ſceleri

deſtiſ

LOTHARIUS IMP.

deſtinatum, & evocatis eodem conjuratis, cuncta ad inſidias cœpit diſponere. Paratiſque omnibus, mittit qui Canutum accerſat. Qui miſſus, genere Saxo erat, arte cantorem profitebatur. Ille cum ſummopere Canutum eorum, quæ agerentur, conſcium fieri præoptaret, & edere jusjurando prohiberetur, occinit inter equitandum pervulgatam tum temporis cantilenam, quâ ſimilis Grimaldæ in fratres perfidia prodebatur. Sed cum nec ea Canutum permoveret, propius adequitans latentem ſub veſte loricam prodidit. Verùm nec ità deterritus ad locum carnificinæ deſtinatum, vulgo *Hareſtadiū*, Saxoni *Haralſtadium* dictum, pervehitur. Magnus compoſito in hilaritatem ore excepit venientem. Sed tectum ferro pectus animadvertens Canutus, quid habitus velit interrogat? Refert ille, proximum ſe colonum petere, & ejus demoliri ædes conſtituiſſe. Quod cum dehortaretur Canutus, & verba utrimque commutarentur, invadit loquentem objurgantis in morem Magnus, & capitis media diffiſſum exanimat. Continuò & ceteri accurrentes humi ſtratum crebris ictibus conficiunt. Compertâ tam chari capitis cæde, filij Scialmonis Vidi, Candidi eſt in Saxone, (quem moderatorem adoleſcentiæ ejus fuiſſe ſupra indicavimus) regem confeſtim adeunt, orantque ut in areâ Roſchildenſi tumulari eum patiatur. Sed ob populi frequentiam non impetrato, quod petebatur, miſerandum amici corpus tenui apparatu Ringſtadium intulerunt. Populus cum nuncium de nece ejus accepiſſet, protinus conviviorum hilaritatem, quæ tunc pro more agitabatur, in fletum ac mœrorem mutavit. Omnium luctus unius gemitus videbatur. Funus non tam imaginibus & pompâ quàm publicâ cunctorum voce per laudes & memoriam virtutum ejus celebre fuit. Magnus, paricidio perpetrato, Roſchildiam redire non deſtitit, quaſi remoto jam æmulo de ſucceſſione ſecurus. Quin & gaudio ſuo vix moderans tripudijs & cantu exſultabat. Facta cædes poſtridie feſtivitatis trium regum, cum, elapſo deinde octiduo, Ingiburga uxor, extincto marito, hæredem peperit Valdemarum nomine. Hinc amici & fratres Canuti, Haraldus atq; Ericus, paſſim in procerum ac popularium conventibus facinoris atrocitatem querimonijs differre: veſtem etiam vulneribus ſciſſam ad iram uſq; atq; indignationem exaugendā vulgi oculis objectare. Nec multo poſt indictis Ringſtadij comitijs Magnus paricidij ac cædis reus peragitur. Nicolaus pater populi ac procerū ſtudia metuens Ringſtadij quidem, ſed intra privatos parietes ſe continuit. Miſit tamen ſuo nomine antiſtitem Lundenſem Atzerum, qui Erico obviam factus, eumq; equo deſcendens veneratus, rogat atque intercedit pro Magno: pro patre, ejuſq; innocentiâ, ſtatutam legibus defenſionem pollicetur. Tantumque ipſius apud Ericum tum preces potuêre, ut regi non modò ſalus, ſed locus etiam in concione permitteretur. Rex itaque concione ſine filio petitâ haud aliter placare patrum ac populi animos potuit, quàm ut, Magni abdicatâ præſentiâ, eum domo & patriâ exceſſurum, nec umquam, niſi regno ac proceribus volentibus, rediturum jurejurando firmaret. Atq; ità compoſito popularium motu, Rex Cimbriam, Iutiam nunc dicimus, Magnus Gothiam exilij ſpeciem præbiturus repetijt. Sed ut ſunt mortalium irrequietæ ac cæcæ per ambitionem mentes, ità Nicolaum, conquieſcente vix populi motu, pœnitere quam primum præſtiti ſacramenti cœpit. Accedebant & odia & voces eorum, qui Magno occidendi Canuti ſua etiam conſilia ſuggeſſerant. Hi conditiones & latam in comitijs ſententiam execrantes, teterrimè ſibi regem conſuluiſſe dicebant, quod unicum filium, eumque in ſpem regni educatum, levibus agreſtium judicijs permiſiſſet: Ipſumque hoc ſibi potius reſervare oportuiſſe; & paterno judicio, non populi, aut procerum ſuffragijs revertendi jus atque arbitrium deferri debuiſſe. Quibus irritatus Nicolaus, haud multò interfluente tempore, miſſis codicillis, Magnum revocat. Tum omnia quæ ante diſceſſū ipſius quaſi lenita videbantur, reditu exaſperata recruduerunt. Et facta confeſtim frequens ad Haraldum & Ericum concurſatio. Omniumque vox erat æquè patrem ac filium reum habendum; utpote qui contra fas contraque datam fidem paricidam ac proſcriptum intra regnum revocaſſet. Itaque, abdicato Nicolao, ad Ericum potius quam Haraldum reſpicientes, ei & nomen & regias vires ſuffragijs detulerunt. Et ille quidem non tam recuſandum oblatum honorem, quàm imperio, ante partam adverſus Nicolaum victoriam, abſtinendum ratus, ducis officium exſecuturus omnium primò Iutiam infeſtis ſignis petit. Sed hic eum Toko Ripenſium antiſtes, explicatâ jam acie conſiſtentem aggreſſus ac verbis compoſitis permulcens prænſanſque identidem, ſeriò ſanctèq; pollicetur jurejurando ſtaturum Nicolaum aliaq; exſecuturum non diſplicitura & ipſi & cæteris, modò ille arma atq; impetum pugnæ deponat. Quibus dum aurem Ericus accommodat, Rex inſtructo agmine ſuperveniens imparatos &

MCXXXIV. *Naſcitur Valdemarus I.*

absque ordine consistentes levi negotio dissipavit. Dux hoc pacto blandimentis episcopi ludificatum se cernens justiorem jam belli titulum oblatum sibi existimavit. Et licet rerum angustijs exclusus, apud Isoram regio nomine insigniri nequiret, confestim tamen ad Selandos interiores reversus, eorum Scanensiumque suffragijs recusatum aut potius dilatum jam ante honorem assumit, seque deinceps multo quàm ante alacrius ad fratris ultionem totum componit. Imprimis ad Imperatorem Lotharium literas & legatos mittit, quibus amici & clientis necem ne inultam sinat hortatur, pœnasque à Magno paricidio debitas expectat: ac denique ut belli à se adversus perjuros suscepti eventum; non suo tantum applausu & favore, sed ductu quoque & societate adjuvare, sibique esse præsidio velit precibus ac præmijs propositis clementer orat. Imperator ejusque conjux Rixa, intellectâ luctuosâ Canuti cæde, casum tam miserabilem, ut par erat, graviter tulerunt. Et Cæsar quidem collecto confestim valido exercitu, Slesvicum contendit, juxtaque vallum, quem *Danewirkam* appellant, castra locavit. Quamvis Saxo non tam ulciscendæ cædis, quam regni potiendi cupiditate advolasse celerius imperatorem existimat. Ericus nihilominus vires suas Cæsari juncturus cum classe se obviam dedit. Sed Magnus utriusque adventum accuratâ valli munitione præcurrens firmissimum portis præsidium applicuit; & accedens simul ipse Nicolaus immensâ Cimbrorum multitudine valli citeriora circumfudit; adeò ut Imperator acie cum ijs congredi, aut classe Erici suas in urbem copias trajicere minus ex usu minusque tutum judicarit. Itaque tempori obsequens, cum Nicolao & Magno, quo honestior discessio esset, ità est pactus, ut, Erico ab obsidione supersedente, Magnus Romani imperij miles haberetur, ut narrat præter Crantzium Saxo. Albertus Stadensis hoc adjicit; Nicolaum cum filio suppliciter imperatorem coram veneratum ac multo auro depenso pollicitum de Canuti sicarijs secundum fas & leges pœnas exigiturum. Acceptis utrimque conditionibus, Cæsar continuò trans Eidoram exercitum cœpit reducere. Quod Erico postquam innotuisset, Cæsarem navigio petitum assequitur, ac levitatem haud obscurè incusans demonstrat haud aliâ erga ipsum fide futurum Magnum, quàm erga Canutum fuisset. Nec vana assertio exstitit. Nam Eidoram vix remenso imperatore, Adolphus Holsatiæ Comes; qui agmen extremum ductabat, à Magno per insidias detectus ità ab eo exceptus impetitusque fuit, ut armis abjectis, ipse sibi nando consulere necesse habuerit. A quibus nonnihil dissidens, aut alia tradens Albertus Stadensis refert, receptum à Slesvicensibus Ericum terràque ac mari impugnatum à regibus Nicolao & Magno: Missumque tum ad Comitem Adolphum, eumque ingenti pretio adductum, ut, trajecto Eidora, auxilio adesset, sicque mox cum parte copiarum subsidio accurrisse; Sed Magnum obviam ei datum, ipsum fugasse, ac gravi clade affecisse Nordalbingos; indeque partâ victoriâ ad obsidionem regressum, sed eventu frustraneo, quod Ericus interea, solutâ hyeme, Slesvico elapsus in Scaniam abijsset. Addit præterea eundem Ericum, quod toties superatus, totiesque sibi fugâ consulens evasisset **Hasenvoeth** sive **Harevoet** Danice, id est, *leporipedem* seu *leporem galeatum* vulgo tum nominatum.

Ericus porro ab imperatore eum in modum destitutus, dum orientem versus iter ingreditur, aliaque sibi ac certiora circumspicit auxilia, supervenêre à rege Norvagensium missi legati, qui regi suo Magno sponsam petebant filiam majorem ducis Canuti. Quos Ericus amicè excipiens ac votis ipsorum secunda grataque pollicitus, sibi vicissim ejusdem regis novercam, Norvagensium quondam reginam, Malfredam, annuente privigno, despondit. Hinc Ericus, transactis per quietem hibernis, Christierni apud Cimbros splendidissimo loco nati promissis illectus bellum sub æstate redintegrat. Sed ad manus ubi ventum Christiernus infeliciter cum Nicalao congressus ingenti suorum strage acceptâ capitur. Ericus licet prosperè ad fines usque Iutiæ, profligatis obvijs, pervenisset, ignarus tamen eorum, quæ circa Christiernum essent gesta Lymicum mare classe complevit. Ubi cum exposito incautius milite Christiernum captum & regem adventare intelligeret, ocyus receptui signo dato recessit. Ex agmine tamen complures, dum naves repetunt, ab imminente exercitu trucidati.

Hinc Erici frater Haraldus dubiâ fide agens, diu occultis adversariorum promissionibus invitatus, ab Erico ad Nicolaum defecit, plus scilicet ob indignationem delati ad fratrem imperij fraternis sicarijs quàm fratri deferens. Habebat idem in suburbio Roschildiensium præsidio firmatum castellum, quod Ericus balistis alijsque tormentis, quæ tum ibi in usu esse cœperant, concussum, suam in potestatem redegit. Deinde adauctus jam amicitiâ

NICOLAUS Rex. A. C.

amicitiâ Haraldi Nicolaus,instructa cum classe è Iutia in Selandiam trajicit,& apud pontem, cui *Weræ* nomen, gravissimo cum Erico prælio confligens superior evadit. Superatus & ubivis jam exclusus Ericus ad Magnum Norvagiæ regem necessitudinis fiduciâ una cum conjuge, filioque parvulo, quem naturalem habebat, Suenonis vocabulo, refugium capit. Ubi dum hæret,Magni primum humanissimam hospitalitatem, mox dolum & fallacias experitur. Nam licet Ericus non tantum, ut indicatum, novercam ejus conjugem haberet,sed eidem ob neptem quoque Canuti ducis filiam,quæ jam Magno denupserat,patruus esset,tamen subdolis Nicolai regis promissis inescatus exitium ei festinasset,nisi à reginâ nepte suâ admonitus insidias evitavisset. Nam elusis aut commessatione intempestivâ sopitis,quos ei Magnus circumposuerat,satellitibus,unico navigio,quod ei Lalandenses subministraverant, feliciter elapsus ad easdem Lalandias, sibi tum fidissimas pervenit. Captoque ibi, quem minorum insularum Nicolaus præfectum constituerat, Ubbone,eoque confestim in crucem acto,clarum reditus sui indicium omnibus præbuit. Intellectoque Nicolaum Lundæ apud Scanenses Natalis Dominici die ferias celebraturum,adventum ejus prævertit, omnemq; regij apparatus impensam suum in usum transferens totum se firmandis, quantum potuit, viribus comparavit. Idque rumore famæ ubi rex in Selandia accepisset, adventante jam æstate transmissas mari copias ad Fotam sinum **Fothevig** vulgo,appellit. Terramque ingressus cum aciem juxta littus pedestrem constituisset,Ericus valido equitatu superveniens conversos in fugam aut fudit, aut nando naves repetere, sibique consulere, aut mergi denique coegit. Ipse Magnus cum aliquot fortissimorum manipulis animosè resistens & cadere quam turpiter cedere generosius ducens fatum fugæ prætulit. Itaque haud exigua adversariorum strage pugnando editâ,cum Petro Roschildiensium antistite,qui Nicolai partes fuerat secutus,super strue cæsorum occumbens, Petrum, ut necis ità tumuli consortem habuit. Nicolaus admoto sibi per villicum equo, ad naves evasit. Potissima fugientium pars, qui primi evaserant, tardius adnatantes sine societatis aspectu aversati, magis in suos quàm in hostem sævire videbantur,cum pendulis navigia brachijs amplexos hinc hostis urgeret,inde civis repelleret. Credidêre plerique hanc victoriam humanis vix viribus,sed numine divino,paricidium vindicante,præcipuè concessam. Neque bellum fuit,quod sacri ordinis præsules plures abstulit. Quippe Petrum,quem indicavimus,Roschildiensium,& Henricum Suecicarum partium omnesque, excepto uno, Iutiæ pontifices hoc prælio oppressos Saxo memorat. Albertus Stadensis ipso Pentecostes die conflictum factum tradit ; & frustra ab Episcopis monitum Magnum ut prælio supersederetur. Quin & pugnâ commissâ Magnus,Norvagiæ rex,conjugem suam Christinam,ob revelatum consilium,datis repudij codicillis, Erico remisit. Sed ille ob egregiam hanc regno navatam operam insignis charusque est habitus. Datumque tum ei,abolito priore *Haresoed*, quod notam timiditatis aspergere videbatur,novum cognomen,ut Ericus EMUNDT,hoc est,*illustris clarusque* appellaretur. Nicolaus postremò reservatus ad fortunæ quasi ludibrium cum Iutiam fugâ pertingisset, & se jam,Magno trucidato,orbum cerneret, non tam ut sibi successor, quàm Erico ut hostis superesset,Haraldum post se regni hæredem proclamat. Hinc Slesvicenses,quos, Magni aspectu, infensos sibi non ignorabat, de pace componendâ sollicitat. Et licet haud satis animos omnium haberet exploratos, tamen ex primarijs paucorum auctoritate fretus,dum urbem ingreditur,clerum quidem solemnibus sibi faventem officijs invenit,at ceteri ut hostem exceperunt. Cumque inter plateas adversis hinc inde signis concursare cives videret, suaderentque amici, ut in ædem Divi Petri, quo tutior esset, concederet, in regiam conscendit. Quò cum irrumpere infestis animis Slesvicenses tentarent, satellites ad regem defendendum cuncti convolarunt. Sed indies, crescentibus odijs, tandem & satellitium & regem sustulerunt,anno circiter à Christo inter homines nato millesimo supra centesimum trigesimum quintum. Exstat chronologicum de rebus & origine regum Daniæ collectaneum, autore, ut volunt, Erico Pomerano Daniæ rege, qui cædem hanc regiam Slesvicensium præcipuè sutoribus adscribit.

MCXXXV.

ERICUS Rex. A. G

ERICUS REX LXXII.

EMUND dictus.

ERICUS, profligato è Scaniâ Nicolao, & jam in Selandiam tranſgreſſus cum in Iutiam claſſem deſtinaſſet, commodum circa Syram Inſulam oppreſſum à Sleſvicenſibus Nicolaum intelligit. Fluentibuſque ad eum modum rebus, Ericus & Bero inter Haraldi filios primi natu, cum, patre deſerto, Erici partes elegiſſent, ſed incautius à patre per internuncium conſulti, eum, ut ad Norvagos ſe reciperet, clanculum monerent, nec Ericum, niſi rogati, certiorem eorum facerent, ſuſpectos ſibi cuſtodiæ mandari curavit. Atq; inde cognitâ eorum ex patris ad Norvagos abitu innocentiâ, licet ad ignoſcendum ſe paraſſet, ſiniſtris tamen aulicorum delationibus aliò traductus aquis ſuffocari permiſit.

Electum Ericum, inq; regio collocatum ſolio, antequam humanis eſſet exemptus Nicolaus, ſupra commonſtratum. Victoriæ illius, quam poſt varias clades glorioſiſſimam poſtremò apud Scanenſes obtinuiſſe memoravimus, indicium ac gratam memoriam præfert epiſtola ejus, quæ ſub annum ſtatim milleſimum centeſimum trigeſimum quintum Atzero adhuc Lundenſium præſuli ſuper rebus illius eccleſiæ ſcripta. MCXXXV. His enim in literis, præter alia, Dei Opt. Max. erga ſe beneficia tum & difficultates atque ærumnas, quibus victrice ejuſdem dextrâ ereptus fuerit, prolixè commemorat; ſeque viciſſim gloriam omnem & laudem divinæ ipſius benignitati tribuere, qui populum ſuum tam clementer liberarit, ſeque in ſolium ac poſſeſſiones majorum ſuorum reſtituerit. Habetur & Malfredæ reginæ, nec non & filij Suenonis, qui poſtmodum ad regni etiam diadema pervenit, honorifica in illis codicillis mentio. Haraldus autem æmulus atque invidens fraternæ fortunæ è Norvagiâ, quò ſe, ut diximus, liberorum ſuaſu receperat, ad Cimbros in Iutiam reverſus; Ibique convocatâ concione, multorum ſuffragijs rex eſt declaratus. Eoque comperto, Ericus navigijs glacietenus (hiems enim erat) è littore in altum uſque protractis, Iutiam inopinato intravit, Haraldumque prope Schyptorpium noctu, unà cum filijs qui ſupererant, interceptum capitali ſupplicio affecit. Unus filiorum Olaus ſub fœminæ habitu apparitores prævertens aut fallens, petitâ Norvagiâ, ſolus evaſit.

Per eadem ferè tempora ex Hibernia ad Norvagos acceſſerat, qui Haraldi nomen ferens Magno Norvagiæ rege, Hiberniam quondam populante, prognatum ſe aſſereret. Cumque ut moris tum erat, ferri candentis examine dictis ſuis fidem aſtruere juberetur, nudatis ſuper ignitas laminas plantis, quomodo olim Feroniæ numine afflati, illæſus inceſſit. Idque cognoſcentibus regni proceribus, judicio eorum lata ſententia, ut Sivardus qui ſolus imperitabat, dimidio regni cederet. Sed mox Sivardo defuncto, cum Magnus ejus filius hominem ignotis, ut exiſtimabat, ortum parentibus vix ægre admitteret, & poſtmodum quoque ubi excludere pararet, ad arma tandem deventum eſt. Primum in agro Fridlevino certamen exarſit. Ubi cum fuſus fugatuſque Norvagia propelleretur Haraldus, in Daniam ad regem Ericum, ut virium aliquid contraheret, magnis itineribus profectus contendit. Ericus ob repudiatum à Magno, quod ante memoratum, neptis ſuæ matrimonium, ſupplicem haud aſpernatus, auxilijs eum proſequi ſtatuit. Verum Slavis domeſticam eodem tempore pacem interpellantibus, omiſſo aut dilato amico, ad propria curam ac cogitationes convertit. Collectâque centum ac mille navium claſſe, quo celerius bellum conficeret, primus maritimæ expeditioni etiam equos adjecit, ſingulis navigijs quaternos imponendo. His ad Rugiæ inſulam appulſus Archonenſium civitatem cum ſatis valido munitam præſidio deprehendiſſet, eam ut à continenti & finitimorum auxilijs ſeparatam teneret, tractum, qui Archonenſium fines à Rugiâ propemodum diremptos cum continenti committit, ligonibus effoſſum in vallum opacæ altitudinis redegit: Eique tutando Hallandenſes imponit. Quos Rugiani, quæſito per vada tranſitu, cum noctu inopinatos adorirentur, cæſi quidem complures, ſed ipſi tandem accedentibus è reliquo exercitu, novis manipulis, repulſi fortiter, fugatique. Quapropter Archonenſes, cum nec vires ad conferendum bellum, nec ſpes ab externis auxilijs ſupereſſet, arctiſſimâ obſidione victi deditionem certis conditionibus facere adacti ſunt. Conditiones præcipue erant ut ſacra Chriſtiana & antiſtitem, qui verbum eos divinum doceret, reciperent; tributa quotannis penderent; ſimulachrum interea, quod longâ civium religione ſub nomine S. Viti cultum habebant, retinerent. Eoque, ut Saxo addit, aſſervato,

asservato, veterem sacrorum morem haud penitus abrogarunt. Quin & paulo post, regresso domum Erico, unà cum antistite pulsa religio & pristinus simulachri cultus restitutus. Idololatriæ isti occasionem præbuisse Anscharium aliosque è cœnobio Corbejensi, viros alioquin pios, Crantzius Helmoldum secutus refert. Nam cum verbum illi vitæ his gentibus deprædicarent, ubique patronum sui loci Vitum præcipuè extulêre; atque ità ex nimiâ optimi aliàs martyris ac Christi confessoris, commendatione, temporis progressu idolum enatum.

Ericus post hæc, dispositis domi rebus, Haraldum adornatâ classe, quod ante Vandalicum bellum distulerat, ad Norvagos remisit. Qui ibi collectis insuper copijs Magnum prope Bergas insecutus circumvenit ac cepit. Captum vitâ quidem frui permisit, sed in posterum, ne aut regnum unquam appeteret, aut sobolem sui ultricem excitaret, oculis & virilibus privat. Norvagicum Chronicon oculis orbatum alteroque pede truncatum indicat. Ille igitur cœcatus mutilatusque à sceptro ad cucullum devolutus Nidrosiæ in monasterium se abdidit. Inde in Haraldum vicissim Nemesis Sivardum Slembeum veluti tempestatem ex inopinato exortam concitavit. Sivardus enim cum similiter Magno rege (Barsoed appellatum supra diximus) se prognatum venditaret, militem passim conscribit, & Magni, quem excœcatum & monachum factum diximus, amicos sibi quam arctissimè conciliat. Hic, nocte intempestâ, per insidias Haraldo in amplexibus amicæ obtruncato, bellum adversus ejus filios, Ingonem, Sivardum & Ostenum cœpit lacessere. Et quò felicius sub alterius personâ regno potiretur, Magnum è monasterio educit:
MCXXXVI. Comparatisque in Daniâ & alibi navalibus auxilijs, Haraldi filios, qui regijs erant insignibus ornati, terra marique persequitur. Sed illi haud segniter obviam facti primo conflictu Magnum teli ictu perfossum superant. Sivardum verò cum in hostium potestatem vivus venisset, contusum atque in frusta dissectum interimunt. Fuitque hic belli hujus eventus exitusque Sivardi Haraldique: quem posteriorem Chronologi Norvagiani cognomento Gylle appellant. Saxo non tam animi ejus quam corporis virtutes mirè deprædicat, adductis aliquot inusitatæ agilitatis experimentis, quæ passim edidit. ut vel inde cognomen illi *Gylle* patrio idiomate, quod *alacrem* atque *agilem* denotat, donatum arbitrer. Nec minora sunt, quæ refert idem de Sivardo, ejusque præsertim nandi promptitudine, sub librum historiæ suæ decimum quartum.

Interea Ericus pacem armis quæsitam justitiæ & clementiæ ornamentis illustriorem redditurus, id præcipue operam dedit, ut ordinum ac dignitatum respectu seposito, omnibus ex æquo jus diceretur. Irrogatas minoribus injurias superiorum pœnis pensabat, nullam vel familiaritati vel necessitudini immunitatem aut prærogativam concedens. Quo studio atque æquanimitate, ut magnatum erga se odia, ità plebis obsequia excitavit, effecitque ut illis formidolosus, his charus haberetur. Tantis verò res à se gestas laudibus efferri solitum memorant, ut veri subinde fidem excederet. Et inde ei natum *Emundi* cognomen sunt qui censeant. Nos quæ supra de vocabuli ejusdem occasione retulimus, ut vero propiora, ita hanc aliorum opinionem non omittendam putavimus.
MCXXXVII. Postea inter eum & Episcopum Roschildensem Eschillum quædam veluti inimicitiæ semina exorta, quæ mox haud levibus seditionum procellis agitata. Nam antistes Selandensium favore & armis frætus, regem totâ eâ insulâ excedere coëgit. Indeq; popularibus passim sub titulo libertatis in societatem attractis, obsides à suspectis exigere instituit. Quos inter cum forte filij Scialmonis candidi censerentur, hos ad concionem citat, & ut obsides tradant, bonis mulctandos minatur. Sed illi minacijs haud territi in proposito perstitêre: donec tandem rex cum classe è Iutiâ reversus Eschillum in arctum redigit. Qui deinde patris & patrui Atscheri Lundensis archiepiscopi intercessionibus usus vix ægre pacare regem potuit. Tandem tamen res eo deducta, ut auri vicenis talentis mulctæ loco persolutis liber & suæ potestatis ageret. At postmodum sub annum
MCXXXVIII. millesimum centesimum trigesimum octavum, defuncto Atschero, exulcerati adhuc erga Eschillum animi indicia haud obscurè rex prodidit. Cum enim de novi antistitis suffectione apud Lundenses ageretur, & populi suffragia in Eschillum, qui Atscherum sanguine contingebat, propendere viderentur, rex ei Riconem Slesvicensem, quod ejus in regno potiendo secundâ admodum operâ usus fuisset, præferendum judicavit. Nec tamen vota hæc palam tum in litem aut controversiam progressa, Scanis præsertim metu adhuc mussantibus. At mox Plogus quidam, claris apud Iutas natalibus, nec ità diu in militiam regis adscriptus, capiti ejus insidias comparare aggressus, regemque dum jus inter

inter populares Haddingæ dicit, inermem nec tectum loricâ animadvertens, latus ei lanceâ transverberat. Et ne timidius dicere, quam facere videretur, confestim à se regem prostratum exclamat, ac ceteros, ut operis collatis militem etiam invadant, cohortatur. Hæc ad annum trigesimo octavo posteriorem nonnulli, alij biennio contigisse serius notant. Quo eodem circiter tempore Imperator quoque Lotharius, postquam Italiam bellis explicuisset, Tridenti defungitur, humaturque prope Brunsvicum in monasterio *Lutheren.* Inde, Confluentiam advocatis imperij principibus, in locum ejus electus est Conradus Sueviæ Dux, multum, sed frustra, in adversum annitente Henrico Bavarorum principe. Erici verò exequiæ ac funeris solemnia Ripis celebrata, ubi hodieque in ecclesia cathedrali sepultura ejus regium in morem exornata spectatur.

ERICUS Rex. A. C. MCXXXIX.

ERICUS REX LXXIII.

LAM *dictus.*

ERICO Emundo successit ex sorore nepos ac cognominis Ericus, cui à patientiâ, ut volunt, cognomen obvenit; *Lam* enim populariter dictus; quod *agnum* seu *oviculam* latine redditum significet. Cujusmodi & olim dicterio apud Romanos Iulius Silanus *pecus aurea* C. Cæsari est appellatus, quod esset & signis & dominationibus fastiditus, ut refert, præter alios, annalium decimo tertio Tacitus. Pater Erici Haquinus fuit, Erici, qui *Bonus* cognominatus, ex filio Haraldo consanguineus. Celebrant præcipuè chronologi ejus cum animi præcipitem confidentiam, tum pietatem: adeò ut pietatis potius, quam audaciæ aspectu, cognomen illi *oviculæ* inditum existimari queat. Quamvis egregium utriusque specimen edidit, statim post cæsum à Plogo Ericum. Aulici enim, rege interempto, cum passim metu dilaberentur, solus ille intrepide subsistens ac regis cadaver suo corpore tegens pugnam in irruentes haud detrectavit: dignus scilicet vel hoc ipso, ut è Saxone argutum illud interseram, qui ei succederet, pro quo, etiam mortuo, vitam contemsit. At mox de electione cum agi est cœptum, alij Suenonem Erici, alij Canutum Magni, alij Valdemarum Ducis Canuti filium in medium producebant. Verùm ex ijs, cum vix quispiam regno ob ætatem maturus videretur, variatum sententijs. Christiernus, unus ex proceribus, utramque in partem pro Valdemaro disserens eum præcipuè regno dignissimum judicabat, memorando in longum patris ipsius ingentia beneficia, ut nimirum jura & leges stabilierit, ut foris hostem represserit, ut furtis & rapinis patriam vacuefecerit, utque Daniæ pœnè exhaustæ atque exsangui Slaviam subjecerit, ut etiam unicuique per vim amissa ad integrum restituerit, ac denique ut cunctis ejusmodi operibus sanguini suo regnum deferri optimo jure meruerit: Verum inde se ad annos Valdemari adhuc impuberis convertens, fatebatur Daniæ regno sub auspicijs puerilibus militiæ onera administrari minus tum expedire, virum circumspiciendum, qui adusque provectiorem pupilli ætatem tutoris veluti nomine regni negotia procuraret; eique muneri Ericum superioris Erici ex sorore cognatum aptissimum videri, utpote, qui intrepido pectore præstans, genus etiam maternum ex regibus duceret. Atque ita Erico & populi favor & pueri Valdemari majestas regium cum nomen tum vires circumposuit. Domestici autores præcipue eum, ut innuimus, ab audaciâ commendantes, nec prudentia, nec eloquio, aut alijs naturæ similibus dotibus magnopere ornatum demonstrant. Quin & stolidum adeo ac salutis suæ prodigum fuisse addunt, ut sæpe, nisi ab alijs inhibitus, seorsim ac solus in hostem prorueret. Eschillus Roschildiensium apud Selandos episcopus, de quo supra memoratum, accepto Erici Emundi apud Cimbros Iutiæ discessu, extemplo se ad occupandum archiepiscopatum in Scaniam confert: Ericus verò, cum antecessoris sui sententiam ei adversam fuisse non ignoraret, essetque in Riconem, quem prior Ericus nominaverat, propensior, ei potius dignitatem eam tribuendam existimabat. Sed renitentibus Scanis & ultima potius experire cupientibus, quam si in novam familiam deveniret pontificatus, cessit proposito, & Eschillum Scaniæ, Riconem verò Selandiæ præsulem, mediantibus cleri suffragijs, creari permisit. Eschillo rebus ecclesiæ præposito, nationalem Synodum Lundæ celebratam ecclesiasticæ rerum memoriæ innuunt: Eique præter Daniæ, Norvagiæ ac Sueciæ episcopis, aliosque pietate & doctrinâ claros viros, etiam pontificis Max. legatum interfuisse Theodignum nomine ab ijsdem memoratur.

Interea Olaus Haraldi filius è Norvagiâ reversus, anno circiter MCXL, patrimoniũ suum, MCXL.
quasi

A. 6

quasi inter bella civilia à patruo injuste occupatum, ut sibi debitam hęreditatem, reposcit. Cui vicissim legem Ericus opposuit, quâ in patriam perduelles bonorum pœna mulctantur: demonstrans simul patrem ejus peregrino milite adversus patriam usum, ejus manifesto reum fuisse. Quapropter perinde ac justum jam belli titulum accepisset Olaus, omissâ patrimonij repetitione, regno cœpit intendere. Ac primo regem Arnę apud Scandianos agentem per insidias adoriri studens, sed repulsam passus in Sueciam abijt. Inde intellecto excessisse è Scaniâ Ericum, regressus regium sibi nomen, illecto popularium aliquot favore, assumsit: Quod indigne Eschillus ferens, acceptâ à Scanensibus levi manu, cupidius ei quam felicius occurrit. Siquidem victus & datis obsidibus salutem pactus, sed postmodum elapsus in Selandiam ad Ericum pervenit. Qui collaudans eum ac multis beneficijs ob constantiam prosecutus, seque, non episcopum, superatum credens classe in Scaniam trajiciendum decernit. Sed ipse fabulosâ quorundam opinione imbutus, cum littus *Landoræ* dictum (*Landskrona* est in Andreę Vellei versione) ad quod pervehenda classis erat, ut ominosum & regibus fatale duceret, per Eschillum absens res gerere quam pręsentiâ suâ fatum incurrere potius habens, fortunam priori similem, id est, episcopo adversam expertus est. Olaus victoriâ exsultans quasi ipsum jam superasset Ericum, excluso Eschillo, opes ejus ęquè ac regias invadit, atque alij, ejusdem cum Eschillo nominis, pedum pontificale in manus tradit. Rex, accepto hoc nuncio, contractis undique tumultuarijs aliquot, & quæ sors obtulerat, navigijs, noctuè Selandiâ exercitum in Scaniam trajicit; interceptosque ex Olavianis aliquot aquis obruendos, alios, ipsumque novum pontificem laqueo strangulandum curavit. Arma & quicquid hostium haberi potuit militibus in prædam permisit. Ac demum apud Glunsdorpium vicum assecutus Olaum prælio superat. Sed ille in Gothiam confugiens iterum se pugnæ paravit: ac denuo fugatus, iterumque resumtis viribus Scaniâque relictâ, belli fortunam in Selandiam transtulit. Sed & ibi victus in Hallandiam excurrit. Ex quâ rursus Selandiam petens antistitem Riconem in vico Ramlosæ forte fortunâ commorantem oppressit. Obsessusque à milite episcopus, cum petita impetrataque cum Olao colloquij potestate, caput foribus exsereret, trucidatur, ut Saxo memorat. Crantzius caput è fenestrâ protendenti Riconi protinus ab Olao, qui aderat, dissectum ait, Quo cognito Romanus pontifex excommunicationis fulmine in eum usus, omnibus per Europam pontificibus ut hominem sacrum & execratum inque solas amandandum terras proscribit. Ericus verò comperto in Hallandiam regressum, festinato est insecutus. Sed Olaus, transmisso apud Aristadium flumine, sibi consulturus transfugæ insidijs propemodum oppressus fuisset, nisi equo repentè delapsus imminens jaculum corporis flexu evitasset. Ad extremum tamen cum parte majore copiarum prope Thyutam amnem (*Sutolffte* vulgo) bello deletus est. Quod prælium priusquam committeretur animum paulo ante ad sacra nuptiarum appulerat Ericus. Ductaque ei in conjugem Hartvici Bremensium episcopi soror germana Luidgardis nomine. Refertur id ad annum millesimum centesimum quadragesimum quartum ab Alberto Stadensi. De ipsâ verò Luidgarde diversa ab autoribus memoriæ prodita reperio. Saxo natu quidem nobilem, sed parentelâ potius quam pudicitiâ conspicuam innuit, & Ericum ejus instinctu prodigum magis quàm liberalem exstitisse, cum vetera passim latifundia regum in militem, cujus operâ adversus Olaum feliciter usus fuisset, nimis profusè erogaret. Stadensis prius nuptam ait Frederico Palatino, qui ex eâ filium susceperit Albertum Palatinum: Sed postmodum à Frederico ob sanguinis propinquitatem, volente sic pontifice, separatam nupsisse Erico, quem diximus; Eoque mox defuncto, reversam ad Saxones datamque in connubium Harmanno Vinceburgico: cui filias ternas genuerit: Earumque unam Henrico Comiti Suartsenburgico (quam exinde defuncto ipso, duxit Ulricus Witinensis) alteram Magno Burisio apud Danos Ducis titulo celebri elocatam: sed eo proditionis postea à Valdemaro rege insimulato luminibusque orbato, ipsam in Saxoniam regressam clade miserabili à famulo (casu an studio disertè non additur) naso truncatam.

MCXLIV.

Ericus porro prætęr domestica bella, etiam externis implicitus, sed quæ dispari à domesticis virtute ac fortunâ confecit. Res siquidem adversus Slavos gestæ minori hostibus detrimento, quàm ipsi dedecori fuêre. Adeò scilicet apud eum, qui pridem Achilles fuerat, ignava tum omnia solutaque deprehensa. Quâ mollitię sicuti foris contemtui, ità domi ab invasionibus aliorum haud tutus exstitit.

Interjecto deinde tempore apud Selandos agens levi tentatus valetudine, ad Fionios, unde

unde erat oriundus, concessit, ut ibi nimirum corpori curando commodius apud suos vacaret. Sed frustra tentatis juvando malo remedijs, animæ consulturus regiam vestem monachali permutat, ac palam convocatâ militum cohorte, regno renunciat. Assidebat inter alios ægro Elivus Visingius, qui se reliquosque jam regis clientes sacramento solutos commonefaciens de novo creando rege mentionem injicit. Quâ voce ità percussum Ericum Saxo addit, ut protinus animam efflarit, iniquè scilicet accipiens vivo adhuc sibi ac videnti successorem requiri. Obitus ejus in annum ferè millesimum centesimum & quadragesimum septimum à chronologis rejicitur. Elivum Visingium, quem, Saxonem secuti, diximus, aliàs Eilerum Vestorpij Comitem appellari ex vetustis quibusdam codicillis Ecclesiæ Fionensi à pontifice Romano concessis, suggerente Vitfeldio, intelligo. Agunt eæ literæ de episcoporum electione, deque bonis nobilissimorum virorum Georgij præsertim Munckij & Eileri jam dicti Comitis indultu ad ecclesiam pertinentibus. Ericum præterea, de quo loquimur, regem ejus nominis non quintum, ut plerique aut sextum ut Crantzius, sed tertium indigitant, haud scilicet alterius quàm ab Erico fortassis Bono repetito calculi initio, cum in ordine quintus potius sit, si, ut oportet, ab Erico primo, Haraldi Klag filio, instituatur numeratio. ERICUS Rex. MCXLVII.

Helmoldus non *Lam*, ut modò commemoratum, sed *Spac* cognomentum ei fuisse ait, refertque tutoris non regis nomine Daniæ præfuisse. Cujus verba, quia abire à relatis superius nonnihil videantur, adscribenda censui. Ait enim libro Chronici Slavorum I. cap. 68: Occiso Erico, cui cognomen erat *Emun*, remanserunt tria genimina regum, scilicet Suein ejusdem Erici filius, Valdemarus Canuti filius, Canutus Magni filius. Qui cum adhuc infantuli essent, consilio Danorum positus est eis tutor quidã ERICUS cognomento SPAC, qui regnum cum regiâ sobole tutaretur. Fuitq; vir ille pacificus, cum tranquillitate creditũ sibi gubernans regnum, nisi quod Slavorum furijs minus obstitit. Nam latrocinia Slavorum eo tempore solito plus invaluerunt. Sentiens autem Ericus propinquare diem mortis suæ, convocavit tres adolescentes regios, adhibitoque magnatum consilio, Suein destinavit ad regnum, Valdemarum & Canutum paterna hæreditate jussit esse contentos, ordinatisque taliter rebus defunctus est. Hactenus verba Helmoldi. Nunc Suenonem videamus.

SUENO REX LXXIV.
GRATENHEDE *dictus*.

ERICO Lam vitâ functo, non omnibus una de successore sententiâ fuit. Quippe apud Cimbros Canutus, apud Selandos Sueno, ille Magni, hic Erici Emundi ex Chunnâ concubinâ, ut habet Helmoldus, naturalis filius, impenso uterque ad regni diadema obtinendum studio ambituque ferebatur. Et licet favere Selandenses Suenoni videbantur, nihil tamen sine consensu publico ac regni totius majestate sibi faciendum judicabant. Unus omnium, hæsitantibus ceteris, Steno regio Suenonem nomine primus salutavit ac partem concionis majorem eodem traduxit. Inde in Scaniam profectus, assumpto sibi Iacobo Colone, singularis facundiæ viro, Scanenses quoque easdem in partes propellit. Iacobus enim, acceptâ dicendi copiâ, demonstrat, nihil voluisse Selandos sine Scanensium consensu in regiâ Suenonis electione peragere, ipsorum potius sequi sententiam, quam præcurrere statuisse. Interim commendatum sibi habere Selandos Suenonem regiamque ei potestatem deferre, dummodo accedant Scanensium suffragia: simulq; meminisse monet, ut olim fuso fugatoque Magno, rem Danicam suis præsertim viribus suffulserint, & patri Suenonis ad extrema redacto, nihilque nisi interitum præstolanti imperium tribuerint, ità nunc etiam filium respicere & eâdem, quâ patrem, humanitate ac faventiâ prosequi non nollent. Quibus prolixe memoratis haud difficulter Scanensium animos huc quodammodo suâ sponte propendentes Suenoni in totum propitios reddidit. Nec secius apud Iutiæ Cimbros, indignè ferentes Suenonem solis Selandensium ac Scanorum suffragijs insignia regis assumsisse, rem suam Canutus agens dignitatem ac sceptrum regium sibi ab ijsdem deferri permittit. Eorumque mox fretus auxiliaribus copijs sine mora procinctum in Selandos movet. Atque ibi Eschillum Lundensium præsulem occultis ad defectionem promissis sollicitans id effecit, ut episcopus, tentatis quidem, sed minus ex sententiâ cedentibus rebus, apud Suenonem proditionis accersitus in custodiam, quæ erat excelsâ in parte ædis Laurentianæ, compingeretur.

SUENO Rex. A. C. Sed metuens Sueno pontificiæ excommunicationis censuram, tum ut ex inimico amicum sibi atque obstrictum redderet, Eschillum non prædijs modò, sed & Borcholmiæ insula (Burgundia est sed perperã in editionibus Saxonis) liberaliter donat. Nec multò post, absente eodem prope Slangedorpium, Selandiæ oppidum, manus cum æmulo conferens cruentissimo eum prælio superatum totâ Selandiâ pepulit. Indeq; in Scaniam ipse, Canutus in Iutiam refugus abijt.

MCXLVII. Per eadem tempora Romanus pontifex animadvertens Christiana sacra à barbaris passim proculcari, principes per universam Europam, datis codicillis, adhortatur ut sumptis unanimiter armis quisque suæ provinciæ vicinum hostem invadat. Dani igitur, ne & ipsi bono publico deessent, eodem quoque studia sua atque animos convertunt. Datisque utrimque inter Suenonem & Canutum obsidibus, inducias pro tempore paciscuntur; revocatumque à visceribus suis ferrum in Slavos transferunt: Cumque classe suâ Germaniæ continenti appropinquarent, occurrentes in littore terrestribus copijs Saxones, militiæ eorum se socios offerentes, habuêre. Classis Danorum, quæ à locis diversis diversa accesserat, alia Canutum, alia Suenonem sequebatur: Canuto præcipue Cimbri, qui Iutiæ erant borealiores, adhærebant; Suenonem comitabantur Slesvicenses. Qui è Scaniâ & Selandiâ extremi appulerant, quisque prout locus ferebat, portum hostilem occupat, classemque priorem suâ circumincludit. Ac prima quidem in oppidum Dobinum, piraticâ celebre, instituta oppugnatio. Sed recens inter reges dissensio insitumque animis odium, causam præbuit, quominus ad finem optatum perducta obsidio fuerit. Accessit quoque Rugianorum in classem præsertim Scanorum ex inopinato factus impetus. Nam in terram cum pleraque multitudo ad oppugnandum Dobinum esset expositâ, Rugiani, cognita eorum, qui naves servabant, paucitate, adorti, quos ordo proximos offerebat, Scanienses, ferme universos fuderunt. Nec injucunda Iutensibus sociorum hæc clades visa, utpote vix socios reputantibus, quorum ducem à se diffidere non ignorabant. Itaque Sueno, relicto celerius Dobino, Slesvicum devectus prior Canuto Selandiam occupat, atque urbem Roschildensium, quæ mænibus eousque caruerat, vallo ac fossâ circumcingit. Eique imposito præfecto Ebbone, Scialmonis Candidi filio, ipse in Scaniam festine trajiciens rebus quoque ibi, quantum dabatur, consuluit. Canutus, comperto Roschildiam in partes Suenonis concessisse, & operâ Ebbonis præsidijs quoque communitam, mittit tamen, qui ad deditionem cohortatur: Sed capto atque oculis excæcato feciale, aliud in arenâ consilium capit. Observataque temporis oportunitate Selandiam, quà parte maris anfractibus interluitur, inopinatam classe invadit, ac Roschildensibus, nihil tum hostile metuentibus, oppressis, ædes etiam ac prædia Ebbonis direpta incendio consumit.

Sed de Romano pontifice deque ejus pro Christianâ pietate adversus barbaros sollicitudine, quod retuli, id Saxonem nostrum Grammaticum sequutus retuli. Didicique postmodum Auctarium Gemblacense, quod Miræus Sigeberto adjectum edidit, ejus non modò expeditionis sed & cladis quoque Scaniensibus illatæ aliam commemorare occasionem. Cujus verba adscribenda censui, quæ habentur ad annum millesimum centesimum quadragesimum octavum ejusmodi: Dani, Vestphali ac Saxonum duces con-
MCXLVIII. ,, senserunt in hoc, ut alijs euntibus Hierosolymam contra Saracenos, ipsi vicinam sibi Sla-
,, vorum gentem aut omnino delerent, aut cogerent Christianam fieri. Et cum jam ad ar-
,, ma ex utraque parte ventum fuisset, Teutonici acceptâ pecuniâ, vendiderunt Danos, cæ-
,, ptoque prælio se subtrahentes multa millia Danorum occidit Slavorum gladius.

Postinde ex Cimbricâ nobilitate viri duo conspicui ac bellicâ laude clari, deserto Canuto, assumptisq; liburnicis ad Suenonem transeunt. Quorum accessione gavisus Sueno, postquam ducibus belli Eschillo ceterisq; unà cum copijs, quas sufficere judicavit, in Selandiam adversus Canutum trajecisset, prope Thorstam vicum acies concurrêre. Fuitque diu dubia pugna, dum tandem Sueno, qui terga dare cæperat, à suis in gradum revocatus ex pœnè victo victor evasit. Inde Valdemarus, divi Canuti filius, jam armis per ætatem maturus cum Suenone potius quàm cum Canuto, ob perpetratum à patre ejus paricidium militiæ suæ tirocinia jungens, plurimum Suenoni favoris atque autoritatis conciliavit. A quo & præfectura paterna, ducatu nimirum Slesvicensi, cohonestatus, competitorem, quem Canutus subvexerat, importunè atque identidem eidem inhiantem, spe omni summovit, armisque compescuit. Sueno hoc pacto fluentibus ad vota rebus, tum & viribus atque amicis auctus Canutum sibi persequendum statuit.
Ac

SUENO Rex.

Ac primo in Fioniam, inde in Cimbriæ Chersonesum transvectus, auctore transfugâ, in Holsatos, sed minus feliciter arma capessit. Amissis enim ibi suorum haud paucis vitandum tunc Canutum quàm fessis dispersisque copijs integrum appetendum consultius judicavit. Quippe Ethelerus natione Dithmarsus, qui se Suenoni junxerat, cum ad flumen usque Eidoram Suenonem cum exercitu ad insequendum Adolphum Comitem instigasset, incolæque pontem abrupissent, ex Danis, qui flumen lintribus transierant, cæsi fere aut capti omnes: quanquam in propulsando periculo animus illis haud deesset, utpote qui nec fugere possent, & in oculis regis, qui in ripa adversa erat, pugnam edere necesse haberent. Itaque in Scaniam regressus Sueno, compositisque de novo ad bellum manipulis confestim ad Selandos ac Fionenses redijt. Ubi dum hæret, de obitu Ebbonis certior redditus, quàm sibi viri illius casus totique exercitui lachrimabilis accidisset, indicto armorum justitio commonstravit. Adeò enim familiariter eo usus fuerat, ut nihil domi militiæve, publice aut privatim, sine ejus arbitrio administrandum existimarit. Sed mox discusso funeris mœrore è Fionia in proximam Iutiam movens Viburgenses telonij regij immunitatem pactos sibi inter primos conciliavit. Quo & Canutus, sociorum suffultus viribus, cum advenisset, prælium peratrox commissum est. Canuto, qui superioribus pugnis equitatu parum ex sententiâ usus fuisset, autores plerique è proceribus fuêre, ut robore exercitus in peditem conjecto, ei præcipuè insisteret. Sed hoc illi consilium quam infeliciter cesserit, Sueno ostendit, qui in suum id commodum vertens, monitore præsertim Valdemaro, tum adhuc annis tenero, sed animis & industria prompto, pedites peditibus opposuit, latera autem tergaque equitibus clausit. Itaque cuneos Canuti, qui potissimum ex pedite constabant, partito equitatu circumvolans eorum quàm celerrimè ordines aciemque perfregit. Quo viso Canutus transversis militem principijs instruit, revocatamque à pedite pugnam ad equites transtulit. Sueno, qui & armis diffideret, & equorum præsertim pericula formidaret, fatigandum hostem & Marte potius incerto ludificandum, quàm manu consertâ percellendum censens lassitudine eum atque æstu propemodum confecit. Interque eos gravissimè impetiti, quicunque communi evagantes acie periculo semet objectabant. Sicque variè lacessiti, crebroque impetu & obliquis concursibus lacerati manum tandem herbamque dedêre. Et nisi proximum opidum effugio patuisset, unà omnes internecione occidissent, ita nec ad fugam receptus alius, nec ad pugnam vires supererant. Oppidoque recepti, pars fugam capessere, alij latebras quærere, nonnulli per medias plateas erumpere; Canutus ipse per vicorum angiportus ac devia delatus celeri equo discrimini eripitur. Qui substitêre, ingresso mox oppidum Suenone, certum in locum captivi abducti. Hîc regi occurrens Helias Ripensium antistes, natione Flandrus, circumspectis omnibus Suenonem hortulani consilio utendum monet, qui fruticibus noxijs extractis locum utilibus relinquit. At Sueno mitiora secutus, duobus tantum ob latrocinia gladio cæsis, multos in gratiam recepit, quosdam etiam se redimi permisit, exceptis qui dato sacramento ac facta sponsione in fidem ejusque militiam adscripti. Canutus igitur, jam tertium victus ac profligatus Alburgo in Sueciam concessit; atque ibi apud vitricum Suerconem aliquandiu amice habitus, postquam se non tam Suerconi quàm filio ejus Iohanni, qui fortunam ipsi atque iterato identidemque inflictas clades subinde cantilenis exprobabat, onerosum animadverteret, accepto commeatu, in Poloniam maternæ necessitudinis, beneficiorumque fiduciâ profugit. Sed quis in adversis benefactorum aut cognationis servat memoriam? aut quis ullam calamitosis deberi putat gratiam? aut quando fortuna non mutat fidem? Itaque & hinc, avunculo quidem primo non adeo ingratus, post despectus, ad ducem Saxoniæ Henricum pervenit. Apud quem similiter exspectatione suâ ac spe minora reperiens, Hamburgensem antistitem Hartvicum adijt, quem Danis, jurisdictioni ipsius exemptis, minus faventem non ignorabat. Ab eo humanissime exceptus, & belli quoque subsidia mutuatus, Iutiam intrat, atque urbem Viburgensem obsidione quàm potest arctissimè premit. Sed Sueno, reductis confestim sub signa copijs, in adversum progressus castris eum exuit.

Helmoldus Chronici sui libro primo idem hoc bellum Suenonis adversus Canutum tangens, cum referat, quæ alibi legisse non memini, operæpretium putavi verba ejus ipsissima adscribere, quæ ità habent cap. 68: Sentiens Ericus cognomento Spac appropinquare diem mortis suæ, convocavit tres adolescentes regios, adhibitoque magnatum consilio, Suein destinavit ad regnum, Valdemarum & Canutum hæreditate paternâ

T ij jussit

FREDERICUS BARBAROSSA IMP.

SUENO Rex. A. C.

jussit esse contentos, ordinatisque taliter rebus, defunctus est. Nec mora, Canutus, Magni filius, ruptâ Curatoris sui dispositione, conatus est arripere regnum, movitque contra Suenonem prælia magna. Porro Valdemarus partes Suein adjutabat, & commota est universa Dania; Visaque sunt prodigiosa in cælo versus aquilonem signa, species quasi ignearum facularum & humani cruoris similitudo rutilantis. Nec fefellerunt portenta. Quis enim ignoret strages factas, factas inquam in eo prælio? Certabat ergo uterque regum asciscere sibi Comitem nostrum (Adolphum Holsatum) miseruntque nuncios cum donarijs, plura offerentes & ampliora promittentes. Complacuitque Comiti ad Canutum, habitoque colloquio, fecit ei hominium. Quod factum est zelatus Suein, assumptaque manu armatâ, transivit in Vagirensem terram & succendit Aldenburg, & demolitus est omnem terram maritimam, & digrediens inde succendit suburbium Sigeberg, & quæcunque in circuitu ejus erant, vorax absumpsit flammâ. Hujus autem mali fuit author Ethelerus quidam de Thietmarsiâ natus, qui divitijs Danorum sublevatus, omnem fortem de Holsatia sibi sociaverat. Factusque ductor regis, volebat Comitem provinciâ pellere, terramque ejus addere regno Danorum. Quod factum cum innotuisset Comiti, transijt ad Ducem (Henricum Leonem) ut protegeretur ab eo. Nec enim in Holsatiâ tutò consistere poterat, eò quod increvissent homines Etheleri, qui insidiabantur vitæ ejus. Quicunque volebat fieri homo Etheleri, veniebat ut acciperet in munere byrrum, clypeum vel equum: Atque donis ejusmodi corrupta, repleta est terra seditiosis. Præcepit ergo Dux omni populo Holsatorum & Stormariorum, ut sicubi reperti fuissent homines Etheleri, aut renunciarent hominio, aut provinciâ secederent. Et factum est ita: juravitque omnis populus, stare ad mandatum Ducis & obedire Comiti suo. Sociatusque est sibi vir Holsatensis in die illa, seditiosis omnibus aut reductis in gratiam, aut provinciâ pulsis. Misit ergo Comes nuncios ad Canutum, suggerens ut quantocius cum exercitu veniret, oppressurus Suein. Cui etiam ipse occurrit cum quatuor millibus expeditorum, prope Slesvich. Fixeruntque castra longis ab invicem spacijs. Morabatur autem Suein in Civitati Slesvich, cum non minimâ bellatorum manu. Videns ergo Ethelerus, princeps exercitus Suein, quia duplicata sunt mala, multusque exercitus venit ad obsidendum eos, abijt ad Canutum in dolo, datâque pecuniâ principibus seduxit adolescentiam Canuti, ut rediret in terram suam, inscio Comite Adolpho, & demitteret unumquemque in locum suum. Præfixis quoque inducijs, spopondit se sine bello pacem Danis redditurum. His ad libitum peractis, redijt Ethelerus Slesvicum, mane pugnaturus cum Comite, & perculsurus eum repente. Eo vespere quidam familiarium Comitis erat Slesvici, qui sentiens ea quæ clam parabantur, transijt cum festinatione lacum, & veniens in castra dixit ad Comitem: Deceptus es ô Comes, deceptus atque pessundatus es: Canutus enim & exercitus ejus, in quorum auxilium tu venisti, reversi sunt in terram suam, & tu solus hic jaces. Ecce venturus est Ethelerus diluculo pugnare tecum: Comes ergo supra quam credi potest admirans imposturam, dixit ad suos; Quandoquidem in medio myricæ consistimus, & equi nostri afficiuntur inediâ, bonum est nos hinc transire, locumque quærere castris oportunum. Sensit ergo exercitus, animum Comitis sinistra legatione concussum. Moveruntque castra de loco, qui dicitur Cuningisho, verteruntque iter versus Egdoram. Tanta autem festinantiâ præterlapsi, ut veniente Comite ad Egdoram, de quatuor millibus expeditorum, vix quadringenti cum eo reperti fuerint. Quos Comes adhortans ait. Licet fratres & amicos nostros hujus ignaros rei fugaverit cassus timor, mihi tamen utile videtur, nos hic consistere propter custodiam terræ nostræ, quousque directis nuncijs certius cognoscamus, quid actitent hostes nostri. Statimque misit nuncios, qui veritatem præferrent. Quibus apud Slesvicum comprehensis & in vincula conjectis, dixit Ethelerus ad regem dominum suum: jam nunc festinandum est, & eundum cum exercitu, quia facile est ut tradatur Comes iste desolatus in manus nostras. Quo percusso, transibimus in terram ejus, & abutemur eâ prout libuerit. Et abierunt cum manu forti; Comes ergo irritatus, quia nuncij juxta placitum non venissent, alios misit nuncios, qui visis hostibus cum celeritate nunciaverunt Comiti. Ille licet intus morderetur suorum paucitate, elegit tamen virtutis intuitu, confligere, dixitq; ad socios: En tempus est ô socij, quo comperiendum est, ubi sit vir audax & virtutis continens, qui ruinas pronus excipere velit. Sæpius quidē mihi à nostratibus objectum est cum insultatione, quasi cor muliebre & fugax habuerim

habuerim, qui bellorum jacturas plus linguâ quàm manu propulerim. Et hoc quidem non imprudens egi: quoties bella sine sanguine caveri poterant. Nunc quidem quia majus periculum indiget operâ manuum, videre jam fas est, si fæmineus mihi, ut dicitis, insit animus. Quin potius videbitis dante Deo mihi cor inesse virile. Animæquior autem ero, si vestra concors mecum fuerit voluntas, si in defensionem patriæ mecum conjuratâ manu steteritis. Hoc enim loco præsidium pugnæ flagitat, & verecundia fugæ & certissimum patriæ excidium. Hæc cum perorasset comes, gratulati sunt socij, grandique juramento se obligarunt, ut starent firmiter, pro salute suimet & patriæ. Præcepit ergo Comes effringi pontem, & posuit custodias in locis quibus permeabilis erat fluvius. Venit autem nuncius, qui significaret hos traduci prope villam, quæ dicitur Scullebij. Factâ ergo oratione ad Deum, Comes festinavit pugnare cum his, qui traducti fuerant, priusquam universus transiret exercitus. Statimque ubi congressi sunt, Comes equo dejectus est, & fuerunt ei præsidio duo milites, qui sublevatum equo restituerunt. Et fuit pugna vehemens, & victoria utrimque ambigua, quousque unus partium Comitis proclamarit, ut poplites equorum, quos hostes insidebant, fortiter cæderentur, factumque est, ut cadentibus equis, sessores quoque loricati collaberentur, gladijs nostratum protriti sint; Et cecidit Ethelerus, ceteri nobiles aut occisi sunt aut capti. Quod videns rex ex altera ripâ fluminis, & qui cum eo erant, petijt fugam & reversus est Slesvicum. Et post pauca addit: Inde reconciliatus est Comes Suenoni, Danorum regi. Ille enim crebris prosperatus victorijs, Canutum ejecit de terrâ, & ad Saxones propulsum exulare coegit penes nominatissimum Hartwigum archiepiscopum, qui clarissimo genere natus magna pollebat hæreditate. Atque inde interjectis nonnullis, iterum Helmoldus: Dani laborantes intestino bello certabant Comitem prævenire muneribus. Canutus enim, qui profugus exulabat apud archiepiscopum, conflato de Saxoniâ conductitio exercitu, reversus est in Daniam. Et additi sunt ei pene omnes, qui habitabant Iutlandiam. Eoque audito, Sueno contraxit maritimas copias, transmissoque mari, venit ad civitatem Viburgensem, & commiserunt reges prælium & fusæ sunt copiæ Saxonum, & ad internecionem deletæ. Canutus fugâ elapsus venit in Saxoniam. Hucusque Helmoldus.

SUENO Rex.

Inde fluente jam anno millesimo supra centesimum quinquagesimo tertio in Frisiam, quam Saxo Frisiam minorem appellat, Danici juris districtum, excurrit, ut ibi postremum lapsis rebus præsidij nonnihil acquireret. Bello hîc promta gens, & quæ in se quod erat, profugi regis fortunam fulcire conata ad Mildam flumen, castello instar opidi excitato, dum incautius elici à Danis ad transeundum flumen se sinit, à Suenone, qui cum maximis regni viribus aderat, oppressa cladem ingentem accepit. Quin & mulctæ nomine post stragem acceptam ut duo librarum millia cum obsidibus penderent, simul imperatum. Chronicion, quod circumfertur, Erici Pomerani, Danorum regis nomine non Frisones, sed à Frisonibus superatum ac cæsum, cum multa Scanensium aliorumque nobilitate, Suenonem ad eundem hunc annum refert. Sed contrarium eventus docuit. Nam Canutus jam quintùm profligatus ac undique exclusus, ad Cæsarem Fredericum, vulgo Barbarossam appellabant, Conradi Imperatoris ex fratre nepotem, qui annô antecedente suffragijs principum totius Germaniæ, ad imperij diadema Francofurti fuerat electus, se recepit: eumque veluti extremum præsidium ac sacram anchoram amplexus sibi de eo, utpote communi Germaniæ pacatore, omnia summa pollicebatur. Nec deerant ingentia promissa, quibus allicere Imperatorem ac dicto audientem reddere poterat, dum se, præter alia, in ejus beneficio patriæ procurationem, cunctaque ad ipsum relaturum identidem promittit. Itaque Augustus proferendi imperij studiosus confestim ad Suenonem, quo olim juvene ipse ejusdem ætatis in aulâ Imperatoris Conradi, dum unà stipendia faciunt, familiariter atque amicè usus fuisset, nuncium mittit, oratum ut se invisat; esse, de quibus, cum eo conferre cupiat, sed & veteris præsertim amicitiæ nomine, tum ipsius post intervalla videndi ac salutandi desiderio, hoc ipsum seriò petere; adjiciens semet propius accurrere voluisse, nisi præpedivissent imperij negotia. Sueno tam honorificâ ac benignâ compellatione invitatus, assumpto sibi, præter cæteros, Valdemaro ad Imperatorem Mersburgum Misnorum, quo tum fere totius Germaniæ nobilitas confluxerat, magnâ cum apparatus majestate profectus est. Cumque ad urbem pervenisset à Cæsare primò peramanter habitus, mox Canuti altercationibus involutus haud per-

MCLIII.

FREDERICUS BARBAROSSA IMP.

omnia facta promissis respondentia deprehendit. Cæsar enim pacis conditiones, quibus parere utrumque sub pœna læsæ majestatis cupiebat, ejusmodi proposuit, ut Sueno imperatorem recognosceret, Canutus verò, sepositâ regni spe, Suenonis militem agens beneficij loco Selandiam acciperet. Sueno in re tam ancipiti parendum aut periclitandum animadvertens, simulatâ assensione, paterna tantum bona, quibus in Selandia seorsim fruebatur, se excipere referebat, ne scilicet à pactis in omnem eventum per occasionem resiliendi deesset opportunitas. Canutus autem conditionibus assensu suo ad plenum approbatis, solum Valdemarum pro Suenone sponsorem efflagitabat. Sed ille lubricam & fluxam eam omnem compositionem perspiciens, quamvis ægrè, tamen eâ lege annuit, ut liberum sibi foret, si Sueno pactis non staret, Canuti partibus accedere. Sunt qui tradunt Danos circa idem hoc tempus, occupatâ Lubecâ, exercitus toto eo littore habuisse firmissimos; Fredericum verò cum animo agitaret expeditionem Italicam, maluisse, receptâ Lubecâ, cum Danis transigere & gentem fortissimam, quæ diuturnis ac difficilibus bellis imperatores exercuerat, societate & amicitiâ Germaniæ conjungere, quàm exasperare continuis ac domesticis prælijs. Sed hoc tempore posterius accidisse, & ad res Valdemari referendum, postea monstrabitur. Sueno verò vix in regnum regressus, è vestigio ad Imperatorem literas mittit, quibus pactiones cum eo initas, ut fide minus bonâ transactas, & in quas nemo ante se regum concesserit, eatenus se rescindere significat. Canutus tum quoque delusum se videns, vadem adit. Qui cum regem deserere vel sponsionem corrumpere æque fœdum judicaret, mutare pactionem quàm irritam reddere maluit. Rex enim cum Selandiam commeatui suo necessariam, nec à regno abalienandam diceret, interponente se Valdemaro, ità res composita, ut aliud ejus loco Canuto assignaretur. Itaque tripartitam ei præfecturam rex constituit, peculiari nimirum in Iutiâ, Selandiâ & Scaniâ collato beneficio; quod scilicet intercisâ hoc pacto dominatio minus habitura videretur potentiæ. Hujus quoque rei prædem Valdemarum Canutus postulavit accepitque. Suenonem verò, iteratâ priori sponsione, polliceri coëgit, se haud ægre aut Valdemari aut utriusque laturum defectionem, si refringi fortasse ipsius culpâ pactum contingeret. Quo veluti pignore fretus Canutus haud invitè conditionem amplexus est. Sueno autem, quasi jam bellorum omni metu solutus, se exinde superbiæ ac luxui tradidit. Nam & mores non tantum patrios, ut minus urbanos, sed & cultum domesticum Saxonico mutavit. Epulandi quoque receptam consuetudinem transmarinis mensarum delicijs condiens novas commessationum offucias invexit. Honores præterea, sepositis à latere suo proceribus, alijsque illustribus viris, in histriones similisque farinæ personas viliores contulit. Accessit & avaritiâ, quâ ut plebem exhausit, ità militem locupletavit. Sed dum hujus obsequitur desiderijs, illius, qui vel maximè ei necessarius erat, favorem paulatim amisit. Forenses similiter controversias & quicquid jure aut sacramenti religione decidi oportebat, ad duella & pristinum gentis morem revocatum, armis ac corporum robore discerni terminarique permisit. Popularium denique si quando conventus haberentur, aversatus plebeiorum colloquia se non nisi loco editiori collocatum adiri ab ijsdem ac salutari voluit. Quibus alijsque fastuosi animi indicijs multorum à se mentes atque inclinationes abalienavit. Incidit eâdem tempestate belli adversus Suecum gerendi necessitas, nisi regia nuptiarum solennia, eorumque apparatus id differendum monuissent. Quippe Saxoniæ principis Conradi Pij filiam Adelheidam, sibi jam ante desponsam, domum ducturus, in eo præcipuè erat, ut debitas celebritati isti finis imponeretur. Per hanc Suenonem in ritus peregrinos adductum tunc vulgi passim sermonibus differebatur. Sed eam opinionem falsam fuisse, præter Saxonem, etiam Crantzius ostendit, quod jam ante non modò Theutonum ritus sibi familiares habuisset, sed Germaniam quoque & aulam imperatoris Conradi & Frederici frequenter adeundo, quicquid exotici moris erat avidè semper amplecti consuevisset. Per eadem tempora Nicolaus Brecksparre, natione Anglus, S. R. E. Cardinalis, episcopus Albanensis, qui postea fuit Hadrianus 4 pontifex maximus, missus à Papa Eugenio in Norvegiam, quæ tum adhuc Lundensi Danorum archiepiscopo parebat, Nidrosiæ (Thrundhemum aliàs diximus) primum metropolitanum Iohannem constituit. Ejusque ditioni atque imperio subjectos dictoque audientes esse voluit Asloensẽ, Bergensem, Stavangriensem, Hamerensem, Orcadensem cum Islandensi & Gronlandensi episcopos. Et idem quoque apud Sueones peracturus videbatur; Sed dum ipsi de loco & persona cum Gothis digladiantur, propositum ejus dilatum est. Itaque in Daniam digressus pallium archiepiscopalis eminentiæ, Suecis destinatum

FREDERICUS BARBAROSSA IMP.

SUENO Rex. A. C. MCLIV

stinatum, apud Eschillum Lundensium præsulem deposuit, ut is nimirum in eum per occasionem conferret, cui id Gothorum Sueonumque concors suffragium attribuendum pronunciasset. Eoque pacto Eschillum, quem urebat substracta Norvegia, pacatiorem reddens eidem & hoc & cætera sua acta Apostolicis literis propediem corroboraturum promittebat. Quod & obstinuisse exinde, sub annum millesimum centesimum quinquagesimum quartum, ab Anastasio constat, Eugenij successore; quem ipse postea Nicolaus Anglus, assumpto, ut dixi, Hadriani IV vocabulo, continue secutus est.

Iamque ad bellum Sueticum Sueno ferebatur. Cui Iohannes Suercheri Suecorum regis filius, à patre indulgentius quàm honestius educatus occasionem præbuerat. Is enim, collatis copijs, Hallandiam inopinato adortus conjugem absentis præfecti sororemque viduam, matronas specie pulcherrimas, ac summa morum honestate præditas, ad libidinis consortium raptas in Sueciam usque invitas devexit. Ac tandem postquam publicum patriæ totiusque populi odium ob facinus adeò temerarium meruisset, utramque remisit. Sueno tam impio facto permotus existimavit in omne Sueonum nomen hoc ipsum vindicandum. Sed Cardinalis, qui tum adhuc aderat, Nicolaus, intellectâ Suenonis mente, summopere ipsum ab eo bello revocare conatus est; adductis pluribus impedimentis ac præsertim locorum difficultatibus, quæ ante essent superanda; quam manus cum hoste conferendæ: Et cum omnia fecisset, similem eum araneæ fore dicebat, quæ semet eviscerando, præter muscas & vilia animalcula, nihil assequatur. Verum Sueno dignitatem potius quàm consilium Cardinalis reveritus, abeuntem ad regni usque fines honorificè prosecutus est. Inde conceptum animo bellum cum seriò eum urgere Suercherus animadverteret; missis legatis, petit si alia quapiam iniri ad concordiam via possit, se ad omnes omninò pacis conditiones promptum ac paratum fore. Sed apud Suenonem, qui animum obfirmaverat, rationibus locus non fuit. Suercherus igitur imminere bellum videns filium suum Iohannem copijs præfecit. Qui cum officio suo votisq; paternis satisfacturus coram populo de belli instantis oneribus solvendoque tributo ageret, summâ omnium indignatione, utpote mali publici fomes atque occasio, exceptus ac mox à plebe consternatâ interemptus est. Fuitque is hic exitus ac fatum filij Suercheri Iohannis: Cui & alius insuper fuit Carolus nomine ex raptâ natus. Rex enim Nicolaus, de quo ante memoravimus, emortuâ Margaretâ Ulvildam Norvagicam in matrimonium receperat: Hancque Suercho legationibus primò amatorijs sollicitatam, mox furtim viro subductam in sui amorem pellexit: ejusque thalamo pro connubio usus Carolum ex eâ, qui & postmodum apud Suecos regnavit, filium procreavit. Hanc injuriam etiamsi ulcisci Nicolaus cuperet, domestica tamen bella aliaque; quibus districtum supra ostendimus, tum & mors, præpropere subsecuta; litem eam ac controversiam abrupit. Suercherus verò, auditâ filij sui Iohannis cæde non prælio se offerre; non arma aut expeditionem parare; sed ignotos locorum recessus quærere summamque rei popularibus permittere. Idque cognoscens Sueno victoriam hoc pacto paratam sibi fore nullus videbatur ambigere. Sed mox prædabundus Findlandiam atque inde Verendiam ingressus; cum animadverteret agricolas undique ad bellum non modò paratos, sed cæsis præterea arborum truncis omnes ubique transitus obseptos, celerius opinione receptui signum dedit, relicto post se exercitu, qui ob frigoris vim ac nivium molem cum nec fungi officio suo nec obire satis pro debito excubias militares posset, haud leve detrimentum incurrit.

Ea Suenonis irruptio Canuto ad res novandas animum addidit. Unum tantum obstaculo erat, Valdemari Ducis cum Suenone concordia. Qui itaque Canuto studebant, hoc ante omnia tollendum rati, connubij affinitatem inter Valdemarum & uterinam Canuti sororem Sophiam ineundam suadent. Sed Valdemarus cum minus huc animo propendere videretur, quod virgo licet eximiæ pulchritudinis, Rutheno tamen patre nata, nullas in Daniâ hæreditarias possessiones obtineret, Canutus totius patrimonij sui partem tertiam dotis loco promisit. Atque ità, acceptâ sponsione, Valdemarus virginem ubi ad nubiles venisset annos, ducturum se pollicetur. Quâ connubij societate, sicuti neglectum inter utrumque sanguinis vinculum ac diu funestis odijs laceratum, novâ tum amicitia coaluit, ità suspecta hæc omnia ac suspensa apud Suenonem fuère. Idque cum nec Valdemarum nec Canutum lateret, impetratâ ab eo commeandi licentiâ, in Sueciam quasi ibi res suas ac negotia curaturi proficiscuntur; re autem verâ Canuto Suerconis filiæ postulandæ negotium fuit. Cujus utriusque præsentiam tanta affectione est amplexus Suerco, ut nihil eorum votis denegandum existimarit. Inde in Daniam reversi hoc Suenoni in-

FREDERICUS BARBAROSSA IMP.

SUENO Rex.

visiores fuêre, quo se majore cum hoste necessitudine devinxissent. Post Canutò in Iutiam profecto, Valdemaro verò Ringstadij subsistente, Rex ad eum curriculo venit ac verbis atrocibus exceptum perfidiæ ac proditionis accusat. Neganti confictas à se literas exhibet, quæ utriusque cum Suercone fœderationis indicium continerent: Valdemarus falsam criminationem arguens ac magnâ verborum acrimonia in regem vicissim invectus, dolere inter alia se referebat, talia sibi pro vulneribus, pro militiæ laboribus præmia reponi. Fuissentque, commoto vehementius rege, manus illi injectæ, nisi miles, qui Valdemarum reverebatur, operam detrectasset. Valdemarus igitur apud Cimbros & Canutum hanc regis insectationem non sine querimoniâ prosecutus majorem sibi populi favorem, regi odium creavit. Nec multò post unà cum Canuto & milite præsidiario in Selandiam regressus id agendum censuit, ut novis conditionibus fidem ac vetus cum Suenone fœdus redintegraret. Itaque indicto apud vicum maritimum, Sondby appellatum, conventu, unius diei colloquio cuncta transactâ. Paceq; qualicunque compositâ rex concubiâ nocte Roschildiam redijt.

Interea Slavi Vandalique numerosâ cum classe in Selandiam, quâ ortum spectat, devecti ferro flammisque adusque Roschildensium agros depopulantes cuncta pervaserant. Sed hîc Rudolpho Duce, ità illis modò Marte aperto, modò arte obviam itum, ut pauci ex ijs in littus elapsi nando ad naves reverterint. Nonnulli fugâ cupidius initâ cæco procursu inter undas exanimati perierunt. Similiter & alij ejusdem gentis ac tractus, laxatis piraticæ habenis, ad flumen usque Eidoræ procinctum moventes, non tantùm continentis eam oram, sed ad insulas etiam proximas Fioniam, Falstriam, Lalandiam, aliasque delati sub jugum omnia ac tributa redegerunt. Nusquam armis aut urbibus confisum, ipsi adfractus atque æquorum angustiæ, licet palis ac sudibus prælongis obseptæ, vix tutam navigijs stationem relinquebant. Sueno animadvertens patriæ statum in ancipiti collocatum, nisi piratis mare ac territoria purgarentur, quod suis viribus non poterat, ope & opera alterius exequendum judicabat. Quocirca Henrici Saxoniæ Ducis, qui, Leo dictus, ea tempestate inter principes vicinos potentissimus habebatur, auxilium adversus Slavos implorat. Eique grandem ex publicâ collatione pecuniam mercedis nomine pollicitus summam rei permittit. Sed ejus, ut fieri solet, venalis magis quam utilis amicitia cum publico parum profuisset, animi civium magis magisque adversus Suenonem incensi, turpe existimarunt non armis sed opibus patriam defendere, & pacem pecuniâ mercari.

Sueno igitur desperatis quasi rebus ac missis piratis, ad ea, quæ domi imminere videbantur, animum ac curam propius reflexit. Cumque è duobus adversarijs maximè suis rebus incommodum animadverteret Valdemarum, de eo occupando ante omnia agitare consilia cæpit. Et placuit, quia in Dania ab omnibus coli eum non ignoraret, ut peregrè abductum alicui ex Germaniæ principibus in carcere custodiendum demandari curaret. Itaque Valdemarum de itinere suo certiorem facit, sibi ad socerum proficisci constitutum indicans, ut cum eo de dote conjugis, alijsque negotijs accuratius agat, petere se ut viæ comes accedat. Valdemarus etiamsi tectè omnia à Suenone fierent, ab amicis tamen quid ageretur, edoctus de comitatu quidem & officio suo satis prolixè pollicetur, sed præfatus vel conquestus potius non se clam esse quid animo volveret, dolum nimirum & fraudem sibi strui, cum alia omnia ac meliora se meritum putaret. Ac simul memoratis, quæ pro eo fideliter ac strenuè cum domi tum militiæ gessisset, palam perfidiam objecit. At Sueno ex adverso sanctè jurans nihil fraudulentum cogitari, Stadam usque unà cum eo pervenit. Ibiq; magnificè atq; amicè ab archiepiscopo Bremensium Hartwico excepti continuò ad Ducem Henricum se conferunt. Indeq; missis à rege ad socerum Conradum, qui de adventu suo significarent, unus eorum seorsim Conradum compellans demonstrat habere regem ex affinitate recenter initâ suspectos propinquos: Eorumque alterum in comitatu ipsius adesse, quem rerum novandarum metu in vinculis ab ipso asservari percupiat. Conradus post aliquot cum nuncij gerulo interjectos sermones, ubi quæsivisset quo pacto regem comitaretur, atque is dixisset, ex pacto ac fide datâ comitem ascitum, respondit se jam senem perfidiæ crimen, quod etiam juvenis perpetuo fuisset execratus, haud quaquam admissurum: interim libentissimè genero adfuturum, si absque fraude & occultis, palam atque armatus, quos metuat, sive impetere, sive ulcisci instituat. Quibus acceptis Sueno rubore perfusus ac viæ ulterioris tædio in regnum redijt.

Inde

Inde Canuto & Valdemaro Viburgi agentibus rex incautos oppressurum sperans, tacitè è Selandiâ in Fioniam trajecit. Sed, dolo detecto, cum varie apud eos excusatione uteretur, nec occupatum, sed allocutum eos venisse dictitans, illi de rege nihil in posterum aut sani aut bonæ spei sibi pollicentes, uterque, obtentis Cimbrorum suffragijs, regium nomen assumpsit. Tum rex apud Othenas (nam eo forte loci diverterat) convocatis in regiam militiæ præfectis de bello gerendo consultaturus, nunc universos nunc singulos interrogat. Alijs aliter respondentibus unus ex præcipuis curiâ solus excedit. Rogatusque cur egrederetur, injuriam illatam & villas ereptas prætendit, cum amor & obsequium erga Valdemarum in causâ præcipuè essent. Sed & alijs similiter à rege, quem recta sæpenumero sed frustra monuissent, desciscentibus, aut fide non satis certâ agentibus, rex de abitu cogitationem instituit. Quamvis miles ad extrema paratus bellum potius, quam fugam hortaretur.

At Sueno remotiora sectatus èque Falstriâ in proximam Germaniam trajiciens, atque ibi apud socerum triennio propemodum transacto, post ejus obitum, Saxonum ducem Henricum prensatum accedit. Eique datis vadibus, omnia summa pollicetur, si per eum imperio ac bonis avitis restitueretur. Pactus cum Suenone dux, cui se etiam Hartwicus, Bremensium pontifex, adjunxerat, ubi ad aggerem, quem Danewirckam appellant, una cum milite & copijs pervenissent, pecuniâ, qui portæ præerat, corrupto, obsidione censum à Slesvicensibus extorquent. Et Sueno præterea institorum Ruthenorum, qui ibi id temporis stationem habebant, classem prædatus, direptas omne genus merces stipendij loco militibus erogavit. Cimbri verò australiores paucitate suorum diffisi, ad partem peninsulæ borealem, quæ multitudine præstabat, quasi fugam meditantes, bellum reparant.

Eaque tempestate Suerco Suecorum rex cum insidijs famuli, qui à cubiculis ei erat, dormiens esset interemptus, socrus solandæ gratiâ ad Sueciæ superiora Canutus abierat. Valdemarus verò excitus his motibus Absalonem, collacteum suum ac familiarem, qui Canuti reditum maturaret, in Sueciam quàm celerrimè dimittit. Ipse autem ad Iutiæ interiora profectus suâ præsentiâ & fortibus fiduciam addidit; & ignavos ac nutantes ad bellum pro patriâ suscipiendum erectos animavit. Nec multò post reversus in patriam Canutus omnia & strenuè & prudenter à Valdemaro peracta cognovit. Quo eodem propemodum tempore tanta Fionensibus à Slavis maritimis illata clades, uti si alteram ei similem accepissent, non afflictæ modo eorum res, sed pessundatæ etiam ac perditæ fuissent.

At Sueno non contentus semel Saxonibus supplicasse, iterato ad Henricum decurrit, rogat, ut opera Slavorum, qui mare accolebant, ejusque ditioni suberant, in patriam tentatâ maritimâ expeditione reduceretur. Sicque classe eorum translatus, lætis civibus ad urbem Fionensium Othenas pervenit. Atque ibi per Slavos pax immunitasque promissa omnibus quicunque benignius regem exciperent. Quo accepto, Valdemarus Canutusque contractis ex tempore, quascunque terra marique poterant, regni copijs, expeditioni se accingunt. Fuissentque Fionenses, qui pauci & exhausti tum erant, ea multitudine in totum quasi obtriti, nisi Valdemarus, miseratione reliquiarum, afflictis insulæ rebus parcendum judicasset. Itaque autore eo, res in colloquium delatæ, condictumque ut Sueno cum adscriptâ sibi clientelâ eousque in Lalandiâ, quæ proxima Fioniæ est insula, subsisteret, donec inter ipsum & Duces de pace plenius convenisset. Postera deinde die cum Othenas lavandi gratiâ Valdemarus intrasset, à Suenone, huic rei intento, salutatus in ædem S. Albani abducitur. Ibique nemine, nisi Absalone, præsente ità eum intra sacellum sedens affari cœpit: Invidit hactenus fortuna, Valdemare, quo minus illæsa & inoffenso pede nostra necessitudo processerit, quanquam animum tibi semper deditum ac devotum habuerim: primusque patens meus fuerit, qui bello pro tua salute adversus patris tui interfectorem suscepto, te inter manus paricidiales consistentem sua pietate ab exitio vindicarit. Eum proximè secutus Ericus junior, ne, quod pater feliciter cæperat, suâ ignaviâ intercideret, & regni & tui simul curam suscepit: Tertius ego tuæ pueritiæ propugnator accessi. Nec meam hic parciorem quàm priorum fuisse pro te servando operam, demonstrant adversus eum, cujus jam fidem exoscularis, arma suscepta. Qui ne nunc quidem te secundum pateretur, nisi me tertium extimesceret. Ego dum vivo, tibi vitam adversus ejus insidias prorogo: Extinctus, ut meum, ità & tuum diem finio. Itaque ad te & tuam præcipuè opem confugio, teque pacis arbitrum amplexans, ex tua sententia contentus vixero quacunq; me sorte donaveris.

Hæc

Hæc aliaque dicentem interpellat Valdemarus, ostendens concordiam inter se & Canutum incassum vellicari, cum ille cædis paternæ affinis non fuerit: se verò quod ab ejus sacramento recesserit, ipsius perfidiæ, non sibi vitio vertendum: quem fraudibus toties petierit, & nuper quoque inter vincula apud socerum moriturum amandare voluerit. Se nihilominus non ob merita ac promissionum fidem, quæ nulla esset, sed miseratione fortunæ, rerum ipsius, quoad fieri poterit, rationem habiturum. Tum vicissim Sueno, verbis in simulationem compositis, respondit, se quæ diceret, quæque deinceps promissurus esset, etiam re præstiturum: præsertim cum eâ valetudine sit, ut vitæ exiguum superesse sibi sentiat, nec filios, quibus aut curet, aut regnum paret, ullos habeat: Se adversam quamcunque fortunam malle perpeti, quam perfidiæ crimine ignominiosam sui memoriam apud posteros relinquere.

Digresso Valdemaro, ipse, ut erat conventum, Lalandiam petijt: ubi paucitate satellitum non contentus plures stipatores adscivit. Inde appetente, qui statutus erat, colloquij die, Canutus & Valdemarus cum regni proceribus totaque Danorum nobilitate eandem in Insulam transvecti. Confestimque Valdemarus ad Suenonem, quod eum familiarius frequentare esset solitus, cum paucis concessit. Subornarat autem ex suis Sueno, si unà accederet Canutus, qui utrumque, excitatis litigijs, ferro tolleret. Sed illo sine socio veniente, consilium mutatum est. Quo intellecto sed dissimulato, Valdemarus die postero ab eo vicissim ad colloquium expetitus, non aliter, quàm ut soli & remotis satellitibus convenirent, adfuturum se annuit. Militibus itaque abesse jussis, proximâ luce concilium indictum est. Simulque permissum Valdemaro, consentiente etiam Canuto, ut penes ipsum compositionis arbitrium staret. Ille igitur, utroque sic volente, hunc in modum statuit, ut singulis regium nomen relinqueretur, ac regno trifariam diviso, ipse Iutiam, Canutus Selandiam cum proximis insulis, Scaniam Sueno possideret. Erici regis, quod habetur, Chronicon Suenoni non Scaniam, sed Selandiam, Valdemaro verò Scaniam cessisse asseverat. Sed nos Saxonem secuti, eum Erico ut antiquiorem, quippe temporibus hisce coævum, ita quoque testem certiorem putamus. Diserte enim ille Suenoni quidem Selandiam destinatam tradit, sed ne medium inter æmulos locum teneret, Scaniam ab eo acceptam, Valdemaro autem Iutiam, Selandiam verò & cæteras, quæ intermediæ sunt, insulas Canuto attributas. Cui etiam narrationi adstipulatur Helmoldi, quod est in manibus, Slavorum Chronicon.

Tres simul Daniæ reges.

SUENO ERICI LXXIV. CANUTUS MAGNI LXXV. VALDEMARUS CANUTI LXXVI.

Ea igitur approbatâ à singulis partitione, pacti fides non tantum sacramento, sed antistitum etiam præsentiâ ita firmata, ut quicunque fidem frangeret, execrationis sententiâ feriretur. Quibus eum in modum compositis, Canutus in provinciam suam, comite Valdemaro, abitum maturans, Suenonem, qui erat subsecutus, ut sibi Roschildiæ hospes adesset jubet invitari. Sueno venturum se promittens, ac mox iter ingressus prius Ringstadij Valdemarum salutat, atque inde ad Thorbernum, qui prope Roschildiam prædium habebat, deflectens, filiolam, quæ ibi educabatur, invisit. Feruntque Thorberni tum conjugem, inter cetera, dixisse, mirari se, assensisse eum in ejusmodi conditiones, ut qui regnum totum tenuisset, nunc tertia ejus parte contentus agat: Suenonemque hoc dicti altius in pectus demisso, exinde de tollendo utroque agitare secum cæpisse. Sed ibi dum hæret, mittuntur à Canuto, qui cœnatum eum accerserent. Quorum hortatu ad urbem properans Canutumque, quamprimum advenisset, amicè salutans, cum accumbendi tempus venisset, Sueno ob ætatem in locum honoratiorem receptus est. Atq; inde (quod tertiâ convivij die factum Helmoldus refert) remotis post epulas primis mensis, cum jam convivij hilaritas, volantibus hinc inde poculis, augeretur, & inter cæteras amœnitates citharædus Suenonis fugam exiliumque liberiori carmine accineret, offensis ceteris, Sueno ut pergeret hortabatur, sibi dictitans post ærumnas exantlatas volupe esse malorum meminisse. Verum advesperante mox die, illatisque ex more luminibus, cum redintegraretur convivantium festivitas, Sueno non diu moratus de mensâ surrexit, quasi vocatus à satellite, qui proximè astabat. Inde conjuratis, & qui partium Suenonianarum erant,

erant, conferentibus inter se capita, unus eorum, Thitlevus nomine, Canutum primo atque inde Valdemarum aggressus, illum quamprimum humi prostratum trucidat. Valdemarus quantocius sede exiliens, dum militem in se ruentem avertit, accepto circa femur vulnere, quamvis graviter sauciatus, tamen evasit. Stabat tum in medio pugnantium Absalon amplexusque semianimem Canutum, cum esse non Valdemarum, quod existimabat, sed Canutum animadvertit, mixtum mœrori gaudium ejus fuit. Et ipse postremò ex orci, quod dicitur, faucibus feliciter elapsus, arreptoque apud villicum veredo, incolumis ad suos pervenit. Quò cum etiam Valdemarus forte fortuitò esset delatus, rumor ad aures eorum accidit, Suenonem collectis posterâ luce civibus, Canutum & Valdemarum ut violatores hospitalitatis, ut fœdifragos atque homicidas proclamasse, sed addidisse numinis interim erga se benignitatem inde agnosci, quod facinus utriusq; cæde unius fuisset evitatum, seque idcirco omnium auxilia adversus superstitem implorare. Sed hæc licet seriò asseveraret, cum res in aperto esset, minus adhibitum adsertionibus ejus fidei. Inde exitus atque introitus insulæ observari circumquaque & navigia, quæ servire transvectionibus erant destinata, perforari omnia curat, ne quà uspiam Valdemaro effugiendi vel rima pateret. Sed ille, operam commodante Helberno, nactus navigium commodum, licet reluctante primitus tempestate, mox tamen aura benignius aspirante, secundo mari in Iutiam pervectus est. Eàdem nocte non sine numine, Slavorum ingens manus cum classe mille ac quingentarum navium ad oras Scandinaviæ appulsa vi ventorum naufragium adijt. Eorum quotquot in littus ejecti quamvis tempestatem evaserant, ferrum tamen effugere haudquaquam potuerunt. Nam interempti ferè omnes piraticæ temeritatis pœnas dedêre. Valdemarus suam in provinciam delatus deque perfidiâ & dolis Suenonis apud Viburgenses in publicis comitijs præfatus omnium animos ad arma sumenda lachrimosâ rerum suarum narratione permovit. Accedebat & vulnus, quod recenter à paricidis inflictum non minus miserationis quam fidei verbis ipsius adjiciebat. Sueno autem de trajectione ejus certior factus extemplò reparatis, quas perfoderat, navibus, classem in Iutiam destinat. Narrat Saxo egregium & plane virilis industriæ facinus à sorore & matre Absalonis eo tempore perpetratum: Eas nimirum, ne confestim & imparatum Valdemarum Sueno opprimeret, navigia, quibus trajicere statuerat, variè mutilanda curasse; atque ità, dum eà reficiuntur, essetque in Fioniam mox Sueno transvectus, Valdemarum interea primos Iutiæ ingressus ejusmodi præsidijs communisse, ut Sueno in Selandiam relato pede de copijs augendis & auxilijs Scanensium convocandis cogitare necessum habuerit.

Interea Valdemarus annum circiter millesimum centesimum & quinquagesimum sextum, sive incerta belli reputans, sive ut militem Canuti hoc pacto expeditiorem haberet, repetito Viburgo, cum virgine sibi desponsâ Canuti, ut diximus, uterina sorore Sophiâ nuptias celebrat. Peractisque connubij solennibus copias confestim Randerhusium demisit, ut inde in Selandiam, quæ Suenoni receptui erat, arma commodius transferret. Multi tunc temporis Suenonis militiam ob scelus paricidij detestati ad Valdemarum transiêre. At Sueno inferre bellum, quàm excipere speciosius ducens, tum animi sui magnitudinem intra unius aut duarum insularum fines concludere nequiens è Selandiâ Fioniâque comparatis navigijs, ijsque intra Dursæ Iutiæ fluminis alveum recipi jussis, ipse cum equitum promptissimis sub dubiâ oppidanorum fide Viburgum approperat. Quo percepto, præmisit extemplo cum copijs navalibus Valdemarus, qui classem Selandensium si forte nutantem aut minis aut monitis à continente averteret. Factumque ut solâ præfectorum moti autoritate ad suos institutâ versoriâ redierint. Fionenses autem regem potius quam privati cujusdam nutus ac suasiones secuti, dum arma respiciunt, deserti à ceteris, celerrimè in fugam conversi sunt. Hoc quam ægre Suenoni acciderit, intelligi magis quam exprimi potest. Inde Helbernus cum ad explorandas confestim Suenonis copias excurrisset, volucri fisus equo ad castra confestim redijt: deque hostium consilijs referens, demonstrabat in eo esse Suenonem, ut se quacunque oblata opportunitate propius admoveat, aciemque ad dimicandum instruat. Sed Valdemarus, dum suos in unum colligit, ducendum nonnihil tempus ratus, haud ante, quàm essent complectæ in universum militum copiæ, ad pugnam prodeundum censuit. Itaque explicatis mox ordinibus, cum se multitudine vinci Sueno videret, auctor suis fuit, ut hostem non manu quidem consertâ, sed carptim & per intervalla invaderent, potiusque fatigarent quàm vincerent. Quod ejus haud imprudens consilium Ago interrumpens, aut pugnandum MCLVI.

SUENO Rex. A. G.

dum regi, aut à suis deserendum commonebat: adjiciens meminisse oportere quoties ille exiguâ manu insignes victorias obtinuisset: nec numerum sed animos virtutemque suorum intueri debere: veteranum esse & exercitum militem, non vulgum & rudem armorum promiscuam multitudinem, quæ paret victoriam; illos turbâ, se viribus præstare. Quâ oratione devocato in aliam sententiam Suenone ad prælium deventum est. Valdemarus itâ cohortes ordinarat, ut intra dextrum ac sinistrum cornu, quo robur militum continebatur, ipse cum reliquo exercitu medius incederet. Suenonis vero acies non tam lata quam instructa primo impetu dextros aggressa, inde in medios versa præcipuè sibi equitatum adversum habuit. Quippe Valdemarus equos agiles, Sueno ventribus distentis, ac sata depastos adduxerat. Itaque à parte Valdemari cum utroque à latere infestarentur Suenoniani, facile manus dare ac cedere coacti fuerunt. Fugientes autem dum sistere primipilus conatur, & ipse in obvios animose ruit, post multam ac strenuè navatam rem letho oppetijt. Sicque fugâ jam undique exortâ, etiam Sueno consulere sibi festinans, acto versus palustria jumento, cum onus cœnum non ferret, altius in lutum desidit. Unde confestim eluctari studens, tandemque relicto equo, dum abire pedes annititur, sed armis gravatus identidem hæret, ac illis etiam exutus lentius procedit, à milite cæterisque, qui sequebantur, apprehensus est. Hi caballo impositum, cum se scribam Suenonis affirmaret, sistendum Valdemaro judicarunt: sed agrestium unus casu advolans, sive quod nosceret, sive quâ aliâ de causâ incertum, caput ei ense deverberat. Corpus ejus nullis exequiarum impensis magnopere honoratum humili in æde juxta ipsum, in quo pugnatum est, campum, vulgo *Gratenhede* appellatum, unde & ipsi exinde Suenoni cognomen inditum, per populares funeratum est, anno à Christo in terris nato, juxta Stadensem, millesimo centesimo & quinquagesimo septimo, Calendarum Octob. decimo. [MCLVII.] Ex Adelheidâ, quàm ei nuptam diximus, Conradi Pij Marchionis Misniæ filiâ liberos nullos sustulit: Cum ea tamen vidua postmodum inclyto illi ac potentissimo Alberto Urso, cui Pulchri cognomentum fuit, Ascaniæ Comiti, in connubium tradita, cum filiorum quinque ac filiarum duarum prole auxerit. Unde & hodie, quæ est Anhaltinorum principum illustrissima prosapia atque stemma, promanat.

Ut autem & hic constare queat, quid de eodem Suenone, & ejus præsertim extremis, cum priora sparsim superius attigerimus, Helmoldus tradat, verba ipsamet ejus apponenda putavi; Quæ ita habent:

» Ducem Henricum Leonem curiâ redeuntem, adierunt principes Saxoniæ interpellantes ut fieret Suein auxilio, & reduceret eum in regnum suum. Promisitq; Duci Suein pecuniam immensam. Collecta ergo maxima militia Dux noster hiemali tempore reduxit Suein in Daniam, & statim apertæ sunt ei civitates Slesvich & Ripa. Non tamen ultra prosperari poterant in negotio. Nam Suein gloriatus sæpissime apud Ducem, quia venientem se cum exercitu Dani ultro essent excepturi. Quod juxta sententiam ejus minimè cessit. Nullus enim in totâ Danorum terra fuit, qui reciperet eum, aut occurreret illi. Sentiens ergo ille, refragari sibi fortunam, & omnes refugere à se, dixit ad Ducem: Cassus est labor noster, melius est, ut redeamus. Quid enim prodest si vastaverimus terram, & spoliaverimus innocentes? Volentibus nobis cum hostibus confligere locus non est, eo quod profugiant à nobis, & transeant ad interiora maris. acceptis ergo obsidibus duarum civitatum, exierunt Daniâ.

» Tunc Suein aliâ viâ & consilio utens statuit transire ad Slavos, & utens diversorio Comitis Lubike, transijt ad Niclotum principem Obotritorum. Præcepitque Dux Slavis in Aldenburch, & in terrâ Obotritorum, ut adjuvarent Suein. Acceptisque navibus paucis venit pacificus in Lalande, & invenit eos gratulantes de introitu ipsius, eo quod ab initio fuerint ei fideles. Inde transijt in Fioniam, & addidit eam sibi. Dehinc procedens in reliquas insulas minores, donis atque promissis addidit sibi quàm plurimos, cavens insidias, & contutans se in locis firmissimis.

» His recognitis Canutus atque Valdemarus venerunt cum exercitu, ut expugnarent Suein, & ejicerent eum de terrâ. At ille consederat in Lalande, paratusque ad resistendum, simul etiam adjutus firmitate locorum, mediante domino Heliâ, pontifice de Ripâ, & principibus utriusq; partis, discordiæ ad pacem inclinatæ sunt, & divisum est regnum in tres partes. Et data est Valdemaro Iutlandia, Canuto Seland, Suein Sconæ, quæ viris & armis præstantior esse probatur. Cæteras insulas minores partiti sunt cuilibet pro sua oportunitate. Et ne pactiones irritarentur, juramentorum adhibita sunt sacramenta.

Post

Sueno Rex.

Post hæc Canutus & Voldemarus fecerunt convivium maximum in Selande, in civitate, quæ dicitur Roschilde, & invitaverunt cognatum suum Suein, ut exhiberent ei honorem & recreationem, & consolarentur eum super omnibus malis, quæ irrogaverunt ei in die hostis & belli. At ille pro ingenita sibi crudelitate, ubi convivio assedit, & vidit reges convivas impavidos, & omni suspicione vacuos, cæpit rimari aptum insidijs locum. Tertia ergo die convivij, cum jam tenebræ noctis adessent, annuente Suein, allati sunt gladij, & insilientes regibus incautis, Canutum repente confodiunt. At ubi percussor libravit ictum in caput Valdemari, ille fortius exsiliens, lumen excussit, & salvante Deo, in tenebris elapsus est, uno tantum vulnere saucius. Fugiens ergo in Iutlande, universam commovit Daniam. Tunc Suein contraxit exercitum de Selande, & insulis maris, & transfretavit in Iutlande, ut expugnaret Valdemarum. At ille producto exercitu, occurrit ei in manu valida, & commissum est prælium non longe à Viberge, & occisus est Suein in die illâ & omnes viri ejus pariter, & obtinuit Valdemarus regnum Danorum, & factus est moderator pacis & filius pacis. Et cessaverunt intestina prælia, quibus multis annis laboraverat Dania. Et composuit amicitias cum Comite Holsatiæ Adolpho, & honoravit eum, secundum quod reges fecerunt, qui ante eum fuerunt:

Hæc Helmoldus, temporũ eorum æqualis scriptor, & Saxone nostro Grãmatico lustris aliquot annorum anterior. Adolphus autem quem Holsatiæ Comitem dicit, ejus nominis Adolphus secundus fuit, filius Adolphi Comitis Schouenburgij, viri bellicâ gloriâ inclyti, quique ab Imperatore Lothario Saxone, post Bellingorum stirpem extinctam, primus suæ familiæ Holsatorum Comes creatus est. Fuitque hic filius ejus Adolphus, princeps heroicâ virtute ac fortitudine parente haud minor. Quique Vagriam, Obtritis oppressis, Holsatiæ conjungens novas in eam colonias ex Frisijs, Hollandis, Vestphalis, Trajectensibus, ut memorat sparsim Helmoldus, collectas deduxit: Segebergam & Utinum restauravit: Urbem Lubecam ad Vacanissæ & Travæ confluentem condere cæpit; quam exinde combustam Henrico Leoni petenti cessit Ejus postmodum qui obitus ac clades miserabilis fuerit, dum in hostem confidentius ruit, referetur in sequentibus.

CANUTUS REX LXXV.

Canutus igitur, Magni filius, Nicolai nepos, regum in ordine, ut ostensum LXXV, cum annis circiter decem, rebus, ut tunc erant, dubijs ac turbatis, unà cum Suenone & Valdemaro præfuisset, Roschildiæ inter ipsa mensæ sacra, quod supra relatũ, dolo Suenonis occubuit. Et ipso demum Suenone in modum ut indicatum, è vivis sublato, supererat jam solus Valdemarus, unicum inclytę gentis lumen, de quo deinceps referendum.

Horum temporibus illustri famâ & inter Danos præcipuâ nobilitate, præter ceteros celebrati *Steno, Rodulphus, Thorbiornus, Ulffo, Thorstanus, Iacobus colonis*, qui ad Scanos pro Suenone legatus missus labentem ejus statum inter primos, ut memoratum, suffulcijt. Etenim magna negotia magnis adjutoribus egent: Interestque reipublicæ, quod usũ necessarium est, etiam dignitate eminere, & utilitatem autoritate muniri. Cujusmodi tum quoque præter superiores nominatissimi fuère, sed Valdemaro plerią; quàm Suenoni addictiores, *Scialmo Candidus*, *Esbernus Snareus, Petrus Sunonis*, *Ebbo*, *Thoko*: Itemque *Eschillus* & *Absalon*, de quibus quoq; dicendum in sequentibus, viri omnes equestris dignitatis, exque illustri Vidorum, (*Candidos* Saxo nominat) oriundi prosapiâ nec minus facundiâ, & pietate, quàm natalibus & primâ apud reges amicitiâ clari.

Est præterea in annalibus Silesiorum illustris memoria *Petri Duvini Dani*, comitis Scrinensis, qui circa hæc tempora Vratislaviæ collegium ex ordine Præmonstratensium primus instituit, addito eidem suisque impendijs extructo monasterio, quod D. Vincentio sacrum fuit. Pater ei Gulielmus, uxor fuit Maria. Quod ex tumulo quoque, sub quo conditur, hodieque potest intelligi. Talis enim ei superaddita ibidem inscriptio, Versiculis, qui seculum istud resipiunt:

Hic situs est Petrus Maria coniuge fretus
Marmore splendente, patre Gulielmo peragente.

Idem domi & apud suos, licet honorabili esset loco, magnâq; dignatione, relicta tamen, incertum quâ de causâ, patriâ, unà cum patre, viro prædivite, ad regem Polonorum Bo-

V lislaum

liſlaum ejus nominis tertium,cui tum etiam Sileſij parebant, conceſſit. Apud quem magnâ autoritate agens ſummiſq; honoribus perfunctus, poſtremò ob dictum,quod in conjugem regis Vladiſlai, qui Boriſlao ſucceſſit, Chriſtinam, Henrici V. Imperatoris filiam, paulo liberius jecerat, exitum habuit admodum infelicem ac tragicum. Nam & oculo non tantum utroque cæcatus,ſed etiam lingua ei exſecta fuit. Eumque in modum multatus deformatuſque integro adhuc quinquennio ſuperfuit, mortuus ſcilicet anno milleſimo centeſimo & quadrageſimo nono,cum illud ſub initium imperij Suenoniani annum circiter 1144 contigiſſet. Præceſſerat autem ante jactum à Petro jocum ſimultas quædam inter eum & Reginam. Excogitaverat enim regina,ut homines opidani & ruſticani ſtatis & ſolennibus ferijs honoraria quædam munera, ut pullos gallinaceos, anſeres, ova, mel,avenam, aliaque talia in cellam principis inferrent. Quod cum ſemel atque iterum ac tertium in gratiam principis non inviti feciſſent, illa, ut perpetuum deinceps id eſſet, latâ per maritum lege,ſanciri curavit. Petrus verò monendo & objurgando principem ab inſtituto avocabat. Vladiſlaus autem,ut omnibus de rebus cum uxore communicabat, ità de Petri conſilio ac ſtudio quoque ipſi narravit. Excanduit ſubito in hominem iracunda mulier, quam & magis incendit jocus mox iſte, de quo dixi. Res autem ſic acta: Venatum forte Vladiſlaus princeps & Petrus in remotas ſilvas ierant : ibi totum diem inveſtigandis & perſequendis feris defatigati, ſub veſperam ad focum conſtructâ ex ceſpite menſâ cum ſe pane & ferinâ carne & aquâ fontanâ utcunque refeciſſent, & humi ſtratis penulis cubituri eſſent, Vladiſlaus domeſticarum lautitiarum & mollium ſtratorum recordatus, joco Petrum compellans, mollius, inquit, nunc Petre tua uxor cum Abbate Scrinenſi cubat,quam nos. Petrus contrà ut jocum joco retunderet:Fortaſſe inquit & tua cum Dobeſſo. Erat autem Dobeſſus juvenis ex equeſtri ordine non inelegans,quo familiarius Chriſtina utebatur : ità ut muſſitaretur vulgo,eum cum illâ clam ſolere. Tetigit id dictum principis animum,& ſermonibus quidem tunc jociſque finem fecit: vultu verò ne poſtea quidem ſatis diſſimulavit, ſive dolorem, ſive ſolicitudinem ſuam. Chriſtina ubi triſtiorem,præterque morem cogitabundum maritum animadvertit, ſciſcitatur cauſam, diſſimulat aliquandiu Vladiſlaus : ad extremum victus blanditijs & importunitate uxoris detegit ei vulnus animi ſui. Re cognitâ graviores in Petrum iras concepit, occaſionemque ulciſcendi quæſivit. Eamque cum fortuna percommodam attuliſſe videretur in eo, quod Petrus apertè cupiditati principis adverſaretur, ibi verò inſtare violenta mulier apud maritum noctéſque dieſque,ut de medio Petrus tolleretur,eo enim vivo, nunquam animi compotem futuram Vladiſlaum. Erat enim ingenti ſpiritu Petrus ſummaque potentiâ præditus ; quippe qui præter privatas opes, & facultates ampliſſimas Caliſſienſem, Cruſvicienſemque tractum omnem, Boleſlai Crivoviſti nomine, adminiſtraſſet. Subornat tandem Dobeſſum Chriſtina, partim probri infamiâ irritatum, partim pollicitatione bonorum Petri illectum,ut eum quovis modo vel caperet vel interficeret. Non eſt tamen auſus Dobeſſus hominem apertâ vi aggredi: ſed obſervabat tempus,quo per fraudem eum incautum opprimeret. Fortè Petrus nuptias filiæ,quam Laxæ Serborum ſive Vinidarum duci in matrimonium collocabat,Vratiſlaviæ inſigni pompâ ac celebritate apparabat : eò ſe quoque Dobeſſus magno comitatu confert, ſecurumque & nihil ejuſmodi ſuſpicantem Petrum, ſolum fortè conſpicatus, dum miniſtri circa apparandas nuptias, & hoſpites comiter excipiendos ſatagunt, arreptum celeriter, paratis & diſpoſitis ad hoc equis,abſportat,& ad principem adducit. Diu quid de eo faceret Vladiſlaus animi dubius fuit,reverebatur hominis dignitatem gratiamque popularem: reminiſcebatur quo is honore apud Patrem ſuum fuiſſet. Contra ſuggerebat Chriſtina, ſi incolumis Petrus dimittatur,acerbiorem eum capitalemque hoſtem fore principi, injuriâ illâ ſemel exacerbatum : Ubi cunctari virum videt,minatur ſe ab eo diſceſſuram,ubi impunè probro pudicitiæ proſtitutæ afficeretur. Vicit tandem perfecitque, ut indictâ cauſâ,lingua ei præcideretur, atque oculi effoderentur. Ignoravit ſcilicet vel potius magno ſuo malo comperit Petrus,quàm eſſet periculoſum,leonem vellicare.

Nunc ad ordinem ſeriemque inſtitutæ narrationis,ſtilus referatur : modò prius regum ſtemma, quod deſijt ſuperius pag. 180. circa Suenonem Eſthritium, hîc ab eodem reſumpto initio,perque filios nepoteſque ejus, Duces ac Reges jam memoratos, deſcendendo, aduſque Valdemarum I, cujus exinde res auſpicabimur , paucis ob oculos proponamus.

STEMMA

FREDERICUS BARBAROSSA IMP.

STEMMA REGVM DANIÆ

à SUENONE Esthritio adusque VOLDEMARUM, ejus nominis primum, Daniæ regem.

SUENO *Esthritius Daniæ & Angliæ Rex, filius* Ulphonis *Ducis Anglici &* Margaretæ *Esthritiæ* Canuti Magni *sororis, de quibus dictum supra. Ei ex conjuge* Iuditha *Suetica liberi non nati. Filij & Filiæ naturales fuêre:*

- Ingertha *regi Norvagiæ Olao Kyrre nupta.*
- Syritha *uxor Godeschalci Slavorum principis.*
- Gormus.
- Sueno.
- HARALDUS Daniæ rex.
- Omundus.
- Ubbo, *ob latum regni diadema fratri Nicolao accipiendum permisit.*
- Magnus, *natus è Thora.*
- Biorno.
- OLAUS *Daniæ Rex*, Hunger *dictus.*
  - *Filiæ duæ, quæ infantes obierunt.*
  - Ingo *adolescens obijt, equo dejectus.*
  - Magnus *Gothorum in Suecia rex, interemptor* Canuti, *parentis Voldemari I. Uxor ei fuit filia Bugislai regis Polanorum; vidua Valdamiri principis Ruthenorum, ex quâ*
- NICOLAUS *rex Daniæ. Ei nati ex Margaretâ reginâ:*
  - Henricus *Scatellerus, cui ex Ingertha Regina Margareta (quæ regis* Nicolai *conjux fuit) fratris Regnoldi filia nati* Haquinus, Canutus *&* Magnus.
    - CANUTUS *Daniæ Rex à Suenone Gratenhede peremptus. Uxor fuit filia Suerconis Suecorum regis, vitrici sui, ex hac*
      - Voldemarus *episcopus Slesvicensis.*
    - Sophia, *quæ nupta regi Daniæ* Voldemaro *eius nominis primo,* Canuti *non soror germana, ut est in tabulis ferè genealogicis omnium, sed uterina eius soror fuit, patre Valdamiro Rutheno prognata, ut habet diserte Saxo. Quin & eadem Sophia mater, quæ sicuti primò nupta Valdamiro Rutheno, hanc Sophiam genuit, & inde Magno, Canutum procreavit, ita tertio Suerconi Sueciæ regi denupsit. Unde &* Sophia *Suerconis regis filia dicitur, in vetusto illo, quod legitur Ringstadij, epicedio eius.*
- CANUTUS *Daniæ Rex. Ex* Adela *Roberti Comitis Flandriæ filia suscepit,*
  - Ingertham.
  - *Carolum Flandriæ Comitem.*
  - Ciciliam
- Benedictus.
- ERICUS Eigod *dictus, Daniæ Rex. Ei nati ex*
  - *N.* Anna *nupta Haquino Cimbro.*
    - ERICUS LAM *aliàs* Spage *dictus Daniæ Rex.*
  - *N.* Haraldus Cæsar *dictus ei filij plures: inter quos duo submersi à patruo* Erico *rege, reliqui ab eodē decollati cum patre Haraldo, excepto Olao, qui ab* Erico Lam *profligatus.*
  - Botilde *reginâ.* Canutus *Dux, peremptus à Magno Nicolai regis filio. Coniux fuit Ingeburga Ruthena filia principis Iarislai, ex quâ*
    - Christensa *nupta Norvagiæ regi Magno,* Cæco *dicto.*
    - Petronella *nupta Pribislao Vandalorum principi. Ei genuit*
      - Canutum, *qui à patruo Nicloto Vandaliâ pulsus præfectura postmodum donatus est Lalandiæ apud Danos.*
    - Iuditha *nupta Bernardo Electori Saxoniæ, potentissimi principis* Alberti Ursi *filio. Ex eo duos sustulit filios*
      - Albertum *Saxoniæ Electorum propagatorem.*
      - Henricum *Anhaltinorum principum progenitorem.*
    - VOLDEMARUS *eius nominis primus,* Magnus *dictus, Daniæ Rex. De quo mox.*
  - ERICUS Harevoed *& Emond dictus Daniæ Rex. Ei ex Thunâ côcubinâ, ut habet Helmoldus, natus*
    - SUENO Gratenhede *Daniæ Rex. Uxor ei* Adelheida *Marchionis* Conradi, *cognomento* Pij *filia. ex hac an filia ei nata, cuius etiam Saxo meminit, incertum. Ipsa postmodum* Adelheida, *cæso Suenone, nupta* Alberto Urso. *unde origo illustrissimæ prosapiæ principum* Anhaltinorum.

RERUM



RERVM DANICARVM HISTORIÆ LIBER VI.

VALDEMARUS I. REX LXXVI.

Cognomento MAGNUS.

VALDEMAR. Rex. *A. C.*



UBLATO igitur perfidiâ Suenonis Canuto, extinctoque, ut indicatum, poſt commiſſum prælium, ipſo Suenone, ad unum in univerſum, Valdemarum regnum recidit. Quod ab eo ſicuti prudenter ac ſummâ cum moderatione ſuſceptum, itâ quoque diu feliciterq; adminiſtratum eſt. Prima ei, ſuperato Suenone, cura fuit, ut in captivos ac cædis Canutianæ reos pœna ſtatueretur. Quorum Ulffo Canutianorum manibus perijt. Thitlevus, qui vulnerato Valdemaro, principem virorum Canutum ſuâ dextrâ interfecerat, raptus ad equuleum ac turpi ſupplicio affectus meritas paricidij pœnas dedit. Magnus poſterioris Erici ex pellice filius, partium Suenoniarum magis acris, quam juſtus defenſor, cum ſimiliter inter captivos duceretur, ſeque ultima paſſurum timeret, ſupra vota victorem propitium expertus eſt. Nam eum Valdemarus cognationis reſpectu non modo vitâ donatum, ſed honorum etiam inſignijs exornatum ſuæ clientelæ adſcivit. Buriſium quoque, ut ſanguine, ita animo obſequioq; ſibi conjunctum, quod optimâ ipſius adverſus Suenonem operâ fuiſſet uſus, & opibus & honoribus proſecutus eſt. Cujus fratrem Canutum pari munificentiâ ad præfecturæ faſtigium jam ante evectum cohoneſtaverat. Miles verò, qui Canuto ſtipendia fecerat, non contentus hoſtium clade, etiam conſcij ſi qui erant, quique Suenoni conſilium interficiendi Canuti dederant, ut proſcriberentur univerſi, Valdemarum inſtantius hortabatur. At ille metuens, ne ſi tot ſuæ gentis nobiles viros exilio mulctaret, dubios ſimul ac fide nutantes hoc pacto adverſus ſe proſcriptorum armis inſtrueret, maluit connivendo ſibi obſtringerentur, quàm ut æmulis, eorum abitu, auxilium ac vires accreſcerent. Itaque permiſit, ut veniâ pluribus datâ, nonnulli relegarentur, qui tamen revocari in omnem eventum bonorum interceſſionibus poterant, ſi quando & itâ exiſtimaretur conducere reipublicæ. Sciebat nimirum facilem humani animi ab odio ad gratiam eſſe reflexum, nec quicquam in his tam ferum reperiri atque aſperum, quod tempus & caſus non poſſet emollire.

His

VALDEMARUS I. Rex.

His ità compositis, proxima illi curarum fuit regni sui auspicia illustribus factis exornare: ac simul patriam, tot annis piraticâ laceratam, ut aliquâ injuriarum ultione reficeret, in Slavos & Vandalos, à quibus præcipuè calamitas obvenerat, classem atque arma convertit. Verùm ea expeditio opinione ejus celerius soluta, successum non habuit, quod omnia apud Slavos non modò detecta, sed & præparata haberentur. Ideoque & proceres, qui castris & concionibus præerant minus ex usu judicabant adversum providos & præmunitos fortunam periclitari, opusque esse dilatione ac morâ, quoad melior aliquando gerendæ rei facultas daretur.

Eâdem tempestate è vivis sublato Roschildensium antistite Ascero, cum inter se de novo pontifice eligendo dissiderent plebis & cleri suffragia, eo usque utriusque accrevit simultas, ut factâ populi conjuratione mutuis inter se cædibus civitas exundaret; & partim cæsis advenis, partim urbe ejectis etiam regium procuratorem invaderent, ejusque ædibus solo æquatis, bona omnia diriperent, aliaque vesaniæ argumenta perpetrarent. Rex commotus tantâ opidanorum insolentiâ, tum etiam ob majestatis suæ contemtum toti infensus civitati, collectâ provincialium manu, ad excidium ejus properare videbatur, nisi cives, missis confestim deprecatoribus, incolumitatem urbis pecuniæ pactione redemissent. Et ipse paulò post urbem ingressus, cleri super electione pontificis prærogativam tutatus est. Nec enim se adversus ecclesiæ leges ac longo usu receptam consuetudinem quidquam innovaturum profitebatur, sed operam daturum potius, ut libera electorum suffragia, suumque præsulibus jus integrum atque inviolatum constaret. Quam ejus singularem æquanimitatem cum multis gratiarum actionibus prosecutus esset clerus, tres spectatæ opinionis viros, quibus Absalon ob ingentia erga patriam merita ut quartus accessit, scripto consignavit, ut ex ijs assumeretur præstantissimus. Itaque petijt Valdemarus ut quisque quem ex illis eligendum vellet, ejus nomen descriptum chartæ involutum exhiberet, ut ità cujusvis voluntas ante manu quam linguâ proderetur. Evenitque ut omnium vota in unum Absalonem conspirarent. Ille igitur hoc pacto annum circiter millesimum centesimum & quinquagesimum octavum ad præsulatus MCLVIII. dignitatem feliciter evectus, nec tantum antistitis sed etiam ducis exsequendo munia se veluti scopulum piratarum conatibus objecit. Descriptoque circa omnes recessus portuum præsidio navium, ipse relictis laribus ac sede pontificiâ, maritimas assiduè stationes peragens suis excubijs omnium quieti consulere studio habuit. Nec minus tum quoque illius eloquentiam forum & publici conventus salutarem sensêre, dum ad rixas & vim prolapsas conciones domesticas suâ mansuetudine ad modum sedatiorem reducere curaret. Atque ità more majorum, & quomodo illi olim rei Romanæ florentissimi imperatores, non secius militem, quàm pontificem agens, pridie quam solemne palmarum instaret, primum cum Slavis conflictum inijt. Nunciatâ enim, circa Borlundam vicum, eorum è navibus in terram exscensione, cum paucis nec justis copijs in adversum progressus complures ex equitibus, pedites ferè omnes oppressit. Nec in tanto discrimine nisi unum ex suis desiderasse memoriæ proditur, pulcherrimâ scilicet victoriâ & pontificatum & militiam auspicatus. Eodem anno vim suam in Arhusienses ac Cimbriæ maritima prædones effuderant, nec intacti abierant Falstrienses, qui munitione ad mare excitatâ, se quibus poterant viribus tuebantur. Impositus erat eidem munimento regius pincerna, qui Falstriensium liberiorem vocem, quasi jactum in regem scomma, cavillatus, eos apud regem hoc nomine detulerat. Qui & arma idcirco in ipsos vertisset, nisi valetudine ex inopinatò obortâ præpeditus subsistere coactus fuisset. Sed & postea, redditâ sanitate, deque errore ac scommate, quod non in ipsum, sed calumniantem fuerat districtum, certior redditus, rex non sine numine adversam valetudinem objectam intellexit: Gavisusq; est, quod eâ occasione ab immerentibus manus atq; arma tenuisset, nec in ipsa regni sui, quod ex hostium faucibus erat erepturus, viscera sævijsset. Et Absalon quoq; regij in Falstrienses decreti consors, mutatâ in melius sententiâ, regem cohortatus est, ut à civium periculis ad hostes lacessendos, eosque sacris Christianis, quæ toties susceptà identidem abjecerant, propius imbuendos animum ac vires transferret.

Itaq; rex assumptis, præter Absalonem, Petro, Sunone & Esberno, qui potissimum consilijs ejus interesse consueverant, de summâ belli deliberat. Statutumq; ut classe inopinatâ, eaq; expeditâ potius quam magnâ nimiumq; operosâ, in hostem idq; sine feciale duceretur. Quod nimirû facilioris esset negotij, oppugnare inopinatos quàm providos, & multitudo sępenumero magis obesse, quàm prodesse soleat. Quocirca Scanensiû & Selanden-

V iij sium

VALDEMAR. Rex. A. C.

sium myoparonibus in unum collectis, Lalandos postremum & Fastrienses coire jussit, ut ità Slavos Vandalosque, qui non nisi freto ab illis distinguuntur, quam maximè posset, imparatos opprimeret. Prima navium collectio juxta *Landoram* apud Scandinavos instituta; sed eum locum, quoniam ominosum & perinde ac fatalem cuncti Danorum reges cavere consueverant, proximo in portu universus belli apparatus à rege lustratus est, summaque navium ducentarum ac sexaginta comperta. Ac mox egressa eodem è sinu classis navigationem toto mari tranquillam habuit. Ut autem taciti inexspectatique appellerent, non velis, sed remis agebantur, præmissusque cum paucis aliquot Absalon, qui Rugiæ primos ingressus ac veluti vada tentaret. Cumque jam prope in conspectu hostile littus adesset, animadvertit, indicium facientibus nautis, regiam navim, passo velo, cursum reflectere; ignarusque quid esset, præsertim cum & cetera classis idem faceret; tandem & ipse proram vertit ac regem Monensium in portu receptum secutus, atque ibi præsentem affatus animi sui sensum non tacuit. Indignabatur siquidem optimam rei gerendæ occasionem è manibus præreptam, cum & aëris favor & militum arrideret alacritas; Et licet rex noctem intempestam quereretur eam quieti, diem laboribus dictitans destinatum, Absalon nihilominus plurimum in temporis collocatum oportunitate reponens, haud quicquam superesse adjiciebat, quam ut domos inglorij repetant, si navigationem vel maris intemperies vel adversitas interpellet ventorum. Rex Absalonem recta quidem, sed liberius commonentem nonnihil aversatus, iram tamen, quam vultus præferre videbatur, ad lenitatem reducens, tum & studium Absalonis benigniore oratione prosecutus, cimbâ navem repetijt. Posterâ deinde nocte exorta tempestas ita mare concitavit totoque quatriduo iratum tenuit, ut disiecta hinc inde classis nec anchoris stare, nec portu retineri potuerit. Tumque lenitus haud parum regis erga Absalonem animus, ac simul, advocatâ concione, docet ea, quæ corrigi non possent, velle corrigere esse hominis non satis providi; ideoque ad tempestiva rebus consilia vertendum animum; ac sibi quidem propositum honestè potius oppetere, quàm deformi reditu expeditioni susceptæ notam inurere. Quibus & Petrus cum nonnulla lenioribus verbis, pro sententiâ præsertim Absalonis, interjecisset, simulque demonstrasset oportere, quam primum aura permitteret, classe reparatâ, ad incepta progredi, Rex collaudatâ singulorum sententiâ, mandat Absaloni occasioni speculandæ operam impendere. Itaque nocte proximâ cum posuisse venti viderentur, signum navigationi quamprimum datum est. Cunctisque præsentibus ac suas in naves digressis singulis, magno exinde labore colluctati præcipuè remiges priusquam & portum excedere, & vada feliciter superare potuerint. Moxque in altum dilatis major oborta tempestatum vis, omniaque difficilia fuêre. Absalon ne fortius dixisse quàm fecisse videretur, contra nititur; nec segnius instare suos rex jubet; dum tandem navi, quâ vectabatur, rimis dehiscente, in aliam se transfert. Et eum proximè comitatus Eschillus, etiam suam procellis quassatam sentiens, facto regi indicio, versoriam capit. Quem dum alij, aut studio aut errore sequuntur, ex classe universâ vix naves, quæ remansère, sexaginta numeratæ. Inde cum ad littus pervenissent, jussi duces de summâ rei consilium inire. Multorumque prolatis sententijs, hæc præcipuè placuit, ut in oram, quæ Rugiæ est proxima, *Barcam* Saxo vocat, impetus fieret. Quod & tanta celeritate peractum, ut incolæ cum equitum strepitum exaudirent, Bugislaum aut Cazimarum adesse crederent. Sed tela volitantia satis docuerunt, non suos, quod putabant, principes sed hostem advenisse. Nam & vici extemplo direpti, abacti greges cunctaque ferro & flammis divastata. Interim qui relictus erat classi & maris custodiæ præfectus à Rugianis seorsim impetitus fortissime se classemque tutatus est. Et mox reversis ex prædâ cohortibus, validius ijsdem occursum. Verùm crescentibus per singula momenta Rugianorum viribus, visum tandem vela pandere, præsertim cum & classis potissima pars præsto non esset, & ex ijs quoque, qui ad littus accesserant, nonnulli ab insulanis pulsi fugâ sibi consuluissent. Quocirca re in tempus aliud & occasionem commodiorem dilatâ, ferentibus usi ventis in patriam redierunt. Inde confestim sub proximum autumnum rex, coactis per Scaniam & Selandiam copijs, quibus & suas Cimbri, sed rariores addiderant, alteram in Slavos classem educit. In quâ ex ijs haud pauci etiam fuêre, qui fugæ prioris memores, ut eam rege ac socijs testibus abolerent, omnem movêre lapidem. Ac primum omnium *Arconæ* subjectum territorium invadunt, auctique opimis spolijs, dum in eo jam essent ut naves repeterent, in hostem incidunt. Accesserat Danorum tum partibus princeps Slavorum Perislavus, qui relictis idolis ac proprijs

proprijs penatibus, militiæ Danorum adſcitus, eos ut priſtinæ virtutis meminiſſe vellent cohortatus, & hoſtem adeſſe, & copiam pugnandi dari ſignificabat. Dani, quorum animos vindictæ cupido in Slavos ſtimulabat, magno impetu progreſſi pulcherrimam victoriam retulêre. In ipſo prælij ingreſſu, quod eſt memorabile, & à Saxone refertur, duo ex regijs equitibus, dum hoſtem vehementius inſequuntur, juxta regem collapſi & ipſe cum illis rex, iſque ut vidit Abſalonem ſubſidio accurrentem, Macte, inquit, hoc eſto hoſtilis ruinæ præſagium. Et ità ſanè fuit. Nam ea victoriâ tantùm promotum eſt, ut Vandali exinde non acie aut marte aperto, ſed levibus tantum prælijs & excurſionibus ſubitaneis certare cum Danis auſi fuerint. VALDEMAR. Rex. 4. C.

Hinc interjecto tempore regis aliquandiu ac regij Senatus cura omnis in conſtituendis domi ditionum regni territorijs ordinandiſque præfecturis verſata eſt. Ac mox aſpirantibus vernis zephyris, anno Chriſti milleſimo centeſimo & ſexageſimo primo, MCLXI. totus bello incubiturus Valdemarus, regni propemodum univerſi vires concivit. Tantum nimirum ex Cimbris, Scandinavis, Selandis, Fionijs, Falſtrijs alijſque diſtrictus ſui partibus copiarum naviumque apparatum fecerat, facile ut appareret nihil eum vulgare meditari. Et ſtabat jam in anchoris claſſis proſperum navigationi ventum præſtolatura, cum ecce Rugiani clade priori commoti ac ceteri, qui in proximo agebant, Vandali perculſi terrore, legatum de pace miſerunt, Domborum nomine, virum prudentiâ & eloquio celebrem. Is cum Abſalonem plurimum apud regem poſſe non ignoraret, eum inter primos adijt: dictâq; ſalutatione, ad regem exinde, in loco ubi claſſis erat, admiſſus, cum omnia in procinctu eſſe, atque undique collectas vires videret, nullas propemodum pacis conditiones aſpernari videbatur. Mox autem dum ibi diutiſe ſubſiſtit, nec ventus Danorum votis aſpirat, & quoſdam etiam de re frumentariâ & inopiâ commeatus quiritari diſſidiaque & contentiones exoriri inter populares animadvertit, pacem, quam antea ſupplex petiverat, non niſi ſub æquis conditionibus accepturum ſe innuebat. Cumque de modo tractationis agi eſſet cæptum, & Abſalon obſides depoſceret, Domborus concedi quidem eos haud renuebat, modò & ſibi viciſſim ac ſuis concederentur. Quod cum indignius acciperet Abſalon, & alienum eſſe à moribus ac conſuetudine Danorum diceret, Domborus diſcriminandas temporum vices reſpondit, & olim quidem Danos gente ſuâ potitos eaque validiores exſtitiſſe, nunc verſam fortunam, & ſe viribus, ſucceſſuque præſtare. Abſalon, indignationis ſuſpicione diſſimulatâ, paucis eum reſponſis excipiens ad regem, quæ acceperat, perfert. Rex adverſam tempeſtatem nihil remittere cernens, tum Slavos licet feliciter attentaſſet, tamen in totum ut debellarentur, majoris negotij fore advertens, ducem Saxoniæ Henricum, cui *Leoni* cognomen erat, ingentis atque elati ſpiritus virum, in armorum militiæque ſocietatem ſollicitat. Ille nihil cunctatus haud illibenter oblata arripuit: quippe qui infeſtos jam diu Vandalos expertus prima adverſum eos militiæ rudimenta admodum adhuc adoleſcens poſuerat. Itaque & ſui vindicandi & ſimul proferendi diſtrictuum ſuorum terminos oportunitatem ſibi quàm commodiſſimam datam gaviſus arma quamprimum militemque expedijt. Interea Valdemaro à rege Norvagorum triremis in formam Draconis effigiata muneri miſſa: quam & rex gratiſſimum donum habuit. Et Abſaloni, ut impoſito navarcho ad reliquam claſſem dirigeretur, datâ curâ, mox anchoris levatis ad littora Vandalorum omnibus cum copijs devectus eſt. Primus circa *Polam* exſcenſus fuit; alteroque illius tractus latere potiti Dani, alterum Theutones ingreſſi ferro omnia atque igne depopulabantur. Adeoque ſubinde vicini concurrebant, ut alter exercitus cognoſci ab altero potuerit. Cumque excurſiones ac prælia frequentiſſimè fierent, & primo Saxonum quoſdam adorti Slavi interemiſſent, illi viciſſim, capto tempore, in Slavos verſi, præter cæteros, *Niclotum* ducem, patrem Periſlavi, trucidarunt. Cujus caput corpore aſciſſum ac pilo impoſitum miles per caſtra circumtulit; idque cum filio ejus Periſlavo, qui, ut ante memoratum, ad regem Valdemarum tranſierat, cœnitanti tum commodum annunciaretur, ille nonnihil triſtatus primò, ac mox reſumpto animo, ſolitaque convivio celebrans veri Dei inimicum ac contemtorem meritâ morte perijſſe referebat. Interea Valdemarus & Abſalon cum ducem Henricum propius acceſſiſſent, ut de belli communibus negotijs inter ſe conferrent, poſt multos utrimque habitos ſermones, deductus tandem in caſtra rex, apud Henricum magnifico epularum apparatu exceptus eſt. Digreſſoque deinde rege cum iterum interpellandi ducis neceſſitas urgeret, miſſus eſt cum Abſalone Periſlavus, quem datâ tum in matrimonium ſorore, arctiſſime ſibi nexu Valdemarus adſtrinxerat.

FREDERICUS BARBAROSSA IMP.

VALDEMARUS I. Rex. A. 6

Hi conscensis equis, postquam mandata regis pertulissent, & dux, ut subsisterent ac manum satellitum majorem acciperent, oraret, illi, missis remoris, cum præsertim sine portu classis consistens ventis impellentibus pateret, abitum accelerarunt, nec sine ingenti discrimine, cum omnes circumquaque viæ obsiderentur, medios per hostes in castra reversi sunt. Inde ad *Gudacram* amnem, nunc *Varnum* dicimus, cum classe discessum. Sed ejus vadosus aditus cum navium grandiorum esset impervius, minoribus intratæ fauces: Et Absalon præcipuè triremes alveo fluminis, cetera sque navium, ut quæque habiles, per vada adigit. Quod veritus hostis angustias amnis, qua stagni interius speciem præbet, multis navigijs obsepserat; ingressum, qua poterat, prohibiturus. At Dani locorum minus gnari, dum identidem in vadis hærent, impigrè exsiliunt, &, quod remis negabatur, manibus exsecuti in ipsis undis hostem accurrentem profligant. Ante alias binæ Perislavi naves stagnum subière. Quas insecutæ continuò ceteræ, ac mox fugato hoste, quacunque voluère iter ingressi fugientium barbarorum navigia suam in potestatem redegerunt. Hinc minore liburnicâ in lacum provectus rex, Sunonem præfectum cum binis navigijs ad interiora paludis prædabundum dimittit. Qui simul expeditâ cum manu in terram profectus vicinam lacui urbem *Rostochium*, perculsis opidanis, facili negotio invadit ac diripit. Præter alia, quæ aut incensa aut funditus vastata, etiam statua, quam divinis honoribus afficere pagani consueverant, flammis exusta. Quibus feliciter peractis, confestim eundem in locum Henricus Dux cum exercitu accessit, de summâ belli cum rege collocuturus. Accidit eodem tempore ut frater Perislavi, Perislavus item nomine, (Pribislaus alias scribitur) circa ripam obequitans consistentem ab alterâ parte fratrem conspiceret, eumque verbis lacessens impietatis accusaret, quod cum parentis interfectoribus amicitiam ac militiam sociasset: Quem alter vicissim torve excipiens, præter cætera & inter jurgia referebat, sacrilegum se parentem non agnoscere. Quæ dum gerebantur, subitò ad aures Valdemari rumore perlatum, Rugianos cum classe adesse idque agere, ut ipsum amni inclusum à classe prohiberent. Itaque rex, finito colloquio, ad littus properato descendit, comperitque Rugos intra occultos maris sinus abditos occasionem operiri, quâ, Danis ad interiora populanda penitius digressis, classem securè invaderent, omnemq; reditus spem, navibus interceptis, regi præciderent. Verùm Rex, consilij hujus haud ignarus, & artem arte deludere studens, uni ex strategis, cui Magno vocabulum erat, in mandatis dat, ut populatione simulatâ, agris vicinis ignem injiceret, quo hostem hoc pacto ad classem si fortè impetendam exciret. Nec regem fefellit opinio; Nam Magno flammas vicorum tectis subdente, Rugiani extemplo vacuas jam naves arbitrati avide advolant; Et cæsi fuissent universi, nisi quorundam, qui regis mentem haud satis perceperant, nimium præcipiti occursu, insidias subesse Slavi intellexissent, atque itâ quam celerrime, re infectâ, regressum maturassent. Hinc biduo vicini tractus deprædatione transmisso, fugientes Rugianos classe secuti prope *Valungiam* anchoras figunt. Ubi dum agunt, & miles, præter arma & prælia nihil spiraret, hostis de pace ineunda sollicitus, diversa consilia agitabat. Domborus enim qui statim sub initium expeditionis ad suos reversus, igne circa littus excitato, se legationem adferre monstrabat. Cùm ante nec flammæ indicio, nec vociferatione exaudiretur, Danis, ut videbatur, ad pacem parum propensis, propria rate de littore progressus, Absalonis prætoriam intravit: Eumque ut pacis sequestrum ageret identidem orans, etiam obsides tradituros se aliaque prolixè pollicitus fuit. Verum Absalon clades jam pridem à popularibus ipsius Danorum insulis illatas reputans, & eorum quoque, quæ antea de gente suâ ferocius objecisset, haud immemor, quasi quid peteretur ignarus, parum ad palatum aut grata Domboro verba faciebat. Itaque Domborus orationem suam minus æquis responsionibus excipi per interpretem cognoscens, itâ Absalonem denuò affatus est: Quod te, pontificum optime, præ ceteris salutatum accedimus, ratione haud vacat. Siquidem & gens nostra jam olim simili in causâ advocatione avi tui suffulta, æquè ac regio responso sæpenumero contenta discessit. Quia verò filiorum ejus nemo superest, te quidem ut nepotem agnoscimus, sed dignitate, quâ polles, & autoritate quâ potes, avum nobis revixisse putamus. Nos olim, cum unum in Daniâ sentiretis, vestris imperijs paruimus; postquam verò discordes intra vos & in viscera vestrâ sævire cæpistis, dissidijs vestris res nostræ creverunt; quamvis & hoc vobis inferendo bella præstitimus, ut vos, missis internis simultatibus, ad pacem & concordiam, quâ solâ indigebatis, viâ quasi ostensâ, in gradum reposuisse videri queamus. Adeò ut reipsa amici, specie tantum adversarij fuerimus. Nec idcircò video, cur pacis & gratę quetis fores, quas vobis reseraverimus,

raverimus,nobis esse clausas velitis. Cumque finijsset, & Absalon vastatas adhuc Danorum provincias quiritaret, ecquid,inquit,iterum Domborus, ab illo clementiæ tuæ sinu, quem nullus unquam supplicum difficilem sensit, nos solos repelles? Etenim repulsi eodem tamen revolvemur, pueros scilicet hoc ipso imitati, qui,quo severius à matre verberibus objurgantur, hoc in ejusdem allabi gremium avidius consueverunt. Si ergo & de nobis parum adhuc supplicij sumptum creditis, ecce suram præbemus: vastentur licet agri,exurantur vici,evertantur urbes, trucidentur populi, precibus vobiscum non armis agemus, pro bello veniam quæsituri. His similibusque sermonum blanditijs emollitus tandem Absalon,apud regem suâ intercessione effecit, ut,acceptis obsidibus,rex incolumi cum exercitu victor in patriam classem referret.

Helmoldus,temporum horum æqualis scriptor,Chronici sui Slavorum lib. 1. c.87.88, hujus in Slavos expeditionis mentionem faciens,ostendit belli in eos hoc tempore à rege Valdemaro moti ipsos suâ perfidiâ occasionem præbuisse. Cum enim Cæsar Barbarossa in Mediolanenses procinctum esset moturus, & ei quoq; militiæ interesse Saxoniæ Ducem Henricum Leonem percuperet, factum narrat ut ea occasione pacem in finibus suis Dux, se præsertim absente, procurandam judicaret: atque ideo juncto fædere atque amicitiâ cum rege Valdemaro, Slavos eum in modum sibi adstrinxisse, & in his præcipue principem eorum Niclotum,ut pacem firmam servarent tam cum Danis quàm Saxonibus: Et ut pactio ea rata haberetur, jussisse insuper omnes piraticas Slavorum naves (sunt verba Helmoldi) perduci **Lubike**,& nuncio suo præsentari. Sed illos præter solitæ temeritatis ausum & vicinitatem Italicæ expeditionis, paucas admodum naves & easdem vetustissimas obtulisse,cæteris,quæ bello aptæ erant,callide retentis. Indeque,profecto in Italiam Duce, cum ad ingenium redijssent Slavi, pacem cum Danis pactam violasse, sicque arma in eos Valdemarum, ut modò memoratum,expedijsse. Et addit Helmoldus, Lubecensium antistitem Geroldum se per id tempus pacis sequestrum inter Slavos & regem obtulisse,factasque inducias adusque adventum Ducis: At Duce mox domum regresso,indictum colloquium provinciale (sic porro Helmoldus) omnibus Marcomannis,tam Teutonicis quàm Slavis in loco, qui dicitur *Berenvorde*; Danorum verò regem Valdemarum venisse usque ad *Erthenebungum*, ibique seorsim conquestum apud Ducem, deque malis omnibus, quæ sibi regnoq; suo intulerant mandati publici prævaricatores Slavi, palam retulisse: atque inde junctis viribus & regem & Ducem in Slavos movisse. Quod adversus Slavos bellum dum memorat exinde Helmoldus, ità refert,ut silentio pleraq; transmittat,quæ,Saxonem Grammaticum,authorem domesticum,sequuti, modò memoravimus, ac solum de Henrico Duce,cujus & nos Saxoque meminit, verba faciat. Ita enim habet loco jam dicto capitis 88: Post hæc intravit Dux Henricus terram Slavorum in manu valida, & vastavit eam igne & gladio. Et videns *Niclotus* virtutem Ducis, succendit omnia castra sua, videlicet **Ilouve/Mikilinburg/Zuerin** & **Dobin**/ præcavens obsidionis periculum. Unum solum castrum sibi retinuit **Vurle**/ situm juxta flumen **Warnou**/ prope terram **Kicine**. Inde exibant per singulos dies, & explorabant exercitum Ducis, & percutiebant de insidijs incautos. Unâ ergo dierum, dum exercitus moraretur prope *Mikilinburg*, egressi sunt ad nocendum filij Nicloti Pribizlaus & Vertizlaus, & percusserunt quosdam de castris,qui exierant ad frumentandum. Quos insecuti fortiores de exercitu, comprehenderunt multos eorum, fecitque Dux eos suspendio affici. Filij autem Nicloti,amissis equis & viris melioribus,venerunt ad patrem. Quibus ille dixit: Ego quidem æstimabam me viros enutrisse, sed isti mulieribus fugaciores sunt. Egrediar ergo ipse,& experiar si forte majora promovere possum. Et exijt cum electorum numero, & collocavit insidias in latibulis prope exercitum. Tunc exierunt pueri de castris ad conquirendum pabulum, & venerunt prope insidias. Porro milites venerant intermixti servis numero quasi sexaginta, omnes induti loricis sub veste intrinsecus. Quod non advertens *Niclotus*,equo velocissimo perlatus est inter eos,conatus quendam perfigere. Sed lancea pertingens ad loricam casso ictu resilijt. Volens ergo ad suos reverti,circumventus subito atque trucidatus est, nemine suorum ipsi præsidium ferente. Caput ejus recognitum, in castra perlatum est,non sine admiratione multorum, quod tantus vir,tradente Deo,de omnibus suis solus ceciderit. Tunc filij ejus auditâ morte patris,succenderunt *Vurle*, & occultaverunt se in nemoribus,familias vero suas transtulerunt ad naves. Dux demolitus omnem terram,cæpit ædificare *Zuerin*, & communire castrum. Et imposuit illic nobilem quendam Guncelinum, virum bellicosum, cum militia. Post hæc redierunt filij Nicloti

VALDEMARUS I. Rex. A. 6

Nicloti in gratiam Ducis & dedit eis Dux Vurle, & omnem terram &c. Quo loci ſicuti nihil Helmoldus de navalibus Danorũ copijs, eorumq; geſtis rebus refert, ita nec Pribizlai meminit, qui à patre Nicloto ante ejus cædem decedens ſe Valdemaro junxerat, & ei arctiori mox nexu adſociatus, ejus ſororem conjugem accepit. Solum Pribizlaum & Vartizlaum Nicloti filios nominat, non addito, duos eidem Nicloto filios fuiſſe Pribizlai nomine. Quæ nos ceteraque ex Saxone diſtinctè omnia memorata, vel eo libentius attulimus, quod is indice harum rerum uſus fuerit illuſtri viro Abſalone Vido, expeditionis cum hujus tum ceterarum in Slavos, quæ ſequutæ, poſt regem archego.

Eodem propemodum temporis tractu, Romæ exorta controverſia ſuper electione ſummi pontificis. Duo erant, quorum uterq; hanc ſedem ambiebat, Alexander & Octavianus. Illum, qui & Rolandus appellatus, Galli, hunc ſequebatur Germania. Cujus ſchiſmatis cum in Daniâ quoque rumor percrebuiſſet, archiepiſcopus Lundenſis Eſchillus, qui inſignem pecuniæ ac ceimeliorum theſaurum in Gallijs apud fidos amicos collocatum habebat, ne fortaſſe ferventibus Bellonæ rebus, depoſito fraudaretur, illud per miniſtros reportandum judicabat. Et miſſis, qui negotium exequerentur, cum unus forte fortuitò incautius commiſſa cuſtodiret, & Stadæ inter cœnandum, non ſuppetente calice ligneo, ex ſcrinijs ſuis aureum depromi curaret, occaſionem ijs, quorum hoſpitio excipiebatur, præbuit, ut mox digreſſum atque iter facientem apud Holſatos ſubſecuti ſarcinis omnique pecuniâ diſpoliarint. Quod ubi Eſchillus intellexiſſet, tum commodum ab expeditione quoque Vandalica domum reverſus, adijt regem obſecrans ut ejus autoritate ad reſtitutionem eorum, quæ abſtuliſſent, prædones cogerentur. Videnſque ad vota ſua minus propenſum aut facilem Valdemarum, portionem pecuniæ, dummodo per eum redderetur, fiſco illius inferendam promittit. Sed rex quod & raptor incertus & ablata recuperatu eſſent difficilia, ægre hîc operam ſuam pontifici pollicetur. Et poſtmodum exceptæ, ut volunt, Sleſvici inter epulandum jocantis voces, quibus Eſchillum ob res omiſſas quaſi inceſſere videretur. Eaque ſiniſtrâ ſuſurronum operâ ad antiſtitem delata, eò dementiæ ipſum adduxêre, ut & regis amicitiam deſerendam cenſuerit, & ipſum pecuniæ ſibi ſublatæ conſcium non modo ſuſpicaretur, ſed etiam palam aſſeveraret. Quibus & illud acceſſit, quod Occo eodem hoc tempore epiſcopatu Sleſvicenſi ob ſchiſma, quod ſequebatur, abdicatus, & ab Octaviano, accedente regis favore, dignitati reſtitutus Eſchillum permoverit, ut Occonem non tantum proſcriberet, ſed & regem haud leviter perſtringeret. Et licet per Abſalonem ad ſaniora vocaretur, ille nihilominus in animo ſibi eſſe ſignificabat regem, ut Schiſmaticis faventem, & eccleſiæ inſultantem, adhortantibus ad id quoque magnis amicis, palam pro hoſte habere, & injuriam illatam armis vindicare. Abſalonem etiam precibus ſollicitat, ut ſe belli adverſus Valdemarum ſuſcipiendi ſocium declararet, aut ſaltem ipſi regi, quid de eo ſentiret ſuo nomine ſignificare haud gravaretur. Sed Abſalon antiſtitis ſublimitate cum obſequio & fide, quâ regi obſtringebatur, comparatâ, hanc ejus temeritatem, toto pectore & ore deteſtabatur. Illud interea petenti annuit, ſe quidem ad regem mandata perlaturum, ſed reſponſi, quod à rege viciſſim redderetur, nuncium ſe futurum negabat, quod inter illuſtres viros, inimicitiarum ſator haberi haud quaquam cuperet. Eſchillus non ſatis fiſus promiſſo & legationi Abſalonis, Gerhardum Eſromeum ei ſubjungit, ut omnia quæ ad regem referri vellet, eo modo, quo mandaſſet, annunciarentur. Quorum mandatorum tanta erat aſperitas, ut ſimultates non tantum excitare, ſed omnem in univerſum amicitiam radicitus exſtirpare potuiſſent. Quamvis Abſalon, quoad potuit, benigniore verborum interpretatione emollire ſingula ac temporare conaretur. Rex auditâ legatione, præter morem excandeſcens, Eſchillum ſuperiorum regum cruorem combibere ſolitum, nunc etiam ſuum ſitire reſpondit, alijſq; in eandem ſententiam cum ſtomacho prolatis referri ea cuncta ad Eſchillum curavit. Quibus ille acceptis, criſtam paulatim cœpit deponere, cæperuntque & minæ, quibus antea turſerat, detumere proque furore pavor ſurrepere: dum tandem evitandi periculi cauſâ longinquas Verundiæ (Vermelandiam plerumque appellant) partes ſecutus ſalutem

MCLXII.

ſuam non bello, ſed ſeceſſu quærendam ex re & uſu ſibi fore judicaret. Rex contumaciam epiſcopi ægerrimè ferens, contractis aliquot extemplò copijs, urbem, quam in Lethrę palude munitiſſimam excitarat, obſidione circumcingit. Et licet opido ipſi non tantum ob loci naturam, ſed de commeatu etiam affatim eſſet proſpectum, obſeſſi tamen vim majorem veriti deditionem propediem facturos ſe pollicentur, niſi interea ad compoſitionem Eſchillus adproperaret. Eiq; rei ut fides accederet, Eſchilli nepotem, qui apud Eſrumeos educa-

VALDEMARUS I. Rex. A. C.

educabatur, obsidem exhibuerunt. Rex, accepto adolescente, parumper ab obsidione supersedit. Indeque missis, qui de pactione certiorem facerent pontificem, isque responsum dedisset, majore se urbis, quam nepotum curâ ac sollicitudine teneri, ideoque propugnacula, quæ custodienda accepissent, omni vi atque ope defenderent, rex repetitâ obsidione, ingens munimentum, quo obsessos quam arctissimè premeret, ex adverso urbis constitui curavit; id nimirum animo agitans, ut cum in ipsum adversarium non posset, saltem adversus nominis ejus propugnatores iræ suæ aculeos exerceret. Accedebat & hiemis occasio, & gelu concretæ paludes, quæ ad opidum faciliorem accessum promittebant. Inter hæc juvenis ignotus (subornatus, ut volunt, ab ipso Valdemaro) literas quasi ab Eschillo datas ad Gerhardum Esromeum perfert; quas ut ille obsessis reddi curaret, sibi in mandatis datum significat. Quod & idem, nihil sinistri suspicatus, quamprimum fieri procurat. Summa literarum erat, placere sibi dedi potius urbem, quàm periclitari nepotem; prius mandatum iracundiæ magis, quam deliberati aut sedati animi consilium fuisse. Perlectis literis, de obside liberando consilia certatim inière. Rex interea, erecto patibulo, simulabat se nepotis suspendio vindicaturum obsessorum perfidiam, nisi quantocius se suaque dederent. Gerhardus accepto eo rumore, cum alijs aliquot sacri ordinis symmistis regem ejulabundus accedit; precaturque permitti sibi municipium ingredi, atque interim dum redit differri supplicium. Rex à cujus moribus aliena erat omnis sævitia, precibus Gerhardi obsecutus, subinferebat, nihilominus, quò terrorem augeret, periturum nepotem, nî urbe potiretur. Itaque Gerhardus ingressus castellum deque mandato, quod literis continebatur, edoctus, parendum confestim adhortatur nisi suspendio enecari adolescentem præoptarent. Opidani his acceptis extemplo suâ ac rerum suarum incolumitate pactâ, vacuum regi municipium tradiderunt. Quod cum Eschillo esset nunciatum, nihil unquam ægrius tulisse, maximoque ipsum mœrore affecisse memoriæ est proditum. Qui tamen postmodum, præmisso pacis feciale, in Daniam reversus tam præcipitanter ad amicitiam regis recurrit, quàm ab eâdem temerè decessisset. Siquidem (quod Saxo & Crantzius non sine sugillatione ejus commemorant) beneficia ecclesiastica, quæ reges priores in ædes sacras liberali manu contulerant, regiæ potestati præter fas & æquum usurpanda inque usus prophanos vertenda permisit. Inde ne schismati, quod tunc inter pontifices Romanos agitabatur, imprudens involveretur, profectionem Hierosolymam instituit. Priusquam verò iter esset ingressus, advenit è Germania antipapæ Octaviani legatione fungens Christianus, qui postea præsul Maguntinus creatus est. Hic apud Danos id præcipuè agendum sibi putavit, ut eos ad societatem Octavianæ factionis impelleret. Cæterum varijs suasorijs usus, etiamsi regem ab Octaviani negotio non omnino abhorrentem deprehendisset, Eschillum tamen sibi adversum reperit. Qui deinceps institutam ad oras Hierosolymæ peregrinationem accelerans deque viâ Romam invisens summum pontificem super ijs, quæ à se essent gesta, reddidit certiorem. De cetero & quid facto opus judicaret, consilium ejus & mandata exquisivit: Interea Slesvicensis episcopus Esbernus, quum intellexisset à suis interfectum loci præsidem, atque ob id sibi metuens, relicto episcopatu, spontaneum elegisset exilium, Occo sive, ut Saxo eum nominat, Otho, cujus & supra meminimus, Octaviani fretus autoritate, pristinam in sedem (nam & antea eum falsò autistitis titulo occuparat) restitutus est.

Hinc ob piratarum crebras excursiones, suscepta in Vandalos, Walogasti incolas, transmarina expeditio, adjuvantibus, qui tunc erant Danis fœderati, Rugianis: Verum auxilio Bugislavi Pomeraniæ principis, qui pacis quam belli erat studiosior, ità composita res est, ut ipsi in posterum regi obsequentes essent, & piratas, quod in se foret, alveis suorum fluminum arcerent; eamque pactionem obsidibus ratam facerent.

Per idem tempus cum omnem moverent lapidem schismatici, ut suas in partes Danorum suffragia inclinarent, Rex negotij penitius cognoscendi studio, dum dubius hæret, unum ex scribis suis Radulphum, Britannis oriundum, linguâ quam prudentiâ, ut eum Saxo celebrat, promptiorem, ad Cæsarem destinat. A quo per summam venerationis simulationem exceptus, nec minus ab ipso Octaviano, qui Cæsarem sequebatar, honorificè habitus, certamen quodammodo utriusque animadvertit, uter eum honore præveniret. Præsertim pontifex, cui suffragia hinc inde emendicata autoritatis umbram circumposuerant, Cæsarem, quem se majestate anteire persuasum habebat, etiam adulandi comitate officiorumque inanijs superare annitebatur. Cæsar, auditâ legatione, se cum animi maximo dolore aspicere religionis discidium asseverabat: opus idcirco esse terrarum reges convocare;

FREDERICUS BARBAROSSA IMP.

VALDEMARUS I. Rex. A. C.

convocare: plurimum verò momenti allaturam serenissimi Danorum regis sententiam, quod ejus & animi virtus, & generis sublimitas apud omnes omnino magna ac famigerabilis habeatur. Velit modò tam religiosi itineris laborem suscipere, se imperij nomine in præmium molestiarum unam ex Italiæ provincijs cum Vandaliæ totius præfecturâ, ipsi impetraturum. Talibus Radulphum aggressus imperator, haud minora literis, quas per eum ipsi regi transmittebat, intexuit. Reverso itaq; Radulpho ac summam Cæsaris Octavianique erga regem benevolentiam ac cultum prolixissime commemorante, incensus est desiderio compellandi Cæsaris exterosque videndi Valdemarus. Priusquam tamen regno excederet, advenit in Daniam legatus ab Octaviano eum in finem missus, ut, indicto concilio, suffragia episcoporum venaretur. Sed absente Londensium archiepiscopo Eschillo, minore frequentiâ celebratus conventus successum opinione ejus inferiorem habuit. Inde demisso cum honoris significatione pontificis nuncio, consilium suum de suscipiendo itinere, deque cognoscendâ pontificis causâ Absaloni rex aperit, eumque viæ comitem deposcit. Sed Absalon modò publica modò privata prætexens, & præter schismaticorum factionem etiam Cæsaris suspectandam fidem non obscure innuens, nihil non in adversum adducebat, ut ab eo proposito regem dimoveret. Cum autem surdas ad omnia regias aures experiretur, tum ille ad deserendam, inquit, nominis tui amicitiam, serenissime rex, & nunc quoque, salutis dum negotium agitur, ut ab errore immunis habearis, proficiscenti comes adhærebo. Rex collaudatâ episcopi voluntate, præter eum etiam alios genere atque honestate juxta nobiles Esbernum, Sunonem, Esgerum aliosque itineris socios adscivit. Buricius ne quid, ipsis absentibus, innovaret ex agnatis præcipuè assumtus. Ubi ad flumen Eidoræ pervenissent, impetrato ab Adolpho per Holsatiam transitu, omnia illis comes benigna exhiberi curavit. Loca etiam & lautia, ubi opus esset, liberaliter concessa. Esbernus interea secum reputans, quàm esset periculosæ aleæ principem in alterius ditione à suis longè remotum versari, Absalonem aliosque Danicæ nobilitatis proceres clam ceteris obsecrat, ut regem ab instituto deterreant. Sed Absalon, Esbernum frustra laborare monens negabat proposito eum cessurum, & admonitorem non tantum operam perditurum, sed odium etiam pro gratiâ relaturum. Ille tamen suadendi utilitatem placendi gratiæ anteferendam existimans, regem cum fratre Absalone seorsim accedit, eumque affatus, clementissime, inquit, princeps cum armati armatis, te duce, concurreremus sine metu capita nostra periculis objiciebamus: Nunc inermes & alienæ fidei concrediti circumspicere habemus, quo pedem moveamus: In alieno agimus, ductor qui salvos præstare posset, nuspiam adest: Et verò quo tendimus? ad Cæsarem scilicet, qui regnum tuum, gentemque liberam fœdæ atque ignobili servituti non armis sed promissis subjiciat. Quid autem vanius quàm nullo impendente periculo, ultro ad deditionem festinare? Rex animo nonnihil commotus, ac paucis respondere suetus Te, ait, si vanus metus urget, me tibi socium non habebis, qui virtute potius quàm famulatu nisus etiam sine te iter institutum sequar. Ingressos Bremam, urbis antistes omnibus humanitatis officijs exceptos perbenignè habuit. Ac mox compluribus Saxoniæ principibus regio se comitatui associantibus, in tantum excrevit multitudo, ut justi exercitus speciem exhibuerit. Cumque passim tam numeroso hominum affluxu perterrefacti incolæ, variè diffugerent, præmisit rex, qui ut subsisterent, animoque essent præsenti, commoneret, sese hostile nihil agitare, pacis negotia sequi & commeatum prece aut precio expetere. Mediomatricum deinde fines ubi attigisset, matres, concursu facto, parvulos suos in ejus adventum offerendos curabant, ratæ nimirum regio contactu, perinde ac cœlesti afflatu, prosperiora eos vitæ tempora sortituros. Nec minus superstitiosi agricolæ seminum grana, quo felicius adolescerent, ejusdem dextrâ solo inspergenda exambiebant. Rege urbem ingresso, Henricus Saxonię dux veteris amicitię recordatione maximum ei honorem habuit: partem etiam suorum castrorum eidem cessit, haud ignarus hospitalitatis laudem apud Danos esse pręcipuam.

Posterâ deinde die Absalon cum Radulpho ad Cęsarem salutandum missus, intellexit minus placuisse Imperatori quod serius rex accessisset, cum tamen, ut idem asserebat, imperij beneficio regnum gereret, eique obsequio devinctus teneretur. Verùm Absalon decuisse, respondit, Cęsaream fidem ut hęc potius ante itineris ingressum regi proponenda curasset, ad quod tantis eum promissis impulisset. Cęsar rerum quasi ignarus, per quem regi promissa fecisset, exquirit. Absalon, demonstrato Radulpho, hic est qui regem promissionibus illexit. Qui cum Cęsarem confutare nollet, rei seriem paulò altius repetitam, edisserit.

FREDERICUS BARBAROSSA IMP.

Valdemarus. I. Rex. A. C.

edisserit. Deinde cum se circumventum rex videret, cervicem ferro potius, quam *patriam* servituti subjecturum affirmabat. Dum ęstuat viamque effugij, identidem requirit, hoc ei consilium Absalon dedit, ut trans pontem, quo Galliarum limes à Germanico secernitur, venationis specie sępius obequitaret, ac demum cum vicisset consuetudine suspicionem, cum potiore familię parte finitimam Galliam peteret, quo ita à rege Francorum ornatius in patriam dimitteretur. Verùm id consilij Cęsar celeritate pręvenit. Siquidem universos Germanię principes sacramento adegit, ut junctis viribus Vandaliam regis imperio subjicerent, adjiciens si eorum opera minus proficeret, seipsum, quam primum ab Italià redijsset, coronidem bello impositurum: Eaque pollicitatione ad obsequium suum regem pertraxit. Cęterum ei non curiam communi principum more petere, non in Romani imperij præsidium copias ductare, solâq; specie non re Cæsari parere concessum: Filio quoq; post eum proxime regnaturo permissum paternas conditiones accipere vel rejicere, ne ad omnē scilicet Danorū gentem hæreditarium manaret obsequiū.

Accessisse ad eadem comitia regem Francorum Ludovicum, aut potius à Cæsare eò vocatum, prævenisse Cæsarem; ac eum hoc ipso vafre elusisse refert Helmoldus. Cujus verba, quia etiam Valdemari regis Daniæ & urbis Bremanæ præsulum, ut & Comitis Holsatiæ Adolphi præter alia mentionem faciunt, & proprie huc spectent, subjicienda existimavi. Ait enim chronici Slavorum libro 1. cap. 91: Præterea misit Cæsar nuncios ad regem Daniæ & ad regem Ungariæ & ad regem Bohemiæ, ut venirent ad constitutum diem: insuper omnibus archiepiscopis & episcopis & summis potestatibus regni sui, & religiosis quibuscunque solemniter adesse mandavit. Grandis ergo erat expectatio universorum ad tam celebrem curiam, quò uterque Papa, & tanti terrarum reges conventuri ferebantur. Tunc abierunt simul Valdemarus cum episcopis Daniæ, Hartvicus archiepiscopus, Geroldus episcopus, & comes Adolphus, cum multis Saxoniæ nobilibus, ad præfixum colloquij locum. Dux vero (Henricus Leo) positus in Bavaria, aliâ via venerat. Ludovicus Franciæ rex, cujus præcipue exspectabatur adventus, ubi intellexit Cæsarem appropiare cum exercitu & armis multis, dubitavit occurrere illi. Sed propter fidem sacramentorum, venit ad locum placiti constituto die, hoc est, in decollatione Iohannis Baptistæ, & exhibuit se in pontis medio ab horâ tertia usque ad horam nonam. Porro Cæsar necdum venerat. Quod rex Franciæ accipiens pro omine, lavit manus suas in flumine ob testimonium, quasi qui fidem pollicitam reddiderit, & digrediens inde abijt ipso vespere Divionem. Veniens ergo noctu Cæsar, intellexit regem Franciæ discessisse, & misit honorabiles personas denuo accersere eum. Sed ille nulla ratione vacare potuit gratulans se fidem solvisse, & suspectam Cæsaris manum evasisse. Ferebatur enim à multis, quod Cæsar eum circumvenire voluerit, & propter hoc contra pactionum tenorem armatus advenerit. Sed ars arte delusa Francigenæ enim ingenio altiores, quod armis & viribus impossibile videbatur consilio evicerunt. Tunc Cæsar vehementer irritatus secessit à curia intentans Francigenis bellum. Alexander Papa confortatus ab eo tempore magis invaluit. Henricus dux declinavit in Bavariam. Et compositis illic rebus, reversus est in Saxoniam.

Post hæc Octavianus, convocatâ concione, demonstrat quàm legitimis ac justis suffragijs in adipiscendo summo pontificatu usus fuerit, quam verò eundem injustis rationibus Alexander occuparit, se per ostium, illum aliunde ingressum. Quibus continuò Cæsar adjecit, ejus ergò convocatos undique reges ac principes (exceptis qui suo arbitratu designandum Romanum pontificem contendunt) ut de eâ controversiâ alterutram in partem statueretur, seque eorum sententiæ unà cum Octaviano libenter pariturum. Antistes quoque Coloniensis Rainaldus, quæ Cæsar cæperat, uberius explicaturus, ita est prosecutus, ut ostenderet, quemadmodum imperatori non conveniret Hispaniæ, Franciæ aut Angliæ regibus in eorum provincijs episcopos ordinandos præscribere; ita nec decere eos in urbe Romanâ, quæ titulum & imperium agnoscit Cæsaris, suo prò libitu antistitem designare. Quæ aliaque postquam ille in eandem sententiam prolixius disseruisset, exsurrexit Victor Octavianus, ut Alexandrum anathemate feriret. Tum Valdemarus, indicium faciente Absalone, ne schismati, quod improbabat, suum aut calculum aut nutum adjecisse videretur, concione excessit. Die sequente Octavianus Livonem Othoniensium electum, quamvis aliter Absalonem judicare non ignoraret, episcopum consecrat. Verba Saxonis ita habent: Octavianus die postero Livonem Othoniensium electum, vehementer ab Absalone prohibitum, falsâ pontificis unctione prosequitur.

X Mox

VALDEMARUS I. Rex.

A. 6

Mox ad oppidum Byzantij cum toto satellitio omnibusq; impedimentis concessum. Hic cum laborare commeatus rei frumentariæ inopiâ inciperet, nec pabula jumentis debita subministrarentur, exortę, ut solet in turbâ promiscuâ, simultates, ac demum vicorum quoque direptiones villarumque incendia, quod cum ferret ægerrimè Valdemarus, nec magnopere, quamvis ingentia polliceretur, succurreret Imperator, abitum tandem maturare instituit. Factoque per antistitis Maguntini dioecesin transitu, Thuringiam ingressus, inde Holsatiam intravit. Cujus comes Adolphus, interventu Absalonis, primum regi amicus, mox datâ solemniter fide, miles factus, obsequij initium hospitalitatis officijs prolixè comprobavit. Inde in regnum profecto, cum annus ageretur millesimus centesimus & sexagesimus tertius, Canuti ex Sophiâ feliciter suscepti natalis nunciatus est. Cujus baptismatis solemnia per Absalonem celebrata, Guthormus Sueonũ dux, qui neptem Valdemari eorundem regi Carolo desponsam ad Suecos deducturus tum commodum accesserat, suâ etiam pręsentia cohonestavit.

MCLXIII.

Per idem forte tempus Norvagensium legati regem petiverant, orantes, ut Norvagię statum tot intestinis bellis concussum, ac regulorum dominationibus variè distractum, jamque exanguem propemodum ac ruinosum suâ prudentiâ atque ope fulcire dignaretur. *Haraldi* enim, de quo ante memoravimus, superstites liberi, *Ingo*, *Sivardus* & *Ostenus*, postquam varijs inter se de regni possessione prælijs conflixissent, trium fortuna ad unum Ingonem, per vim & facinus è medio sublatis fratribus, devenit. Quem cum ferre regem complures ex nobilitate viri insignes haud sustinerent, regnum quod scelere quæsivisset, minus quietum aut securum habuit. Quippe, *Haquino*, Sivardi filio, regio nomine cohonestato, bellum *Ingoni* indicunt. Tentataque aliquoties pugnæ aleâ, sed prælijs continuis inferiores in Sueciam tandem cum pupillo diffugiunt. Moxque appetente hieme patriam repetere adorsi, & tanquam fortunam tempore mutaturi coelo hiberno superque aquis gelu duratis cum *Gregorio Dagesonio*, in quo spes & opes Ingonis innitebantur, signis infestis manum conserunt; eumque in eam glaciei partem, quam esse infirmissimam non ignorabant, perductum cum omnibus copijs fundunt ac superant. *Ingo* licet cladem eam, ac mortem præsertim Gregorij, calamitosam sibi ominaretur, instaurato tamen bello ac gelu adhuc durante, nihilo felicius Gregorio prælij fortunam tentavit. Siquidem gelato similiter mari, veluti arenam ad pugnandum electo, quamvis militum numero præstaret, cum toto tamen exercitu ad internecionem deletus est. Hoc bello, quo nullum majus aut cruentius habuisse Norvagiam Saxo profitetur, universa propemodum eo in regno, quæ supererat, regiæ domus prosapia interijt. Superato Ingone, *Haquinus*, cognomento *Herdebredus*, universam sibi regionem subjecit. Sed ne aut ei æmulus, aut *Ingoni* ultor deesset, confestim *Erlingus*, qui è clade, jam memorata, superstes evaserat, filium suum *Magnum* Haquino opponit; eumque quod genus maternum à priscis Norvagiæ regibus duceret, atque idem cum Valdemaro commune haberet, erat enim *Sivardi* regis, quem *Iordsalefarsium* Norvagi cognominant, nepos, regem denunciant. Profectusque cum eodem ad Regem Valdemarum, firmissimo se ei non tantum foedere conjungit, sed regni etiam portionem, si ex votis omnia succederent, pollicetur. Hinc utroque cum classe ad Norvagos reverso, *Haquinus* à suis, & præsertim *Sivardo* militiæ duce, sed cui belli impensas negarat, desertus, ac mox acie cum *Erlingo* congressus occiditur. *Sivardus* ad Suecos dilapsus, dum interjectis diebus in patriam revertitur ab *Erlingi* militibus interemptus perijt. Cæteri qui ex Haquini militiâ superfuerant, partim novarum rerum cupiditate, partim hostium fortunâ accensi, *Marci* cujusdam alumnum, optimæ spei, ut Saxo habet, puerum regem creant. Norvagicum chronicon *Sivardum Sivardsonium*, *Haquini* fratrem fuisse satis innuit, ei à *Marco* suppetias latas adjiciens. Sed ijdem prælio ab Erlingianis protriti & victoriâ & rege destituti ad regem Suecorum *Carolum* profugêre. Chronicon, quod dixi, Norvagicum utrumq; & *Sivardum* & *Marcum*, illum quidem capite, hunc crucis supplicio affectum memoriæ proditum reliquit. *Erlingus* fluentibus in hunc modũ rebus, arctiori se cum episcopo *Osteno* necessitudine conjungit, ejusq; amicitiam sartam tectam nactus id exinde egit, ut *Magnus* regno præficeretur. Quod cũ & obtinuisset, coronationem etiã maximis solemnibus celebrari curavit, pręsentibus non tantum, pręter ceteros, regni Episcopis omnibus, sed legato etiam pontificis maximi, qui tum aderat, Stephano. Fuitq; inter primos Norvagiæ reges *Magnus*, qui ijs ritibus, qui adhiberi in creandis regibus ab exteris solent, cohonestatus habetur. Verùm quos diximus, ad regẽ Suecorum Carolũ concessisse, ij, ne omni spe excidisse putarentur, ipsũ Carolũ, utpote cui cũ regibus Norvagiæ

aliqua

aliqua etiam necessitudo intercederet, belli ducem deposcunt. Sed cum eum post multa promissa, minus alacrem, & magis de regno proprio servando, quàm invadendo alieno sollicitum viderent, ad *Valdemarum* legatos, ejus implorantes auxilium, mittunt. Valdemarus ne solâ legatorum adhortatione in belli aleam se suosque conjiceret, prius popularium animos tacitis legationibus explorandos è re judicavit. Quorum cum mentes relatis legatorum consentientes reperisset, absque morâ auxilium & copias expedijt. Quo intellecto, Erlingus quam potuit longissimo secessu ad fines Norvagiæ extremos recessit, tutius ratus ultimas illas oras fugâ amplecti, quam primas & in fronte positas dubio marte tutandas suscipere. Itaque Valdemarus magnam regionis partem prospere permensus, ac multa hinc inde gentis alacritate receptus, ubi ad urbem *Sarpam* venisset, nomen regium à Vicensibus sibi decretum suscepit. Totumque haud dubio Norvagicum regnum suo conjunxisset, si eam insequendo hosti, quam celebrandis popularium concionibus operam impendisset. Inde ad opidum *Tonsbergium* navigatione institutâ, ex episcopis totoque sacro ordine, cujus eâ tempestate magna apud Norvagianos auctoritas erat, neminem obvium habuit. Quod, ut Saxo interpretatur, potius patriæ quàm Erlingo tribuisse eos verisimile habendum. *Ormus* interim, quem ut regis Magni germanum salutabant, petito Valdemaro, salvâ, quam Magno dedisset, fide, obsequium & officia sua obtulit. Sed obortâ postremum commeatus inopiâ rex sine cujusquam injuriâ aut depopulatione in Daniam redijt. Sequutique ex Norvagiensibus haud pauci, qui partim regijs, partim principum virorum impensis voluntarium exilium, ne domi pœnas incurrerent, pertulerunt. Ita propemodum Saxo. Norvagicum, quod jam sæpe nominatum est, chronicon refert Valdemarum, postquam accepisset Magnum regio diademate à Noruagianis insignitum, misisse ad ipsos legatum & literas, quibus eos commonebat, actuum & pactionum, quas ipsi, promissâ regni portione, sibi obsignatas tradidissent: Erlingumque acceptis literis populo eas promulgari curasse, atque inde vulgi murmur atque indignationem exortam, omniumque vocem ac sententiam fuisse, ut Erlingus sacramento, quod sibi & regno præstitisset, staret, se Danorum imperio nolle submitti: Eoque responso legatos domum regressos de re totâ Valdemarum certiorem reddidisse: Eumque indignatum perstrinxisse Erlingi perfidiam, addito in Norvagianos scommate, quasi ij relicto, ut plurimum, fœtore recedere consueverint, ac statim sub veris initium collectis copijs Norvagiam aggressum, ac primum in eos circa Vicenses impetum fecisse: Verum ibi cum undique præsidia reperisset, Tonsbergum movisse: eoque convocatis ad comitia indigenis postquam nulli accederent, missis Norvagis, domum repetijsse igne ac ferro, quæcunque transeundo præcurreret, divastatis. Hactenus chronicon Norvagicum. Quæ ut à Saxone haud planè dissentiunt ità nec consentanea per omnia referunt.

VALDEMARUS. I. Rex. A. C.

Nunc ex eodem chronico belli hujus catastrophen, cùm faciat ad eorum, quæ de Erlingo exinde nerrabuntur, clariorem intellectionem, superioribus attexere operæ pretium fuerit. Erlingus igitur, ubi accepisset intrasse Norvagiæ fines Valdemarum, magnâ cum manu in oram Vicensium australiorem castra metatus est; atque ibi de Valdemari discessu certior redditus navali expeditione in adversam Cimbriam trajecit, classemque regiam in amne Diurlâ commorantem ex inopinatò aggressus facilè aut fudit aut dissipavit. Eoque pacto spolijs onustus Norvagiam repetijt. Cumque aliquandiu tenuisset hoc bellum, Christina Erlingi conjux filia regis Sivardi, petito commeatu in Daniam ad regem Valdemarum profectionem instituit. Valdemarus, qui ei consobrinus erat, honorifice adventantem excepit, ac multis sæpenumero deque varijs rebus ultrò citroque habitis invicem sermonibus, ejus semper affatum sibi quàm gratissimum accidere demonstravit. Moxque appetente vere, misit Christina, qui marito significaret ut in Daniam simul veniret, operamque daret, ut cum Valdemaro, quibuscunque posset conditionibus, in gratiam rediret. Erlingus accepto hoc nuncio, haud diu moratus totum se itineri accinxit, sumptaque ex navibus præsidiarijs, quas habebat viris atque armis instructissimas, præcipuâ, rectâ ad Cimbros cursum direxit. Quò cum pervenisset, regem Valdemarum Randelhusij agentem absque cunctatione accessit, eoq; salutato, ait, huc ecce bonâ fide & absque feciale aut tuti commeatus literis advenientem vides, & si necesse sit, eorum loco ipsemet ero. Respondit Rex, tutũ hoc tibi, Erlinge, ac liberum esto. Nec moris est nostri malâ fide excipere, si qui suâ sponte nos compellatum accedunt. Inde Erlingus propius ad regem digressus manũ ejus osculatus est, seq; ad suos recepit. Erlingus autem

dum aliquandiu cum rege agit, deque pace ineundâ sermones instituit, tandem ita cum eo convenit: ut ipse in Daniâ obses subsisteret, Elsbernus verò Snareus Absalonis frater, ejus vicissim loco Norvagis permitteretur. Nec multo post inter eum & regem pacis conditiones factæ, quibus ipsum ut jarlum sive Comitem Vicensibus rex præficit, conceditque ut territorium istud unà cum oneribus ac tributis omnibus, quamdiu vivat, cum imperio nomine regis retineat. Erlingus pactis hujusmodi conditionibus tum regis amicitiâ ac nutu ex voto potitus apud Norvagos magnus potensque evasit. Studioque exinde habuit, ut stirpitus tollerentur, quicunque apud eos ex regiâ Norvagorum progenie ullibi superessent, quo ita regnum filio Magno ejusque successoribus in solidum cederet. Quâ etiam occasione Sivardum Haraldsonium *Magni* regis, cui *Barfoed* cognomen fuit, fratrem uterinum prope Bergas comprehensum capite mulctari curavit. *Ostem* quoque regis ex filiâ nepotem *Olaum* nomine, regno exegit; qui deinde Alburgi apud Cimbros fato suo functus ibidem in æde Mariæ sepulturam accepit.

MCLXIV. Anno, qui secutus est, millesimo centesimo ac sexagesimo quarto, Valdemarus, intellectâ Vandalorum defectione, belli fœdus cum *Henrico* Saxoniæ duce percussit. Et quo firmior inter eos amicitia coalesceret, filiam ejus ex conjuge postmodum repudiatâ susceptam tum adhuc in cunis vagientem filio suo Canuto primum ætatis annum ingresso sponsam adscivit. Dum autem terrestri apparatu copias Henricus instruit, rex ipse classi, ac maritimæ expeditioni intentus, ubi ad insulam *Rugianorum* pervenisset, auxilia ab incolis contrahenda per Absalonem confici mandavit. Ne autem Henrico tardius occurreret, eumque promisso fraudare videretur, ad *Penum* flumen quàm citissimè se suosque stitit. Absalon verò, licet Rugianorum adhuc pactio paucorum obsidum fide niteretur, eorum tamen concionem ingressus atque inter ipsos honoratissimo sedendi loco susceptus legationis suæ jussa exposuit. Quæ cum illi benigne accepissent & gentis Rex *Torislaus* classis supplementum sinè morâ esset pollicitus, Absalon extemplò subsequi regem maturavit. Henricus interea coacto exercitu, cum principem Holsatorum *Adolphum* aliosque illustres viros, ut expeditum atque obvium sibi transitum pararent, cum parte copiarum præmisisset, eos ex inopinato aggressi Slavi cædunt ac fugant. Inter primos ipse *Adolphus* collapsus neglectæ militaris prudentiæ pœnas suo sanguine persolvit.

Non omittenda hoc loco Helmoldi, quem aliquoties jam, utpote temporum horum authorem coævum ac synchronum, ad testimonium citavimus, de re eadem commemoratio. Is occasionem hujus conflictus ac cædis *Adolphi Comitis* propius subindicans, postquam retulisset *Henricum Leonem*, præter Adolphum Holsatum, etiam *Albertum Ursum*, Marchionem orientalis Slaviæ, sibi adversus Slavos auxiliarem adscivisse, unà cum rege Danorum *Valdemaro*, qui navali exercitu rem gereret, ità deinceps infit: Uni-
,, versus verò Slavorum exercitus consederat in urbe *Demin*, fueruntque principes eorum
,, *Kazemarus* & *Bugeslavus*, duces Pomeranorum, & cum his *Pribislavus* author rebellio-
,, nis, miseruntque nuncios ad Comitem, volentes per eum admitti ad conditiones pa-
,, cis, & promiserunt tria millia marcarum. Rursum alios mittentes, promiserunt duo
,, millia. Et displicuit verbum hoc Comiti Adolpho, & dixit ad suos: Quid vobis vide-
,, tur ô viri sapientes? Qui heri promiserunt tria millia Marcarum, nunc offerunt duo
,, millia. Verbum istud non est quærens pacem, sed adducens bellum. Miserunt ergo
,, Slavi noctu speculatores in castra ad explorandum statum exercitus. Aldenburgenses
,, verò Slavi fuerant cum Adolpho Comite, sed insidiose: nam quæcunque gerebantur
,, in exercitu, remandaverunt hostibus per manus exploratorum. Dixerunt ergo Adol-
,, pho Comiti Marchradus senior Holsatorum, & ceteri, qui intellexerunt verbum ab-
,, sconditum: Auditu certissimo comperimus, quod hostes nostri præparent se ad bellum.
,, Porro nostrates segnius agunt, nec in vigilijs, nec in custodijs debitam exhibent di-
,, ligentiam. Adhibe ergo cautionem populo, eo quod Dux bene præsumat de te. Et
,, dissimulavit Comes, ceterique nobiles & dixerunt: Pax & securitas, emortua est enim
,, virtus Slavorum. Defecit ergo in exercitu custodia. Moram autem faciente Duce, de-
,, fecerunt in exercitu alimenta missique ad Ducis exercitum qui commeatum adfer-
,, rent. His primo diluculo iter ingressis, ecce in ascensu clivi apparuerunt cunei Slavo-
,, rum cum populo innumerabili, tam equitum, quàm peditum. Quibus visis, retorquê-
,, re pedem pueri, & clamore valido dormientem suscitavere exercitum. Alioqui o-
,, mnes mortem somno copulassent. Tunc viri illustres atque militares Adolphus atque

Reinoldus

Valdemarus I. Rex. A. C.

Reinoldus cum paucissimis Holsatensium atque Thetmarsiensium, qui forte somno exciti maturius accurrerant, exceperunt hostes in descensu clivi, & contrita est prima acies Slavorum ab eis, & percusserunt eos usque ad interiora stagni. Quos è vestigio subsecuta secunda Slavorum acies operuit instar montium, & percussi sunt Comes *Adolphus*, & Reinoldus Comes, & fortissimi quique occiderunt. Et obtinuerunt Slavi castra hostium & diripuerunt prædas castrorum. Porro Guncelinus & Christianus, & cum eis amplius quam trecenti milites conglobati in unum, continebant se in latere pugnæ, ignorantes quid agerent. Accidit ergo ut cuneus quidam Slavorum veniret ad tabernaculum quoddam, ubi multi erant armigeri & equi plures. Quibus expugnandis cum valentius instarent, armigeri clamaverunt ad dominos suos, quorum globus fuit è vicino: Quid statis ô fortissimi milites? & quare non succurritis servis vestris! rem utique turpissimam agitis. Qui concitati clamore servorum suorum insilierunt in hostes, & quasi cæco furore pugnantes, liberauerunt suos. Deinde castris fortius immersi, difficile dictum est quantos ictus dederint; vel quantas strages hominum fecerint, donec victrices illas Slavorum acies disjicerent, & reciperent castra, quæ perdiderant. Atque inde post pauca: Et venit Dux (Henricus Leo) festinanter ut fieret suis præsidio, & vidit ruinam, quæ facta est in populo suo, & quia mortuus est *Comes Adolphus*, & fortissimi quique & resolutus est in lachrimas multas. Sed dolorem ejus mitigavit copiosior victoria, & cædes Slavorum maxima, qui ad duo millia & quingentos connumerati sunt. Præcepit ergo Dux corpus Adolphi Comitis concidi frustatim, & assum condiri opere pigmentarij, quo posset circumferri & patrijs inferri monumentis. Et impletum est vaticinium, quod cecinit pridie quàm pateretur, sæpissime reiterans versum, igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas. Hæc Helmoldus.

Eaque clade, ut par erat, permotus Henricus exigendæ vindictæ studio ad obsidionem *Deminæ* urbis, quanta potuit celeritate contendit. Sed eam postquam ab incolis desertam ac flammis fœdatam comperisset, mœnia etiam solo æquavit. Ac simili trepidatione Cozcovienses affectos videns, eorum oppido ignem injecit. *Valogastini* hos secuti, trajecto cum uxoribus ac liberis flumine, suum similiter municipium rebus ac supellectile vacuum reliquerunt. Rex nullo negotio urbem ingressus eam militibus ac stipendijs instruxit ac Vethemanno, piraticâ celebri, custodiendam commisit. *Ornenses* quoque plus ex aliorum clade timoris quàm ex suis viribus fiduciæ capientes, ut sibi vicinarum civitatum, quarum formidinem sequebantur, exemplo consulerent, urbem ne ab hostibus habitari posset, ipsi desertam incendunt. Tunc rex, pontem, qui medium amnem secabat, abrupto sublatisque cæteris navigationis obstaculis ad *Stolpam* vicum processit, ubi & ducem Henricum postmodum sibi obvium habuit. *Valogastum* autem, quod levibus copijs communitum Vethemanno commiserat, ne eodem exemplo desertum, quo captum, post suum discessum hostibus redderetur, Absalonem, Burisium, Suenonemque, tunc Arhusij episcopatu fungentem, ejus municipes efficere constituit, filium præterea *Christophorum*, quo plus à ceteris in auxilio suo fiduciæ reponeretur, eisdem associaturus. Existimabat enim, si præsertim in potestate ac fide suorum id opidi permaneret, perpetuum Vandaliæ imperium Danos retenturos. Sed Absaloni cum soli Sialandenses præsidij societatem pollicerentur, reliquis ob imminentis periculi magnitudinem tergiversantibus, rex aliud in arenâ consilium cepit. Siquidem Absaloni seorsim in mandatis dedit, ut palos amni infixos cæteraque navigantium impedimenta per remiges tolli curaret, quasi toti classi transitum paraturus. Quod cum effectui feliciter dedisset, licet Slavi utraque ripâ obequitantes hinc inde Danos infestarent, viam tamen ac liberum ingressum non sibi tantum, sed & Henrico patefecit. Nam & eum eâdem occasione cum toto exercitu, junctis in arctum navigijs, tanquam ponte trajecit. Quo intellecto, Vandali excidium reliquarum urbium extimescentes pacis obsides, quos ante negaverant, Valdemaro promiserunt, eos se nequaquam daturos Henrico dictitantes. At Rex sine Henrico, utpote militiæ socio, pacisci fraudulentum judicans per Thorbernum, quæ ab hostibus offerrentur, significat. Illo conditionibus, quas ipse fecisset, libenter usurum se asseverante, rex cum hostibus eum in modum pactus est, ut *Valogasti* dominio trifariam diviso, pars una *Tetislao*, altera *Cazimaro*, tertia *Nicloti* filio *Prislao* vindicaretur, piratæque Daniam invadere sueti, *Peni* fluminis ostio secluderentur: Henrico quoque munitionum, quas apud Vandalos obtinuisset, possessio sartatecta permaneret.

X iij Post

V[A]LDEMARUS I. Rex. A. C. MCLXV.

Post verò regis discessum cum exterorum societatem Cazimariani minus ferrent, & Rugianos quoque aut clam aut palam divexarent, ac deniq; piraticæ fræna laxarent; non uno modo ictum fœdus ab ipsis violatum fuit. Et postmodum quoque Rugiani, *Henrico Leone* fiduciam subministrante, cum palam adversum Danos inimicitias profiterentur, Rex amici perfidiam æquè ac hostium levitatem perosus, effusâ in Arconensium provinciam vernali expeditione militum manu, totam regionem incendio aut ferro depopulatus est. Indè ad portum, quem incolæ *Porum* appellant, profectus, ne cum universis congredi necessum haberet, Absalonem nocturnâ navigatione *Eindram* præcedere jubet, seque continuò subsecuturum pollicetur. Verùm vigilibus somno gravatis, nec ad tempus discessionis satis attentis, cum absque regio comitatu Absalon esset digressus, non solum *Eindram*, sed agros etiam vicosq; ei confines, partim igni partim ferro vastavit. Ac multis hinc inde habitis cum Slavis velitationibus, ubi rex tandem vigilum monitis experrectus ad iter progrederetur, intelligeretque victoriam penes suos stare, summopere sibi gratulatus est, quod exigua adeo manus, non minus quam si ipse adfuisset, rem proprijs auspicijs feliciter peregisset. Inde cum alios atque alios insulæ tractus armis ignique tentasset, domum in æstiva concessit. Postea circa autumni initium classe regressus primò vastandis agris incubuit, inde ad opidum *Arconæ* ubi pervenisset, opidani virium fiduciâ portam, (quam urbs unicam habebat) egressi confligendi occasionem captare videbantur. Sed rex longius à mœnibus abducere eos conatus, Danos consultò retrocedere admonet. Quod cum illi animadvertissent, cunctantius rem gerere & magis regredi quam progredi cœperunt. Itaque rex cautiores eos, quam exspectârat, comperiens subito est insecutus, atque opinione celerius repetere omnes urbem coëgit. Portam tamen aut urbis mœnia, ne hostium jaculis confoderentur, accedere suos propius ac subire inhibuit. Quamvis ex Sialandianis equitibus memorabile factum Nicolai habetur, qui injecto per portam telo, quendam ex hostibus, dum in aditu incursantibus resistit, exanimem prostravit, ipseque reflexo protinus equo salvus evasit. Cujus facinus *Thorbernus*, inter gentis ejusdem equites haud postremò quoque loco nominandus, pari quidem audaciâ, sed dispari fortunâ æmulatus, cum unum ex Rugianis lanceâ vulnerasset reductisque habenis redire pararet, ità lapidis unius ictu percussus fuit, ut seram corporis incolumitatem ægrè recuperarit. *Burisius* quoque nobilitatis suæ splendorem factis illustriorem redditurus, cum similiter portæ propugnatores adoriretur, ità saxis est obrutus, ut pœne exanimis equo decidisset, nisi sociorum interventus, ne ab hostibus opprimeretur, auxilio adfuisset.

Inde ad provinciam *Asmodæ* (*Iasmoda* Crantzio, hodie fortè *Iasmondt*) tota cum classe concessum. Ubi inter cæteros, præcipuè Absalonis virtus enituit; cui licet expedita semper equitum ac peditum manus præsto adesset, rex nihilominus robur exercitus penes se retinebat, & non nisi gravi ac composito militiæ genere, idque pedetentim, procedere in more positum habebat. Itaque pugnandi copiâ nusquam oblatâ, magnam regionis partem permensus, variè prædas egit. Ac demum, vicis undique concrematis, & ad *Gorum* usque promontorium incendijs ac direptionibus prolatis, Rugiani cum se contrahendi à Saxonibus auxilij spe delusos viderent, prope *Strelam* insulam (ubi nunc *Stralesunda* ut putat Crantzius) datis pecuniâ & obsidibus, pacem cum rege pepigerunt. Reperio apud Pomeranorum chronographos, silentibus licet domesticis annalibus, hoc circiter tempore Valdemarum quoque Sobislao Pomeraniæ principi bellum mari intulisse, & arcem seu propugnaculum *Dansivitum* ad vistulæ ostium excitasse, quod rege mox discedente Sobislaus vicissim occupavit, atque inde annis sequentibus opidum ad hanc paulatim excrevisse magnitudinem.

Post hæc considerantibus regni proceribus Daniæ statum, temporaque difficilia, tum graves, qui undique imminerent, belli casus ac pericula, placuit eis ut filio Valdemari *Canuto* regij honores jusque successionis decerneretur, ut haberent nimirum regni primates, ad cujus nomen titulumque, si quid in omnem eventum regi humanitus accideret, possent confugere. Quorum rex probatâ sententiâ, nec non circumspectâ eorundem prudentiâ æquè ac benevolo in se ac sanguinem suum affectu delectatus, ut procerum suffragijs filio suo *principis patriæ* nomen deferretur libenter assensit. Cumq; & calculum suum universus exercitus lætâ acclamatione addidisset, solus Burisius, sive tacitâ regni affectatione, sive rei novitate permotus, nullam pœnè vocem suffragijs attulit. Qui cum hoc nomine apud regem se suspectum haberi sentiret, ità silentium excusavit, ut amoris id potius quam

quam odij indicium fuisse diceret: quod Daniæ regnum, testantibus rerum præteritarum memorijs, in plures divisum sæpenumero inter patrem & filium de rerum dominio bella concitasse non ignorarit, tum & tacuisse, quia res inopinato sibi accidisset, utpote quam nec à rege ipso, nec ab amicis communicatam accepisset. Quibus allatis effecit, ut rex dissimulatione saltem hoc quicquid esset, per id temporis transmiserit. Verum cum idem, peractâ expeditione, inter cæteros Daniæ optimates apud Roschildenses Canuti miles solemni more fieri juberetur &, alijs libenter eum honorem suscipientibus, ipse recusaret, iterum in suspicionem priore haud minorem incidit. Sed & tum excusante se, quod vivo eo, cui primam militiæ fidem dedisset, alij eandem dare, & vetus obsequium novo mutare minus decorum existimaret, regem quidem aliquatenus pacavit, at omnem pectori ejus scrupulum haudquaquam exemit. Et licet postmodum præcipuam Iutiæ partem auxilio Absalonis à rege cum imperio acciperet, Canutoque obsequentem se exhiberet, solidam nihilominus regis amicitiam recuperare haud potuit.

Vere appetente, qui annus fuit millesimus centesimus & sexagesimus sextus, seorsim adversus Slavos expeditionem suscipiunt hinc Scanienses, inde Fionij atque Selandiani. MCLXVI. Ductores erant Absalon & Magnus, ità tamen ut medius inter utrumque militandi locum acceperit Christophorus, qui, tanquam natu junior & regij sanguinis, illis veluti stipatoribus cingeretur. Adortique mox Tribusanam provinciam, tantas undique ferro ac flammis regioni clades intulêre, ut diu post deserti vici & agri culturâ vacui permanserint. Absalon repetiturus è littore classem, dum agmen extremum ducit, nunciatur ei hostium superventus. Itaque licet revocari ob vim frigoris primi haud possent, ipse solis quadraginta stipatus equitibus prius hostem quam vadum, per quod erat rediturus, tentavit; ijsque feliciter fugatis, lento itinere ad amnem concessit. Inde conjunctâ classe, faventeque cœlo, læti in patriam redierunt. Tum rex Christophoro Petrum & Selgrethium pædagogos addidit, qui ejus adolescentiam honestis exercitijs ac plenis ad humanitatem præceptis erudirent.

Ac mox redeunte æstate expeditionem instaurat. Volgastani enim fœdus, quod supra commemoravimus, haud simplice vice conculcatum violaverant, cum & Rugianos, mœnium suorum socios, non tantum urbe ejecissent, sed & piratas Peni fluminis ostia intrare atque ibi receptum ac stationem habere permisissent. MCLXVII. Itaque rex *Lentitios* dum petit, ab Henrico, Saxonum duce, literæ adferuntur, quibus admonetur ut sibi à Burisio caveat, quod nimirum cum Norvagis opprimendi ejus consilia inijsset, essentque jamjam in procinctu ad invadendam Iutiam illi ipsi Norvagiani. Nec multò post intercepta Norvagensium epistola idem prodidit. Accessit & ultimo Vendilensis episcopi Toconis affirmatio, qui Burisij militem novo sacramento obstrictum affirmaret, utpote qui se quocunque duceret, secuturum promiserat. Tot indicijs motus rex, licet rem dissimulanter haberet, expeditionem tandem intermittere potius duxit; profectusque citatâ navigatione in proximam Iutiam, eodem Burisium cum cæteris regni primatibus convocat: & quid de ejus insidijs accepisset, præsentibus omnibus aperit. Burisio proditionis crimen, quod impingi videbatur, disertè pernegante, Rex eum commorari secum præcepit, pollicitus si vana forent, quæ erant nunciata, incolumem discessurum. Sed ille cum nihil absurdius diceret, quàm ut se & capitis sui discrimen incertis eventuum experimentis committeret, magis quàm dudum suspectum se arbitris reddidit. Eoque ad urbem Latrensem cum rege commeare jussus, ibidem leni sed firmæ custodiæ traditus est.

Interea *Erlingus*, & *Ormus* Burisij frater, cum exercitu navali è Norvagiâ egressi, classem Cimbrorum in amne Diursa repertam, gubernatoribus vacuam, facile superant ipsiusque Burisij intercepto navigio ad vicum Selandensium, qui etiam tum *Mercatorum portus*, nunc regni præcipuum emporium *Haffnia*, & vulgo *Copenhaven* appellatur, festinatò se conferunt. Sed eis expeditâ militonum cum manu occurrens Absalon in terram exscensionem facere prohibuit. Habitisque nihilominus diversis sed levibus aliquot inter minora circa littus navigia conflictibus, tandem Erlingus cum se frustra esse omniaq; detecta animadverteret, datis vento velis, domuitionem instituit. Postquam itaque regi de insidijs res ipsa fidem fecisset, Burisium perinde ac majestatis reum inter vincula asservari mandavit. Erici Regis chronicion, quod addit oculos ei effossos; & Albertus Abbas, qui aquis submersum à Valdemaro ait, apud Saxonem legere non memini. Erlingus interim dum Selandensium oras legit, hinc inde impetitus cladem incurrit. Nec minori Hallandensium virtute exceptus apud *Nizem* amnem unâ rate ejusque remigibus spoliatus abscessit.

FREDERICUS BARBAROSSA IMP.

VALDEMARUS. I. Rex. *A.* C. MCLXVIII.

Superius quæ ex chronico Norvagico de Erlingo eodem ejuſque in Iutiam atque amnem Diurſam navali trajectione injecimus, ad idem hoc tempus eandemque hanc expeditionem, quamvis paucioribus perſtricta, pertinere, qui propius inſpiciet, etiam me tacente, intelliget. Eodem fere tempore, annum circiter milleſimum centeſimum & ſexageſimum ſeptimum vel, ut alij, octavum ad arcendos à Selandiæ finibus piratas Abſalon inſulam maritimam novi caſtelli fundamento complexus (*Stegelburgum* tum appellatum, & poſtea etiam *Axelſhus*, nunc urbis Haffnienſium arcem dicimus) exiguo quidem id temporis munimento ingens patriæ præſidium attulit.

Porrò quò minus ad vindicandam à Norvagienſibus illatam injuriam Dani confeſtim progrederentur, effecit Henricus Leo Saxonum ſatrapa. Is enim ſuperhabitâ, quam cum Valdemaro pepigerat, ſocietate ac fide, Bugiſlavi Danos metuentis obſequium pactus, totum ſe ei defendendo comparaverat. Quin etiam cum rege juxta *Crempæ* flumen in colloquium deſcendens queri auſus eſt, quod militem & clientem ſuum Bugiſlavum coram ſe non accuſatum bello laceſſeret. Rex è diverſo cum negaret ſe ullius reſpectu ceſſaturum ab invadendo eo, qui ſe damnis ac injuriâ afficeret, manente controverſiâ, fœdus cum colloquio ſolutum eſt. Inde Scaniam ingreſſo falſo nunciatur Saxonum in Iutiam irruptio. Itaque quem confecerat, belli apparatum oportunè remiſit. Eadem tempeſtate Eſbernus Vidus, aliàs Snareus appellatus, Abſalonis frater, arcem & opidum *Calundæ*, nunc *Callenburgum* vocamus, è fundamentis excitans eo propugnaculo portum, quem loci natura conſtituit, ab hoſtili piraticâ liberum atque immunem præſtitit. Erat autem hoc tempore Danici regni is ſtatus, ut rex undiquaque maximis circumcinctus difficultatibus nihil magnopere aggredi memorabile in animum induceret. Hinc etiam Norvagos, inde Vandalos infeſtos ſentiens, etiam Saxonum machinationes ſibi pertimeſcendas habebat. Adeò ut nulli hoſtium tuto atque audacter occurrere auderet, metuens ne dum unum invadit, ab altero invaderetur.

Eâ regni neceſſitate permotus Godeſchalcus, primarius inter Danos vir, qui, quod & linguam Slavorum calleret, ac ſæpe ſuarum rerum gratiâ ad eos commearet, Vandalorum erat principibus perfamiliaris. Is, inquam, Abſalonem accedens rationem à ſe excogitatam ait, quâ poſſint à Saxonum amicitiâ diſjungi Vandali; Se quippe non ut legatum, ſed privatâ de cauſa & qui amicos ex intervallo quaſi ſalutatum accederet, ad Vandalos iturum, ibique conſilia ſua ità explicaturum, ut minimè dubitet quin, abjectâ Saxonum fœderatione, ad Danos eorumque amicitiam reditura ſit poſtliminio Vandalia: Sibi notum eſſe gentis ingenium, quod plerumque impetu & temeritate magis quàm prudentiâ aut ratione ducatur. Abſalon non ignarus reperiri ſubinde de plebe viros, qui publicis perſonis ingenij felicitate ac promptitudine anteeant, collaudat Godeſchalci induſtriam ac monet interim ne quid regni aut regis nomine polliceatur, quod opis ſuæ aut poteſtatis non foret: fide integrâ non fucis aut fictionibus ſtetiſſe ſemper rem Danicam: armis ſe non mendacijs bella gerere. Ille igitur primum Pomeranos aggreſſus, mirari ſe inter cætera ait, quod eorum obſequio pareant, qui ipſos patria exuere cupiant: Saxones quippe quantum ex ipſorum finibus occuparint, protinus cultu atque habitationibus complecti, nec prædâ aut gloriâ contentos, proferendi etiam imperij cupiditate ſtimulari. Ideoque *Niclotum* eos vitâ, *Priſclavum* patriâ ac poſſeſſionibus exuiſſe. *Razeburgum*, *Illogam* ac *Suerinum* in totius Vandaliæ ruinam vallo foſſaque cinxiſſe. Danos verò diverſo ſtudio bella tractare, nec hoſtium fines, ſed pacem ac mutua commercia ſectari. Summopere itaque eos elaborare debere, ut, excuſſis Saxonum præſidijs, Danorum genti ex fœdere conjungantur. Ità demum fore eos quàm fortunatiſſimos, & patriam ſempiternæ libertatis beneficio ornaturos. His ſimilibuſque concitati monitis Pomerani, univerſa confeſtim Saxonum præſidia, quæ ſuis habebant locis ac propugnaculis impoſita ejiciunt, & ne duce deſtituti viderentur Danorum regis titulum obtendunt. Godeſchalcus duarum gentium, quæ Daniæ graves imminebant, diſſociatis hoc pacto viribus, in patriam reverſus eſt. Sed famâ tanti facinoris reditum ejus præcurrente, rex inexſpectatam adeo rerum converſionem miratus, poſtquam ex Abſalone per quem res eſſet acta cognoviſſet, impenſius auctorem ſibi commendatum habuit.

Henricus autem, animadverſâ Vandalorum defectione, omnia agere inſtitit, ut regem viciſſim pacaret, ſeque in ejus amicitiam ex intervallo reponeret. Itaque Henricum Razaburgenſem necnon Conradum Lubecenſem antiſtites legatos ad eum mittit, filiam ſuam minorem filio ejus Canuto in matrimonium offerens. Nam major, quæ prius ei

deſponſa

A. 6

desponsa fuerat, fatis concesserat. Addunt eidem confirmandæ rei gratia brevi prope Bremam aut flumen Eidoræ ducem ipsum adfuturum, rogantes ut ibi quoque adesse rex vellet. Quò cum esset ventum, Dux promisso suo satisfecit, & rex recepto in gratiam duce novam uterque paribus votis adversus Vandalos militiam condicit. Et Henrico quidem Deminum petente, rex Valagastinos aggressus, omissâ urbis oppugnatione, finitima loca armis percurrit. Olnensis quoque opidi, post recentem cladem, male restaurata mœnia incendiò dejecit. Nec minus & à duce direpti hinc inde atque incensi vici, ferroque profligatum quodcunque in occursum se ferret. Vandali cùm se & viribus impares & frustra adversus duorum fortissimorum ducum exercitus luctaturos viderent, utrumq; & regem & ducem ære obsidibusque placavêre. Rebus Vandalicis hunc in modum compositis, Rex bello Norvagico, quod earum interpellatione fuerat dilatum, totis viribus cœpit incumbere. Et magnas undique copias quàm celerrime contraxerat; sed quæ ipsi ornamento magis, quā detrimento fuêre. Siquidem appulsâ ad Vicensium littus classe magnitudo exercitus visendusque apparatus ità omnium in se convertit oculos, ut effusi passim in gaudia & spectandi non nocendi aviditate loca editiora complentes magna eum gratulatione exceperint. Præ ceteris Tonsbergenses ut affectum & cultum suum quam poterant prolixissimè declararent solemni eum pompâ, quam vulgo processionem vocant, egredientem in terram venerati sunt, officia religione cumulantes. Erlingi interea miles, qui castella & vicos præsidio tenebat, ubi adesse regem intelligeret, sparsim fugâ dilabebatur. Et ipse quoque Erlingus, non viribus suis quantum locorum difficultatibus fisus, undique angustias & sinus maris, qui hostium navigationi erant opportuni, quo transitum prohiberent, machinis ac stipitibus quam diligentissimè obsepiebat, adeò ut rex moræ tædio, tum absumpto per longum otium annonæ commeatu, inaniter se tempus trivisse quereretur. Varia quoque audiebantur procerum judicia, dum alij, expositis in terram equitibus deturbandos machinarum magistros, & vi viam parandam suadebant, alijs e diverso in tantas angustias ingenti cum classe temere proruendum dissuadentibus. Quidam in apertum mare exeundum censebant, ut freto laxiore præteritis hostibus, & occupatâ armis regione, Erlingus, relictis ea occasione latibulis, ad pugnam proliceretur. Variantibus hoc pacto sententijs Nicolaus cognomento OXE (*Bos* est in Saxone, qui & gente quàm animo nobiliorem facit) mirari se ajebat, quid viros prudentiâ insignes, inque solo amœnissimo natos atque educatos tantopere juvaret inculta saxa atque asperas rupes perrepere: Quid hac, inquit, dementiâ insanius, ut ultimæ ærumnæ summarum voluptatum loco habeantur? Nam si contingat, Norvagiâ regem potiri, quid fiet, nisi ut plus laboris ex utroque regno, quam voluptatis ex altero sit percepturus? & jam cum urgeat præterea commeatus, quid longius navigationem protrahimus? Quæ ut erant à Nicolao timidè magis quàm prudenter prolata, ità rege & alijs tacentibus, probari videbantur. Sed Absalon summopere sibi eam orationem displicere & esse factionis incitamentum haud variè commonebat, præsertim cum mox non militum modo vulgus, sed principes quoque reditum & missionem à rege extorquerent. Atque ità paucorum impatientiâ maxima victoriæ spes Danis prærepta, rem Norvagicam Erlingo & Magno tum adhuc integram reliquit. Quæ ut à Saxone ferè memorata repetere hoc loco obiter voluimus, ut cum ijs, quæ ex chronico Norvagico, de belli hujus initio atque exitu, supra posita sunt, & mox occasione verborum Saxonis denuò erunt attingenda, accuratius possint contendi.

Dum verò ea apud Norvagos geruntur, Rugianorum ob regis longiorem absentiam defectio nunciatur. Rex itaque Cazimaro & Bugislao Pomeranis in belli societatem adscitis, cum varias Rugiæ partes esset adortus præcipuè circa *Arconam* castra locavit, urbemque obsidione aggressus est. Erat ea in excelso promontorij cujusdam vertice collocata, gentis ac totius pæne Vandaliæ tum caput, quamvis hodie nuspiam ejus supersunt vestigia. Ab ortu, meridie & aquilone, non manufactis, sed naturalibus præsidijs, ità communiebatur, ut præcipitia haberet mœnium instar, quorum ad cacumen sagittæ tormento excussæ vix pertingere poterant. Ab ijsdem quoque plagis mari circumfluo sepiebatur, præterquam vallo, qui erat ab occasu quinquaginta circiter cubitorum altitudine. Boreale latus fonte irriguo scaturiebat, quo *Ericus*, Emund dictus, quondam opidanis erepto, non minus siti quam armis obsessos fatigavit. Mediâ urbe planicies patebat, in quâ delubrum ligneum opere elegantissimum visebatur, non modò munificentia cultus, sed etiam simulachri in eo collocati rumore ac numine venerandum. Hoc simulachrum

S. Viti

VALDEMARUS I. Rex. 4. C.

S. Viti vocabulo censebatur, olim ab Ansgario insulanis commendati; qui postmodum religionem superstitione commutantes pro martyre & vero Christi confessore idolum venerati sunt. Nam ut illud Helmoldus & præsertim Saxo describunt, omnem humani corporis habitum suâ mole excedebat, quatuor gerens capita, totidemque cervices, è quibus duo pectus, totidem tergum ad similitudinem scilicet Iani bifrontis, respicere videbantur. Helmoldus chronici sui Slavorum lib. 1. cap. 6. ait, sanctum Vitum, quem nos martyrem ac servum Christi confitemur, Rugiani pro Deo venerantur, creaturam anteponentes creatori. Non est aliqua sub cœlo barbaries quæ Christicolas ac sacerdotes magis exhorreat. Solo nomine S. Viti gloriantur: cui etiam templum ac simulachrum amplissimo cultu dedicaverunt, ei seorsim divinitatem tribuentes. De omnibus quoque provincijs Slavorum illic responsa petuntur, & sacrificiorum exhibentur annuæ solutiones. Sed nec mercatores qui ad illas sedes appulerint, patet ulla facultas vendendi, vel emendi, nisi prius de mercibus suis Deo ipsorum preciosa quæque libaverint, & tunc demum mercimonia foro publicantur. Hanc igitur oppugnationem, qua alacritate ac perseverantiâ rex peregerit, quo ingenio ac labore diu concussum suæ potestatis fecerit, quo ardore templum genti sanctissimum subverterit, idolumque, frendentibus barbaris, confractum cremaverit, populum, impositis sacerdotibus, erudiri ac sacris Christianis imbui curaverit, à Saxone seorsim memoratum hîc operosius exequi actum esset agere. Pacis tamen conditiones, ut etiam hæc quæ obiter attingimus, propius intelligantur, ejusmodi fuêrunt: ut nimirum S. Viti simulachro cum omni sacrâ pecuniâ tradito, captivos absque redemptione liberos dimitterent, Christianamque religionem ritu, qui apud Danos erat usitatus, susciperent. Quin etiam ut agros & latifundia, quæ cultui idolorum destinaverant, in usum eorum, qui verbi divini præconio erant invigilaturi, converterent; seque quoties res posceret, Danicarum expeditionum comites sisterent, nec unquam vocati regis militiam detrectarent. Præterea ex singulis boum jugis annuatim quadragenis argenteis tributi nomine persolutis, totidem obsides in legum latarum certitudinem præstarent. Quæ dum inter Archonenses & Regem conditiones feriuntur frendere miles; qui jam propinquæ, ut rebatur, victoriæ præmijs fraudatus, nihil præter ictus & vulnera retulisset. Sed illis Absalonis moderatione pacatis, *Carentinorum* civitati obsidio admota. Verum & ij partim Archonensium expugnatione territi, partim popularis sui *Granzæ* adhortatibus moti, colloquium Absalonis deposcunt. Quo permisso, accessit cum fratre Iarimaro totaque Rugianorum præcipuâ nobilitate rex Tetislaus. Eumque interpositâ fide, postquam humanissimè excepisset Absalon, essentque Archonensium exemplo deditionem pacti, detinuit universos ad regis usq; adventum. Qui ubi advenisset, per omnia pacti conditionibus suum assensum adjecit. Absalon deinde solo ex Rugianorum optimatibus assumto Iarimaro, unà cum Suenone Arhusiensi episcopo, urbem *Carentiam* lustrandi gratiâ petijt: visamque agnovit undique voraginibus atq; aquis circumcinctam, unico eoque palustri ac difficili vado aditum ad proximiora præbente. Idque vadum ubi essent emensi, prætentus urbi collis occurit, qui ad portam ducebat. Hîc Carentini, ut deditionem suam concinniorem efficerent, millium aliquot armatorum numero portis effusi, Iarimarum ejusque comitatum, suffixis humo cuspidibus, honorarunt. Adeò scilicet jucundus Absalonis ingressus avido novitatis populo exstitit; cum præsertim non ut rei privatæ legatus, sed tanquam publicæ pacis sequester accederet. Urbem ingressus animadvertit trium præpollentium fanorum ædificijs insignem, fanaque illa tria totidem idolis *Rugiæviti*, *Prorevithi* & *Poremuti* conspicua. Quorum primum, præter alia, septem gladios cum vaginis uni cingulo appensos præferens, & perinde ac Martis viribus pollens, bellis præesse credebatur. *Poremuthi* idolum quatuor erat faciebus monstrosum, quintam pectori insertam gestans, cujus frontem læva, mentum dextra tangebat. Hæc ubi similiter securibus satellitum essent conscissa atque igni exusta, populo Christiana pietas verbique divini præcones commendati. Finito bello acceptisque obsidibus, Pomeranorum duces, qui Tetislavum regno exuendum, seque rei Rugianæ in præmium navatæ militiæ præficiendos existimabant, petitâ abeundi licentiâ, amicitiam hostilitate mutarunt. Quæ res & ipsis postmodum & Daniæ regno discordiæ ac belli haud tralaticij occasionem præbuit. Sub vesperam classis Danorum è portu solvens ad proximam continenti insulam se applicuit, ubi septem æqualis magnitudinis arcæ, pecuniâ idolis jam indicatis consecratâ refertæ, à Rugianis ad regem fuêre delatæ. His peractis remittendæ expeditionis decretum publicè promulgatum.

Helmoldus

VALDEMARUS I. Rex.

Helmoldus superiores Valdemari in Vandalos expeditiones enarrans, addit, inter cetera, præter Rugianos superatos, idolumque ipsorum ab eodem eversum *Suantevith* sive *Santevith*, id est, *sanctum Vitum* appellatum, tum etiam Iaremarum Rugianorum principem Christo per baptisma una cum suis nomen dedisse. Ita enim verba ejus habent lib. 2. cap. 12: In tempore illo congregavit Valdemarus, Rex Danorum, exercitum grandem & naves multas, ut iret in terram Rugianorum, ad subjugandam eam sibi. Et adjuverunt eum *Kazemarus* & *Bugeslaus* principes Pomeranorum, & Pribislavus princeps Obotritorum. Prosperatum est ergo opus in manibus regis Danorum, & obtinuit terram Rugianorum in manu potenti, & dederunt ei pro sui redemptione quicquid Rex imposuisset. Et fecit produci simulachrum illud antiquissimum *Swantevith*, quod colebatur ab omni natione Slavorum & jussit mitti funem in collum ejus, & trahi per medium exercitum in oculis Slavorum, & frustratim concisum in ignem mitti. Et destruxit fanum cum omni religione suâ, & ærarium locuples diripuit. Et præcepit ut decederent ab erroribus suis, in quibus nati fuerant, & assumerent cultum veri Dei. Et dedit sumptus in ædificia ecclesiarum, & erectæ sunt duodecim Ecclesiæ in terra Rugianorum, & constituti sunt sacerdotes, qui gererent populi curam, in his quæ Dei sunt. Et affuerunt illic pontifices *Absalon de Roschilde*, & *Berno de Magnopoli*. Hi adjuverunt manus regis cum omni diligentia, ut fundaretur cultus domus Dei nostri in natione pravâ & perversâ. Erat autem tunc temporis Princeps Rugianorum vir nobilis *Iaremarus*, qui auditâ verâ Dei culturâ & fide catholicâ, alacriter ad baptisma convolavit, præcipiens etiam omnibus suis secum sacro baptismate renovari. Ipse vero factus Christianus, tam in fide firmus, tam in prædicatione erat stabilis, ut secundum Paulum jam à Christo vocatum videres, qui fungens vice Apostoli, gentem rudem & belluina rabie sævientem, partim prædicatione assidua, partim minis, ab innata sibi feritate ad novæ conversationis religionem convertebat. De omni enim natione Slavorum, quæ dividitur in provincias & principatus, sola Rugianorum gens durior ceteris, in tenebris infidelitatis usque ad nostra tempora perduravit, omnibus inaccessibilis propter maris circumjacentia. Tenuis autem fama commemorat, Ludovicum, Caroli filium, olim terram Rugianorum obtulisse B. Vito in Corbegia, eò quod ipse fundator extiterit cœnobij illius. Inde enim prædicatores, gentem Rugianorum sive Ranorum, ad fidem convertisse feruntur, illicque oratorium fundasse in honorem Viti martyris, cujus veneratione provincia insignita est. Postmodum verò, ubi Rugiani, mutatis rebus, à luce veritatis aberrarunt, factus est error peior priore; nam SANCTUM VITUM, quem nos *servum Dei* confitemur, pro DEO colere cæperunt, fingentes ei simulachrum maximum, & servierunt creaturæ potius quam creatori. Adeò autem hæc superstitio apud eos invaluit, ut *Zuantevit* Deus terræ Rugianorũ inter omnia numina Slavorum primũ obtinuerit, clarus in victorijs, efficax in responsis. Et post paucula addit cap. 13: Anno ergo incarnati verbi M. C. LXVIII. fundatum est opus novæ plantationis in terrâ Rugianorum, & ædificatæ sunt ecclesiæ, & præsentia sacerdotum illustratæ. Servieruntque regi Danorum sub tributo, & accepit filios nobilium obsides, & abduxit eos secum in terram suam. Hæc autem facta sunt tempore, quo Saxones civilia bella gerebant. Postquam autem dominus pacem reddidit, confestim Dux (Henricus Leo) misit legatos ad regem Danorum, requirens obsides, & medietatem tributorum, quæ solvebant Rugiani, eo quod laudatũ & juramento firmatum esset, ut quascunque gentes Rex Danorum expugnare voluisset, Dux ferret auxilium, & cum participatione laboris, fieret etiam particeps emolumenti. Cumque renueret Rex, & nuncij redijssent inacti, Dux irâ permotus vocavit principes Slavorum, & mandavit, ut ultionem facerent de Danis. Vocati sunt, & dixerunt assumus, & obaudierunt ei cum lætitia. Qui misit illos, & amoti sunt vectes & ostia, quibus jam pridem conclusum erat mare, & erumpebat vadens & inundans, & intentans exitium multis Danorum insulis & regionibus maritimis: Et instauratæ sunt prædonum naves, & occuparunt in terra Danorum civitates opulentas, & saturati sunt Slavi post diutinam inediam divitijs Danorum, incrassati, inquam, sunt, impinguati sunt, dilatati sunt. Audivi à referentibus, quod Melenburgi die fori de captivitate Danorum septingentæ numeratę sunt animę, omnes venales, si sufficissent emptores. Et post pauca eodem illo capite XIII: Diu ergo siluit rex Danorum, dissimulans gentis suę ruinas. Tandem excitus congregavit exercitum, & percussit partem modicam Circipanę religionis. Filius quoq; regis ex concubina natus CHRISTOPHERUS nomine, cũ mille, ut ajunt, loricis, venit *Aldenburg*, quę Danice dicitur *Brandenbuse*, & per-

& percusserunt maritima illius. Ecclesiam verò, cui deserviebat *Bruno* sacerdos non læserunt, nec attigerunt bona sacerdotis. Recedentibus Danis, Slavi è vestigio prosecuti, & damna sua ultione decupla conpensarunt. Dania enim ex maximâ parte in insulas dispartita est, quas ambit mare circumfluum, nec facile caveri possunt insidiæ piratarum, eo quod ibi sint promontoria latebris Slavorum aptissima, unde clam egredientes, percutiunt de insidijs incautos. Slavi enim clandestinis incursionibus maximè valent.

Inde cum adjecisset nonnulla ad laudem præcipue Ducis Leonis, despectum verò Danorum spectantia, addidit postremò, quod etiam superius Saxonem præcipue sequuti memoravimus, reconciliatos inter se ac collocutos invicem regem & Ducem Henricum. Sed id ità refert, non, ut retulimus, quasi initium ejus reconciliationis ab Henrico, sed rege profectum fuerit. Ità enim porro habet cap. XIV. lib. II. Rex ergo Danorum perspectâ calamitate gentis suæ, vidit tandem quia bona est pax, & misit legatos ad fortissimum Ducem, rogans præberi sibi locum familiaris colloquij ad Egdoram. Et venit Dux ad expetitum placiti locum in nativitate sancti Iohannis Baptistæ. Et occurrit ei rex Danorum, & exhibuit se pronum ad omnem voluntatem Ducis. Et recognovit ei medietatem tributorum & obsidum, quæ dederant Rugiani, & de ærario fani æquam portionem, & ad singula, quæ Dux judicavit exigenda, devote paruit Rex. Et renovatæ sunt inter eos amicitiæ, & inhibiti sunt Slavi, ne de cetero impugnarent Daniam. Et facti sunt vultus Slavorum pertristes, propter confœderationem principum. Et misit Dux nuncios suos cum nuncijs Regis in terram Rugianorum, & servierunt ei sub tributo Rugiani. Et rogavit rex Danorum Ducem ut filiam suam, viduam Fretherici nobilissimi principis de Radenburg daret filio suo, qui jam designatus erat rex, in uxorem. Interventu itaque magnorum principum, consensit Dux, & misit filiam suam in regnum Danorum, & facta est lætitia magna omnibus populis borealium nationum, jucunditas & pax simul orta est. Et mutatum est gelidum illud frigus aquilonis in lenes Austri flatus, & cessavit maris vexatio, & detumuerunt procellæ tempestatum. Omnis autem Slavorum regio, incipiens ab Egdora (qui est limes regni Danorum) extenditur inter mare Balthicum & Albiam, per longissimos tractus usque ad Zuerin olim insidijs horrida & pæne deserta, &c.

Rege igitur totoque exercitu domum feliciter digresso, missisque ad Romanum pontificem legatis, facta de novo totius classis recensio: statutumque ut quarta quæque navis adversus maritimos prædones, quoad anni tempus permitteret, excubandi officio fungeretur. Eique muneri delecti potissimum juvenes conjugiorum expertes, ne fortasse militiæ studium conjugum desiderio torpesceret. Additique ijsdem duces *Christophorus* & *Absalon*.

MCLXIX. Elapso deinde tempore, anno circiter supra millesimum centesimo sexagesimo nono, Regis legati, quos Romam transmiserat, in patriam redierunt, literas, inter cetera, referentes à pontifice, quibus patris sui innocentissimos manes sacris honoribus venerari permittebatur. Quocirca rex omni Danicâ nobilitate sub edicto Ringstadium evocatâ circa solemne Divi Iohannis, quod in æstivum solstitium incidit, & parenti cœlestes honores & filio regios celebrare constituit, existimans scilicet, nullâ se aliâ ex re plus haustúrum voluptatis, quàm si in filio majestatis suæ insignia, in parentis verò sanctissimo spiritu publicam verti religionem vivus conspiceret. Exhibitum tunc quoque ejusdem pontificis breve, ut vocant, in quo ille Rugiæ insulam, quod ad Ecclesiasticam jurisdictionem, diœcesi Roschildensi, cui tum in Daniâ præerat Episcopus Absalon, in totum subjiciendam decernit. Harum literarum exemplum in archijs reservatum ejusmodi habetur:

Alexander Episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Absaloni Roschildensi Episcopo salutem & Apostolicam benedictionem. Cùm Christianæ fidei religio, divina cooperante gratia, propagatur & perfidæ gentis contunditur ac refrænatur malitia, tantum inde gaudium & lætitiam concipimus in animo nostro majorem, quanto amplius ex hoc divini numinis cultus augetur & universalis ecclesia de die in diem etiam suscipit incrementum. Ex literis siquidem charissimi in Christo filij nostri Valdemari, illustris Danorum regis, & plurium aliorum manifestè comperimus, quod quædam insula Ryo nomine dicta, juxta regnum ejus posita tantæ idololatriæ & superstitioni à primitivis Catholicæ fidei fuisset temporibus dedita, ut circumjacentem regionem sibi efficeret censualem, & eidem regno & universis Christianis circumpositis, damna plurima & crebra pericula incessanter inferret. Quod idem rex cœlesti flamine suspiratus, & armis Christi munitus, scuto fidei armatus considerans, divino munere profectus, cum brachio forti & extento, duritiem hominum istius insulæ expugnavit, & exprobationem atque immanitatem

VALDEMARUS I. Rex. A. C.

catem illorum ad fidem & legem Chriſti tam potenter & validè magnanimiterq; revocavit,ut ſuæ quoq; ſubjecerit dominationi. Sanè quia potentes ac populus terræ anguſtam inſulam habet, ideoq; nec poſſunt proprium epiſcopum & paſtorem habere, Rex eorum precibus & ſupplicatione devictus,neceſſitate inſpecta,nos ſatis ſuppliciter & effectuoſe rogavit,ut tibi curam & adminiſtrationem iſtius inſulę committeremus,quantum ad ſpiritualia. Nos igitur petitionibus ejuſdem regis, in quibus cum Deo & juſtitia poſſumus, animo benigniori favere volentes,& te ſicut venerabilem fratrem, & firmam columnam Eccleſiæ,gratiâ & honore prævenire optantes, interventu quoque venerabilium fratrum noſtrorum,Eſchilli Lundenſis archiepiſcopi,Apoſtolicę ſedis legati,& epiſcoporũ & principum regni,etiã inſtantiâ venerabilis fratris noſtri Upſalenſis archiepiſcopi,& dilectorũ filiorum noſtrorum,Brianenſis Abbatis,Iohannis magiſtri,nuncij ejuſdẽ regis & magiſtri Galteri clerici, tibi nihilominus inclinati & ſucceſſoribus tuis, magiſterium & prælationem ejuſdem inſulæ in ſpiritualibus indulgemus in perpetuum,abſq; præjudicio aliarum eccleſiarum (ſi quam in ipſâ habent) authoritate Apoſtolicâ confirmamus. Eis ergo,quoniam ſunt rudes in fide & adhuc legis noſtræ ignari,verbum ſalutis annuncies & viam veritatis demonſtres, nec non ſalubribus conditionibus & doctrinâ Chriſtianâ informes. Datum Beneventi II. Non. Novemb. Anno MCLXVIII.

Rex eorundem comitiorum tempore naves militeſque, qui erant adverſus piratas emiſſi, revocari à propinqua ſtatione longiuſque in altum excedere juſſit, quo & citius prædones opprimerent, & ante Divi Iohannis ferias, ut erat decretum, ad lares ſuos regreſſi,publicis ſolemnibus intereſſe maturè poſſent. Diſcedentibus quoque in mandatis dedit, ſerióque præmonuit,ut prudenter navalem hanc militiam exſequerentur. Præſertim cùm ſoleant ſæpenumero piratæ,ſuperveniente claſſe præſidiariâ,de induſtriâ fugam fingere,ſeque in terram conjicere,quo ità acrius inſequentes ad littus allidantur,prædæq; ac ludibrio ex inopinato recurrentibus fiant. Eorum itaque non minus fugam quàm impetum metui debere commonebat, foreque quàm maximè è re, ut compoſito navigationis genere profecti, inque aciem non palantes, ſed junctis patienter ordinibus procederent. His monitis excitati ſe in *Olandiam*, quæ Sueonum regis erat,appulerunt. Et licet Sueones tum Danique inimicitias gererent, inſulanis nihilominus parcendum voluerunt, ne deſtinata in paganos clades Chriſtianis infligeretur, plus ſcilicet in religionis concordia quàm regni utriuſque diſſidijs momenti collocantes. Hîc ab indigenis edocti *Curos* & *Eſtones* exercere in propinquo piraticam,dum,immemores regij monitus,calidius quam cautius fugientes inſequuntur, littuſque nonnulli cum remigibus inſiliunt, diuque cum ijſdem ſtrenuè præliati, neglecti tandem regalis conſilij pœnas exitio ſuo pependerunt. Abſalonis quoque equites auxilio miſſi,dum eximere periculo ſocios ſtudent, ipſi manifeſtum vitæ diſcrimen ſubière. Alij quoq; ipſo periculo magis irritati quam territi, haud diſſimilem pugnæ eventũ habuerunt. Chriſtophorus regius adoleſcens,contemplatus hanc militum ſtragem, navigium ſuũm, quantum potuit,terris avertit. Idq; cum fluctuante prorâ huc illuc ageretur,tantâ lapidum vi ab hoſte eſt impetitum, ut remiges non regerendis ictibus,ſed ſibi tantum muniendis vacarent.Quod poſtquam Eſbernus animadvertit, ne fruſtra ſibi ſuæq; fidei Valdemari filius commendatus videretur,ſtrenuo anniſu continentem petendo medijs ſe jaculantium ſaxis immerſit,hęrentemq; juvenem ab imminente diſcrimine navigij ſui interjectu in tutum conſtituit.Quamvis ipſe extremo tum periculo circumventus ac ſaxis pœne contuſus interîſſet, niſi eum Chriſtophori remiges hoſtium manibus ſemianimem ereptũ ſuaq; navi quantocius exceptum incolumem conſervaſſent.Barbari interim,cum ſe tantæ claſſis objectu irretitos viderent, fortitudinẽ ex deſperatione mutuantes, ſibi partim ex proprijs hoſtiumq; quibus erant potiti, navigijs, partim ſilveſtribus è truncis arborumque molibus ad inſtar urbis munitionem ædificant. Quam ſtrenuè defenſuri poſtquam eſſent ingreſſi cantu choreiſq; lętitiam ſimulabant.At Dani nocte per ſilentium tranſactâ,exortoq; diluculo,paucis ad prohibenda ipſorũ effugia relictis,remoto à caſtris ſpatio littus conſcendunt; Ac mox,acie ordinatâ,cũ barbari paſſim ac palantes propugnaculo ſuo ſe effunderent tantus ab eis clamor eſt editus, ut in extremâ acie collocatis non tantum metus, ſed fuga propemodum fuiſſet injecta. Verùm à præcedentibus ſecus ac rebantur excepti, non minore impetu caſtra quam reliquerant, denuò repetunt. Complures ex ijs in regreſſu cæſi, pauci Danorum dum defenſam à barbaris munitionem irrumpunt, ipſo in aditu procubuêre. Quorum fortitudinem inſecuti ceteri,occupatis animoſè caſtris,atrocius hoc ipſo in hoſtem graſſati ſunt. Tanta enim in

VALDEMARUS I. Rex.

A. 6

ipsos strages edita, ut ex omni eorum multitudine ne cladis quidem nuncius superstes remanserit. Mox prædâ viritim divisâ, refectisq; navigijs nobilium sociorum cadavera, quod tum moris habebatur, & olim quoque usitatum fuisse decimo quinto rerum humanarum tradit Varro, salientes, ignobilibus ibidem tumulatis, in patriam referenda curarunt.

MCLXX.

Interjecto hinc tempore domum reversi magnâ cum optimatum frequentiâ Valdemarum Ringstadij regiâ magnificentiâ feriantem spectarunt. Ibi deinde Lundensis archiepiscopus Eschillus, cui id officij erat demandatum, & patris ejus ossa aræ commendat, & filium Canutum, septem annos natum, regem consecrat, regiâ in sellâ purpurâ exornatū. Hæc solemnia rejiciunt chronologi in annum MCLXXI, cum anno eum præcedente natus eidem Valdemaro filius esset, *Valdemarus* etiam nomine. His debitâ religione celebratis, Helgo Asloensis & Stephanus Upsalensis Episcopi ab Erlingo Norvago missi, cùm ad eadem sacra convocati loco editiori consedissent, benignissimò affatu à rege petebant ut pacem Norvagiensibus concederet. Quam & eo potissimum die nequaquam sibi denegandam monstrabant, quo & filium regio diademate & parentem apotheosi honoratū vidisset. Tantumq; tum excellenti eorum facundiæ Valdemarus tribuisse est visus, ut Erlingo in Daniam veniendi, seq; alloquendi libertatem atq; aditū permiserit. Itaq; Esbernus, Helgone petente, in Norvagiam missus, duobus vicissim ex Norvagiensibus obsidū loco apud regem retentis. Esbernus, ubi ad Norvagos venisset, multa illi in concione Erlingus, & ille vicissim Erlingo audacter respondit. Inde, relicto intra suos penates Esberno, Erlingus Valdemarum petiturus, Sialandiam quatuor navigijs Stephano Upsalensi comitatus accedit. Primo colloquij die cùm objurganter à rege exceptus de concordiâ desperaret, Absalonem per Stephanum orat, ut tuto sibi discedere liceat. A quo ut instaret, nihilque metueret commonitus colloquium repetivit, pacemque honestis ac æquis conditionibus impetravit. Estq; jurejurando pollicitus, obstrictis in eandem sacramenti formam ceteris quoq; Norvagiensium magnatibus, se filium regis Valdemarum admodū parvulum omnibus educationis officijs prosecuturum; eundemque prius Norvagiæ ducem, deinde regni hæredem, si filius suus Magnus absq; liberis justo matrimonio susceptis decedat, futurum. Quin etiam miles regis solemniter pronunciatus naves Norvagiensiū sexaginta, quotiescunque res posceret, in ejus comitatum expediendas promisit. Cujus pactionis summam, domi postmodum in publicis regni comitijs, fide Danorum palam collaudatâ, promulgari curavit. Decedentem Tobo Langius proprio navigio, quo Esbernus reduceretur, est prosecutus. Sicque & Esbernus munificè à Norvagis dimissus in patriam postliminio redijt. Hęc quantum dissonent à Chronico Norvagico ex superioribus, quę de Erlingo, uno quasi filo, pertexuimus, qui propius attenderit, haud difficulter reperiet. Nam ibi, ut cætera mittam, non Helgo aut Stephanus Episcopi, non solemnia ista regia, sed ipsa Erlingi conjux pacis hujus ac pactionis fuisse occasio & veluti pararia memoratur. Esbernus ubi ad *Oddæ* territorium pervenisset (vulgò Otsherrit) ex incolis regem, facto procinctu, in Pomeraniam trajecisse cognoscit. Ex ijsdem quoq; quadraginta ad Syræ insulam naves appulisse intelligit, sed piratarum an verò negotiatorum classis esset, ignorare se asserentibus. Quibus ille oportunè acceptis, ut noctu ignaros pręteriret totus incubuit. Et evasisset, nisi Lunâ desubitò elucescente proditus fuisset. Itaque ubi hostem adesse & objectâ classe adnavigare comperit, nautas extemplo arma expedire, & suo quemq; loco consistere loricatum hortatur. Ceteros in proram secū productos ex utroq; navigij latere spiculis hostē incessere salutemque suam protegere admonet. Accepto præterea silice, conscendi navis malum inq; ejus cacumine ignem extrudi præcepit. Quo facto, barbari classem subsequi arbitrati pugnam remittere cœperunt. Atque itâ Esbernus, non minus ingenio suo, quam viribus sociorum adjutus, profligatis feliciter piratis, in tutum receptus est. Interea Valdemarus classe Rugianorū auctus perq; ostia amnis *Zuvinæ* (Tacito *Suevus* est) Pomeraniam ingressus Iulini confinia, opido intacto, depopulari instituit. Moxq; flumen quod Iulino Caminoq; jungitur, classe conscendens difficilē ob sepes à piscatoribus fundo defixas introitum habuit. Sed illis à Sialandensibus gnaviter semotis, sicuti & ponte, qui mœnibus Iulini contiguus amnem utrimq; claudebat, disjecto, liberū navigijs eundi redeundiq; iter aperuit. Eaq; cū opidani minoribus scaphis occurrendo incesserent, Absalon & Suno lembos suos sagittarijs instructos eis objiciunt. Ancepsq; naviculis velitatio erat, vario tormentorum proludio decertantibus, dum hic emisso ballistâ spiculo, ille arcu aliove ictus genere prostratus occumbit. Postremò tamen terga vertentes opidani classē, quo vellet, progredi permisêre. Inde ad insulam Cristoam perventum. Sed hic incendio & direptionibus abstinendum

MCLXXI.

VALDEMARUS. I. Rex. A. C.

nendum rex admonuit; quo nimirum commeatus & annonæ equitatui suppeteret. Atq; inde ad urbem Caminum, permeato amne, procinctus est motus. Hîc quæcunq; se obvia dedêre, ferro flammisq; vastata. Urbis interim oppugnatione omissâ, ad insulã Cristoæ reditus institutus; ut ibi de reducenda classe, & quã potissimũ lacus parte egressuri mare quã commodissimè repeterent, consilia inirent. Nam cum Pomeranorum istud fretũ tribus in mare Balticum ostijs exeat, essentq; eorum duo Ponense nimirum & Suinense à classe nimium semota; tertium verò quod erat Caminensium, admodum deprehenderetur vadosum, non levis hîc duces hæsitatio tenuit. Rex eodem die cum de Iulinensium provinciâ denuo invadendâ cogitaret, Absalon concubiâ nocte vada locaq; ascensui oportuna scrutatus palos harundinesq; nodis signavit, ut ijs veluti notis uteretur ad exponendum die postero in continentem equites. Eaq; excursione celeriter properatâ peractâq; cum jam ad classem haud sine opimis spolijs redijsset Valdemarus, iterum de ratibus in apertũ mare educendis anceps singulorum consilium fuit. Alij siquidem angustias faucium ligonibus aperiendas existimabant, ut itâ fossorum operâ strictiores fluvij partes exampliarentur. Sed id cum alij futurum demonstrarent, ut alluvione & arenâ maris obstrueretur, insuper habitum est. Alij naves subjectis trabibus communi operâ in pelagus protrahendas consuluêre, equitatu utrimq; ripas tenente. Et hac arte sex Rugianorum minores lembi feliciter traducti. In reliquis verò, cum essent non tantum oneribus impediti, sed mole quoq; grandiores, frustra hoc ipsum tentatum est. Hęc dum fiunt, Cazimarus Danorum circa fluminis egressum ac maris profunda hæsitationes suam in rem vertens, eamq; oblatam sibi occasionem existimans ut intra id freti conclusos opprimeret, naves quinquaginta fluvij faucibus objecit. Submisit etiam in odium Danorum subsidia sua Dux Saxonum Henricus Leo. Quin & Bugislaus, navigijs aliquot in supplementum adornatis, ipse cum equestribus copijs fratri auxiliaris accessit. Quæ res adeò Iutenses commovit, tantumque illis metum incussit, ut Absaloni non tantum inclementer dicerent, sed publicè quoq; & pro concione incesserent, quasi ejus operâ in eas angustias, unde se expedire nõ possent, redacti fuissent. Quam insectationem licet Absalon æquo animo videretur excipere, Scorus tamen, Vanguonis filius, haud quaquam ferendam censuit. Habitaq; in adversum oratione, calumnias eorum repressit, ac simul ostendit iniquè eos de Absalone pijssimo ac fortissimo viro judicare, utpote cujus ductu eas terrarum partes armis lustrassent, quas ne aspicere quidem majoribus ipsorum contigisset. Postremò ut audaciam à virtute mutuati rem fortiter gererent adhortatur, quod scilicet eum in locum devenissent, in quo aut mori eos, aut vincere esset necesse. Interea Cazimarus potiundæ classis fiduciâ plenus, circa ripam tentoria defixerat, ibiq; genialiter agens & sibi ac militi aureis argenteisq; poculis propinari merũ curavit. At Valdemarus convocatis intra navigium suum archegis ac principibus classis, quid facto opus esset, exquirit. Illis tacentibus, cum causam silentij peteret, intellexit ferè omnes Absaloni offensiores. Sed rex ad concordiam cohortatus admonuit privatas lites, ubi de publicis ageretur, facessere oportere. Itaq; ad Absalonem conversus, quid suadeat, rogat. Ille consilium in expedito esse respondit, & quæ alijs impedimenta atq; obstacula viderentur, dispulsu esse facilia; nec quicquã obstare, quo minus eâ parte egressus pateat, qua introitus fuerat. Debere præterea regem expositis in continentem equitibus protegendę classis gratia ad ipsas fauces pergere & navigia quędã loricatis remigibus instructa ceteris præire, atq; ita hostilem classem, si se offerret, impetere. Ridentibus cunctis & an ipse reliquorum dux esse vellet percunctantibus, volo inquit, ne fortius suasisse quã fecisse videar. Delectatus consilio & animositate rex, naves confestim expediri præcepit, ac protinus ripã, stipatis equitibus, petens ad amnis caput properavit. Cazimarus verò, ubi eminus adventantes vidisset, relicto ocius tabernaculo, ad classem se trepido cursu proripuit. Septem erant navigia remigibus loricatis adornata. E quibus duo Absalonis fuêre, totidẽ Elsbernus ac Suno ductabant. Reliquis tribus Thorbernus, Olaus & Petrus Thorstanus præerant. Hæc reliqua classis seriatim est subsecuta. Cazimari navigia, quæ ad ostia fluminis erant collocata nostris hoc ordine adventare conspectis, confestim, ceu ventis correpta, terga dedêre. Horum fugam Dani magnis ac lætis vocibus insecuti, & Absalonem, quem accusaverant, extollentes, contumelias laudibus ac gratis acclamationibus redemerunt. Atq; itâ levi negotio tã ingens, quod imminere videbatur, periculum dispulsum est. Bina Vandalorum navigia remigum metu deserta apud Cristoã à nostris excepta sunt. Tertium, quod vadis seu palis adhæserat, sociorum accursu servatũ est. Inde Valdemarus equis citatis Iulinũ petijt. Quò cum pervenisset, Bugislaum offendit circa pontis, quẽ jam antea confre-

Y ij

VALDEMARUS I. Rex.

A. 6

confregerant Dani, refectionem occupari. Sed ille conſpectis Danis omiſſoq; quod erat in manibus, fugam arripuit. At rex refecto confeſtim ponte, tanquam hoſtium operâ conſummaturus, in ripam auſtralem equites trajecit; quo nimirum tutior hoc pacto claſſi inter amnis conſepta progreſſus pateret. Nec ſegniter ſubſecutus Abſalon. Qui ſimul ut Iulinenſium baliſtis obſiſteret, unum ex ſuis navigijs ſagittarijs inſtructum conſcendit, atq; illud medio inter urbem & claſſem amne direxit. Sed opidani terrore perculſi intra mœnia ſua latere quàm objicere ſe periculo potius habuêre. Pòſt hæc in naves reductus equitatus, & remiges laboribus feſſi intra portũ recollecti. Ubi dum agunt, progreditur ex opido quidã potu ſolutus, ſed inſigni aliàs clientelâ ſtipatus; obequitanſq; inſolentius Godeſchalcum interpretem obvium habuit. Eumq; monet referre Danis vellet, obſides pacis poſtero die adfuturos, modò reliquijs parcerent, prædâq; abſtinerent. Inde diſcedere eodem volente, & equo per jactantiã vehementius concitato, ipſe deſubitò in terrã corruit. Quem ubi ſatellites attollere conarentur, impetiti Danorum ſagittis herum hoſti capiendum reliquerunt. Interea rumor, ſed falſò jactatus, adfertur, Vandalos impediendi exitus ſtudio Sueni fluminis oſtia crebris obſediſſe navigijs. Sed eam famam idem barbarus falſitatis arguens demonſtrabat compertũ ſibi eſſe Vandalorum vires ità Danorũ potentiâ ac robore concuſſas, ut jam in totum quodammodo ſuccumberent. Eaq; aſſeveratio Danos ad capeſſendam cum hoſtium contemptu navigationem alacriores effecit: Tantus autem Vandalos timor invaſerat, ut ne extremos quidem, quod fieri ſolet, inceſſere tutum ducerent. *Petrus* quippe cognomento *Thotteus* cum navem ſuam palis illiſam rupiſſet, nec ſubſequi niſi ſeriùs & ſolus, refectâ jam navi, poſſet, nemine tamen laceſſente liberã ac tutam ad lares uſq; navigationem expertus eſt. Ubi, quod erat anni reſiduum, otio tributum eſt.

MCLXXII. Cazimarus interea & Bugiſlaus metu Danicarum virium Henrico Saxoniç duci ſe ſuaq; ſubmittunt. Imperiumq; quo ipſi hucuſq; uſi fuerant proprio ſuique juris, alterius faciunt poteſtatis. Ex hoſtibus namq;, quos præcipuè duos habebant, Danum & Saxonem, dum alterum metuunt, alterius jugum ſumſerunt, ac ſe hoc ipſo ſub ſpecie auxilij exortes reddiderunt antiquæ atq; aureæ libertatis. Itaq; Valdemarus haud magni pendens hanc ducum ſive ſocietatem ſive fœdus, utroq; contempto, Stetinum, vetuſtum Pomeranorum opidum, inſtructa claſſe aggreſſus eſt. Abſalon, qui primus omniũ vela ventis dederat, urbem, ordine mutato, poſtremus acceſſit. Idq; fraude ductoris, qui in Stetinenſes, ut videbatur, erat propenſior. Eſt autem opidum ipſum non tantũ loco admodum amœno ſitum, ſed ob valli eminentiam tum arcem aliaq; propugnacula, ac Viadri quoq; fluentum, quod mœnia prætergrediens Balthico ſe mari infundit, perquam munitũ, ac pœnè in expugnabile, adeò ut Saxo Stetinenſium munitiones occaſionem diverbio dediſſe ſuo çvo memoret, quod eos, qui ſe inaniter jactarent, *Stetini præſidio haud defendi*, vulgo diceretur. Hujus tamen expugnationem animo complexi Dani, ubi vallum partim è terra, partim ligno conſtare, ideoque flammis incendi, quam facilimè poſſe animadverterent, vineas ſibi, veluti ſcuta quædam, ad jacula evitanda è cratibus virgarum fecêre, iiſque freti, ligonibus aggerem petere cœperunt, ut ità reliquæ materiæ, quæ interius ferè erat lignea, ignem injicerent. Quæ cum fierent, omiſſis poſtremo muralibus machinis, admovet coronam rex, oppugnationem ſeriò auſpicaturus. Inter oppugnandum verò urbis præfectus Vartiſlaus, qui & Bugiſlaum & Cazimarum ſanguine contingebat, cum videret deſtitui ſe adverſus tantam multitudinem, qui propugnatorum vices identidem ſubire defeſſoſq; ſublevare poſſent, de deditione cœpit cogitare. Erat autem idem Vartiſlaus, licet Vandalus natione, Chriſtianâ tamen religione imbutus, utpote qui viros ſanctos, & qui plebem pietatis doctrinã docerent, è Daniâ evocarat, multis atq; egregijs in eoſdem, ob exantlatos fideliter labores, collatis ſtipendijs. Ille itaq; hoſtium impetum veritus, faciendæ deditionis gratiâ pacem petijt. Acceptaq; fide protinus in caſtra regia digreſſus eſt. Rex interea cum urbem luſtraſſet, & oppugnationem quoq; admodum difficilem deprehenderet, reverſus in caſtra Vratiſlaum admiſit. Cujus precibus motus deditionem, quam offerebat, accepit, ac ſimul pecuniam cum obſidibus pactus ſtatuit, ut ipſe urbem à ſe in beneficium, tanquam regium munus, & à Vandalorum conſortio ſecluſam, reciperet. Igitur, revocatis ab oppugnatione militibus, neq; capi urbem, neq; diripi paſſus ſigna ſua propugnaculis affigi prçcepit.

MCLXXIII. Hanc caſtri Stetinenſis obſidionem Erici regis chronicion poſtquam triennio ante Chriſtophorum ducem, naturalem Valdemari filium, fatis conceſſiſſe & maximũ in Daniâ

MCLXXVI. terræ motum fuiſſe memoraſſet, retulit ad annũ MCLXXVI. Quamvis Chriſtophorus etiam poſt Stetinenſem deditionẽ fuiſſe adhuc ſuperſtes ex Saxone & ſequentibus poſſit colligi.

Poſt

Post domitos ac suam in potestatem redactos. *Stetinenses* navigationem *Lyubinum* instituit. Quod cum sui similiter juris fecisset, verso procinctu ad insulam Rugianorum consedit. Hic cum piscationis tempus supervenisset, in commune consultum, ut tertia totius classis parte circa insulam relictâ, adversus hostem, qui piscaturæ negotio, alijsq; publicæ rei commodis posset officere, excubiæ agerentur. Eique muneri cum Prislai filium Canutum præesse rex mandasset, ille imperium detrectans respondit se nihil præter angustas Lalandiæ fines in Daniâ possidere, nec tanti eos putare, ut pro ijs tutandis se ipsum certo periculo vellet objicere. Cæterum id negotij justius ad episcopos, quorum arbitrio rex omnia permitteret, esse devolvendum; se inter minorum gentium ac secundæ admissionis familiares haberi, nec ideò ad se referendum hoc ipsum existimare. Quo insubito juvenis responso offensus Valdemarus, exigua illum beneficia, cum grandioribus nondum par esset, accepisse respondit, & in posterum magis privandum quam cohonestandū etiam talibus: addens haud quaquam ut probrum objiciendam sibi pontificum familiaritatem, cum inter eos reperiri perfacile sit, qui oblatam provinciam haud gravatim in se sint suscepturi. Hinc accersito Absalone, ei Canuti responsionem, & simul quid esset super classe decretum, exponit. Qui, perceptâ regis sententiâ, libenter quod è re & publico bono foret exsequuturus Thorbernum, Esbernumq; Selandos itemq; Sunonem Arhusiensem & alios ex Iutensibus, qui se sponte obtulerunt, secum, ut commilitones, retinuit. Eaq; operâ Absalon non tantum Rugianis tutam piscationem, sed toti Daniæ securitatem præstitit, dum Pomeranorum classis terminis suis excedere formidaret. Postea domum repetiturus præsidiarias Iutensium naves apud Thynnæ insulam demisit. Quarum pars, dum Australia Fioniæ latera incautius prætervehitur, apud urbem à Canuto Prislai filio conditam; piratis obvijs, terrestri sibi fugâ consulere ac naves metu deserere necessum habuit. Quod cum Absaloni esset nunciatum, occasionē ei præbuit, ut contracta de novo adversus prædones classe magno in id studio incubuerit, quo possit è latibulis suis insidiosos protrahere & mare in totum piratis purgare. Factumq; post longum eorum insecutionem ut oborta desubitò tempestate, Absalon mature se in portum reciperet, Slavi verò cùm remigio adversus fluctuum impetus eluctari nequirent, nec velo uti daretur; universi poenè aut mergerentur, aut naufragium incurrerent. Bina eorum navigia remigantium sedulitate à fluctibus defensa in Iarimarum Rugiæ principem incidêre, qui alterum eorum Absaloni transmisit, ejus quasi industriæ ac virtuti debitum præmium.

Posterâ æstate apud Eidoræ flumen, inter Henricum Saxonię ducem & regem Valdemarum communium negotiorum nominē conventus celebratus. Eodemque anno Christophorus, assumtis tantummodo præfecturę suę copijs, prospere adversus Brammenesios pugnavit. MCLXXVII. Moxq; rege mandante altera in eosdem expeditio instituta; Quam Absalon & Christophorus ducum nomine prosecuti omnium primi Mansuetam advenêre. Ubi dum regem præstolantur, isq; tarde ad locum destinatum accedit, advehitur insigni cum classe Eschillus, quam ei Scanienses adornarunt. Advenerat tum commodum ille Hierosolymâ barbâ prolixâ venerandâq; canitie longinquam peregrinationem testatus. Eum cum nihil suarum rerū celandum Absalon existimaret, per Esbernum consilij, quod ceperat, rationem aperit. Ille studio Absalonis impense laudato, orat socium se gerendorū habeat, & licet jam senem ad juvenum hastas descendere permittat. nec segniter promptissimis Scanensium delectis, Absalonem secutus communi navigatione ad insulam Lalandiæ appellit. Illic ex Rugianorum navibus septem sibi nostri obvias habuêre. Itaq; tota navium classis ubi ventis vela dedisset, errore navigantium aliquot earū in Brammenesios incidunt: qui duabus à cetera manu abductis, cum eas ulterius amovere non possent, à Selandensibus invasæ ac ferro pertusæ fundum petivêre. Unicam hæc provincia urbeculâ habebat, quæ à Danis supellectile & rebus vacuâ reperta, indicio fuit, quod incolæ defensionē sui ei credere pertimuerint. Ipsi in proximā ædem, quæ erat extra vallum sita, certatim se contulerant, hoc salutis suæ veluti asylum habituri. Interea Hurnæus quidā & Marquardus, quem Adolphus Holsatiæ præfectus filio moriens tutorem reliquerat, Danorum copijs superbè contemptis, ingentem Slavorū Saxonumq; manum contraxerant. Fortè tum Dani intermisso obequitandi studio, ut se reficerent, humi aliquantisper decumbunt, simulq; Eschillus, qui senio insuper fessus & non nisi adjutus equū ascendere erat solitus, conspecto tum inopinato hoste, quovis juvene ocyus equū conscendit: Adeò ut verissimū sit etiam ætati virtutē imperare. Eo fere tempore exigua Danorū manus prędę agendę ergo à ceteris digressa, cū hosti militum numero superiori occurreret & fuga evadere deforme putaret, nec

pugna tamen aggredi adversarium auderet, inter metum pudoremq; defixa socios prꝑstolabatur. Eratq: inter utrosq; medio loco palustris rivus, qui uno tantum vado erat permeabilis. Hunc Absalon, cunctante primipilo, transgressus, ceteris qua esset eundem præmonstravit. Cujus rei cum esset ignarus hostis, nostri continuò, non exspectatis socijs, quos sibi jam propinquos sciebant, avidè in prælium procurrunt. Nec detrectant Vandali. Sed mox accurrere etiam plures conspicati terga turpiter verterunt, & ab ijs, quorum vires petulanter lacesciverant, nullo negotio fusi fugatique cessêre. Ingenti deinde prædâ undiquaque coactâ, tam diu in littore constitêre, quoad Rugianorum navigia, quæ Brammenesij laceraverant, reficerentur.

Cum autem primus hic Saxonum conatus à Danis hoc pacto retusus in ventum abijsset, universi ejusdem Ducatus satrapæ, hꝑrente apud Bavaros Henrico, gerendi cum Danis belli cupiditate insignem viribus exercitum conscribunt. Posse enim eos quàm minimo negotio in ordinem quam primum redigi, certò sibi persuasum habebant. Sed his ipso in procinctu aliud ab ijs, qui superiori in prælio cladem evaserant, referebatur, Danos scilicet non rusticâ aut ignobili armaturâ, sed operosum ac militarem in morem instructos bella gerere: Erga Christianos etiam singulari esse clementia, quod fugientes non tam ferro quam verberibus mulctatos & equis armisque non vitâ spoliatos dimitterent: auctorem verò victoriarum præcipuè Selandensium antistitem Absalonem existere, & apud omnes celebrari. Quod cum mirum videretur Saxoniæ regulis unus eorum Guncelinus, qui primæ apud Henricum Leonem dignationis habebatur, de re præsenti à ceteris consultus, Absaloni occurrendum mari judicabat, quod cum unius insulæ populo dimicare operosum non esset. Qui secundo rogatus, an cum ipso rege congredi tuto possent, ne id quidem ipsi Henrico sine periculo futurum respondit: interim non abs re existimare, ubi ad maritimam expeditionem se totos Dani parassent, ut ea occasione Slesvicensium partes hostiliter peterentur. Sed eo audito, negabat Bernardus Razaburgensis in eam provinciam se arma translaturum, quam, rege volente, beneficij jure possidebat. Quin & hoc addebat, non carere eum ingressum, etiamsi rex peregrè agat, suo præsidio: Esse enim *Danevircke* custodiam Danorum sexaginta millibus mandatam. Quæ cùm accepisset Henricus, qui Saxoniam, absente Henrico Leone, vicarij nomine administrabat, temerè adversus eos parari bellum testatus est, qui propulsandæ magis quàm irrogandæ injuriæ in hostem ac prædones arma in expedito haberent. Hisque ultro citroque disputatis Guncelinus, cum sententiam suam sociorum arbitrio minus probatam animadverteret, pacificandum cum Danis ratus, Sunonem Ebbonis poposcit; Eoque compositionis partes plenius exhibente, adusque Henrici è Bavaria reditum belli induciæ constitutæ sunt. Danevirckæ autem custodiam, de qua Razaburgensis injecerat, hoc, aut paulo ante hoc, tempore Valdemarum atque Absalonem illo è coctili lapide muro, cujus ex Saxone in Haraldo, Suenothonis parente, supra meminimus, communisse verisimile habeam. Erici regis chronicon refert annum non hunc sed anteriorem 1164, cum inquit, de Valdemaro loquens, *vallum Danevircke muro cinxit, cùm ante lignis tantum muniretur.*

Rex omissis igitur Bramnesijs, ad Rugiæ insulam devectus in eos Vandaliæ populos arma convertit, qui citra Peni flumen colebant. Hos dum petit magnam miles difficultatem incurrit, ob paludem, cujus ea erat lubricitas, ut vestigij vix ullius patiens equos virosque in luteas passim subduceret voragines. Nec aliud progessuris iter patebat. Rex ipse duorum militum humeris innixus, omnibus præter proximam corpori vestem rejectis, vix ægre limi mollitiem superat. Victor postremo tantarum molestiarum exercitus non secus ac si hostem fudisset, alacer exinde pergebat; Mox autem opacam emensus silvam; animadvertit vicum navigero lacu circundatum, nec tam arte, quam aquis & naturâ munitum. Vallum interim eâ parte habebat, quà pons inter ipsum & continentem experrectus spectabatur. Sed hujus superficies, adventante Danorum exercitu, urbis princeps Otimarus exscindi confestim imperavit, relictis tantum, quæ supra aquas imminebant, stipitibus. Quas Dani ceu novi cujusdam pontis jaciendi fundamenta arbitrati, undiquaq; ex proximis pagis sepes convehunt, easq; pedetentim fistucarum, quas diximus, reliquijs superimponunt, ut viam hoc pacto ad transeundum sibi munirent. Cum itaque oppugnare locum rex statuisset, Absalon cum parte majore equitatus prædatum missus, id simul studio habuit, ut ædificandi pontis instrumento necessaria adveherentur: veritique, quod agebatur, opidani, contractis undiq; sudibus, ligneam turrim juxta vallum constituunt: Indeque funditoribus ac jaculis incessere nostros cœperunt. Dani contra sagittis

ſagittis decernere adorſi, quia propius non dabatur, eminus rem gerunt. Tandem Otimarus novi pontis progreſſu territus, ſtagnum rate tranſgreſſus, regem petijt, & prout Danorum operas aut ſegnes aut vegetas animadvertit, ità nunc parcius nunc impenſius pacis negotium agebat. Dani verò jam pontem propemodum inſulæ commiſerant, cum hoſtis partim arte, partim viribus fretus, haſtatas è turri falces in eos dimittit. Quibus nonnulli violentiori tractu de ponte turbati ac flumine hauſti, perierunt. Sed Dani, ut malo occurrerent, ligneos uncos commenti, quibus falces opidanorum ad ſe trahendo artem arte eluſêre. Verum rex metuens tandem aut urbis diuturnam oppugnationem, aut etiam ne opidani pontis contextum flammis abrumperent, ad cognoſcendas Otimari petitiones animum deflexit. Sed hæc omnia diſcuſſit adventus Abſalonis, qui prædis opimis caſtra ingreſſus, regem monuit, ne quid tale, ſe ignaro, in animum induceret; interprete ſuas quoque in partes traducto, eum hortabatur, ut contraria quàm quæ proponerentur ad regem referret. Inde armatus in pontem deſcendit militemque acrius inſtare cohortatus, ac prædam ipſorum futuram pollicitus, id effecit, ut impetu in opidanos facto opidum in regis poteſtatem deduceretur. Ipſe dum aſſultus inſtruitur, licet medias in undas cum alijs aliquot prolaberetur, nando tamen, ut erat armatus, emergens non ſibi tantum, ſed & alijs quoque, ut ſimul evaderent, opem auxiliumque commodauit. Capto vico in viros & quicunque arma tulerant ferro ſævitum; fœminis ceteræque imbellium multitudini venia permiſſa.

Sequente æſtate Henrico Saxoniæ duce è Bavaria domum reverſo, apud Eidoræ flumen colloquium, in quod Guncelinus alijque proceres belli paciſque negotia jam ante rejecerant, cum Danis inſtitutum. In eo ob ſecundiorem, ut videbatur, fortunam, tantum typhi tantumque faſtus Henricus prætulit, ſeque tam inſolenter ac tumidè egit, ut pontem, quemadmodum ante conſueverat, viſendi regis gratia tranſgredi in totum recuſaret, ne ſibi dignitate præſtare, quem peteret, fateretur. At rex inſolentiam hanc ducis adeò patienter ac moderatè tulit, ut in ejus occurſum circa pontis medium, æquatis utrimque ſpacijs, tanquam par, non major, deſcenderit, honoratiorem ſe ratus, quò majorem adverſus hominem inflatum ac faſtuoſum demiſſionem exhibuiſſet. Initæ deinde, aut prorogatæ potius, quæ fuerant jam ante cum Guncelino ceteriſque magnatibus pactæ induciæ.

Itaque pace ac rebus cum Henrico compoſitis, ad ſua quiſque regreſſus eſt. Abſalon, cum ſecus Stetinenſe promontorium navigationem haberet, levibus ſaxis & ad jaciendum habilibus in littore collectis navigium onerat, uſurus eis ad caſtelli, quod in *portu* qui *negotiatorum* Saxoni appellatur; nunc *Haffniam* & vulgo **Copenhaben** dicimus, paulo ante conſtruxerat, tuitionem. Cumque die poſtero ad locum deſtinatum perveniſſet, eſſetque commodum balneo refectus, adfertur ei circa proximum, quod eſt verſus boream, fretum, *Oreſundam* hodie vocamus, piratas agere, naveſque paulatim in conſpectum properare. Ille haud diu moratus, aſſumto cum altero navigio ſtabuli ſui Comite Nicolao, confeſtim in eos ducit. Cumque anceps aliquandiu navigationis certamen fuiſſet, utpote quod ex remigiorum præſertim velocitate pendebat, Abſaloni poſtremò victoria ceſſit. Captiſq; & veluti indagine clauſis prædonibus, eorum nonnulli ferrum exſpectare veriti in undas deſilierunt, & mortem quam accipere ab hoſte metuebant, in ſeſe feſtinarunt. Cæteri, qui ſuperfuêre, gladio perempti, & capita corporibus avulſa, propter urbis Abſalonicæ mœnia ſtipitibus affixa ſunt. Ea res ut in præſens utilis erat exempli, ita in poſterum ingenti prædones pavore confecit. Nam & Eſbernus & Vethemannus, eidem huic rei tum ſimul intenti, reliquias eorum, ſi quæ uſpiam ſupereſſent, penitus profligarunt. Eodem propemodum temporis tractu Eſchillus Lundenſium archiepiſcopus quietis & ſolicitudinis cupidine de abdicandâ ſua dignitate, viteque, quod eſſet reliquum, in cœnobio apud Galliç Clarevallenſes tranſigendo, cum rege cœpit agere. Et licet invitus ejus poſtulatis annueret Valdemarus, extorſit tamen, & voti ſui compos factus, in Gallias excurrit, & mox, ut poſtea referetur, in totum eodem commigravit. Eodem anno Wolgaſtenſes non tantum urbis ſuç prolatare pomçria, ſed nova etiam defenſionis prçſidia adjicere cœperunt. Siquidem palis frequentibus circa mœnia defixis, hoſtem aditu prohibuerunt; alibi etiam, ubi fluentum videbatur profundius, advolutis ingentibus ſaxis, reddiderant id ipſum navigijs inaceſſum. Quibus obſtaculis à Wolgaſtenſibus quaſi ſecluſus Valdemarus, claſſem Sueni oſtijs intulit, ac vacuum defenſoribus Iulinum adortus, quicquid erat interius çdificiorum incendio abſumſit. Nec Iulinum modò

VALDEMARUS I. Rex. D. C.

sed ejus quoque & Camini confinia populatus, ipsos *Caminenses*, quibus se *Iulinenses* sociaverant, intactos reliquit, quod existimaret, ut facto celerius, ità quoque hosti perniciosius futurum, si, omissis diuturnis ac dubijs oppugnationibus, patentia circumquaque latifundia, rurisque opes, ac bona vel diriperentur, vel flammis injectis, adversariorum usibus efficerentur inidonea. Hinc exercitus, relictis Caminensibus, ad Ornę districtum conversus, agrorum, qui erant in proximo, vastationi incubuit. Illic quod adjacet proximum fluentum, cum ostia quondam navigationibus habuisset pervia, tunc autem arenis offusa, erat quorundam sententia, ut ad pristinum statum, factâ ligonibus fossâ, redigeretur. Sed rex non tantum morosum id opus futurum videns, sed quod plus insuper dispendij quàm utilitatis esset allaturum, posthabendum censuit. Igitur Orno repetito, tormentisque secundum vallum erectis, obsidionem se facturos opidani simularunt. Sed ijdem cum magis in speciem, quam rem omnia fieri animadverterent, obsidiumq; idcirco flocci penderent, expeditioni finis impositus est.

MCLXXVIII. Proximo deinde vere, novus belli apparatus institutus, cujus fama cum finitimos longe lateque partim suspensos, partim perterritos haberet, & Slavi, nec proprijs viribus nec peregrinis auxilijs adversus Danorum arma sufficere se intelligerent, missus est eorum nomine Prillavus, qui pacis apud Danos sequestrum ageret. Hic fortè fortuna cum regiam classem, quæ jam ad profectionem parata in anchoris stabat, suo adventu prævenisset, id accessus sui oportunitate impetravit, ut numeratâ, quæ pactis fuit comprehensa, pecuniâ, expeditionem non tantum inhiberet, sed etiam pacem in biennium cum rege pangeret. Optavisset quidem Valdemarus ut eâdem tunc occasione Vandaliæ urbes religionis nostræ sacramentum accepissent, præsertim cum è gentis principibus plerique Christum profiterentur, sed ita adhuc superstitionibus erat fascinatus populus, ut ejus vix ulla tum temporis spes allucesceret. Et illi quoque ipsi principes, licet nomine Christiano censerentur, titulo tamen nec vita eorum, nec mores respondebant. Animadversum eodem tempore amicitiam illam regis, quam per colloquium Eidorense Henricus obtinuerat, cum adesse Vandalorum rebus adversus Danos non posset, callidius ab eo quam sincerius fuisse susceptam. Regis nihilominus, ut erat apud omnes illustris integritas, ita quoque eandem constantiâ decoravit, omnibusque testatam reliquit.

Ijsdem ferè temporibus *Suerus* quidam fabro pâtre genitus, âbdicato, cui apud Farenses insulanos præfuerat, sacerdotio, ad Norvagos pervenit. Occasionem ei profectioni Ostenus dederat. Hunc enim ubi prælio ab Erlingo fusum accepisset, atque ejus per deserta vagantibus reliquijs forte fortuna obvius fieret, ducem se dispersis obtulit, ac res Osteni lapsas adversus victores sustentare annisus est. Ne autem generis titulo destitui videretur, Haraldum Aiborniensem sibi avum fuisse, Sivardum verò patrem confingit; Et ut omnia responderent, se vocabuli proavi Magnum, filium verò Sivardum appellavit. Quod tam impudens mendacium turbulento militum errore credulâque vulgi suffragatione arreptum protectumque ad totius tandem Norvagiæ cruentissimam stragem extremamque perniciem dimanavit, ut narrat ferè, quem hic sequimur, Saxo Grammaticus. Norvagiæ autem vernaculum chronicon longe aliter hæc commemorat. Ait enim, quod nec à vero abhorrere videtur, Sivardo, Haraldi Gyldi filio, à matre Gunildâ procreatum hunc Suerum; Gunildam verò post obitum Sivardi nuptam viro, cui Unas faber nomen erat, atque inde cum Erlingus Scaccius ejusque filius MAGNUS in id incumberent, ut regia per totam Norvagiam prosapia stirpitus tolleretur, confugisse eam cum Unâ marito ad fratrem suum Roarem sive Rhodium, ut alias appellant, qui tum apud Faroenses episcopatu fungebatur. Eumque literis eousque imbui Suerum curasse, dum ad suscipiendum sacerdotij munus haberetur idoneus; & id quoque cum jam ageretur, obortas matri lachrimas earumque causam quærente ac mirante Suero, præsertim cum potius lætari ob honorem, qui sibi deferebatur, quam tristari debuisse existimaret, respondisse Gunildam, levis est ista, mi fili, præ illâ, quæ tibi contra fas omne ac æquum denegatur dignitas: Tu enim Sivardi Norvagiæ regis es filius, licet id hucusque apud te reticuerim: Tum cœpisse Suerum hinc Magni regis, Erlingo nati, potentiam ac vires, inde stirpem suam, vetustis Norvagorum regibus editam, secum perpendere: ac matri, postquam de utroque accuratius cogitasset, ejusmodi responsum dedisse; Ego si veteri Norvagorum sanguine natus sum, neutiquam hodie sacerdotis insignia regijs prætulerim, utpote quæ mihi apud Norvagos jure debentur. Ita fere id Chronicon; addens deinde eâ etiam occasione profectum ad Norvagos Suerum: eoque cum advenisset, Ostenum, qui erat ejus patruelis, regium

VALDEMARUS I. Rex. 4. G.

regium sibi nomen atque insignia sumpsisse: Suerum vero cum aliud non posset, amicis scilicet & affinibus opem denegantibus, Erlingi militibus adscriptum ac multa, quæ essent in rem suam ab ijsdem comperisse: posteaq;, ubi occubuisset in prælio Ostenus, ab agmine & copijs ejusdem dispersis, quod ex Saxone diximus, in ducem militiæ electum, ac demum adactum ab ijsdem ut regium vocabulum usurparet: Hunc militem multa dura asperaque perpessum refert idem chronicon, dum integrum ferè triennium per lucos & deserta vagabundus, inter cetera, arborum cortices pedibus induit, unde & *Berckebenij* vernaculo idiomate vulgo appellabantur. Hoc ergo milite bellum aliquandiu Suerus vario eventu adversus Erlingum ejusque filium Magnum, Norvagiæ regem, sustinuit, donec fuso tandem prope Nidrosiam Erlingo, Magnus in Daniam ad regem Valdemarum, sibi sanguine conjunctum, profugit; ab eoque classe & copijs identidem adjutus sceptrum Norvagiæ recuperat: Sed, ut fieri solet, novercante fortunâ, cum Suero & Berckebenijs navali postremum, eoque acri, congressus prælio, ubi favere victoriam Suero vidit, de puppi in profundum desilijt, seque fluctibus obruit. Inde Norvagia sub Suero ejusq; posteris adusque reginam Margaretam Valdemari III filiam, permansit. Cujus demum cum Haquino, Norvagiæ rege, connubio ad Daniæ reges pervenit, annum circiter Christi MCCCLXXXVII, perpetuoque deinceps cum eâ cohæsit, sed suis legibus suoque jure usa. Durat illa conjunctio etiamnunc, continuata per annos plus minus CCXL.

Hæc autem Sueri regis historia, quia memorabilis est, & cujusmodi domesticis auctoribus fuit memorata, jam sit relatum, quid de eâdem annales etiam exteri prodiderint, idque verbis præsertim Gulielmi Neubrigensis, qui Suero synchronus fuit, paucisq; rem totam perstrinxit, attexere operæ pretium puto. Ita igitur Neubrigensis lib. 3. cap. 6. de rebus Anglicis sui temporis:

Ijsdem temporibus, famosissimus ille presbyter Suerus, qui cognominatur Birckebain, in ea parte Germaniæ, quæ Norvegia dicitur, tyrannidem arripuit; & tempore non modico sub tyranni nomine debacchatus tandem rege terræ illius extincto, tanquam legitimè regnum obtinuit: alijs forte ejusdem terræ regibus non dissimilem exitum judicio Dei habiturus. Quippe (ut dicitur) à centum retro annis, & eo amplius, cum regum ibidem numerosa successio fuerit, nullus eorum senio aut morbo vitam finivit, sed omnes ferro interiêre, suis interfectoribus, tanquam legitimis successoribus regni fastigium relinquentes; ut scilicet omnes, qui tanto tempore ibidem imperasse noscuntur illud quod scriptum est, respicere videatur, *occidisti insuper & possedisti.* Huic infami malo per longam consuetudinem tanquam legis jam obtinenti vigorem, optimates terræ illius paulo ante tyrannidem prænominati presbyteri, pro studio mederi volentes: regem novitium solemniter unctione mysticâ consecrari & coronari decreverunt, scilicet, ut nemo de cetero auderet manum mittere in Christum Domini. Quippe eatenus nullus unquam in gente illa ritu fuerat ecclesiastico consecratus in principem. Sed quicunque tyrannicè regem occiderat: eo ipso personam & potestatem regiam induens, suo quoque occisori eandem post modicum fortunam inveteratæ consuetudinis lege relicturus. Quod nimirum Christiana quadam simplicitate à multis putatum est ideo factitari, quia nullus regum priorum regiæ meruerat unctionis solemnibus initiari. Itaque interfecto Hacone, qui regi Ingæ, à se perempto successerat, cum puero cuidam nomine Magno ejusdem Ingæ nepoti regni successio competere videretur, prudentes & nobiles regni decreto communi eundem puerum solenniter in Christum Domini consecrari & diademate insigniri fecerunt. Quo facto sancitum sibi principem, & priscæ consuetudinis dedecus abolitum crediderunt. Verum cum idem Magnus jam pubes factus in multa strênuitate simul ac felicitate per aliquot annos regnasset, cunctis jam æstimantibus contra tyrannicos turbines satis consultum: invidia diaboli ad perturbandam Christianæ plebis quietem, memoratum presbyterum, tanquam vas proprium incitavit. Qui cum in sacro ordine, quem in ecclesiâ acceperat, diuscule ministrasset, propensiore sui fiduciâ homo audacissimus atque acutissimus regnum cœpit ambire. Mox lustrata omni regione conceptæ molitionis non segniter negotium exsequens, sæpe prædonum sollicitatam audaciam atque improborum manum sibi validam artificiosissime aggregavit; atque invijs solitudinibus pro munitionibus utens, crebris irruptionibus regem irritavit. Cumque rex eum cum instructo exercitu prosequeretur, ille arte fugam simulans in quibusdam notis locorum angustijs substitit: ibiq; regias copias misere circumventas, atque ijsdem angustijs impeditas, ita attrivit, ut rex ipse inter mortuorum strages delitescens abeuntibus hostibus ægrè evaserit.

Quo

Valdemarus I. Rex. A. C.

Quo successu elatus atque indies viribus auctior; classem quoque est nactus, cujus opportunitate in pluribus regni debacchabatur provincijs. Rex verò, reparatis viribus, & classe paratâ adversus hostem perrexit. Quo ille cognito, fugam quoque tunc callidè simulans in infinitum refugit oceanum. Quod cum regi innotuisset, veram esse prædonis fugam credit, seque cum classe in portum aliquem recepit. Ubi cum exercitus pro lætitia hostis expulsi exitiali securitate vacaret, sequenti nocte execrandus presbyter cum suis portum ingressus, ebriosque & somnolentos aggressus, minimo negotio cum patre regis alijsque optimatibus ferè universum delevit exercitum. Rex autem alijs morientibus elapsus, in quodam (ut dicitur) proximo virginum monasterio per dies aliquot latuit frustraq; quæsitus ab hostibus (Deo volente) evasit. Hac hostium infelicitate & clade tyrannus elatus, quantò cruentior, tanto insolentior circumquaq;, tanquam triumphans, ferebatur, immitem se dominum pressis misere provincialibus exhibens. Rex autem post latebram luci & amicis redditus cæpit paulatim vires reficere, auxilia undecunque contrahere, adversus hostiles se dolos cautius præparare: & tandem cum parato exercitu perrexit in hostem. Quo mox ille cognito, cum videret juvenem, propter priores clades prudentius atque instructius agere: numero quoque navium & pondere virium præstare, ad maleficia se convertit. Habebat enim secum quandam filiam diaboli, potentem in maleficijs atq; illi antiquæ merito comparandam, de qua nobis ait poëta:

Hæc se carminibus promittit solvere mentes
Quas velit, atque alijs diras immittere curas,
Sistere aquam fluvijs, & sidera vertere retro,
Nocturnosque ciet manes: Mugire videbis
Sub pedibus terram & descendere montibus ornos:

Denique hæc, ut dicitur, mira pestilentissimæ artis confidentia ab amico quæsivit tyranno, quomodo suos, qui jam præ oculis erant, hostes cuperet interire. Illo submissionem eorum eligente, repentè operatione diaboli, qui nimirum per Angelicæ naturæ potentiam in elementis mundanis plurimum potest, cum à superiore sinitur potestate, tranquillum mare os suum aperiens, in conspectu hostium majorem regiæ classis partem absorbuit. Quo viso nefandus presbyter; ecce, ait, socij, quam efficaciter elementa pugnant pro nobis, cavete ne forte evadant, quorum certum exitium pelagus vestræ virtuti reliquit, ne totum fecisse videatur. Itaque regij exercitus pars reliqua, subitò interitu sociorum attonita, facile est oppressa, & rex ipse interijt. Quo sublato, in ditionem tyrannicam regnum tremefactum concessit. Qui sacro ordine abjurato & acceptâ in conjugem filiâ regis Gothorum ab archiepiscopo terræ illius coronari voluit. Verum ille cum esset vir magnus, & neque precibus, neque minarum terroribus flecteretur, ut caput execrabile sacra unctione perfunderet, ab eodem patria pulsus est. Post annos aliquot surrexit de stirpe regum priorum acerrimus juvenis, nomine Iohannes, confluentibus ad eum & roborantibus eum plurimis. Qui cum læta habuisset initia, ut jam esset tyranno terribilis, juvenili tandem calore, inconsultius ad bellum prosiliens, infeliciter atque præmaturè occubuit. Post hunc emersit alius de semine regio bonæ spei puer, copiosis adjutus suffragijs. Verum & hic in ipsa sacra dominica Palmarum, ante annos aliquot gravi prælio à tyranno oppressus, & cum suis adjutoribus funditus abrasus est. Sic virga illa furoris domini, profligato vel eliminato ferè omni semine regio, atque omni hoste indigena, magnus, & tremendus tandem per manum cujusdam episcopi ad hoc intentatâ morte coacti, regium cum mystica unctione diadema sortitus est, sub incerto diu prosperantis tyrannidis exitu ex crebris successibus quasi securus. Titulus autem sigilli ejus talis fuisse dicitur:

SUERUS REX MAGNUS, FERUS UT LEO, MITIS UT AGNUS.

Clementiam quippe in subditos ostendebat, & ecclesijs sive monasterijs reverentiam exhibebat. Hactenus Neubrigensis.

Verum externis immorari diutius domestica non permittunt, quippe per idem ferè tempus Erici, cui Agno sive **Lam** cognomen fuit, filius Magnus, præsenti fortunâ, quâ eum post cæsum ac profligatum bello Grathico Suenonem, lautissimâ Valdemarus affecerat, non contentus, cum Canuto & Carolo, quibus cum Valdemaro paterna, cum Eschillo, à parte matris, arctissima intercedebat necessitudo, alijsque in societatem sceleris assumptis, opprimendi per insidias Valdemari consilium inijt. Cumque aliquandiu in occulto

VALDEMARUS I. Rex.

A. C

culto res fuisset, tandem regi alijsque ejusmodi occasione cæpit innotescere. Advenerant in Holsatiam negotiorum causâ nonnulli ex Magni clientibus: Qui cum forte fortuna advesperascente die, solitarij cujusdam hospitio exciperentur, & inter sese sermonibus liberius habitis, præcipuè mirari se dicerent, quo pacto etiamnum luce mortalium rex frueretur, inter tot præsertim insidiarum machinationes, quas ejus capiti Magnus cum Caroli filijs clandestine fuissent moliti. Enumeratisque eventibus aliquot ac temporum momentis, quibus id vel inter venandum, vel aliàs, cum solus & semotis satellitibus rex agit, exsequi, sed irrito semper conatu, studuissent: Addebant postremo certò inde intellligi, regem haudquaquam mortalium manibus posse perire, cujus salutem tam mirabiliter protexisset divina & cœlestis providentia. Eaque cum perciperet omnia, qui ab ipsis ligneo tantum pariete sejunctus cubabat eremita, Abbati vicissim, qui eò de itinere per occasionem postea deflexerat, singula retulit, orans atq; obsecrans ut eadem illa ad regem, ad quem præcipuè spectabant, quamprimum perferret. Quibus acceptis rex, cum ex rerum, quæ adferebantur, circumstantijs ac temporum argumentis haud deesse narratis fidem intelligeret, sibi non minus de proditis insidijs, quàm quod eas quoq; frustrata fuisset Dei benignitas, gratulatus est. Inde Roschildiam profectus Absalonem, amotis arbitris, adesse mandavit: Eoque secum considente, senem similiter, qui indicium fecerat, vocans, iterato, quæ sibi retulerat, exponere jubet. Ille cum propinquitatem, quâ Absalonem filij Canuti contingebant, subtimescens hæsitare videretur, rex causam conjectans, hoc, inquit, te metu Absalonis ingenuitas liberat, apud quem mei respectum necessitudinis affectibus præponderare non dubitem. Quo dicto, ad eloquenda, quæ jubebatur, fidentior redditus, ordine cuncta retexuit. Tunc rex eo secedere jusso, privatim apud Absalonem queri cæpit, quod nec cognationis jus, nec beneficiorum erga suos munificentia tantum unquam potuerint, ut à malis artibus sibi temperare in animum inducerent. Et jam videre se, si conniveat ad scelus indicatum, & periculosam esse dilationem, & ultionem quoque, si præpropera fuerit, fore probrosam; se quidem malle insidiarum aleam experiri quam in autores facinus retorquere, nisi quod mors sua non tantum in liberorum suorum & amicorum stragem, sed in civium etiam discordiam, ac patriæ deniq; vastitatem esset redundatura. Quibus alijsque in eam sententiam prolatis, Rex, quid facto potissimum opus existimaret, Absalonem interrogat. Ille se nihil à regis sententiâ diversum statuere præfatus, nec minus in repentinâ vindictâ, quam in procrastinatione dispendij videns, illud interea è re futurum existimabat, ut rex corporis sui custodiam militibus, diligentius quàm ante, mandaret suamque salutem non magis diurnis eorum officijs, quam nocturnis excubijs vallari curaret. Sic enim fore ut èx conjuratis nonnulli se proditos suspicantes, aliquod fortasse propositi sui indicium sint edituri. Gratum erat Valdemaro consilium Absalonis. Cumque mox regem Roschildiâ decedentem comes sequeretur, adit eum Carolus rogatque, ut regem suo nomine conveniat, ac præfecturæ beneficium impetret: Idque cum ageret Absalon, respondet rex, quæritque num pro beneficio insidias & necem sit relaturus? se nihilominus quamprimum in Iutiam redierit, ejus fore memorem. Quod ille per Absalonem (qui de proditione detecta reticebat) sibi expositum multa gratiarum actione prosecutus est, fraudem interim atque insidias mente occultans. Advenerat eodem tempore maternus ejus avus Eschillus è Gallijs. Quod tum ei tum fratri ejus Canuto Ripas proficiscendi occasionem præbuit. Interea Benedictus eorundem patre, non matre, sed pellice procreatus in regiam clientelam adscitus, prandente apud Fionenses Valdemaro, sive celandæ fraudis impotentiâ adductus, sive parricidij, quod cogitaverat, furijs agitatus, neglectis epulis, cultrum escarium nunc huc nunc illuc intorquens, variâ atque ancipiti versatione stringebat. Interdum eundem sinu condens, ac rursus productum digitis inserens, ad regem identidem quasi minitabundus oculos referebat. Quod ut notaret per sponsam filij Gerthrudem admonitus rex, Nicolaum, qui regiæ mensæ præerat adhortatur, gestus hominis propius observare, ac sibi, amotis post epulas mensis, propius assistere, quo posset hoc pacto equiti prædicto, si quid forte moliretur, promptius occurrere. Ac simul consilium Absalonis à se nimis diu dilatum querens, convocari in cœnaculum milites jubet. Inter quos cum adstaret Benedictus, compertum sibi esse referebat, caput suum multorum, quos nosset, quorumque sibi operam fideliorem speraverat, machinationibus peti, nec velle eorum proferre nomina, quod potius pœnitentia flectendos malè feriatos, quam insectatione obruendos censeat. Monere interea ut majore diligentiâ corporis sui curam stipandique officium, hactenus negligentius habitum, obeant. Tum invicem

frendere

VALDEMARUS. I. Rex. A. C.

frendere miles, & ut noxios prodat, instare. At ille sat dictum innuens, gnavos in posterum ac rei tantum intentos esse hortatur. Benedictus autem proditam regi conjurationem haud falso ratus inque Iutiam continuò profectus, Magno, quæ intellexerat, aperit. Ille re acceptâ, sine morâ conscenso navigio Lubecam petijt, atque inde ad ducem Henricum magnis itineribus pervenit. Canutus quoque & Carolus per Benedictum de eodem docti, clanculum Ripensium urbe relictâ, præfectum Sueciæ Birgerum, affinitate sibi junctum, petivere. Adeò scilicet malignæ conscientiæ vis subito illos pavore concussit.

Eschillus, comperto nepotum abitu, quamvis mœstus & animo haud leviter turbatus, regem tamen Viburgi adijt ac salutavit. Et quo se ab insidiarum suspicione alienum nec culpæ cognatorum affinem demonstraret, silentio causam præterijt. Et rex vicissim hilari eum fronte suscipiens, & mox ad Scanos decedentem, quantis potuit honoribus prosecutus, dimisit. At Magnus non satis indicatâ Henrico exilij sui causâ, tantum de reconciliando se, ut apud regem suo nomine intercederet, orabat. Ille itaque transmissâ ad Valdemarum epistolâ conceptæ erga Magnum offensæ remissionem efflagitat. Verum rex continuò stabuli sui præfectum Henricum nomine in Saxoniam ablegat, qui Magnum coram accusaturus permulta in medium adduxit, quæ ejus erga Valdemarum perfidiam declarabant. Eaque cum apud Ducem, præsente Magno, exponerentur, ille, rubore in audaciam verso, objecta pernegare; & quo fidem innocentiæ adstrueret, duello manum offert. Respondet legatus non ob hoc se missum, ut ferro causam agat, sed ut eum solummodo moneret, si innocentiæ fidat eam patriæ legi decernendam permittat: Cumque intellexisset Dux eum purgationis morem penes ferrum, quod candens manu portaretur, consistere, rogatur Magnus, an tantum animi tantumque fiduciæ habeat, ut ab isto experimento defensionem speraret, referebat id anceps sibi & incertum videri, quodque sæpenumero insontem damnare & noxios absolvere soleat. Itaque se postquam in omnia vertisset, tandem fide Absalonis, modo indemnem ire ac redire promittat, ad regem sua sponte profecturum pollicetur. Quod cum regi per nuncium indicaretur, perferri ad Ducem literas curat, quibus Magno eâ, quam ipse scripsisset, lege veniendi decedendique potestas concedebatur. Atque ipse deinde, ubi in Daniam, inque hospitium Absalonis quàm celerrimè esset digressus, majorem solicitudinis partem animo cæpit excutere, & ad prædia & possessiones suas liberius commeare. Sed mox in Iutiam ad causam dicendam vocato concidit illa securitatis fiducia. Quippe comperit etiam binas suas literas, quæ proditionis recentia indicia continebant, interceptas apud regem servari: Itaque confingere ac persuadere Absaloni cæpit adulterinas esse eas epistolas, & ab alijs, qui annulum suum signatorium scribæ negligentiâ amissum intercepissent, sui odio confictas. Sed rex vanam esse eam excusationem haud ignarus, postquam in publicis regni comitijs suam in eum benignitatem ac munificentiam, & ejus vicissim in se perfidiam atque ingratitudinem exposuisset, supra dictas literas in medium deponit, easque curiosius ab omnibus introspici præcepit. Cumque veras nec adulterinas esse cuncti profiterentur, recitari utrasque publice jubet. Alteris adhortabatur Scanienses in regem arma capere, quod jam multis ejus potentia gravis atq; onerosa haberetur, se vindicem libertatis adfuturum, modò & ipsi rem fortiter gerant: Alteræ ad Canutum & Carolum missæ monebant ut res in Scaniâ novarent, se apud Cimbros, Iutiæ hodie populos, idem curaturum, quo ita rex, duabus regni præcipuis provincijs dissociatis, paulatim viribus ac solio dejiceretur. Lectis literis, cum ad eas responsurum aliquid Magnum exspectarent, indice potius metus silentio utebatur. Quod ne confessionis loco haberetur, Absalon ad novam objectionem deliberandi spacium concedendum dicens, excedere eum concione, & quos vellet adhibere in consilium amicos permittit. Quo facto Magnus resumit nonnihil animum, & Absalonem cum Tucone Vendilensium antistite, qui parenti olim ejus cliens fuerat, in colloquium sevocat. Utrique horum suam innocentiam exponere, & literas alienâ fraude non suo instinctu contextas cupiens demonstrare, confutatur ab utroque. Tum Magno trepidante, & ad confessionis postremam anchoram festinante, autor erat Absalon, ut cogitatione ulteriori secum habitâ, peteret ad diem unum alterumque negotium differri, quo de venia, priusquam ederet confessionem, esset certior; cum hæc sine illâ periculo haud vacaret. Secutus consilium Absalonis Magnus: & jam de gratiâ apud regem obtinendâ fidentior totum conjurationis non tantum ordinem, sed & conscios omnes, locaque rerum ac tempora verâ narratione est prosecutus; regem non sorte humanâ, sed divinâ ope reservatum affirmans: seq; nihil mirari magis quàm fraudem tot familiarium suorum

arte

arte confutam toties tamque mirabiliter elusam in fumum evanuisse. Quibus dictis, genibus regis supplex advolvitur. Sed rex pristinæ amicitiæ recordatione consurgere jussum ingratitudinis præcipuè coarguisse satis habens, tandem etiam veniam se confessioni tribuere non verò familiaritatis jura restituere dixit. Eundem quoque secreta ac mutua ad Canutum Carolumque mandata habere prohibuit, ne in eundem scilicet lapidem bis impingeret. Ille, si quid in posterum tale committeret, se favore atque intercessione omnium indignum fore respondit. Tum etiam Christiernus Suenonis filius inter facti consortes delatus non tantum spiritum, verum etiam bonorum omnium incolumitatem assecutus est, exilio duntaxat multatus, ne ad idem delictum recurrendi suppeteret occasio.

VALDEMARUS I. Rex. A. C.

Finitis post hæc comitijs, Absalon & Ascerus à maximo pontifice Eschillo ad regem missi, ut veniâ, quæ Magni exemplo promitti videbatur, nepotibus ejusdem conciliaretur. Sed regis animum inexorabilem hac parte experti, domum, re infectâ, recesserunt. Ascerus autem, cum à rege rogaretur an conjurationis fautorem egisset, respondissetque se quidem ejus conscium sed à consensu immunem semper fuisse, inter ceteros quoque proscriptionis pœnam subijt. Eschillus petitionis suæ *repulsam passus*, eam hiemem varijs animi ægritudinibus affectus ærumnosam transegit.

VALDEMARUS autem, exactâ mox brumâ, Daniæ Sueciæque primoribus in unum convocatis regales filiæ suæ nuptias celebravit. Quibus peractis, *Eschillus* regem accedit, ac denuò quod jam ante egerat, de pontificatu deponendo cum eo agit. Rex postquam blande eum esset adhortatus proposito desistere, negassetque sine pontificis summi authoritate id exequi fas esse, respondit se habere pontificis maximi literas, per quas non solum abdicandi honoris, sed etiam transferendi in quem vellet, potestatem accepisset. Tum rex votis ejus ac summi pontificis decreto obsistere diutius nolens abeundi copiam concessit. Eschillus autem paucis exinde diebus concionem ingressus, docet, quanto erga Ecclesiam ejusque cives amore egerit, quamque vicissim illi merita sua benevolo semper studio amplexi fuerint, nunc verò ætate fessum alij libenter lampada tradere, super omnia verò enixè petere, ut discessum suum pijs precibus prosequi ac votis pro se excubare non desinant, se parem ipsis vicem relaturum pollicitus. Solutâ concione Absalonem è Selandia venientem, missis, quibus exciperetur, equis, ad se diverti perpulit. A quo quid ità plebem totamque Ecclesiam suo discessu mœrore afficeret, rogatus, tum senium suum, tum nepotum proscriptionem, sibi dignitatis patriæque tædium adferre respondit. Huc accedere voti religionem, quâ se jamdudum sanctissimo ac reverendo patri *Bernardo Claravallensi* pontificatu ultrò cessurum, privatamque vitam ac honoribus defunctam acturum spospondit. Adeò ut haud dubiò *Eschillus divi Bernardi* quoque, præter cetera, concionibus motus proposito suo perseverantius institerit. Nam illis temporibus videns pientissimus ille doctor episcoporum immoderatis reditibus extingui paulatim honesta studia, pietatem in superstitionem degenerare, ac velut in agro inculto vitiorum omnium suppullulare semina, acerbissimis invectivis seculi mores ac sacerdotum luxum perstrinxit. His inquam similibusque motum id temporis *Eschillum* se totum severiori vitæ, spretis mundi honoribus, addixisse verisimile habendum. Postea cum in ædem Laurentij antistites omnes Lundæ convenissent, *Eschillusque*, prolatis sacrarij ornamentis, ostendisset quantum pristino sacrorum cultui novâ ac religiosâ liberalitate adjecisset, multaque de suo erga clerum affectu deque regni totius pace ac tranquillitate stabilienda dixisset, rex orationem ejus excipiens, eum, tametsi crebras cum regibus simultates exercuisset, pontificis tamen partibus laudabiliter functum affirmavit, & nunc id unum ab eo ut ingenue fateretur, petere, an proprio instinctu, an vero sui aliquo aspectu hoc munus detrectaret. Tunc Eschillus, directis in aram manibus, jurare ac præsentia sacra testari, se non odio regis aut ullius ab eo acceptæ injuriæ compulsu, sed perituri honoris fastidio, perpetuiq; studio huc esse perductum. Quam responsionem rex pergratam habuit, utpote id præcipuè agens ut verâ Eschilli assertione omnes in universum calumniandi occasiones tollerentur. Deinde eligendi novi antistitis potestatem, quam sibi à Romanâ sede delatum Eschillus significarat, ad eos, quibus eligendi antiquitus jus fuisset, transferre se dixit, ne ecclesiam, pro cujus dignitate semper excubarat, consueto libertatis beneficio fraudare videretur. Itaque Clerus cum in re tam arduâ ut suum regi consilium archiepiscopus exponeret, obsecraret, rex similiter sub nomine plebis, cujus se partes agere referebat, hoc ipsum ab eo flagitare haud destitit, ut nimirum voce ederet, quem omnium tam emi-

MCLXXVIII.

FREDERICUS BARBAROSSA IMP.

Valdemarus. I. Rex. A. C.

nenti functione dignum judicaret. Atque ita tandem Eschillus *Absalonem* Roschildensem episcopum sibi propinquitate, omnibus verò virtute ac pietate notissimum, archiepiscopum Lundensem nuncupavit. Quod & ceteri, quibus suffragij jus erat, paribus in eundem votis conspirantes prosecuti, adeo concordes in ejus electione voces emisêre, ut nihil in his diversum aut dubium reperiretur. Verum exsurgens Absalon, majus hoc onus, quam ut suis humeris imponi debeat, referens, aliaque de ecclesiâ, cui præerat, interlocutus eam haudquaquam sibi deferendam asserebat. Et mox piâ plebis violentiâ ad sedem pontificalem perductus, collocari in ea se passus non est, ne ulla ex parte cogentibus præbuisse assensum putaretur. Quapropter ab Eschillo primum, deinde à Valdemaro oblati divinitus honoris ornamenta amplecti rogatus, silentio postulato, ad provocationis effugia se convertit, exspectaturus scilicet summi pontificis sententiam. Hinc Eschillus seorsim vocatum genibus flexis orat ne Dei, ne regis ac populi votis tantopere repugnet. At ille propositi tenax senem amplexus humo levat, incertum relinquens major in rogante an renuente foret instantia. Deinde amplis ecclesiam donarijs ornans regem etiam aureo poculo, & Absalonem simili muneratus, neminem ex amicis indonatum omisit. Mox è Scaniâ decedentem & ad se de viâ Haffniam venientem humanissimè excepit Absalon. Atque inde ejusdem navigio comitatuque ubi esset Slesvicum deductus, scyphum argenteum ab eodem Absalone sibi muneri oblatum accipere recusavit, testatus se tali deinceps supellectile haud usurum. Egressus è navi regem Slesvicensi in ponte obvium habuit, eique dum inter flebiles amicorum voces plorabundus valedicit, ità corpore & viribus defecit, ut à plerisque pro exanime habitus attolli debuerit. Moxque rhedæ impositus (nam equitationem corporis imbecillitas non admittebat) cum lachrymis omnes dimisit. Cujus flentis discessum circumstantium turba, ipsum haud ulterius visura, perinde ac funus lachrymis viciffim ac mœstis fletibus est prosecuta.

Post hæc regis legati cum Lundensibus Romam ad pontificem mittuntur, petituri ut electionem Absalonis suo assensu ratam faciat. Hi primum in Gallias *Claravallum* profecti, ibi ab Eschillo, cujus magna tunc temporis apud Curiam Romanam erat auctoritas, literas petitioni suæ consentaneas accipiunt. Nec minus Absalon & Roschildenses, missis nuncijs, pontificem fatigabant, ut electionem, quam confirmatam Lundenses cupiebant, irritam redderet.

Interea rex dum paschæ solemnitatem unà cum proceribus Roschildiæ celebrat, celeriter & magnis itineribus Thorbernus quidam Magni tabellarius è Sueciâ in Scaniam transgreditur, quò inde, penetratâ Selandiâ, in Fioniam ac mox Cimbros, Iutiæ peninsulanæ incolas, perveniret. Quod cum regi, indicio Thordonis Lundensium præfecti, innotuisset, confestim super his Magnum compellat. Ille summâ cum dissimulatione objecta diluens, affirmabat si quid ejusmodi foret compertum, ulteriorem sibi veniam concedi haud unquam postulaturum. Rex nihilominus parum ei credulus, uni è clientibus suis, qui prope trajectum Balthici freti agebat, insignis notæque fidei viro, in mandatis dat, ut hominem tali cultu, talibusque corporis notis, quas ordine indicabat, deprehensum per satellites ad se deduci curaret. Is ex signis indicatis cognitus, & ad regem continuo deductus, post multas responsionum ambages torturæ tandem metu secreta aperit, se nimirum lignum compactile, cujusmodi more Danico inter amicos sigilli vim obtinet, penes se servare, Magno reddendum; ejusque dimidium seu partem alteram à Canuto & Carolo, veluti syngraphum, retineri. Nuncio post editam confessionem in custodiam Absaloni tradito, per Nicolaum, stabuli sui præfectum, etiam Magnum capiendum rex curat. Qui postquam apprehensus criminisque esset convictus ad urbem Laterensem Thorberno transmittitur, ut ibi custodiæ inclusus carcere potius, quam morte pœnas lueret.

MCLXXIX. Vandali hac tempestate, annum circiter millesimum centesimum septuagesimum nonum, licet terrâ marique jam sæpius atque identidem à Danis victi fuissent, novi tamen belli occasionem præbere Valdemaro ausi. Spoliatis siquidem ejus legatis, navigium insuper magnis cum muneribus à socero ipsi transmissum deprædati, suum in usum verterant. Et licet aliquoties per nuncios monuisset Pomeraniæ principes, è quorum portubus constabat egressos prædones, ut rapta restituerentur, non nisi verba pro rebus responsaq; superba reportavit. Quâ injuriâ incensus rex, Henricum, Saxoniæ ducem, in societatem ultionis sollicitat: Evocatisque in commilitium Rugianis, quod hostilium locorum essent pergnari,

VALDEMARUS I. Rex. A. C.

pergnari, Suenum flumen invectus Iulinum, ab incolis desertum, incendio vastat. Dux Henricus, qui Deminum obsidione circumcinxerat, cum expugnationem dubiam difficilemq; animadverteret, alveum amnis, qui castra ab opido dividebat, aliò & ab urbe multo remotiorem fluere coëgit. Sed eo facto, cum parum promovisset & jam acta propemodum æstate obsidionem solvisset, tribuit casus, quod arma non potuerunt. Nam obortum intra moenia incendium urbem desubito totam absumpsit. Dani à parte alterâ felicius rem agentes Cozcoę opidum, quod obsessum ad extrema redegerant, injecto postremum igne, conflagrare permiserunt. Urbeque flammis relictâ, ducem alloquio petiturus Valdemarus paludum, quæ passim objiciebantur, multitudine paulisper substitit. Sed mox tentato obiter Camino agros circumquaque populando permensus est. Atque inde ad Henricum missâ legatione præsentique expeditioni fine indicto, intermedia quæque loca partim ferro partim igne adorti, perque summam hostilium vicorum vastationem Valogastum usque progressi, id undique levibus aliquot prælijs postquam ursissent, essentq; multis atque opimis aucti manubijs, receptui tandem signum dedêre.

Sublatum erat hoc tempore, adjuvante Romanorum Imperatore Frederico, quod fuerat jam diu inter urbis præsules acerrime agitatum schisma, sedemque pontificiam, excluso aut defuncto Octaviano, solus Alexander, ejus nominis tertius gubernabat. Apud quem regis Lundensiumque nec non Absalonis legatorum causa cum pari utrimque partium studio aliquandiu disceptata fuisset, felicem optatumque omnibus exitum habuit. Nam tametsi diversa contrariaque essent, quæ uterque postularet, ea tamen moderatione transacta res fuit, ut sibi pars utraque consultum existimaret. Siquidem misso in eum finem *Galando* pontificis maximi legato, perfecit pontifex ut Absalon, retento Roschildensium episcopatu, Lundensium simul præsulatu fungeretur, nisi excommunicationis fulmine feriri potius haberet. Atq; ita geminum Ecclesiæ regimen in unius curam ditionemque concessit, dum alterum, quod annis jam multis laudabiliter gesserat, de novo ei commendatur, alterum sub anathematis comminatione recipere coactus fuit; cujusmodi conditiones rapere vix oblatas solent alij. Dignos scilicet vel ob hoc ipsum humeros, quibus tam præclarum onus imponeretur. Post hæc *Galandus* Lundensi in templo eundem Absalonem pallio muneratus, postero die *Homerum* ab eodem Ripensium antistitem consecrari aspexit. Atque inde legatione integerrimè perfunctus, exactis hibernis, Romam reversus est.

His intra regni fines ritè compositis, urebat adhuc regem accepti nuper à Vandalis, & necdum restituti, damni recordatio. Itaque renovatâ expeditione in hostem ducit. Aderantque ex universo propemodum regno auxiliares undiquaque copiæ, exceptis qui Cimbricam Chersonesum borealiores incolebant. Australioribus præerat Slesvicensium antistes Fredericus. Sed is avi sinistrâ profectus, dum pleniore velo, quam ferret navigium, incedit, adobrutâ fluctibus navi cum socijs penè universis perijt. Absalon tam illustris & amici capitis casum ingenti dolore ac luctu prosecutus, corpus ejus diu quęsitum ac demum juxta littus Selandiæ inventum, in æde Sorensi honorifice tumulari curavit. Ubi & tali epicedio parentatum eidem reperio:

Vandalus ut discat divini oracula verbi
Impius, èn præsul mox Fredericus adest:
Post ponto infelix submergitur ille profundo,
Percharus regi, flaminibusque pijs.

Rex collectâ classe, eam Absaloni Canutoque filio commisit, præfatus se domi eventum belli exspectaturum; & ipsos, si benè rem gerant, etiam illis quantiscunque viribus laudem; sin male, minus ignominiæ relaturos. Igitur, quod erat mandatum, celeriter exsecuti, aucti etiam tumultuarijs Rugianorum manipulis, Ostrosnam accedunt; hostibus tam inexspectato adventu, ut multos Vandalorũ intra ædes suas inopinatos opprimerent; ac totam ferè provinciam ignaram vastassent, nisi aliqui incautius igne tectis injecto, rem prodidissent. Gerimarus Rugianorum princeps, conspectis forte duobus illic Vandalis navigio effugere parantibus, quorum cum alterum teli jactu stravisset, alter vindictæ cupidus, ubi esse Rugianorum ducem cognoscit, abjecto verecundè telo, dilapsus est. Tanta nimirum penes eam gentem erga viros in fastigio positos erat veneratio. Inde Valogastum aggressi ponteque superato moenia oppugnare cæperunt. Sed viribus impares nec bello satis parati Vandalorum principes Bogislaus, ejusque frater Cazimarus,

FREDERICUS BARBAROSSA IMP.

Marchese di Rivarolo

VALDEMARUS. I. Rex. A. C.

indiesque inferri patriæ vastitatem cernentes, cum in armis nihil esse præsidij, ad pacis consilia descenderunt. Quæ in hunc modum constituta, ut regis legati, quos captos tenebant, cum duobus millibus talentûm, quæ summa rapinam regijs bonis illatam æquaret, liberi dimitterentur; & præterea Absaloni centum nummorum libras, quòd penes eum expeditionis arbitrium fuisset, totidemque Canuto persolverent. Præmissus deinde, qui regi nuncium perferret, Esbernus Absalonis frater. Quem ubi accedentem rex solum conspicaretur, fusos suos fugatosque existimans animo mœrorem concepit. Sed mox intellecto rei eventu, vidensque ceteros cum triumpho & pompâ reverti, gaudio perfusus ducibus grates gratiasque habuit, & milite quoque legionibusque plurimum collaudatis utilius pace bellum confessus est.

Eodem mox ad oras Cimbricæ Chersonesi, nunc Iutiam dicimus, digresso, Canutus & Carolus, quos ut exules & proditionis adversus Valdemarum reos ad Suecos concessisse jam ante meminimus, contractis, quas raptim poterant, copijs, Hallandensium fines invadunt. Dumque incolarum benevolentiam sperant, pro favore arma experiuntur. Quapropter occupato, quod erat in proximo, quodque Gothiam ab Hallandiâ secernit, nemore, aciem ex adverso instruunt. Sed infelicibus auspicijs præliati, graves tentatæ per scelus patriæ pœnas dedêre. Nam Canutus multis exceptis vulneribus captusque ab agrestium multitudine, eundem, quem Magnus carcerem accepit, supplicij socium, quem facinoris participẽ habuerat, sortitus. Carolus lethaliter vulneratus, petito viæ secessu, fortem inter molles arborum frondes animam deposuit, hoc fratre felicior, quod, quem ille indies damnatum spiritum cum gemitu erat ducturus, hic uno halitu efflaverit.

MCLXXX. Anno, qui secutus est, millesimo centesimo octuagesimo, postquam Henricus Leo Saxonum dux Cæsarem Fredericum optimè de se meritum, suumque propinquum in medio belli ardore desertum ad Mediolanum Italis prodidisset, Cæsarisque ob id justam offensam, ab eodem nimirum proscriptus, incurrisset, ad Valdemarum, præter ceteros confugit, pertransito Eidoræ ponte, quem antea excedere medium haud unquam consueverat. Scilicet quæ superbis infesta esse plerumque solet Nemesis, hanc quoque Henricus sensit, suoque exemplo ostendit haud aliud certius magnæ ruinæ prævium signum esse, quàm si ex magnâ fortunâ magnos quoque spiritus mortales gerere incipiant. Henricus antequam proscriberetur, jussus in imperij conventu causam dicere, per internuncios placare Cæsarem, sed frustra studuit. Hinc iterum iterumque evocatus, cum identidem tergiversaretur, seque sistere etiam, quartum citatus negligeret, unanimi principum ac procerum imperij assensu damnatus proscriptusque est, publicatis, quæ possidebat, hæredijs longe amplissimis bonisque omnibus: Ac demum in locum ejus surrogatus est Alberti Ursi filius Anhaltinensium princeps Bernardus, Saxoniæque elector agnitus, cui & nupta fuit Voldemari regis soror germana Iuditha, ut ante & aliàs ostensum Stemmate, quod positum superius pag. 231. Arnoldi Lubecensis, qui hæc prolixius cunctaque accuratius persequitur in supplemento Derelictorum ab Helmoldo, adscribenda hîc verba paucula censui. Sunt autem ista: ,, Circa dies illos reversus est imperator de Italia, cui occurrit Dux apud Spiram, & illatas sibi injurias à domino Coloniensi conquestus est in præsentia ipsius. Quod imperator tum quidem dissimulans, eis curiam indixit apud Vormatiam, Ducem tamen (Henricum) ad audientiam illuc citavit, responsurum querimonijs principum. Quod intelligens Dux, eo venire dissimulavit. Imperator autem aliam ei curiam indixit in **Magdeburg**, ubi Theodoricus, Marchio de **Landtsberg**, duellum contra eum expetijt, imponens ei quasdam traditiones contra imperium factas. Verius tamen propter indignationem id factum fuisse creditur: quia Slavi exciti à Duce omnem terram illius, quæ Lusatia dicitur, irrecuperabiliter vastaverant. Dux autem hoc animadvertens venire noluit. In **Haldesleben** tamen constitutus, per internuncios colloquium domini Imperatoris expetijt. Imperator itaque exivit ad eum ad locum placiti, quem Dux verbis compositis lenire studuit. Imperator autem quinque millia marcarum ab eo expetijt, hoc ei dans consilium, ut hunc honorem imperatoriæ majestati deferret, & ipso mediante, gratiam principum, quos offenderat, inveniret. Illi autem durum visum tantam persolvere pecuniam, & non acquiescens verbis imperatoris, discessit. Exinde imperator tertiam ei curiam Goslariæ præfixit, nec minus illam supersedendo neglexit. Imperator itaq; procedens in concionem, sententiam adversus eum proposuit, quærens quid super hoc justitia decernat, quod tertio legitimè vocatus, judicium declinaverit, & per contemtum ad audientiam suam venire noluerit.

Cui

Valdemarus I. Rex.

Cui ex sententia principum responsum est, quod, justitia dictante, omni sit honore destituendus, ità ut proscriptione publicâ dijudicatus & Ducatu & omnibus beneficijs careat, & alter in locum ejus consurgat. Confirmata itaque sententiâ imperator id adjudicavit fieri. Quartam tamen curiam adhuc rogatu principum ei indixit, ad quam cum non venisset, fecit ut superius ex sententia principum instructus erat, & *Bernardum Comitem de* **Anhalt**, pro eo Ducem constituit, & episcopis ut sua reciperent, quæ in beneficio habuerant, mandat & bona ejus publicari præcepit. Unde accepta occasione quidam de suis abalienati sunt ab eo. Dux autem injuste de se judicatum esse affirmabat, dicens se de Suevia oriundũ, & nullum proscriptione damnari posse, non convictum in terra nativitatis suæ.

Proscriptus itaque decreto imperij cum undique à vicinis principibus oppugnaretur, & imperator quoque compositis Italiæ rebus, bello eum persequi constitueret, undique amicos & auxilia exambiebat. Sed Valdemarus nullo fidei debito ad ei ferendam opem compelli testatus, se tamen amicitiæ, quam olim cum eo junxerit, si monitis suis aurem præberet, haud defuturum promittit. Quod cum Henricus intelligeret, à Valdemaro ob id dici, quod multa ecclesiæ atque episcopis erepta bona in suum atque usus prophanos vertisset, quæ reddenda esse clero rex judicaret; Respondit Henricus, se, si ijs cederet ad incitas & paupertatem rediturum; se verò rasæ attonsæque cervicis homines (ita ferè verba ejus à Saxone referuntur) haud tanti facere, ut suis possessionibus carere, ac plus eorum desiderijs, quam dignitati atque æstimationi suæ tribuere velit: Cum itaque nihil à Valdemaro sibi exspectandum animadverteret, petijt silentio id premi, ne in vulgus negatæ opis fama dimanaret. Itaque digressus à rege apud milites, quasi promissum ab eo auxilium foret, ne ad Cæsarem deficerent, rumore divulgavit, jusque suum strenue ursit, ac multis exantlatis expeditionibus relatisque adoreis perplures ditiones Saxoniæ inferioris atque Holsatiæ suam in potestatem redegit; victorque passim existens captos etiam ex Germaniæ principibus haud infimos in vinculis detinuit. Verum mox ab imperatore quoq; impetitus provincijs fere omnibus, &; quæ juris sui fecerat, opidis exutus est; captâque postremum Lubecâ (cui & suam operam addiderat rex Voldemarus, cum classe Travenæ ostio applicitus) Stadium se Dux recepit. quod opere & præsidio munire quidem cæpit, sed videns in arcto se positum, studuit reconciliationi Cæsaris; ac simul captivos, quos habuit, & in his Ludovicum Landtgravium, & Harmannum, fratrem ejus, Palatinum, vinculis laxavit. Inde imperatori Barbarossæ supplex factus, ademtis ceteris, patrimonium atque heredia ab imperatore recepit. Relegatusque triennium spontaneo exilio in Angliam abijt ad socerum regem, alij affinem, alij generum vocitant. Tum verò, quod cuique commodum erat, ex tot ejus provincijs, in id vicini principes involarunt: Saxoniæ majorem partem Bernardus Anhaldinus, Ursi filius; Stadam cum agro toto archiepiscopus Bremensis Bernardi frater; Vagriam multaque Holsatiæ contermina Adolphus Holsatus; Vestphaliæ magnam partem Coloniensis archiepiscopus; Otto Vittesbachius Bavariam occuparunt; quæque occuparunt imperatoris decreto tenere permissi sunt, ut eorum nimirum in bellis Italicis compensaretur navata opera. De *Ditmersiâ* Anhaltinus & frater ejus episcopus Bremensis cum Adolpho Holsato dimicabant. Etenim Holsatus archiepiscopo cum Christierno Oldenburgico in Ditmersiâ militans, cum solvendo stipendio episcopus non esset, Ditmersiam, quam armis subegerat, sibi vindicabat. Sed *Ditmersi* haud multo post ad episcopum Slesvicensem, & reges Daniæ deflexère. Manseruntque in fide ad annum usque MCCXXVII. quo tempore ad Bremensem redière.

Sed hæc & his antecedentia operæ pretium existimo ipsis verbis Arnoldi Lubecensis, qui præcipue commemorat, propius exprimere. Ità enim habent: Imperator verò inde (Lubecâ) regrediens, transivit Albiam, & castra metatus est juxta **Luneburg** ad plagam occidentalem. Dux autem, ut supra est dictũ, deditâ Lubecâ apud Stadium positus erat, & illuc se propter loci firmitatem receperat. Nam etsi ab hostibus locus ille caperetur, ipse tamen per aquas se evadere posse sperabat. maximo enim vallo civitatẽ ipsam circumdederat, & munitiones fortissimas cum machinis ibidẽ construxerat &c. Dux autem videns se in arcto positum, rogavit Dominum imperatorem, ut ipsius conductu veniret Luneburgum, spectans se apud ipsum aliquo pacto misericordiam impetraturum. Qui cum inter **Hertteneburg** & **Bardewich** conduceretur, occurrit ei multitudo militum de castris imperatorijs, pacifice eum salutantes. Quibus resalutatis: Non consueveram, ait, in his partibus alterius conductum accipere, sed magis dare. Et ità veniens Luneburgum, omnibus modis per internuncios animum imperatoris lenire studuit. Captivos etiam suos

VALDEMARUS I. Rex.

Ludovicum Landtgravium & Hermannum, fratrem ejus, Palatinum, de captivitate laxavit, sperans se his beneficijs gratiam aliquam mereri: sed nihil inde consequutus est. Imperator tamen inde proficiscens, curiam apud Quidelingburgum ei præfixit, ut ibi inter principes, quid de eo fieret, justitiâ mediante decernetur. Unde gavisi sunt omnes amici Ducis, sperantes aliquid boni de eo ordinandum. Ubi cum nihil de causa ipsius tractatum fuisset, propter seditionem, quæ inter ipsum & æmulum ejus, Ducem Bernardum, coorta est, aliam ei curiam apud Erpisfordiam induxit. Tunc temporis Sifridus archiepiscopus Bremensis, in plenaria restitutione recepit Stadium cum omnibus alijs, quæ antea Dux quasi de Bremensi ecclesia inbeneficiatus possidere videbatur. Sexcentas tamen marcas argenti Philippo, Coloniensi archiepiscopo, persolvit, quem rogaverat, ut cum exercitu veniens, Stadium expugnaret. Quo cum juxta petitionem ipsius venisset, ille per dispensationem imperatoris, ut dictum est, castrum obtinuerat, nec minus ille pecuniam sibi promissum exigebat. Comes etiam Bernardus & comes Adolphus castra & provincias suas per imperatorem adepti sunt. Dux autem veniens ad curiam sibi præfixam seque totum submittens gratiæ imperatoris, venit ad pedes ejus. Qui de terra levans osculatus est eum, non sine lachrimis, quod tanta inter eos controversia diu duraverit, & quod ipse sibi tantæ dejectionis causa fuerit. Quæ tamen an veræ fuerint, ambigitur: nam videtur eum vere non fuisse miseratum: quia ad statum pristini honoris eum restituere non est conatus. Quod tamen propter jusjurandum facere non potuit. Denique cum omnes principes ad dejectionem ipsius adspirarent, juravit eis imperator per thronum regni sui, nunquam se eum in gradum pristinum restauraturum, nisi id fieret in beneplacito omniū. Hoc tamen contra ipsum despensatum est, ut patrimonium suum, ubicunque terrarum fuisset, sine omni contradictione liberrime possideret. Dux vero per triennium terram abjuravit, ut infra tempus id terram suam non intraret, nisi per imperatorem revocatus. Profectusq; est ad generum suum, regem Angliæ, cum uxore & liberis & apud eum commoratus est omni tempore illo. Quem rex Angliæ honestissimè suscipiens, ipsum quasi principem super omnem terram constituit, & omnes qui secum exulabant, donis multis ampliavit. Hactenus Abbas ille Lubecensis. At Leo ab exilio reversus Brunsvicensem & Luneburgensem agros indultu ac benignitate imperatoris recepit, à reliquis abstinere jussus. Verùm mox, profecto in Palæstinam Frederico, quietis impatiens Bardevicum cepit & evertit. Lubecâ etiam receptâ, universam pœnè Holsatiam occupavit iterumq; amisit. Postremum post varias fortunæ vicissitudines ætate fessus obijt Brunsvigæ anno MCXCV. quæ suo mox loco referentur accuratius singula.

Digressis ab Eidorâ Danis, prodigium novitate mirabile incidit. Siquidem infinitus murium grex, è pagis vicinis de nocte concurrens, aquis Seleensibus, Sellostrandt vulgo, suâ sponte submersus interijt: quorum corpusculis vento jactatis littus mane constratum apparuit. Quod, sicuti & illud, quod eadem nocte Absalonis vestimenta mures deroserint, fuisse istius, quæ postea est subsecuta, cum Scaniensibus seditiosæ velitationis veluti omen, multi augurati sunt. Quomodo & olim apud Romanos creditum mures, qui Lavinei clypeorum loramenta arroserant, Marsicum bellum prænotasse. Absalon itaque quamprimum ad Selandos redijsset, nunciatur ei, turbatis Scaniæ rebus, plebem à primoribus diffidere, Agonem inter ceteros, regium quæstorem splendideq; prę fecturę virum, ità ab ijsdem exceptum, ut nisi refugio fuisset Divi Laurentij ædes, manibus eorum discerptus perijsset: nec videri ab alio quam ab uno Absalone eam facem, turbulentissimo plebis furore accensam, posse extingui: itaque oportere quam citissimè in Scaniam contendere, si rebus regni laborantibus digne consultum cupiat. Quâ de re Suno & Esbernus, quorum alter perfamiliaris, alter frater erat, consulti, profectionem vehementer dissuadebant; quod illo nimirum motu nihil à Scaniensibus quæri existimarent aliud, quam ut ei periculum crearetur. At instantibus Scaniensium legatis, iturum se, utcunque fors tulisset, respondit. Ac mox ubi Lundam advenisset, essetque concionem ingressus reperit fere omnes ad seditionem excitandam comparatos. Inter regios præfectos Thordo alijque, ubi dicere cæpissent, sibilis excepti explosique fuerunt. Solum Absalonem audire, eique auscultare videbantur. Sed & ille cum multitudinem imperitis clamoribus obstrepere nec aurem commodare salutaribus monitis videret, ità dividendam separandamque judicavit, ut, distributis trifariam provinciarum comitijs, locis ac temporibus diversis convenirent, quo possit hoc pacto de omnium querelis ac controversijs accuratius cognosci. Sed nec ità sedatâ promiscuâ multitudine, Absalon concionibus aliquot tumultuosè

Valdemarus. I. Rex. A. C.

multuosè habitis Selandiam repetijt. Quo cum pervenisset, literæ ad eum regis deferuntur, quibus ad insulam Samseam, ut se conferret, monebatur, regem eodem loci venationibus operantem reperturus. Cumque advenisset, extemplo conventus cum ceteris regni proceribus celebratus, postque varia provinciarum discussa negotia postremum quoque de Scaniensibus tractari cæptum. Quorum mens ac votum hoc esse videbatur, idque se regem rogare atque obtestari significabant, ut, abdicatis hominibus ac præfectis extra Scaniam natis, procurationem ad indigenas transferret, illud scilicet, quod occasionem seditioni dedisset, finem eidem impositurum affirmantes. Sed Absalon contrarium demonstrando respondit, dolose eos agere & invidere regiæ potentiæ, qui illud jus illudque privilegium tot seculorum interventu firmatum usurpasset. Quo dicto, in Absalonem exacerbati, superbius æquo responsum dedêre. Tunc ijsdem à rege, quidnam sedandis Scaniæ motibus maxime consultum judicarent, interrogatis, ejus epistolam, quæ blandis aspera misceret, id effecturum reponebant. Rex consilio eorum obsecutus mittit plenas minarum literas. Quæ postquam lectæ fuerunt, ita populum jam ante concitatum incenderunt, ut abrogatis vectigalibus nec non pontificum decimis, sacerdotibus etiam conjugia frequentanda decernerent, dictitantes eorum sacra, remotis præsulum ministerijs, sibi sufficere. Cumque ita minis nihil actum Valdemarus videret, armis instandum judicavit. Exactoque messis tempore in Scaniam trajecit, expositis circa Helsenburgi littus in terram copijs. Absalon, qui agmen extremum ducebat, ubi à piscatoribus est animadversus, levibus saxis navigium ejus impetebant, eum scilicet Scaniæ finibus exturbaturi, qui, ut Scaniam à piraticis infestationibus immunem habitarent, toties effecerat. Nec rex tantam ingratæ multitudinis contumeliam ferre ulterius valens arma equosque poscebat. Sed regem æstuantem, & jam in medios quasi ruentem, retinuit Sueno Arhusiensium pontifex, orans obsecransque ne quid in plebem promiscuam durius statueret. Hinc Valdemaro & Absaloni cum Scaniæ nobilitate dividuum colloquium fuit. Scanienses quibuscum rex agebat, id præcipuè urgebant, Absalonem ceterosque advenas qui Scaniæ erant præpositi, in Selandiam remittendos; hoc unum ad compescendam populi dementiam, quæ non in regem, sed in eos eorumque fastum atque avaritiam exarserit, esse remedium. Cui sententiæ cum etiam Iutenses adstipularentur, rex Absalonem seorsim vocatum rogat atque adhortatur ut in Selandiam redire haudquaquam sibi turpe ducat; esse subinde speciosis consilijs utilia præferenda, nec dubitare se quin sibi tam obnixe hoc flagitanti sit auscultaturus. Ad hæc Absalon se libenter ad omnia, quæ regiæ majestati ex æquo & bono viderentur, paratum præfatus, ac simul locum plebeio furori relicturus, in Selandiam concessit. At mox, absumto commeatu, è Scania quoque regressurus rex, lectos è Scanensium optimatibus viros secum Helsingoram jubet trajicere, ut ibi si fieri posset, cum Absalone componerent. Qui ubi coram eum de criminibus objectis perorantem, seque purgantem audirent, ità rationibus ejus ac testimonijs moti memorantur, ut eum divino potius quam humano ore loqui judicarent. Nihil interea statuentes, sed omnia ad civium suorum, sine quorum assensu haud quicquam possent, arbitrium relaturos testati, domos quisque discedunt. Verum nec eorum fidâ adhortatione Scanensium plebs ad deponendam rabiem adduci potuit. Nam neque decimæ solutæ, neque quicquam quod ad prꝗstanda sacrorum jura attinebat, exhibitum. Itaque Absalon misso sub proximum, qui instabat, ecclesiarum conventum edicto, omnium ubique templorum fores obserari mandavit, si decimarum solutionem abnuere perseverarent. At plebs ex adverso respondit, sacerdotes non ab episcopis, sed à se vitę subsidia accipere; ideoque suis jussis obtemperare debere, nisi facerent aut patria excederent, aut bonis aut vitâ multarentur. Ad quę clerus, non nisi antistitis sui imperium agnoscere se, eique soli obtemperaturum respondit. Qua sacerdotum magnanimitate evictum vulgus non tantū precibus minas mutavit, sed id quoque obtentum, ut utriusque ordinis consensu mitterentur, qui inducias flagitarent. Quę nec ęgre ab Absalone impetratę, utpote qui plus semper clementię quam severitati indulgendum putavit. Multę quoque ab eodem sacerdotibus ob fidem constantiamque persolutę gratię. Nec interea tamen à rapinis atq; injuriâ tum regijs tum ecclesiasticis personis inferendâ populus cessavit. Rex itaque appetente vere, in Scaniam cum solis Selandorum suisque copijs digressus ac paucis aliquot cum Absalone apud Lundenses diebus feriatus, mox in rus vicinum concessit. Quâ famâ borealior Scanię populus cum Hallandis excitus, more gentis misso per pagos stipite, sub specie petendę libertatis, belli titulum fingit, eoque edicti genere, exercitum construit.

Fredericus Barbarossa Imp.

VALDEMARUS I. Rex. A. C.

Erantq; tanta dementia excæcati omnes ut non refugerent manum cum Absalone simul & rege conserere. Primum eis circa Dysiæ pontem rex occurrit. Hic dum utrique anticipare transitum festinant, anceps diu prælium fuit, Scanis haud ignavè rem agentibus. Sed eorum mox aciem ubi equites Absalonis per ignoti vadi compendium irrupissent, repentinam victoriam regi dedêre. Multi illic popularium cæsi; complures amnis vorticibus abreptos, dum ferrum vitant, aqua absorpsit. Hoc prælio feliciter confecto, Lundam regressus rex, ut ibi orientalibus ejusdem Scaniæ populis, quos adventare armatos intellexerat, similiter obviam iret. Guntungam appellant pontem, apud quem rurestris corona consedit. Hunc ingenti lapidum acervo vecors turba obsepserat, ut regios hoc pacto aditu prohiberet. Sed rex reperto alibi vado, ubi amnem transisset, seque decernere ferro paratum ostenderet, territa non tam armis quam recenti sociorum clade plebs de pace legatos misit. Præcipuè regem Absalonis preces movêre, intercedentis pro plebe vesanâ, monentisque ne quid asperius in turbam inconditam decerneret. Itaque, acceptis obsidibus, Londam reditus maturatus. Inventusque ad reliqua facilis populus, solam decimarum solutionem pertinacius abnuebat. Et quamvis rex difficultatem animadverteret, gnarus quid olim Canuto Othoniensi eandem ob causam accidisset, tamen Absalonem permovere haud potuit, ut aliquid ex sueto sacrorum jure decerperetur. Quocircâ facto silentio ac collaudatâ Absalonis constantiâ putabat tempori atque occasioni invigilandum, ut quod armis non posset, consilio aliquando ac moderatione obtineretur. Paruit in commune consulenti Absalon præfatus dilationem sibi placere, dum interea ecclesiæ quod debebatur sartumtectum permaneret. Atque ita rebus pro tempore pacatis discessum est.

Supra indicavimus Leonem Saxoniæ ducem, postquam esset à Cæsare Frederico proscriptus, multatum potissimis suarum regionum ac dignitatis partibus, & tandem ipsum quoque Cæsarem, superato cum exercitu Albis flumine, Lubecam eidem præripuisse. Hîc igitur dum agit imperator, quo omnibus undiquaq; amicis atque auxilijs Henricum spoliaret, mittit ad Valdemarum legatos, binas ejus filias totidem filijs suis, quorum alterum successioni imperij alterum Sueviȩ ducatui destinarat, in matrimonium postulatum. Amici regis regnique proceres etiamsi hæc, non tam ut sanguini suo bonæ fidei nuptias quæreret, quam Henrici odio à Cæsare factitari satis animadverterent, & regem etiam palam ejus commonerent, prævaluit tamen reginæ sententia, quæ liberos suos cum prole Cȩsareâ conjungi gloriosum existimabat. Perperam hȩc memorat in supplemento Derelictorum Helmoldi Arnoldus Abbas Lubecensis, cum unius tantum filiȩ Valdemari ac filij Cæsaris, Sueviæ Ducis, mentionem faciat velitque à rege Valdemaro eas nuptias primo quȩsitas, cum à Cȩsare præcipue summoque studio expetitas ambitasque fuisse alij & Saxo præsertim, quem sumus sequuti, satis ostendant. Interea Cæsar, quo Bugislavi quoq; & Cazimari fratrum vires atque amicitiam sibi magis magisque conciliaret, subornatâ legatione, claritatis eis ac potentiæ incrementa promittit, ut nimirum provincias, quas hactenus obscure & sine honorum insignibus gesserant, Ducum deinceps nomine reciperent. Iucunda ipsis, toties ab Henrico læsis, promissio extitit. Sed ignorabant illi sub specie beneficij servitutem intendi. Post hæc Valdemarus classe luxu quàm armis ornatiore Lubecam profectus, occurrentibus sibi Germanorum equitibus, eximiasque ejus adventui grates habentibus, navigationem medio Travæ amne, quoad possit, proferre rogatur, quo brevius inter ipsum & Cæsarem iter restaret. Posteroque die an Cæsarem medio itinere obvium habere vellet, per legatos rogatus castra ejus petiturum se dixit, Romani imperij rectorem in re modicâ fatigare supervacuum existimando. Inde accedentem Cæsar amplexu atque osculo decentissimè veneratus, mox dextrâ honorabiliter apprehensâ, deposito amiculo per media castra deduxit. Tanta erat, quæ ad videndum regem concurrerat, multitudo, ut Cȩsaris tentorio ob turbam collapso, imperatorem regemque ac ceteros magnates sub dio considere coegerit; Illic exaudire erat Theutonum voces formam regis staturamque mirantium, quos tanta visendi ejus cupiditas ceperat, ut alter alterius conscensis humeris eum productis cervicibus inspectarent, hunc regem, hunc imperio dignum, Cæsarem regulum homuncionemque referentes. Adeò eum excellens corporis habitus Theutonis faciebat venerabilem. Hinc post diutinam omnium admirationem, paucis secum exsurgere jussis, in proximum tabernaculum eodem comitatis genere, quo venientem fuerat prosecutus, deducendum curavit. Et demum sub vesperam, prosequente eum totius Germaniæ juventute, discedere permittens, posterâ luce apud silvam

VALDEMARUS I. Rex. 4. 6

silvam portui vicinam, oportunioris colloquij gratiâ, reditum ejus se præstolaturum innuebat. Interea filios regiam navem petere, inque eâ lustrando lusitandoque morari præcepit, charissimorum pignorum familiari conversatione, quanti regis adventum faceret, demonstrare cupiens. De quorum nuptijs condicto in loco mentionem exorsus, majori triginta millia talentum, minori octo in matrimonij conditionem deposcit. Quæ res suspecta Danorum primoribus fuit, virgines nondum ad nubendi ętatem provectas fraudulenter ab eo postulari existimantibus. Sed Valdemarus majore summâ recusata, minorem Belę, ejus nominis tertij, Hungarię regis, arctâ sibi propinquitate conjuncti, fiduciâ pollicetur. His pactis conventis ac jurejurando firmatis, Rex classem, Cęsar castra repetijt. Sequentis deinde diei diluculo, navigium regis exiguo militum numero comitante, cunctis inexspectatus Cęsar accessit, vocatoque rege, habere se dixit, quod ad eum seorsim referre cupiat: se nimirum non ignorare quidem quid olim de subigendâ Vandaliâ ipsi pollicitus fuerit, nunc orare ut patiatur, quo facilius Henricum deprimat, eam sui muneris facere duobus fratribus, Bugislavo & Cazimaro, Satraparum titulos tribuendo. Eandem nihilominus se, profligato Henrico, ei subjicere curaturum. Rege consilium haud prorsus abnuente, ingressoque die sequenti concionem, Bugislavum & Cazimarum, datis solemniter aquilis, Vandalię duces Cęsar appellat. Illic quoque Syfridus splendido apud Thuringos loco ortus Valdemari filiarum natu maximam, Cæsare adstipulante, despondit regiaque navi devectus solemnes Slesvici nuptias habuit. Hęc ad annum millesimum centesimum & octuagesimum primum annales referunt. Quos inter Erici regis, quæ est in manibus, historica de origine Gentis Danicæ narratio refert, Cæsarem eas in universum, quæ ab Albi boream versus sunt regiones, datis codicillis in perpetuum Valdemaro transcripsisse; eamque collationem pontificem Romanum suo præterea syngrapho obsignasse: verum literas omnes post obitum Valdemari à Theutonâ quapiam, Satanici spiritus fœminâ, cui *Ave* nomen fuit, in odium Danorum disjectas laceratasque. MCLXXXI.

Interea Vandali castello, quod propter Sueni ostia moliti fuerant, hiberna maris exundatione pessundato, bina alia ijsdem in locis, materiâ per hiemem contractâ, veris principio condiderunt, inexpugnabiles se fore rati, si Penus amnis Valogasto opido, & Suenus duobus hisce munimentis clauderetur. Quod cum rex, qui tum ad portum Viridem, vulgo **Gronsondt** dictum, consistebat, ex Rugianis cognovisset, Canuto filio & Absaloni in eos ducendi curam imponit. Sed Absalon Scanorum & Silandensium ducatum pollicitus, Cimbros, quod se & Canuti ætatem contemptui haberent, ductaturum negabat. Permotus hoc dicto Valdemarus iturum igitur se, licet valetudinarium respondit: ac simul morbo ex sollicitudine contracto, in lectum decidit. Mane orantibus eum ducibus sibi ut parceret, seque ejus imperium etiam absentis probè executuros, pollicentibus vix atque ægrè consensit, ut ad opidum Worthenburgi, filio atque Absaloni concreditâ belli curâ, secederet. Dum autem classis ob diutinam ac vehementem tempestatem intra portum commoratur, seditiosæ Cimbrorum voces, modò commeatus inopiam causantium, modò expeditionis & militiæ remissionem poscentium, toto exsonabant littore. Quas cum Homerus Ripensium antistes, quem præter religionis dignitatem etiam eloquij singularis commendabat gravitas, delinire non posset, postremò quendam pertinacius obstrepentem prehendi ac vinciri mandavit. Quæ res ut populi clamorem ita seditionem etiam magis magisque accendit; Adeò ut è re ducibus visum expeditionem solvere, totique exercitui missionem imperare, ne fortasse ex spontaneâ ejusdem digressione odium in regem ejusque filium recideret, quod evenisse Divo Canuto, dum solutæ classis pœnas à patriâ vehementius exigit, supra commemoratum est. His consilijs adductus Canutus convocatam classem, factâ revertendi potestate, domum dimittit. Atque inde cum Absalone, Esberno & Sunone Worthenborgum adnavigat, ibi paternæ valetudinis eventum exspectaturus. Valdemaro autem, qui per apertam conclavis sui fenestram velorum reditum contemplabatur, admiratione rei & animo pariter & corpore adauctum haud leviter ægritudinis incommodum. Utroque tamen pro tempore dissimulato, filium ad se cum ducibus ac præsule Absalone venientem, adeò hilari vultu admisit, ut pristinæ jam restitutus sanitati putaretur. Absalone nihilominus seorsim postea advocato, præter cetera, incertum mortalium ævum injiciebat, & horam illam extremam sæpenumero non cogitantibus obrepere, sibi itaque constitutum delictorum suorum solemni confessione animum in tempore exsolvere, quod serum & inutile judicaret, quicquid ad ultimum illud momentum prorogetur. Deinde quid locis sacratis, quid etiam alijs ex suo patrimonio, exceptis

VALDEMARUS I. Rex. A. 6

exceptis quæ ad fiſcum regium pertinebant, tribuendum vellet, teſtamento ſignavit. Ceteriſque de ejus ſalute bene ſperantibus, ſolus Suno, ſive ſomnij monitu, ſive quo alio mentis præſagio fatalem hanc regi valetudinem augurabatur. Iohannes autem Scanenſium Abbas, qui ſe medicum profitebatur, morbo, ut poſtea apparuit, parum prudenter inſpecto, poſtquam alexipharmacum aliquod propinaſſet, ſudoremque prolectum animadverteret, regi extemplo ſoſpitatem polliceri auſus, excedere cunctos cubiculo & regem quietem capere imperavit. Sed Abbatis promiſſum regis obitus haud multo poſt inſecutus, quàm falſus fuerit vates nec artis ſuæ ſatis certus, documento exſtitit. Corpus deinde regis Vorthinborgo Ringſtadium devectum, ut ibi juxta paternos cineres ſepulturæ mandaretur. In ipſo funere, præter procerum ac patriæ effuſas lachrymas, acceſſit matrum miſerabilis planctus ſparſis comis pheretro occurrentium, iterumque ſe priſtinæ ſervitutis onus ſubituras dicentium, extinctum eum, qui civium capitibus captivitatem detraxerit; qui patriam piratarum metu vacuefecerit, maritimasq; ſedes perinde ac domeſticas à prædonum incurſu tutas præſtiterit: Nec auditi abſimiles agreſtium ejulatus, everſam regis morte patriam, miſeriſque ſibi commune funus, aut ſi quid funere foret acerbius, imminere plangentium. Et Abſalon quoq; ſeorſim quam ingentem ex ejus diſceſſu mœrorem animo conceperit, & corpore etiam quantopere perculſus fuerit, ex Saxone, qui prolixe denarrat, poteſt intelligi.

Præter verò profligata ab eo fortiter bella patriæque dilatata pomeria, aliaque, de quibus jam ſatis memoratum, domi militiæque ſapienter inſtituta; nequaquam involvendum ſilentio, ſaluberrimas quoque condidiſſe ipſum *leges*, quarum alias *Selandicas*, alias *Scanicas* appellamus: Utræque harum etiam hodie adhuc in uſu ſunt; & Scanicas præſertim annos ante quadringentos, ab archiepiſcopo Lundenſi Andrea, Sunonis filio, qui Abſaloni ſucceſſit, & cujus meminit in præfatione hiſtoriæ ſuæ Saxo, Latino idiomate redditas Haffniæ typis deſcribi ſuperioribus annis curavit nobiliſſimus vir Arnoldus Witfeldius, regni cancellarius: cui & plura ejuſmodi antiquitatum ceimelia debet Dania. Celebrat quoque Saxo ipſe, præter legum curam, antiquitatis ac veterum rerum ab ipſo ſtudioſè cultam memoriam: idque occaſione refert Haraldi Haarderode Norvagiæ regis, de quo ſuperius in rebus Suenonis pag. 194. narratum, ejus ſcilicet dolonem rubigine obtuſum à rege Voldemaro monſtrari ſolitum, quo ille Byzantij olim, à Conſtantino Monomacho ad beſtias damnatus, immanem trucidando ferã ſe & carceri & periculo exemerit.

Deceſſit autem Valdemarus anno à Chriſto nato ſupra milleſimũ centeſimo & octuageſimo ſecundo, duobus relictis filijs Canuto & Valdemaro, pręter complures filias, quarum unam Sufrido Thuringię Comiti denuptam, duas Cęſaris Barbaroſſę duobus filijs deſponſas jam modo indicavimus; Ceteraque eodem pertinentia ſuo deinceps loco referentur oportunius. Obijt eodem quoque anno apud Claravallenſes in Gallijs archiepiſcopus Lundenſis *Eſchillus*; de quo & quamobrem in Gallias migraverit, ſuperius nonnihil memoratum. Ante exceſſum, è proprijs patrimonij ſui opibus quinque apud Danos monaſteria inſtituit, Hareſvaldum, Efferomum, Bekeſchouviam, Tummedorpium atque Æſomum: ſingulaque uni S. Bernardo eſſe ſacra dicataque voluit. Hunc virum quanti ille fecerit cum ex hoc, tum ex ijs, quæ ſupra retulimus, & quam viciſſim ipſemet Eſchillus Bernardo gratus amatuſque fuerit, ex ejuſdem D. Bernardi epiſtolis, quarum una alteraq; ad Eſchillum extat, eſſe cuivis perſpicuum poteſt. Prodierunt jam nuper Lutetiæ Pariſiorum epiſtolæ Petri Abbatis Cellenſis, divo quoque Bernardo coætanei. In ijs ad Eſchillum hunc noſtrum perplures habentur; & una etiam alteraque ad Abſalonem Eſchilli ſucceſſorem. Ad Eſchillum quæ ſcribit, ſpirantia ſunt omnia plenaque pietatis. Epiſtolarum ad eum omnium ultima libri octavi prima eſt. Hæc ſcripta cum jam, relictâ Daniâ, inter monaſticos Claravalli ageret, in eâ, præter alia, hæc fere occurrunt: Circumferimur, periclitamur, naufragia experimur, & exire diſſimulamus? quis non optat portum, ne incurrat naufragium? quis non pręcidit hęrentis in ſalo naviculę funem, ne ſentiat tempeſtatem? Gaudeo quia tenes jam portum ſedens ad portam ſanctę civitatis. Quę ceteraque ibi videnda.

MCLXXXII.

Qui verò tum gentis mores, opes, quę ſtudia ac militia fuerit, verbis Arnoldi Lubecenſis, qui Helmoldum continuavit, & eodem hoc circiter tempore claruit, operæ pretium erit adjicere. Ait is lib. 3. cap. 5. Dani uſum Theutonicorum imitantes, quem ex longâ cohabitatione eorum didicerunt, & veſtiturâ & armaturâ in ceteris nationibus coaptant: & cum olim formam nautarum in veſtitu habuiſſent, propter navium conſuetudinem, quia

VALDEMARUS I. Rex.

quia maritima inhabitant, nunc non ſolum Scarlatico variogriſio, ſed etiam purpurâ & byſſo induuntur. Omnibus enim divitijs abundant, propter piſcationem, quæ quotannis in Scaniâ exercetur: ad quam omnium circumquaque nationum negotiatores properantes, aurum & argentum & cetera quæque pretioſa illuc deferunt, & comparatis halecibus eorum, quæ illi gratis ex divinâ habent largitate, quaſi pro vili quodam commercio ſua optima, nonnunquam etiam ſeipſos naufragando relinquunt. Repleta eſt etiam terra eorum equis optimis propter paſcua terræ uberrima. Unde propter equorum copiam in militari palæſtra ſe exercitantes, equeſtri pugnâ & navali gloriantur. Scientia quoq; liberali non parum profecerunt: quia nobiliores terræ, filios ſuos non ſolum ad clerum promovendum, verum etiam ſecularibus rebus inſtituendos *Pariſios* mittunt, ubi literarura & idiomate linguæ terræ illius imbuti, non ſolum in artibus, ſed etiam in *Theologiâ* multum invaluerunt. Siquidem propter naturalem linguæ celeritatem non ſolum in argumentis Dialecticis ſubtiles iuveniuntur, ſed etiam in negotijs eccleſiaſticis tractandis boni decretiſtæ ſive legiſtæ comprobantur. Præterea religionis vigor, apud eos multum florere dignoſcitur, eo quod *Eſchillus* Lundenſis archiepiſcopus, vir ſummæ pietatis, quique etiam relicto epiſcopatu, quietam cupiens ducere vitam, ad Claravallenſe monaſterium ſe contulit, ubi ſanctè & juſtè vivendo vitam in pace finivit, loca multa ex omni ordine ſpiritualium tam virorum, quam mulierum, in partibus illis conſtruxerit. Quæ quaſi cedrus Libani multiplicata, non ſolum Daniam, ſed ut vineam Domini Zebaoth, extenſis palmitibus uſque ad mare, imo ultra mare etiam Slaviam repleverunt. Dominus quoque Abſalon, qui loco regiminis ei ſucceſſit, zelo juſtitiæ accenſus, ut armaturâ Dei procinctus, in promovendâ religione nequaquam ſegnior fuit. Deinde de *Canuto* ac parente ejus Valdemaro loquens, tali epiphonemate orationem claudit: Quid de rege dixerimus; qui adhuc in juvenilibus ânnis in omni actu ſuo, itâ grandævum ſe exhibuit, ac ſi de illius gravitate pariter illud ſapientiæ dictum ſit: *Senectus venerabilis eſt, non diuturna, neque numero annorum computata.* Siquidem ut aſſolet talis ætas, non ludis in ſpectaculis ſe ingerebat, non diſcurſibus aut vagationibus ſtudebat, nec lubricitati deditus, *conjuge cum caſtâ vivebat caſtior ipſe.* Inter miſſarum quoque ſolemnia, non ut quibuſdam moris eſt, ſuſurrationibus aut placitationibus intendebat, ſed codices Pſalmorum aut aliarum orationum habens prę oculis, orationi devotus incumbebat. Et quia ſapientiæ adhæſit, quæ dicit: *Per me reges regnant*: Ideo Deus regnum illius firmat, ut, cum tempore avorum ejus in regno Danico triarchæ vel etiam tetrarchæ fuerint, ipſe ſolus monarchiam regeret, quam tamen pater ejus multo labore & prudentiâ obtinuerat. Hæc in ânteceſſum ille. Nunc ad res ejus propius enarrandas procinctum moveamus.

CANUTUS REX LXXX.

CELEBRATIS quàm honorificentiſſime apud Selandos Ringſtadij paternis exſequijs, Canutus ex Senatus decreto Iutiam petijt, non tam ut regium nomen, quod ei jam ante, ut ſupra eſt memoratum, patre vivente, ſolemniter fuerat delatum, acciperet, quam ut omnes ubique regni proceres paternumque militem ſibi devinctiorem redderet. Ingreſſuſque concionem Wiburgenſem cunctorum erga ſe animos benevolentes promptoſque repperit. Apud *Vernenſes* quoque, ſive *Vrnenſes* potius, (vulgo **Wrnering**) licet eſſent qui muſſitare viderentur, pari ceterorum favore exceptus eſt. Atque inde in nomen ejus renovato ſacramento, ab omnibus magno procerum conſenſu regni hæres renunciatur.

Interea Scanenſium populus, laxatis priſtinæ libertatis habenis, memorq; cladis, quam apud Diſiam pontem incurrerat, regiſque obitum ſuam quaſi in rem vertens, ſe ulciſci conſtituit. Et licet Abſalon omnia pro concione ageret, ut plebem commotam ſedaret, nihil tamen efficere apud eos potuit; qui duces ſuæ factionis ſequebantur. Horum tam pręceps ac petulans erat audacia, ut Scanos pæne univerſos ad alium concionandi locum, idque, ut interpretabantur, tuendę libertatis ergò, armatos âdeſſe ſub edicto juberent. Quę res Abſaloni Selandiam repetendi cauſam prębuit. Qui factionis erant authores, ut vulgum ſibi dicto audientem retinerent, prædę dulcedine effecêre, dum effuſi in nobilium penates, prius eoſdem rapinæ, deinde igni ſubjicerent. Cum autem animadverterent fruſtra â ſe ſine duce res novari, *Haraldum* quendam, cognomento *Screngeum*, regij ex Canuto (quem apud Roſchildenſes cæſum diximus) ſanguinis, ſed linguæ atque animi prorſus

FREDERICUS BARBAROSSA IMP.

CANUTUS Rex.

prorsus obtusi è Sueciâ adsciscunt, hominem adeo imparem regno, ut in eo nihil præter generis nobilitatem vel natura vel fortuna reddidisset commendabile. Hic tamen ubi Canuti Sueonum regis ac Byrgeri, Ostrogothorum ducis, auxilijs suffultus in Scaniam irrupisset, concurrit continuo ad novi principis opinionem vulgus animósque & copias sociavit. quamvis & erant ex nobilitate haud pauci, qui imperium ejus detrectantes, transmisso freto, Selandiam peterent. Sed horum agri prædiaque ab eo direpta, exusta desolataque fuerunt. Alij armis arma opponentes seque invicem ad fortitudinem ac patriam communem defendendam animosè cohortati, propter Luminæ amnem (vulgo **Lumme Aa** in Scaniâ) castra posuerunt. Hi tanto pugnandi ardore progressi, ut per summum non solum periculorum, sed etiam popularium contemptum, effusis equorum habenis, in hostem contenderent. Cumque auram sibi adversam experirentur, majus à vento quam ab hoste detrimentum sensêre: Ille enim vi ac vehementiâ suâ clypeos procurrentibus excussit; hic ne irruentibus pectus obverteret, fugam consultò capessijt. Ità agrestium acies, numero hominum quam animis præstantior incruentam victoriam Scanensium magnatibus reliquit. Eâque hoc pacto partim fusâ partim fugatâ, *Haraldus* cum Achone Tubbonis filio, quem affectati regni authorem habuerat, in Sueciam redijt. Lundenses, qui suspensis ad belli eventum animis, neutram in partem auxilia commodaverant, conspecto hoc rerum successu, perinde ac ipsi victores fuissent, victos persequi instituunt. Sed nec ea consternatio turbidum vulgus inhibere potuit, quo minus de novo adversus nobilitatem conjurationes iniret. Sed has popularium molitiones, præproperus Absalonis è Selandia adventus cum armis, tum consilijs à cervicibus Scanensium avertit. Progressusque in concionem non tantum turbulentis agrestium ingenijs obstitit, sed etiam leges eorum, quæ fuerant per seditiones antiquatæ, in usum revocari curavit. *Haraldum* denique, quem regem dixerant, effecit ut publicè, licet absentem, & ejurarent ac detestarentur, quò nimirum constare universis posset non modò armis superatum, sed omnium præterea suffragijs exsibilatum eum damnatumque.

Interea Canutus excitati in Scaniâ belli nuncio è Iutiâ in Fioniam movens, ibique de victoriâ suorum certior redditus, in Scaniam ovans transijt. Ac ejus primò provinciam *Frostam* (**Frostheret** vulgo) militi in prædam concessit totamque vastasset, nisi precibus Absalonis revocatus ad mitiora animum vertisset. Eo itaque se medium interponente, id effectum est, ut quicunque in regem Haraldicâ factione deliquerant, ære solummodo multati, in gratiam reciperentur. Proximo, qui secutus est, Christi servatoris nostri anno

MCLXXXIII. millesimo centesimo octuagesimo tertio, Haraldus, de quo dicere cœperamus, fato suo functus est, sicuti & Canutus Prebislai Vandalorum Ducis filius, qui patris nomine obses apud Canutum morabatur; Estque Othoniæ apud Fionenses juxta fraternos cineres sepulturæ mandatus.

Hoc eodem circiter tempore Cæsar Barbarossa Canutum regem per literas & legatos amice monet & curiam adire paternamque amicitiam instaurare haud intermittat, aliaq; secunda ac speciosa, quæque parenti olim ejus super Vandalis fuisset pollicitus, in animum revocans. Sed Canutus, consilio suorum usus, postquam modestissimè rescripsisset, excusationemque à regnandi novitate quæsivisset, Cæsar iteratâ scriptione minisque adhibitis, adhortatur eum jussis obsequi. Sed nec istis commotò Canuto, Cæsar præter ceteros (quos inter Brandenburgici fratres cum Episcopo Bremensi fuisse memorantur) Thuringiæ Marchionem Suffridum, qui sororem Canuti Ingertham, de quo ante memoratum, in matrimonio habebat, in Daniam suo nomine ablegat. Qui, ubi advenisset, annum cir-

MCLXXXIV. citer MCLXXXIV, exponit regi, affini suo, quanta ejus ob sororis connubium charitate teneretur, quantis etiam viribus Cæsar esset, & quid ab eo in posterum expectandum quoque ipse haberet: Absalonem verò, Sunonem & Esbernum, quos ut tutores filio pater moriturus constituerat, seorsim admonitos orare cœpit, ne amicorum nomine hostes agendo sibi creditum commendatumque pupillum, annis & consilio adhuc tenerum, bellis involvant; eumque sub titulo tuendæ libertatis regno exuant, sed potius salutaribus illum consilijs formare curæ suæ esse cogitent; Nec turpe putent, aut regno damnosum, si Rex Danorum Canutus Imperatoris Romani Curiæ accenseatur. Respondet Absalon de se haud quaquam dubitandum, si quid utile aut regno profuturum nosset, quin illud suggerere quàm cupidissime foret paratus: nunc autem ità expetendam regi Cæsaris amicitiam judicare, ut quæ suæ interea essent majestatis meminisset: Valdemarum quidem olim, parentem ejus laudatæ memoriæ, Cæsaris partes amicitiamque secutum, sed nihil ejus fide

FREDERICUS BARBAROSSA IMP.

fide aut promissionibus reperisse fallacius. proinde non ignorare Suffridum debere Cæsari Canutoque æquum regnandi jus esse nec minore libertate hunc Danici regni, quàm illum Imperij Romani gubernacula continere. His auditis, indignante Suffrido, verbaq; fastus ac minarum plena fundente. An tu, inquit deinceps Absalon, ex te ipso tuoque territorio de Daniâ conjecturam faciendam postulas? Et eam æquè ac Thuringiam Cæsari patere existimas? Quapropter ito tuoque Imperatori renuncia, Canutum nullo obsequij jure devinciri Frederico. Quâ cordatâ pro Danicâ libertate Absalonis responsione dimissus est cum ceteris Suffridus. Reperioque apud auctores, & præsertim Abbatem Lubecensem Arnoldum, eosdem legatos Canuti sororem, desponsatam Cæsaris filio, in Germaniam tum secum septennem abduxisse, ut ibi sub oculis & curâ parentum futuro marito cresceret atque educaretur: Canutum autem cum permovere non possent, ut Cæsarem agnosceret, tali clausulâ legationem suam signasse, ut manente inter Daniæ regnum ac majestatem Cæsaream certâ ac solida pace, ipsi de cetero, prout affiues deceret, statuerent. Cæsar nihilominus spe Danici obsequij (hominium Abbas Arnoldus appellat) haud penitus abjectâ, cum ipsemet bello petere Regem honeste haud posset, odio prosequi non destitit. Siquidem, capto tempore Bugislaum, quem, mortuo fratre Cazimaro, annum circiter millesimum centesimum octuagesimum quintum, Vandali Ducem appellaverant, promissis ac muneribus inescatum ad arma Danis inferendum sollicitat. Cum autem Bugislaus aperte eos ac palam aggredi formidaret, quo tamen Cæsari morem gereret, primò quæsitis litium causis Iarimari avunculi sui, qui Danis parens Rugiæ erat præfectus, hostem cœpit agere. Eâque de re Canutus per Iarimarum certior factus legatos confestim misit, qui de causâ cognoscerent. Bugislaus, ut hoc telum exiret, negat aut regem aut Daniam à se peti; sed injuriam à Iarimaro illatam repelli testabatur: interea non displicere, ut per utriusque legatos res ad regis cognitionem referatur. Itaque Rex nihil insidiarum aut perfidiæ suspicatus, causę dicendę diem ac locum intra suum regnum decernit. Insula est, quæ medio fere situ inter Selandiam ac Iutiam posita, *Samsea* nominatur; in hanc frequens nobilitatis ac procerum senatus, non hujus tantum negotij explicandi gratia, sed legum etiam civilium emendandarum nomine, convocatus, amborum legatos excepit. Auditisque ac ventilatis singulorum altercationibus, quamvis decidi tum lis illa omnis tollique potuisset, dilata tamen sententia est, quod ipsum Bugislaum, qui unà cum Iarimaro absens erat, quamprimum id regi placitum foret, in rem præsentem venturum, legati adstipularentur. Quorum promissis secure quidem, sed minus caute obsecutus Canutus, dimisso ocius concilio, in proximam Iutiam concessit. Intelligensq; viros regni sui Martios, & qui sub Valdemaro multiplici militiæ genere ac varijs expeditionibus terrâ marique exerciti fuissent, desidis otij tranquillitatem causari, eos acuendæ virtutis ergò in Esthones, qui pagani ac piratæ cum essent, Danos sæpenumero infestabant, classe contractâ, dimittit. Inter quæ Bugislaus, hortante Cæsare, non solum patrijs ac domesticis viribus instructus, sed etiam à finitimis latè præsidia mutuatus, adversus Rugiæ insulanos, qui Danis suberant, navium quinquaginta classem contraxerat. Missoq; deinde ad imperatorem legato, significat tantum sibi adversus Danos collectum exercitum, ut dubitari haud possit, quin viribus & resistendi conatu diffisus Canutus, quàm citissime se Romano imperio sit traditurus. Delectatus promisso Cæsar, laudatoque Bugislai erga Romanum imperium studio, legatum donis ornatum prosequitur. At Iarimarus tam subiti inopinatique belli famâ perculsus, confestim Absaloni, qui tum in Selandia agebat, imminentis periculi magnitudinem denunciat. Qui protinus, publicatis per Selandiam Scaniamq; mandatis, omnem ætatem armis habilem in classem confluere jussit, nobilitati urbiumq; incolis promiscuo corripiendarum navium usu permisso. Eodem Edicti genere & ceteras, quæ Selandiæ contiguæ sunt, insulas in arma convocavit. Canuto ipsi, qui tum adhuc in Iutia rebus illius districtus curabat, loci distantia, quo minus statim accurreret, impedimentum injecit. Properata nihilominus sub festum Pentecostes classis; Quæ & eâdem quoq; die, ne quid segnius aut cunctatius gereretur, ad *Hythim* insulam appellere imperata. Hic Iarimarus cum suis Absaloni obviam factus, significat Bugislaum circa Costam insulam Rugiæ prætextam in anchoris paratum stare; tantâq; epularum ac convivandi indulgentiâ cum ipsum tum exercitum agere, ut comisatum potius quam bellatum advenisse videantur. Absalon vir belli armorumq; jam vetus peritusq;, accepto hoc nuncio, monet suos viriliter rem gerere, & pręsertim ne tumultuarie, sed ordine signorum servato, hostē aggrediantur. Nec alia militum responsio fuit, quàm pugnā se optare, deq;

CANUTUS Rex. A. C.

MCLXXXV.

A a eventu

CANUTUS Rex. A. G.

eventu haud quaquam dubitare quin felix ille ac prosper sibi suisq; esset futurus. Itaq; Absalon ex inopinato ad littus appellens, animadvertit Bugislaum ex adverso *Strelæ* insulæ juxta Rugianos à centum & quinquaginta myoparonibus circuiri, reliquam verò classem veluti in aciem dispositam consistere. Igitur socijs ingenti cohortatione firmatis, primus in hostem ut imperio ità & ductu & navigatione invectus, Bugislaum extemplo ceterosque suâ præsentiâ suoque impetu adeò conterruit, ut summâ cum trepidatione sublatis anchoris continuo classem concitare cœperint. Multi, quorum fugam aut navium magnitudo aut anchorarum subductio impediebat, profundum petendo fluctibus quàm ferro finire vitam maluerunt. Alij in terram exscensione factâ, saltus & paludes perreptavêre, quo hostium manus evaderent. Iarimarus autem ipsum Bugislaum fugientem propius insecutus, eum ut pedem figeret adhortatur, adesse se, quem *atrum horridumque Iarimarum (Garmarum* habet Arnoldus Lubecensis continuator Helmoldi: ubi nonnulli *Germanum*, sed perperam, legerunt & interpretati sunt*)* vocitare erat solitus, quemque vinculis innexum abducturum se jactaverat, sisteret jam gradum manusque consereret. Sed ille celerrime profugiens sibi consulendum potius censuit. „ Verba continuatoris hæc sunt: Germarus post tergum clamavit dicens: quid est ô princeps Bugislae? nonne nigrum & horridum illum Germarum ligare te jactabas? expecta ut servum abducas, quem consortem habere nolebas. At ille fugiens, salvatus est. Sicque humiliatis viribus Slavorum tributoque imperato traditum est castrum Wolgastum in manu Regis Danorum cum obsidibus duodecim. Decem & octo Bugislai navigia multitudine concursuque in se fugientium militum gravata, partim confracta partim mersa, receptis exitio fuêre. Ac demum ex quingentarum navium numero, quinque & triginta elapsis, decem & octo disruptis, ceteræ in potestatem ditionemque Danorum cessêre. Rugianorum quatuor duntaxat, sociorum an hostium telis, perierint incertum habetur. Dani ut à parte suâ dispendium nullum, ità maximum & cruentissimum Slavi fecerunt. Post hæc Absalon, qui ad milites prædam, ad se gloriam redundare speciosum ducebat, rei tam feliciter gestæ famam per *Tachonem*, claro apud Fionios loco natum, unà cum tentorio Bugislai, quod ei, præter cetera, portionis nomine cesserat, perferendum ad regem curavit. Quem Canutus Wiburgi, ubi tum comitia habebantur, gratanter excipiens ac ordine, cunctis præsentibus, initia, progressus ac finem prælij commemorantem audiens, eodem mox hortatore est usus, ut omnium animis novæ classis educendæ ardor curaque ingereretur.

At Cæsar, tantæ cladis nuncio recepto, postquam Absalonis præcipue ductu rem gestam accepit, omnem non solum obtinendæ Daniæ spem, verum etiam attentandæ fiduciam seposuit, ægre sibi esse haud obscurè significans quia suarum partium quod fuerat, id alij exsequendum credidisset. Eandem victoriam suam Absalon apud Byzantinos, ubi tum *Isacius Angelus* imperium moderabatur, incredibili famæ velocitate vulgatam, postmodum ab equitibus suis, tum temporis ibi stipendia facientibus, accepit. Hinc ad Wologasti obsidionem versi, quamvis Peni amnis ostium grandibus saxis Slavi opplevissent, tamen omnia egerunt Dani: oppidanosque infinitis cladibus affectos eousque, accedente postremum regio exercitu, fatigarunt, ut non Walogastum modò, sed Iulinum insuper, & Osna Caminumque, & quæcunque in proximo erant, agrestium prædia ac vici Danis in prædam cesserint.

Inde Rex autumno domi transacto, duodecim millibus è Rugia contractis, *Tribusanam* provinciam ditioni suæ parentem peragrat. Ac mox devexas *Circipanensium* paludes, paternæ militiæ exemplo, permensus ad urbem Lubekincam pervenit. Quam dum præterit, Diminum petens, in vicum hominibus refertum incidit, qui convivijs & poculis ità secure indulgebant, ac si bellum nuspiam, nec ullus ad portas Hannibal esset: adeo ut indicio fuerint, maximo ibi omnes luxu atque intemperantiâ egisse pacis tempore, qui ne hoste quidem liminibus imminente ab ebrietatis atque epulandi illecebris abstinere potuerint. Mox in prædam se effundens miles, postquam vastas direptionibus atque incendijs solitudines fecisset, ad regem redijt. Qui propter Lubinum pernoctatione habita, exustis circumquaque vicis, naves conscendit, ac proximum Peno amni portum intravit. Ubi adversa aliquandiu tempestate detentus, Bugislaum pacem à se per legatos petentem reppulit, quamquam deficiente paulatim commeatu remittere expeditionem cogeretur.

MCLXXXVI. Extractis deinde domi hibernis, per Zuinam amnem instructa cum classe regressus

Grotzvinam

Grotzvinam eique ſubjectos agros devaſtat. Cujus provinciæ præda parum ſatiatos Pomeranicarum opum fama ad ſe irritat, quę ut eximię, ità intactę prędicabantur. Et licet vię aſperitas aliaque incommoda ab ea profectione deterrerent, imbellis tamen populus ac regio urbium armorumque inops magis magiſque ad audendum animos inflammabant. Sed dum iter faciunt, pabulo parum ſuppetente, nec equi tantum, ſed pedites quoque longi itineris labore feſſi deficere incipiebant. Quapropter è re viſum verſoriam capere, atque inde claſſe Iulinum regredi. Illic Rex adoriendi per inſidias Camini occaſionem nactus, etiam cepiſſet, niſi Scanienſes ac Selandi, imprudentius ſuſcitato incendio, incolas ad excubias majore cura agendas excitaſſent. Hic Bugiſlaus, qui eodem forte opido morabatur, Danorum paucitatem irrumpendam ratus, Eſberno, qui rei militaris callentiſſimus habebatur, de induſtria, quo longius ab urbe hoſtem evocaret, cedendum monente, diu terga præbentibus inſtitit. Ad poſtremum videns Eſbernus, Bugiſlaum, intellectis inſidijs, ſuos revocare, ſigna ad hoſtem reflexit effecitque ut ipſe Bugiſlaus caballo delapſus, pavidus intra vallum ſe reciperet. Hinc Dani, atque inter ceteros Alexander, Abſalonis è ſorore filius, proxime inſecutus illatoque portis ſigno, neminem à quo repelleretur, invenit. Nec diu cum reliquo milite moratus Rex propter muros equo deſcendit ut, omnibus luſtratis, urbem obſidione circumvallaret. Quod dum fit, progreſſi in regis occurſum ſacerdotes alijque monaſtici ordinis, qui, ut urbi ac ſacris religione ædibus parceret, ſubmiſsè precabatur. Adjectumque ab ijſdem Bugiſlaum regis conveniendi & de pace agendi locum ac tempus poſtulare. Reſponſum à Canuto homines ſibi, non Deum inceſſendi propoſitum eſſe. Itaque precibus eorum iram remittens urbis tecta inviolata reliquit. Bugiſlaus deinde Abſalonem & Iarimarum adit eoſque honorifice ſalutatos rogat, ut ſe ſuam vicem faciendæ cum rege pacis medios interponere haud graventur. Sed Abſalon fucoſe potius quàm ſincere Bugiſlaum agere credens reſtare adhuc agros villaſque circumjacentes reſpondit militi in prædam concedendas; ne temere tantum iter ſuſceptum & ſibi blandis ſolummodo promiſſis ſatisfactum objiceretur. Dux nihil à ſe extra municipij pomæria poſſideri profeſſus, ſacris interim domicilijs & eorum gratia vicinis tectis ut abſtineretur, oravit. Quod ei cum eſſet indultum, reliquum diei vicorum villarumque deprædationibus atque incendijs abſumptum eſt. Bugiſlaus præſentia mala & quæ porro imminere pericula videbantur, ſecum reputans, accepto revertendi tempore, Abſalone & Iarimaro dextras præbentibus, ad regem perducitur. Nec alias pacis conditiones aſſequi potuit, quàm ut ingentis ſummæ pecuniam multæ nomine pactus, Vandalorum procurationem non ut ſibi hæreditariam, ſed è manu regis jure beneficij ſuſciperet ac in modum, ut hactenus Rugiani, Regi ac regno vectigalis obſtrictuſque teneretur. Hanc pactionem, quo certior eſſet, obſidibus ſe firmaturum, poſtquam eſſet pollicitus, ſeceſſit; eorundem in regreſſu, quos accedendi duces habuerat, comitatu honeſtatus. Ne autem officiorum omnino expers dimitteretur, ab Abſalone cum amicis convivio exceptus, dum ſe liberalius invitat, adeò ſenſum vireſque exuit, ut vix mente conſtaret. Quapropter è navi in tentorium delato, quadraginta armatos ante tabernaculi fores aſſiſtere eique cuſtodiendo operam dare Abſalon imperavit. Quo beneficio obligatus Bugiſlaus Danorum humanitatem ac fidem apud Slavos extollendo, debitam Abſaloni gratiam retulit, plus nimirum ex perceptâ Abſalonis beneficentiâ voluptatis, quam amaritudinis ex patriæ jacturâ ſentire ſe teſtatus: Poſtero die, Slavicæ nobilitatis proceribus adductis, cum conjuge & liberis ad pedes regis ſuppliciter flexis genibus procumbens veniam diutinæ rebellionis precatus eſt: Obſidibuſque ex parte datis, ex parte promiſſis, aviti paternique Ducatus præfecturam beneficij loco ſuſcipere haud recuſavit. Rex poſtremò miſeratione tanti principis, tum & maternâ erga filios ejus neceſſitudine permotus, ſatis jam ſibi pœnarum dediſſe exiſtimavit, ac ſimul humi jacentem erexit. Atque ità Slavicarum rerum dominium, quod aſſiduis Valdemari laboribus in plenum fuit negatum, hiſce paucis aliquot Canuti expeditionibus contributum eſt. Bugiſlaus quoque vel eo nomine commendandus, quod inviolabili erga Danos fide ad ultimum uſque vitæ ſpiritum perſiſtens, cum jam in lectulo moriturus laberetur, jurejurando amicos obſtrinxiſſe memoratur, ut regem inter pupillos dividendi territorij ſui authorem haberent, & quod is ſtatuiſſet perinde ac teſtamento cautum cuſtodirent, nihil de Danorum ingenuitate hæſitare ſe teſtatus, quorum egregia toties experimenta ſuſcepiſſet.

Circa hunc, qui ſequitur, annum hiſtoriam ſuam finit Saxo.

CANUTUS Rex. A. C. MCLXXXVII.

Poſt hæc Abſalon, cum animadvertiſſet ob varios ſacerdotum ex varijs Europæ partibus in has oras affluxus, diverſimodè ac variè divina, ut vocabant, officia celebrari, indictâ per univerſam Daniam, habitâque ſub annum milleſimum centeſimum octuageſimum ſeptimum, generali ſynodo, id inter cetera, facto decreto, obtinuit, ut unæ eædemque in omnibus per totum regnum parochijs ceremoniæ ijdemque cantus haberentur. Unde & certas formulas, ſeu, ut tum appellabant, Breviaria deſcribi curavit, ut clerici & quicunq; eccleſijs erant præpoſiti, ſacra ſua ac pſalmodias, ſecundum eorundem præſcriptum, conformarent. Atque ità diſſonos ceremoniarum ritus, & quidquid adhuc hiulcum aut inconditum ſupereſſet, ab eccleſijs exulare omniaque ad uniformem atque æquabilem rationem paulatim reduxit. Huic ſynedrio, præter *Abſalonem*, alioſque inſignes eruditione viros, interfuiſſe reperio Wiburgenſium antiſtitem *Nicolaum* unà cum eccleſiæ ejuſdem præpoſito *Suenone*: Arhuſienſes, excepto Suenone epiſcopo, *Eſbernum* præterea & *Thomam* tranſmiſerant, legis divinæ præcones fideliſſimos: Ripis *Homerus* acceſſerat eique aſſociati *Rodolphus* & *Thomas*: Borglonienſes *Trudonem* conceſſerant cum *Agone* & *Iohanne* Canonicis; Othonia epiſcopum *Iohannem*, cui aderant viri duo non minus pietate quàm doctrinâ tum celebres *Petrus* & *Godefredus*: Sleſvico advenerat *Valdemarus* non ſine eruditorum aliorumque eccleſiæ præpoſitorum inſigni comitatu: Roſchildia nec non Lundenſes, quibus utriſque tum Abſalon, illi quidem ut epiſcopus, hiſce verò ut ſummus pontifex præerat, *Abrahamum* & *Albertum* preſbyteros ablegarant; itemque archidiaconum *Suenonem* & *Andream* diaconum, unà cum verbi divini paſtore *Martino*: Nec defuêre officio ſuo Dalbyenſes, qui *Iohannem* & *Benedictum* preſbyteros ſubmiſerant, viros omnes ut eo ſeculo regni totius celeberrimos, ità quoque ſanctiſſimos doctiſſimoſque. Vpſalenſis archiepiſcopus *Iohannes* ab Eſthijs gentilibus trucidatus tum traditur mandatuſque ſepulturæ Upſaliæ.

Obierat inter hæc Pomeraniæ Dux *Bugiſlaus*, relictis duobus filijs Caſimaro & Bugiſlao ejus nominis ſecundo: Hi pace invicem ſtabilitâ, è Theutonia Saxones alioſque Germanicæ gentis ad ſe evocarunt, quibus maximis conceſſis immunitatibus, permiſerunt agros excolere & novas urbes condere. Quin &, latâ lege, Vandalos ſive, ut alij nominant, Slavos ab omnibus publicis munijs ac dignitatibus eximendos voluerunt. Eaque occaſione Slavi, verſo pedetentim ſolo tranſlatiſque colonijs, ad extimos uſque Pomeranorum commigrarunt. Inter opida, quæ anno ſtatim ſequenti de novo & è fundamentis apud Pomeranos excitari à Theutonibus cæpta, memorantur, *Gulnovia*, *Vreheda*, *Anclamum*, *Vkermunda*, *Pemkovia*, *Bruſovia*, itemque in extremis Pomeranis *Slothovia*, *Cotwizium*, *Coſlinum* aliaque. Utrique autem Bugiſlai filiorum tutor datus Iarimarus Rugiæ princeps; qui, ut ante memoratum, clientelari ſacramento Danis regique Canuto erat devinctus.

MCLXXXVIII.

Inter Cæſarem & regem eodem hoc anno lis orta, quæ multorum malorum occaſionem præbuit. Cæſar ſiquidem, miſſis ad Canutum oratoribus, eum ad ſolemnia nuptiarum, quas filio ſuo Henrico Suevorum Duci ejuſque ſponſæ Canuti ſorori, de quâ ante memoratum, parabat, honorifice invitat, exigens ſimul alteram dotis partem, à Valdemaro quidem promiſſam, ſed tum nondum perſolutam. Canutus aliud agi ſuſpicatus, nec ignarus, quomodo olim & quibus blanditijs parentem ſuũ ineſcaſſet, & nuper quoq; in ſe Pomeraniæ ſatrapam Bugiſlaum concitaſſet, & nunc etiam in exilium ejeciſſet ſocerũ ſuum Henricum Leonem, reſpondit, nec integrum eſſe ſibi, nec regni negotia permittere ut regno excedat. Interim quod ad nuptias celebrandas attineret, ipſi libenter annuere; ſed de mittendâ, quæ reſtaret, dotis ſummâ nihil ante conſummata nuptiarum ſolemnia poſſe ſtatuere, nec exiſtimare ad id præſtandum ſe teneri: Cæſari nihilominus liberum etiamnum relinqui nuptiarum contractum aut exſequi aut reſcindere. Hoc reſponſo offenſus Cæſar, intactam & eodem, quo ad ſe ſeptennis acceſſerat, cultu & comitatu exornatam ſponſam fratri domum remiſit; repudij occaſionem non quidem ex eo arripiens, quaſi aut ſponſo aut ſibi deſpectui virgo fuiſſet, ſed quod Rex Canutus, frater ejus germanus, Romanæ curiæ accenſeri imperiumque agnoſcere detrectaret; & Vandalos etiam ſuo ſubjectos dominio ac dicto audientes retineret. Ludovicus quoque Thuringiæ princeps, filius ſororis ejuſdem Frederici Imperatoris, qui repudiatâ priore, quam duxerat, conjuge ob ſanguinis, ut ferebat, propinquitatem, paulo ante in uxorem acceperat Canuti regis matrem Sophiam: Hanc, ut Cæſari gratificaretur, referunt annales, facto divortio, à ſe ſimiliter dimiſiſſe. quamvis & ſint, qui Canuti velint non matrem, ſed

ſororem

sororem fuisse; quæ, ut supra, sequuti Saxonem, meminimus, non Ludovico, sed Suffrido Marchioni nupserat, &, ut habent epistolæ S. Wilhelmi, utraque exinde, superior nimirum, quæ Cæsaris filio erat nuptura, & hæc Suffridi, in Cœnobio Virginum, quod D. Mariæ apud Roschildenses erat dicatum, vitam monasticam transegerit. At nos, quod ad alteram sententiam, Arnoldi Abbatis Lubecensis, qui Helmoldum continuavit, mentem & pæne verba expressimus, quem & Crantzium, libro VI Daniæ suæ, secutum reperio. Addit præterea idem Abbas, reversam è Germaniâ Sophiam de injuriâ sibi à Ludovico variè illatâ querimonias apud filium instituisse: Eâque occasione magis magisque in Cæsarem & Theutones exstimulatum regem Canutum; Atque ità belli utrimque enata semina: Et statim Canutum Wagrorum, Holsatorum atque Polabrorum, ceterasque in vicino ditiones igne ac ferro vastari jussisse.

Eodem temporis tractu, VII, ut habent chronographi, Cal. Augusti, frater Canuti Dux Valdemarus militiæ insignibus Roschildiæ exornatus, Ducatum Slesvicensem, nomine regis, suo imperio moderandum suscepit. Tum etiam Kilianus, præpositus olim ecclesię Viburgensis, natus apud Cimbros Randershusij, defunctus anno 1151. 5. Cal. Octob. à Clemente III Pontifice Romano, novâ apotheosi inter divos relatus est. Funestus autem ac fatalis annus fuit Ebboni Sunonis, qui Absalonem sanguine contingens frater erat Torberni & Andreæ Sunonis, postea, ut referetur inferius, ad summas dignitates inque locum Absalonis evecti. Anno Christi, qui secutus est, post millesimum centesimum octuagesimo nono, publice per universam Germaniam indicta religionis ergo sacra militia, ad recuperandum scilicet, quam biennio ante Saladinus occupaverat, Palęstinam. MCLXXXIX. Hujus rei gratia celebrata Magunciaci comitia, quibus interfuêre, preter imperatorem, principes fere omnes aut eorum nomine, quaqua patebat Christianus orbis, legati. Horum tessera (Cruciatam vulgò vocabant) in armis vestibusq; depicta hujusmodi characterem habuit ‡: Quam nec Cęsar ipse, chlamydi inscriptam, ostentare erubuit: quod eo veluti symbolo, Iesum Christum, dominum crucifixum, toti terrarum orbi pręesse debere significatum cuperent. Dimissi etiam passim viri docti ac facundiâ clari; quos inter Gulielmus, Tyri antistes, celebratur, qui commemorato laudabili ac sæpe repetito majorum exemplo, tum & Pontificum indulgentiâ prędicatâ, multis ad eadem sequenda signa, receptâ, quam dixi, crucis tesserâ, animos addiderunt. Cęsar pręterea, cum animadverteret non defuturos, qui turbas fortasse ac res novas, se absente, molirentur, omnia quę ad pacem retinendam viderentur necessaria, quantum in se erat, ante suum discessum providere ac constituere curę habuit: Pręsertim verò, quia certamina inter Germaniæ principes commoverat Henrici Leonis proscriptio, & Daniæ quoque regem, utpote Leonis generum, haud leviter eadem exasperarat, hæc ut sopirentur, Leonem ab exilio revocavit; atque eidem, intercessione soceri ipsius Anglorum regis, quanquam pristinas dignitates non concederet, partem interea ditionum ereptarum, ut sunt quæ hodie Ducum Brunsvicensium & Luneburgensium censentur, clementer reddidit: prius tamen sponsione ab eo acceptâ, quâ se pacem sequuturum pollicebatur. Quin & eidem, si sacram hanc militiam profiteri & Palæstinam petere, idque non suis sed publicis impensis, animus esset; sibi id quoque placere Cæsar significavit. Verum Henricus post longas fortunæ jactationes jam aliâ se mente esse, & domi pacis ac quietis studia colere constitutum sibi respondit.

Romanus verò pontifex Clemens ejus nominis III, missâ seorsim ad Canutum in Daniam legatione, de auxilio mari submittendo ijsdem in Asia laborantibus rebus regem cohortatus est. Et referunt Chronographi Danos tum, unà cum Frisonibus & Flandris, navium quinquaginta trium classem in subsidium confestim expedivisse. Quæ exinde classis, postquam oram solvisset, vi tempestatum in portum Olissiponensem delata tam insignem Sanctio Portugalensium Regi operam navavit; ut civitas Silvensis à jugo Saracenorum liberata ipsius tum accesserit imperio. Ità autem cum classis præfectis convenerat Sanctius, ut ipsis præda, sibi opidum cederet. Cæsar quoque cum Canuto, qui Magunciaci comitijs non interfuerat, ità per legatos & literas transegit; ut ipso, interea dum in Asia bellum administrat, pacato uteretur. His domi constitutis, Imperator copias, quas ipse contraxerat, veterano præsertim milite præstantissimas, magnâ celeritate emensus Bulgariam ac Thraciam, Byzantium duxit, ut inde trajiceret in Asiam. Huic etiam expeditioni Richardus Angliæ & Philippus Galliarum reges, quanquam tardius suas tamen symbolas, contractâ numerosâ classe, adjicere seque præsentes sistere haud-

Aa iij

CANUTUS Rex. A. C.

haudquaquam dubitarunt. Adolphus Holſatiæ Comes Cæſarem ipſum cum milite ſuo ſecutus, priuſquam Germaniâ egrederetur, apud Imperatorem, Hamburgenſium nomine, obtinuit, ne quod propugnaculum intra duorum milliarium ſpacium urbi eorum propinquum locaretur; ne etiam vectigalibus aut alijs teloniorum oneribus apud Holſatos aut Stormarios gravarentur, & denique ut immunes ab auxilijs externo bello ſuppeditandis haberentur, quò in omnem eventum ad Holſatiæ Stormariæque defenſionem promptiores accurrerent.

Fridericus autem ſuis cum copijs in mediam progreſſus Aſiam primò Turcas ad Iconium Lycaoniæ tribus ingentibus prælijs fudit ac fugavit: Ijque ſucceſſus tam ſubitam pepererunt rerum in Aſiâ inclinationem, tantumque incuſſerunt Saladino terrorem, ut rebus deſperatis munitarum urbium dejiceret propugnacula, ac demoliretur arces, deque Aſiâ relinquendâ conſilium caperet. Fridericus enim victricibus ſignis ad ulteriora pervadens mox Ciliciam ei eripuit, Saracenorum circumquaque deletis copijs. Alibi ad littus Rex Angliæ, & qui claſſibus è Daniâ ac oris vicinis acceſſerant, multas eidem urbes ademerunt. Et potuiſſent tunc penitus extingui aut certe ex Syria & Ægypto propelli Saraceni & Turcæ, ſi diutius rebus ſuperfuiſſet Fredericus. Sed fata urgebant Aſiam, & tantum imperatorem Europæ invidebant. De cujus exceſſu non omnium una ſententia eſt. Alij referunt, poſtquam, recuperatâ Cilicia, Saladinum ex Armenia minore rejeciſſet, æſtu ac labore defatigatum ſui refocillandi gratia in flumen, quod *Salephum* aut *Saram* incolæ vocabant, deſcendiſſe, atq; ibi abreptum undarum vorticibus perijſſe: Alij Ciliciæ hoc flumen *Cydnum* veteribus dictum volunt, & eſſe id ipſum, in quo Alexander Magnus, dum æſtivo tempore lavando delitiatur, tremore & convulſionibus correptus traditur, ac ſimili modo Oenobarbum affectum interijſſe. Heroldus, qui hiſtoriam belli ſacri à Tyrio ceptam pertexuit, non lavandi cauſsâ flumē ingreſſum dicit, ſed dum hoſtem inſequitur, aut cedenti inſtat, fluvium jam dictum tranſmittere conatum, & offendente equo, ætate jam gravem ephippio excuſſum ac ſtapedi inhærentem, dum equus ad citimam ripam revertitur, aquis ità ſuffuſum, ut inter manus ſuorum ſublatus reſpirare quidem paulum cæperit, ſed mox oculis in cœlum ſublatis exſpirarit. Cui narrationi accedere videtur, quod habet Stadenſis Abbas, qui ſimpliciter præfocatum refert, & mox recepto nonnihil ſpiritu proclamaſſe ac ſummum laudaſſe numen, quod aqua eum cepiſſet, quę regenerarat, ac martyrem faceret, quę fecerat Chriſtianum: atque inde animam confeſtim cœlo reddidiſſe.

Hic exitus fuit maximi Imperatorum Friderici Oenobarbi, vulgo Barbaroſſę nominati, cum annum ætatis ageret ſeptuageſimum, imperaſſet verò octo & triginta. Cujus animi ac conſiliorum magnitudo, fides, conſtantia, moderatio, pietas adeò eximiæ fuerunt, ut nulla earum aliarumque virtutum, quæ in ſummum Imperatorem atque optimum principem poſſunt cadere, ei defuiſſe videantur. Tantus itaq; vir, tantis rebus geſtis, in ipſo victoriæ curſu indigniſſimâ abreptus morte, eſſe exemplo queat, quod nos de humanis miſerijs deque fragilitate mortalium perpetuo commonefaciat. Felicitati interim ejuſdem hoc adſcribi meretur, quod & domi profligatis hoſtibus, diuturnæ pacis atque optimi ſtatus author fuerit, & non extinctus ſit niſi Saladino jam fracto & Aſiâ propemodum periculo liberatâ. Curam quoque ei ac cultum fuiſſe doctrinæ bonarumque artium, teſtantur latæ ab eo leges & inter eruditos Gunterus poëta Ligur, qui ipſi Mediolanum obſidenti adfuit, ut olim Scipioni ſeniori Ennius, juniori ad Carthaginem Polybius. Extatque inſigne elogium quod illi Nicetas Coniates tribuit, ſcriptor Græcus, & eodem hoc ævo clarus. Cadaver Tyri conditum, faciente magnifice funus Frederico filio; qui mole belli in ſe tranſlatâ poſt obitum patris Antiochiam præſidio firmavit, aliaq; præclare exſecutus, poſtquā exercitum ad Ptolemaidē oppugnandā, quâ & potiti ſunt, adduxiſſet, peſte extinctus eſt. Quibus ducibus orbatus exercitus, tum & regibus Galliarum & Angliæ domum digreſſis, magna ex parte vel inediâ vel alijs incommodis diffluxit exinde ac perijt.

Supra in rebus Valdemari, ubi de Henrico Leone ejuſque proſcriptione retulimus, indicatum fuit Adolphum Holſatum, archiepiſcopo Bremenſi militantem, Ditmarſos armis eidem ſubegiſſe, ſed poſtmodum cum ſtipendio ſolvendo epiſcopus non eſſet, Ditmarſiam, quam vicerat, ſibi Adolphum vindicaſſe. Hi Ditmarſi, captâ hoc tempore, ex abſentiâ Adolphi, occaſione, qui, ut diximus, cum imperatore in Palæſtinam conceſſerat, ad Sleſvicenſem Danici regni diœceſim, cui tum præerat Valdemarus epiſcopus, ſuâ ſponte defecerunt manſeruntque in fide Danorum ad annum 1226. Commiſerat verò idem

Canutus Rex.

idem Adolphus, dum in Asiâ adversus Saladinum res gerit, non tantum Hamburgensibus, de quibus meminimus modò, Comitatus sui curam ac defensionem, sed præcipue cognomini & affini suo Adolpho, Dassensium Comiti, universam ditionum suarum gubernationem in manus quasi tradiderat: Verum Henricus non neglectâ rei gerendæ opportunitate, licet Imperatori in Palæstinam discedenti aliud pollicitus fuisset, haud tamen conquiescere potuit. Acceptis etenim ab episcopo Bremensi Hartvico auxiliaribus copijs, aliorumque amicorum subsidijs, inter alia, Hamburgum ac Bardevicum omnium primo expugnavit. Inde Holsatiæ Vagrorumque fines penitius ingressus, Lubecam quoque suæ potestatis fecit. Nec diu moratus, sed occasione rerum tam prospere fluentium usus, universam Holsatiam Stormariamque sibi postliminio parentem reddidit; exacto, quem ut gubernatorem earum provinciarum Adolphus constituerat, Dassensium Comite. Hanc vero operam Bremensium episcopum haud invitum Leoni commodasse vel ideò constat, quod speraret ejus vicissim auxilio recuperaturum se, de qua jam modò memoravimus, Ditmarsorum ditionem. Dux autem Henricus, cum totam jam Holsatiam Stormariamque teneret, sola supererat Segeberga. Sed eam obsidione ab Henrico circumcinctam Holsati liberarunt. In quibus viri per id tempus nobilissimi Eggonis Sturij ejusq; consanguineorum operam ac studia haud tralaticie celebrant annales Holsatię. Et ipse deinde Adolphus, Dassensium Comes, congressus prope Lubecam cum Leonis præcipuis copijs, quibus præfecti erant Gerhardus Rassenburgius itemque Helmoldus & Iordanus Suerinensium Comites, omnium victor evasit, fusis ac fugatis non modò eorum cohortibus, sed & captis, præter ceteros, Iordano Helmoldoque Comitibus. Quos exinde non nisi gravissimo ære redemptos, quòd dites ac pecuniosi essent, liberos dimisit. Hinc Dassensis magnis itineribus ad Henricum VI Romanorum regem, filium Frederici, qui anno eodem ad dignitatem imperatoriam fuerat provectus, contendit: Eique rem omnem aperiens demonstrabat Henricum Leonem contra datam Imperatori fidem, motis armis, præter alia Holsatiam Stormariamque occupasse, quas olim Fredericus Imp. laudatæ memoriæ parens ejus, Henrico Leoni proscripto ademptas Adolpho Schouvenburgico possidendas concesserat; petere idcirco ut adversus vim & grassationes Henrici Adolphum tueatur ejusque absentis patrocinium suscipiat. Imperator confestim causam totam ipsumque Dassensem Comitem Bernardo Saxonum Duci per literas commendat; ac seriò petit ut ipse ceteriq; contermini principes Adolpho Dassensium Comiti adesse, & eum re consilioque juvare velint, quo tandem in bona ac possessiones affinis sui, quæ jure tutorio administrabat, reponeretur. Et ipse demum Adolphus Holsatus, postquam ad eum in Palæstinam allatus esset nuncius de Henrici molitionibus, Holsatiam nimirum Stormariamque ab eo occupatas, extemplo amicorum hortatu ac suasu, relictâ Palæstinâ, in Germaniam redijt. Salutatoque Imperatore, ei injurias ac turbas, quas se absente, posthabitis pactis omnibus, Dux Henricus dedisset, pluribus exponit. Cæsar Adolphum benignè affatus operam se daturum prolixe pollicetur ut ipse tandem in integrum restitutus ditiones ac comitatus per vim ereptos recipiat. Anno, qui secutus est, obijt Premislaus Vandalorum satrapa. Hujus filius Burevinus, qui aliàs quoque Henricus est appellatus, ejusque fratruelis Nicolotus, Warcelao natus, uterque Vandaliæ partem, post obitum parentum accepit. Ille orientalibus, hic occidnis & ei districtui, qui nunc Megapolis appellatur, imperitabat. Hi dum bellis intestinis conflictantur, & alius Ducem Saxoniæ Bernardum ac Rugiæ dynastam Iarimarum; alius verò, Burevinus scilicet, Bugislaum Pomeraniæ principem adjutorem sibi adsciscit; factum ut Burevinus, dum Rugiam deprædationibus vexat, à Iarimaro caperetur; captusque ad Regem Canutum, cui tum, ut ante memoratum, parebat Rugia, transmitteretur. Niclotus etiam, qui capto jam Burevino, rem se factam habere existimabat, avide magis quàm caute Pomeranos aggressus incidit similiter in manus Bugislai, Ducis Pomeraniæ. Apud quem in vinculis tam diu hæsit, dum res ad compositionem deducta, per regem Danorum Canutum, qui causæ totius arbiter electus fuit, ità dirimeretur, ut Nicloto Rostochium cum terrâ Kissinorum, Burevino verò Iloum & Megapolis cederent: Uterque autem eas ditiones à rege Danorum Vandalorumque Canuto se accipere ejusque beneficio ijsdem uti ac frui profiteretur, eodem scilicet modo & more, quo Pomeraniam Bugislaus, & Rugiam Iarimarus à Rege accepissent. Quibus statutis, dati ad rei majorem fidem obsides viginti quatuor. quos inter & Burevini filius fuisse memoratur.

MCXC. (margin, beside "qui anno eodem ad dignitatem imperatoriam fuerat provectus")

MCXCI. (margin, beside "Anno, qui secutus est, obijt Premislaus")

Eodem hoc tempore Petrus Sunonis episcopus Roschildensis declaratus est, postquam con-

CANUTUS Rex. A. C.

MCXCII.

conſanguineus ejus Abſalon eo ſe munere abdicaſſet. Tum etiam à Cæleſtino Pontifice Ordo Theutonum ſacrique milites ſolemniter inaugurati, conſtituto primo eorum magiſtro *Henrico Valpoto*. Ex horum ſodalitio orti poſtmodum, qui comparatâ magnâ ſuorum manu Livoniam armis domuerunt; ac gentem legibus diſciplinâ manſuefactam ad Chriſti religionem primi traducere anniſi fuerunt. Poſt hæc Henricus Leo, cum adhuc omnia, & urbes præſertim munitiſſimas Hamburgum, Stadam, Luneburgum aliaſq; ſibi retineret, tum & Burevinum, generum ſuum, jam recens à rege Canuto dimiſſum, conterminum atque auxiliarem accepiſſet, nulla jam amplius Adolpho ſua redipiſcendi occaſio aut ſpes ſupereſſe videbatur; niſi ope & copijs vicinorum principum adjuvaretur. Quapropter Bernardum Saxoniæ Ducem ejuſque fratrem Othonem, Marchionis Brandenburgici titulo celebrem, accedens, eorum primum armis, volente imperatore, Ertheburgum introductus eſt; atque inde junctis aliorum auxilijs Holſatiam quoque recepit, annum circiter Chriſti milleſimum centeſimum nonageſimum ſecundum. Mox idem, adſcito ſibi juniore Comite Bernardo Razeburgico, Lubecam duplici admoto exercitu cæpit obſidione premere. Erat urbi vice Leonis præfectus Luitgerus Bergenſis, vir militaris ac ſtrenuus. Qui, licet opidum utrimque jam terra cinctum videret, flocci id tamen fecit, dum itus redituſque per Travæ amnem pateret. Itaque ut eam quoque viam ipſis præcluderet Adolphus, magno labore maximiſque impendijs os fluminis, qua ſe in Balthicum mare effundit, trabibus fundo impactis obſtruxit, ultimaque obſeſſos penuria affecit. Interea autem dum id agitur, ipſe in Daniam profectus Canutum regem ſalutavit, maximaſque eidem gratias reddidit, quod ſe abſente, nihil adverſus ſuos à parte Danorum infeſti fuiſſet attentatum, pro tempore interim ſilentio præteriens Dithmarſorum ad Sleſvicenſes, Danici territorij diœceſiu, defectionem, cujus meminimus ſupra. Henricus autem videns firmari indies amicis ac novis copijs Adolphum, Lubecenſes verò ad extrema paulatim redigi, contraxit extemplo per Conradum de Rothe exercitum, cui & Bernardus, Comes Ratzeburgius ſenior, pater junioris, qui à partibus Adolphi ſtabat, ſe conjunxerat. Hic ubi forte filio cum novo exercitu factus eſt obviam, ſignis infeſtiſſimis inter utrumque concurſum eſt. Sed pater victoriâ potitus ingreſſuſque cum equitibus quadringentis urbem ovans, animum opidanis addidit, ut facta continuo excurſione, caſtra quoque filij Bernardi diripereut amplaque in urbem ſpolia reportarent. Eoq; ſucceſſu excitati die poſtero magnâ cum manu, ducibus Conrado & Bernardo, urbe iterum excedunt, arbitrantes ſe Holſatos quoque in totum propulſuros. Sed illi recentibus non ità pridem, à rege Danorum ſubmiſſis manipulis ſuccenturiati, opidanos urbem repetere coegerunt. Atque inde Bernardus Iunior, reparatis quàm celerrime copijs, caſtra quoque ſua, eodem, quo prius, loco, metatus, acerrime urgere obſeſſos de novo cæpit. Obſeſſique animadvertentes deficere paulatim commeatum, nec, qui ad manus erat univerſæ ſuffecturum multitudini maximeque equitatui, qui intra urbem numeroſus habebatur, facile ſecum reputantes, eruptionem à parte urbis boreali de nocte tentandam ſtatuunt. Sed eâ urbis parte, dum fluviolo (*Wochnize* Arnoldo Lubecenſi dicitur) tranſmittendo incumbunt, ſupervenit extemplo filius Bernardus, qui fuſis ac fugatis fere univerſis, vivos quàm plurimos cepit, quos inter & ipſe Bernardus, parens ejus cenſebatur. quo dimiſſo, ceteros fere omnes Segebergam ad Comitem Adolphum, qui ibi valetudinarius agebat, vinctos tranſmiſit. Adolphus, accepto tam læto nuncio, ex morbo quodammodo recreatus de Stadâ in ſuam quoque poteſtatem redigendâ cogitationem inſtituit; uſus præſertim occaſione Stadenſium quorundam, quos ſecum ipſius miles captivos adduxerat. Hi enim, cum ſpem & modum Adolpho oſtendiſſent urbis potiundæ, militibus, qui eos ceperant, lutrum perſolvi eorum nomine curavit, quo ſibi addictiores haberet: Nec defuit conſilio ſucceſſus. Nam miſſo extemplo ad urbem milite, excitatoque, ut ſolet, inter cives, Panico motu, opidum ac totum denique comitatum deditione accepit. Lubecenſes verò, acceptâ Stadenſium defectione, & jam extremâ inediâ fatigati, tandem & ipſi coacti fuêre ſe quoque Adolpho dedere; ſervatis interim, quibus antiquitus ſemper gaviſi fuerant, immunitatibus. Receptâ Lubecâ, Adolphus læte agere, & ad ulteriora cogitationes mittere. Henricus verò dejecto jam animo, ſpem quaſi omnem cæpit deponere recuperandæ in poſterum dignitatis; tum & ætate provectiore agens, ac ſerio demum quietem reſpiciens Brunſvigam abijt, ac ibi, quod erat vitæ reliquum, pacate tranſegit. Epiſcopus quoque Bremenſis Hartwicus II, qui, ut memoravimus, Henrico re conſilioque pro virili adfuerat, bonis ac poſſeſſionibus ab Holſato deturbatus inque Angliam digreſſus,

digressus, eam exilij sedem habuit. Nec parcitum ipsi nobilitati Holsaticæ, multique ex proceribus, qui Leonem fuerant sequuti, in Daniam ad Regem Canutum, alij ad Valdematum Slesvicensium Ducem, Canuti regis fratrem, Adolphi iram declinantes, secessêre. Quos inter *Marquardus* & *Emmo à Wolden* alijque præcipue nobilitatis memorantur. Dux verò Saxoniæ Bernardus, animadvertens Adolphum ex territorijs Leonis, quæ Cæsaris indultu acceperat, sumere animos ac superbire, sibi ea potius, ut Duci Saxoniæ, competere existimavit. Quapropter universum Ratecoviæ districtum, qui olim ejusdem Leonis fuerat, nec non & Oldesloam suæ potestatis fecit; idem & de Lubeca in animum inducens. Sed Imperator Henricus è re fore intelligens ut Lubeca, quæ esset in extremo imperij limite collocata, quæque annuatim certum Cæsari censum penderet, imperij civitas permaneret, Bernardo in gratiam bene strenueque pro imperio navatæ operæ Hardesacrum aliasque possessiones ac præfecturas Saxoniæ conterminas, ejus vice attribuit. Adolphus verò nec non Bernardus Raceburgius, unà cum Comite Suerinensi Gunzelino, suspectum ex eo habentes Ducem Saxoniæ Bernardum, quasi fortunæ suæ invidentem, fœdus simul feriunt mutuaque invicem auxilia pollicentur. Nec mora, obsidione premunt Lauvenburgum (quæ & olim quoque Henrici Leonis fuerat) arcem longe munitissimam. Dux autem Bernardus nihil in adversum magnopere agens, tantum de eorum molitionibus querimoniam ad Cæsarem detulit. Obsessi cum rerum tandem omnium inopiâ laborarent, nuncium mittunt ad Ducem Slesvicensem Valdemarum, regis Canuti fratrem, dictitantes frustra se ab Henrico aut alijs liberationem expectare, ideoque Canuto potius regi, utpote genero Henrici, quàm Adolpho, arcem tradituros, modò tempori ad obsidionem solvendam cum copijs accurreret. Valdemarus, re intellectâ, nec approbato, quod offerrent, confestim Rudolphum Holsatum, (is inter eos habebatur, quos iram Adolphi fugientes in Daniam secessisse memoravimus) traditis cohortium suarum manipulis aliquot, Lauvenburgum præmittit, ut in illud receptus regium vexillum de muro ostentaret, se interea, paratis quàm celerrime copijs, subsecuturum. Sed ille antequam accederet, obsessi necessitate adacti Adolpho se dederant. Quâ etiam de causâ regis erga Adolphum latens simultas magis magisque invalescere seque exinde cæpit prodere. Tradito in potestatem Adolphi Lauvenburgo, Imperator inter Ducem Saxoniæ Bernardum à parte unâ, & Adolphum Holsatum, quique eidem erant associati, Raceburgium & Suerinensem Comites, à parte altera, ejusmodi compositionem instituit, ut in pœnam obsidij Lauvenburgici septingentas Imperatori marcas Adolphus persolveret, acciperetque ex adverso Ratecoviç tractum unà cum Oldensloâ, quæ sibi Bernatdus vindicare videbatur. Comes verò Raceburgius & Suerinensis; singuli trecentis argenti marcis donati abirent, eâ tamen lege, ut arcem Lauvenburgicam, quæ varijs erat locis per obsidionem disjecta lacerataque, suis impensis reparandam curarent, atque inde Saxonum diœcesi eam permitterent. Quas tamen conditiones Adolphus, nisi prius, quos fecisset, sumptibus restitutis, haud facile concessurus videbatur.

Hac qualicunque inter principes initâ per Cæsarem pactione, translata est in boream belli alea. Quippe cum antea, ut indicatum, Fridericus Imperator regi Canuto minus æquus fuisset, eandem quoque filio mentem hæsisse haudquaquam dubitabant illi, qui aut palam aut occulte regem oderant. Itaque instigatus Valdemarus, Slesvicensium episcopus, ut cum Canuto de patrimonio ac regni partione contenderet, utpote qui rege non tantum Canuto (quem, ut suo est loco memoratum, Sueno Rex inter sacra mensæ apud Roschildenses trucidari fecerat) esset procreatus, sed qui & Magnum & Nicolaum reges, illum avum, hunc proavum habuisset. Hęc igitur, dum ultro citroque reciprocatur contentionis serra, videretque episcopus vanam esse omnem sine viribus machinationem, sibi amicos & fœderatos Cęsaris, Adolphum Holsatię Comitem, itemque Saxonię Ducem Bernardum, & Marchionem Brandeburgicum Othonem, tum & Comitem Raceburgi adjungit, factâque sponsione, illi se terrâ adorituros regem regnumque pollicentur, dum ipse navalibus copijs rem gerit. Quod ut promptissimè fieret; confestim ad Norvagos profectus episcopus, Suerum regem, vel ut alij tradunt, ejus filium Haquinum aliosque amicos ac necessarios, ità blanditijs ac promissis aggreditur prensatque, ut ab illis acceptâ navium triginta quinque classe, viris atque armis militariter instructâ, in altum perrexerit, sibique regium nomen adsciverit. Priusquam vero manus consererentur, erant qui episcopo suggerebant, è re ejus fore si causam suã regi ac regni proceribus modeste proponi curaret, non dubitaturos se, quin ei aut regni aliquam portionem, aut ejus saltem

CANUTUS Rex. A. C. saltem præcipuam præfecturam ex æquo ac bono permittant, præsertim cum simul esse episcopum & regem haud quaquam conveniat. Quibus consultoribus aurem commodante Valdemaro, rei tractandæ dies dicta est. Sed ipse episcopus, quod exigere tum rei ratio videbatur, extemplo comprehensus custodiæ mandatur. In quâ dum hæret, & acriter tertiam regni partem, quomodo parens ejus tenuerat, sibi deberi contendit, annos totos quatuordecim detentus est; ac tandem dimissus cum rerum potiretur Valdemarus, Canuti frater, intercedente ejus nomine apud maritum reginâ Dagmarâ, nec non Lundensium archiepiscopo Andreâ, ut suo exinde referetur loco. quamvis alij non occasione alicujus compositionis retentum eum, sed invasam ac superatam à Canuto Norvagorum classem, ac tum simul captum episcopum memorent. Huic episcopo ex fratre nepos erat Nicolaus Arhusiensis nomine. Post cujus obitum cum fieri miracula vulgo crederetur, Innocentius II sub annum MCXL episcopis chersonesi Cimbriæ in mandatis dedit, ut quid ejus essent indagaret. Quorum postea documentis ac relationibus acceptis, Alexander ejus nominis tertius, annum circiter MCLX, in canonem sanctorum solemniter eum retulit. Estque exinde ut divus celebratus ab omnibus, vocatusque S. Nicolaus Arhusiensis. Marchio Brandenburgicus Otho, ejusque frater Saxoniæ Dux Bernardus unà cum Adolpho Holsatiæ comite, quid episcopo factum esset ignari, interim, ut erat inter eos conventum, terrestri itinere Daniam signis infestis petunt: Locatisque juxta Eidoram castris, cum adventum Canuti diu, sed frustra expectassent, moræ tandem tædio domuitionem parare cœperunt. Adolphus verò transmisso flumine, regis circumquaque ditiones ferro ac flammis adusque Slesvicum invadere ac divastare aggressus, sed de episcopo deque reditu principum mox certior redditus maximisque desubito Canuti copijs impetitus extremum hoc habuit, ut pacem sibi pretio pararet. numeratisque mille quadringentis denariorum marcis, ea qualiscunq; concessa est: Dithmersiam interim, ut à Ducatu Slesvicensi separaretur, quod agereum simul instituit, nequaquã obtinere potuit.

MCXCIII. Anno, qui proxime secutus, humanæ salutis supra millesimum centesimum nonagesimo tertio, cæpit cum Rege Canuto per legatos agere Rex Galliarum Philippus, ejus nominis secundus, tum, mortuâ Isabella, cælibem vitam agens, de asciscendâ in thorum suum sorore ejus laudatissimâ virgine Ingeburgâ. Qui & voti sui compos factus est. Scriptores Gallici non Ingeburgam, sed Gelbergam fere nominant: Et notat Gulielmus Neubrigensis, qui historiam de rebus Anglicis eo tempore superstes contexuit, has nuptias præcipue eo fine à Philippo petitas, ut inveterata jam olim inter Danos & Anglos, quos ob Richardum, sibi inimicum, odio habere cœperat, simultas quasi ab inferis exsuscitaretur. Nam Philippus conjungendo sibi, ut existimabat, capitales Anglorum hostes Danos, non ambigebat, quin, moto in Regem Richardum bello, auxiliares eosdem adversus ipsum esset habiturus. Ac demum, pactis sponsalibus inque dotem addictis quater millibus argenti puri marcis, cum classe regium in morem magnificè exornatâ in Gallias Ingeburga transmissa est. Rex advenientem Atrebati vel, ut alijs traditum, Ambiani lætanter excepit, utpote morum ac formæ venustate sibi perplacentem; coronavitque reginam,
MCXCIV. anno circiter, ut Tilius putat, MCXCV, vel ut alijs placet, quarto. Neubrigensis persolutam, dotis nomine, multo quam nos, secuti vernaculos authores, majorem summam ponit, marcarum nimirum decem millium. Sed operæ erit ipsius Neubrigensis verba, quod & alia ad rem spectantia contineant, his adjicere: Rex, inquit, Francorum missis ad Regem Danorum viris honoratis germanæ ejus laudatissimæ virginis nuptias solemniter expetivit. Rex autem Danorum magnifice legatos suscipiens; petitionem quoque de optimatum suorum consilio libenter amplexus est. Et quid, inquit, dominus vester vult sibi dari dotis nomine? illi verò, prout in mandatis acceperant, antiquum inquiunt jus Regis Danorum in regno Anglorum, & ad hoc assequendum, classem exercitumque Daniæ annuum. Tum ille, rem inquit difficilem postulat: veruntamen deliberabo, an concedi debeat. Cumque super hoc regni sui inclytos seorsum consuleret, responderunt, satis nobis negotij est contra paganam & nostris vicinam finibus gentem Vandalorum. Illisne ergo dimissis, hostiliter aggrediemur Anglorum gentem Christianam, atque innoxiam, duplici nosmetipsos periculo immergentes? Nam si Anglos aggredimur: ferocissimis, qui juxta nos sunt, Barbaris fines nostros exponimus. Porro Anglorum gens magna & valida, opibusque famosa, propriæ vel saluti vel libertati contra omnem vim externam tuendæ sufficere creditur. Proinde aliud petat Rex Francorum, si voluerit, dotis nomine; cum tu Rex non debeas, cum proprię gentis periculo germanæ tuæ honorabiles nuptias pro-

CANUTUS Rex. A. C.

providere. Placuit regi ſobrium conſilium, juſſitque legatos aliud dicere, ſi quid haberent. Illi verò expirante petitione prima: decem marcarum argenti millia petierunt. Ad hæc Rex magnaminus, rem, inquit, Rex Francorum à Rege Danorum nunc petit pertenuem ratione negotij & perſonarum; petitionem ejus gratè ſuſcipiemus, & votum maturè implebimus. Tum pactis initis, & ſacramento à Legatis præſtito pro completione pactorum: ornatam (ut decuit) cum ſummâ poſtulatâ tradit virginem: De ſuis honoratos quoſdam, qui proſequerentur eam uſque in Franciam, direxit. Rex autem Francorum occurrit ei Ambianis (Rigordus Atrebati) ibique ſolemniter nuptiali ſibi fœdere copulatam etiam thoro accivit. Hactenus Neubrigenſis.

MCXCV.

Proximus ſuperiori annus abſtulit apud Norvagos Regem *Suerum*, cujus ſuperius in rebus Valdemari prolixe meminimus. Exſtatque Romani pontificis Innocentij tertij Decretalium Epiſtolarum liber, in quo Suerum hunc tyrannidis ac violentiæ accuſat, quodque per fas & nefas Norvagiæ ſceptrum arripuiſſet. Execratur quoque & anathemate ferit Bergenſem epiſcopum, quod is, obſtante licet archiepiſcopo, cum Suero facere eiq; favere videretur. Idem Innocentius ad Iſlandos de eodem ſcribens, apoſtatam Dei & Divorum appellat. Quid præterea Anglorum hiſtoria ſuper eo ejuſque proſapiâ referat ex Neubrigenſi jam ante allatum eſt. Res ejus totumque vitæ ſpacium, & quàm mirabiliter ad imperium pervenerit integro libro proſecutus eſt Carolus Ionæ Abbas, ut meminit in chronoligicis ſuis vir nobiliſſimus Arnoldus Witfeldius, regni olim Cancellarius, ὁμώνυμος. Eum librum vernacule aut latine conſcriptum, ſi aliquando prodire in publicum contingat, plurimum lucis Norvagiæ rebus illaturum nullum ſit dubium. Suero ſucceſſit filius Haquinus: Eâque in ſtirpe continuata regum Norvagorum ſucceſſio duravit ad bina circiter ſecula; defecitque in filio tandem Margaretæ, Danorum reginæ, Olao. de quo & antea nonnihil injeciſſe exiſtimo; poſteaque, ubi ad illum locum fuerit perventum, dicetur accuratius.

Philippus porrò, de quo memoravimus, Galliarum Rex eodem hoc tempore, quam duxerat, Canuti regis ſororem Ingeburgam, ſive maleficarum artificio, quod innuere in ejus vitâ videtur Rigordus, ſive, ut vulgo ſcriptores produnt, ob ſanguinis affinitatem à ſe dimiſit. Neubrigenſis quas adducit divortij cauſas, fœtidum ſcilicet oris ſpiritum, aliaſque ſimiles, frivolæ ſunt, nec dignæ, quod & ipſemet indicat, quæ memorentur. quamvis conſtet hodieque etiam inter gentes nonnullas, & præſertim apud Græcos Byzantij, & alibi obtinere conſuetudinem, ut halitus fœditas ad dirimendum matrimonium ſufficiat. Dimiſſam ergo in Stamparæ arcem (ſic Tilius habet) conjectam aſſervari curavit. intereaque filiam Moraviæ Ducis Mariam dimiſſæ ſuperinduxit. Quâ tamen priuſquam potiretur, ambierat Comitis Palatini unicam filiam. Sed ea, ut tradit Neubrigenſis, non ignara quid accidiſſet Danorum regis illuſtriſſimæ ſorori, & verita exemplum, eas nuptias averſata eſt: Mater verò cum inſtaret urgeretque regias nuptias, hoc inſuper reſpondiſſe fertur, ſe, quantum meminiſſet, deſponſatam adhuc infantem Henrici Leonis Saxoniæ Ducis filio, & ei fidem ſervandam exiſtimare. Quod & factum, nupſitque eidem poſtmodum, licet invito etiam Imperatore, qui, odio Leonis, de rege Galliarum Philippo agere cum Palatino cæperat, ſed à filio Leonis cum eſſet præventus, ille omniſque conatus ejus fruſtra fuit. Quo autem demonſtraret Philippus arctiſſimæ inter ſe & Ingeburgam propinquitatis nexum, paſſim ex Galliæ diœceſibus epiſcopos alioſque regni proceres ac duces ad cognoſcendum propius negotium evocari curavit. Hi cognitâ, ut exiſtimabant, cauſâ pronunciarunt, non tantum à parte Regis Ungariæ Belæ, qui Philippi ſororem duxerat, verum etiam prioris conjugis Iſabellæ è Flandris oriundæ reſpectu nuptias iſtas conſtare non poſſe. Nec alia epiſcoporum & procerum illorum erat ſententia; quamvis alij aliter, & iniquè divortium factum judicarent. Præſertim Danorum Rex Canutus, intellectâ re, per oratores ſuos Andream Sunonis Cancellarium, & Abbatem Gulielmum, natione Gallum, agere apud pontificem Cæleſtinum hanc cauſam cæpit, demonſtravitq; ne minimam quidem vel affinitatem vel conſanguinitatem intercedere, quæ ullo pacto dirimere nuptias poſſet. Ideoque & petere à ſummo pontifice cui id officij ratione, utpote ſupremo orbis Chriſtiani capiti, incumberet, vellet ſub pœna anathematis imperare regi, ut Mariâ relictâ, Reginam Ingeburgam reciperet. Hi legati Româ reverſi circa Divionem, dum Burgundiam tranſeunt, detenti ac literis Papalibus, quas plures acceperant, ſpoliati, operâ tandem Abbatum Ciſterſienſis & Claravallenſis dimiſſi; atque inde ad regem profecti ipſum Philippum coram compellarunt. Pontifex etiam, ſtatim poſt eorum

ab urbe

A. 6

ab urbe discessum, notarium suum, titulo Praxidis Priorem, alijs cum literis ejusdem argumenti ad archiepiscopum Senonensem & Abbatem Atrebatensem, tanquam judices & arbitros à se constitutos, eisdem submisit. His, præter cetera, significabat inque mandatis dabat ut regem amice monerent & ad saniora, quantum in se esset, flecterent: Sin verò nec istis moveretur, ut assumpto legato suo unà cum archiepiscopis Rhemensi & Senonensi alijsque honoratis viris regi indicarent mentem hanc esse ac placitum pontificis, ut reginam Ingeburgam, quæ nulla eum vel affinitate vel nexu sanguinis tangeret, suum in thorum reciperet: Quod si nec ità promovere quidquam possent, imperabat ut legatus suo nomine regi sacris interdiceret. Quod etiam decretum in vulgus exinde est editum. Episcopi autem & patres, qui & tunc legato pontificis assenserant, & postea ipsum interdictum evulgarunt, sedibus primum suis ab rege exacti: deinde mitescente paulatim iracundiâ, novus ab urbe legatus Octavianus Cardinalis submissus. Qui ubi advenisset, Suessione rex & proceres Episcopique frequentes adfuêre: Atque ibi complures disertissime compositeque pro rege causam dixêre; auditique cum silentio & fere assensu omnium. Nec aderat, qui in adversum quidquam reponeret. Tandem ex promiscuâ multitudine, ignotus quis, aut unde veniret, velutique cœlo missus, petita cum à rege tum Romano legato ceterisque dicendi venia, desertam ab omnibus Ingeburgæ causam tam ornate dilucideq; defendit deque rege adeo reverenter verba fecit, ut in sui admirationem cunctos converteret. Factoque perorandi fine se surripuit, nec uspiam exinde comparuit. Ait Æmylius fuisse qui numini id attribuerint. ipse Danorum instinctu consilioque procuratum hariolatur. Soluto conventu, expectabant patres ut ultrò Rex Ingeburgam uxorem agnosceret. Sed labebatur longior dies, & temporis spacium idcirco concedebatur, si forte à pertinaciâ interea sua sponte desisteret. Verum cum frustra moram trahi animadverterent patres, iterum convocatâ concione, præ se ferebant quidnam ipsis necesse foret decernere. Itaque Rex, relicto consessu, in equum insiluit, & ad se receptam Ingeburgam in regiam reduxit. Maria, quam superindixerat, haud multo post humanis excessit. Sobolem verò, quam ex eâ Philippus susceperat, justam esse & legitimam ejus prolem, multis mirantibus, sanxit pontifex. Paulus Æmylius non *Ingeburgam*, sed *Gelbergam* appellat. Qui & sanguinis nexum causam divortij fuisse injicit, ubi inquit: Rex mortuâ Elizâ uxore cælebs, Dani regis sororem Gelbergam uxorem duxit. Et statim deinde: Hinc receptam Gelbergam in regiam reduxit. paulo post decessit Maria. Philippum ex eâ susceptum justam Augusti sobolem esse pontifex maximus decrevit, non sine multorum tunc admiratione. Bonam matris nobilissimæ fidem auxilio liberis non esse, indignum credo visum: & nonnullis episcopis authoribus auspicibusque Moravianæ nuptiæ junctæ fuerant. Dana Regiæ Franciæ utique juncta cognatione erat. Primi Philippi regis Franci filia nupserat Dano regi: unde Gelbergam aliquot ætatum serie progenitum fides sit. Hæc Æmilius non tantum Ingeburgam, ut diximus, Gelbergam suo more appellans, sed *Eliza* quoque, quam dicit, ea est, quam alij omnes *Isabellam* nominant; Quâque defunctâ rex Galliarum Philippus Augustus viduus factus (ipse *cælibem* dicit) de alijs nuptijs cœperat circumspicere.

Ut autem constet nullam inter utrumque, Regem inquam & Reginam Ingeburgam, sanguinis fuisse necessitudinem, paucis Ingeburgæ prosapiam ponere ob oculos constitui: præsertim cum Gallici scriptores, & nuper admodum Iohannes Picardus, qui Gulielmum Neubrigensem Lutetię Parisiorum elegantibus typis descriptum edidit, consanguinitatem fuisse à parte Caroli Flandrensium Comitis videatur innuere. Res itaq; ut intelligatur, ità se habet: Sueno, cujus supra suo loco meminimus, Esthritius dictus, Regum Danię LXVI, plures filios habuit: inter ceteros Canutum & Ericum; Quorum Canutus, qui Othonię ut martyr & inter Divos relatus interijt, duxerat Adelam Roberti Flandrensium Comitis filiam. Ex hac Carolum suscepit, qui Brugis Flandrorum in æde Donatiani paricidialiter est trucidatus, nullâ post se relictâ sobole. Ingeburga autem neque ab hoc Canuto, neque à filio ejus Carolo, neque à matre ejusdem Adelâ originem trahit, sed à Caroli fratre Erico, quem dixi. Hic ex Botilde Suecicâ filium Canutum genuit, Ducem Slesvicensem & regem Obotritorum. ex quo & Ingeburgâ Ruthenicâ, natus est Rex Voldemarus, qui parens fuit hujus, de quâ queritur, Ingeburgę, mater vero Sophia, Rutenorum regis filia. De Ungarię autem rege Belâ, quod injicitur, ità quoque habet: Ingeburga, quam diximus, prior, quęque avia hujus Ingeburgę Francorum reginę fuerit, sororem habuit, matrem scilicet Belę hujus, Ungarorum regis, qui Philippi regis germanam in matri-

in matrimonium acceperat. Unde patet Ingeburgæ prosapiam, nec ad Flandrensium Comites respectu prioris conjugis Isabellæ, quam Philippus duxerat; neque ad Ungarorum progeniem esse ullatenus referendam. Quod & hæc quam subjicimus genealogica tabella propius exhibebit:

SUENO *Esthritius Danorum Rex.*

- Ericus *cognomento Bonus. ei ex Botilde Sueticâ natus*
  - Canutus *Dux Slesvicensium & Rex Obotritorum. Cui ex* Ingeburgâ *Ruthenicâ genitus*
    - Voldemarus *eius nominis I Daniæ Rex, qui suscepit ex Sophiâ, præter ceteros*
      - Canutum *Daniæ regem.*
      - Ingeburgam *Philippo Augusto Galliarum regi nuptam.*
- S. Canutus, *ei natus ex Roberti Flandrensium Comitis filia* Adela:
  - Carolus, *qui Brugis Flandrorum trucidatus, nulla post se relictâ sobole. Unde Comitatus recidit in*
    - Theodoricum, *Flandriæ Comitem, cui filius fuit,*
      - Philippus *Comes Flandriæ, qui ex Margareta Hannoniæ Comitissa genuit*
        - Isabellam *Reginam Franciæ, conjugem Philippi Augusti regis Galliarum. qui eâdem Isabellâ defunctâ duxit Ingeburgam Danicam de quâ agitur, Voldemari I filiam.*

Hæc genealogia est illustrissimæ Galliarum reginæ Ingeburgæ, conjugis Philippi Augusti, filiæ Voldemari I Danorum regis. Cujus Philippi pater Lodovicus suo divortio exposuerat olim Franciam gladijs Anglorum militum; & nunc filius Philippus haud absimili infortunio stilis scriptorum: hoc tamen patre felicior, quod dimissâ aut defunctâ Maria, & recepta, ut memoravimus, Ingeburgâ, eam sibi exinde perpetuam ac propriam habuerit. Æmilius quod ait (ut verba ejus superius posita monstrant) primi Philippi Gallorum regis filiam nupsisse Daniæ regi; atque inde Ingeburgam (Gelbergam ipse semper appellat) aliquot ætatum serie progenitam, nec in memorijs Danicarum rerum reperio, nec si reperiam videatur ad hanc Ingeburgæ prosapiam momenti quidquam conferre, præsertim cum ab obitu primi Philippi ad hunc secundum fere seculum effluxerit, utpote qui excessit sub annum Christi 1109.

Ceterum eodem hoc tempore Canutus quoscunq; per universam Daniam sibi regnoq; obstrictos noscebat, ad expeditionem secum faciendā convocari curavit, jussitq; classem & arma in promptu ac parato habere. Compertumq; tum ad belli præsertim navalis subsidia conferre solitum Slesvicensem Ducatum naves 130; diœcesin Ripensem sive Iutiam occiduam 120; Borealem, quæ & Vandalica sive Burglaviensis diœcesis dicta, 50; Fioniam 100; Selandiam 120; Scaniam 150. Quæ tum regni Danici copia in armis militiâq; maritimâ unam in summam conjecta navium sexcentas ac septuaginta confecit, præter sociorum aliaque gentis auxilia, quæ seorsim subministrata. Paratis ad bellum necessarijs, in Slavos Vandalosque, qui, abjectis Christianis sacris, à fide quoque Danis præstitâ defecerant, vires impetusque conversus. Imprimis autem Wologasto Stetinoque ad obsequium pristinum reductis, utrumque novis præsidijs communijt; Computatisque omnibus, quos ipse & parens ejus Valdemarus in Vandalos fecissent procinctibus, erat hic octavus supra vigesimum. Obijt eodem hoc circiter tempore *Saladinus*, Christianorum apud Orientales terror, omniumque ejus seculi virorum virtute & rerum gestarum gloriâ facile princeps. Is cum magnum de regno suo certamen reliquisset, filios ejus, quos novem habebat, præter unum Norcadinum, interfici omnes patruus *Saphadinus* fecerat, ut, illis sublatis, imperio tandem ipsemet potiretur. De Saladino autem quod referunt historiæ, perquàm memorabile est, eum nimirum jam moriturum voluisse ut aquilifer, qui imperij signum omnibus in prælijs præferre consueverat, funus antecederet ac lineum sindonem, quo cadaver involveretur, lanceæ impositum, in modum trophæi extolleret, altum inclamans, *Saladinus Asiæ Orientisque totus domitor, illud unum secum aufert.* Excessit tum quoque Henricus Leo Saxoniæ Dux, qui ut memoravimus, à Cæsare proscriptus multos annos apud socerum suum, Angliæ regem, unà cum uxore Machtildâ parvisque liberis Othone, Henrico & Wilhelmo extorris egit. Ejus cum res fortunaque florerent,

CANUTUS Rex. A. C.

rent, potentissimus omnium Europæ, secundum Cæsarem ac Reges, princeps est habitus, utpote qui à sinu pœne Hadriatico adusque Codanum mare Oceanumque Germanicum, Boijs, Suevis, Rhetis, Vindelicis, Noricis, Chaucis totique Saxoniæ imperitaret: In gratiam receptus sicuti nec territoria sua, quæ variè erant à Cæsare discerpta inque alios principes collata, ità nec pristinam dignitatem recuperare unquam potuit. Solam ei Brunsvigam singulari indultu Cæsar possidendam concesserat: Ex quâ cum bellum identidem lacesseret, repressus aliquoties ab Imperatore & satrapis vicinis, sub extremum senio ac laboribus fessus apud eosdem Brunsuicenses consedit fatoq; suo functus est: ubi & hodieque monumentum ipsius, pro copijs ejus ævi affabre exornatum, ostenditur.

MCXCVI. Anno deinde supra millesimum centesimum nonagesimo sexto ipse Canutus Rex valida cum classe in Livoniam profectus primam omnium sui juris Esthoniam fecit. Erat ea expeditionum ejus in illas oras altera. Et seriò tum quod agere cœperat, ad finem optatum deducturus, id præcipue spectavit, ut Christiana pietas omnium animis insereretur. quapropter etiam provinciarum passim diœcesibus non tantum verbi divini præcones piosque viros præfecit, sed & sacris ædibus regionem circumquaque exornavit. Ut autem propagatæ inter has gentes Christianæ religionis initia paulo altius repetantur, factum est anno 1170, ut monachus Segebergensis, cui Meinhardo nomen fuit, cum negotiatoribus aliquot Bremanis Livoniam circa Dunelmondam intraverit. Qui & ibi indultu Regis Valdemari I, qui tum Livoniam tenebat, sacello prope ripam *Rubonis* (quo fere loci nunc *Riga* est posita) exædificato, cœperat jam tum aliquam ibi divini verbi sementem, imò & messem facere. Interque ceteros virum magni nominis, Cobbeum dictum, Christianâ fide imbuerat. quod & ipsi postmodum, totique ejus rei, maximo emolumento cessit. Sed *Bremenses* negotiationi magis quàm fidei propagandæ intenti, haudquaquam ijs viribus aut studio, quo Canutus & frater ejus Valdemarus, rem pietatis promovebant. Unde facile constare potest, antequam Theutonum ordo vel cœpisset, jus & dominium Livoniæ penes Danos stetisse. Exinde pontifex Innocentius III societatem hanc è Palæstinâ profectam gladij jure (duos enim rubei coloris gladiolos, cum stellâ circa pectus, pallio albo inscriptos gestabant) donavit, concessitque terrarum quodcunque paganis eripuissent, id sibi ad excolendam religionem Christianam retinerent. Primum Ordinis hujus magistrum Vinnonem nominant. Postea, prout res eorum paulatim invalescerent, fœdus cum ijs fecit suo posterorumque nomine Canutus ejusque frater Voldemarus, eâ lege, ut collatis utrimque operis sua adversus paganos tutarentur. Verum mox, capto sub annum 1223. Voldemaro, Theutones Revaliam, Narvam, Wesseburgum aliaque Danis erepta sibi vindicare cœperunt. Quod tamen postmodum in libertatem & regnum repositus Valdemarus, illis concedere haudquaquam voluit, suumque jus manu & armis asseruit, ut infra referetur.

MCXCVII. Expeditione Livonensi peractâ, sub annum qui est secutus MCXCVII Regina *Geertruda*, Canuti Regis conjux, filia Henrici Leonis, Wehæ apud Cimbros fatis concessit: sepultaq; est ibidem in æde cathedrali, ac nostro tempore repertum memoratur ejusdem mausolæum, quod erat tumbæ impositum, è silice vulgari ac rubeo levique brachio supernè excisum: Ipsa ante obitum suum extra urbis pomæria exædificari sacellum fecerat, quod in ipsius memoriam divæ Geerthrudæ Capellam, prout fuerat singulari pietate ac sanctimoniâ prædita, tum vulgo vocitatum hodieq; adhuc nominant. Cardinalis quoq; *Fidentius* in Daniam à *Cœlestino* pontifice in gratiam episcopi Voldemari & ad eum è carcere, in quem dejectum jam ante retulimus, liberandum ablegatus, in Scaniâ diem obijt, ubi & funeratus in æde Laurentianâ Lundensi justis exequijs. Henricus præterea Imperator, ejus nominis sextus, cum mortuo, de quo supra injecimus, Saladino, magnas de recuperandâ Asiâ spes concepisset, hortatu pontificis, tum & exemplo patris, in Palæstinam expeditionem instituit, delectis ad eã rem socijs, quos cum instructo exercitu præmisit. Erat inter hos Conradus episcopus Maguntinus, Henricus Leo, Henrici defuncti filius, iteq; Adolphus Holsatię Comes: qui jam secundò eo profectus magnâ cum laude ac gloriâ rem gessit. Pręter cetera Berytus diruta ac deserta à Turcis, ab ipsis reædificata, & adempta Saracenis Ioppe civitas, firmatis insuper ac præsidio munitis, quæcunq; ad Christianos eo in tractu spectabant, propugnaculis. fuissentq; majora exsequuti, nisi præmatura Imperatoris mors inchoatũ opus interrupisset. Quâ cõpertâ dilapsi redierunt in Europã. *Henricus* enim dum in Sicilia classẽ cogit, & armat secuturos socios, Messanæ ex febre ardenti vel, ut alij volunt, ex potu veneni, quod ei propter adulteria conjux propinasset, exstinctus est Panormiq; in templo

templo maximo conditus,cum imperasset annos VII.Ei frater *Philippus* proxime successit. CANUTUS Rex.

Apud Rugianos hoc tempore primum virginum cœnobium, curante Iarimaro principe,qui,ut diximus, clientelari fiduciâ regendos à rege Canuto Rugos acceperat, exstructum est. Anno qui secutus est,MCXCVIII,Otho Brandeburgicus factâ in Vandalos irruptione,castella aliquot,quæ suæ esse diœceseos judicabat,vi ceperat. MCXCVIII. Canutus cum loca illa non ad Marchionem,sed ad se Vandaliæq; districtum pertinere asseveraret,expeditionem in adversum suscepit. Accedebat quoq; & alia belli causa, quod nimirum, inter ceteros, Marchio episcopo Valdemaro suis copijs auxiliaris adfuisset. Rex exercitus sui ducem Petrum constituerat,Roschildensem episcopum,cognomento Seniorem,ejusdemq; fratrem Torbernum. Hi,omnibus paratis,classe in littus Vandaliæ transgressi Varnũ flumen,quod Rostochio præterfluit,intrarunt. Ipse Rex in Monâ insulâ,Varno ex adverso positâ,rei eventum præstolaturus substitit. Postquã advenerant,auxilia illis sua præter Vandalos junxerunt Pomerani,Megapolitani alijq;,prout à Rege ijsdem fuerat imperatum: Marchioni quoq; submissæ copiæ,quas Saxo expedierat. Commissoq; acri cõflictu captus est episcopus, Torbernus cæsus: ceteri fugâ elapsi, & ad naves facto prociuctu domum parum læti rediêre. Episcopus integrum fere biennium à Marchione,qui partem aliquã Vandalici territorij in lutri locum exspectabat, captivus detentus, tandem è custodiâ, connivente vel adnitente potius carceris custode,clam evasit. Torberni corpus in Daniam postmodum delatum juxta fratris ipsius monumentum apud Ringstadienses terræ mandatũ est. Marchio victoriâ istâ animosior redditus, assumpto sibi Adolpho Holsatiæ Comite, iteratam in Vandalos,Pomeranos & Megapolitanos,qui tum omnes Canuto parebant,irruptionem tentavit. Iarimari quoq; ditiones & oram eam omnem,quæ Trebesauorum nominatur, ferro ac flammâ pervadens,etiam Rugiam intrare decreverat,nisi,solutâ jam hieme,glacies ferendo militi minus firma transfretationem impedijsset. Quæ exinde novi belli inter regem Canutum & Comitem Holsatię Adolphum causam & occasionem prębuerunt. Rex enim,appetente mox vere,expedito cum milite è Daniâ Eidoram petens Holsatiam invasit,ac castra sua citra flumen collocavit. Quo & Adolphus approperans præter eas, quas ipse habebat,copias,secum insuper auxilia ducebat, quæ subministraverat Episcopus Bremensis Hartvicus,itemq; Marchio Brandeburgicus ac Comes Teckelburgensium Simon & Oldenburgensium Mauritius. Qui & ipsi pręsentes aderant. Rex castris ipsorum, quę Eidoram ultra erant locata, dum circumquaq; imminet ac sese à pugnando sustinet, diemq; ex die trahit,divastata fere ac depasta sunt à tam numeroso eorum exercitu Adolphi territoria. Nec ipse transmittere flumen aut regem aggredi ausus,cũ tantæ sub extremum sustentandæ multitudini vix terra sufficeret, militiam solvere & cum rege inducias pacisci coactus est. Et licet Holsatiam indemnem ei tum possidere Rex permitteret. Reinellsburgum nihilominus,in limite Holsatię ac Cimbrię Australis positum,pactis exemit. Hoc enim cum exstruere ac reparare Adolphum Rex animadverteret, suæ potestatis fecit, atque exinde egregie communitum in usum ac defensionem regni retinuit. Quibus peractis,in Daniam festinato regressus est,præsertim accepto tristi de obitu matris Reginæ Sophiæ nuncio. Cujus deinde exequias Ringstadij magnifice celebravit,deposito juxta patris Valdemari mausoleum ipsius funere.

Anno insequenti, qui fuit supra MCXCIX, cum denuo ad arma convolasset Adolphus, MCXCIX. coactus est Canutus fratrem suum Voldemarum,Slesvicensium ducem,cum universis regni copijs in occursum ei mittere. Qui, ubi Holsatiam esset ingressus, omnia ferro ac flammis miscuit. Aderat, præter alios, Adolpho Dassensis Comes, Adolphus etiam nomine, avunculus ejus. Hi prope Stilnoviam, non longe ab Itshoâ dissitam, Valdemaro obviam facti insignem sua clade pugnam ediderunt. Adolphus enim potissimam suorum manum præliando amisit; multi etiam in hostium potestatem vivi venerunt. Ipse Adolphus vix fugâ elapsus,cum intra Hamburgum se recepisset,Voldemarus Dux opidum obsidione cinxit ac cepit. Sed Adolphus priusquam urbs dederetur,transmisso,ut in tutum veniret,Albi,Stadam secessit. Inde totam confestim Holsatiam pervadens Rex indigenas quaquaversum sibi obsequentes reddidit. Propugnacula etiam omnia cunctaq; opida sui juris fecit,exceptis Segeberga Tramundaq;,quas tandem arctissimâ obsidione adegit deditionem facere, ut postea refereter. Bergerdorpium quoq; & Lavenburgum, quæ suis præsidijs Dassensis communierat, cum per feciales dedi sibi Voldemarus postularet, ipse Dassensis flumen Albim transgressus, eorum defensionem militibus reliquit. Hæc ad annum circiter MCC referuntur à chronographis. Quo eodem tempore Ratzeburgum, MCC.

CANUTUS Rex.

A. C.

Gladebuskum ac Witteburgum Voldemarus petijt; multaq; opida ac propugnacula ad Comitem Suerinensem pertinentia, quod is Adolpho suppetias tulisset, vi eidem eripuit. Post hæc, motis castris, Lubecam aggressus primo Tramundam expugnavit. Inde urbem obsidione arctissime premens cum jam ad oppugnationem res spectaret, è re opidanis visum, postquam nec à Cæsare, nec ab Adolpho, quem ditionibus suis exactum ac profligatum sciebant, quod expectarent magnopere haberent, visum inquam, ut pactis in rem suam conditionibus, urbem Duci dederent. Et accedebat aliud præterea, quod eam necessitatem suadebat, incommodum, navigiorum scilicet ipsorum ac negotiatorum apud Scanienses in Daniâ, ubi piscaturæ halecariæ vacabant, à rege Canuto, lato edicto, detentio. Itaq; dedita Duci Voldemaro Lubeca legibus hisce ac conditionibus, ut nimirum illibatæ civibus relinquerentur, quas à Cæsare & Duce Henrico, tum & Comite Adolpho accepissent, immunitates ac privilegia; suisq; legibus ac jure, quomodo usi fuissent semper, fruerentur, ac deniq; naves ac mercimonia, quæ in Daniâ Rex Canutus detinebat, arresto soluta, ipsis libera ac salva permitterentur. Hoc pacto in jus ac ditionem Danorum concessit *Lubeca*; eorumq; regibus totos exinde annos viginti quatuor subdita, ijsdem obsequium omne ac tributa, quemadmodum antea Adolpho consueverat, persolvit. Voldemarus urbe potitus, dum rebus ordinandis curat, omnium gratia ac benevolentia usus, ibidem aliquandiu constitit. Inter cetera curarum suarum haud postremum habuit exauctorationem veteris magistratus inq; locum ejus novi & præsertim eorum, qui ab Adolpho jam ante fuerant exacti, restitutionem. His per totam Nordalbingiam, Holsatiam, Stormariam ac Wagriam arces atq; opida administranda commisit, acceptis ubiq; locorum obsidibus, ne qua uspiam defectio speraretur. Eodem etiam tempore Dithmarsos, qui florentibus Adolphi rebus nutare cœperant, in novum adactos sacramentum Ducatui suo Slesvicensi arctius innexuit. Quod ad piscationem, de quâ dictum, halecariam: ea tum paulo ante apud Scanienses increbuerat, cum prius circa Rugiæ insulam, quod ex Saxone liquere potest, præcipue fuisset celebrata. Cumq; tum simul Vandaliæ urbes Lubeca, Hamburgum, Rostochium ac Stralesunda à Saxonibus vicinisq; Theutonis exaugeri ac frequentari essent cœptæ, illis etiam permissa erat apud Danos negotiatio, quæ indigenis seu Vandalis ipsis, utpote Christiani nominis ac regni Danici perpetuis hostibus, haudquaquam concedebatur. Commodum deinde regresso Slesvicum Voldemaro, Comes Adolphus copias quàm potest maximas Stadæ contrahit, ijsque Hamburgum ducit. Animum illi addebant, præter Lauvenburgum, & si qua præterea loca tenebat, civium præcipui, quos intra urbem sciebat sibi ac rebus suis quàm deditissimos. Horum ei favorem conciliaverant, quas à Cæsare Frederico ipsius beneficio impetratas opidanis supra commemoravimus, immunitates. adeò ut Rodulpho, quem ipsis Voldemarus præfectum constituerat, unà cum milite ipsius urbe exacto, ac recepto quàm celerrime intra opidum Adolpho, urbem de novo communierint. Adolphus recuperato Hamburgo, aliquandiu intra urbem se continuit, præcipue cũ essent inter Holsatos nonnulli, qui ipsi recuperandi totius Comitatus spem facerent. Sed aliud agitabat Voldemarus, qui eousq; conquievit, dum anni hiemem ità aptam animadverteret, ut Adolphus haud facile regredi aut Albim transmittere posset. Itaq; auræ oportunitate captatâ Hamburgum ex inopinato concessit, & opidum, quod tum temporis eâ magnitudine, quâ hodie visitur, non erat, sed intra solummodo divi Petri parœciam claudebatur, circumquaque militibus ità cinxit, ut effugium Adolpho nuspiam patuerit. Præterea nec vires eæ vel ipsi vel opidanis erant, ut hosti se opponerent; Tum & Albis dubiâ glacie, quæ nec frangi facile, nec ferre tamen vectores posset, concretus, eo tandem Adolphum adegerunt, ut missis ad Voldemarum nuncijs, urbis deditionem promitteret, ac simul Lauveburgum sub diem Stephano sacrum ipsi tradendum sponderet, modò sibi gratia & opidanis pax amicitiaq; vicissim sponderentur. Quæ tamen ei polliceri haudquaquam Voldemarus voluit, nisi prius Gunzelinus Suerinensium Comes, & Megapolensium Burevinus, qui ipsi in castris aderant, se medios interposuissent. Itaq; res eò deducta: ut Adolphus sui juris fieret seq; Lauvenburgum conferret, ac dedito, quod à milite Voldemari obsidebatur, castello, liber inde & quo vellet, pergeret; sin autem Lauvenburgum tradere miles renueret, ipse apud regem captivus servaretur: Interea verò dum id ageretur, præsidijs ejus intra Hamburgum contentis, fas eis haud esset, priusquam Lauvenburgum regio militi esset permissum, urbe egredi. Quibus utrinque pactionibus solenniter comprobatis, Comes Gunzelinus Hamburgum ingressus est, ac salutato Adolpho, eum in castra Voldemari secum abduxit. Dithmarsi, qui tum

(CANUTUS Rex. A. C.)

tum Voldemaro militabant, intellecto adesse in castris Adolphum eumque curæ Gunzelini demandatum, adeò irâ concitati, ut in eum irruere eumque trucidare pararent, quod olim, cum Dithmarsiam suæ faceret potestatis, ferro eos ac flammâ supra modum divexasset. Sed Gunzelinus ejusq; satellitium Adolpho pro viribus adfuit. quamvis ne sic quidem evasisset; & occubuissent propemodum utriq;, dum inconditæ multitudini vehementius se opponunt, nisi ipse Voldemarus seditiosos compescuisset. Qui deinde cum Gunzelino & Adolpho comitibus, relicto ad mœnia Hamburgi præcipuo exercitu, Lauenburgum est profectus. Cum autem de conditionibus deq; arce tradenda cum militibus Adolphus ageret, quod scilicet eo simul pacto se vinculis eximerent, eas accipere conditiones miles renuit, dictitans id castri olim Henrici Leonis fuisse; ideoque aut Cæsari permissuros, aut de eo cum Saxonum Duce Bernardo vel alio, qui pretij plus offerret, transacturos. Adolphus itaque cum præstare promissa nequiret, captivus primò Slesvicum abductus; inde in Daniam penitiorem delatus, in arce Seburgensi, ubi & episcopus Voldemarus, ejus fœderatus, detinebatur, custodiæ est mancipatus.

Dux autem Voldemarus post id Hamburgum versus regrediens urbem suæ potestatis factam intravit, ac, habitâ inter opidanos tributariâ censione, propugnaculum intra mœnia excitavit, eiq; firmo cum præsidio imposito præfecto civitatem dicto audientem retinuit. Eodem anno, qui fuit supra MCCI, Orlemundæ Comes Albertus, ob res laboresq; (MCCII) adversus Livonos illiusq; districtus paganos egregiè exantlatos, equitis aurati insignia rege conferente, suscepit. Decessit verò XII Cal. April. ejusdem anni *archiepiscopus Lundensis Absalon*, vitæq; diem complevit apud Selandos in monasterio, quod ipsemet ibi exædificari fecerat, Sorano; ubi & sepulturæ honore decoratus est. Epicedium, quod ejus tumulo est incisum, vitio longi ævi hisce tantum primoribus characteribus legi hodie potest, *Terrarum terror tegitur.* Interim virtus ac res illius domi forisque præclarè ac feliciter gestæ ex annalibus, ac supra pro parte memoratis, sunt illustrissimę. Cœnobium, quod indicavimus, suis impendijs è solo excitavit, addito *Soræ* opidulo, quod postea, subductis ædificijs, in arva conversum est. Inter ceteras fundati ejus causas haud inter postremas memoratur, voluisse ipsum ut in eo viri eruditione præstantes alerentur, qui regni annales resq; posterorum memoriâ dignas chartis quotannis mandarent; quod nimirum non ignoraret, quanta fuisset antecedentium seculorum auctorumq; eâ parte socordia. Quin & eo præcipue impulsore & veluti ergodiocte usus *Saxo Grammaticus*, Præpositus Roschildensis, in gratiam ac decus suæ gentis historiam, quæ hodieque est in manibus, Latinè contexuit, stilo ac dicendi genere, supra quàm illud ferebat seculum, florenti ac terso; adeò ut Erasmus exinde haud satis mirari potuerit tantam eo ævo in homine Dano eloquij vim atque elegantiam. Unum optandum fuisset si, adjectâ annorum ærâ, lucem majorem rebus addidisset, & omissis pręterea, quod ad libros præsertim primores attinet, fabulosis multis, historiam non fabulas, quod ei Vives impingit, posteris tradidisset. Quamvis & hoc vicissim fatendum, Absalonis laudatissimo instituto minus postmodum respondisse eventum. Nam & continuò obortum seculum incultū ac barbarum, nec ulli ex intervallo claruêre Saxones. De Absalone verò ipso quid senserit, qui hoc circiter seculo floruit, Abbas Lubecensis Arnoldus, qui Helmoldum continuavit, operæ pretium sit ejus hîc verbis apponere. Ità enim habent: Hoc dierum curriculo ex hac vitâ subtractus est Dominus Absalon, Lundensis archiepiscppus, vir religiosus & magni consilij sive disiretionis & præcipuæ honestatis. Hujus industriâ omnes ecclesiæ totius Daniæ prius discordâtes uniformes in officijs divinis factæ sunt. In cathedrali sede crucifixum superaffigi præcepit, ut accedentibus & recedentibus reverentia crucifixo magis quam sibi fieri videretur. Præterea largè sua ecclesijs & monasterijs conferens, maximè cathedralē ecclesiā B. Laurentij martyris Lundis ditare & ornare studebat coronis preciosis & campanis maximis, ut nunc cernitur, & diversis ornamentis. Et quia erat, ut dictum est, vir religionis amator, monasterium Cisterciensium Monachorū in *Sorâ* ædificare & ditare satagebat, ubi etiam circa finem dierum suorū molestia corporis tactus ægrotabat. Ordinatis autē ecclesię suę rebus, in die B. Benedicti Abbatis diē clausit extremū. Cujus morte omnis Dania non parū indoluit, & quia multos discordiantes ad pacē in vitâ suâ reformaverat, ipsius exitū Deo pacis auctori, cōmendabant.

Mortuo Absalone, Cancellarius regni (Saxo in operis sui præfatione sigilli regij custodem appellat) *Andreas Sunonis*, vir claris natalibus ipsiusq; Absalonis è fratre pronepos, quique à regibus, ut patet, unà cum Eschillo genus ducebat, in locum defuncti surrogatus pronunciatusque est Lundensis archiepiscopus. Diu ille apud exteros in Gallijs,

CANUTUS Rex.

Italiâ & Angliâ per omnem honestarum artium cultum ætatem transegerat, utpote qui Lutetiæ Parisiorum publicè docuit, & tandem ad lares reversus regni rebus admotus fuit. Quantum verò in studijs literarum profecerit, ostendunt municipales Scanensium leges, quas è vernaculo Latinas fecit, impressas, edente Regni Cancellario nobilissimo Arnoldo Vitfeldio, ante annos triginta, & quod excurrit, Hafniæ: Ostendunt quoque hoc ipsum & alia ingenij ejus opera, & præsertim Hexameron sive de Mundi creatione Carmen Heroicum haud inelegans, quod suo aliquando tempore, si Musæ faveant, lucem videbit. Fuit hic idem annus fatalis quoque *Gulielmo Abbati* Ebelholtensis cœnobij, quod ad sanctum Paracletum Latine nominabant. Eum è collegio divæ Genevevæ, quod erat Lutetiæ Parisiorum, evocari in Daniam unà cum alijs ejusdem cœnobij socijs curaverat Absalon: Hi apud Danos vitam monasticam ad regulam divi Augustini, cujusmodi Lutetijs ex instituto S. Victoris coluerant, primum sunt auspicati. Gulielmus verò cum ob vitæ sanctimoniam, tum quod facta quædam miraculosa (ità traditur) post ejus obitum essent observata, inter sanctos exinde relatus est, appellatusque sanctus Gulielmus Parisiensis. Epitaphium ejus hujusmodi circumfertur;

Parisijs natus, dictis factisque beatus,
Mundo sublatus, jacet hîc Gulielmus humatus.

Volunt & *Saxonem Grammaticum* eodem hoc tempore vitâ functum: quamvis alij, qui integro & quod excurrit quinquennio serius excessisse certiore se calculo annotasse existimant, eo præsertim juvantur, quod fatis jam functo rege Canuto, de quo agimus, præfationem sui operis Saxo ad ejus fratrem ac regni tum rebus moderantem Voldemarum direxisse constat. Nam postquam Absalonis ejusq; successoris Andreę Sunonis archiepiscopi jam modò laudati mentionem fecisset honorificentissimâ, subjecit continuò, versâ ad Voldemarum oratione: ,, Te igitur salutaris princeps, ac parens noster, cujus illustrissimam à priscis temporibus prosapiam dicturus sum, clarissima lux patriæ Voldemare &c. ,, Et statim exinde ad eundem, Tuo igitur ductu respectuque &c. ut nihil sit certius quàm mortuo ac consecrato jam Canuto fuisse hæc à Saxone, de fratre successore Voldemaro commemorata. Cur verò, quod objiciat hîc forte quispiam, si Canuto quinquennium supervixerit, tam pauca rerum ejus attigit, adeo ut ex annis, quibus Daniam rexit, viginti, tantum quinque circiter, absolverit? Hîc quod dicamus, cum id ab ipso aut posteris non sit præstitum præter conjecturas habemus certi nihil. Andreas porro Sunonis postquam electus jam declaratusque esset Lundensium archiepiscopus, Româ transmissum ab Innocentio, ejus nominis tertio pontifice Romano, diploma accepit de Sueciæ primatu: Archiepiscopum nimirum Lundensem Sueciæ primatem agnoscendum, & ab eo initiandos Suecorum archiepiscopos. Hoc diploma prolixè scriptum hodieque in archivis servatur, & præter jam dicta, indicat præterea pro tempore quidem ab Adriano IV pontifice fuisse ità statutum, sed se jam legis vice & in perpetuum hoc decernere. Et porro de pallio ubi ijsdem in tabulis agitur, hæc legere est:

,, Lundensis archiepiscopus pallium Romæ accipiens archiepiscopo Sueciæ tribuet, & ,, fidelitatem & obedientiam Romanæ ecclesiæ jurejurando promittet. Metropolitano ,, verò ibi (apud Suecos) ad honorem Dei & decorem domus suæ salutemque fidelium ,, constituto Lundensis archiepiscopus & dignitate primatus in perpetuum præsidebit, ,, & ipse obedientiam & reverentiam ei tanquam suo Primati humiliter exhibere cura- ,, bit. Quod utique in bonæ memoriæ Stephano quondam Upsalensi archiepiscopo, ,, qui à prædecessore tuo piæ recordationis Eschillo, tempore felicis memoriæ Alexandri ,, Papę jam dictę institutionis gratiam consecratione accepit, & sub antecessoribus nostris ,, bonæ memoriæ Lucio, Clemente, Cœlestino ac nobis secundum prę scriptum ordinem ,, in felicis recordationis Iohanne & Petro venerabili fratre nostro quondam Upsalensibus ,, archiepiscopis, quos Absalon prædecessor tuus, pię memorię, consecravit, & pallium vice ,, ipsorum antecessorum contulit, dignoscitur adimpletum. Quoniam & hoc sicut à præ- ,, nominato Adriano antecessore nostro statutum est, ità sub Eschillo & Absalone antecesso- ,, ribus tuis effectum accepit; nos memorati Adriani & felicis memoriæ recordationis Ale- ,, xandri, Lucij, Urbani, Clementis & Cœlestini prædecessorum nostrorum, Romanorum ,, pontificum vestigijs in tam laudabili opere inhærentes nostro & futurorum fratrum no- ,, strorum favore prosequimur, & firmum & illibatum perpetuis temporibus decernimus ,, permanere, salva nimirum Apostolicæ sedis auctoritate. Subscripserat his literis præter Inno-

Innocentium Papam, Iohannes Albanienſis epiſcopus, Petrus ſanctæ eccleſiæ preſbyter Cardinalis, Iorotus S. Prudent. paſtor & preſbyter Cardinalis ſancti Martini Equirij, Lingerus ſancti Laurentij in Lucina preſbyter Cardinalis, Gerhardus ſancti Adriani Diaconus Cardinalis, Gregorius ſancti Georgij ad vellus aureum Diaconus Cardinalis. Erantque datæ Anagniæ manu Blaſij ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſubdiaconi & Notarij IX. Cal. Decemb. Indictione quartâ anni Dominici milleſimi ducenteſimi primi, quem ſupra poſuimus, pontificatus Innocentij Papæ anno quarto.

Hinc proxima æſtate anno ſcilicet milleſimo ducenteſimo ſecundo Dux Valdemarus, qui jam nomine Regis Canuti Holſatiam, Stormariam, Lubecam, Hamburgum totamque Nordalbingiam Regno fraterno adjecerat, de nuptijs cœpit circumſpicere, ut ſibi hoc pacto amicos atque affines aſſociaret. Quocirca accepit in conjugem Ingeburgam Ducis Brunſvicenſium Othonis ſororem germanam. Erat is Otho Henrici Leonis, de quo memoravimus, filius, qui & mox, defuncto Philippo, ad Imperatoriam dignitatem evectus fuit. Nuptiarum ſolemnia Hamburgi regium in morem celebrata, præſentibus, præter Canutum, perplurimis Germaniæ principibus. Aderat & Dux Luneburgenſis Gulielmus, Othonis frater, qui eodem tempore Canuti & Voldemari viciſſim ſororem *Adelheidam*, Abbas Lubecenſis, quem Crantzius ſequitur, *Helenam* appellat, ſibi matrimonio conjunxit. Aderat & utriuſque Othonis inquam & Gulielmi, frater Henricus Rheni Palatinus. Holſati his nuptijs præ ceteris gaviſi, ſperabant Gulielmum accepto in dotem Holſatiæ comitatu, in eam præfecturam mittendum. Sed ea opinio expectationem eorum magnopere fefellit. quamvis interea Gulielmus, Regis ſororius, unice ab utroque, & Rege & Duce, dilectus atque honoratus ordinariâ dotis penſione, & cujuſmodi more majorum dare filiabus in dotem reges aſſueverant, contentus ad ſua regreſſus eſt. MCCII.

Peractis nuptiarum ſolemnibus Canutus Rex Lubecam profectus, poſtquam ab omnibus gratanter ac magnifice eſſet exceptus, ei obſequij ac fidei ſacramentum unanimi ac pleno civium procerumque conſenſu eſt præſtitum. Ipſe viciſſim eorum privilegijs atq; immunitatibus ſancitis, eandem illis poteſtatem ac jus commerciorum, quo ſubditi ſui ſuis in regnis fruebantur, liberaliter conceſſit. Hinc Molnam digreſſus à civibus obſides accepit, ne, quod antea Voldemaro contigerat, datâ ſolummodo fide, poſt abitum ſuum deficerent. Mox Lubecam rediens evocari eodem curavit unà cum Ordine omni equeſtri urbiumque Conſulibus univerſam Holſatiæ nobilitatem nec non arcium præfectos aliosque, qui regio nomine Holſatiæ, Stormariæ, Dithmarſiæ, Vagriæ, Nortalbingiæ ac Ratzeburgo præerant. Quibus & Suerinenſium Comes alijque plures acceſſi. Hi ubi Lubecam veniſſent, facto coram rege ſacramento, officia ſua atque obſequij debitum ipſi volentes lubenteſque detulerunt. Rex deinde in Daniam regreſſus præfecit gubernandis Holſatis Albertum Orlemundæ Comitem. Eique in mandatis reliquit, ut obſidionem Segebergenſem à Voldemaro cœptam urgeret. quamvis apud plurimos ſuſpicio invaluerat, eum cum eſſet Adolphi Comitis, qui à Canuto captivus ſervabatur, & cujus adhuc nomine Segebergenſes arcem adverſus Danos defendebant, frater uterinus, haudquaquam eâ, quâ debebat, fide ac diligentiâ, pro rege rem gerere. Nihilominus commendatâ ei Holſatiæ præfecturâ, reverſus eſt in Daniam Canutus. Cujus adventu Dux Voldemarus, facto confeſtim procinctu, Lauvenburgum repetijt. Quod cum primo pedatu non caperet, extemplo quod erat in proximo, ſed ab hoſte dirutum, Haddinbergæ propugnaculum, reparari ac communiri imperavit. Eoque munimento obſeſſis non modo commeatum, qui Albi devehebatur, intercepit, ſed & præſidio ſuo, quod ad Lauvenburgum ſedebat, cum res poſceret, refugium præbuit. Ipſe poſt id Sleſvicum ingreſſus, cum videret parum promoveri obſidionem Segebergenſem, aſſidueque à milite excurſiones fieri depaſcique ejuſdem populationibus vicina loca, cœpit arctiori eos obſidione majorique vi premere. At illi, ut obſidentibus fucum facerent, ſparſâ de mœnibus calce, indicium præbuerunt, quaſi farre ac frumento abundarent, donec tandem extremâ adacti inediâ, ad deditionem compellerentur. Cum autem de conditionibus ac pactis, quibus fieret deditio, inter ſeſe ſatagerent, nuncius adfertur de repentinâ extremâque valetudine regis Canuti. Quapropter Voldemarus, relictâ confeſtim Segebergâ, in Daniam magnis itineribus contendit. Albertus interea Orlemundanus, ipſius vice cum obſeſſis paciſcens hiſce legibus rem tranſegit, ut miles retentis, quos habebat, agris ac poſſeſſionibus ceteriſque, quæ efferre unuſquiſque corpore poſſet, liber & quo vellet, decederet. Rex autem Canutus, cujus natalis incidit in æram anni 1163, hoc ipſo labente, quem & ſupra notavimus,

Bb iiij poſt

CANUTUS Rex.

post millesimum ducentesimo secundo, III iduum Decemb. vel ut habet Erici Regis Chronicion, II id. Novemb. nullà post se relictâ sobole, humanis ereptus est, non sine veneni, quod annotatum apud nonnullos reperio, suspicione. quamvis alij pestiferâ sublatum lue referant. Præter cetera ab eo præclarè statuta, hoc decretum legibus Scanensium insertum legitur, publiceque, vivente adhuc ipso, promulgatum, ut solus homicida de bonis proprijs teneretur ad homicidij reatum: nec ab agnatis vel cognatis, quod antea obtinuerat, quidquam exigeretur, ne pro sonte etiam innocens lueret. De eo adhuc juvene sceptrumque regni primitus adepto quid senserit ejus ævi venerabilis antistes Arnoldus Lubecensis, qui historiam Helmoldi continuavit, & quàm ille singularem ejus modestiam, pietatem, continentiam, in illis etiam opibus ac culmine regali sit admiratus, allatis superius ad finem anni 1182 ipsiusmet verbis pro parte declaratum est. Quæ & huc repetivisse fusius haud præter rem existimo. Sunt autem ista: Quid de rege dixerimus: qui adhuc in juvenilibus annis in omni actu suo ita grandævum se exhibuit, ac si de ipsius grauitate pariter illud sapientiæ dictum sit: Senectus venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata. Siquidem ut assolet talis ætas, non ludis in spectaculis se ingerebat, non discursibus aut vagationibus studebat, nec lubricitati deditus, *conjuge cum casta vivebat castior ipse*. Inter missarum quoque solemnia non, ut quibusdam moris est, susurrationibus aut placitationibus intendebat, sed codices Psalmorum aut aliarum orationum habens præ oculis, orationi devotus incumbebat. Et quia sapientiæ adhęsit, quę dicit: Per me reges regnant; ideo Deus regnum illius firmat, ut cum tempore avorum suorum in regno Danico triarchę vel etiam tetrarchę fuerint, ipse solus monarchiam regeret, quam tamen pater ejus multo labore & prudentia obtinuerat. Canutus ergo multam pacem habens in regno suo, animadvertit quod Slavi in diebus patrum suorum multas calumnitates terrę suę intulissent. Videns etiam eos auxilio Henrici Ducis destitutos, qui freno dominij sui maxillas eorum constrinxerat, suscepta adversus eos occasione, bello eos aggressus est &c. Et mox de obitu ejus loquens inquit: Sinistrum accipit nuncium Valdemarus, videlicet fratrem regem mortuum. Unde exterritus, velocius accelerat reditum, utpote fratris accepturus regnum.

VOLDEMARUS VICTORIOSUS REX LXXXI.

MCCIII.

POST Canuti excessum, confestim Valdemarus, quem natum anno millesimo centesimo ac septuagesimo, supra memoravimus, convocatis regni proceribus, indici comitia Lundę apud Scanienses curavit. Ubi & anno, qui proxime millesimum ducentesimum secundum excepit, cum eum plebs omnis totaque cum ordine equestri nobilitas, non tantum ut Magni Voldemari progeniem, sed ut multis insuper ac feliciter pro patriâ gestis rebus clarum, summè suspicerent, regio diademate ab archiepiscopo Londensi Andreâ Sunonis est insignitus. Hinc mense Sextili magno cum procerum atque aulicorum comitatu Lubecam profectus postquam ab omnibus summâ similiter veneratione esset exceptus, ei tandem, ut Vagrię ac Nordalbingiæ Domino, obsequium ac fidem polliciti Lubecenses verbis conceptis sacramentum dixêre. Ille civibus vicissim totique urbi potestatem fecit in insulis suis inque Scaniâ ac Falstriâ, cum ibi halecariæ piscationi opera daretur, res & mercimonia sua vendendi ac distrahendi, & vicissim, quidquid ibi venum exponeretur, liberè commercandi. Indulsit præterea ac permisit, ut præfectum sibi ipsi, quemcunque vellent ijsdem in locis constituerent, cui fas esset inter cives, & quicunque ipsorum jurisdictioni subjiceretur, justitiam administrare, exceptis homicidij similibusq; causis, quæ aut vulnus aut contusionem membrorumque mutilationem intulissent. Has enim ad suum seu regni forum referri voluit. Concessit adhæc pannos, cum laneos tum lineos, per ulnam divendendi aliaque per lancem & libram distrahendi copiam, modò regi, quod debebatur, vectigal portoriumque penderetur. Quin & Lubecensium si forte quispiam à regis telonario accusaretur, ei per populares suos, non verò peregrinum, causam agere seque purgare jus esset: Si quem etiam vitâ ibi excedere contingeret, ejus bona non in regis fiscum, sed ad hæredes defuncti, si adessent; sin verò abessent, ipsorum præfectus aut ejus nomine ex civibus, quicunque id in se oneris sumere vellet, domum ad proximos hæredes ea referendi potestatem haberet. Sunt & alia, sed specialiora, quæ vel evectio-

VOLDEMARUS II. Rex. A. C.

evectionis vel transvectionis bonorum furtique causas similiaque concernunt, cujusmodi recitare singulatim omnia, longius foret. Evocati eodem tempore Lubecam Hamburgenses ac Rugiæ principes, tum & Pomerani & Megapolitani dynastæ, nec non Comites Suerinensis ac Ratzeburgensis unà cum equestri Ordine omnibusque Holsatiæ, Stormariæ ac Dithmarsiæ præfectis, qui similiter Voldemarum Nordalbingiæ, id est, earum regionum ac gentium omnium, quæ à parte Albis Boreali erant sitæ (Obotritos olim dicebant) ut Dominum suum ac Regem solemni inauguratione declararunt. Ipse deinde terrarum earundem proregem renunciavit Orlemundæ Comitem Albertum: Eique ut, se absente, dicto audientes essent omnes, serio mandavit. Lubecæ autem, quæ acropolis erat & velut caput Vagriæ, situ, munitionibus ac portu amœnissima, arcem ac propugnaculum constituit: Idque Danicis præsidijs muniri curavit. Cumque has oras jam omnes suo imperio subjectas teneret, turpe putavit solum *Lauvenburgum*, ut inexpugnabile, præteriri. Itaque vires eo suas universas convertit, quod & sibi id jure quoque deberi existimaret, præsertim cum Adolphum ipsum, qui injuste illud olim Leoni ereptū possedisset, haberet in vinculis: Et jam præterea conjugem duxisset, ejusdem Leonis filiam, Othonis, qui adversus Philippum postulatus erat Imperator, sororem. Iudicabatque id sibi potius concessurum Othonem, utpote paterni hæredij portionem, quàm Adolpho homini extraneo & peregrino. Itaque obsesso summis conatibus Lauvenburgo, omnia quæ potuit, machinamenta atque astus oppugnationum adhibuit. Sed præcipue commeatuum interceptione ità eos fatigavit, ut desperarent postremò de arcis ulteriore defensione; Et optavissent à se jam ante deditam, cum id ab ipsis flatigaret Adolphus, quo eum hoc pacto vinculis simul exemptum liberassent. quapropter significabant Voldemaro constituisse se arcem ei tradere, modò Adolphum vicissim è carcere ac squallore dimitteret, ac sibi servatis bonis ac supellectile, quo liberet, abeundi potestatem concederet. Quæ cum proponerentur, cœpit archiepiscopus Lundensis Andreas, miseratione Adolphi motus, unà cum reliquis episcopis, qui in castris aderant, Adolphi negotium apud regem agere, omniaque in partem benigniorem rejicere. Adeò ut eorum interventu, res eum in modum sit composita, ut traditâ arce *Adolphus* libertati redderetur, eâ tamen lege, ut abdicato Holsatiæ Comitatu, inque perpetuum ejuratis, quæcunque à Cæsare obtinuisset, territorijs, omnibusque regionum præfecturis ac districtibus, qui olim Henrici Leonis fuissent, obsides simul daret sponderetque neq; se, neque alium quemquam ipsius nomine bellum unquam Daniæ illaturum: aut in animum ullo pacto inducturum eas intrare oras, quæ à parte Albis Boreali ad regem Voldemarum spectarent. Comes Adolphus acceptis ijs ac comprobatis, extemplo duos suorum filiorum obsides tradidit, prêter tertium sororis suę, qui filius erat Comitis Adolphi Dassensis, unà cum filio Comitis Henrici Danneburgensis ac Suerinensis, exceptis octo è nobilitate suorum præcipuis. Atque hæc facto utrimque sacramento ità firmata fuerunt, ut à parte regis obsides, elapsis annis decem, liberi dimitterentur; sin verò intra id spacij aut Comiti ac regi humanitus aliquid accideret, tum & obsides quoque redderentur. Hoc pacto traditum Voldemaro *Lauvenburgum*; emissusque è carcere *Adolphus* in comitatum suum veterem Scouvenburgensem concessit; atque ibi, quod erat vitæ reliquum, pacate transegit.

Voldemarus verò in Daniam mox regressus, indictisque Comitijs, præter cetera, suffragijs omnium nova quædam statuta ac leges tulit, quæ & inde in Codicem Legum Scanensium relata, ibidem hodieque videre est. Sub exitum anni millesimi ducentesimi MCCIV. quarti obijt regina *Ingeburga*, postquam biennium circiter regi nupta fuisset. Liberos ex eâ nullos Voldemarus sustulerat: Quâ etiam occasione affinitas, quæ erat instituta cum Othone ceterisque Henrici Leonis posteris, paulatim elanguit planeque tandem extincta est. Nam & anno, qui proximè est secutus, missis ad regem Bohemorum lega- MCCV. tis, duxit in uxorem filiam ejus Margaretam; quæ quod esset eximiæ pulchritudinis, ac virtute præterea singulari prædita, *Dagmar* est nuncupata. Eam è Bohemiâ vir nobilis ac summæ apud regem auctoritatis Strangeus, equitibus auratis triginta comitatus, Lubecam deduxit. ubi & nuptiæ eodem tempore magnâ cum festivitate ac pompâ fuerunt celebratæ. Incidit in idem hoc tempus *Marchionis Brandeburgici Othonis* secundi obitus. Cujus in locum proxime successit frater ejusdem Albertus. Inclaruit quoque eadem tempestate *S. Andreas Slagloensis*, cujus variâ memorantur miracula, quæ hodieque legere est insculpta tabellæ, quam asservat ecclesia arcis, quæ inibi urbi est adsita, Antworscoviæ. Hunc divum, cum esset in vivis, notant chronographi impetrasse à rege Voldemaro

VOLDEMARUS II. Rex. A. C.

maro Slagloenſium opido paſcuum illud, quod hodieque opidanorum uſui ſervit extra urbis pomœria poſitum.

Poſt hæc exorta inter regem Voldemarum & Comites Gunzelinum ejuſque fratrem Henricum Suerinenſem ſimultas quædam, occaſione viri nobilis, cui Iohanni nomen erat, ex familia *Ganſiorum*, qui hodieque ſatrapæ Potlatſienſes dicti, oriundo. Hunc non modò ditionibus ſuis illi exegerant, ſed arcem quoque, quam poſſidebat, *Grabo* dictam, eidem ereptam ſuæ fecerant poteſtatis. Itaque extorris ille in Daniam ad regem Voldemarum, cui erat uterque Comitum jure clientelari obſtrictus, confugiens, querebatur hanc ſibi ab illis ob id illatam injuriam, quod ſe regi ſemper obſequium ac fide deditum declaraſſet. Quocirca Voldemarus collectis extemplo copijs, quibus Albertum Orlemundanum præfecit, eas ultra Albim in Comitatus jam dictos effudit. Ubi dum igne ac ferro graſſantur, tandem captis ac ſolo dirutis *Ertenburgo* ac *Bytzeburgo* caſtellis, opimis cum ſpolijs domum redierunt.

MCCVI. Detinebatur tum adhuc in vinculis epiſcopus Sleſvicenſis Voldemarus, cum anno proximo archiepiſcopus Lundenſis Andreas alijque epiſcopi, urgente eos Romano pontifice (qui & antea per Cardinalem *Fidentium*, ac poſtmodum ſæpiſſime per literas & nuncios de liberando eo egerat) inſtare apud regem acrius cœperunt, ut idem epiſcopus in gratiam Papæ inque honorem eccleſiaſtici ordinis vinculis exemptus libertati redderetur. Regina etiam *Dagmara* fortunam ejus miſerata intercedere pro eodem non deſtitit, præſertim cum è regibus genus ducere, & ipſi Valdemaro ſanguine eſſe conjunctum intelligeret. Erat enim, ut ante memoratum, Canuti, qui à Suenone inter menſæ ſacra Roſchildiæ peremptus occubuerat, filius. Rex Valdemarus eorum poſtremum petitionibus obſecuturum ſe reſpondit, modò certo ſibi promittere poſſet, epiſcopum in poſterum quieturum, nec regni ſtatum ullatenus turbaturum: quamvis è regni conſiliarijs alij nequaquam expedire judicarent eum dimitti. Itaque de novo miſſi ad pontificem Innocentium III legati, ut nimirum ipſe de pœnâ ſtatueret, quâ eſſet multandus epiſcopus, ſi forte fidem falleret. Quo tandem ſequeſtro ablegati viciſſim ad regem Valdemarum novi nuncij, dimiſſuſque hac lege epiſcopus ut nec in Daniâ, aut Daniæ conterminis regionibus, vel alijs in locis, ubi aut ſuſpectus eſſe regibus, aut formidoloſus poſſit, uſpiam ageret, idque ſub pœnâ anathematis. Quod cum ille, addito ſacramento, ſancte ſe præſtiturum ſpopondiſſet, dimiſit eum Rex varijs donarijs ac viatico honeſtatum. Profectuſque in Italiam ad Pontificem Romanum, ibi ſubſiſtere conſtituit, donec alio aliquo epiſcopatu, aut aliàs ab eodem ornatus decedendi copiam impetraret. Bona ejus ac poſſeſſiones hæreditariæ, quas luculentas admodum ac diverſas ipſemet habuerat, in fiſcum regni redactæ, utpote qui in regem ac regnum arma ſumſiſſet: quamvis varie jam ante largitionibus eædem diminutæ, in uſum eccleſiarum ac cœnobiorum, & præſertim in *Aaſæ* ac *Beckeſchouviæ* aliaque monaſteria ceſſiſſent.

Eodem tempore ſuſcepta in Æſtios (Eſtlandos vulgo) navali expeditione, ingentem comparari claſſem Valdemarus curavit. Belli cauſam prætendebat, ut eos, qui à Chriſti fide aberrarent ad rectum Dei cultum reduceret, ac vera hoc pacto religio in gentes quam longiſſime diſſitas divulgaretur. Claſſis totius præfecti nominati archiepiſcopus Lundenſis Andreas, ejuſque frater germanus Suno, unà cum Ebbone & Laurentio Sunonis filijs. Primus in Prutenos impetus factus; mulctatoque eorum principe Ladiſlao, eum ad regni Daniæ obſequium coegit.

MCCVII. Voldemarus interea epiſcopus parum penſi habens, quæ religioſè promiſerat, anno ſtatim ſupra MCCVII, poſtquā accepiſſet fato functū epiſcopū Bremenſem *Hartvicum*, per amicos egit atque obtinuit, ut eum Bremenſes Bononiâ evocatum in locū Hartvici, collectis ſuffragijs, poſtularent. Nec illubentes ad eam electionem deveniſſe Bremenſes veriſimile eſt, præſertim cum eſſet à regibus Daniæ oriundus Valdemarus, & qui aliquando, adjuvantibus, qui ipſi non deerant, amicis ac fœderatis, ad ſceptrum fortaſſe majorum vocatus, poſſit viciſſim, quam habuerat olim Bremenſis eccleſia in Daniæ regnum metropolitanam juriſdictionem ipſorum diœceſi poſtliminio reſtituere. quamvis & erant, qui electioni aſſenſum abnuentes ſeſe abduxerant. quorum præcipuus Burchardus habebatur eidem Bremenſium diœceſi præpoſitus. Hamburgenſes præterea, qui regi Valdemaro fiduciariâ clientelâ obſtricti tenebantur, à Bremenſibus ſuſpectati, cum ſe in electionis negotio præteritos viderent, eam ut irritam habuerunt, quod ſedis iſtius dignitas à ſe ad Bremenſes antiquitus fluxiſſet. Accedebat eorum ſententiæ Rex Valdemarus, & re conſilioque

VOLDEMARUS II. Rex. A. C.

filioque adfuturum se ipsis pollicitus, tam vicinum atq; inimicum sibi præsulem cane pejus & angue detestabatur. Quapropter illi, adjuti suffragijs canonicorum aliquot Bremensium, qui electioni, quæ erat facta adversati fuissent, Burchardum Præpositum Bremensem, archiepiscopum declararunt. Bremenses nihilominus, in Italiam suscepta legatione, electionem legitime factam episcopo Voldemaro significarunt. Ille extemplo, compositis rebus, nec quidquam moratus una cum legatis Bononia Romam profectus est. Totoque negotio apud Pontificem Max. deposito, gavisus est pontifex Valdemaro aliquando post tot adversa adspirasse demum fortunam benigniorem: Dumque gratulatur legatis & novo archiepiscopo, venerunt Hamburgo nuncij, ex quibus intellexit electionem quidem collectis suffragijs, sed non omnium peractam fuisse: Et mox superveniente Regis oratore Petro Roschildensium præposito, difficultatem negotij plenius perspexit. Præpositus enim Roschildensis, licet regias literas, quas domi acceperat, sibi à grassatoribus in itinere surreptas exhibere pontifici haud possit, tamen unà cum legatis Hamburgensium declarabat pontifici, primo electionem nequaquam debitè celebratam, deinde episcopum ipsum reum esse perjurij, qui præstito sacramento Regi sanctissime promisisset se nunquam ea in loca venturum, ubi aut esse suspectus aut regi videri gravis possit: Eumque contractum ab ipso pontifice ipsius nomine, priusquam è custodia dimitteretur, fuisse signatum firmatumque. addebat præterea, nusquam subsistere eum aut morari cum regis majori aut contumeliâ aut metu posse, quàm Bremæ. Pontifex re penitius perceptâ, episcopo mandari facit, ut Romæ subsistat, dum ulteriori deliberatione habitâ, & datis ad regem Valdemarum literis, ejus vel assensum impetrasset, vel de alio aliquo honorato loco ipsi prospectum fuisset. At episcopus animadvertens rei difficultatem deque archiepiscopatu Bremensi postmodum desperans, sine pontificis venia ex urbe facessijt, ac Cæsari *Philippo*, quem pontifex oderat, quemque sciebat Voldemaro etiam regi, ob affinitatem Othonis, qui cum Philippo belligerabat, inimicum, sese conjunxit. Philippus autem, præter alia, vel ideo pontifici erat iuvisus, quod filius esset Frederici I, cujus posteritatem, quibuscunque poterat modis, premebant pontifices, & jam, ut imperio abdicaretur, ferierat non modo Philippum pontifex anathemate, sed *Othonem* insuper Henrici Leonis filium adversus eum concitarat. Moti hoc fulmine Bohemus, Turingus & Argentinensis, qui primò Philippi partes foverant, discesserunt ab eo ad Othonem. Inde nova & aspera inter utrumque bella exarserunt. Othoni non tantum Pontifex, &, quos diximus, Germaniæ principes, sed & Angliæ regis Richardi, tum & Valdemari conjunctio & affinitas eousque suffragabatur, ut Aquisgranum ab episcopo Coloniensi deductus ibique coronatus sit. Philippus parum territus aversatione pontificis & defectione sociorum convertit arma in Argentinensem, qui erat proximus, eoq; castigato & Argentinâ captâ, mox obviam processit Othoni, qui cum exercitu ad Spiram accesserat. Verum hunc, conserto ad Mosellam prælio, repulit. Fugientem consectatus, Hermannum Landgravium Turingiæ, Bohemicis auxilijs suffultum, magnâ terræ parte vastatâ, ità contudit, ut supplex veniam peteret; Inde in Adolphum episcopum Coloniensem movit, occupatisque partim spontanea deditione, partim persuasione, sitis ad Rhenum opidis, Coloniam tandem commeatu deficiente ad deditionem compulit. Rebus conclamatis, Adolphus Coloniensis, cum gratiam Philippi emeruisset, vicissim illi imperij insignia, quæ antea Othoni contulerat, Aquisgrani imponit. Quapropter incensus Pontifex Coloniensi ordine moto successorem decrevit Brunonem: Et Othonem impulit ut, Adolpho ejecto, alterum episcopatu donaret. Quod dum agere Otho satagit, aliquot ei copiarum manipulos, præter æs signatum, subsidio misit Rex Valdemarus. Sed Philippus multoties jam victor, denuo admotis Coloniæ castris, cum Othone feliciter dimicavit. Tumque identidem fusus Otho ac profligatus in Daniam abijt ac Ripis (quod Cimbricæ Chersonesi maritimum est opidum Oceanum Britannicum prospectans) classe à rege acceptâ ad avunculum suum Richardum in Angliam enavigavit. Episcopus Valdemarus hac usus occasione, licet invito, ut dictum, pontifice, vota tamen sua ad Philippum convertit, & ab eò benigne susceptus inque odium ac contumeliam pontificis Bremam missus ibidem ejusdem auctoritate episcopatui est impositus. Sed pontifex, quod se contempto, & sacramento quoque, quod Valdemaro regi fecerat, posthabito, excommunicati potius Imperatoris partes, quam ecclesiam Romanam sequeretur, anathematis in eum fulmen vibravit, fierique ejusdem execrationis varios codicillos præcepit, eosque per totam Germaniam sacrarum ædium valvis affigi ac evulgari curavit: quibus idem episcopus, ut homo turbulentus,

PHILIPPUS IMP.

VOLDEMARUS II. Rex. A. C. lentus, & in sedem Romanam contumax, & qui nec fidem, nec famam neque promissa magnifaceret, passim proscribebatur. Verum literæ pontificis, cum aliquandiu apud Bremenses fuissent suppressæ, nec reperiretur, qui eas auderet exhibere, factum est ut die solenni, cum populus confertim ad donaria sua altari imponenda concurreret, ut è turba unus excommunicationis has literas altari imponeret, & alij, dum ab altari recedunt, easdem in templi pavimentum sibi quasi excidere sinerent. Sed episcopus Cæsare fisus, flocci hæc omnia fecit: & facto haud multo post in territoria regis Voldemari, quæ juxta Albim erant, impetu, Dithmersiam, Stadam, Hamburgum, quomodo olim fuissent, suæ diœcesi subjicere allaboravit. Et hoc dum agit, Stadensem Comitatum, & si quid præterea ab illa Albis parte ad diœcesin Bremensem pertineret, recuperavit. Sed Rex, rebus ad bellum paratis, Hamburgum concessit, ac omnium primo Burchardum, Præpositum Bremensium, episcopum promulgari curavit, assentientibus non tantum Hamburgensibus, sed & Bremensium nonnullis, qui Papæ præsertim dicto erant audientiores. Eique deinde Voldemarus diœceseos Hamburgensis omniumque bonorum, quæ ab alterâ Albis parte erant sita, & ad deditionem Bremensem spectabant, investituram, ut vocant, transcripsit; Ac Stadâ vi captâ, eundem Burchardum intra urbem deduxit, ac totum denique Comitatum, quem paulo ante recuperaverat episcopus Valdemarus, ut ante ipsum Hartvicus tenuerat, & Valdemarus Rex, capto Adolpho Comite, sibi aliquandiu servaverat, eidem in universum subjecit. Tunc & Suerinensium Comitatus, quod Comes Gunzelinus, & frater ejus Henricus, episcopi partes fuissent secuti, à milite ejus invasus prædæque datus est. Ipse autem eodem tempore per Albim flumen pontem explicuit, ut ità, cum opus esset, Burchardo auxiliares è Daniâ copias facilius submitteret. Burchardus interim, revocato domum regio exercitu, Stadæ relictus, ibi & belli & episcopatus sedem posuit. Unde eum Valdemarus episcopus, quamvis varijs conflictibus ac manu consertâ sœpissime tentaret, haud unquam exturbare potuit.
MCCVIII. Ac tandem anno Christi octavo, post mille ducentos, cum Imperator *Philippus* à Wittebachio quodam paricidiali manu esset confossus, & in ejus locum suffectus *Otho*, Leonis filius, tum sibi metuere episcopus cœpit, præsertim cum Valdemarus Rex pro Burchardo apud Othonem intercederet, ut ei episcopatus in totum permitteretur. Quod & Otho facturum se pollicitus apud pontificem & Bremenses facillime obtinuit. Traditâque mox *Burchardo* totius præsulatus investiturâ, eum solenni & magno cum dignitatis splendore, præsentibus præter ceteros, Valdemari delegatis, introduci Bremam curavit. Atque ità universa illa episcopalis diœcesis Burchardo cessit; Valdemaro interim episcopo Romam confugiente; Ubi Papæ supplex factus, id tandem obtinuit, ut, episcopi servatâ dignitate, suffraganei munere, ubicunque daretur, exceptâ Bremâ, fungi ipsum liceret. Supervixit exinde annis aliquot, & quis demum exitus quæque fortuna ejus fuerit, postea referetur.

Ad hujus aut præcedentis anni æram obitum florentissimi rerum Danicarum scriptoris Grammatici Saxonis referendum supra demonstravi, contra quàm ij, qui ad ævum extremũ Canuti regis jam ante memorati, nescio quâ oscitantiâ, huc usq; retulerant, scilicet ut ei quoque, homini omnium & præsertim popularium memoriâ ac commemoratione dignissimo, quod ad diem emortualem, idem quod Homero de loco natali, qui etiamnum quæritur, & quem ob id gravis author cœlitem fecit, usu veniret. Ejus postmodum tumulo epigraphe imposita, quæ hodieque Roschildiæ servatur, & ut legi ab omnibus possit, adscribendam hîc censui:

Qui vivens alios æternum vivere fecit,
Saxo Grammaticus mortuus hîc recubat,
Mortuus extincto sed tantum corpore, mente
Quâ valuit, magno vivit & ingenio.

Burchardi autem quem oppositum Valdemaro jam diximus, quamobrem historia Bremensium præsulum, quæ est in manibus, Crantziusque in Metropoli suâ mentionem nullam injiciant, sed Gerhardi solummodo Osnaburgensis, cum Burchardi tamen certi auctores, & ipse in Dania Crantzius disertè quamvis obiter meminit, quod dicam non habeo; nisi illud forte, quod Gerhardum episcopatu illo pontifex, Burchardum Rex Valdemarus ornandum voluerit.

Apud Suiones hoc anno periculosi motus exorti, qui & Daniam infortunio ac cladibus involverunt. *Suercherus* enim, qui sceptro tum gentis potiebatur, insuper habitâ, quæ jam

VALDEMARUS II. Rex. A. C.

jam ante, inter divi Erici & Caroli regum prosapiam facta fuerat, pactione, ut nimirum ex eorum posteritate Reges alternis vicibus imperarent, liberos Canuti, qui filius fuit divi Erici, aut trucidarat omnes, aut proscripserat. Quorum è numero Ericus, dum fugâ sibi consulit, apud Norvagos delitescebat. Sed mox domum & in patriam regressus nobilitatem & plebem adversus *Suercherum* concitando, magnas jam vires comparaverat. Adeò ut timens sibi Suercherus, regem Valdemarum ingentibus promissis fatigans prensansque, eò tandem permoverit, ut validus ab eo exercitus ex Danis ac Bohemis conflatus, Suerchero auxiliaris submissus sit. Utrisque & Danis & Bohemicæ genti cum imperio præerat episcopus Roschildensis *Petrus senior.* Cui proxime conjungebatur *Ebbo Sunonis*, Knaerdorpij satrapa, unà cum fratribus ejusdem Laurentio & Iacobo. Ipse Suercherus Rex Benedictam, Ebbonis filiam, conjugem duxerat. Qui & suas cum Danis postquam vires junxisset, statim adventantem hostem Ericus cum Vestrogothis excipiens, tantâ strage affecit, ut vix aliàs majorem ijs in locis contigisse memoriæ sit traditum. Nam fuso fugatoque Suerchero, ipse Ebbo cum fratre Laurentio alijque equestris utrimque ordinis viri, dum hosti instant, præliando occubuerunt. Corpus utriusque Ebbonis, inquam, & Laurentij Ringstadam deportatum ac proxime Torberni fratris tumulo terræ mandatum. Nati hi erant patre Sunone Ebbonis, qui, ut ex Saxone liquet, Absolonis archiepiscopi patruus fuit. Monstratur hodieque apud Vestrogothos prope villam, cui *Lænæ* nomen, memorabilis hujus pugnæ locus; caniturque duobus versiculis à Sueonibus tum confictis, qui quod ex Latinis & vernaculis, inter se mixtis voculis constent, Scuttici sive militares ac generis miscellanei appellantur populariter. Sunt autem isti:

Contigit in Læna, Thuo Iutta, lopa forena
For Suenska suena, thoge dorsa verbere plena.

Suercherus autem Rex cum suis, qui cladi superfuerant, postquam in tutum se recepisset, collectis de novo viribus, rem adversus Ericum aliquandiu sustinuit: dum tandem biennio post, iterum cum eodem circa Gistelbroum confligens æque infeliciter, aut potius multo quàm prius infelicius manum conseruit. Nam & ipse tum simul unà cum Folcone Comite, alijsque magni nominis viris oppetens, in Alvastro deinde cœnobio prope regum ceterorum mausolea tumulatus est. Statim ab ejus excessu Ericus, Canuti filius regni diadema assumens, illud & prudenter & pacatè administravit. Misitque sub ipsum continuo imperij initium ad regem Valdemarum legatos, qui in tesseram pacis, & ut deleretur illatæ cladis memoria, *Richesam* ejus sororem in matrimonium sibi postularent. Factusque voti compos eam mox domum duxit. Ex hac nati postmodum maximi reges, qui exinde Sueonibus longa serie feliciter imperarunt.

Voldemarus autem Rex in omnem eventum firmando limiti incumbens demoliri circa idem hoc temporis Wittenbergum, & ejus loco Hamburgum exædificari curavit, ac denuo strato per flumen ponte, ripam Albis Australem Boreali conjunxit. Anno verò proximo, qui erat supra millesimum ducentesimum nonus, exortum desubito Lubecæ incendium, quod oppidum universum omniaque ædificia, exceptis quinque domibus, unde & hodieque vico isti *domuum quinque* nomen, intra exigui temporis momentum, penitus absumpsit. Rex eorum hoc detrimento motus non modò telonia ipsis, & alia, quæ pendere vulgo tributa consueverant, in annos aliquot remisit; sed & immunitates præterea concessit, ut eo alacrius restaurandæ urbi incumberent. Tum quoque, quod erat prope Slesvicum, Guldenholmæ monasterium, Latine *auream insulam* dicebant, commutatatum vel potius translatum ad Ryæ cœnobium, *rus regis* dictum; annuente & assensum suum præbente, qui Valdemaro episcopo successerat, Nicolao. Causa translationis memoratur cum urbis Slesvici propinquitas, tum & flagitiosa monasticorum & ipsius quoque Abbatis, qui ipsis præerat, vitæ ratio. Nicolao autem episcopo varia sub idem tempus ossa, similesque sanctorum relliquias (quæ, ut erant illa tempora, summo in pretio habebantur) Regina Galliarum *Ingeburga*, Valdemari germana soror è Gallijs usque Slesvicum honorarij loco, transmisit. MCCIX.

Valdemarus verò constitutis circa Albim rebus, anno sequenti expeditionem in Prutenos suscepit, ut & illæ circumquaque gentes, paganis adhuc deditæ, Christiana pietate imbuerentur. Præter ceteros coactus Polanorum dynasta Mistovius in verba & obsequium ejus sacramentum dicere. Superius ad annum 1164 meminimus haud absimilis in oras easdem à parente ipsius primo Valdemaro factæ navigationis, cum is nimirum circa MCCX.

VALDEMARUS II. Rex. A. C.

Vistulæ exitum *Dansvici* initia & velut fundamenta poneret. Quam inter & hanc Valdemari filij navalem militiam anni effluxerunt quadraginta circiter sex.

Eodem hoc tempore regina Dagmar filium regi genuerat *Valdemarum* nomine: Nec multò post celebratæ sororis ipsius *Richesæ* cum Sueonum rege Erico nuptiæ: ac simul peracta filioli recenter nati baptismatis solemnia. Tum & Comites Suerinensium Gunzelinus & Henricus cum rege eousque transegerunt, ut non modò in gratiam ipsi recepti sint, sed & filios ipsorum & Adolphi, obsidum loco, ut ante memoratum, retentos, dimiserit liberos; hac tamen lege & conditionibus, ut nec in posterum ipsi adversus Daniam arma capesserent, neque fœdere cum alijs, qui idem regnum infestare fortasse possent, conjungi se unquam paterentur. Quæ etiam omnia adhibito sacramento, seriò severèque promissa, sed non servata fuerunt, ut inde dicetur. Stralesunda quoque ad Balthicum mare situm opidum, ab insulâ vicinâ *Strala* & *Sunda* freto, quod Rugiam à Germaniæ continente dirimit, nomen habens, circa idem hoc tempus à Danis exædificari atque incolis Saxonibus frequentari cœptum. Quamvis sint, qui Iarimaro Rugiæ principi id potius attribuant: quod ita accipiendum, ut auspicium fundationis à Iarimaro quidem, sed rege Valdemaro mandante, factum intelligatur, ac postmodum anno 1230, à filio ejusdem Iarimari Vislao ad finem perductum sit. Quin & duces Pomeranorum Bugislaus & Cazimirus, priusquam vallo idem & fossis in totum esset circumcinctum, cum urbem invadere ac
MCCXI. prohibere exstructionem sub annum sequentem, qui fuit ultra millesimum ducentesimum undecimus, conarentur, opposuit se illis Rugiæ dynasta Iarimarus, fretusque auxilijs, quæ ei submiserat rex Valdemarus, infestum eorum agmen repulit. Hoc eodem tempore, filium secundo genitum, cui *Canuto* nomen fuit, eadem regina Dagmar Valdemaro peperit. Et ipsa postmodum ut nihil perpetuum mortalibus datum, anno qui proxime est
MCCXII. secutus, supra MCCXII, Ripis ex eodem puerperio in fata concessit. Honori ejus ac memoriæ exstrui arcem Valdemarus fecit, amœnissimo loco positam in lacu, cui *Arresøe* vocabulum. Ipsa arx *Droningsholmia*, quasi tu *reginæ insulam* dicas appellata. Defunctæ corpus Ripis Ringstadam prolatum. Ubi & celebratis quam decentissimè exequijs, juxta regum ceterorum monumenta depositum est. Fatalis quoque hic annus fuit Iarimaro Rugiæ principi. Qui relictis tribus filijs *Vislao*, *Barnuto* & *Suentoploco*, sub anni extremum è vita migravit, sepultus in cœnobio, quod ipse fundarat, cui *Berga* nomen. Ei filiorum natu maximus *Vislaus* in imperio proximè successit. Obijt tum quoq; dux Luneburgensium *Gulielmus*, Valdemari sororius, de cujus cum Adelheida nuptijs supra memoravimus.

MCCXIII. Valdemarus, anno sequente, instituta in Pomeranos expeditione, *Deminum* venit, & arce seu opidi propugnaculo, quod dirutum fuerat, denuò exædificato, ac communito, Neoburgum, quod minus id sibi usui esset, in planum deduci imperavit. Ac mox, cum animum ad novas nuptias appulisset, in conjugē sibi assumsit *Berengariam*, Ferandi Flandrensis Comitis sororem, *Berngardam* Danice dictam. Ea dum ad onera & collationes subditis imponendas maritum instigat, ut mala ac malorum incentrix à Danis celebratur, adeò ut olim Romæ Licinij Bucconis senatoris conjux *Afrania*, ad lites contrahendas prompta, & quæ pro se semper apud prętorem, quemadmodum refert Valerius Maximus, verba faciebat, ad muliebris calumniæ exemplum evasit, sitq; pro crimine exinde, ut idem addit, improbis fœminarum moribus *Afraniæ* nomen vulgo objectum, ita hæc populari proverbio nomen suum celebre fecit. Nam vulgo hodieque malam & imperiosam fœminam *Berngardam* Danicè vocamus. Ferandus autem ipse, aliàs Ferdinandus dictus, Sanctij Portugalliæ regis natu minor filius fuit. Flandrensium Comitem appellant, quod cum Iohanna Constantinopolitanâ Flandriæ hærede, connubium contraxisset, ut ita regina *Berengaria*, soror ipsius, non Flandrica, sed, quod paucis observatum, Lusitana similiter fuerit Sanctij I Portugalliæ regis filia. Eas nuptias acceleratas Valdemaro; nec votis omnium respondisse, ex rhytmis vernaculis, sive nœniâ est, in obitum reginæ Dagmaræ, eo tempore vulgò decantata, quæ & hodieque est in manibus, facile potest intelligi. Duardus verò Nonius de verâ regum Portugalliæ genealogiâ, quod cœlibem vitam egisse Berengariam & in cœnobio S. Crucis sepultam referat, minus è vero relatum, hinc liquet: Obijt hoc anno *Petrus Sunonis senior* dictus, Roschildensium episcopus, vir non minus togâ & sago quam natalibus clarus. Ei omnium suffragijs surrogatus *Petrus Iacobæus*. Apud Slesvicenses quoque ejusdem diœceseos præsul Nicolaus vitâ excedens successorem, accepit *Tychonem* nomine.

Post verò cædem Philippi, imperium, ut diximus, ad Othonem devolutum est. Quod tamen

VOLDEMARUS II. Rex. A. C.

tamen ille haud diu possedit, dejectus scilicet hoc ipso tempore pontificis Romani, per quem evectus fuerat, sententiâ; Romæ enim cum initio Innocentium tertium & facilem & officiosum in impetrandâ coronatione esset expertus, mox eundem post coronationem habuit infensissimum. Hoc odium eousque processit, ut pontifex tandem percutiendum anathemate atque abdicandum imperio censeret. Quod Otho animadvertens, contractis copijs, Romandiolam, Thusciam, ac Marchiam Anconitanam occupavit. Atque inde, motis in Apuliam castris, illud studio habuit, ut quæ Fredericus Henrici sexti filius tenebat, alienata ab imperio artibus pontificum, repeteret ac redderet imperio. Verum id agentem pontifex fulminis sui ictu profligavit, & in locum ejus renunciari imperatorem curavit *Fredericum*, quem dixi, *Barbarossæ* pronepotem, Henrici filium. Quâ etiam occasione rex Valdemarus cum sua in Othonem, quam ejus in se majora beneficia, atque affinitatis quoque sua officia promptiora extitisse putaret, misso Othone, per legatos suos adeundum novum imperatorem Fredericum II judicavit. Hi postquam in aulam Cæsaris advenissent, & ei regis sui nomine essent gratulati, imperiumque felix ac diuturnum precati, amicitiam simul ipsius ac favorem expetiverunt: Rogantes præterea ut Vandaliæ ac Nordalbingorum regiones territoriaque, quæ ultra Albim in solo Germaniæ sunt posita, quæque vel ipse Valdemarus, vel ejus jam olim majores armis acquisivissent, ea suo assensu Daniæ regno regumque titulis inserenda vellet annuere, ac ratum habere. Cæsar, his acceptis, electorum usus consilio ejusmodi super ea re codicillos fieri, & per eosdem legatos honorifice dimissos ad Valdemarum referri curavit:

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis:

Ego Fredericus divina favente clementia Romanorum rex, semper Augustus, & rex Siciliæ, notum facio, quoniam omnis gloria majestatis augustæ, ad augendam universalis ecclesiæ pacem, modis omnibus elaborare tenetur. Idcirco nobis divinâ largiente clementiâ ad paternum atque Romanum imperium ascendentibus, primum & potissimum consilium fuit, cum vicinis pacem firmare regibus, ut sponsa Christi ecclesia, pro cujus defensione gladio utimur, ipsorum cooperatione in diebus nostris tranquilla semper pace lætetur. Hujus rei gratia cum dilecto nobis Domino Valdemaro Danorum regè Christianissimo perpetuas & inviolabiles firmavimus amicitias. Eique de consilio & consensu principum Romani imperij, pro pace sui regni custodienda, & hostibus nostri imperij coercendis, omnes terminos ultra Eidoram & Albiam, Romano attinentes imperio, quos rex Canutus multis provocatus injurijs, cum fratre suo jam dicto Valdemaro rege, armis obtinuit, & possedit. Et quicquid in Slaviâ rex Canutus comparatum paterno suo labore tenuit, regno ipsius addimus; factumque præsentis privilegij nostri authoritate & sigillorum principalium impressione, confirmamus. Nullus ergo successorum nostrorũ vel principum Romani imperij, super prædictis, eo quod aliquando imperio subjecti fuerunt, memoratum Dominum Valdemarum regem dilectissimum, armis vel querimonijs inquietet. Quia non solum in istis, sed etiam in omni causa & necessitate, contra omnem personam, salvâ sedis apostolicæ reverentiâ, sic ei semper adesse statuimus, sicut eum nobis & nostris negotijs adfuturum non dubitamus. Hujus rei testes sunt *Sifridus* Mogunt. archiepiscopus, & sedis Apostolicæ legatus, *Theodoricus* Trevirens. archiepiscopus: *Amadeus* Byzant. archiepiscopus: *Conradus* Metens. & Spirens. episcopus & imperialis aulæ Cancellarius: *Otto* Wirtzburg. episcopus: *Othecarus* Rex Bohemiæ: *Ludovicus* dux Bavariæ, *Leopoldus* dux Aust. *Theodoricus* Marchiæ Misnensis, & Orientalis Marchio, *Theobaldus* dux Lotharingiæ, *Otto* dux è Meran, *Albertus* comes de Eberstein. Datũ apud Mezios anno dominicæ incarnationis MCCIV per manus *D. Conradi* Metens. & Spirens. episc. imperialis aulæ cancellarij. MCCXIV.

Emiserat paulo ante in Balthicum mare classem Valdemarus: hæc oras Pomeraniæ maritimas undique infestas habens, ac tandem *Stetino* in regis potestatem redacto, præter alia aliquot castella, propugnaculum etiam occupat, quod ibi exstructum habebat Marchio Brandenburgicus, *Mutenum* appellabant. Suerinensium etiam Comites suo suorumque nomine solenniter facto sacramento declararunt se, ubicunq; occasio aut res regni postularet, præter justum peditum numerum equites sexaginta in auxilium regi suffecturos; Mox autem, defuncto archiepiscopo Bremensium *Burchardo*, in locum ejus submissus est à pontifice *Gerhardus Osnaburgensis*. Sed eum admittere nolentes Bremani ablegarunt in Italiam nuncios, qui *Episcopum Voldemarum* commonerent, ut, conquisitis, quam posset citissimè, auxilijs, Bremam properaret, se eum recipere, & junctis viribus, exturbare

bare Osnaburgensem paratos. Valdemarus, re accepta, confestim se contulit ad Othonem Brandeburgicum, qui odio regis Valdemari, quod ejus classes, ut modo dictum, castellum Mutenum aliaque maritima loca invasissent, tumultuarias aliquot episcopo copias tradidit. Nec defuit Otho Imperator, qui, ut memoratum, anathemate à pontifice tum percussus, in ejus invidiam omnem movit lapidem, ut Bremam Valdemarus reduceretur. Quodque factum ope præsertim Henrici Palatini ad Rhenum, qui frater erat germanus Othonis. Hic, manu armatâ, reposito in suam sedem Valdemaro, totam ei diœcesin subjecit, expulitque, qui à pontifice designatus fuerat, Osnaburgensem Gerhardum. Sed pontifex illis hoc nomine succensens non tantum Valdemarum episcopum, sed & ceteros, qui ei favebant, & ipsos quoque Bremenses ferit anathemate. Valdemarum etiam regem haud leviter ussit, episcopum sibi vatiniano quodam odio inimicum, jam denuò huc usque provectum, ut eum & viribus & vicinitate loci formidabilem haberet. Itaque collectâ quamprimum classe Albim ingreditur, ac Stadensibus, quod & illi dato juramento, Valdemarum episcopum recepissent, obsidionem intentat. Verum Henricus Palatinus, Othonis, ut diximus, frater, satis in adversum suppetijs, obsidionem impedijt. Unde & Otho Imperator, captâ hinc oportunitate, jam sibi datam occasionem existimabat Daniam bello aggredi, præsertim cum episcopum Valdemarum, quem defendendum susceperat, impeti à rege Valdemaro videret. Incitabat præterea, & oleum veluti camino addebat Albertus Marchio Brandenburgicus: tum & obitus accedebat Wilhelmi Luneburgensis, qui, ut modò diximus, sororem Valdemari regis duxerat: Quæ & ipsa, sicuti & Wilhelmi Othonisque soror, quæ regi vicissim Valdemaro fuerat nupta, fatis jam concesserat. Adeo ut eorum discessu affinitas jam omnis penitus videretur extincta: Nec pensi faciebant, aut in memoriam revocabant vetera regis Valdemari beneficia, & toties Othoni, dum adversus Philippum Imp. belligerat, præstita subsidia, opesque ac copias missas; ac tandem à Philippo profligatus inque Daniam profugus, quam etiam tum à rege Valdemaro benigne susceptus, ac classe, ut in Angliam trajiceret, oportunè adjutus fuerit. Nihil inquam horum recordabatur Otho: sed manu, quàm potuit, maximâ comparatâ Hamburgo exercitum admovit. Cui & suas conjunxerat copias frater ejus *Henricus Palatinus*, & Marchio Brandenburgicus *Albertus*, unà cum episcopo Valdemaro. Hamburgenses, non diu tolerata obsidione, licet haud ignorarent in procinctu jam esse ad solvendam obsidionem Valdemarum, urbem Othoni permittunt, quamvis ipse utpote à pontifice proscriptus, haud diu intra mœnia subsistendum sibi existimavit; præsertim cum non tantum ipse Cæsar Fredericus II qui in ejus erat locum surrogatus ipsum persequeretur, sed etiam quia adventare jam Valdemarum regem cum exercitu 60 millium (alij 40000) probè armatorum virorum acceperat. Relicto itaque intra urbem valido præsidio ipsemet præpropere portis excessit. Et mox cum deseri se à Germaniæ principibus, evehi verò ac magnifieri Fredericum, animadverteret, imperio suâ sponte se abdicavit, mortuus triennio post privatus in urbe patriâ Brunsvigæ. Atque ita Hamburgenses occasione profugi Othonis agnoscere Cæsarem postliminio cœperunt. *Stedingi* quoque jam ante ab episcopo Valdemaro sollicitati arma pro eo sumserant, arcibusque Minzovio, Sehusio, Sturboo, captis & eversis, in reliquam diœcesin vim suam effuderant. Sed mox ab Henrico Hoyensi, non parvâ eorum manu cæsâ fugatâque, compressi sunt. Hi sunt illi *Stedingi*, qui postmodum à Gregorio IX pontifice, & imperatore quoque Frederico II proscripti fuerunt; cujus causam fuisse neglectas religiones ac impietatem nefariam criminati proceres ecclesiæ Bremensis: adducentes nonnulla eorum maleficia, (ita etenim vocat Abbas Stadensis) quasi projecissent Christiana sacra, Eucharistiam pedibus conculcassent, ad dœmonum responsa se convertissent: Quamvis referant scriptores alij, sacerdotem in solemni Paschatis die fœminæ ad aram accedenti nummulum, quem ab ipsâ pridie acceperat, ad exprobrandam muneris oblati exilitatem, pro Eucharistiâ in os ingessisse: eam cum glutire non posset, pavore correptam expuisse: rem cognitam marito suo, viro feroci ac militari, indicasse: illum contumeliæ impatientem sacerdotem confecisse: Eamque ob causam totum ejus agri populum, cædis authorem ad supplicia non dedentem, interdicto à sacris esse prohibitum: populumque eâ injuriâ provocatum reditus præsuli Bremensi consuetos negasse, & contra ejus emissarios ministrosq; milites, præsidio ad Visurgim disposito, fines suos defendisse; præsulem querelas ad pontificem Gregorium nonum detulisse; ab eo tres episcopos nominatos, qui in causâ inquirerent: inquisitione ab his factâ

factâ (Frisicarum hîc rerum scriptores sequor) circa contumaciam potissimum crimen hæsisse: id idololatriæ par esse judicatum: Atque ità à pontifice pariter & imperatore proscriptos *Stedingos*; indeque propositâ delictorum veniâ, sicuti tum moris erat, plebem & nationes passim in concionibus contra eosdem, velut in Saracenos aut Turcas aut Prutenos ad militiæ sacramentum evocatos.

Anno verò, qui proximè secutus est, decimo quinto, supra millesimum ducentesimum, MCCXV. cum jam gelu esset induratus Albis, repetijt, cum expedito exercitu Stormarios rex Valdemarus. Ac primum Stadæ opidum ingressus, inde castris promotis Saxoniam inferiorem pervadens, quicquid terrarum ad Henricum Palatinum pertinere cognoscebat, diripit ac vastat. Ac mox priusquam flumen gelu solveretur, verso procinctu, omnes suas vires in Hamburgenses convertit. Sed illi cum minus quàm ante ad deditionem faciles viderentur, & arma in adversum ostenderent, exstructis ab utraque urbis parte propugnaculis, commeatum eis undiquaque interclusit. Harum munitionum, quarum alteram ipse rex, alteram constituerat Albertus Orlemundanus, qui regis nomine Holsatiæ totius præfecturam gerebat, hodieque adhuc circa Scipsbecam spectabantur vestigia. Ac tandem Hamburgenses, postquam omnia fecissent, & jam inedia plebem urgeret, essentque præter ceteros, ex ducibus, quos Otho præsidio reliquerat, à Frisijs maritimis, Danici districtus bellicoso populo, duo obtruncati, Valdemaro se dedunt. Qui in Daniam mox reversus; regni comitia celebrari fecit in insula, quæ est posita inter Selandiam & Cimbricam Chersonesum, quam vernaculè *Samseam* evocant, nos *Samum Danicam* dicere possimus. Hic filius ejus *Valdemarus tertius* procerum omnium suffragijs regno inauguratus; atque inde profectus ad concionem, quæ habebatur Viburgi Cimbrorum, eundem affectum ac favorem erga se cunctorum expertus est. Natusque regi eodem tempore anno MCCXVI matre Berengariâ reginâ, de quâ ante meminimus, Ericus filius. MCCXVI. Quem continuò post ducem Slesvicensem nominavit, ac declaravit, attributâ Canuto filio Lalandiâ. Fratrem verò utriusque nothum, Nicolaum nomine, præfecit comitatui Hallandiæ. Eodem temporis tractu episcopus Roschildensis *Petrus Iacobæus* relictâ functione honoribusque amplissimis, peregrè profectus apud exteros supremum vitæ diem clausit. Tradunt aliqui præsagio & visis quibusdam, quæ imminentes calamitates, & quæ secuta sunt postea mala, prænotarint, commotum patriâ excessisse. Tum & Comes Orlemundanus Albertus regis jussu castellum in crepidine Tramundæ collocavit. Bockeleburgum verò apud Dithmarsos, quod eversum fuerat, ejusdem mandatu restauratum est. Tanta autem eosdem Marsios, præsertim Oceano viciniores, maris vis invasit, ut perruptis circumquaque inundatione oceani aggeribus, plusquam hominum sexcenti aquis absorpti sint. Nicolaus autem, quem diximus, Hallandiæ Comes post accepta dignitatis insignia virginem sibi matrimonio junxit, Idam nomine. Erat hæc Guncelini & Henrici comitum Suerini soror: accepitque cum eadem in dotem Comitatus Suerinensis æquam portionem; Sed ipse brevis ævi anno sequenti, relicto filio sibi cognomine, è vitâ migravit.

Contigitq; eodem circiter tempore, annum millesimum ducentesimum decimum septimum nominant chronologi, MCCXVIII. ut Comes Palatinus Henricus unà cum episcopo Bremensi Gerhardo die dictâ ad regem Valdemarum Slesvicum venerit, æquam cum eo post tot dissidia pacem renovaturus. Hic est annus, quo denuò, & multò quam unquam antea major & opum & hominum undiquaque vis collecta, qui nomen suum sacræ militiæ, quæ in Palæstinam parabatur, dederunt. Eminebant in ijs, præter ceteros, qui Venetijs, Brundisio, Genuâ, alijsque è portubus Italiæ solverunt. Aderat & rex Ungariæ *Andreas*, tum Cyprius ac Hierosolymitanus: Austriacus & Bavarus duces, Balduinus Flander, *Ludovicus Sabaudus*, *Bonifacius Montisferratensis*, *Henricus Nivernensis*, compluresque alij è procerum ordine. Pars eorum in Syriam, reliqui in Ægyptum cursum flectabant. Ex Germaniâ, præter Trevirenses, Colonienses, Hollandos, Frisios, aliosque semotiores, Dux Pomeraniæ *Cazimirus*, assumtis consiliarijs aliquot, quos inter *Comes Suerinus Henricus* fuit, magnam præterea secum à boreali hac plagâ manum ducebat. Sed ipse terra marique multa aspera atque adversa cum socijs perpessus, cum in Syriam salvus advenisset, moritur. Præter Damiatam florentissimum opidum, quod tum amissum, alia quoque alibi minus feliciter gesta. Oliverius cujus opera in ea expeditione utebatur episcopus Coloniensis, vir, ut ferebant ea tempora, cumprimis eruditus & facundus, & ab ipso Romano pontifice ad eam profectionem auctoratus; is militiæ istius historiam enarrans, scribere non veretur, sibi videri, non aliam magis ob causam opidum tam

VALDEMARUS II. Rex. A. C.

munitum ac validum, & cui ad obsidionem, quantumvis diuturnam tolerandam deesse nihil poterat, Christianis præsertim classe & mari prævalentibus, tam subitò esse amissum, quam quod ij, qui belli summam administrabant, nec in Deum pij, nec erga Theutones, prout debebant, æqui satis ac grati fuissent. *Cazimirus* autem domo tam procul, ut diximus, in fata concedens, filium subditis reliquit infantem Villaum tertium, qui mox post patrem, ubi ætas ejus adoleverat, ad ducatum administrandum promotus est.

Valdemarus autem rex, compositis externis dissidijs, & rebus etiam domi pacatis, filio suo Valdemaro, quem ante biennium inauguratum meminimus, regium hoc tempore diadema imponi curavit; ut esset, qui in omnem eventum, se defuncto, regni rebus admoveretur. MCCXVIII. Acta hæc Slesvici anno MCCXVIII die divo Iohanni sacro, præsentibus episcopis quindecim, principibus tribus, & aliquot item comitibus, præter procerum ac nobilitatis promiscuæque plebis immensam frequentiam. Tum quoque inter Albertum Orlemundanum & regem de opido *Hamburgo* ita conventum; ut is illud sibi acciperet, unà cum jure ac privilegijs omnibus regijs, hac tamen conditione, ut regno quotannis argenti quinquaginta marcas dependeret: atque ipse in regis obsequium, quandocunque res arma aut militem requireret, cum numero copiarum paratus adesset.

Nec diu domi moratus Valdemarus, ubi per certos homines nuncium accepisset Livonos, assumtâ à vicinis Borussis, Lithuanis, Semigallis, Ruthenis auxiliari manu, in eo esse, ut omnes quicunque regi Valdemaro sacramentum dixissent, sacraque Christiana suscepissent, sedibus ac loco pellerent, ad arma conclamat. Comparataque numerosâ classe, quæ navigia minora quinquaginta, ac totidem parones, sives naves grandiores, continebat, in Esthones profectus est. Harum navium minores singulæ præter duodecim remiges aliosque naucleros, equitem cataphractum cum sagittario vehebant. Parones habebant tam nautas quam milites centum & viginti. Alij, quos inter Erici regis chronicion, naves longas mille quingentas nominant. Rex postquam terram intrasset, videretque Barbarorum, qui collecti aderant, inconditam multitudinem, contremuit, ac pedem referre suosque reducere, quam infeliciter tanto cum numero rem gerere satius existimavit. Sed Præsul Arhusiensis, cui *Petro* vocabulum erat, regem præsenti animo esse cohortatus, de eventu quoque securus ut esset commonebat, modò Deo fisus pietatem coleret, ac Berengariæ reginæ, quæ ad onera & vectigalia subditis imponenda incitabat, posthabitis in posterum suasionibus benigniorem se erga suos exhiberet; nec ea, quæ sacris erant dicata, in usus prophanos converteret. Quàm præsulis sententiam Lundensium etiam archiepiscopus *Andreas* suo excipiens suffragio adfirmabat res Deo dicatas, cum ad usum non suum transferuntur, infeliciter, ut plurimum, usurpatori cedere, nec ex ijs unquam, qui sperabatur, fructum provenire. Postquam rex se monitoribus haud difficilem præbuisset, essetque cum erga Deum tum homines pia omnia pollicitus, cuncti flexis genibus ac fusis in cœlum precibus Deum rogarunt, ut pugnantibus pro divinâ gloriâ hostem superare, ac lætum adversus gentiles exitum concederet. Andreas præterea archiepiscopus hoc à rege, si, dante Deo, adoreæ compotes fierent, impetratum sibi voluit, ut quotannis per universam Daniam vespera diei, qui Laurentio sacer est, ob rei gestæ divinæque beneficentiæ memoriam, supplicationibus ac jejunio dicaretur. Quod rex libenter adstipulatus in hostem magno animo ac totis viribus duxit. Dumque certamen cernitur, factum ut Dani amissâ, per errorem, quam sequebantur, aquilâ, in fugam agerentur; ac mox dimisso cœlitus novo vexillo, in cujus rubeâ planicie crux alba erat descripta, cujusmodi etiam secuti fuerant, gradum continuò revocarint, atque edito acerrimo conflictu aciem hostilem perruperint, atq; egregiam ad suos, fuso hoste, victoriam reportarint. Referunt chronographi, penes quos rei fides sit, archiepiscopum Andream in monticuli, qui proximus erat, jugo constitutum ad Deum elevatis manibus preces fudisse, & Danos, quamdiu ille lacertos ac manus attolleret, feliciter dimicasse: defecisse verò, ubi ille senio languens brachia submitteret: atque ideò ceteros, qui aderant ex ordine sacro, quamdiu pugnaretur archiepiscopo in morem Mosis manus ac brachia sustentasse, ac simul Deum Opt. Max. precatos, ut barbaris ad veræ pietatis cultum traductis, laurum victricem largiri Christianis dignaretur. Pugna hæc pugnata prope arcem & opidum *Volmar*, hodieque à regis nimirum Valdemari memorabili isto conflictu, ac clade gentilium eo loci perpetrata, sic appellatum. Hanc etiam ob causam, quod idem rex Christi fidem ad ultimos hos Livoniæ atque Esthonum populos propagarit, ostentant etiamnum regni insignia in solo rubeo crucem candidam, nec aliunde est quod Estiorum titulus Daniæ regibus

jam

jam olim est attributus. Vexillum verò, de quo dictum, *Danebroga* exinde est nominatum, ac magnâ semper religione, veluti regni Palladium aliquod custoditum. Atque existimatum putatumque in prælijs omnibus ex eo certantium pendere fortunam: ad morem fortasse, quo Cæsar quoque Constantinus crucem labaris intextam militi præferebat, cum ejusmodi symbolo, *in hoc signo vinces*. An verò vexillum idem cœlo, ut memoravimus, dimissum sit, an verò è pontifice Rom. ut regis studium excitaret, loco *cruciatæ*, quemadmodum id temporis vocabant, submissum, disputare hoc loco non est animus. Id saltem addam, quod tradunt rerum memoriæ post duo circiter secula, cum adversus Dithmarsos bellum gereret *rex Iohannes*, tum inter cetera à victoribus direptum perijsse. Inter vicinos autem, qui huic etiam interfuere expeditioni, principes, præter ceteros Vartislaum reperio Pomeraniæ dynastam, item Albertum Orlemundanum; qui tunc, ut ante meminimus, accepto in potestatem suam opido Hamburgo, Nordalbingiæ Comes à rege erat declaratus. Post id ad terræ penitiora profectiones circumquaque rex instituit, ac loca designavit, in quibus opida, monasteria ac templa conderentur. Inter urbes, quæ ab eo tum exstructæ, aut ut exstruerentur, decretæ, præcipuæ memorantur, *Revalia*, *Nerva*, *Vissenberga*. Quæ & barbaris eorumque incursionibus potissimum erant objectæ. Harum *Revalia* inter Esthonum, sive ut Tacitus appellasse visus est, Æstiorum provincias, vulgo *Harriam* vocant, metropolis est: *Virria Vissenberga*, *Tolsburgum*, *Borcholma*; quæ & episcopi Revaliensis sedes. Habet & *Nerva* suo districtu junctum locum, qui *Allantakia* est dictus. De quo alijsque huc spectantibus, aliàs & alibi est memoratum. Operam præterea eodem tempore Valdemarus dedit, ut episcopatus *Revaliensis*, *Dorpatensis*, *Churlandiæque* constituerentur; & ipsi episcopi regni Daniæ supremæ curiæ adsciti, comitijs etiam interessent, ac singuli Lundensium archiepiscopũ ut vicarij (vulgo suffraganos vocant) agnoscerent. *Churlandiæ* episcopum præfecit ex clericatu Lundensi Ernemodum. Cumque *Piltæ* ædificium, vulgo *Danepiltam* appellatum, excitare decrevisset, quæsivit ex episcopo, quo id loci constitutum vellet; Respondit quo loci *Pilten*, id est, secundum gentis idioma, *puer* sive *famulus* consistit. Unde & hodieque *Pilten* appellatur. Quod non addidissem, nisi publica pictura ibidem hodieq; spectanda, rem ita actam testaretur, additis juxta effigiem episcopi hisce verbis: *Introduxit me rex in cellam suam, ordinavit erga me charitatem suam, dicens omnis populus, obediat tibi.* Postremum quoque curæ Valdemarus habuit, idque decreto sanxijt, ut identidem & quotannis novæ in has oras profectiones frequentarentur; quò ita à vero Deo alienus populus, paulatim depositâ feritate, Christianis moribus assuesceret. Hæc ad annum ducentesimum decimum nonum supra millesimum referunt chronographi. Eum MCCXIX.
qui secutus est proximè vigesimus supra mille ducentos principum non uni funestus fuit: MCCXX.
Nam & *Mistovius* apud Pomeranos interiores, relictis quatuor filijs; & apud Sueones regina *Richesa* Erici regis, qui biennio ante obierat, uxor, Valdemari soror; tum & regina *Berengaria* ejusdem Valdemari conjux è vita migrarunt. Hæc ipsis Cal. Aprilis defuncta, mater fuit trium filiorum Erici, Abelis & Christophori. Qui & singuli, ut suo deinceps loco dicetur, regni habenas moderati sunt. Ipsa autem (Berengariam dico) populo totiq; multitudini, quod & supra injecimus, minus grata, Sanctio primo, Lusitanorum rege, nata, fratrem habuit Ferdinandum, itidem Lusitanum: Qui quod duxerat Iohannam Constantinopolitanam Balduini Augusti filiam, Flandriæ hæredem, ipse quoque Flandrensium Comes appellatus est. Berengaria verò an volucri confixa telo, dum unà cum marito rege prælio interest, efflaverit animam, ut refert suis in versibus Lætus, legere apud alios non memini. Continuator annalium ecclesiasticorum Baronij Bzovius Polonus, quod ad annum præsentem injicit de literis Honorij III Rom. pontificis Viterbij 4. Cal. Novemb. ad regem Valdemarum datis, quibus illum sub anathemate commonefecerit, ne crucesignatos contra paganos Livonos expeditionem parantes impediret, in actis similiter aut memorijs rerum Danicarum nuspiam reperio. Quàm verò ipsius Valdemari indefessa ac memorabilis fuerit ad propagandam in eis oris Christianam pietatem opera, ex ijs, quæ supra sunt memorata satis liquere existimo. & potest hoc ipsum quoque ex eorundem annalium continuatore intelligi, cum ad annum 1219 ab eodem Honorio III Romanorum pontifice ad regem Valdemarum diploma missum memoret VII idus Octob. quo eum ad gentiles circumvicinos armis reprimendos excitat, &, ut operi ei alacrius incumbat, potestatem facit, ut bona quęcunq; aut possessiones de paganis obtineat, suò regno conjungat.

VALDEMARUS II. Rex.

A. G

Anno sequenti, primum in Daniam advenerunt fratres, quos vocant, prædicatores ex MCCXXI.
ordine & instituto S. Dominici: Quibus commendatione pontificis & ipsius S. Dominici,

VOLDEMARUS II. Rex. A. 6

nici, quorum utriusque ad regem Valdemarum & archiepiscopum Andream literas attulerant, Lundæ concessus est. Aderat eodem tempore à pontifice Honorio ad regem missus Cardinalis *Gregorius de Crescentia*, qui interpretem habebat Salomonem Arhusiensem, virum monasticum & qui Veronæ dum ageret S. Dominici auditor ac discipulus fuerat. Hic præcipuè fratribus jam dictis adeundi Daniam author & adhortator cum fuisset, id eorum vicem, adjuvante præsertim Cardinale, obtinuit, ut ædificare mox Lundæ cœnobium cœperint, quod exinde, plurium accedente liberalitate, feliciter ad colophonem perductum est. Obijt verò hoc ipso anno idem prædicatorum coryphæus *Dominicus*. At *Crescentius* Cardinalis, qui id ab Honorio tertio in mandatis acceperat, Slesvici, præsentibus episcopis omnibus, concilium celebravit; in quo decretum ut sacerdotes & quicunque Ecclesiastici ordinis essent, cœlibes agerent; liberi autem eorum ne hæreditatem adirent: Qui contra faceret, is officio suo dimoveretur. Hujus decreti causa & occasio fuit, quod ex sacerdotibus nonnulli, qui cœlibatum viro nato minus convenientem existimabant, eâ de re à pontifice, qui hoc per Daniæ episcopos nonnullos agebat, & præsertim per *Tuonem Ripensem*, ad concilium generale jam ante provocassent. Literæ verò, quibus Cardinalem *Gregorium Crescentium* in Daniam abeuntem regi commendârat *Honorius*, apud *Baronium* leguntur, sed cum antichronismo integri pœne seculi, cum ad annum 1129, & tempora Honorij secundi, non verò tertij, hæc referat. At regis Erici chronicion, quod secuti nos sumus, cum in annum, quem posuimus, rejiciat, facile inde colligere sit falli *Baronium*; ut omittam literas Innocentij tertij, quas superius in rebus Canuti regis recitavimus, satis indicare, floruisse hoc ipso, non anteriore seculo hunc Gregorium, utpote qui ibi S. Georgij ad Vellus aureum diaconus Cardinalis celebratur. Literarum ex-
,, emplar subjecimus: HONORIUS SERVUS SERVORUM DEI, Valdemaro illustri regi
,, Daniæ salutem & Apostolicam benedictionem. Ecce juxta precum tuarum instantiam
,, ac promissionem nostram misimus ad te dilectum filium nostrum Gregorium de Cre-
,, scentia, S. Theodori diaconum Cardinalem, Apostolicæ sedis legatum, virum utique pru-
,, dentiâ & honestate conspicuum, & nobis inter alios fratres nostros suis exigentibus me-
,, ritis, specialiter charum, concesso sibi plenæ legationis officio per omnes terras, quæ tuæ
,, jurisdictionis existunt, ut exstirpet nociva, & plantet salubria, prout quæque secundum
,, datam sibi à Deo prudentiam viderit facienda. Rogamus igitur regiam celsitudinem
,, tuam, quatenus ipsum, imò versus nos in ipso, recipias hilariter, & honorificè tractes, & à
,, subditis tuis ei facias dignam honorificentiam exhiberi: ut devotio, quam te ad Aposto-
,, licam sedem habere confidimus, clareat in effectu, & nos ac fratres nostri per hoc meritò
,, in tua charitate crescamus: idemque legatus, qui per se ac suos, qui magnum locum in
,, urbe obtinere noscuntur, grata tibi poterit vicissitudine respondere, ad tuam dilectionem
,, perpetuis temporibus obligetur. Datum Laterani IV. Cal. Ianuarij pontificatus nostri
,, anno V.

MCCXXII. Celebrata hæc Synodus ad annum circiter vigesimum secundum supra mille ducentos, ut annotant chronographi: sub cujus ejusdem extremum episcopus Ripensis *Thuvo* Revaliam profectus, ibi in hibernis egit. Ac postquam multa ad propagandam inter gentes fidem Christi molitus esset, sacerdotesque ac viros idoneos Ecclesiæ præfecisset, mox æstate sequente domum redijt, relicto ibidem regis filio Canuto duce, cum firmo præsidio ac magnâ militum manu, qui unà cum Theutonici ordinis equitibus sæpenumero adversus barbaros progressi memorabiles conflictus ediderunt. Stadensis Abbas Albertus ad hunc quoque annum ipsum regem cum Alberto Orlemundano Comite profectum eo innuit.

Apud Sueones, mortuo, ut diximus, Erico rege, ejusque conjuge Richesâ, Valdemari sorore, non quidem eorum filius, Ericus, *Lespe sive Blesus* dictus, sed Iohannes, Suerchero natus, cognomento Iunior, ei surrogatus est. Qui tamen postquam quadriennium circiter regnasset, admodum præmaturo fato sublatus est: ac statim hoc ipso anno *Ericus* cognomine *Blesus*, ei successit. Ille quamvis linguæ esset impeditioris, ac pede quoque claudicaret, eos tamen naturæ defectus animi dotibus pensasse memoratur. Quippe qui, præter ceteras virtutes, justitiam cum clementiâ temperans, in dubio reliquerit, utrum justior an clementior exstiterit.

Lundensium episcopus Andreas, eodem hoc tempore morbo quodam sive impetigine potius, quæ haud facile curationem admitteret, implicitus, vitæque jam satur, ultro se munere suo abdicavit; ac sedem archiepiscopalem ut habet Erici regis chronicion, transtulit

transtulit in Petrum Saxonis (Grammatici forte filium) virum imprimis eruditum ac prudentem. Quamvis alij vicem archiepiscopi suppleviſſe, nec Saxonis filium, ſed fratrem archiepiſcopi fuiſſe tradant. Quod ego in medio relinquens annotandum ſaltem exiſtimavi; omnium autem conſenſus eſt, paulo poſt obijſſe eum, ſicuti & ipſum Andream. Qui ſemotus à populi frequentiâ inſulam Iſtoam apud Scanienſes in medio dulcis aquæ lacu amœno ſitam, quieti huic ſuæ locum elegerat. De cujus ſtudijs illuſtrique doctrinâ, & quanti eum Saxo fecerit, alibi dixiſſe nos exiſtimo. Moriens multos ampliſſimoſque eccleſiæ Lundenſi reditus ex proprijs, quas habebat ampliſſimas, poſſeſſionibus, conſcriptis ea de re teſtamenti tabulis, reliquit. Ei Petroque ſucceſſit proxime *Uffo* dictus, alij *Offonem* ſive *Chriſtophorum* nominant. Sed de eo ſuo mox loco.

VALDEMARUS II. Rex. A. G

Non prætereundum videtur hoc loco, quod obſervaſſe ſe notat Vitfeldius ex codicillo membranaceo viri perilluſtris Nicolai Bilde, in quo, præter cetera, ex Regeſtro, ut vocant, regni Daniæ hoc veluti tabularium habebatur proventuum, qui indies ad Valdemarum regem ex provincijs, quas ſibi ſubditas tenebat, referebantur: Erantque viginti quatuor marcæ ſive laſtæ ſiliginis, ac totidem frumenti ſecalicei: duodecim tritici: Butyri ac caſei talenta tredecim: novem mellis: boves viginti ſeptem, oves trecentæ: ſues ducentæ, æris ſive pecuniæ ſignatæ marcæ ſexcentæ. Hæc certorum erant redituum, præter incertos, qui ex litibus & cauſis accreſcebant; quorum ſumma ſubinde ad centum millia marcarum exſurgebat. Navium majores minoreſque in promptu & ad manus erant, MCCCC. Quæque illarum naucleros militeſque vehebant CXXI, minorum ſingulæ remiges duodecim, præter equitem cataphractum, itemque ſagittarium ſive peditem. Quorum in univerſum ſumma fuerit CLX millia virorum. Quæ vel ideo memoratu hîc digna ſunt ut intelligatur ad hoc uſque temporis & regem & regnum florentiſſimum fuiſſe, qui, dilatatis territorium ſuorum pomerijs, *Churlandos, Æſtios, Livonos, Boruſſos* & *Megapolitanos*; præter *Nordalbingiæ* univerſum diſtrictum, ipſoſque *Holſatos, Stormarios, Dithmarſos*, claraſque urbes *Lubecam* & *Hamburgum*, ſuis tractibus adjecerit: Qui Cæſarem Othonem, ut ſupra notatum, terga dare & Nordalbingiæ excedere coëgerit: quemq; vicini principes, licet potentiſſimi, non tantum ut bellicoſum formidabant, ſed ut VICTORIOSI jam nomen apud gentes omnes tot felicibus trophæis meritum, & obſervabant & reverebantur.

At nunc anno poſt milleſimum ducenteſimum vigeſimo tertio, verſis fatis, retrò relabi cuncta cœperunt. Quarum calamitatum haud fallax nuncius etiam cœlum fuit. Nam per Auguſtum menſem anni ſuperioris, terribile ſidus, cujuſmodi *Cometam* vocant, ad ſeptentrionem ſpectandum ſe præbuerat, quaſi fecialis ac caduceator, quæ, ſecura ſunt, mala præcurrens. Eorumque occaſio non uno modo ab authoribus memoratur. Crantzius ait *Zuerini Comitem Henricum* gratiæ & reconciliationis cum rege ineundę avidum in Daniam fide publicâ acceptâ conceſſiſſe: Ac ei cum conditiones duriores rex proponit, conſilium de rege clam abducendo cepiſſe: & mox capto ſub ſerum diei tempore, dum regiæ excubiæ, utpote domi, & ab hoſte nihil hoſtile metuentes, ſolutius agunt, aut more gentis, poculis vacant, regem forte fortunâ è venatu venientem acceſſiſſe ſalutaſſeque humaniter, ac tandem in tentorium, quod ibi ſub dio habebatur, feſſum ac ſomnolentum deduxiſſe: & mox paratâ ad hoc navi aſſumtiſque ex ſuo comitatu viris armatis papilionem ingreſſum ac regem ore occluſo ad navigium, quod proximo littore in anchoris ſtabat, vinctum deportaſſe: ac ſtatim datis vento velis, in Germaniam appuliſſe, atque ibi expoſitum regem, moxque in arcem ſuam *Danebergam* productum carceri mancipaſſe. Vitfeldius, quo authore, domeſtico an extraneo, non addit, ſed aliter multò occaſionem hujus infortunij denarrat. Nam de controverſiâ & reconciliatione inter Henricum & regem, quod ait Crantzius, ſi eam intelligit; quæ orta erat occaſione viri nobilis *Iohannis Gans*, cujus arcem, ipſo exturbato, Henricus & Gunzelinus ſibi vindicare cœperant, ea jam ante conſtituta fuerat, ut eſt ſuperius ad annum 1205 & 1210, memoratum. Vitfeldius itaque primam mali cauſam in adulterium regis rejicit, Valdemarum nimirum à Comite Zuerinenſi Henrico, cum is in Palæſtinam voti & religionis ergò abiret, tutelæ ſuæ commendatam accepiſſe & conjugem & ditiones ejuſdem: atque eâ occaſione defunctâ jam Berengariâ, & abſente Henrico, conſueviſſe cum uxore ejus: Idque reverſum mox ad ſuos Henricum ubi intellexiſſet, ſubticuiſſe quidem, ſed iſtud ulciſcendi ſui conſilium haud multo poſt agitaſſe: atque ideò acceptâ à rege liberi acceſſus ac reditus fide, unicâ cum navi in Daniæ inſulas proximas, ubi tum venationi rex vacabat, profectum, atque ibi cum filio Valdemaro, eum in modum, ut ante eſt memoratum, regem cepiſſe ac vinctum abduxiſſe

MCCXXIII.

duxiſſe

Voldemarus II. Rex.

duxisse in arcem Dannebergicam. Ita ferè Vitfeldius. Quamvis Abbas Stadensis Albertus, qui eo ævo superstes claruit, eadem plane cum Crantzio, aut potius cum Abbate Crantzius commemoret. Erici regis chronicion arcem, in quam deductus non *Dannebergam*, sed *Zuerinium* nominat. Et illud de regis etiam filio habet, quod nec apud Stadensem neque apud Crantzium reperias. Insula verò in quâ captus rex *Lythæ* eidem Erico dicitur, & eam Fioniæ esse contiguam, nec à *Foburgo* longè dissitam existimat in glossis suis ad Rhytmos veteres Andreas Velleius.

Addam his threnum sive nœniam potius super eâdem hac regum captivitate eodem illo ævo Latine scriptam, quæ & seculi genium redolens indicio erit, *quales tum versus Fauni vatesque canebant*. Est autem ista:

Plange primatus Daciæ, quondam clarus in acie.
Sed nunc tua militia, vili torpet pigritiâ.
Rex tuus furtim tollitur, sævus hostis extollitur.
O maris acris specula, cave mortis pericula.
Mare piratis scaturit, fures spelunca parturit.
Horret nemus latronibus, campus patet prædonibus.
Pater inquam claustralium, pax exulat ruralium.
Premit egenum impius, rebus spoliatur pius.
Omnis dolet relligio, novo stupens prodigio:
Deplorat infortunium, & infaustum augurium;
Munus rusticorum corruit, totus orbis cohorruit:
Detestans pseudocomitis, scelus nefandi criminis.
Novus Iudas invaluit, contra pios prævaluit.
Invisus Christi nomine, seduxit Christos Domini.
Venit pacis sub specie, fultus turba nequitiæ.
Falsum fingens negotium, regis turbavit otium.
Donativa subsequitur, sed gratia negligitur.
Dolum ingratus gratiæ, blandâ celat sub facie.
Invadit solitarium, nihil timentem contrarium.
Aggreditur in lectulo, quem non audet in prælio.
Sic infelix vir Belial, alter Cam alter Nabal.
Qui cruentas in proprios manus injecit dominos.
Hunc Herodis impietas, quem nulla flectit pietas,
Addicit noxæ sceleris, malis rerum præ ceteris.
Hunc Neronis immanitas, & enormis crudelitas.
Condemnant impiissimum. Videlicet plus impium
Dum impios recenseo, nullum pejorem censeo
Hoc Henrico nequissimo, vel Iudâ suo socio,
Sed Iudas eo melior, quo nobis necessarior:
Dum Christum morti tradidit, nobis ignorans profuit.
Sed hic malorum pessimus, & latro nocentissimus,
Nullis juvando consulit, sed damna multis intulit.
Commovit statum seculi, turbavit pacem populi.
Fit causa pugnæ principum, certus sudor militum.
Regnum super regnum ruit, & hoc malum vulgus luit.
Quod plectitur hic populus, asseverat philosophus:
Quicquid delirant reges plectuntur Achivi.
Væ mundo nunc à scandalis, væ pauperum piaculis.
Quicquid plangit Dania, læta gaudet Saxonia.
Eheu, heu perfidia, heu vetus invidia!
Quod diu clam delituit, nunc in palam apparuit.
Eheu reges tam nobiles, toti mundo spectabiles,
Raptos regni fastigio, actos flemus exilio!
Heu præclaros proceres, insigni fama celebres,
Clausos dolemus carcere, insontes omni scelere!
Vt quid obdormis Domine, & requiescis ab homine,

Ab homine pravissimo, Iuda reatu proximo.
Ille temet per osculum, dedit in manus hostium.
Hic deceptor obsequijs, vinctos tradidit inimicis.
Qui das quandoque propere digna malis pro scelere,
Da propter sua scelera, Christosque tuos libera.
Libera nunc de carcere reges tuos rex gloriæ,
Hos erue è vinculis, nos bellorum periculis.
A seculo non est factum, contra fidem contra pactum,
Duos reges sic deduci, & in manus hostium duci.
O regis nostri milites, robusti quondam pugiles;
In hoc summo negotio, quare vacatis otio?
O bellatores incliti, & gigantum fraterculi,
Cur desides hæsitatis subvenire captivatis?
Vestra vilescit gloria, infirmatur victoria.
Honor vester despicitur, militiæ detrahitur.
Vos subsannat gens perfida, irridet plebs vilissima.
Saxones & Slavia, vestrâ gaudent ignaviâ.
Qui meretur patris dono, præsidere regni throno,
Flos Danorum egregius, heros ex avis regius,
Ingenuus ex patribus, retro eundis ætatibus.
Si non condoletis seni, condolete vel juveni;
Possidere solatium, ad paternum palatium.
Heros beati seminis, & ramus alti germinis.

Exstat & similis monodia, sed vernaculis rhytmis in libello Danicas ejusmodi cantiones vetustissimas perplures complectente, quem dedit aliquando v. cl. *Andreas Velleius*, regiæ olim majestatis historiographus. In eâ Henricus iste Suerinensium Comes Nigri cognomento, ut infamis & malus, & qui meritò caveri debeat, notatur. Quod autem eâdem illâ monodiâ octennio detentum in custodiâ regem videatur innui, non convenit cum relatis chronologorum, qui uno omnes ore triennium tantum agnoscunt. Nam, ut ad cetera enarranda jam pergam; archiepiscopus *Andreas*, licet, ut ante meminimus, abdicato munere, se totum quieti tradidisset, tamen ipse ceterique episcopi, omnesque regni proceres, seriò sibi hanc causam agendam proposuerunt. Missique eorum nomine ad Imperatorem Fredericum II Siciliæ atque Hierosolymæ regem legati, qui eousque cum ipso alijsque Germaniæ dynastis rem transegêre, ut ipse imperator unà cum episcopo Coloniensi *Alberto* multisque principibus alijs in Belgium (Vitfeldium sequor) profectus, *Hardervicum*, quod est ducatus Gelriæ non incelebre hodieque opidum, advenerit. Ibique collatis in commune consilijs, omnis, ut ita dicam, motus lapis, ut Comes Zuerinensis ac rex Valdemarus in gratiam simul redirent, rexque vinculis solutis liber dimitteretur. Sed parum aut nihil promotum: præsertim cum urgeretur; ut rex Nordalbingiæ ac Vandalorum regno cederet, quod ille facturum se omnino negavit. Atque ità illis discedentibus, rex in carcere detentus est. Albertus Stadensis, quem sequi Crantzius videtur, non *Hardervicum* Gelriæ, sed *Bardevicum* simpliciter nominat. Estque Pomeranæ istud non Gelriæ oppidum. Episcopus etiam Coloniensis, cujus nomen reticet Crantzius; eidem Stadensi non *Albertus* sed *Engelbertus* est. Quin & idem Stadensis non imperatorem ipsum Fredericum, sed ejus filium Henricum regem, conventui jam indicato interfuisse memorat. Hæc cum minus tum ad procerum regni vota cessissent, arctius inter se fœdus inierunt Suerinensium comites, adscitis in suas partes, dum occasio daretur, pluribus ex eo tractu principibus atque opidis. *Adolphus* etiam comes *Schouvenburgicus*, ejus nominis quartus, cujus parentem, ut ante meminimus, captivum aliquandiu Valdemarus detinuerat, & non nisi ejurato Holsatiæ comitatu demiserat, ejus inquam defuncti jam filius *Adolphus* à nobilitate, & quibuscunque minus placebat Danorum imperium, Dithmarsiæ clanculum introductus est; eâ spe ut hac occasione in Comitatum Holsatiæ aliquando sedesque avitas postliminio restitueretur. Quocirca se quoque Suerinensium comiti *Henrico*, episcopo Bremensi *Gerbardo*, nec non Verlensium Comiti alijsque sacramento ac fœdere conjunxit, posthabito pacto, quo suo suorumque nomine, ut ante meminimus, super Holsatiæ præsertim renunciatione, parens ejus *Adolphus* Valdemaro se obstrinxerat. Verum

a. b

Verum intellectis eorum molitionibus *Albertus* Orlemundæ Comes, Valdemari regis eo
districtu vicarius, confestim copias aliquot tumultuariè collectas in adversum mittit, &
ipsemet sine morâ secutus cum Adolpho & Zuerinensium Comite Henrico manum con-
serit, commissoque acri, sed infelici, prælio ipse inter dimicandum capitur, & Zuerinum
deductus eâdem, qua Valdemarus servabatur, turri includitur. *Adolphus* Holsatiam dein-
de petens, occupatis circumquaque oportunis locis, eam sui juris facillimo negotio fecit.
Hamburgum etiam aggressus, idem quoque levi operâ, accepto ab opidanis fidei sacra-
mento, suam in potestatem redegit. Obtentoque eum in modum toto Holsatiæ Comita-
tu, Stormariæque populis ad suum obsequium traductis, præfectos veteres, & quicunque
Valdemaro sacramentum dixissent, novis mutavit. Zuerinensium etiam Comes *Henricus*
MCCXXIV. cum annus jam flueret MCCXXIV, datâ militi suo missione, domum regressus est, quasi nihil
jam sibi metuendum à Danis ulterius haberet.

Apud *Livonos* eodem tempore & Æstios cum & ibi de Valdemari captivitate rumores
percrebuissent, occasionem sibi datam Theutonici ordinis Domini Rigensisque episco-
pus judicarunt, *Revaliam* occupandi: sicuti & *Osiliæ* præsul ejusdem ordinis fratres secu-
tus, sibi similiter libertatem promittebat. Nec defuêre occasioni *Vandali*, ac *Slaviæ*, præ-
sertim occidui populi, totusque Zuerinensium ac Werlensium districtus, qui omnes ne-
gato Danis obsequio aliò respicere cœperunt. Pomeraniæ quoque *Bernimus* & *Vartislaus*
erepta eadem occasione Rugianorum principi, præter *Deminum*, etiam alia loca, cum è
Dania nihil auxilij accederet, sibi retinere eadem censuerunt. Nec aliter *Suenteplocus*
Dansvicum, tum etiam Danis extorsit, cùm id jam annos circiter septendecim suo præsi-
dio tenuissent. Agebat tum adhuc apud Germanos sacræ militiæ causam *Oliverius*, cujus
supra mentionem pleniorem injecimus. Is ut excitaret ad stipendia ferenda, & in publi-
cum liberaliter contribuendum eorum præsertim populorum, qui cis ultraque Amasin
colunt, animos, literas ad eos Coloniâ mittit, in quibus præter ceteros etiam Danos eo-
rumque (licet captivitate regis sui languentium) promptitudinem dilaudat. Erat enim
literarum earum hæc ferè sententia: Thuringiæ Lantgravium, principem præpotentem,
Ungari regis generum, Comitesq; decem ac nobilitatis Germanicę maximum numerum,
plebeiosque sine numero nomina sacræ militiæ dedisse; ad hæc Danos cum maritimis
Bremensis & Coloniensis Provinciæ classem instruere navalesque copias: monere igitur,
in hoc studium impendant, ut & ipsi naves suas ad statutum tempus cum omni apparatu
expeditas habeant: addit postremo, ut alacriores redderet, Fredericum Imperatorem in
Sicilia victoriam recentem à Saracenis istius insulæ esse consecutum.

Dum autem in custodiâ detinetur rex Valdemarus, tardabant nonnihil Absalon Snareus
MCCXXV. alijque ex proceribus. Eaque occasione differebatur indies liberatio: quamvis nec de-
erant, quibus curæ majori res erat. Hi sæpiusculè in Germaniam commeabant, princi-
pesque passim prensabant; muneribus etiam ac donis ingentibus afficiebant, nec superse-
debant priusquam eousque esset deductum negotium, ut dux Saxoniæ *Albertus* Bernardi
filius, alijque Theutonum principes seriò sibi hanc causam agendam proponerent. Itaque
eorum operâ talis postremò inter Regem & Comitem compositio instituta, ut ipse filius-
que ejus liberi dimitterentur, persolutis XLV marcarum argenti millibus, exceptis cime-
lijs alijsque ornamentis pretiosis, quæ in amicos & arbitros fuerunt erogata: quorum
etiam summa tria millia marcarum argenti puri excessisse putatur, exceptis etiam hic
commeatuum ac victus impendijs, quæ & ipsa priorem fere summam æquaverint. Ad
ædem Itzoensem restaurandam, quæ ab eo, dum bellum gereretur, fuerat fœdata ustula-
taque, ut XXX argenti marcas conferret simul assensum est. Quorum universa summa di-
ctis principibus reddenda decernebatur, manerentque interea, dum ea conficeretur, ob-
sidum loco ex filijs regis duo. Quin & ipse ejusque filius, facto sacramento, sanctè polli-
ceri tenebantur, se haud unquam captivitatem suam vindicaturos: neque post id Sueri-
nensem aut Holsatiæ Comitatum, vel Hamburgensium opidum, aliave circa Albim loca,
quæ in potestatem *Adolphi* cessissent, aut bello, aut aliàs appetituros. Eaque omnia & lite-
ris & chirographis consignata firmataque. Atque ita dimissus una cum filio Valdemarus
MCCXXVI. anno à Christo nato MCCXXVI die, qui divo Thomæ sacer habebatur: ac mox domum, re-
versus confectaque ex omnibus regni incolis, cujuscunque illi aut ordinis aut status es-
sent, quæ erat decreta, pecuniæ summâ, datam fidem quam potuit citissimè liberavit, ac
filium utrumque unà cum equestris ordinis aliquot viris, qui cum eis remanserant, in re-
gnum recepit. Comes verò Orlemundanus Albertus, ut eodem tum tempore simul
dimitteretur

VALDEMARUS II. Rex. A. 6

dimitteretur impetrari haud potuit. Habuerat vero Valdemarus rex fratrem nothum, cui *Nicolao* Comiti Hallandię nomen & titulus fuit. Hic, ut supra relatum est, in conjugem acceperat Idam Suerinensiũ Comitum sororẽ, cum æquâ quoq; comitatus portione: sustuleratq; ex eâdem filium sibi cognominem & hæredẽ *Nicolaum*, cui cũ, defuncto jam ante patre, & accepto tutore rege Valdemaro, hæreditas paterna ex æquo cõpeteret, eâ quoq; ut cederet, aut ejus nomine Valdemarus pactis comprehensum est: nepoti autẽ ut satisfaceret, in ejus locũ rex borealẽ Hallandici districtus partem in perpetuũ possidendam permisit. Qua de re codicillus ejus habetur in quo profitetur, se eam Hallandiæ partem, quæ est ab amne Edra prope Falckenbergã, boreã versus, cognato suo, Comiti Nicolao, in perpetuũ retinendam transferre ac donare: idq; vice hæredij, quod ipsi ex Comitatu Suerinensi debebatur, quo nimirũ, consentientibus regni senatoribus, ille cedens regem vinculis hostiũ exemisset. Hoc chirographum Roschildiæ, postmodum confectũ est, anno 1241. Cal. Feb.

Primùs verò qui regi, in paternum regnũ reduci, objectus est motus, à *Dithmarsis* extitit. Sed is per prefectũ ejus, quem Slesvicensibus imposuerat, celeriter compressus, & aliquot Dithmarsorũ, qui seditioni occasionem dederant, neci datis, in herbâ quasi sopitus est. Sed à *Lubècensibus* major mox tempestas oborta. Cum enim intellexissent illi Valdemarũ regem ejurasse, ac, sacramento dato, pollicitum, præter cetera, se neq; adversus Holsatos neq; in Adolphum etiam Comitem arma moturum: viderentq; imminutã jam quodammodo ac pessundatam esse ejusdem potentiam, de sua quoq; libertate, & quomodo ipsi Danorũ sese dominationi subtraherent, cogitationem cęperunt instituere. Ac tandem, missis ad Cæsarem Fredericum II oratoribus, ei significarunt urbem suam olim sacri imperij fuisse, præsertim à parente ipsius laudatæ memoriæ Frederico Barbarossâ, multis privilegijs ac immunitatibus clementer ornatam: jam verò aliquot adhinc annis ad obsequium Danorum compulsam, idq; invitam & cum omnium civium tœdio, atq; indignatione summa adversus Danicum præfectum, qui eos, quaqua posset, gravaret, ipsorumque & immunitates & privilegia multifariam imminueret: se idcirco petere atq; orare ut Cæsarea ejus majestas cives ac civitatem Lubecensem suum in patrocinium suscipere, atq; eosdem; more majorum, atque intra libertatis suæ jura tueri ac defendere dignaretur; se ipsi vicissim ac toti Romano imperio obsequium, omniaq; officia sua, prout antea consueverat, prolixè polliceri; atq; exhibituros etiam, modò ex adverso de ope & subsidio sibi in omnem eventum aliquid possent promittere. Cæsar ut imperij fines sine ulterioribus aut suis impendijs protolleret, benigno eos responso dignatus est: immunitates quoq; ac jura ipsorum sarta tecta haberi voluit: ac datis ad præsulem Bremensem *Gerhardum*, nec non, & ipsum Saxoniæ ducem *Albertum*, aliosq; vicinos principes ac comites Oldenburgensem, Suerinenses & Megapolitanum literis, eos ratione officij, quo sibi Romanoq; imperio obstricti tenebantur, contestatus est serioq; mandavit, ut Lubecensibus adversus Danię regem ope consilioq; adessent. His illi à Cæsare acceptis domũ redierunt, studiosè tamen & de industriâ, quæ acta essent, silentio tegentes. Inde capto tempore, qui dies divæ Valburgi sacer fuit, consules atq; urbis senatores unà cum arcis præfecto extra opidum prodierunt, præ se ferentes, quod Majo tum mense moris erat, se *Meigravium* (ità vulgo vocabant) electuros. Cumq; præfecto ipsi hoc honoris tributuros innuerent, ipsemet quoq; opido egressus est. Interea, ut erat constitutum, ex civibus nonnulli, alius alium secutus, arcem ingrediuntur. Quorum aliqui sub vestibus telum ac arma ferentes, occasione sumptâ ostiariũ trucidant, ac ceteros, qui confertim præ foribus aderant, intromittunt. Intromissi arcẽ continuò suæ potestatis faciunt. Mox reversus præfectus, cũ ingredi palatiũ suum cogitaret, sequi consules ac custodiri jubetur. Hoc stratagemate usi feliciter Lubecenses, extemplo munimenti præcipuam partem demoliuntur, ac reliquũ, quod erat ejusdem ædificij, cœnobio monachorũ, qui ex pullo vestitu *nigri* dicuntur, consecrant. Ac sine morâ Saxonię Ducem vicinosq; principes adeunt, illisq; literas, quas à Cæsare habebant, ubi exhibuissent, fœdus cum ijsdẽ feriunt, ac se ad bellum contra Danos gerendum, si necessum foret, præparant.

Hoc eodem circiter tempore in locum *Petri Iacobæi*, de quo supra memoravimus, ad sedem episcopalem Roschildiæ promotus est *Nicolaus Stigothus*. Et mox anno proximo, qui MCCXXVII fuit, Valdemarus rex, quem haud leviter urebat, nõ modo quod in captivitatem adeo dolosè abductus fuisset, sed & Vagria Nordalbingiaque sibi, dum in vinculis teneretur, injuriosè præreptæ, de modo & ratione, qua sub aliquo juris titulo insignitã adeò contumeliam ulcisci posset, secum agitare cæpit. Itaque missis ad Innocentium III pontificem Rom. legatis, demonstratoq; se captivũ ac necessitate urgente coactũ ad subscriptionem MCCXXVII.

VALDEMARUS II. Rex. A. C.

iniquarum conditionum, ab eo indemnis ac liber pronunciatur, idq; in contumeliam Frederici Imperatoris, cum quo minus benè conveniebat pontifici. Hinc peditemequitem q; magno numero conscribit, ac facto per Cimbriæ Chersonesum procinctu, in Holsatos ducit. Aderant & Dithmarsorum copiæ, & Otho Luneburgicus, qui regem, ex sorore ejus natus, sanguine contingebat. Primo impetu, direptis Idshoâ alijsque Holsatiæ opidis, flammæ tectis injectæ. Inde, reducto *Bornhovedam* exercitu, obvios habuere, præter Lubecenses, *Gerhardum* Bremensium archiepiscopum, ducem Saxoniæ *Albertum*, cum Oldenburgensi, Suerinensi ac Megapolensi Comitibus : quibus præerat cum imperio *Adolphus* Holsatus : maximasq; singuli atque instructissimas ex totâ Saxoniâ, Vandaliâ, Holsatiaque contractas copias adduxerant Acerrimus fit conflictus. Concursumque die Magdalenæ sacro in campis *Bornhovedæ* : Literisque ad rei memoriam consignatum, Danorum eo loci Theutonumque tam atrocem pugnam fuisse, tantamque & hominum & equorum stragem factam, ut scuta & galeæ cruore innatarint. Valdemaro alterum ibi oculorum lumen excussum, & ipse propemodum in hostium denuò manus venisset, nisi accepto à satellite suo equo fugam accelerasset. Interea animosè atque æquo utrimque marte certatum aliquandiu, nec cedere pars altera alteri voluit; dum tandem sol Danis suo lumine & radijs officeret, Dithmarsique ad Lubecenses, quod antea addixisse Adolpho putantur, perfide transgressi, impetere à tergo ipsos Danos cœperunt. Sicque perrupta Danorum acie victores facti Saxones. Otho Luneburgicus dum strenuè rem gerit, ipso in prælio capitur, ac Suerinum in custodiam abducitur. Nec alia *Thuonis* Ripensis episcopi fortuna fuit: qui exinde captivitatem suam septingentis argenti puri marcis redimere coactus fuit. Lubecenses, ut erat in superstitiones pronum seculum, nescio quæ visa cœlitus memorent, conspectamque in nubibus divæ Magdalenæ effigiem veluti opitulatricem adstitisse præliantibus. Unde & ei præcipuè victoriam acceptam retulêre: Decretoq; apud eos sancitum, ut quotannis die, qui eidem Magdalenæ dicatus est, supplicationes fierent, & sacra Eucharistica haberentur, egenique Elemosynas acciperent, & passim per civitatem sportulæ erogarentur ad rei perpetuam memoriam. Facto prælio Daniam repetijt Valdemarus: deque vindicando se ac liberando sororis suæ filio Othone agitans iteratò militem

MCCXXVIII.

coëgit. Ac magnâ mox manu (annum MCCXXVIII numerant chronographi) Holsatiam ingressus, Itzhoam obsidione circumdedit. Aderant continuò non Lubecenses modò, sed & Adolphus Holsatiæ Comes, ac Zuerinensium Henricus alijque eorundem fœderati magno numero, castraque sua castris Valdemari quam proximè objiciunt. Ad prælium tamen egredi neuter ausus, præsertim cum Eidora amnis utrosque interflueret. Itaque solvens obsidionem Valdemarus, inque Dithmarsos effuso exercitu, igne ac ferro eosdem vexavit; sed & plurimos præterea in pœnam perfidiæ ac defectionis, de qua jam modo memoravimus, captivos secum abduxit. Inde ad Itzhoam redijt. Ubi suorum nonnullam, dum ad defendendos opidanos Holsati accurrunt, jacturam passus, in reditu borealē Holsatiæ districtum pervadens vicos & quicquid obvium fuit, ferro ac flammis fœdavit, domum scilicet eâ mente recurrens, ut vires adhuc majores compararet ac brevi, auctis copijs, regrederetur. Adolphus & Henricus veriti ne ità Valdemari vires crescerent, ut ipsis superior evaderet, mittunt continuò ad ducem Saxoniæ *Albertum*, eique significant mirari magnopere se, quod haud majori solicitudine ac diligentia studeret recuperare castella atque opida, quæ jam olim Saxoniæ ducatui abstulisset Valdemarus, ac sibi etiamnum retineret, ut erant *Ratzeburgum*, *Louvenburgum* ac *Molna*, aliæq; tam arces quam urbes Daniæ regnum ac regem agnoscentes: id autem quandocunq; seriò agere institueret, se ad opem atq; operam suam conferendam fore paratos. Hinc *Albertus* Saxo comparatâ validâ manu ad *Molnam* castra metatur; receptoq; opido unà cū *Ratzeburgo*, alijsq; arcibus ac locis, quæ fidem Valdemari eousq; secuti fuerant, *Louvenburgum* postremò aggreditur. Hæc obsidio acriori curâ instituta diu ducē distinuit; multumq; ei negotij facessijt: Nam & Valdemarus rex tertius tum Holsatię fines ingressus est, ut nimirum ab obsidione Saxonē ceterosq; diverteret. Cum autē inhærerent illi proposito, nec ab obsidione dimoveri possent, prædia passim ac vicos, reportatis undiquaq; opimis spolijs, diripi à milite atque incendi permisit. Munimentum præterea, coercendis Segebergensibus, castro eorum objecit. Quod cum frustra aliquandiu molitus fuisset, pedem retulit, veritus ne universas in se Germanorū vires concitaret. Ac tandem ex principibus nonnulli se medios interponentes, cum præfecto agere cæperunt, ut arcem dederet, se vicissim *Orlemundæ* Comitem *Albertum*, qui Suerini servabatur, è vinculis dimissuros, aut saltem ut dimitteretur curaturos.

Præfectus

VALDEMARUS II. Rex. A. C.

Præfectus ceterique, quibus tuendæ arcis cura incumbebat, literas ad Valdemarum mittunt, quæruntq; quid factum vellet, dederentne arcem, an potius ad exspectandam obsidij solutionem sese pararent? Ille, quamvis ægrè, tandem tamen in hanc sententiam descendit, ut Orlemundanus Comes, qui suâ causâ in vinculis hærebat, quemq; plures annos fuisset quam fidelissimum expertus, è carcere & squalore, deditâ arce, liber dimitteretur. Hic Albertus, cui rex, ut ante est memoratum, clientelari beneficio Hamburgum concesserat, postmodum cum à Danis deseri se, ac premi ab Holsatis videret, indigenis, ut volunt Hamburgensium annales, 1500 argenti marcis opidum vendiderit. Quæ & fuerit prima libertatis occasio, quam prætendere opidani videntur: cum tamen non antea tantum, sed & postea Holsatiæ Comites, ut dominos agnovisse ipsos constet. Ut omittam Albertum ipsum, quod ejus non esset, pretio abalienare haud potuisse: & regē, cum ejus indultu & sub conditione annuæ pensionis opido frueretur, semper ut superiorē ac dominū agnovisse. Hoc igitur pacto è carcere liberatus est Orlemundæ Comes Albertus, traditâ in potestatē Alberti Saxoniç ducis arce Lavenburgicâ: de quâ olim parens ejus dux Bernhardus Comesq;, Holsatiæ, Adolphus aliquandiu, priusquā ejus Dani potirentur, inter sese controverterant.

Aliquanto post hæc tempore Henricus Suerinensium Comes in fata concessit, eiq; frater ipsius Gunzelinus ex asse hæres successorque declaratus Comitatum exinde solus administravit, cæpitq; jam tum ille animo secum volvere, inconveniens ac minus decorum esse, teneri diutius in vinculis Luneburgi ac Brunsvicensium Ducem Othonem, principem illustrē ac potentem. Statuitq; idcirco omnino liberū eum, & absq; lutro dimittere, quò majorem ejus hoc pacto sibi gratiam ac favorem conciliaret. Sed Albertus Saxoniæ dux, qui ad se quoq; pertinere negotiū istud existimabat, non nisi tradito *Hardesacker*, assensum suum præbere voluit. Quo etiam facto catenis solutus, liberq; dimissus est. Ab eo qui hodieq; Luneburgensibus ac Brunsvigæ imperant, duces originem accipiunt. Fatalem insuper atq; ultimum hunc annū habuit Lundensium archiepiscopus *Andreas Sunonis*, qui, ut memoravimus, impetigine aut quâ aliâ corporis ægritudine affectus jā ante episcopatū se abdicaverat. De cujus claris & è regio genere ductis natalibus, ac diu apud exteros in optimis studijs transactâ peregrinatione relictisq; ex studiorū culturâ ingenij monumentis supra dixisse plenius memini. Et extat quoq; præclarum ejusdem à Sax. Grammatico, qui ei coævus fuit, positum in historiæ præfatione elogiū, quò lectorem remittimus. Interim nec abs re fuerit epicedium ipsius, quod isto etiā, ut videtur, ævo latinè perscriptū, hic apposuisse. Est autē ejusmodi, ad nominis Andreæ Græcanicam notationē quasi alludens;

Tu flos dulcoris, tu vas, tu fructus honoris
Præsul es Andrea, tu Schaniensis honos:
Tu virtute vir es, placidoque vigore virilis
Nominis exponis significata tui.
Dulce tamen nomen, vir dulcis, amabile, charum,
Charus, amabilis, & relligione sacer.
Tu vas non vacuum, sed plenum nectare, plenum
Vas oleo, retines balsama, mella, merum.
Es cœlum celsum, quod mystica, quæ dedicisti:
Cœlum verba doces, dogmata vera tenens.
Et flos nativo candore nitens, quoque virgo,
Munere divino, flos tua munda caro.
Heu nisi quod nostro flos hic non crevit in horto,
Deperit, & læso damna pudore fero.
O fœlix, qui fœte cares, fœtoreque carnis,
Cujus amœna patent, spirat amœnus odor.
Felix tu tellus Sialandica, flore venusto
Terra ferax, de qua prodijt iste decor.

Apud Suecos deinde, qui secutus est, anno MCCXXIX, nonnulli *Erici Blæsi*, de quo ante diximus, modestiâ abutentes res novas moliri cœperunt. Horum coryphæi *Folchungi* habebantur, faciente eis animos Canuto, qui, dux & caput factionis, Erici regis sororem Helenam in conjugem paulo ante acceperat. Erat in eo præter dignitatem formæ, morum urbanitas ac vis eloquentiæ cum animi quadam prudentiâ conjuncta. Unde ex adverso fœderati ejus ac consanguinei Ericum corpore claudum, & linguâ, quod & supra MCCXXIX.

VALDEMARUS II. Rex. A. C.

meminimus, impeditum, minusq; promptum contemnere; contemtoq; occultas atq; inde apertas insidias struere: Primi, secundum Canutum, rebellionis authores fuêre, ex Erici præterea nepotibus duo, quibus *Nicolaus de Toffta* ex Erici sorore parens fuerat, & cum ijs *Hollingerus*, magnæ nobilitatis vir, qui tamen casu potius, quam proposito se illis junxisse creditur. Hi coacto undique exercitu, regem nihil minus quam bella civilia cogitantem, circa Alastræ villam aggrediuntur. Fitque atrox ac cruenta pugna: in quâ Ericus fusus ac superatus ad avunculum suum Valdemarum in Daniam confugit. Nec mora; Ducem suum Canutum Sueciæ Regem *Folchungi* salutant. Sed ut esse diuturnus principatus nequit, scelere quæsitus, ità Ericus, collectis quamprimum apud avunculum copijs, è Daniâ Sueciam repetijt. Ac mox congressæ iterum acies prope vicum *Sparsetter*, non longè ab *Vpsáliâ* regni metropoli, pertinacissimè decertarunt. Tandem, post gravem utrimque stragem, victor cum Danis *Ericus Canutum* fugat. Ac mox profugum assecutus capite plecti imperavit, corpus quomodo ipse Canutus petierat, apud moniales in cœnobio Schouensi sepulturâ honestatum.

Haud multo post in Daniam venit *Wilhelmus Mutinensis*, Romani pontificis legatus: Qui, inter cetera, cum rege Valdemaro egit obtinuitque, ut apud Livonos Dominicani ordinis monastici prope arcem, quæ intra Revaliam erat, cœnobium exstruerent, quo ita ab incursione paganorum tutiores forent. Quamvis ne sic quidem homines feri ac cæde gaudentes, vel episcopo vel clero parcerent: ideoque perplures factâ fugâ sibi postmodum consuluerunt. Quæ dum foris fiunt, domi Valdemarus de juniore Valdemaro filiorum suorum, quos è Dagmarâ Bohemicâ sustulerat, sollicitus ad regem Lusitanorum legatos misit, qui ei in conjugem *Leonoram* filiam ipsius deposcerent. Erat hæc nata patre Alphonso ejus nominis secundo, Berengariæ Danorum reginæ, de qua memoratum, fratre, matre Leonorâ sibi cognomine, quæ regis Anglorum Henrici II filia fuerat. Consensumq; haud difficulter in idem matrimonium. Ac mox in Daniam magnifico apparatu deducta, die; qui divo Iohanni sacer erat, Valdemaro III Ripis, quod est in Cimbricâ Chersoneso ad mare Britannicum situm opidum, solenniter, habitis prius pro more sponsalibus, denupsit. Perplures, qui festivitati nuptiarum tum intererant, principum Comitumque in id præcipuè incubuerunt, ut regem Valdemarum & Comitem Holsatiæ Adolphum in gratiam simul reducerent idque hunc præcipuè in modum, ut nimirum Adolphus, retentis paternis hæredijs Holsatiæ ac Stormariæ Comitatu cum immunitatibus eo spectantibus, regi regnoque quotiescunq; res posceret, militibus galeatis ducentis, qui ære regis mererent, paratus adesset: Et rex vicissim Comiti impensis ipsius cum id peteret, turmam trecentorum armatorum sufficeret.

MCCXXX. Sequenti anno *Otho Cardinalis* à summo pontifice missus, totus in restituendis sacrorum ritibus ac cleri moribus formandis fuit. Surrogatusq; tum etiam in locum Andreæ *Vffo*, dictusq; Lundensium archiepiscopus. Obijt verò Ripensium præsul *Thuo*, de cujus apud Æstios ac Livonos pro Christi fide præclarè gestis rebus supra memoravimus. Eum proximè excepit, omnium suffragijs ad hoc electus, *Gunterus*, cœnobij Emmensis Abbas. Et licet Nordalbingia Vagriaq; hoc est, Holsatia, Hamburgum, Lubeca cum parte Megapolitanæ ditionis à rege, eum, ut memoravimus, in modum abalienata fuerint, tamen *Rugios*, *Trebezanos*, aliosq; Vandaliæ populos cum urbibus *Marlova*, *Bartha*, similibusq; obsequio suo ac dicto audientes retinebat. Adeò ut *Rugianorum* princeps nec non *Werlenses* clientelari beneficio se à rege possidere districtus suos agnoscerent. Quamvis interea metropoles, ac præcipuè eorum civitates, ut *Arcbona* aliæque paulatim in solitudinem redigerentur, confugientibus Stralesundam, Rostochium, Lubecam, Hamburgum, quæ à Germanis frequentari quam maxime cæptæ, incolarum perplurimis.

MCCXXXI. Sequens annus nulla magnopere re, nisi duorum præcipuè charissimorum pignorum *Valdemari* & *Leonoræ* tristissimis funeribus notabilis fuit. Nam primo junior Valdemarus animi causâ venatum egressus in luco Resnessensi ab aulico suo forte fortuna, dum aliò is ictum dirigit, circa crus sagittâ ex arcu chalibeo emisâ vulneratus, 4. Cal. Decemb. ex eodem ictu moritur. Ejus excessus & regi totique regno maximum luctum incussit, præsertim cum de eo, si rerum aliquando potitus fuisset, omnia sibi summa cuncti pollicerentur. Eum paulo ante, ut vult Vitfeldius, præcesserat uxor Leonora, utpote quæ 3. idus Maij unà cum nato recenter filio puerpera animam cœlo reddidit. Funus utrique summo cum omnium mœrore Ringstadij deductum. Nec exinde regi Valdemaro ad bella persequenda animus magnopere aut alacritas fuit, sed quieti deditus, ac parta tueri contentus pacem cum finitimis colere satius habuit. Nam & aliquot post id annos regno cum summâ tranquillitate

quillitate ac subditorum favore præfuit, justitiæ atq; æquitatis munia apud summos infimosque diligenter obiens. Collationes etiam immodicas, aliaq; onera, quæ bella superiora, cum à se tum à majoribus ipsius domi forisque gesta, invexerant, imminuit paulatim & abrogavit. Fatalem præterea hunc annum habuêre *Esbernus Mulenius*, Nicolai filius, & *Absalon Bolligius*, summæ apud regem autoritatis eques. Esberni cenotaphium Gothicis characteribus saxo incisum servat hodieque cæmiterium Aashumeum, quod est in territorio vulgo *Giersberrid* appellato. Defuncto autem fatisque tam immature erepto Valdemaro, qui, ut supra est ostensum, ad regni sceptrum cunctorum votis ac publicis etiam acclamationibus procerumq; unanimi consensu fuerat destinatus, pater Valdemarus, filiorum, quos è Berengariâ Lusitanâ susceperat, natu maximum *Ericum*, ordinum omnium applausu, designari vicissim regem ipso Pentecostes die, anno statim sequente MCCXXXII. Lundæ curavit, obeunte ceremonias ac chrismatis unctionem *Vffone* Lundensium archiepiscopo. Inde *Abelem*, filium ex eadem Berengariâ alterum, Iutiæ Australis ducem pronunciat. Valdemari verò defuncti fratrem germanum *Canutum* Blekingiæ præposuit. Cui postea filius natus *Ericus*, qui Langelandiæ primo atq; inde etiam Hallandiæ dux est nominatus. Et porrò æquâ inter filios singulos de paternis etiam possessionibus habitâ divisione, & quid cuique post obitum suum deberetur, assignato, existimavit filiorum concordiæ ac paci hoc modò satis superque consultum, amiceq; inter se victuros. Verum quam longè hac sua destinatione exciderit, quod & plures ominati sunt, ostendent sequentia.

VALDEMARUS II. Rex. A. C.

Hoc ipso tempore Hamburgensium nomine Adolphus III Holsatiæ Comes Utini apud forum Iulij Cæsarem Fredericum per literas & legatos salutari fecit. Eisq; ac civitati ipsorum, quæ jam pomeria sua ad Elsteræ amnem extenderat, impetravit ut recepto Lubecensium veteri jure atq; immunitatibus, quas olim pater ipsius antiquæ Hamburgensium urbi indulserat, etiam ipsi fruerentur: Utq; apud Holsatos à telonijs alijsq; exactionibus essent exempti, ac bis quotannis intra opidum ipsorum nundinæ haberentur. Ipsa privilegij formula, cujusmodi tum fuit perscripta, ita habet:

FREDERICUS D. G. Rom. Imperator semper Augustus, Ierusalem & Siciliæ rex, per præsens scriptum notum facimus universis imperij fidelibus tam præsentibus quam futuris, quod Adolphus Holsatiæ Comes, fidelis noster, nostro culmini supplicavit, quatenus concessionem juris, quam olim secundum justitiam Lubecensium antiquam pater ejusdem Comitis fecit civibus civitatis antiquæ in Hamborg, & indulsit in bonis & jure suo de areis, pascuis, in fructu arborum silvestrium, concessam quoq; immunitatem ac libertatem telonij, spectantis ad eum in totâ terrâ suâ: Ac quod bis ibi fieret forum in anno, juxta tenorem paterni privilegij eis indulti, confirmare de nostra gratiâ dignaremur. Nos ante ejusdem Comitis Adolphi fidelis nostri supplicationibus favorabiliter inclinati, eandem concessionem sicut idem pater ejus prædictis civibus civitatis dictæ in Hamborg, secundum antiquam justitiam Lubecensium in bonis jure suo justè noscitur concessisse, areis scilicet, pascuis, fructu arborum silvestrium immunitate telonij, spectantis ad eum in tota terra sua, & insuper de foro bis in anno faciendo, prout indultó ejusdem patris sui privilegio plenius continetur, de nostrâ gratiâ perpetuò confirmamus. Ad hujus itaque confirmationis memoriam, in stabilem firmitatem, præsens scriptum fieri volumus, majestatis nostræ sigillo munitum. Hujus autem rei testes sunt S. Maguntinus archiepiscopus, B. Patriarcha Aquilegiensis, Salsenburgensis. S. Ratisbonensis imperialis aulæ Cancellarius, Wormatiensis, Herbipolensis episcopi, Frisingensis. Electus Abbas S. Galli, dux Saxoniæ, dux Moraviæ, dux Carinthiæ, Marchio de Baden, Marchio Burgoviæ, Comes de Horrenburg. Wernerus de Ballandia, Gunzelinus pincerna, Wenceslaus pincer. de Dingenburg, Richardus Camerarius, & alij quam plures. Acta sunt hæc Dominicæ incarnationis, anno 1232 mense Maij die 5. Imperante Domino nostro Frederico II D. G. invict. Rom. Imp. semper Aug. Ierusalem Siciliæq; rege, anno Rom. Imp. 12. regni Ierusalem 7. Siciliæ 34. fideliter. Datum apud Utinum in foro Iulij, anno, mense & indictione præscriptis.

Qui secutus est millesimus ducentesimus trigesimus tertius annus, insignis fuit obitu MCCXXXIII. *Nicolai*, regis Cancellarij, nec non *Absalonis Esberni* Snarei filij, qui & *Snerlingus* est appellatus, claris natalibus, & ab illo, quem supra celebravimus, Absalone Lundensium archiepiscopo genus ducens. Idem annus etiam *civitati Gripswaldensi* initium dedit, conditore ejus existente Abbate Eldenoviensi. Et mox sequenti exortum inopinatò Lundæ apud Scanienses incendium, quod & opidum & templum cathedrale pœnè funditus absumpsit. MCCXXXIV. Memoravimus supra capto Valdemaro, episcopum Rigensem, contracto cum Templarijs

fœdere, Revaliam ereptum Danis ivisse. At Valdemarus in regnum & libertatem reversus, nunquam destitit jus suum, & amissa repetere, præsertim apud Livonos & Æsthones, in quorum territoria ipse & frater ejus Canutus magnis sudoribus magnisque belli impendijs Christiana sacra intulissent. Quapropter ut essent ad sui defensionem paratiores Templarij ordinis Theutonici apud Borussos magistro, quem dux Conradus Massovius coërcendis Prutenis præfecerat, sese submiserunt. Et ipsi præterea eodem hoc tempore Pruteni Rigensium sedi, quæ archiepiscopi dignitate erat ornata, sese subjêcere. Cui omnium primus præsedit *Albertus* ejus nominis, ut quidam putant, secundus, alijs quintus est. Et eum tanquam metropolitanum non tantum Borussiæ episcopi, sed & Varmiensis, Culmensis, Pomezanensis & Sambuensis episcopi, unito fratrum Livoniensium collegio cum equitum Theutonicorum ordine, agnoscere cœperunt. Ex adverso ad archiepiscopum *Lundensem* referebantur Revaliensis, Torpatensis, Osiliæ & Churlandiæ episcopi: Qui & inter Daniæ regni senatores accensi, ut supra quoque meminimus. In Vandalos etiam circa idem hoc tempus expeditio instituta. Ubi, præter cetera, quæ ad regni obsequium reducta sunt, *Rugiæ* principatum aliaque loca novo sibi sacramento rex obstrinxit. Lubecensium quoque ut impediret in Balthicum mare egressum ac liberum cum urbibus vicinis commercium, duobus propugnaculis, ut notat ad hunc annum Abbas Stadensis, Travæ ostium obsedit. Et porro *Valdemarus episcopus*, de cujus adversis prosperisque tam multa supra memoravimus, quemque à regibus genus duxisse, & à pontifice Rom. Inno-
MCCXXXV. centio tertio proscriptum meminimus, anno, qui superiorem secutus est, habitu ac professione Monachus fratrumque minimus Leodij, ut quidam volunt, apud Belgas, aut, quod verius puto, in cœnobio, quod erat diœceseos Bremensis *Luckij* nomine, diem supremum clausit. Epicedium ei ejusmodi positum reperio:

Præsulis officio Volmarus, patre necato,
Regnum proponens, tristia fata subit.
Dehinc exul patriâ, Bremam revocatur, ut aris
Præsit, at infœlix infula talis erat.

MCCXXXVI. Erici regis Chronicion obitum ejus refert in annum MCCXXXVI.

Valdemarus autem rex, postquam rerum ac possessionum suarum divisionem eum in modum, ut diximus, cum filijs instituisset, cœpit Abel arctius se insinuare in *Adolphi* Holsatiæ Comitis amicitiam; à quo tamen non ignorabat dominum parentem suum quàm gravissimè jam ante læsum offensumque fuisse. Et ut summâ eum necessitudine sibi conjungeret, filiam ipsius Mechtildam in thori societatem adsumpsit. Nuptiæque magno
MCCXXXVII. cum apparatu ac luxu Slesvici celebratæ anno post mille ducentos trigesimo septimo. Hoc præcipuè matrimonium secutum Abelem constans fama fuit, ut postmodum, capta occasione, adjutusque Adolphi armis Erico fratri, quem ægrè ferebat sibi prælatum, opportunius se opponeret. Quod facile animadvertens *Ericus*, ne & sibi amici & opes in omnem eventum deessent, biennio post, anno scilicet MCCXXXIX in conjugem duxit *Ioditam Alberti* ducis *Anhaltini*, ut eum nominat Abbas Stadensis, filiam. Alijs est Luneburgensis ac Brunsvicensium dux. Erici regis, quæ sunt in manibus, observata chronologica, filiam fuisse notant ducis Saxoniæ. In quibus & hoc additur, ob sanguinis propinquam necessitudinem, quo se invicem quarto gradu contingerent, pontificem Rom. Gregorium nonum hanc ipsis gratiam fecisse ac vinculum cognationis suâ dispensatione solvisse, præsertim cum id fieret bono publico. Quamvis, quod & idem Ericus observat, ipse Valdemarus rex suspecta habuerit hæc connubia, ac regno ex ijs malè ominatus est. Abelis præsertim cum Mechtildâ nuptias molestè tulisse est in confesso. Meminêre annales domestici belli cujusdam hoc tempore inter Danos & Norvagos circa Scanensium insulas (*Scanor* illi vocant) exarsisse. Sed de eo cum adeò parce ac jejunè loquantur, ut nec causas, nec progressum, nec exitum memorent, obiter admonuisse hoc loco sufficiat.

Post hæc *Hermannus Valkus*, ordinis Theutonici eques, qui Borussiæ jam septennium præfuerat, *Revaliam* à rege Valdemaro, ut & *Vesenbergam* & *Narvam*, missis identidem in Livoniam borealem, quomodo superius commemoravimus, novis copijs, exædificatas, regi sub annum sequentem restituit: factusque de eo ejusmodi compositionis codicillus: Præsentibus rege *Valdemaro*, *Erico* designato rege, duce *Abele*, & *Christophoro* Valdemari filijs: itemque Lundensium archiepiscopo *Vffone*, *Wilhelmo* Mutinensium olim episcopo, Romano pontificis pœnitentiario sanctæque sedis legato, *Petro* Arhusiensi ac *Nicolao* Roschil-

Roschildensi episcopis, unà cum *Iohanne* Borglomensi & *Regnero* & *Alberto* fratribus Dominicanis; Nec non Comitibus Gliqensibus *Alberto Ernestoque*, tum & *Hermanno Valko* supremo Theutonici ordinis per Livoniam & Borussiam magistro, Domus Theutonicæ D. Mariæ, quæ est Hierosolymæ, collegâ, ac socio unà cum regni Daniæ optimatibus perplurimis: hæc, quæ sequuntur, assensu arbitrioque eorundem rata firmaque habita. Nimirum pontifex Rom. quique ejus consilia participant Cardinales, postquam re ipsâ comperête *Revaliensium* opidum atque arcem totumque territorium unà cum *Harigia* & *Virria*, qui Esthonum districtus sunt, ad regem Danorum pertinere, & ei jamdudum esse adjudicata, jamque integro propemodum triennio latæ sententiæ exsecutionem tardatam: & regem modò ad invadendum ac recuperandum ditiones suas cum classe & copijs paratum adesse, quod in plurium exitium vertet; idcirco dicti pontificis legatum, nec non Livoniæ ac Borussiæ supremum magistrum atque equitem *Hermannum Valkum*, talem cum ipso rege pacti ac compositionis formulam inijsse: Dictum nimirum ordinis equitem Borussiæque supremum magistrum suo suorumque ac posterorum nomine sanctè polliceri regi ac posteritati ejus, *Revaliensium* territorium, *Gerviam, Hariam* & *Virriam*, prout ea à pontifice illi adjudicata sunt, rata habere: Sicuti & cætera, quæ in posterum à barbaris suam in potestatem sit vindicaturus, ea nec factis aut consilio impediturum se suosque successores, sed operam potius daturum, quantum id ordo suus concederet, ut sarta ea ac tecta ipsi permaneant: Hac tamen lege, se suosque socios non nisi mandato ac voluntate summi pontificis progressuros ad sanguinis Christiani effusionem, quod & illis vicissim rex spopondit; hoc præterea adjiciens, se, quodcunque eorum ope ac copijs auxiliaribus barbaris eripuisset, ejus alteram partam sibi servaturum, tertiam vero ipsis relicturum: Pollicetur porrò magister jam dictus, suam suorumque vicem, se, *Revaliensium* arcem cum ceteris munimentis & quæcunque eò spectant, quamprimum commeatum ac suppellectilem ex ea deportassent, in manus regis aut alterius, quem eo nomine rex isthuc ablegaturus sit, esse traditurum. Adjecit demum ex consilio legati pontificij archiepiscopus Lundensis, assentiente capituli synedrio, se Templarijs fratribus concedere ecclesiasticam jurisdictionem universam, quâ olim usi fuissent Esthonum episcopi in territorio *Gerviensi*. Postremum adstipulatus quoque est rex, se favore ac patrocinio suo complexurum eos, & ubicunque daretur, res eorum; & quicquid indultum ipsis esset sartum tectum habiturum: Idem & de *Osiliâ* insulâ promittere, & quo certior & firmior inter se ac ordinis Theutonici equites amicitia coalesceret, remisêre utrimque damna ac detrimenta illata; omniaque judicio atque arbitrio Papæ permisêre, seque ejus simul censuræ atque anathemati, si quid in contrarium fiat, submisêre. Acta hæc signataque *Stenbyæ* anno MCCXXXVIII. VII idus Maij. MCCXXXVIII.

Receptis itaque *Esthonibus* inque potestatem Danorum tradita universa *Revaliensium* diœcesi, rex confestim magno numero militem copiasque ordini transmisit. Quibus capto mox Russorum *Isseburgo* ejectisque *Torpati* territorio Moschis, ad obsidendam *Plescoviam* unà cum episcopo *Torpatensi* procinctus factus. Ac mox, dedente se *Gerpoldo* Russico dynastâ, postquam urbem castellumque suam in potestatem redegissent, utrumque Theutonici ordinis præsidio munierunt. Interfuêre aut potius præfuêre cum imperio hisce expeditionibus & *Abel* & *Canutus* Valdemari filij. Canuto præterea soror fuerit, quæ Valckenoviæ defuncta ibidem sepulta memoratur.

Per idem hoc tempus Holsatiæ Comes Adolphus cum Lubecensibus contentionis funem cæpit trahere, existimans sibi, qui pro eorum libertate adversus Daniæ regem Valdemarum ducem se præbuerat, majorem, quam illi recognoscerent, gratiam ac respectum deberi: neque illud, quod parens suus indultu Frederici Barbarossæ accipere à civibus telonium consueverat, ullatenus denegandum. At illi obtendebant eas donationes partâ jam nuper adversus Valdemarum regem victoriâ intercidisse, ac pridem renôvatâ Frederici II exemptione esse abolitas. Dumq; sic ultro citroq; res agitatur, tandem in bellum apertum prorupit. Comes enim non ignarus regem Valdemarum Lubecensibus, qui spreto jam Danorum imperio Cæsare tumebant, minus æquum, se ei conjungit: ac, facto invicem fœdere, terra mariq; opidanos adoriuntur. Rex, præter terrestres copias, quas Adolpho per Iutiam submiserat, classe insuper *Travam* ingressus firmissimis prędidijs, quæ utrimque constituerat, propugnacula communijt. Nec satis id ratus, veterem insuper ac rimosam navem, saxis oppletam, demersit in ore amnis, ut portum impeditum ac vadosum redderet. Et ne quis omnino ingressus aut exitus pateret, ferreis catenis hinc inde

VALDEMARUS II. Rex. A. 6

ductis, ostium clausit. Inde classe retrò actâ, cives urbis fodiendo insistere cœperunt, ut ducto novo alveo fluxum amnis adjuvarent, ac sensim, quod erat demersum navigium, egeretur, aut saltem ut vis aquarum ostium dilataret. Sed factum, dum ista aguntur, ut Revalia appellens mercatorum classis, ac plenis velis, ventoque secundo adnavigans ferreas catenas perruperit, ac portum antea clausum pervium fecerit. Crantzius hanc classem non Revaliensium civium, quorum res pertenues tum erant, sed ipsorum Lubecensium fuisse auguratur. Nam Ioannes Gothus quod ad Suecos idem trahat, & quasi inde nata sit illa, quæ est inter Lubecenses & Sueciæ populos amicitię necessitudo, id neq; è Crantzio neque alio aliquo idoneo authore potest demonstrari. Has deinde naves, additis suis, armarunt Lubecenses, atque ijs ausi obviam ire regiæ classi, in mare prorupêre. Sed Rex & Comes Adolphus dum aliò consilia vertunt, classis, propulsis Lubecensibus, domum dimissa, atque urbs obsidione soluta est. Adolphus autem, quod observat ad eundem hunc annum Abbas Stadensis, comparatis deinde copijs in Livoniam ad sacram quasi militiam profectus conjugem suam Helvigam secum eodem religionis ergò abduxit: Memor scilicet majorum suorum, & quas olim in terrâ sanctâ Adolphus III, parens ejus, adoreas retulisset, easdem è viciniori Livoniâ, cum de Palæstinâ recuperandâ spes omnis decollasset, animo concipiens. Erant enim id temporis à pontificibus Rom. haud minores quàm olim in Palæstinam euntibus, indulgentiæ propositæ omnibus, qui eas in oras ad barbarorum conversionem arma sua conferrent. Adolphus igitur ne tam piæ causæ deesset, assumta, ut diximus, conjuge, etiam eam oblati tam illustris beneficij esse participem voluit.

MCCXXXIX. Inde anno proximo, rebus ex sententiâ constitutis, domum regressus Adolphus, fratrum minorum apud Hamburgenses collegio se adjunxit, die divo Hippolito sacro, una cum duobus equestris ordinis viris à *Gikon* dictis. Filiorum, quos tres habebat, *Iohannem*, *Gerhardum* & *Luderum*, tutelam genero suo commisit, Abeli Slesvicensium duci. Cujus frater Ericus, Daniæ designatus rex, tum simul, de quibus supra est indicatum, nuptias cum *Iuditâ* Saxonicâ celebravit. Adolphus verò annos totos viginti, post susceptum monachi habitum, superstes, tempore Innocentij IV pedibus nudus Romam perrexit, & ejusdem indultu potestatem impetravit, etiamsi humano se cruore ac bellis fœdasset, sacros ordines suscipiendi. Atque ità ab infimo ad summum paulatim gradum promotus, postremum ab episcopo Lubecensi Iohanne ad presbyterij functionem evectus est.

MCCXL. Apud Norvagos deinde anno MCCXL *Schulo* Norvagiæ dux unà cum filio suo *Petro* ab *Haquino* rege è medio sublatus est, quod memorat in chronologicâ suâ rerum Danicarum historiolâ rex Ericus, quem & aliàs laudasse memini. Sed ea, cum ita nudè ab eo referantur, ut nec de causâ, nec de occasione constare possit, rem paulo altius, idque è chronicio Norvagiæ vernaculo repetere constitui, præsertim cum nec Crantzius, nec quisquam alius, silentibus chronologis, si qui latinè editi, eorum, ut oportet, meminerit. Crantzius enim, quod obiter injicit, *Haquinum* in propia pignora, filium nimirum suum, sive mentis phrenesi, quâ subinde reges laborare vult, sive culpâ adolescentis sævijsse, id perperam acceptum hinc constabit: nam, ut supra meminimus, *Suero* defuncto, *Haquinus* successit: & ei deinde præproperè fatis erepto posthumus filiolus ex Ingâ natus est, cui *Haquino* etiam nomen fuit. Sed is dum adolescit, *Gutormus Sivardi*, & eum proxime secutus *Ingo*, regijs insignibus ornati Norvagiæ rebus præfuerunt. *Ingone* autem, cum decimum jam tertium annum *Haquinus* attigisset, extincto, omnium suffragijs idem *Haquinus* ad sceptrum revocatus est: solus, de quo dicere cæpimus, *Schulo*, Ingonis frater, obniti nonnihil visus fuit, utpote, qui sibi deberi imperium post fratrem existimaret. Itaque ut eo pacatiore Haquinus uteretur, accepto ab ipso fidei sacramento, Iarli, quæ Comitis est dignitas, titulo eum ornavit, ac tertiam simul regni Norvagici partem concessit. Quamvis nec sic clandestinis in regem machinationibus abstinere *Schulo* potuit. Itaque indictis Comitijs, *Haquinus* omnium procerum ac præsulum vota exquisivit, petijtque disertè sententiam suam super se & *Schulone* explicarent, utri nimirum regnū jure competeret. Qui cum à parte Haquini omnes pronunciassent, denuò inter regem & Iarlum pactio inita: dataq; in matrimonium regi, ut firmior hoc pacto fides esset, Schulonis filia *Margareta*. Ex quâ decimo quinto imperij sui anno Haquinum sibi cognominem suscepit, atque inde decimo septimo *Christina* progenita: Post hæc cum regni proceres & archiepiscopus denuò machinari aliquid adversus regem & regnum Schulonem comperissent, conventus factus, in quo inter regem & Schulonem ita statutum, ut Schuloni ducis insignia & titulus tribue-

VALDEMARUS II. Rex.

tribuerentur; quod existimarent eo majori erga regem studio ac fide futurum. At ille antiquum obtinens, non tantum proscriptos ab Haquino in suam dioecesin ac fidem suscepit, sed terrâ quoque & mari vires & copias coëgit: Tandemque regio titulo per totam Norvagiam usus, proceres ac præfectos Haquini, ubicunque dabatur, trucidari permisit. Et ipsum quoque regem intercepisset, nisi à suis admonitus rex insidias feliciter evitasset; Quæ cum inter cetera reginæ Margarethæ Haquinus aperuisset, illa tristata ac verbis meliora ominata tandem in lachrymas soluta est. Sed rex animo eam esse bono jubens, negavit in eam redundatura patris commerita. Ac simul habito cum suis consilio cæpit Schulonem bello prosequi. Sed ille ex adverso magnâ cum manu *Ansloam* digressus, ibi se regem renunciari propalam curavit. Interim Nidrosiam ipsius territorium, Haquinus cum *Birckebenijs* (ita miles ejus appellabatur) occuparat: atque ibi, postquam votis omnium filium suum primogenitum, *Haquinum* tum juniorem dictum, regem post se designari permisisset, facto procinctu, Bergam, ac mox auctis copijs, Ansloam concessit. Ubi cum ducem, licet animosè se defendentem, toto cum exercitu profligasset; ac mox profligatum, denuò Nidrosiam, vel ut vulgo appellamus, Trundhemum redeuntem quindecim cum levibus navigijs esset prosecutus; & ipse dux ab indigenis (utpote cujus causâ tot chara sibi capita Ansloæ amisissent) minus amicè reciperetur, in proximum coenobium confugit, unde, cum igne injecto egredi conaretur, à milite occisus est, cum antea filium ijsdem è latebris protractum eadem militum manus trucidasset. Ab eo exinde tempore diu apud Norvagos tranquillitas fuit.

Valdemarus verò pacatis circumquaque regni rebus, animadvertens domi confusionem ac chaos veluti quoddam exoriri legum ac constitutionum variarum, quod alij jus Cæsareum, tum passim etiam apud Danos receptum, occasione partim exterorum, qui collegijs ac monasterijs præerant, partim quod ipsi indigenæ, atque episcopi jus civile & canonicum, quod in Italiâ olim, aut Gallia degustassent, sequendum statuerent: Et alij vicissim alias ac veteres præsertim consuetudines, regiaque statuta, cujusmodi in legibus Selandiæ ac Scanensium, à Valdemaro I latis, extant, magnifacerent ac cæteris præferrent, adductus est, quem dixi, rex pijssimus Valdemarus, ut rei isti aliquando modus poneretur. Itaque indictus per idem hoc tempus Vordenburgi totius regni Comitijs, præsentibus *Ericó*, *Abele* & *Christophoro* ducibus, *Vffone* Lundensium archiepiscopo, *Ivaro* Othoniensi, *Iohanne* Slesvicensi, *Gunaro* Ripensi, *Petro* Arhusiensi, *Gunaro* Viburgensi, *Iohanne* Burglaviensi, *Nicolao* Roschildensi episcopis, ceterisque regni consiliarijs, ordinisque equestris viris primarijs, habito prius cum regni senatoribus secretiore consilio, *leges Cimbricas*, vulgo *Iuticas* dicimus, quæ hodieque obtinent, & in quas jurare, cum inaugurantur, reges solent, confici ac describi mandavit. Ac mox accedentibus omnium suffragijs, postquam eædem & approbatæ signatæque ac publicatæ fuissent, statim ijsdem in comitijs, quicquid veterum constitutionum hisce adversaretur, exuri universum atque aboleri curavit. *Scanienses* autem ac *Sialandicas leges*, quas olim parens ejus Valdemarus I tulisset, eas inviolatas atque integras reliquit: quod olim unius hujus regni ut plures reges, ita & leges diversæ fuissent. Hodie verò, quod Vitfeldius nobiliss. notat, cum totum regnum unum dominum agnoscat, unumque regni senatum habeat, ac foro simul supremo uno communique utatur, facile etiam ad legum paritatem possit redigi. Regi interim Valdemaro æternum debebit Dania, quæ hac tam illustri ipsius operâ tanto beneficio fruitur. Essetque optandum ut idem legum codex, tanquam ceteris præstantior, pleniorque passim per omnes regni provincias adhibitis, quos vocant, Recessibus, in praxin assumeretur, quò ita justum juris corpus, quod esset in universum usui omnibus, publicè exstaret.

Eodem tempore dioecesis Revaliensis regio diplomate in totum constituta est, cujus exemplar, sive formulam potius, qualis ad nos pervenit, totidem verbis, quamvis non tam verba, licet & illa quoque, quàm rem spectantes, subjecimus:

Valdemarus Dei gratia Danorum Slavorumq; rex, omnibus præsentes literas inspecturis salutem & dilectionem: Cautela providendum adversus oblivionis insidias de scripturæ providentis suffragio, pro eo, quod nonnunquam antiquitate fit temporis, ut quæ præsentibus recta & clara fuerant, posteris dubia & obscura reddantur. Quare præsenti indagine duximus inserendum; Quod cum nos terram Esthoniæ de infidelitatis devio, abjectis idolis, cum Dei auxilio ad cultum convertimus nominis Iesu Christi, ac per ejus gratiam, qui ad se venientibus dat veniam, adeò populus fidelium crevisset, ut proprio episcopo indigeret. Nos, ne nova plantatio ex defectu pastoris in pristinum dilaberetur errorem, dominum Torchillum Ecclesiæ Revaliensi præficiendum elegimus, & electum præsentavimus venerabili patri Lundensi archiepiscopo terræ

VALDEMARUS II. Rex.

terræ prædictæ metropolitano. Qui prout ad ejus spectabat officium, electionem, confirmationem vel præsentationem admisit, ac eidem electo munus consecrationis impendens, ipsum præfecit episcopum ecclesiæ antedictæ. Vnde cum in consecratione jam dicta promisimus, Revaliensi ecclesiæ providere de dote: Nos quod promisimus, favore benigno prosequentes, jam dicto episcopo recipienti nomine ecclesiæ octoginta uncos in Revaliâ dotis nomine assignavimus, perpetuò ab eadem ecclesia liberè possidendos; insuper autem concedimus eidem episcopo quadraginta uncos in Vironia, donec Virensi ecclesiæ provisum fuerit in prælato. Cum autem ibi fuerit episcopus ordinatus, volumus ut memoratus episcopus Revaliensis prædictos quadraginta uncos Vironensi episcopo sine contradictione dimittat: Adhæc cum tam ratione fundationis, quàm ratione dotis, constet nos veros esse patronos, jus eligendi & præsentandi electum nobis nostrisque successoribus perpetuò in posterum reservamus. Quod si forte processu temporis matrix ecclesia capitulum sive conventum habuerit, ad nos tantum, non ad ipsos pertineant electio ac præsentatio; in quibus si ipsi, aut episcopo loci duxerint nobis opponendos, decernimus, ut ad nos vel ad successores nostros rectâ viâ dos redeat memorata. Datum Eresborrig anno Domini MCCXL. *Cal. Octob.* XVII.

Super decimis quoq; eidem Revaliensi episcopo persolvendis literæ similiter, sed quæ superioribus paulo anteriores sunt, hujusmodi confectæ:

Valdemarus Dei gratia Danorum Slavorumque rex, omnibus Esthoniensem & Vironiensem terram inhabitantibus salutem ac gratiam. Mandamus universis & singulis militibus, castrensibus, Vasallis & Feudatarijs, sive terram nostram, quæ libera dicitur, sive quamcumque aliam terram jure Feudali, vel quocunque alio titulo detineant, ut ex illis decimas decimarum persolvere episcopo Revaliensi non omittant; quod licet alicui terram vel uncos jure feudali concessisse dignoscimur, semper tamen solutionem decimæ decimarum excipimus, & excepimus: prohibentes districtius ne aliquis præsumat prædictam solutionem, quasi nomine nostro & authoritate, retinere & sine diminutione de singulis solvere, sicut est prædictum, seu præfectus noster sit, seu alius quocunque nomine censeatur, &c. *Datum Vortingborg Anno* MCCXL. XIX. *Cal. Augusti.*

Erat Valdemarus ætate jam fessâ provectâq; & qui pacem bello potiorem ducebat, satis nimirum superq; fortunæ volubilitatem atq; aleam Martis per omnẽ vitam expertus. Felix ac victoriosus (unde & cognomen meruit) primis imperij viginti annis, & quamdiu auspicijs Canuti fratris, suo ductu belligeraret: postea captus atq; inde dimissus minus feliciter res gessit, magisq; domestica quàm externa fategit, uti est à nobis superius jam ordine commemoratum. Condito, quod diximus, legum volumine, haud diu supervixit, fatis concedens v. Cal. Aprilis anni MCCXLI, ut habet Stadensis Abbas; & regis Erici, nec non vetustum Norvagiæ chronicion. Solus, quod sciam Crantzius, & eum, ut videtur secutus Vitfeldius, annum ultra putant. Sed solis eclipsis, post secuta, quæ in II Nonas Oct. ejusdem anni MCCXLI, à Stadense non tantum, sed rege quoq; Erico rejicitur, satis evincat anno integro falli Crantzium; Et hoc insuper Vitfeldium, quod eam eclipsin paulò ante ipsius obitum statuat, quum toto semestri secuta sit: & quod plus est, secundum ipsius quoq; calculum, qui v etiam Cal. Apr. sed anni sequentis MCCXLII agnoscit, non fuisse paulò ante, sed mensibus totis sex, si verus est, ut esse putamus Abbatis calculus, præcessisse ejus obitum eclipsis illa dicetur. Sicq; defunctus sit, anno ætatis LXXI, utpote qui natus fuerit anno Christi MCLXX. Adeò ut jure mirari liceat, quomodo authore Crantzio explevisse eum annum centesimum ecclesiasticę historiæ continuator Merulę & qui eum secuti velint; cum id Crantzius, quem nominant, nuspiã, quod legere memini, tradat. Tradit tamen Mathæus Parisiensis ætate centenarium (ita loquitur) obijsse, sed errans in rebus à regno Anglicano, cujus historiam sibi enarrandam præcipue sumsit, alienis: ut & illud an vero sit consentaneum facile ex superioribus æquus arbiter dispiciet, quod eundem Voldemarũ, dum Angliæ fines invadere atque occupare jactabundè comminatur, è medio sublatum commemoret: cum de eo ne quidem cogitasse ex superioribus aut aliunde intelligi queat. Funus, quod Ringstadij ductum, non tam imaginibus & pompâ, quàm per laudes & memoriam ejus celebre fuit. Defuncto enim ipso recidit apex Danici diadematis, omniaque exinde fraternis dissidijs ac marte intestino, quod & prævidisse ipsum atq; ominatum supra diximus, flagrare cœperunt. Quę bello feliciter erant acquisita, discordijs amissa sunt, ac regia tandem domus paricidio fœdata, hostibus derisui omnibusq; malevolis voluptati fuit. Sed hæc ceteraque absque tamen odio ac studio, à quibus nos temporis longinquitas vindicabit, narrare deinceps aggrediemur.

MCCXLI.

MCCXLII.

RERUM

VALDEMARVS I Magnus *dictus*, *Rex Daniæ* LXXVI.

Eius conjux SOPHIA *Ruthena.* *Ante* Sophiam *qui nuptam ei* Margretam Nigram *tradunt, perperàm tradunt.* *Ex* Sophia *nati,*

- Rigissa *nupta* Erico *Canuti Sueciæ regi. Ex hoc matrimonio eiusq; progenie Sueciæ aliquot reges procreati.*
- Helena *nupta* Gulielmo *Duci Luneburgensi Henrici Leonis filio. Hinc Duces Luneburgenses ac Brunsvicëses, qui hodie superstites longâ serie prognati.*
- Ingeburga *nupta* Philippo *Galliarum regi.*
- Christina *desponsata* Henrico *eius nominis* VII *imperatori non nupta. Vide in rebus Canuti regis* LXXX *supra. Henricus Imp. postmodum duxit* Constantiam *Rogerij Siculi filiam, monialem quinquagenariam. quæ & ipsum postremum veneno sustulit.*
- *N.* *Nupta* Segefrido *Thuringiæ principi.*
- Valburgis *nupta Pomeraniæ Duci* Bugislao. *Ei filios 3 progenuit, unde descendunt, qui hodie supersunt Pomeraniæ Duces.*
- CANUTUS *rex Daniæ Gothorũ Vandalorumq;. Vxor eius* Rigissa Henrici Leonis *Saxoniæ ducis filia, vidua Palatini principis Frederici Conradi filij. Ex eâ genuit*
  - Idam, *nuptam* Vratislao *Pomeraniæ Duci.*
  - Hylleborgam *nuptam* Iarimaro *Rugiæ principi.*
- VALDEMARUS II *Rex Daniæ, Gothorum Vandalorumque,* VICTORIOSUS *dictus. Vxores ei tres fuêre:* Maria *Othonis* IV *Imp. filia. ex hac liberos non tulit: ex*
  - Margaretâ Dagmarâ Bohemicâ
    - Valdemarum, *qui ductâ* Leonora *regis Portugalliæ Alphonsi filiâ, obijt ex ictu teli. Leonora haud multò post ex mœrore puerpera similiter exspiravit.*
  - Berengariâ Lusitanâ
    - Inditham, ERICUM, ABELEM, Offonem, Canutum, CHRISTOPHORUM. *de quibus in sequentibus.*
- Christophorus *ex concubinâ natus putatur.*

SUPERIOR
GENEALOGIA LOCUPLETIOR
& qualem in historia expressimus.

S. Canutus *Dux Slesvicensis Rex Obotritorum.*

VALDEMARVS I Magnus *dictus, Rex Daniæ* LXXVI.

Eius conjux SOPHIA *Ruthena (soror, non germana, sed uterina,* Canuti, *qui* Magni, S. Canuti *trucidatoris, filius fuit) Ex eâ nati,*

Rigissa *nupta* Erico *Canuti Sueciæ regi. Ex hoc matrimonio eiusq; progenie Sueciæ aliquot reges procreati.*

Adelheida, *Crantzio* Helena, *nupta* Gulielmo *Duci Luneburgensi Henrici Leonis filio. Hinc Duces Luneburgenses ac Brunsvicenses, qui hodie superstites, longâ serie prognati.*

Ingeburga *nupta* Philippo *Galliarum regi.*

Christina *desponsata* Henrico *eius nominis* VII *imperatori non nupta. Vide in rebus Canuti regis* LXXX *supra. Henricus Imp. postmodum duxit* Constantiam *Rogerij Siculi filiam, monialem quinquagenariam. quæ & ipsum postremum veneno sustulit.*

N. Nupta Segefrido *Thuringiæ principi.*

Valburgis *nupta Pomeraniæ Duci* Bugislao. *Ei filios 3 progenuit, unde descendunt, qui hodie supersunt Pomeraniæ Duces.*

CANUTUS *rex Daniæ Gothorũ, Vandalorumq;. Vxor eius* Rigissa Henrici Leonis *Saxoniæ ducis filia, vidua Palatini principis Frederici Conradi filij. Ex eâ genuit*

- Idam, *nuptam* Vratislao *Pomeraniæ Duci.*
- Hylleborgam *nuptam* Iarimaro *Rugiæ principi.*

VALDEMARUS II *Rex Daniæ, Gothorum Vandalorumque,* VICTORIOSUS *dictus. Vxores ei tres fuêre:* Maria *Othonis* IV *Imp. filia. ex hac liberos non tulit : ex*

Margaretâ Dagmarâ Bohemicâ

- Valdemarum, *qui ductâ* Leonora *regis Portugalliæ Alphonsi filiâ, obijt ex ictu teli. Leonora haud multò post ex mærore puerpera similiter exspiravit.*
- Canutum *Ducem Blekingiæ & Hallandiæ &c. vide ann.* 1211. *& mox* 1261.
  - Ericus *Dux Hallandiæ. vide inferius.*

Berengariâ Lusitanâ

- Sophiam *alijs* Iuditham, ERICUM, ABELEM, CHRISTOPHORUM, *de quibus in sequentibus.*

Ex N.

- Christophorus.
- Nicolaus *Comes Hallandiæ. Vxor Ida, Comitũ Suerinensiũ soror. vide an.* 1216. *supra.*
  - Nicolaus *Suerinensis. Vide superius pag.* 313.
    - Iacobus *Comes Hallandiæ. De quo infra.*



RERUM DANICARUM HISTORIÆ LIBER VII.

ERICUS REX LXXXII. PLOG-PENNING *dictus*.

Ericus V. Rex.

VALDEMARO, ut memoravimus, anno MCCXLI ex hac vitâ ad meliorem translato, Ericus, jā ante designatus rex, rebus gerendis admotus est, cum annum ageret ætatis XXV. Ejus virtutes ac vitia si pensentur, plura laudanda quàm excusanda habebit. Præsertim animi probitas, tum & studiū pietatis justitiaq; in eo clara memorandaq; fuerunt, Unde & jus ex æquo ac bono cuiq; dicebat. Quod ei inter cetera, invidiam apud plures conciliavit, & maxime eos, qui legum curam oderant. *Canutus*, qui illi ex patre non matre frater erat, *Ducatū* tenebat *Blekingiæ*, atq; inde *Hallandiæ*; ac postremum etiam, quod mox dicetur, *Lalandiæ*. Cujus, uti & *Falstriæ*, Dux erat germanus ejus frater, *Christophorus*. Nam, ut supra memoratum, Slesvicensium diœcesi *Abelus* præerat; Et præter hæc, assignata erat unicuiq;, vivente adhuc patre, hæreditaria ex bonis patrimonialibus portio, quod mutatum jam pridē, olim obtinuerat, ut reges nimirum suas etiam seorsim ac privatas possessiones haberent. Sub initium concordes & unum cum Erico facere videbantur, mox adversi & hostibus regni aures præbere cæperunt, adeò ut in suas paulatim partes etiam episcopos atq; inde nobilitatē traxerint. Arduum enim eodem loci potentiam & concordiam esse. Cœlo sol unus est, ubi plurium imperium, ibi error, invidia, discordia ac factiones. Quod Anglia aliquandiu, sed & Dania multoties magno suo malo experta est, discerptis, quod superiora ante utrumq; Valdemarum demonstrant, per varios principatus regni partibus. Itaq;, cum infida ac difficilis esset omnis regni societas, pacis publicæ interfuit plurium potestatem ad unum conferri. Et licet Valdemarus prudentiâ singulari usus, huic malo occurrere, quantū in se esset, unicè studuerit, assignatâ filiorum unicuique suâ, ac principe dignâ, præfecturâ, tum & attributis possessionibus, quæ paternâ hæreditate singulis competebant, quo scilicet amicè ac fraternè agerent, intervenēre tamen, ut solet inter potentes, casuumque incerta, quæ nec evitari aut præcaveri potuerunt. Nam, præter ceteros, *Abelus* non ut frater Ericum fratrem complectabatur, sed ut peregrinus; totus scilicet ab affinitate, cui erat per nuptias uxoris innexus, dependens. Et habet subinde affinitas, quod naturæ necessitudinem vincat. Unde & bella sæpenumero, & inveteratas principum inimicitias nullo alio quam hoc, ut sic dicam, affinitatis coagulo sopitas legimus. Hîc verò tantum potuit, ut exuta in fratrem naturalis affectio Abelem in præceps egerit. Nam in eo tum esset Ericus, ut quicquid à parte Albis

ERICUS V. Rex. A. C.

boreali terrarum est situm (*Nordalbingiam* & *Vagriam* dictum, *Holsatiā*, *Stormariam*, *Lubecam* & *Hamburgum* simul complectens) id totum Daniæ regno postliminio adjungeretur, quod sibi ex Cæsaris non solum concessione sed diuturnâ etiā ac quietâ parentis possessione deberi putaret, & nuper per fraudem ac captivitatem eidē parenti ejus insidiosè fuisset præreptum, hoc agitantem Abelus impedijt. Erat is Adolphi IV Holsatiæ Comitis, qui, ut indicatum, posito sago, ac sumptâ cucullâ in monasterium se abdiderat, non gener tantū, sed filiorum quoq;, qui peregrè tum studiorum & cultus uberioris causa Lutetiæ Parisiorum agebant, tutor. Quapropter suarum esse partium judicabat, conjugis suæ fratres, eosq; absentes, patrocinio suo suscipere, atq; exsequi supremam parentis ipsorū voluntatem, sibi, ut hæredi fiduciario, religiosè commendatā. Et licet eum per literas Ericus moneret, ut ipse, qui Ducatū Slesvicensem fiduciariâ à Daniæ regno regibusq; clientelâ teneret, idem secū ageret, & deletâ, quâ fuerat affectus parens ipsorū, ignominiâ, Holsatiā Vagriamq; sub regni fidem reducere allaboraret, flocci hoc tamen Abelus fecit: Et fœdus insuper cū archiepiscopo Bremensi *Gerhardo* alijsq; parentis sui olim hostibus inijt. Quin & ipse *Gunzelinus*, Suerinensium Comes, quem ob captivitatem parentis Vatiniano semper odio fuerat prosecutus, in gratiam tunc cum ipso reductus est, operâ præsertim atq, industriâ ejusdē Bremensis archiepiscopi. Sed annno deinde MCCXLII res tandē ad arma bellumq; apertū prorupit.

MCCXLII.

Crantzius à Lubecensibus initiū factum videtur innuere, eos nimirū, dum piscaturæ in Daniâ vacant, per manus injectionem retentos ac mox, quacunq; occasione, dimissos, classe armatâ Hafniam, quæ Zelandiæ mētropolis est, repetisse; atq; ibi expugnato opidi castello, solo idipsum æquasse; ac tandem prædâ onustis navibus victores domum redijsse. Quod utcunq; se habeat, id certis ac domesticis auctoribus constat, Abelē, postquā identidē ab Erico esset monitus, ut memor officij, quo regi & regno Danorum obstringeretur, memor etiā fraternæ necessitudinis, occurreret ignominiæ, quæ in se utrosq; erat redundatura, nisi publico regni bono, ejusq; pomerijs ampliandis ac vindicandæ paternæ injuriæ simul incumberet, aliò nihilominus vertisse consilia sua; & in societatē tractis Lubecensibus, eos ad classem in oras regni penitiores mittendā incitasse, ac monuisse, agi de eorum non minus quam suâ libertate, quam frater suus diminutā cuperet: Nec è re fore vires ejus ac potentiam ulterius crescere, quamvis in eo esset, ut omnia, quæ pater Valdemarus possedisset, ad regni Danici obsequiū reduceret. Hæc authores illi, hoc præterea adjicientes, Ericum regē, collecto jam ante ex toto regno copijs, ubi ad promontoriū, quod Coldingę adjacet, *Eldenezum* vulgo dictum, appulisset ac militem in terram exposuisset, Abelum extemplo, qui consiliorū ejus haud erat ignarus, se cum robore suorum, quos passim è vicinâ Germaniâ Holsatiâq; collegerat, in adversum objecisse: Atq; hæc cū fierent, fuisse è Germanię contermię dynastis ac principibus, qui permittere haud quaquā voluerunt fratres inter se cōmitti, quod pars eorū cum Abele faceret, ac metueret, si ipse vinceretur, Ericū regē invasurū Holsatiam, ac totū id territorij Adolphi liberis prærepturū, præsertim cum & *Otho* Luneburgicus & Dux Saxoniæ *Albertus* alijq; pro rege Erico adversus Abelē auxilia subministraturi dicerentur: Et alios vicissim, quod existimarent minus decere inter se certare Christianos ac vicinos principes, fratresq; germanos in morē Caini & Abelis mutuis vulneribus sævire, ideo rem ad compositionem deduxisse: compositamque tum temporis hunc in modum, ut nimirum Ericus & Abel fratres germani fraternè agerent, omniaque invicem officia re & affectu exhiberent: utque *Johannes* & *Gerhardus* juniores Holsatiæ domini Comitesque Lutetiæ Parisiorum domum revocati, ipsimet rebus suis præficerentur. Atque ità, facto utrimq; sacramento, primam hanc belli favillam in herbâ, quod dicitur, compressam esse. Ità illi. quæ tamen ipsa quam fuerint fluxa demonstrabunt sequentia.

Eodem tempore Megapolitani principes juniores, *Gunzelinus* Suerinensium Comes & *Burevinus* Megapolensis, qui cum Abele fecerant, Erico regi eum in modum reconciliati sunt, ut veteres, si quæ invicem superessent, inimicitiæ atq; odia, sive ob Valdemari regis captivitatē, sive quod parentes ipsorū atq; inde ipsi Holsatiæ Comitibus adversus Daniæ regnum manus auxiliares commodassent, id totū oblivionis aquis & amnestiâ deleretur: Et utriq; in posterū regem Ericum ut dominum feudatariū agnoscerent, & ipse vicissim se ut fidum illis patronum defensoremq; exhiberet; illiq; ut clientes dicto ei audientes forent: Quod & ipsi Erico quamdiu in vivis fuit fidelissime præstiterunt. Dux Burevinus haud multò post filiam ejus *Margaretam* connubio sibi sociavit: Ex qua filios suscepit *Henricum*, *Ericum* & *Valdemarum*. Sub idem hoc tempus Revaliensium Ecclesiæ immunitates nonnullas rex Ericus indulsit, quæ cum certis ejusdem codicillis consignatæ habeantur, ipsas

ipsas literas, & eâ, quâtum scriptæ fuerunt, formulâ hisce subjicere visum est:

Ericus Dei gratiâ Danorum Slavorumq; rex omnibus hoc scriptum cernentibus in domino salutem. Uniuersitati vestræ tenore præsentiū constare volumus evidenter. Quod nos cum consensu hominum nostrorum in partibus Esthoniæ commemorantium, cum venerabili domino *Torchillo* episcopo Revaliensi, talem fecimus compositionem: Quod idem episcopus singulis annis, donec ad Esthoniam per Dei gratiam venerimus, percipere debeat sine exceptione qualibet, de viginti uncis duo talenta ponderata unum de siligine, & alterū de hordeo; & tam de omnibus liberis bonis nostris, quàm de cæteris in partibus Esthoniæ infeudatis: Et sicut Esthones ferunt decimas ad mandatum dominorū suorum, sic pars episcopi, ei in Revaliam deferatur. Memoratus autē episcopus huic compositioni consentiens promisit, quod tam in procurationibus, quàm in causis omnibus spiritualibus, usq; ad nostrum adventū, nihil amplius petere debeat vel facere erga suos subditos, quā juxta morem & consuetudinem, quam habet dominus *Hermannus* episcopus Torpatensis. Quia huic compositioni non interfuerunt quidam nobis infeudati, prçcipimus tam illis, quā omnibus alijs infeudatis, quatenus compositionē hanc ratam habeant & inviolabiliter observent.

Harum literarum occasione episcopus Torpatensis *Hermannus* episcopo Revaliensium *Torchillo* redituum ac decimarum, quæ ad se spectarent, rationem & modum, ut sequitur, distinctè per literas consignatum transmisit:

Reverendo in Christo patri & domino *Torchillo* Revaliensi episcopo, *Herrmanus* D. G. Torbatensis episcopus, cum charitatis affectu salutem perpetuā & prçsentem. Supplicavit nobis pietatis vestræ paternitas, quatenus jus, quantitatem & modum synodalium procurationum, quas nobis in diœcesi nostra exhiberi facimus, literis vobis nostris sigilli nostri impressione signatis subdistinguere & scribere studeremus. Noverit itaque paternitatis vestræ sanctitas, quod à nostris hanc recipimus procurationem, de duobus uncis unum Kulmet siliginis, de quatuor uncis unum Kulmet tritici, de quolibet unco unum Kulmet avenæ, de duobus uncis unum pullum, de viginti uncis unum plaustrum fœni, percipimus. De censu autem seu de annona jam superius memorata, carnes seu alia ad usum nostrum & expensas necessaria præparari facimus & operari.

Mox è Gallijs decedentes Iohannes & Gerhardus Holsati post festum ferè Michaelis, Abbas Stadensis quadrienniū ferè ultra putat, Hamburgum salvi advenêre. Ubi confestim ex pacto, de quo ante memoratum, Abelus eorum affinis, præsente Bremensium archiepiscopo Gerhardo Holsatiç Comitatum ceteraq; territoria ipsorum administrationi ac curæ commisit. Inde in ipsum Comitatū, & ad lares suos digressi passim à subditis maximâ cum honoris ac lætitiç significatione excepti fuerunt. Post id, cum inter ipsos de statu ac modo regiminis minus conveniret, ex procerum consilio finium suorū divisionem instituerunt, ità nimirum ut Iohanni, qui major erat natu, *Vagria* & *Chilonium* attribueretur, Gerhardum verò *Holsatia* & *Stormaria* dominum agnosceret. Verum mox peractâ divisione, orta est inter eos discordia super *Chilonio*. Nam cum illud in Holsatia sit positum, existimabat Gerhardus non Iohanni, sed sibi illud deberi. At Iohanne haud quaquam illud concedente, & factam divisionem ratam habendam asserente, Gerhardus suffultus Alberti ducis Saxoniç, ac Lubecensium auxilijs ad urbis obsidionem properavit, sperans se vi & armis, quod aliàs negabatur, impetraturnm. Verum Iohannes excitatis hinc inde munimentis, ac firmo intra opidum præsidio collocato operam eorū elusit. Inde adminiculantibus, qui aderant, principibus alijsq; belli ducibus pax inter fratres super Chilonio constituta: Quam & sartā exinde tectamq; retinuerunt. Annus sequens post obitum duorum pontificum *Gregorij* IX & *Cælestini* IV inauguratione *Innocentij*, qui ejus quoq; nominis IV fuit, tū & exustionibus cœnobiorū, Holmiensis apud Fionios & monialiū apud Roschildēses præcipuè insignis fuit. MCCXLIII.

Mox inter fratres Ericum regem & Abelem Ducem denuo lis exorta, non quidem Holsatiæ Comitatus, sed Slesvicensis diæceseos nomine. Nam anno, qui superiorem secutus est, CCXLIV supra millesimum, cum Ericus ex æquo & bono peteret ut Abel ob Slesvicensem Ducatum, quem jure fiduciario à Daniæ regno concessum tenebat, se ut dominum agnosceret, sibique juramentum ac cetera officia, ut solent clientes, præstaret, comperit longe aliter judicare Abelem, & eam diœcesin sibi hæreditario jure vindicare. Nec deerant suæ singulis factiones ac partes, adeo ut is annus perpetuis irruptionibus infestus fluxerit, dum vel Ericus, qui Coldingæ aut Ripis, ut plurimum agebat, in Iutiā subinde Australē populabundus excurrit, & Abel vicissim, par pari rependens Daniæ regnum ac insulas vicinas invadit, devastans omnia perdensq; quaqua iter ageret. Sed tandem & MCCXLIV.

ERICUS V. Rex. A. C.

hic belli motus,interponentibus ſe oportunè medijs,pro tempore compoſitus eſt. Obijt eâdem circiter tempeſtate *Iohannes* epiſcopus Sleſvicenſis, cujus in locum ſurrogatus eſt *Eſchillus* Præpoſitus. Celebratur & *Henricus Harpenſtrengius* Canonicus Roſchildenſis,qui & medicæ artis profeſſione induſtriaq; tum clarus, eundem etiam annum fatalem habuit.

Poſt hæc concilium Lugduni in Gallijs celebravit Innocentius IV convocatis ad id, præter ceteros Chriſtiani orbis dynaſtas aç principes,Erico rege,omnibuſque regni epiſcopis. Sed ipſe rex,contentione inter ſe & fratrem exortâ, cum regno abeſſe, nec etiam epiſcopi poſſent,ſuo eorumque vicem duos pietate inſigni viros eò ablegavit, *Iacobum Erlandſonium* eccleſiæ Lundenſis Præpoſitum,& *Petrum* archidiaconum Arhuſienſem. Qui ubi Lugdunum veniſſent à pontifice gratanter ac benignè excepti, cum ob eximiam eruditionem,tum animi ſingularem moderationem ac morum tractabilitatem,omnium,quicunque concilio intererant, in ſeſe admirationem ac favorem concitarunt. Ibi,inter cetera acta,fulmine pontificis percuſſus ac palam proſcriptus eſt,idq; præter exſpectationem, *Fredericus* Imperator. Exſtat enim gratulatoria ipſius epiſtola, quam Beneventi ad Othonem ducem dedit,ubi ſignificat, virum bonum ac pacis publicæ amantem, pontificem maximum electum eſſe à patribus: quod talem ſcilicet ante pontificatum noviſſet, atque expertus fuiſſet,amiciſſimum. Sed *Innocentius* mitra papali donatus, Gregorij noni, qui Imperatorem in Italiâ confidentem ac latè dominantem ſemper oderat, veſtigia ſecutus telam,quam ipſe cæperat ſtudioſè pertexuit. Idque animadvertens *Fredericus*,expugnatâ, quæ à partibus Papæ ſtabat,*Faventiâ*: & *Bononiâ* graviter afflictâ,exercitum Parmæ admovit. Inde Italiâ propemodum tota excluſus Pontifex trajecit in Galliam; atq; ibi conſcripto,quod diximus,concilio Cæſari diem dixit. Qui confeſtim,miſſis legatis,cum tempus definiri commodius petiviſſet,Pontifex,allatis adverſus eũ multis criminibus,ac demum hæreſeos, & quaſi de Chriſto perperam ſentiret impietatis inſimulato ſacris interdicit: fruſtra cauſam ejus agentibus,quos miſerat, legatis, & præſertim viro juris conſultiſſimo *Taddæo*: qui inter alia,Cæſaris præſentiam operiendam commonebat, & quod ad hæreſeos crimen,optime eum de Chriſto domino noſtro ſentire demonſtrabat, nec quicquam in votis habere potius, quam ut ſuo tempore reſpublica Chriſtiana priſtinam majeſtatem, ſimplicitatem ac pacem recuperaret. Sed Papa non contentus à ſacris arcuiſſe eum,etiam illud egit,ut imperium eidem abrogaretur. Quæ ſententia quam diſplicuerit paſſim Europæ ſummis dynaſtis,indicat Abbas Stadenſis eorum temporum ſynchronus, oſtendens palam hac parte reclamaſſe eos pontifici,aſſerentes non pertinere ad Rom. præſulẽ creare aut removere loco imperatorem, ſed ejus tantum eſſe, electum à principibus ceremonijs pro more adhibitis, inungere & coronare. Abrogata nihilominus imperatoria ei dignitas; Et *Erico* Danorum regi, ſi Lugdunum adveniſſet,auxilio regis Galliarum & Sanſeverinatum principum, quos ſibi faventes Innocentius habebat, quod antea conſtituerat Gregorius,Cæſareum tum diadema impoſitum fuiſſet. Nam,ut patet,ex actis illius temporis, *Gregorius*, Innocentij poſt Cœleſtinum, qui paucis diebus ſuperfuit,prædeceſſor, operam jam ante dederat, ut, in partes ſuas attractis validiſſimis gentibus Bohemicis, Theutonis,Slavis,Danis,Ungaris,inhærentem Italiæ Fredericum removeret,atq; ei cum totâ proſapiâ honoribus ſpoliato alium aliunde ſuperinduceret. Unde & Budeviſij,quod opidũ eſt Bohemiæ atq; inde Libuſſę facto conventu,conjurati ejus frequentes adfuêre,ut Ericum,tũ Daniæ electum principẽ,rebus imponerent. Sed pater Valdemarus videns partiũ ac principum ſtudia,filiũ ab incepto revocavit. Atq; ita molitiones iſtę univerſæ in fumum abierunt,accedente præterea ijſdem diebus obitu ipſius Pontificis *Gregorij*. Innocentius igitur poſtquã hoc fulmen vibraſſet,Imperator qui Lugdunũ venire conſtituerat,& jã ad Taurinates uſq;acceſſerat,mutato conſilio,redijt in Italiam:atq; accerſitis ex Apuliâ & Calabriâ recentibus copijs,Parmã arctius obſedit. Ac tandẽ obſeſſos itâ preſſit,ut deditionẽ facerẽt, dũ interea ab alterâ parte filius ejus *Encius*,Sardiniæ rex,oppugnat Bononiam.

Reperio in annalibus novum inter hæc ſidus magno prodigio effulſiſſe: & eſt ferè omnium opinio,ejuſmodi cœleſtia oſtenta rerum inſignem mutationem portendere. Hæc autem (ut, notavit accuratè Abbas Stadenſis temporis hujus æqualis) circa capricorni aſteriſmum ſtella conſtitit,nullâ vel caudâ vel comâ,ut *Cometes* inſignis, ſed inſtar Luciferi magna,clara,ſed rubea, ſanguinolentum aliquid ac Martium præferebat: Ortum & occaſum,in morem reliquorum ſiderum,ſtatis vicibus ſervabat; Et affirmabant,qui circa aſtrorum contemplationem aſſidui tum erant, nihil ſibi unquam ſimile animadverſum. Obſervata primum fuit ſub aſcenſionem Domini,& demum ſub feſtum Iacobi,deperditâ paulatim

A. C.

paulatim magnitudine ac colore, in totum evanuit. Nec prætereundum hoc ostentum putavi, præsertim, quia mathematici nostri temporis stellam novam, fixis aut planetis parem, præter eam, quæ anno MDLXXII, & quæ ab Hipparcho jam olim est observata, circa finem ferè monarchiæ Græcorum, cum ab harum regionum populis bellum, quod Cimbricum appellabatur, in Italiâ adversus Romanos gereretur, C. Cælio ac Cn. Papyrio Carbone Coss, vix aliam illuxisse literarum monumentis certò traditum reperiant. Nec leves etiam istam rerum vicissitudines secutas indicium est, quod statim, proclamato Cæsaris anathemate, imperium sit traditum *Henrico Lantgravio*, qui ad Ulmam haud multò post telo confossus, vel, ut alij habent, equo lapsus occubuit: Et eum proximè secutus *Wilhelmus* Hollandus à Frisijs occisus sit. Indeque exorta dissidia tam atrocia, ut adversus leges & jura vetera, acciti sint principes exteri: Et cum hos vel accipere imperium metus prohiberet, vel pars adversa non admitteret; Occidens bellorum ac dissensionum fluctibus sine certo gubernatore, ceu navis ventorum procellis sine nauclero, aliquandiu jactatus est. Domi quoque & intra regni penetralia quis status fuerit, quæque secuta deinceps tempora, tum quæ dicta sunt, & porrò dicemus, ostendunt.

Eodem hoc anno MCCXLV, regius apud Esthones præfectus cum ordinis Theutonici legatis in Daniam appulit, significans regi Alexandrum Neogardiæ magnum Ducem, occupatâ Plescoviâ incursionem fecisse in territoria Dominorum ordinis; orare itaq; tam regis quam ordinis nomine, ut copiæ auxiliares, priusquam hostis majores progressus faciat, in tempore submittantur. Rex, accepto hoc nuncio, cum militem paratum & ad manus haberet, & inter se ac fratrem, ut meminimus, res esset utcunque composita, ipsemet proficisci eò in animum induxit. Quò autem, se absente, nihil à parte Abelis, vel ipse, vel regnum, quod metueretur, haberet, cum eo egit ut eidem expeditioni, suo cum milite interesset. Abel acceptâ conditione suas confestim copias regis conjunxit, inq; Scaniam dimisit, ut inde cum classe ad Esthones trajiceret. Erantq; parata jam omnia, naves, miles, commeatus ceteraq; ad bellum necessaria, cũ denuò adfertur Ducem, relato pede, nihil pręterea hostile minari: nec è re videri sponte sua regredientem hostẽ persequi, aut ansam dare ulteriora tentandi: pręstare itaq; differre hoc tempore procinctũ atq; alij occasioni semet servare. Quod cũ & regi & Duci Abelo haud displicere videbatur, dilata tũ res est. Rex interea, misso ad præfectũ suum militũ supplemento, eos præsidijs imponi ac loca præsertim limitanea obsidere mandavit, ut essent in promptu, si forte repentinũ auxiliũ res posceret. MCCXLV.

Per idem tempus *Usso* archiepiscopus Lundensis, synodum contraxit Othoniæ apud Fionios, cui, præter ceteros, interfuère episcopi ac suffraganei ejusdem, *Gunarus* Viburgensis, *Nicolaus* Stigothus Roschildensis, *Petrus* Arhusiensis, *Gunarus* Ripensis, Iohannes Burglaviensis, *Eschillus* Slesvicensis, cum *Petro* coadjutore, & *Ivaro* episcopo Othoniensi. Miserat & nuncium suum *Iohannem Placentium* pontifex. Hîc decreto sancitum, aut repetitum potius, quod *Leo* olim adversus ecclesiæ prædatores promulgaverat, eos anathematis reos haberi, sicuti & illos, quibus ecclesiæ ceremoniæ contemptui essent: Visumque tum etiam, ut idem pontificis decretum festis omnibus ac comitialibus diebus Danicè recitaretur, ac publicè simul diris devoverentur cujuscunq; aut status, aut conditionis essent, qui rei istius facinoris convincerentur. Simile huic est decretum Gregorij noni, quod is anno octavo pontificatus sui Perusiæ in gratiam earundem ecclesiarum evulgavit. Et volunt quidam notatos hisce edictis ipsos etiam principes *Ericum* præsertim ejusq; fratrem *Abelem*, quod dum illi mutuis inter se odijs flagrant, multa præter fas & æquum cum ab ipsis tum milite ipsorum in ædes & ædificia sacra sint perpetrata; Collationes quoque & onera ecclesiasticis eorumque ministris imposita, quæ cùm ægrè ferrent, nec mutare episcopi possent, pontificum tandem opem ab ipsis imploratam. Et constat, celebratâ superiori synodo, *Nicolaum Stigotum*, quem & modo nominavimus, Roschildensem episcopum, obortâ inter ipsum & regem simultate, è Daniâ ad Norvagos secessisse, & inde conscensa navi, in Gallias Claravallam abijsse, ubi quadriennio circiter post, in fata concessit. Hic Stigothi discessus maximam regi apud cognatos ejus ceterosque episcopos invidiam conciliavit: quæ & in majus aucta, quod rex totius deinde diœceseos reditus suum in fiscum redigi faceret, ijsq; frueretur, dum tandem *Iacobus Erlandus*, Lundensium Præpositus, defuncto sufficeretur. De causa âbitus ipsius non omnium eandem esse sententiã video: quidam eam rejiciunt in fratrum vatiniana odia, & quæ inde secuta est, regni atq; indigenarum vastitiem. Alij existimant à parte ipsum Abelis stetisse, & regi occultè adversatũ esse: Et alij vicissim, dum ecclesiasticarum personarum possessiones & colonos vectigalibus

Ee iij gravari

gravari palam & quasi objurgando apud regem quereretur, ejus indignationem incurrisse; ideoque malle se peregrè agere, quam domi implacato uti hero. Sunt qui interfuisse quoque concilio Lugdunensi volunt. Nos duobus illis, quorum supra meminimus, plures eò à rege missos non invenimus. Tradunt annales *Vffonem* etiam archiepiscopum eidem Stigotianæ liticulæ involutum & regno ad tempus excessisse, sed mox reversum cum rege in gratiam redijsse: Sub anni extremum reperio ex episcopis, quorum supra meminimus, obijsse *Ivarum* Othoniensem, & *Gunarum* Ripensem. Quorum illi ejusdem loci Præpositus *Nicolaus*, huic verò *Esgerus* est surrogatus. Obijt præterea & Arhusiensis Præsul *Petrus*. Cujus in locum cum esset electus archidiaconus *Petrus*, episcopo cognominis, qui, ut supra est memoratum, Lugdunensi concilio interfuit, visus est rex in ejus electionem minus consentire: cum ob natalium & cognatorum ejus splendorem potentiamque, tum quod Abeli videretur addictior. Receptus est tamen ac ordinatus ab *Vffone*
MCCXLVI. Lundensium archiepiscopo biennio post.

Hinc Ericus ut se adversus Lubecenses ulcisceretur, cum ob perfidiam, quâ olim erga regem Valdemarum parentem ejus usi fuissent, tum quod nuperrimè in oras suas immissâ classe, regno cladem intulissent, nec pactis conventis, quæ inter se & Abelem fratrem erant inita, fuissent comprehensi, eos intra suas sisti ditiones, & per manus injectionem, ubicunque dabatur, naves ipsorum teneri mandavit. Classem quoque Travæ flumini immisit, &, utrimque facto munimento commeatu eos intercludere sategit. Sed illi ex adverso per Balthicum mare evagati quaquà poterant Daniæ oras infestabant. Accedebat & Holsatus, qui suo patrocinio tutandos eos suscipiens etiam Bremensis episcopi auxilia suis eorumque copijs conjunxit. Inde inducijs ad tempus factis, à bello aliquantum cessatum est:
MCCXLVII. Dum anno sequenti denuo inter fratres exorta discordia. Volebat enim rex Ericus, ut *Abel* ducatum *Slesvicensem*, *Canutus* Blekingiam, Falstriam ac Lalandiam *Christophorus*, velut clientelares præfecturas à se susciperet, & se ut dominum agnoscerent. Seorsim verò à duce Abele exigebat, utpote cui præ ceteris esset prospectum, ut is *Suineburgo*, quod hæreditatis jure tenebat, cederet. Sed reponebant duces, eas præfecturas non ut regia aut regni beneficia, verum sibi concessas, ut regijs filijs loco paternorum hærediorum & quæ superiorem non agnoscerent, liberas & servitij omnis expertes; amicè & fraternè petentes, ut eo etiam modo interpretari vellet, ac voluntatem & dispositionem parentis supremam immotam reliqueret; Se aliàs ipsum ut regem respecturos, & ad omnia officia fraterna fore quam paratissimos. Sed rex, nequaquam istis auscultare volens, cuncta aversabatur; Et duces quoque vi & armis, quod suum esset, sibi tutandum proponebant. Unde & facto inter se fœdere, ex episcopis etiam & regni nobilitate haud paucos sibi dicto audientes habebant, præsertim cum Ecclesiasticorum plerique indignius ferrent ac regi quasi impingerent discessum *Nicolai*, de quo memoravimus, Roschildensis episcopi. Quapropter Abel invasâ confestim Fioniâ, atque insulæ istius metropoli *Othoniâ* flammis defœdatâ, *Suineburgum*, quod ad se pertinebat, præsidio communijt. Sed ei occurrens Ericus capto Suineburgo ignem injecit, ac mox, fratre Christophoro Falstriæ ac Lalandiæ ducatibus exacto, eas regno postmodum subjecit. Ipse Christophorus Slesvicum ad fratrem Abelem concessit. Rex verò ulterius deinde progressus, aut potius regressus, Canutum Blekingiæ ducem cepit, ac castro Stegensi captivum inclusit. Qui tamen mox, obsesso ac capto à classe Lubecensium eodem Stegensium castello, liberatus est. Classis deinde quocunque se inferret cuncta deprædabatur, atque igne injecto, quæ tollere nequiret, absumebat. Et ut illi à parte Abelis strenuè rem mari gerebant, ità vicissim Vandaliæ principes ac Comes præsertim Gunzelinus, in subsidium à rege vocati, terrestribus copijs Holsatiæ illatis ac captâ Oldensloâ, maximas inde prædas egerunt. *Canutus* verò & *Christophorus* fratres, qui, ut diximus, *Abeli* se junxerant, Australem Iutiam ingressi eam ferè totam occupant; atque urbe deinde Ripensi suam in potestatem redactâ, etiam arcem sui juris fecerunt. In eâ non tantum episcopum *Eschillum*, qui eò confugerat, sed aulicos etiam ac regis perplures domesticos ceperunt. Præter ceteros, duas ejusdem filias, quas ex Iudithâ sustulerat, *Sophiam* nimirum, quam duxit postmodum Sueonum rex Valdemarus, & *Ingeburgam*, quæ nupsit Norvagiæ regi, Magno Haquini filio, Segebergam in Holsatiam catenis injectis abduxerunt; atque ibi ad nonum usque mensem asservatas, postea liberas dimiserunt, ut statim referemus. Abel præterea ipse, Vedelæ opido ac Randerhusio cum vicis aliquot incensis, damna passim, qua dabatur, regni territorijs inferebat. Et Ericus vicissim, ut se vindicaret, Lalandiam ac Falstriam, & si quas præterea in regno

Ericus V. Rex. A. C.

regno præfecturas Chriſtophorus ejus frater tenuiſſet, eas univerſas ad regni ac ſuum obſequium reduxit. Arreſchoviam quoque, quæ eſt in Fioniâ, armis à ſe expugnatam, & Blekingiam, Canuti fratris apud Scanienſes ducatum, eodem jure retinuit. Inde in Iutiam facto impetu Ripas recepit, ac multos ex nobilitate & ducibus Abelis, quos cepit, deduci atque aſſervari apud Selandos curavit. Ipſemet Slesvicenſium Ducatum invadens ferro omnia ac flammis miſcuit. Præter cetera exuſtæ Haderſlabia, Coldinga aliæque eo tractu ſitæ urbes, quamvis nominis minoris uno omnes cenſu habitæ. Tenuitque hoc bellum ad brumam ferè uſque, ac tandem ſub feſtum nativitatis Chriſti denuo inter eum & fratrem Abelem ejuſque fœderatos pax inita, dimiſſis utrimque captivis, & ſi quos obſidum loco acceperant. Tum quoque è cuſtodiâ eductæ, quas Segebergæ detentas meminimus regis filiæ. Mox aſſenſum ſuum rex præbuit, ut, qui erat electus Arhuſienſium præſul, *Petrus* in ceuſum antiſtitum reciperetur, creatuſque eſt Arhuſienſium epiſcopus ab *Vſſone* Lundenſium pontifice, ipſo die qui Calixto ſacer eſt. Eodem hoc anno, quo etiam creatus erat vel oppoſitus potius Frederico Imperatori *Henricus* Thuringiæ Lantgravius aperto prælio à filio Imperatoris Conrado eſt ſuperatus atque inde haud multò poſt ad Ulmam occubuit. Ejus in locum principes electores, nihil remittente Romani pontificis erga Fredericum odio, elegerunt *Gulielmum Hollandiæ* Comitem, eique rerum ſummam detulerunt ſolenni ritu atque inauguratione habitâ Aquiſgrani; poſtquam eam urbem, quæ hucuſque in fide atque obedientia erga Fredericum perſtiterat, ad deditionem adegiſſet, ope Othonis Brunſvicenſis, præpotentis illo tempore principis & opulenti. Cujus & filiam ſibi thori ſociam idem Gulielmus aſſumſerat. Obijt eodem tempore *Ioannes* Borchlomenſis, cujus in locum ſuffectus eſt *Rudolphus* Weſterwigæ præpoſitus, qui anno deinde MCCLII abdicato epiſcopi munere, cucullam S. Franciſci induit, haquitque ſucceſſorem *Olaum*.

Pax autem ſive induciæ potius; quas diximus modo inter Ericum regem & fratrem Abelem conſtitutas, breves admodum fuêre. Nam anno, qui eſt ſecutus ſupra milleſimum ducenteſimum quadrageſimo octavo, ſub veris ſtatim initium, recruduit bellum, ac multò quam ante vehementius geſtum eſt. MCCXLVIII. Uterque præcipuè id operam dabat, ut vaſtatis alterutrius provincijs, cuncta deſolarentur. Lubecenſes, eorumque fœderati terrâ marique, quà poterant, incenſo, præter cetera, Haffnienſium opido (*Haven* appellat Erici regis chronicion) magnis paſſim incommodis regni incolas afficiebant. Et principes viciſſim Vandaliæ, qui partes Erici fovebant, eruptionem quidem in fines Holſatiæ fecerant, ſed repreſſi à duce Abele & affine ejus, Holſatiæ Comite Iohanne, terga dare coacti ſunt. Interea tamen dum illis repellendis ipſi diſtinentur, Slesvicenſem ducatum Ericus invadit, & obvium ſibi factum ducem Chriſtophorum toto cum exercitu profligat; ac ipſum vivum capit. Nec diu moratus, tradito in cuſtodiam duce, *Flensburgum*, opulentum eo tractu emporium, ſubitus irrumpit, ac, tectis igne injecto, ad circumjacentia digreſſus totum ferè ducatum devaſtat ac populatur. Deinde videns multorum erga ſe invidiam flagrare, & nobiles quoque parum ſibi eſſe æquos, quod fratrum ſuorum duobus catenas injeciſſet, tertium bello perſequeretur, conſtituit dimittere Chriſtophorum, modo is redire ad obſequium & partes ſuas vellet amplecti. Eidem præterea, ſi hoc agere animum induceret, Pomeraniæ ducis Samborij filiæ Margaretæ nuptias, ac Fimbriæ inſuper præfecturam pollicitus eſt. *Chriſtophorus* conditiones haud aſpernatus, eas accepit, ſeque in fratris obſequium ac clientelam tradidit. Mox cum eſſet allatum celebrari Vapenveldiæ Holſatica comitia, ipſe rex unà cum duce Chriſtophoro eò quam celerrimè armatus cum militibus profectus Holſatos inopinatos oppreſſit, atque opido exciſo præcipuos ex nobilitate ſecum in Daniam captivos abduxit. Hi poſtmodum, ſoluto redemptionis lutro, dimiſſi. Interea dum iſta fiunt, adfertur Lubecenſes regni oras diripere, ac paſſim prædas agere; Itaque verſis velis, domum redijt; acceptoque claſſem eorum in freto *Oreſunda* conſiſtere eam inopinatò invaſit, ac quatuor ipſorum naves, ſpolijs ſuorum onuſtas, cepit. Inde ad Fimbriæ inſulam enavigans, fugatis Holſatis, eam ſuæ poteſtatis reddidit. Ac fratre Chriſtophoro, quod antea pollicitum diximus, diſtrictui iſti præpoſito, evocari eodem curavit filiam Pomeraniæ ducis Margaretam. Cum quâ fraternæ nuptiæ ibidem continuò celebratæ. Tenebat tum adhuc arcem Rendesburgum regni nomine *Henricus Emoldorpius*, vir ſtrenuus ac militaris, natione Dithmarſus. Ei rex de occupando Slesvico occulta mandata dederat, ut nimirum, dum ipſe Abelem ſuo exercitu aliò traducit ac fruſtratur, ille Slesvicenſes per inſidias opprimeret. Henricus juſſis obſequens de nocte,

Ee iiij expedito

ERICUS V. Rex.

expedito cum milite clam Randesburgo egreſſus per valli foſſas opidum non exſpectatus intravit, ac ſubitò, priuſquam arma cives ſumerent, urbe potitur. Filia ducis Abelis, quæ intra mœnia manſerat, dum à milite opidum diripitur, aliquandiu occultata delituit, ac mox mutato habitu ac veſtibus pœne nuda evaſit. Eſchillum antiſtitem rex urbe exegit, ac bona ejus univerſa prædæ habuit. Cauſam ejus memorant, quod is cum ad epiſcopatum Sleſvicenſem vocaretur, inſuper habito rege ac regni primatibus, initiari ſe ab archiepiſcopo Bremenſi ſiviſſet. Et poſtmodum licet veterem in ſedem reſtitueretur, ſemper tamen regi adverſatus, partes Abelis ſecutus eſt. Rex Sleſvicenſium opido in modum, ut memoravimus, potitus, ibidem aliquandiu ſubſtitit, dum ſuum ad nutum cuncta diſponit. Itaque coactus Abel relicto ducatu ſuo, Bremam petere, atque ibi, prenſatis amicis, eorum opem ſollicitare. Erant hos inter, exceptis Holſatiæ Comitibus Iohanne & Gerhardo affinibus ejus, tum & archiepiſcopo Bremenſi, electus præterea Paderbornenſium præſul *Simon*, alijque Germaniæ principes, & qui ei fideliſſimam ſemper operam navarant Lubecenſes. Hi comparatis extemplo haud exiguis copijs ad recuperandum Sleſvicum approperarunt: Repulſoque Erico ac totam ferè Iutiam populando pervagati, quæ auferre non poterant, ferro atque igne miſcuêre. Sed mox ubi accepiſſent adventare cum Selandicis, Fionicis ac Scanenſium auxilijs Ericum, relato quam celerrimè pede, ad ſua ſe receperunt. Interfuit huic expeditioni ipſe Bremenſium antiſtes *Gerhardus*, qui haud multis poſt diebus ſuperſtes quamprimum *Verdam* eſſet reverſus in fata conceſſit cum annos ſediſſet, novem & triginta. Ei Canonicorum ſuffragijs proximè ſuffectum *Hildebaldum* reperio: Et Abelem per idem tempus cœpiſſe in opido Coldingæ, qui locus eſt Iutiæ auſtralis limitaneus, propugnaculum munitiſſimum è ſolo ac fundamentis educere. Et licet plurimi eſſent ex epiſcopis ac regni nobilitate, quibus extremè erat in votis, ut aliquando fraterna iſta atque inauſpicata diſſidia amicè componerentur, acceſſerunt poſtremum etiam electores ac principes aliquot Germaniæ, qui regem ac Ducem affinitate aut aliàs cognatione contingebant; Inter eos præcipuè eminebat Marchio *Iohannes* Brandeburgicus, qui Sophiam Erici ſororem ſibi connubio junxerat, itemque dux Brunſvicenſium ac Saxonum *Albertus*, cujus filiam uxorem habebat Holſatiæ Comes *Iohannes*. Hi quamvis aliquoties per literas & legatos egerant, ut inteſtina illa atque incolarum exitio nata inter fratres bella tollerentur, paxque optata civibus redderetur, tamen cum utrique pertenderent & rex præcipuè à jure ſuo diſceſſurus haud videretur, parum obtinere potuerunt: nondum ſcilicet placatâ divinâ irâ, & quod diuturniore adhuc Bellonæ flagello caſtigari delicta ſummo numini placeret. Tandem verò exeunte circiter anno *Sophia (*quam perperam alij *Iuditham* ſive *Iutham* vocant*)* conjux electoris Brandeburgici Iohannis, ſoror Erici atque Abelis comitata domini ac mariti ſui aliorumque principum legatis, Danico ſe itineri, licet tum temporis gravida, accinxit, ſi forte coram ac præſens utrumque fratrem ipſa ſoror ac germana ſuis precibus ac monitis permovere poſſit, ut auſcultantes ſalutaribus conſilijs infauſtas illas inter ſe concertationes miſſas facerent. Verum illa uterum, ut diximus, ferens, ubi Flenſburgo pedem intuliſſet, facta puerpera ac recurrentibus è partu doloribus, ſimilive ægritudine correpta una cum fœtu diem ibi ſupremum, cum maximo bonorum omnium mœrore clauſit, III Novembris, ſepulturæ quoque eodem loci non Ripis, ut habent alij, regium in morem mandata. Interea nihilominus electoris ac principum legati, quos adduxiſſe ſecum *Sophiam* meminimus, præſente Lundenſium archiepiſcopo *Vffone* alijſque præſulibus ac regni conſiliarijs, ejuſmodi inter fratres compoſitionem inſtituerant, ut *Abel*, retento Ducatu, Iutiam auſtralem utpote feudum ac regni beneficium acciperet, fratremque dominum agnoſceret; Et *Canutus* ſimiliter ad præfecturam ac Comitatus ſuos regreſſus eos à rege ac regno ſe tenere profiteretur; damna verò, quæ eſſent utrimque illata, ſinguli remitterent. Auxiliares quoque & fœderati ipſorum Holſatiæ Comites, nec non Lubecenſes eiſdem pactis comprehenſi, ſingulique ſingulis quod eſſet per bella ereptum reſtituerent. Scorſim verò *Ericus* ejuſq; frater *Abel* firmam ac duraturam amicitiam alter alteri polliceretur, additis non ſolum ſacramento ac literis manu utriuſq; ſignatis, ſed ex ordine inſuper equeſtri viginti utrimque obſidibus eâ lege traditis, ut ſi fortè, quod eſſet pactum, quiſquam eorum infringeret, ab eo recedere ac parti ſe alteri conjungere obſidibus fas eſſet. His actis omnes ubique gaudio ſupra modum exſultavêre. Abbas Stadenſis hanc poſtremam pactionem inter fratres ad annum ſequentem videtur referre.

Apud Sueones eodem circiter tempore, regium imperium moderante *Erico Balbo*, ſive,

ERICUS V. Rex. A. C.

ſive, ut ſupra nominavimus, *Blæſo, Leſpe* vulgariter dicto, Scheningæ concilium coactum eſt per epiſcopum Sabinenſem, *Gulielmum* Cardinalem, à pontifice eò miſſum, præſentibus archiepiſcopo Upſalenſi *Iarlero* alijſque. Ibi inter cetera decretum, ut à ſchiſmate Græcorum diſcedentes Sueciæ preſbyteri, uxores, quas duxerant, miſſas facerent, ac cœlibatum exemplo Rom. eccleſiæ colerent: imitati in eo quoque vicinos Danos; qui annos ante centum & viginti Rom. pontifici Calixto II aurem hac parte obſequentem præbuiſſent, quomodo ſuo ſuperius loco commemoratum. Ubi & iſtum verſiculum anni illius MCXX numeralem adduxiſſe nos memini:

M. C. biſque decem Danorum clerus abegit
Uxores ductas, non ſine clade gravi.

MCCXLIX.

Sequentis anni initium inſigne habetur ſponſaliorũ ſolennibus, quæ Sueonum princeps *Valdemarus* cum regis Erici filiâ, natu maximâ, *Sophiâ* Ienecopiæ celebravit, accurrente eodem ingenti Danorum Sueonumque multitudine feſtivitatem eam, immenſo apparatu inſtructam, contemplaturâ. Ei in dotem conceſſa *Malmogia* ac *Treleburgum* aliaque paternæ hæreditatis beneficio debita. Nuptiæ ipſæ, in annum, ut videtur, MCCLXII dilatæ, de quibus ſuo mox loco. Obijt ſub idem tempus apud Gallos in Claravallenſi cœnobio *Nicolaus Stigothus* Roſchildenſium epiſcopus, de cujus è Daniâ abitu dixiſſe ſuperius memini. Ejus in locum *Iacobus Erlandus* ſucceſſit, ab *Innocentio* pontifice, qui eum non modò Lugduni, cum ibi concilium celebraretur, familiarem, ſed à ſacris quoque jam ante habuerat, præcipuè commendatus. Ille, quicunque ad eam diœceſin reditus ac poſſeſſiones ſpectabant, à rege receptas eccleſiæ poſtliminio reſtituit.

Mox Ericus rex, indictis Roſchildiæ comitijs, inter cetera regni ſenatoribus ſignificavit, ſibi jam, parta cum fratribus pace, conſtitutum exemplo Adolphi Comitis aliorumque majorum ſuorum religionis ergo in Livoniam cum claſſe & milite trajicere: Ejuſque cauſas habere, præter pietatis Chriſtianæ propagationem etiam alias, quod ſuam nimirum præſentiam requirerent diverſa negotia ac loca jam ante à ſuis occupata, ut, ea magis magiſque firmata in fide retinerentur, & ipſe cauſis ac controverſiis ſubditorum ſuorum coram cognitis nonnulla, quæ prava & longâ conſuetudine inoleviſſent, abrogaret. Addebat & illud, eas regiones non niſi ſuperſtite parente ſuo felicis memoriæ, fuiſſe à regibus frequentatas, & ideò neceſſariò nunc adeundas, ne fortè qui ibi plurimum poſſunt, ordinis Theutonici ſeu Crucis milites ſibi in terras non ſuas aliquid juris longâ temporis uſucapione vindicarent, aut barbari oneri eſſent Chriſtianis: Teneri præterea ſe pontificis ſummi mandato ad promovendum veri Dei cultum, & orbis Chriſtiani limitem dilatandum, ideoque & pontifices olim Romanos parenti ſuo *Cruciatam*, ut vocant, contuliſſe: quam & regni inſignia in ſolo rubeo albâ cruce oſtentant: propoſitum itaque & ſibi hac piâ ac neceſſariâ in barbaros expeditione divinam benignitatem promereri. Poſtremò cùm haud lateret regni ſenatum ærario per diuturna ac inteſtina bella exhauſto, vix ullam ſupereſſe copiam, de cenſu per regnum univerſum agendo ſermonem cæpit inſtituere, petens ut ex aratro unoquoque nummus penderetur, quos plerique *denarios Rhedales* vel *aratri* nominabant, *Plochſchat* vulgo, unde & ipſe Rex *Ericus* cognomento *Plochpenning* dictus. Senatus regijs votis haud averſatus & ad cenſionem, quod attineret, etiamſi eam, facto decreto, annuiſſet, tamen ubi hac de re ad Scanos mox eſſet perlatum diploma, non erat qui tributum iſtud ſolvere cuperet, pontifex etiam Innocentius IV, ut pium regis ſtudium juvaret, tertiam partem ex decimis omnium eccleſiarum eidem permiſerat. Quod ſimiliter cum ægrè ferre viderentur epiſcopi, ſuo quaſi exemplo plebem concitarunt. Quapropter ipſe rex in Scaniam profectus ac Lundam, quæ archiepiſcopi erat ſedes, ingreſſus, ſperabat leni oratione mulcere ſe poſſe commotos animos. Sed illi non aſſueti ejuſmodi collationibus, aut ſatis jam pridem vectigalium oneribus preſſi, factâ ſeditione, tumultuari incipiunt, & quoſdam ex regio comitatu aggreſſi, trucidant. Nihil ibi regia authoritas aut præſentia, motis mentibus conferre ad ſedandum vulgi furorem valuit. Quin & ipſe, ut periculum evaderet, clanculum ex urbe faceſſere ac ſe Helſeburgum recipere neceſſe habuit. Quod & ipſum ubi comperiſſent rebellantes, eum confeſtim, qui fuit alter poſt dominicam Palmarum dies, conſecuti ad arcem obſidione premendam ſe accingunt, ac regem capiendum feſtinant. Verùm rex aſtu per noctem ex arce dilapſus trajecit in Selandiam. Atque ita digreſſis ad ſua Scanienſibus, conquievit is motus. Sed mox poſterâ ſtatim Paſchatis luce, cum redire è Selandiâ, aſſumtis copijs, regem intelligerent,

ERICUS V. Rex. A. 6

gerent, fit iterum concurſus; Ac regi adventanti obviam ire non veriti acri cum eo apertis in campis prælio confligunt. Sed fuſi ac fugati, mox per delegatos adeſſe Lundæ juſſi, ubi tum rex conventum indici fecerat. Hic ad obſequium paulatim reducti, de cenſu quoque præſtando paratos ſe demonſtrarunt. Sed mulctæ interea nomine imperatæ ijſdem marcæ 15000. Epiſcopi quoque, poſtquam eis Innocentij IV codicillos ſuper triente decimarum per ſexennium ſolvendo exhibuiſſet, tandem & ſuum aſſenſum præbuerunt.

Per idem tempus Roſchildiæ conceſſit in animæ ſuæ ſolatium cœnobitis monaſterij Guthvalienſis apud Livonos poſſeſſiones quaſcunq; à Duce *Canuto* accepiſſent. Similiter & egit cum ordinis Theutonici apud *Eſthonos* & *Wirrios* primarijs, ut *Calea*, *Suadalia*, *Vgna* aliaque loca cum lucis, paſcuis ceteriſque huc ſpectantibus eorundem uſui cederent, his tamen conditionibus, ut villici eorum locorum certis diebus præſto eſſent ad exequenda onera Revalienſi caſtello præſtari ſolita, & ſimul militiæ laboribus, quandocunque vocarentur, vacarent. Revalienſium inſuper præſuli *Torchillo* ac ſucceſſoribus ejus, veluti in mantiſſam novi epiſcopatus poſſidenda ac in perpetuum uſurpanda conceſſit terræ, quæ *Kavata* dicitur, jugera XIV, quæ olim *Vlrici Schuttij* fuiſſent, inhibens ac vetans ne quis ei hoc nomine moleſtiam creet.

Inde rex, cum claſſe & copijs inſtitutâ ad Eſthones, confectaque felici navigatione, ab omnibus gratanter exceptus eſt. Ibi quæ ordine fuerunt peracta, quod & ubi geſtum bellum, majorum incuriâ annalibus parum inſertum reperitur: illud interim conſtat, leges & ſtatuta ſaluberrima, tam quæ eccleſias, quam populum promiſcuum ac politiam ſpectarent, ab ipſo lata: nobilitatem quoque ad ſacramentum ei præſtandum evocatam, & loca ac prædia, quæ poſſidebat, ab ipſo ut domino ſe tenere profeſſam: Scripto præterea in Boruſſiam miſſo ordini Crucis ſignificatum, ut omnem omnino ſolicitudinem, quod ad *Eſthones* ac territoria, quæ apud Livonos poſſideret, à ſe rejicerent, ipſi ſua defendenda permitterent; Reſponſumque ab eis ſe apud Eſthones nullum ſibi jus aut juriſdictionem vindicare, nec velle in poſterum, quæ ad ejus majeſtatem pertinerent Livoniæ regiones, ſuam rem facere, modò eas adverſus Barbaros tutari, & intra metas Chriſtianitatis retinere poſſet. Sed de Eſthoniæ ducatu, quomodo is poſtmodum per inteſtina regum diſſidia ac bella aliaſque cauſas Ordinibus in totum ceſſerit, patebit ex ſequentibus. Conſtitutis quaquà verſum rebus, cum jam in *Ruſſos* caſtra videretur moturus rex, accidit, ut nocte concubiâ ſibi dormituro aſſiſtere martyrem quempiam putarit, inque hanc ſententiam verba facere: Bono eſto animo, mi frater, Ego Venſeſlaus ſum, quem tu coles. Nunc autem te accedo, commonitumque venio, moriturum te, ac ſimili, quo ego fato ac martyrio periturum: Interim mando ut his in oris ad celebrandam Dei gloriam, ac nominis mei memoriam prius cœnobium exædifices. Eoque dicto evanuit. Quod verum nec ne ſit non affirmaverim, haud ignarus plurima hujuſmodi piâ fraude à monaſticis præſertim confingi jam olim ſolita, qui & hunc ipſum Ericum in divos retulerunt, condito de miraculis ejus, quibus poſt obitum inclaruerit, integro volumine. Sed Ericus porro poſtquam evigilaſſet, memoratur animo ſecum repetiviſſe, num temerarium & evanidum id ſomnij fuiſſet, ac ſtatim ex epiſcopis quærere cæpiſſe, quis ille *Venſeſlaus* quiſve tantâ ſanctimoniâ fuerit; Eoſque reſpondiſſe regis Bohemorum filium fuiſſe, qui manu parricidiali à fratre *Boleſlao*, laudum ejus ac virtutis æmulo, necatus, inter ſanctos ac Chriſti confeſſores relatus ſit; Ac regem ijs acceptis, cogitare cæpiſſe, idem & ſibi aliquando obvenire poſſe: nec diu moratum extemplo fundamenta poni mandaſſe monaſterij, quod extra Revaliæ pomeria ſitum, *Padis* vocant: Verum antequam ad colophonem opus perduceretur, poſcentibus regni negotijs, in Daniam regreſſum; ac ſtatim III Septemb. Wordenborgæ, confecto codicillo, Revalienſium diœceſin nova immunitate donâſſe. Cujus formulam, qualis ad noſtras manus pervenit, proximè ſubjeci:

„ Ericus Dei gratia Danorum Slavorumque rex, omnibus præſentes literas inſpecturis ſalutem in omnium ſalvatore. Quoniam ea, quæ in tempore geruntur, ne elabantur cum tempore conſuetum eſt ſcripturæ patrocinio roborari, univerſos ſcire volumus, quod felicis recordationis illuſtris rex Danorum Valdemarus parens noſter terram Eſthoniæ, de infidelitatis devio abjectis idolis, Deo auxiliante, ad cultum converterit nominis Chriſtiani, & per ipſius gratiam adeo populus fidelium jam creviſſet, ut proprio epiſcopo indigeret. Nos ne nova plantatio ex defectu paſtoris in priſtinum relaberetur errorem, in dominum *Torchillum*, tunc ſacerdotem Ripenſis Eccleſiæ conſenſimus, & præſentavimus: cujus præſentationem admiſit venerabilis pater Lundenſis archiepiſcopus *Vffo*, ac ele-

ctionem

Ericus V. Rex.

ctionem ejus factam canonicè confirmavit, eidem munus consecrationis impendens, episcopum ipsum præfecit Ecclesiæ memoratæ. Unde cum in consecratione ipsius promisimus providere ecclesiæ Revaliensi de dote, quod promisimus favore benigno prosequentes, jam dicto episcopo recipienti nomine ecclesiæ octoginta uncos apud Revaliam dotis nomine assignavimus, in villis scilicet, *Obwald, Ruts, Sammitkertel*, quondam *Ruberto de Sluck* attinentes & in *Chokere* & *Pesack* & *Caries* & in *Wamal* quondam *Luttgardo* attinentes, perpetuo jure liberè possidendos. Insuper autem concedimus ipsi episcopo quadraginta uncos in *Wironia*, in villa, quæ dicitur *Salgalle*, donec Wironensi ecclesiæ provisum fuerit in prælato. Cum autem ibidem fuerit episcopus ordinatus, volumus, ut memoratus episcopus Revaliensis prædictos quadraginta uncos in Wironia Wironensi episcopo, sine contradictione dimittat. Actum Wartingborch Anno Domini, MCCXLIX. III Idus Septemb.

Inter cetera autem, quæ opinione citius ipsum ab Esthijs domum revocarant, *Rendesburgum* fuerit: Quod Holsati, utpote in solo suo situm, dum ex pacis, quæ anno superiori facta fuerat, articulo, quo suum cuique reddendum asseritur, sibi deberi contendebant. At Ericus nequaquam ex eâ lege ad hoc teneri se commonstrans, docebat *Rendesburgum* à se bellis superioribus captum non fuisse, sed jam olim à patruo suo Canuto possessum ac regno additum. Cumque pertenderent utrique nec de suâ sententiâ decedere quisquam vellet, denuò ad arma itum est. Et Holsatis quidem, præter Lubecenses, ad novum belli fœdus vocantibus Bremensem & Paderbornensem episcopos, quiescebat interea Abel, &, quasi ad se res ista non spectaret, nihil hostile agitare præ se ferebat. Cœperatque jam præcipitare se anni sequentis æstas, priusquam ad arcis ejusdem obsidionem procederetur. MCCL. Et erant à parte Holsatorum præter peditum justum numerum equites cataphracti mille quingenti: Castellum regis nomine defendebat *Meldorpius*: Et rex ipse contractis quam maximis copijs eodem ibat, hoc nimirum animo, ut quam primum illud obsidione liberasset, recta in Frisios militem mitteret, postulaturus, quam superioribus bellis à se & regno imperatam, hucusque detrectassent, censionem. Atque inde ut, verso procinctu, invaderet vicinam Dithmarsiam, quod ea, post *cladem Bornewedensem*, relictis Danis, diœcesi Bremensium se submisisset. Verum accidit, ubi ad munimentum, quod *Danewirckam* vocant, venisset, ut animum induceret ad fratrem *Abelem*, qui in propinquo erat, visum pergere, nihil ab eo sinistrum metuens, præsertim factâ, de qua supra retulimus, amicâ utrimq; transactione. Militem interea ac Duces monet, ut vel *Rendesburgum* liberent, vel *Eiderstedam* in Frisios pergant, se paucos intra dies subsecuturum, ac porrò quid esset opus factu imperaturum. Et, licet assiduè obversaretur ipsius animo illud de fratricidâ *Boleslao*, sive somnium appellare libet, sive visum potius, cujus modò meminimus, suum videlicet fratrem idem fortasse aliquando in se patraturum, tamen in animum vicissim revocans, non fore id prius, quàm absolvisset monasterium, quod honori ac memoriæ *Venseslai* exædificare cœperat; fidenter perrexit. Sed fratri suo nimium fisus in casses ac vitæ præsentissimum periculum incidit, haud satis edoctus illud vetus; quod monet amicum reconciliatum cavere, nec nimium fidere cum quo in gratiam semel redieris. Ad fratrem itaque ubi pervenit, ab eo utcunque exceptus, hortari eum instituit, ut se medium interponendo affines suos, Holsatiæ Comites, *Iohannem* & *Gerhardum* ad amicam secum compositionem ineundam, missis armis, revocaret, se nimirum tœdium quoddam cœpisse bellorum, nec ulterius tantâ cum sanguinis Christiani effusione, vacare militiæ laboribus constituisse, modo frui otio ac pace sibi liceret. Mox, epulis sublatis, schachico se ludo oblectant unà cum *Henrico Kerckweidero*. *Abel* interea, malo incitante genio, & ut volunt, suadente *Lagone Gudmundo*, qui Daniâ exulans ab Erico secesserat, alijsque ex ordine sacro adhortantibus, ut se ulcisceretur, quod advenisset frater ejus sine fidei ac salvi commeatus literis, movere controversias cœpit super damnis ac detrimentis, quæ alter alteri, durantibus bellis, intulisset. Et decet te, inquit, ad Ericum respiciens, meminisse, ante biennium cum Slesvicum diriperes, quod filia mea pedes nuda ac levi contecta centenculo, inter promiscuas famularum fœminarumque catervas latens, tuas manus evaserit; At tu, respondit ille, bono animo esto, mi frater, tantũ enim benignitate Dei mihi ex facultatibus superest, ut eam calceem. Nequaquam ait ille, nec tu id amplius committes. Inde clanculum jussus apprehendi, in conclave ejusdem palatij deducitur: è quo haud multo post, nihil ejusmodi metuens, cymbâ elatus est: dum enim ibi hæret, ne quam animo suspicionem conciperet, curaverat *Abel*, ut, quem ipse à cubiculis habebat, *Tycho Bostius*, ipsi adesset. Verum *Lago Gudmundus*, cum jam cymbâ, in quam receptus erat rex, esset solutura, quæsivit quid eo esset facturus, responsum

ERICUS V. Rex. A. C.

responsum accepit, Quod libet. Atque ità præmissâ eo oriolâ, *Gudmundus* aliâ subsequitur. Cumque aliquantulum, urbe relictâ, processissent, exaudit rex scaphas alias admodum festinantes, ac voces in ijs adhortantium ut accelerarent, tum quærit, quem subsequi putent, illi respondent, ex sono vocis *Gudmundum* videri. Quo accepto, nec ambigens quid ageretur, unum oro, ait, sacerdotem concedite, cui, antequam moriar, confessione me purgem. Hic *Gudmundus* extorris, ut diximus, & ab Erico ad Abelem digressus, Erici non modo hostis capitalis, sed multorum insuper inter fratres malorum incentor ac causa habebatur. Hoc autem temporis tractu statim ut regem vidit, eum mortis jam jam instantis commonuit. Quem rex vicissim affatus, de eâ, inquit, Gudmunde, quam mihi denuncias, ultimâ necessitate, nullum dubium habui, quamprimum tuas in manus delatum me viderem, interim rogo, sacerdotem, apud quem animæ meæ solatium petam, quique delicta mea expiet, concedas. Et, accersito ex proximo sacello sacrifico factâque confessione, atque expiatis peccatis, ei & ceteris, qui aderant, inquit, non me latuit mihi à fratre necem intendi, sed tam brevi & festinato id futurum haud existimavi; adjiciens se, quæ pateretur haud immerentem ob commissa sua perpeti, interim nec fratri melius cessurum, nisi delicta atque iniquitatem suam pœnitentiâ emendaret; Quibus dictis, confestim *Gudmundus* securi eum percuti, & cadaver, prout erat ferro ac compedibus oneratum, additis grandioribus saxis, in Sliam demergi imperavit. Factumque id quinto Idus Aug. vespera quæ divo Laurentij est sacra. Ubi postquam duos circiter menses in fundo hæsisset, cæpit supernatare ac emergi. Quod animadvertentes, qui erant in proximo monastici, illud adhuc integrum, unà cum capite, quod tenui pelliculâ cervici adhærebat, suum in cœnobium deportatum humo mandarunt. Cumque identidem post ejus obitum miracula, ut ferebant, fieri notarentur, factâ apotheosi in divos relatus est ac tali honoratus brevi epicedio:

Hic jacet Ericus rex, magni regis amicus.

Abbas Stadensis, non suâ sponte accessisse, sed à fratre Abele, amicè ac bonâ fide invitatum venisse, atque inde lembo hostiliter abductum, inque Sliâ lacu capite truncatum. *Abel*, factâ cæde, rumorem spargi fecit, quasi ad suos naviculâ trajecturus, eversâ, cum in eam plures desilirent, scaphâ, forte fortuna sit aquis suffocatus. Verùm mox supernatante cadavere, res palam facta est.

Traditum literis reperio, Ericum jam jam decollandum à percussoribus, nomine Abelis, interrogatum, ubinam auri gazas suumque thesaurum depositum haberet, ac respondisse, si id quoque noscere frater avet, inventurum ea in cistulâ ferreis vinculis munitâ, quam servandam fratribus minoribus reliquisset apud Roschildenses: Et postmodum cum hoc agi, & inquiri cistam *Abel* curaret, inventam quidem eam, sed præter togam fratris cordulati & istos, quos proximè subjeci perbreves codicillos nihil in eâdem repertum: Horum codicillorum hæc formula erat:

„ Ericus D. G. Danorum Slavorumque rex, præsente uxore nostrâ reginâ & annuente, & præsentibus Ulrico de ordine fratrum minorum, & Petro sacerdote nostro in bona valitudine & sanitate corporis nostri votum fecimus, ut in habitu fratrum minorum mori deberemus & in isto habitu apud fratres minores Roschildenses sepeliri. In cujus rei testimonium præsentes literas eadem die fecimus scribi, & sigilli nostri appensione duximus roborari. Datum Roschildiæ anno MCCXLI. Nonas Iunij.

Cædes hæc perpetrata v Idus Augusti, quæ, ut ante notatum, vespera fuit divi Laurentij. Percussores, &, quicunque parricidij rei fuerant, violenta omnes morte ac digno tam atroci scelere exitu, vitam finierunt. *Lago Gudmundus* tragœdiæ præcipuus choragus, sublatâ, ut habet Stadensis, regiâ coronâ aliâque pretiosâ Abelis suppellectile profugus, ab Holsatis tandem obtruncatus interijt. *Kerckweiderus*, quem schachico ludo avocasse regem diximus, à villico homine, dum venatum excurrit, confoditur; & ceteros alijs atq; alijs modis justa tandem ulta est Nemesis. *Abel* ipse, licet variè se excusaret, & innocentiam suam jurejurando declararet, suspicione tamen haudquaquam caruit, præsertim cum *Lagoni Gudmundo* respondisset, ipsi permitti, quicquid de eo statutum vellet, & rex Ericus ipse cædis causam in eum quoq; jam capite truncandus rejiceret. Agebat eodē tempore Gottorpiæ Othoniensis episcopus Iacobæi filius, qui ab Erico exilio multatus, sicuti & *Eschillus*: quorum suo uterque suasu atque hortatu promovisse etiam facinus insimulabatur. Et *Abel* quoq; ipse, quod ei frater Ericus, ut diximus, nisi resipisceret, interminatus fuerat, vix

vix biennio amplius exinde ſupervixit, neq; ſuâ morte defunctus eſt, ut inde memorabitur. Nec eſſe fere alius exitus eorum ſolet, qui vitam principibus ſcelere & perfidiâ eunt ereptum. Et poterunt quoq; iſta recitata jam nomina inter exempla ultionis divinæ cum *Caſſijs* & *Brutis* celebrari. Nam & illorum haud ulli, ut & reliquis, qui cum ipſis in Cæſarem conſpiraverant, longior triennio vita ſuperfuit, neque etiam ſuo fato abſumpti ſunt. Damnati omnes, alius alio caſu perijt, pars naufragio, pars prælio, nonnulli ſemet eodem illo pugione, quo Cæſarem violaverant, interemerunt, ut refert, præter ceteros, præcipue Suetonius. ERICUS V Rex. A. C.

Funus autem, quod, ut ſupra memoratum, poſt duos menſes ſupernatans in proximâ monaſterij ædiculâ terræ fuerat mandatum, cognitâ exinde rei veritate, Sleſvicū in ædem divi Petri, ipſo, ut volunt, Abele curante, tranſlatū eſt. Ubi & hodieq; catenas, quibus cadaver erat demerſum, ad rei memoriam ſpectari memorant. Poſtmodum tamen frater ejus Chriſtophorus relictis, ut videtur, ferreis compedibus, deportari id ipſum Ringſtadiū, atq; ibidem regium in morem funerari curavit. Ubi & epicediū mixto carminis genere memoriæ ac honori ejus adſcriptū, authore, ut volunt, *Vnco Lagone* epiſcopo, ejuſmodi legitur:

Illuſtris Daniæ princeps rex divus Ericus
Flumine, fraterno livore, necatur & enſe:
Quem varijs ſignis ſcelerum decoraverat ultor
Chriſtus, & hac condi cœlibe juſsit humo.

Præter *Sophiam*, quæ, ut modò dictum, Sueonum regi Valdemaro denupſit, tres inſuper filias habuit ac filios duos: quorum uterq; *Chriſtophorus* & *Canutus* infantes, & ante patrem obierunt: Filiarum præter *Sophiam* prima *Agneta* dicta, fundari apud Roſchildenſes virginum cœnobium fecit, divæ Agnetæ ſacrum; ſeque eidem ſodalitio ſtatim ab ipſâ fundatione tradidit; Altera, cui *Ingeburga* vocabulum, Magno Norvagiæ regi, Haquini filio, connubio data; Tertia *Iuditha*, ſuperiori etiam virginum collegio conſecrata, ſed mox in Sueciam ſiniſtro pede profecta, ut viſeret ſcilicet ſororem *Sophiam*, à Valdemaro ſororio ſuo compreſſa filiam ei peperit, *Sophiam* nomine, ut infra referetur.

Hæc fere vita exituſq; fuit Erici regis. Qui difficillimis temporibus ſceptrum tenens, indicio eſſe ac documento omnibus poteſt, nihil magis evertere ac peſſundare reges regnaq;, quam inteſtina diſſidia magnatumq, inter ſe odia. Præſertim ſi & his accedant antiſtitum atque ordinis Eccleſiaſtici ſtudia: quorum ut hoc in regno ſumma hiſce temporibus, aſpectu Romani pontificis, à quo ſolo dependebant, autoritas erat, ità ijdem infenſi perpetuo regibus atque obſtaculo fuêre.

ABEL REX LXXXIII.

SUBLATO igitur tam miſerum in modum rege Erico, omnium mentes terrore perculſæ contremiſcebant. Miles quem adverſus Holſatos circa Renderſburgum habuerat paratum, diffluxit, ac domos ſuas quiſq; repetijt. Multi ex ordine ſacro præſuleſq; & eccleſiæ antiſtites, quibus cum ipſo minus convenerat, deceſſu ejus læti agebant, ut ſolent in mortibus potentum triſtari alij, alij exſultare, dum hi præſentia faſtidiunt, exſpectantque meliora tempora. Mox convenientibus regni epiſcopis ac proceribus, ut de rege eligendo deliberaretur, hoc ſibi ſequendum præcipuè epiſcopi judicarunt, ut magis in id, quod utile, quam quod æquum aut pium eſſet, conſilia ſua dirigerent: quod in omni pœnè ſtatu utramque etiam hodieque paginam videtur facere. Itaq; Abelem, qui parricidio meruerat ab omni non modò ſucceſſionis, ſed hæredij quoq; jure excludi, regem creant: Quod nimirum frater ejus Ericus filios ſibi ſuperſtites nullos reliquiſſet; Et Abel inter fratres, qui ſuperſtites erant, natu eſſet maximus: Quodq; metus aliàs foret, ne Sleſvicenſem Ducatū quo potiebatur, à regno ſepararet: atq; inde, cum ſibi Holſatos arctâ affinitate junxiſſet excitaſſetq; adverſus regnum externa arma, nemo ad eadem componenda bellumq; finiendum illo commodior videbatur: Tenebat præterea hæreditarias intra regnum poſſeſſiones, Suineburgum & Scheltiſoram, aliaq; territoria, quæ omnia hoc pacto conjungi paulatim regno poſſe exiſtimabant: Tum & arces opidaq;, quæ vel ipſe eripuiſſet Erico, vel ipſi viciſſim erepta fuiſſent, ſpes erat ut eodem modo per amicas aliquando tranſactiones reſtituerentur, ac cuncta, quod utrimq; ſperabatur, in pacem optatā poſtliminio commutarentur. His ſimilibuſq; rationibus permoverunt regni ſenatū populumq; epiſcopi, ut in

Ff Abelis

ABEL Rex. A. C.

Abelis electionem suis suffragijs cuncti consenserint. Ipsemet quoq; Abel ad regni senatores propriâ manu signatas literas misit, causamq; suam, quam poterat, decentissimè apud eos agens, multa, quæ fratrem gravarent, adduxit. Mortem verò ejus in casum fortuitum, & quod plures cymbam ingressi, eam ad fundum depressissent, rejiciebat. Quamvis res aliter, ut modò indicatum, post menses duos se prodiderit. Episcopis autem ac ordini sacro, quos sibi præcipuè faventes non ignorabat, immunitates aliaq; ejusmodi, amica ac grata, largiter promittebat, modò ipsi quod cœperant, ad finẽ optatum perducerent. Itaq; Abel eodem hoc anno MCCL ipsis Cal. Nov. duobus plus minus à cæde fratris mensibus, assensu omnium rex declaratus est. Statimq; ex ordine equestri XXIV autoritate præcipuâ viros sibi adjunxit, & unà cum eis facto jurejurando, publicè affirmavit, se haudquaquam necem fratris jussisse, sed à milite & ipsis Erici internecinis hostibus patratam eam, se inscio. Priusquam verò rex esset renunciatus, sed mox suffragijs pluriũ videretur renunciandus, egit cũ Bremensi ac Paderbornensi episcopis nec non Holsatiæ Comitibus, ut obsidionẽ Rendersburgi, quod ad se & fines Holsatiæ pertinere Comites existimabant, solverent. Nec illi ægre admodũ, ut accelerarent scilicet electionẽ, de quâ sibi summa omnia pollicebantur, ejus petitioni assensum commodantes, obsidionem quamprimũ omittunt; ità tamen ut ea interea qualiscunq; controversia XII ad hoc electis arbitris discutienda permitteretur.

Hinc comitia celebrata Roschildiæ; ubi & Abel diademate regio ab archiepiscopo Lundensium insignitus, præsentibus regni proceribus ac civitatum delegatis; Qui omnes, facto sacramento, in verba ejus jurarunt: Et ipse vicissim firmatis singulorum privilegijs atq; immunitatibus fidem suam ijsdem obstrinxit, ac multa præterea urbibus ac monasterijs indulsit, quæ tempore quasi desita atq; antiquata in usum ac commodum eorundem reduci permisit. Præter cetera, *Vehæ* monasterio, quod in Scania est situm, præscribi fecit, quid de quoquo terræ jugere Coronæ quotannis pendere id teneretur. Similiter & *Esrumeo* & *Ebeltoftæ* cœnobijs eo tempore apud Zelandos opidò claris, privilegia atq; immunitates prolixe confirmavit. Roschildiæ autem dum agit tradunt mandasse suis, ut inquirerent ac scrutarentur, si quod Ericus apud Minoritas depositum reliquisset, & invenisse quidem, quemadmodum extremis verbis indicarat, scrinium ferro ac seris probe munitum, sed præter monachi togam & additos codicillos, quorum exemplum supra posuimus, nihil inibi reperisse: Abelem verò, ijs acceptis, spem suam in mœrorem vertisse, ac mox, lectis codicillis, magis adhuc cruciatum fratris cæde, cum animadverteret, constitutum ei fuisse, ad exemplum Adolphi Comitis (qui fuit Abelis socer) abdicatâ regni curâ ac sumptâ cucullâ, vitam solitariam profiteri.

Obijt hoc tempore Cæsar *Fredericus* Barbarossæ filius XIII Decemb. die, eo ipso, quo & coronatus fuerat, in Apuliæ quodam castro, cui Florentino nomen erat, ætatis anno quinquagesimo quarto. Manfredus demortui corpus magnâ cum pompâ atq; honore in Siciliam devehendum curavit, atq; ad *Monreale* supra Panormum magnificè condidit. Monumento inscripti fuêre terni versiculi in virtutis potentiæque ejus testimonium, qui tunc temporis à viris eruditis, multis diversorum epitaphijs prælati fuerunt; ità autem habent:

Si probitas, census, virtutis gloria, sensus,
Nobilitas orti possunt resistere morti:
Non foret extinctus Fredericus qui jacet intus.

Ingenio tanto fuisse perhibetur, ut, præter patrias linguas Germanicam & Italicam, didicerit exactissimè plurimas alias Latinam, Græcam, Saracenicam, Francicam: Et in singulis philosophiæ partibus non tantum rudimenta prima degustaverit, sed fontes ipsos introspexerit atque exhauserit. Multa verò ex Græco & Arabico sermone traduci in Latinam linguam curavit, adeò ut Physica, Medica & Mathematica præsertim studia, quæ inde ab usque irruptionibus Gothicis & Vandalicis neglecta jacuerant, ejus beneficio in occidente revixerint. Neapoli primus Academiam instituit & ante constitutas alibi exornavit atque amplificavit. Uxores habuit Constantiam Castellæ regis sororem, Iolantam Hierosolymorum regis filiam; & Isabellam sororem regis Angliæ: Ex omnibus autem liberos suscepit habuitque prolem masculam cum ex legitimo tum illegitimo thoro natam: Constantia enim illi Henricum primogenitum peperit, patris hostem & in vinculis mortuum, cum esset rex Germaniæ: Iolanta Conradum, qui illi in regnum successit: Isabella Henricum Siciliæ regem, sed qui juvenis admodum obijt. Ex illegitimo verò thoro habuit Entium Sardiniæ regem, Manfredum Tarenti & Fredericum Antiochiæ principem.

cipem. Lata est adversus eum, quod supra meminimus, ut hostem ecclesiæ Pontificis Innocentij IV sententia, quæ postea sexto Decretalium libro inserta fuit. Causam anathematis adducunt nonnulli, quod de pontificibus nimis vera prædicarit, multaque in eorum moribus (ut notat Pandulphus Collenutius) desiderarit, tum quod imperij jura acrius defenderit, ac denique quod in Italiâ, contra quam illi voluissent, potens fuerit. Unde & variæ adversus eum insidiæ ac proditiones institutæ. Nec desunt qui mortis occasionem fuisse asserunt venenum propinatum, cujus vis cum esset medicorum diligentiâ nonnihil retusa ac debilitata, mox injecto in os pulvino suffocatum à filio notho Manfredo, in arce Apuliæ Florentino cum annos imperasset tres & triginta. Memorant prædictum ei fuisse moriturum ipsum in Florentino. Quocirca postremùm ex Hetruriâ in Apuliam rediens per Florentinorum ditionem transire noluit, ignarus nec cogitans ambigua esse ac fallacia Dœmonum responsa, & illi Apuliæ castello, in quo obijt, Florentino nomen fuisse. Quin & illud memoriæ proditum reperio, *Innocentium IV* sibi in Vaticano trophæum excitasse, quod Fredericum II imperio privaverit, aliumque eligi imperatorem jusserit. Qui & idem, quamprimum de morte ejus fama percrebuisset, *Gulielmum* Hollandiæ Comitem, qui jam ante, ut est superius memoratum, Aquisgrani erat inauguratus, Imperatorem renunciari Lugduni in Gallijs, ubi tum agebat, curavit. ABEL Rex. A. 6.

Miserat jam ante Lutetiam Parisiorum filium suum Valdemarum rex Abel, ut ibi honestis literarum studijs operam daret: Eum hoc ipso tempore, ut vult Stadensis, quamvis alij ad annum sequentem referant, missis illò certis hominibus domum revocavit, ut in eum potius quàm fratrem Christophorum, hoc ipsum ambientem, Ducatus Slesvicensis præfecturam conferret. Verum accidit, dum iter facit, ac reditum in patriam maturat, ut Rhotomago Coloniam proficiscens ab episcopi Coloniensis satellitio caperetur, atque ibidem Coloniæ unà cum moderatore suo *Turchillo Vittio* in vinculis toto quadriennio servatus, nec ante dimissus sit, quam pater ejus Abel jam cæsus foret, procurante liberationem ejus sex millibus florenorum Iohanne Holsatiæ Comite, ut postea referetur. Cur verò in captivitatem eum episcopus abduci curarit nusquam in literas relatum reperio, nisi quis suspicari velit, exosum fuisse pijs principibus patrem ob inimicitias, ac cædem denique in fratrem perpetratam: atque id fortasse luere debuisse filium. MCCLI.

Eschillum tum quoque Slesvicensium episcopum (qui, ut ante memoratum, quod partes Abelis sequeretur, ab Erico in exilium ejectus fuerat, atque inde in Italiâ agens dolorem ac querimonias suas apud summum pontificem deposuerat) eum inquam, ad lares suos redire ac veterem in sedem, edito mandato, reponi Abel voluit. Nec diu accepto hoc nuncio moratus Eschillus Slesvicum redijt. Ubi à rege ceterisque quàm amicissimè susceptus dignitatem ac pristinos honores recuperavit.

Memorabile est quod referunt Polonicarum rerum annales, Erico mortuo, expeditionem in Danos suscepisse *Boleslaum* ejus nominis tertium Poloniæ regem: Causam verò belli ejusmodi fuisse: Contulerat se in aulam *Boleslai*, quæ tum bellicæ rei gloria florebat, clarâ & illustri apud Danos familia natus, *Petrus Duvinus*. Cumque singulari ingenij dexteritate, industriâ, virtute, officio ac suavitate morum, adhæc commendatione regis Danorum, cito se in gratiam atque amicitiam Boleslai insinuasset, multis tandem magnisque possessionibus, & imprimis Comitatu Scrinensi, & uxore illustri è genere Ducum Russiæ, ab eo cohonestatus est: Didicerat præterea linguam Polonicam, & ita se ad mores Polonorum formarat, ut nemo etiam domesticus tanta illi, licet homini extraneo, bona invideret. Pater verò ejus *Gulielmus* erat, inter procerū ac regni Daniæ senatores haud postremus quiq; plurimum gratiâ apud regem Ericum valuerat, utpote præfectus ab eo maximis quibusq; regni negotijs. Cùm autem Abelus Ericū fratrem interfici curasset, regnumq; invasisset, habebat in potestate suâ regium thesaurū idem *Gulielmus*; Itaq; certiorē filiū facit rerumq; Danicarum admonet, ut cum aliquanto præsidio militum veniens, thesaurum illum auferat potius, quam ut is ad manus fratris parricidæ perveniat. Quid fit? Refert ea de re Petrus ad *Boleslaum* principem: Is haud gravatim opem pollicetur, cum, ut homini de se benemerenti gratificaretur, tum ut ea expeditione & opes Poloniæ ampliores reddere, & nominis sui gloriam trans mare & ultimum boream posset proferre. Itaq; hac occasione classem apud Gedanum instructam volunt, & commodâ usum tempestate *Boleslaum* in Daniam appulisse, ibiq; per ministros & familiares Petri ac patris ejus omnium Danorum voluntates sibi facillimo negotio adjunxisse, cum præsertim profiteretur se ulciscendi parricidæ & vindicandæ libertatis Danorum causâ advenisse: Sed mox accepto thesauro, munitiones, quas

acceperat, Danis reddidisse, ac regem, quem vellent, creare ipsis permisisse: Sicque paucis post diebus relictâ Daniâ in Poloniam secundâ navigatione esse reversum. Ita ferè Cromerus & Herbutus alijq; Polonicarum rerum scriptores. Tamen cum ista Boleslao tertio, cui Cruovisto cognomen fuit, quique anno MCXXXIV, id est, integro plus seculo antequam ad regnum promoveretur, imò natus esset Abelus, in fata concesserat, attribuant, quomodo ad hos annos MCCL, aut res Abelis pertineant non video: Nisi res & tempora hîc esse confusa ac veris falsa commixta dicamus. Danici annales nihil ejusmodi vel isto aut alio etiam tempore accidisse commemorant. Silesiorum interim historia mentionem injicit *Petri Duvini* Dani, cujus parens Gulielmus fuerit, mortui sub annum MCXLIX, de quo & fato ejusdem ærumnabili supra dixisse pluribus memini.

Significari per idem tempus *Emeldorpio* rex Abel fecit, ut ad se iter instituеret. Verum *Emeldorpius* haud ignarus parum se eo uti propitio posse, quod præsertim à partibus Erici militans Slesvicum per insidias cepisset, Eschillum urbe ejecisset, aliaque adversus ipsum perpetrasset, quæ supra fuerunt commemorata; idcirco non nisi solutis sibi ac militi suo, quæ meruerat sub Erico, stipendijs, venturum se respondit: Eoque significato, salvi simul conductus literas, quo tutius accederet, libereque recederet, petijt; Quas & ei exinde Abel transmisit. Nec multò post indicta sunt regni *Comitia Roschildiæ*. Quo episcopi omnes ac regni senatores totiusque ordinis equestris ac nobilitatis primarij magnâ frequentiâ sub Martium mensem maximis de rebus acturi confluxêre. Latæque inter alia, novæ aliquot constitutiones, quæ ad publicam tum regni pacem spectantes in codicem legum Iuticarum relatæ, ibidem hodieque leguntur. Statutum præterea ut Christophorus Dux Lalandiam ac Falstriam sibi à parente Valdemaro concessam retineret; Fimbriam verò Holsatiæ Comitibus redderet: Canuto quoque ad præfecturas suas reditus pateret: Blekingiâ ac ceteris, quæ possedisset, liberè frueretur. Suffragijs similiter omnium decretum, ut publicus per regnum universum census ageretur, quo regia debita atque æs alienum bellis contractum expungi, arcesque ac prædia eâdem occasione oppignorata redimi atque liberari possent. Cumque durante bello, quod inter Ericum & Abelem gestum, varia inter Danos, Norvagos & Suecos exorta essent gravamina, quibus partim limitum præfecti, partim damna Norvagis ac Sueonibus illata occasionem præbuissent, statutus fuit in annum sequentē dies & locus, quo trium horum regnorum delegati convenirent, ut dictæ controversiæ amicâ compositione sopirentur. Consensit tum quoque Dux *Christophorus*, qui unà cum alijs aliquot ex regni senatu codicillo eâ de re facto subscripsit, filius Abelis natu maximus patri in regnum succederet: & eum si mori improlem contingeret, ut ei, qui proximus esset frater, substitueretur. Qua pactione, quemadmodum à Christophoro in Abelis prosapiam regnum translatum fuit, ità motuum ac mutationum multarum causa fuit, ut infra dicetur. Ijsdem comitijs quod passim indigenæ diutinis bellis ac collationibus essent depauperati, ærarium ac regni opes exhaustæ dispersæque, assensus est Abel, ut *Henrico Meldorpio* vice stipendij, quod suo suorumq; nomine flagitabat, cederetur *Suineburgum:* pars interim ejusdem æris ei anno sequente penderetur, aut si id minus fieret, Schelfiscoram ejus loco retineret, atque opidum utrumq; possideret, dum summa tota foret expuncta. Cumque exinde statuto die aliquatenus, nec plenè tamen promisso satisfieret, Henricus *Schelfiscoram* jure sibi deberi existimavit, atque ejus ergo contentionis funem cum Abele cœpit ducere. Crantzius bello impetitum ab Henrico Abelem refert; dedisseque bellandi occasionem Henrici populares Dithmarsos ac Frisios maritimos: ideò & ipsum Abelem anno, qui proximè est secutus totis in eos viribus movisse: Obijt hoc ipso tempore, de quo supra meminimus, borealis Hallandiæ Comes *Nicolaus*: Abel autem universam Osiliæ jurisdictionem, quam ejus majores sartam tectam conservarant, *Hermanno* ejusdem episcopo in totum concessit, factis ea de re codicillis, quos subjeci:

,, Abel D. G. Danorum Slavorumque Rex, Dux Iutiæ, salutem omnibus in perpetuum.
,, Cum regalis clementiæ solita deposcat benignitas, & rationi consentanea requirat æqui-
,, tas, pro pietate pietatem rependere, nos certis experimentis fidelitatem in Christo patris
,, domini Hermanni Episcopi Osiliensis & Maritimæ circa nos firmissimæ comprobantes,
,, & versa vice cum eo stabilem concordiam & inviolabilem amicitiam observare volentes,
,, ut omnis materia controversiæ penitus amputetur, & cultus Christiani nominis, & novel-
,, la plantula Livoniæ, per uniformitatem concordiæ tanto magis amplietur ad honorem
,, Domini nostri Iesu Christi & ob salutem animæ nostræ & nostrorum antecessorum pari-

ABEL Rex.

ter & successorum pro bono pacis, libera voluntate ac deliberato consilio planè ac planè renunciantes omni juri, quod habere videmur contra episcopum memoratum, cessamus ab omni impeditione terrarum Osiliæ & Maritimæ, super quibus dilectus pater noster felicis memoriæ rex Valdemarus, & frater noster rex Ericus piæ recordationis, citationem domini Papæ præter voluntatem nostram procurârant contra dictum episcopum ad labores graves & expensas immodicas compellendo: Cupientes eundem & ejus successores prædictis terris sine ulla quæstione perfrui jugiter, liberè & quietè, ità quod nec à nobis, nec à nostris successoribus vi aut judicio vel ullo prorsus gravamine in ijsdem terris de cetero molestentur, ut eorundem orationibus commendati eo propensius habeamur, & circa homines nostros ipsos sentiamus favorabiles & amicos. Ne igitur hoc factum nostrum ab aliquo successorum nostrorum valeat in posterum irritari, præsentem paginam sigillo nostro cum sigillis infra scriptorum dominorum fecimus communiri, videlicet Uffonis archiepiscopi Lundensis Sueciæ primatis: *Eschilli* Slesvicensis, *Iacobi* Roschildensis, *Esgeri* Ripensis, *Iacobi* Othoniensis Episcoporum: Domini *Christophori* dilecti nostri fratris, dominorum Comitum *Ernesti de Gliken*, *Iohannis* & *Gerhardi* de Holsatiâ, *Gebberti* de *Stoltenburg* militum, *Tychonis Bost* Camerarij nostri, *Andreæ* filij Petri, *Iohannis* filij Nicolai, *Saxonis* Petri filij. Datum Nyborg anno 1251. 6. Idus Augusti.

Invenio fuisse eundem Hermannum Abelis olim Cancellarium, deq; ipso Abele quam optimè meritum eidemq; charissimum: Et est in eum modum à regni possessione abalienata tum temporis *Osilia*. Quæ postmodum magistri subinde Prutenorum, subinde & regni Daniæ patrocinium secuta. Constatq; *Christophorum Bavarum* & regem *Christianum I*, sicuti & ante eos *Valdemarum III* & *Ericum Pomeranum*, non modo diœcesin Osiliensium tutatos, sed & immunitates eorundem confirmasse. Quamvis suis postremo temporibus regem *Fredericum II* in confesso sit insulam totam ab episcopo Osiliensi ultimo, *Iohanne Munchausen*, dato pretio, redemisse. Quod in tempore & suo deinceps loco referemus. Abel eodem preterea mense augusto, Neoburgi confirmavit ac ratum habuit quicquid olim parens ejus laudatissimæ memoriæ Valdemarus Prutenorum magistro, apud Iervenses donec concessisset; idq; eum in finem ut magis magisq; propagaretur inter barbaros Christiana pietas. Similiter renunciavit juri suo, quod more majorum usurpare videbatur apud *Alempoenses*, *Northundenses*, *Mothenses* & *Wageleos*. De cetero quæ essent inter parentem suum Valdemarum & ordinem Theutonicum pacta conventa, haberi immota & firma voluit. Hæc signata fuère ab eodem archiepiscopo Uffone ceterisq; episcopis, Ducibus, Comitibus, ac regni senatoribus, quorum superioribus literis expressa sunt nomina.

Imp. autem *Gulielmus*, anni jam memorati initio, Ducis Brunsvicensis *Othonis*, principis per id tempus præcipue opulenti ac potentis, qui & inauguratione ejus Aquisgrani, inter primos, ut & ante relatum, promouerat, filiam *Elizabetam* uxorem duxit. Notantque chronologi, & in his temporis hujus synchronus Albertus Stadensis, quamvis omissum domestico ac vernaculo Hollandorum chronico, ipsâ nuptiarum nocte, quæ fuit conversionis divi Pauli, palatium, quod intra Brunsvigam situm *Henrici* olim *Leonis* fuit, *Burgum* vulgo dictum, ipsumque, in quo sponsus ac sponsa conquieverunt, conclave, exorto desubito incendio, conflagrasse unâ cum regiâ coronâ multâq; supellectile pretiosissimâ. Additurq; famulum, & ex sartoribus, qui in proximo quodam cubiculo consuendis vestibus occupabantur, quique causam incendio ex incuriâ servati luminis dedisse putabantur, penitus exustos: Et regem ac reginam vix evasisse, præeunte tamen regi reginâ, utpote cui viarum ductus in patrio palatio notiores essent, salvos ac pæne nudos rogo elapsos.

Porrò, quod supra injectum est, concesserat Abel ut per duodecim arbitros, quorum sex essent Ducatus Slesvicensis, reliqui Comitatus Holsatiæ, cognosceretur de arce & propugnaculo *Rendersburgi*, an nimirum Daniæ regno, an verò Holsatis id esset adjudicandum. Hi cognitâ causâ pronunciarunt pertinere illud ad Comitatum Holsatiæ, nullâ habitâ ratione, quod id *Canuti* & *Valdemari* temporibus utpote armis in illorum potestatem redactum, regni peculiũ fuisset, ac maximos in id ipsum sumtus reges regnumq; profudissent. Atq; ità è manibus ac regni hæredio effluxit *Rendersburgum*. Postquam autem Roschildiæ in regni comitijs, de quibus dictũ supra, concessum, præter cetera, fuisset ad exsolvendum regni æs, publicũ censum peragi, similem collationem etiam Ducatus sui subditis imperavit, voluitq; ut idem quoq; præstarent *Marsij* & *Frisij*, qui secundũ Eidoram & mare boreum insulasq; conterminas habitant; sed excusabant se illi ac tergiversabantur, petentes remitti vectigal ac sibi potius concedi, dum oras suas ab oceani illuvionibus per aggerum

ABEL Rex. A. C.

ac foſſarum diductiones aſſiduis laboribus adverſus oceani maris indomitū elementum, cum vitæ ſæpenumero ac poſſeſſionū ſuarum periculo, defendunt. Et, ut videtur, gravius ipſis quàm alijs tributi onus impoſitū fuit, quia belli tempore, quod Ericus adverſus Abelē geſſiſſet ſoluto certi lutri pretio immunes ab incendijs ac direptionibus ejus manſiſſent: Quod malevolis occaſionē dediſſe videtur eos apud regem deferendi ac gravandi immoderatiore exactione. Itaq; minui ſaltem ſummam imperatam, ſi aliud obtinere nō poſſint, flagitabant. Et (id cum identidē atq; inſtantius facerent, incenſus eſt irâ & bile Abel. Eamq; alijs (qui potius ſuum quā regis ſui commodum ſpectabant) ſiniſtrè foventibus ac verbis durioribus apud regem excipientibus, in animum tandem induxit rex, totā gentem, ut refractariam ac ſeditioſam, ſibiq; inobſequentem, bello perſequi, ac penitus delere bonaq; ejus in prædam militi concedere. Quocirca adultâ jam æſtate, copias ingentes contraxit, ut utroſq; tam Friſios quàm Dithmarſios armis aggrederetur. Et primò quidem impetiturus *Friſios*, qui à plagâ boreali & littore, quod incolunt, *Nordtſtrandij* itemq; *Strandtfriſij* vocantur, cum avidius in eos eſſet dilatus ac mox in ſolo declivi ac uliginoſo hæreret, nec explicare ſatis turmas ſuas poſſet, ab inconditâ atq; agreſti multitudine, quę ſui defendendi cauſâ ad vexillum concurrerat, ac magno eum animo excipiebat, cum omnibus ferè ſuis ipſo die, qui Petro & Paulo ſacer habebatur, juxta *Millerdamum* cæſus ac profligatus eſt. Priuſquam verò cæderetur, caſtra ſua circumquaq; vallo & foſſis probè communita, juxta *Eidoram*, ubi ſacellum ſtabat, cui *Olderſuerda* vocabulum erat, locata habebat, ac ſex totis diebus quæcunque ſecundum flumen occurrebant, ferro ac flammis involvit. Ipſos Eidoræ accolas imperata facere coëgit: quamvis perplures, qui imperium detrectarent, perempti ac bonis ſuis exuti ſint. Interea verò, dum ità graſſatur ampliſſimis jam prædis ac ſpolijs ditatus, Eidorenſes, qui fugâ evaſerant, vicinis Friſijs ſe jungunt, ac habito inter ſe conventu unanimes in hanc ſententiam deſcendunt, mori ſe malle, quam ut peſſundatâ majorum libertate, ad collationes & onera non toleranda à rege Abele ſe adigi permitterent. Itaque elatis ſignis, quorum ſeptem in univerſum numerata, ſine morâ ac ipſam ſub noctem, regijs caſtris appropinquant. Rex redditâ luce cum in eo eſſet, ut claſſem & caſtra ſua ſecundum flumen interius moveret, de improviſò advertit volitantia Friſiorum vexilla, & multitudinem, quàm vix obtutu tranſmitteret. Tum ille relictis extemplò tentorijs, navigijs ac ſpolijs, omnibuſque, quos captivos habebat, è caſtris faceſſit ac fugit. Sed Friſij hoc agentem aggreſſi trecentos primo inſultu trucidant, exceptis, qui ut ſibi conſulerent, flumen tranaturi undis abrepti periêrunt. Sed aliquandiu fugatus rex fixit tandem pedem atque acriter cum Friſijs dimicans, multiſque eorum peremptis, denuò tamen fugam cepit, & dum ſolo depreſſiore ſe emergere inſiſtit, nova poſtremum manus Eideranis prioribus auxilio ſubmiſſa, ac regem præliando jam feſſum invadens, militem ejus ac vires ita concîdit, ut ipſum fruſtra fugientem, ac circa *Millerdamum* quærentem receptum, trucidarit die, ut dixi, qui Petro & Paulo ſacer fuit, anno Chriſti MCCLII.

MCCLII.

Reperio in actis harum rerum Danico idiomate editis, eâ hieme, quæ præceſſit ſuperiorem expeditionem, eoſdem Friſios ab ipſo impetitos, & tum exercitum ejus collocatum fuiſſe circa territorij eorum partem editiorem, quam ſuo idiomate *de Geiſt* appellant: Friſios autem in adverſum ei occurriſſe ac ſumptâ divi Chriſtiani imagine, extra aggerem, quà potiſſimum defendendum ſuum ſolum exiſtimabant, continuiſſe ſe, ac voviſſe divo, ſi victoriæ compotes fierent, ſe ſtatuam ejus auro obducturos: nec mora, dum per glaciem iter faciunt, tanto impetu derepentè cœlitus imbrem decidiſſe, ut rex per loca depreſſa ac uliginoſa ulterius cum exercitu progredi nequiens, domum tum redierit, manſeritque ibi uſque dum, capto anni tempore, hanc expeditionem ceptarit; Friſioſque patroni ſui divi Chriſtiani, quomodo voverant, effigiem auro interea obductam exornaſſe.

Hic finis fatorum fuit regis potentiſſimi Abelis. Qui licet tanto ad bellum apparatu inſtructus proceſſerit, ab inconditâ tamen & ruſticâ, ut memoravimus, plebecula circumventus necem hoc pacto oppetere neceſſum habuit. Corpus ejus aliquandiu, inter cetera cæſorum cadavera volatilibus cœli alijſq; feris expoſitum ſub dio jacuit, dum tandem à Sleſvicenſibus obtentum ædi ipſorum, quæ eſt ad D. Petrum, illatum ibidemque ſepultum ſit. Memorant annalium quorundam annotamenta, verò an falſò, non affeverem, ſpectris & lemuribus locum ſepulturæ fuiſſe infeſtatum, atque ideò effoſſum inde cadaver, inque proximam paludem prope Gottorpium deportatum, atque ibi palo transfixum cœno profundo adobrutum: ubi & poſtmodum varij auditi lemurum ac venationi quaſi operantium ſtrepitus; indicia, ut multi interpretabantur, perpetrati in fratrem parricidij.

Nam

Nam & frater, quod supra retulimus, carnificibus jam traditus haud meliora eidem, nisi à malitiâ temperaret, ominatus fuerat. Paulum antequam cæderetur, dies ipsi dictus erat tum & regi Norvagiæ *Haquino*, & Sueciæ *Iarlero*, ut loco certo circa regnorum limites adessent singuli. Et accessêre quidem die constituto Norvagus & Suecus; sed Abel non comparuit. Quapropter regum uterque Sueciæ ac Norvagiæ fœdus inter se ferière, ut *Haquinus* è Norvagia classe profectus, *Iarlerus* verò terrestri itinere idque exercitu 5000 virorum Daniam impeteret. Verum cæso interea Abele, ut retulimus, in successorem ejus *Christophorum*, de quo referemus, bellum translatum est.

ABEL Rex. A. C.

Duos post se filios Abel reliquit *Valdemarum* & *Ericum*, Slesvici exinde Duces & posthumum unum, *Abelem* etiam nomine, cui Suineburgum aliaque parentis hæredia cessêre. Meminêre & filiæ, nuptæ circa annum MCCLVIII Comiti Bernardo Berneborgensi, annales annonymi cujusdam vetusti, quos edidit cum alijs aliquot ante decennium Erpoldus Lindebrogius. Defuncto autem Abele, cum animadverteret regina ejus vidua *Mechtildis* in regem eligendum *Christophorum*, non verò filium suum *Valdemarum*, qui tum adhuc apud episcopum Coloniensem in vinculis erat, & fortasse, si præsto fuisset, ob virtutis, quam de illo fovebant, opinionem, ad regnum fuisset evectus, acerrimum adversus Christophorum ejusque successores universos odium hoc ipso concepit. Cogitabat nimirum atque animo secum volvebat, quemadmodum Dithmarsi & Frisij à rege Abele, marito suo, ob id impetiti fuissent, quod vi donationum veterum, quas Imperatores olim Romanique pontifices indulsissent, pertinere ad Daniæ regnum viderentur, eodem quoque modo Christophorum ejusque successores posse aliquando Holsatis litem movere, prolatis vetustis codicillis atque usurpationibus; unde bella horrida aliaque incommoda fratribus suis, Holsatiæ Comitibus, eorumque posteris essent metuenda. Illa idcirco, ut malo huic occurreret, quæcunque ad Vandalos & Nordalbingos spectare videbantur ejusmodi epistolarum monumenta omnia flammis tradita penitus abolevit. Inter quæ non tantum Lotharij Imperatoris literæ, quas ab eo Dux Canutus, Valdemari primi parens, super Vandalis ijsdem Nordalbingis accepisset, sed & alia habebantur chirographa Valdemaro primo Mediomatrici concessa & ab Innocentio III Rom. pontifice confirmata, præter eos insuper codicillos, qui ab Imperatore Frederico II, Siciliæ rege, Valdemaro secundo super regnis Vandalorum traditi fuerant. Horum inquam omnium autographa odio quodam in Danos Vatiniano in totum Mechtildis abolevit ac perdidit, nisi quod exemplaria & apographa nonnullorum ab episcopis, Comitibus alijsque regni primoribus, qui ipsa autographa se vidisse profitentur, subsignata etiamnum supersint. Ipsa haud multò post Mechtildis vitæ monasticæ se tradidit, vovitque episcopo Othoniensi, datâ dexterâ, innuptam se, quod esset vitæ reliquum, transacturam; quamvis, ut postea patebit, voto illo suo promissoque haud steterit.

CHRISTOPHORUS ejus nominis I. REX Danorum LXXXIV.

SUBLATO, ut memoravimus, è medio rege Abele, quamvis diligenter, quomodo retulimus supra, Neoburgi in publicis comitijs filiorum suorum causam ipsemet egisset, obtinuissetque ut illi, se defuncto, ordine succederent, refragantibus tamen cum populi promiscuâ multitudine nobilibus, germano ejus fratri Christophoro diadema delatum est. Tantum scilicet in animis mortalium poterat fratricidij, quo se Abel fœdasse existimabatur, cogitatio. Mox sub anni finem, qui dies erat Nativitatis Dominicæ, regio titulo ab *Eschillo* Slesvicensium præsule, defuncto jam paulo ante Lundensium archiepiscopo *Vffone*, solenniter est insignitus Christophorus. Nec multò post quartò nimirum Calendarum Ianuarij immunitates non tantum ac privilegia Lundensis Ecclesiæ suo assensu rata firmaq; habuit, verum etiam ordinem ibi ecclesiasticum universum, & quicunq; illi suberant, à telonijs militiæque laboribus, datis ea de re publicis codicillis, liberum atq; immunem pronunciavit. Duxerat in conjugem *Margaretam Sambiriam* Pomeraniæ Ducis, quomodo & ante meminimus, filiam, quæ ab assultu, & quâ mirifice delectabatur, equitatione, *Springbestæ* cognomen acceperat. Chronicon Comitum Schauvenburgensium à fusco faciei colore, vulgariter etiam *Suarte Grethe* appellatam ait. Ex eâ filios tres habuit, *Ericum*, qui proximè ipsi in imperio successit, & *Valdemarum* una cum *Nicolao*, quorum uterque

CHRISTOPHORUS Rex. A. C.

que infans obijt, ac denique *Mechtildam* filiam, *Alberto* Brandenburgico nuptui traditam. Ipse Christophorus ab ordine sacro, ut parum reipublicæ commodus, nec in rebus exequendis admodum felix, celebratur.

Regni statum quemadmodum inquietissimum suscepit, ita post se multo reliquit inquietiorem. Erant ferè regni opes universæ exhaustæ ac bellis diutinis deperditæ, adeò ut onera ac collationes omnes in plebem reciderent. Ecclesiæ, monasteria ac clerus, sicut antea, ita & ejus tempore (exceptis Lundensibus, quorum diœcesi concessâ immunitate, ad tempus, ut diximus, parcitum) adversus regni consuetudines ac morem receptum vectigalibus, alijsque oneribus premebatur. Unde non ille modò, sed & ceteri ex civium numero parum ei æqui videbantur. Mutationes etiam ac vicissitudines, quæ adeo exiguo temporis intervallo, regumque duorum tam subito discessu, contigerant, novos senatores novosque præfectos ac mores etiam novos invexerant; Erantque à temporibus Valdemari in alium cuncta statum habitumque transformata. In bellis more Germanico exoticus miles, contemptis indigenis, stipendia faciebat. Et ipsi denique indigenæ, occasione peregrinarum nuptiarum, exterosque ritus vestitumque alienum, quasi suo potiorem, æmulari studio ducebant. Quæ omnia ejusmodi erant, ut statũ regni ruinosum atq; ægram rempublicam satis indicarent.

MCCLIII.

Proximo, qui superiorem est secutus, anno quinquagesimo tertio, post ducentesimum supra millesimum, tutelam atque administrationem liberorum fratris sui sibi desumpsit: Et *Henricum* præsertim *Emeldorpium* pignoris loco *Suineburgum* & *Schelfiscoram*, quæ fratri ejus Abeli hæreditate, ut ante monstratum, obvenerant, præsidio tenentem per nuncios monet, ut sibi velut tutori liberorum Abelis juramentum præstet. Quod cum recusare *Henricus* videretur, Christophorus collectis copijs, pellere eum loco aggreditur. Verùm *Henricus* bellis superioribus exercitus ac miles veteranus rerum suarum satagens locum utrumque milite ac commeatu alijsque ad obsidionem spectantibus diligenter communit. Ac mox adventantem Christophorum factâ irruptione, repellit ac plures ex nobilitate alijsque captivos abducit. Rex Christophorus sibi fugâ consulens & Haffniam intrare annitens, ne urbem ingrederetur ab episcopo est inhibitus. *Emeldorpius* hac victoriâ factus animosus identidem in pagos proximos immisso milite, excursiones instituit, ac opida Selandiæ, quà poterant, deprædatur. Verum mox ubi maximis viribus atque apparatu urbis utriusque obsidionem repeteret rex, videretque Emeldorpius rem seriò agi, & omninò propositum regi ea loca ad regni laciniam reducere, sumpto navigio, ac datis velo ventis, aufugit. Rex utroque potitus opido, munitiones ab Henrico excitatas solo diruit, ac præsidiariorum perplures capite mulctavit. Hic Emeldorpius an opido Dithmarsiæ *Meldorpio* oriundus fuerit, an verò ab arce *Emeldorpiâ*, quam postmodum Christophori filius Ericus destruxit, nomen habuerit, parum liquet. Id constat regi Abeli filium fuisse posthumum, Abelem etiam dictum, qui multis exinde annis Suineburgo præfedit: Qui & filiâ est auctus Margaretâ nomine, quam duxit uxorem Suerinensium Comes *Helmoldus*, ut inde dicetur. Nec *Suineburgum* modò & *Schelfiscoram*, sed & Iutiæ australis diœcesin sibi nepotum suorum nomine administrandum rex sumpsit. Quâ de re Holsatiæ Comites *Gerhardus* & *Iohannes*, cum actiones regis suspectas haberent, nec eâ, quam præ se ferebat, fide agere judicarent, legatos ad eum & literas per nuncios transmittunt, intercedentes pro Abelis suæque sororis filijs, communibus nepotibus, ut nimirum bona ipsis ac possessiones paternæ traderentur, Slesvicensis verò Ducatus, clientelari jure, ut & mos est imperij Rom. eisdem permitteretur. Respondit Christophorus securos eos esse debere, quod ad eam præfecturam, utpote, quæ non ab ipsis, sed à rege ac regno liberis regijs sive ad vitam, sive ad gratiam, ut loquuntur, concedi soleat: ac ideò alius omnino esse naturæ ac conditionis quàm sunt imperij vel præfecturæ vel feuda. Hæc cum ultrò citròque agerentur, nec cedere de jure suo rex vellet: multique ex imperij principibus ob jus, quod apud ipsos obtineret, favere liberis Abelis viderentur, res in nervum erupit, ac bello utrimque aperto certatum est.

Eodem circiter tempore indicta fuerant regni comitia, in quibus, præter cetera, Christophori filius *Ericus*, tum circiter annorum trium, suffragijs omnium rex designatus est: pronunciatumque, ut ipse non modò patre defuncto, sed & liberi ejus exclusâ Abelis prosapiâ, ordine ad regni successionem admitterentur. Inde, navali expeditione susceptâ, *Synderburgum* cepit: munimentaque omnia ac propugnacula præsertim, quæ à parte terrestri erant, dirui ac solo æquari mandavit.

Sub

GULIELMUS HOLLANDUS IMP.

CHRISTOPHORUS Rex. A. C.

Sub idem fere tempus expeditio illa *Norvagica* & *Sueonum*, de quâ & occasione ejus supra injecimus, terrâ marique in Danos suscepta. Rex *Haquinus* numerosâ classe Bergis solvens exercitum suum circa Wigæ Australem tractum in littus exponens, utramque reginarum Tonsbergæ reliquerat, ut ibi euentum respectarent. Erant copiarum Duces *Haquinus* major & minor natu. Aderat & rex *Iohannes* & regulus suderoræ *Dugalus*. Inter regni senatores censebantur *Canutus* Iarlus, & *Magnus* cum Sivardo, nec non *Petrus Gyskeus*, *Nicolaus Haisenius*, *Gautenus Melius*, *Brunolfus Ionæ*, alijque militiæ veteres ac bellis exerciti. Navium numerus hand infra trecentas fuisse memoratur. Exscensione circa Hallandiam factâ, quicquid obvium dabatur, aut diripiebant, aut flammis exustum solo æquabant. Qui relicti erant in freto *Monstersundæ* (quibus an Sueci terrestri itinere se junxerint non reperio) perplures Danorum trucidarunt, ablatis & in naves deportatis quæcunque nancisci potuerunt. Inde *Haquinus*, assumtis levioribus navigijs, Bergas redijt. Filius verò ejus *Haquinus* minor majore exercitus parte secum retentâ omnem districtum, qui tributis atque incendijs nondum fuerat defœdatus, ferro ac flammis infestum habuit. Ac tandem sub hiemem cum ad regem Sueciæ *Valdemarum*, affinem suum, secessisset, essetque mox tempore verno ad eundem hunc tractum regressus, subita eum corporis ægritudo invasit, qua & obijt, sepultus in æde D. Alvardi Ansloæ. Post eum nominatus & declaratus est Norvagiæ princeps parentisque Haquini in omnem eventum successor filius *Magnus*.

Holsati, dum hæc agebantur, bellum jam, de quo indicatum superius movere Christophoro cœperant, adjuti auxilio *Iohannis I* & *Othonis III* Brandenburgici. Primus impetus in urbem Slesvicensem factus; qua etiam potiti die D. Mathiæ sacro. Urbem ingressi, præter ceteros, *Eschillum* episcopum cum clero universo ac civium optimatibus Segebergam captivum abduxêre. Atque ibi aliquandiu in carcere, & ille ceterique detenti fuerunt. Inde ferè totus Holsatiæ Comitatus in Comitum potestatem cessit. Marchioni autem Brandenburgico *Othoni*, qui filiam duxerat Comitis Iohannis, quod ipsemet præsens fuisset, & suis præterea copijs victoriam promovere haud parum adlaborasset, impensarum, quas fecerat nomine, *Rendersburgum* ab Holsatis est traditum, quot & annis aliquot sibi tenuit, ut postea referetur. Accesserat etiam Comitum & Brandenburgicorum partibus *Henricus Emeldorpius*, quem supra Suineburgo & Scelfiscorâ depulsum à Christophoro memoravimus. Ijsdem se quoque Lubecenses junxerant, aliæque in propinquo urbes Vandalicæ, quæ & classe armatâ Scanensium vicinumque littus ita infestum reddiderant, ut rex domi circumquaq; impeditus, occurrere Comitibus aut hosti externo haud quaquam posset. Prope Scanoram, ingens inter utrosque prælium commissum, in quo maxima utrimque strages facta. Eratque Theutonum præfectus *Henricus Emeldorpius*. Qui deinde relictâ Scaniâ, Selandiam petijt, & occupata Monæ insulæ *Stegebusam* suæ potestatis fecit: Ac mox missis in proximam Falstriam præsidiarijs aliquot navibus, *Nicopiam* etiam occupavit. Quo successu dum bellum à parte Comitum geritur, nonnulli è Germaniæ principibus se medios interponunt, & litem, quæ inter regem & Holsatos agitabatur, annuentibus singulis, ità componunt, ut rex nimirum Christophorus liberis Abelis, ubi ad annos pubertatis venissent, *Slesvicensem Ducatum* restitueret, atq; eâ præfecturâ eosdem ornaret. Similiter & patrimonialibus sive hæreditarijs bonis ac possessionibus, quos intra regnum tenebant, uti frui ipsos, permitteret, redditâ singulorum & acceptorum expensarumque ratione. Quod autem prætendere quippiam in regnum Daniæ ijdem Abelis liberi viderentur, occasione chirographi, quod Neoburgi signatum esset, id rescissum nullumque foret. Erat præterea ijsdem conditionibus insertum statutumque ut Dux Pomeraniæ *Sambirius* alijq; Vandaliæ principes, horum omnium sponsores essent. Christophorus verò rex, dum minori adhuc ætate Abelis liberi agerent, Ducatum Slesvicensem eorum interea nomine procuraret.

Sequenti anno ducentesimo quinquagesimo quarto supra millesimum, IV Idus Martij MCCLIV. præsul Roschildensis *Iacobus Erlandus*, priusquam ad archiepiscopatum Lundensem vocaretur, *Hafnienstum* opido immunitates ac privilegia, primus concessit. Quæ & postea à successoribus ejus rata firmaque habita; dum tandem urbs ipsa, anno MCCLXXXIV à jurisdictione episcoporum Roschildensium ad regnum traducta, agnoscere reges eorumque decreta cæpit. Quàm autem tenuia hujus opidi initia fuerint, supra nonnihil injecisse memini. Nam *Absaloni Vidus* archiepiscopus Lundensis, Roschildensiumque episcopus, vir nobilitate generis, sapientiâ, animi magnitudine, patriæ amore, ac in rebus gerendis, de quibus

quibus suo est loco memoratum, felicitate ac successu præstans munitionem quandam in eâ insulâ, ubi nunc est arx, magnis sumptibus extructam fieri curarat, cui appellationem de suo vocabulo *Axelbus* indiderat, ut eo melius adversus piratas ille locus defenderetur. Postea ob portus commoditatem *Kiobmanshafen*, id est, *Portus mercatorum*, quomodo & Saxo historiæ suæ libro 14 appellat, vocatus est. quamvis *Haven* simpliciter appellet Erici Regis chronicion, ut modò est ad annum MCCXLVIII notatum obiter. Et tali quidem occasione etiam isto adhuc tempore *Haffnia* (ita enim contractè ex voce vernacula *Kiobmanshafen* Latinè nunc dicimus) sub episcopis Roschildensibus eorumque legibus egit. Privilegia autem illa, quæ data ei ab *Orlando* innuimus, præcipuè ad episcopos ipsos, quibus jure clientelari opidani erant obstricti, referuntur; quorum nulla nunc locum habere, & antiquata esse omnia reperio : præter nonnulla civium officia aliaque negotiationes præsertim spectantia, quæ exinde anno, cujus meminimus, MCCLXXXIV regnante *Erico* Christophori filio, vel in totum reservata, vel pro tempore & occasione nonnihil immutata, usum hodieque suum vigoremque retinent.

Post hæc *Orlandus* electus est Lundensium archiepiscopus, vocato in ejus locum Roschildiam viro illustri ac reverendo *Petro Bangio*. Verùm regi minus placebat præsulis ista ad archiepiscopatum Lundensium vocatio, præsertim quod se inscio celebrata fuisset. Moris enim id temporis erat, ut episcopi electionis suæ non tantum confirmationem à regibus acciperent, sed ad onera quoque omnia militiæ cum rege subeunda tenerentur, nisi quos suo diplomate ac singulari indultu rex immunes ac liberos pronunciasset. At Orlandus Romani pontificis authoritate, tum & suo ingenio ac familiaritate, quam jam ante, & præsertim in Concilio Lundensi, de quo in rebus *Erici* diximus, cum Innocentio IV pontifice contraxerat, fisus, à solo pontifice confirmationem repetendam judicavit. Quamvis & sint, qui à papâ literas ei redditas volunt, conatumque etiam in Daniâ pontificem confirmationis illud jus sibi vindicare: Archiepiscopus itaque *Orlandus* quamprimum in Ecclesiam Lundensem fuit introductus novos ritus comminisci, rege etiam inconsulto, immutare, quæ semper obtinuerant, Scaniensis ecclesiæ statuta ac leges haud dubitavit. Quæ, sicuti & illud, quod rege non salutato, ad cathedram eam fuisset evectus, regem haud leviter ussit.

Inde, comparatâ classe, profectus rex versus *Cimbricam Chersonesum*, ubi ad *Sliæ* flumen copias exposuit, ac partem exercitus terrestri itinere Coldingâ Slesvicum pergere, atque ibi præstolari imperavit. Quo cum miles venisset in loca circumjacentia ejus jussu immissus, præter cetera munimenta, *Gasenburgum* diruit. Ac mox in partem adversam castra metatus territorium intravit, quod *Huidingherrit* vulgò vocabant. Cumque identidem idque majore copiarum numero, quàm opus esset, Ducatum Slesvicensem pro more lustraret, ac res ibi nepotum suorum administrans, subditis magis oneri quam solatio esset, subsistere diutius in australi Iutiâ mater eorum regina *Mechtildis* haud voluit. Quocirca suasu ac machinatione novi archiepiscopi Lundensis contraxit cum Sueciæ Duce nuptias, Daniâque excessit, posthabito, quod episcopo Othoniensi, datâ dextrâ, vovisse supra meminimus, se quod ætatis esset reliquum innuptam ac cœlibem transacturam. Quamvis illa de regina *Margaretâ* seorsim querelas miscens, eam accusabat, quasi maritum regem erga se concitaret, ac minus faventem clementemque redderet; Easque mutatæ sententiæ ac voti habuisse causas.

Dux *Valdemarus* Abelis filius, quem supra venientem è Gallijs detentum ab episcopo Coloniensi mandatumque custodiæ memoravimus, eodem hoc circiter tempore dimissus ope & intercessione non tantum avunculorum ejus Holsatiæ Comitum, sed & aliorum è Germaniâ principum, cum annum ibi quartum circiter detentus hæsisset. Dimissus autem est, solutis pro impendijs alijsque sumptibus florenis 6000, quos avunculus ejus Holsatiæ Comes *Iohannes* ipsius nomine numerari curavit. Mater *Mechtildis* fratri suo Iohanni territoria vicissim nonnulla, intra Sliam & Eidoram sita, pro expositâ pecuniarum summâ pignoris loco tradidit; quæ anno postmodum MCCLXXXVIII, quo æs illud totum esset expunctum, eidem Iohanni, ut propria & hæreditaria possidenda reliquit. Valdemarus verò ubi in patriam redijsset, mansit aliquandiu apud avunculum Iohannem, qui identidem apud Christophorum nepotum suorum, & præsertim Valdemari causam agens, id præcipuè petijt, ut Valdemaro, secundum pacta conventa, traderetur præfectura Ducatus Slesvicensis, ac ipse, dum fratrum alter adolesceret, rerum administrationem sibi servaret. Quod & ipsum haud multo post rex præstitit, tradito solenniter in manus ac potestatem *Valdemari*,

Valdemari, cum vexillo *Ducatu Sleſvicenſi*, ſive ut aliàs vocabant, *auſtrali Iutiâ*, eâ tamen lege ac conditionibus, ut regi ac regno fidem ac fidelitatem polliceretur, eſſetque eidem obſequio ac clientelâ devinctus, paratuſque ſi quando res opem ejus poſtularet: Locus eidem inter regni ſenatores concederetur, habereturque inter regni ejuſdem primates. Provocationes ab ipſo ac foro *Ornenſi* non niſi apud regni tribunal fierent. Si quando arma aut expeditiones terrâ vel mari indicerentur, ſubditi Ducatus regijs mandatis ſe obſequentes dictoque audientes demonſtrarent. Hac tranſactione peracta, liberatus eſt è cuſtodia Segebergenſi cum ceteris, quos eo captivos Sleſvico abductos memoravimus, epiſcopus *Eſchillus*. Sed carceris pædore emiſſus, haud diu exinde ſupervixit, mortuus anno ſtatim milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quinto. Ejus in locum Præpoſitus ejuſdem eccleſiæ *Nicolaus* ſurrogatus eſt, & ab archiepiſcopo Lundenſi *Iacobo Orlando*, rege aſſenſum præbente, ipſo Pentecoſtis feſto ſolenniter initiatus. Obierat jam ante Comes Hallandiæ borealis *Nicolaus*, relicto filio *Iacobo*, cui rex Chriſtophorus handquaquam eundem Comitatum ut hæreditarium permittere voluit, licet intercederet pro ipſo regni ſenatus, & Valdemarus ſecundus parenti ejus Nicolao hoc ipſum conceſſiſſet, ut ante meminimus ad annum MCCXXVI, vice illius hæredij, quod ipſi ex Comitatu Suerinenſi à parte matris debebatur, ſed in gratiam ac liberationem Valdemari Suerinenſibus conceſſerat. Chriſtophorus ità ad ſe & regni diœceſes eundem Comitatum reducens, ejus vice alium, haudquaquam cum priore comparandum, ei aſſociavit, ne forte uſpiam eſſet, qui regni præfecturas hæreditarias ſibi vindicare præſumeret. Quod etiam exemplum ſecutus exinde in Duce Canuto Ericus filius, ut ſuo mox loco monſtrabitur.

CHRISTOPHORUS Rex. A. C. MCCLV.

Anno qui proximè ſuperiorem excepit, mortuo Innocentio IV, legatos ad ſalutandum novum Rom. pontificem Alexandrum rex dimiſit, inſtructos præter cetera, apographis & codicillis ritè ſignatis earum literarum, quas olim parenti ejus Valdemaro ſuper Vandalis earumque diſtrictibus conceſſerat Imperator Fredericus ejus nominis ſecundus. Harum literarum autographa reſciderat, quomodo ſupra meminimus, regina & conjux Abelis Mechtildis. Quapropter pontifex diploma, quod hodieque in archivis ſervatur, regi viciſſim tranſmiſit, quo agnoſcit ritè earum terrarum donationem à Cæſare Frederico prædeceſſoribus ipſius factam, & inſtrumenta ea de re inſuper confecta ejuſmodi fuiſſe, eſſeque vel ipſa apographa, quibus jure acquieſcere boni omnes ac pacis cupidi debeant. Hinc quies & alcedonia allucere regi videbantur, præſertim quod ad principes exteros, & ipſum quoq; Ducem Valdemarum, qui pacis amans non modò vicinis Holſatis & Theutonis, ſed cum Danis quoque ipſis, amicè & pacatè vivebat. Tantum ordo eccleſiaſticus, &, cujus ille incentor credebatur, promiſcua multitudo, haud parum ei negotij faceſſijt. Nam & arces & regni propugnacula prædiaque nobilium infeſta habens, ea, facto concurſu, diruere ac ſolo æquare ludo ducebat. Unde rex, habito in Selandiâ cum agreſtium turba acri conflictu, aliquot eorum centenos, prope *Lethræ* pontem, neci dedit. Nec tamen ubique locorum commotam plebem ſedare ac compeſcere ſolus potuit, niſi & archiepiſcopus Lundenſis *Iacobus* & Roſchildenſium *Petrus* alijque ex ordine equeſtri viri nobiles diverſis in locis animos concitatos placare ſimiliter inſtituiſſent, facto promiſſo de ſublevandis oneribus, quibus huc uſque temporum iniquitate preſſi fuiſſent, deque jure ac juſtitiâ apud omnes adminiſtranda, allatis in eam quoque ſententiam regijs literis hoc ipſum ſanctè affirmantibus. Quamvis multorum opinio erat, facile ab epiſcopis & qui plebem concitaſſent reduci alias ad priſtinam quietem ac ſaniora conſilia potuiſſe. Sed quàm & hæc infirma nec longi temporis fuerint, ſequentia oſtendent.

MCCLVI.

Interea *Gulielmus* Imperator, de quo ſuperius eſt dictum, expectatâ hiemis oportunitate, ut facilius per hibernum gelu paludoſos & Hollandiæ vicinos Friſios opprimeret, ab ipſis ipſemet oppreſſus occubuit, cum ſceptrum tenuiſſet annos circiter novem. Notat, qui illo adhuc ævo ſuperſtes fuit, Mathæus Pariſienſis, Friſios eo in conflictu levi quàm maximè ac lineâ armaturâ tectos, uſoſque ſecuribus ac *geſis*, ità enim verba ejus habent, *Danicis*.

Eo ſublato interregnum fuit, ſub quo imperij ſpes duobus præcipuè affulgere videbatur, *Alphonſo* Hiſpano, & *Richardo* Cornubiæ Duci, *Ioannis* Anglorum regis filio. Sed cum alter metu alterius nihil attentaret, imperium quaſi acephalon per id tempus manſit, donec tandem *Rodolphus Habsburgenſis* rebus admotus eſt. Ante tamen Rudolphum pontifex etiam *Haquinum* Norvagiæ regem ad illud evehere culmen ſtuduit, omnemque movit lapidem ut rex Norvagiæ conſecratus coronam etiam imperij ſuſciperet. De quo exſtant

Matthæi

Matthæi Parisiensis verba, testis non oculati modò sed auriti quoque atque omni exceptione majoris, utpote qui per idem tempus ad Haquinum (*Haconem* ille vocat) legati munus obijt. Sed ipsa ejus verba, quia id merentur ob Danici Norvagicique nominis memoriam, hîc proxime subjiciam: Post hos omnes voluit dominus Papa loco Frederici II Haconem regem Norvagiæ in culmen imperij subrogare. Et ipsum in regem fecit consecratum coronari. Sed postquam coronatus fuit, protestatus est palam, se semper velle ecclesiæ inimicos, sed non omnes Papæ inimicos impugnare. Et hoc protestatus est mihi ipsi Matthæo. Archiepiscopus autem *Rolandus*, cum multa, ut indicare superius cæperamus, in legibus ac scitis ecclesiæ Scaniensis, idque rege inconsulto, immutare ac refingere sibi præsumeret, rex publico decreto omnibus & singulis præcepit, ut statuta ejusdem ecclesiæ, cujusmodi jam olim præscripta ac dictata habuissent, sarta tectaque servarent, se hoc factitantes ope & patrocinio suo tutaturum. Unde simultas inter regem & præsulem magis magisq; invaluit. Post hæc pridie nonas Martij ejusdem anni rex comitia indixit Neoburgi apud Fionios celebranda. Quo eodem tempore conventum de rebus Ecclesiæ Wedelæ habendum significari per omnes diœceses etiam archiepiscopus curavit. Erant ad regia comitia vocati, præter ceteros, Holsatiæ Comites ac Duces Vandaliæ omnesque regni nobiles ac jure clientelæ eidem devincti. Archiepiscopus ne videretur, quod cæperat, leviter mutaturus, petijt à regiâ majestate, ut in ecclesiæ ac sacri ministerij honorem differre comitia sua ad tempus vellet, dum nimirum peractus esset, quem indixerat, ecclesiarum conventus. Quam archiepiscopi petitionem licet rex silentio transmitteret, synodus nihilominus Wedelæ habita est. In eâ non tam res pertractatas ecclesiæ, quàm novam quandam constitutionem factam reperio, in hanc ferè sententiam: Cum ecclesiæ Danicæ persecutionibus tyrannicis adeò obnoxiæ sint, ut non dubitent multi episcopos, qui, ut murus aheneus, ad domus Dei defensionem excubant, lacessere, minitari, atque injuriâ afficere, & metus præterea sit eas minas, deserto præsertim à brachio seculari clero, nec accedente regiâ authoritate, quæ compescat, in multo pejora erupturas, idcirco sanctus conventus Wedelæ congregatus statuit, ut si quis episcoporum intra Daniæ regnum, mandato aut permissu regio, vel regni nobilium captivus abducatur, cædatur, aut aliâ simili injuriâ, aut vi majore afficiatur, ut (modò constet regiâ voluntate factum, vel etiam eâ volente inhiberi malum potuisse) ut inquam per regnum universum cesset divinus cultus: Et si cui extra Daniæ terminos habitanti simile contingat, possitq; demonstrari id regis, principis, aut nobilis alicujus regni hujus consilio perpetratum, tum diœcesis, in qua id commissum, à cultu divino faciendo feriabit: Et rex eâ de re ab episcopo loci aut alijs commonitus, si intra mensem justitiam reddere neglexerit, à sacris similiter celebrandis per regnum universum cessabitur, donec injuriâ affecto satisfactum fuerit. Hæc constitutio omnium ecclesiasticarum personarum sacramento sub pœnâ anathematis sancita Wedelæ, ut indicavi. Quam & statim *Alexandri* pontificis confirmatio excepit.

His ibi peractis, excurrit archiepiscopus cum præsulibus alijs ac prælatis Neoburgum, ubi tum adhuc regia comitia habebantur, cum ob hiemis incommoda, præter Holsatos & Ducem Slesvicensem, principes nulli accessissent. Archiepiscopus autem, ubi ad regem salutandum, seq; de adventu tardiori excusatum veniret, ei rex utpote non sine causâ subirascens nihil, præter illud Virgilianum, respondit: *Tardè venêre bubulci*. Quod responsum archiepiscopus in sui quasi contumeliam prolatum interpretatus, majus erga regem odiũ animo concepit. Sed rex indicto mox Wordingburgi novo conventu, quo inter ceteros Pomeraniæ alijque principes, qui antea hieme impediti ad comitia Neoburgica adesse nequierant, frequentes venêre. Hîc rex multis archiepiscopum accusationibus oneravit, ad quas respondere haud facile potuit, prensans potius affines regi principes, eorumque intercessionem quærens, quàm se defendens. Sed rex aurem non præbens, omnia ejus crimina scripto consignata palam recitari curavit, inter quæ præcipua ferè erant: quod rege inscio ac nolente, ad archiepiscopatum venisset, quod episcopos inconsulto eodem initiarit: quod ecclesiasticas personas à rege, ut vocant, præsentatas, idque ijs in locis, ubi regi patronatus jus est, rejiceret: quod regis clientes à Papâ absolutos de novo excommunicarit: quod inhibuisset episcopos regijs expeditionibus pro more interesse: quod regni ac regis commoda impedijsset, intempestivos agendo conventus; quos nec in regis nec regni gratiam differre voluerit: quod in publicis conventibus leges ac constitutiones tulerit pugnantes cum regni recepto more ac legibus: quod papæ super ijsdem constitutionibus

CHRISTOPHORUS Rex. A. C.

tionibus adverſus jus & conſuetudinem regni confirmationem procurarit: quod ad regem Norvagiæ, regis hoſtem, clandeſtinas dederit literas: quod, præter arces, etiam emporium ſeu opidum in ſolo eccleſiæ condi fecerit, impoſito ibidem telonio, quod ipſi ſolveretur; quod in litibus ac controverſijs ad regem ſpectantibus ſe judicem conſtituerit: quod cauſas marcarum, ut vocant, 40 ſibi vindicarit, quod regem apud pontificem Rom. datis literis, quibus ſubſcribere etiam alios epiſcopos effecit, accuſarit: quod ægre tulerit excitatum à rege munimentum circa *Nitzæ* amnem in finibus Hallandiæ: quod regem die divi Laurentij prædonem proclamarit; quod agreſtium arma adverſus regnum ac regem concitarit: quod in æde cathedrali eccleſiæ Lundenſis regis ac reginæ ſubſellia diruta jacerent: quod regem poſt prælium cum *Henrico Emeldorpio* commiſſum Haffniâ excluſerit. Quæ licet publice eſſent depoſita, tamen affines & regis amici principes ſtudio pacis ac concordiæ id egerunt, ut epiſcopum cum rege in gratiam reducerent, ſed conatu fruſtraneo. Nolebat enim rex ulli compoſitioni aurem commodare, niſi prius ad ſingula accuſationum capita reſpondiſſet archiepiſcopus. Itaq; negotium cum temporis dilatum eſt. Nam inde ſtatim, anno ſequenti, converſus ad fratris ſui divi Erici funus, quod apud Sleſvicenſes erat conditum, magnâ id pompâ Ringſtadium transferri, ac juxta paternos cineres deponi curavit, ipſomet novâ ibidem apotheoſi, præſentibus regni epiſcopis ac nobilitate, inter Divos relato. MCCLVII.

Hinc è Selandia Lundam celerrimè rex trajecit, ut ibi parentem reginæ, Ducem Pomeraniæ *Sambirium* unà cum regina conjuge è Germaniâ venientem exciperet. Hic dum agit, Mariſchalco ſuo, qui loci præfectura fungebatur, itemque *Bodoni* ordinis prædicatorij alijſque eccleſiaſticis viris in mandatis dat, ut de accuſationibus ſuis adverſus archiepiſcopum inſtitutis ejuſque defenſione ſeriò cognoſcerent. Archiepiſcopus ſimiliter à parte ſuâ præpoſitum *Sazorium* & *Iohannem Droſſium* canonicum ijſdem adjunxit. Et jam ad hoc agendum conſederant, cum ecce à rege nuncius, qui monet ut arbitri unà cum epiſcopo ad regem accederent. Ac ſtatim præter exſpectationem omnium inter ipſum & archiepiſcopum interponentibus ſe Duce Sambirio & reginâ, ita convenit, ut nihil deſiderari videretur. Verùm ea reconciliatio haud durabilis fuit. Nam menſibus exinde ſex cum excommunicaſſet archiepiſcopus nobilem matronā, quæ adverſus ſtatuta eccleſiæ deliquiſſet, nec vellet in gratiam regis remittere pœnam archiepiſcopus, recruduit regis ſimultas, ac litem, quæ ſopita fuerat, rex reſumſit. Venienſq; haud multò poſt Lundam, ut ibi cum aula ad tempus moraretur, vocari in curiam archiepiſcopum juſſit, & ſedens ipſe pro tribunali proximè ſibi aſſidentem habens epiſcopum Wiborgenſem, Cancellarium ſuum *Kilianum*, permiſit omnibus, quicunq; in archiepiſcopū agendum quicquam haberent, ut cauſam ſuam proponerent. Cumq; multa adverſus eum allata eſſent, & regis ſuper illis ſententia poſtularetur, fertur palam dixiſſe archiepiſcopus, ſe regem in ſpiritualibus judicem non agnoſcere, ſed ſolum pontificem Rom. ideoq; nec velle reſpondere ad criminationes objectas, nec etiam teneri. Hoc reſponſum admodum indignè rex accepit, quod exiſtimaret authoritatem ſuam plurimùm eo labefactatā. Itaq; omnes qui præſentes aderant, convenire à meridie in templo cathedrali, atq; ibi eccleſiæ ſtatuta inter reges olim & epiſcopos ſancita, & regū quoq; & epiſcoporum aliquot ſigillis munita, prælegi omnibus publicè mandavit, eaq; ut ſecum perpenderent, & an ſtare ijſdem articulis vellent, interrogavit. Archiepiſcopus reſpondit, ſe probare haud omnia poſſe, quæ ijs cōtinerentur, quod multa in ijs eſſent cum jure Canonico ac patrum decretis pugnantia; ſe tamen, quæcunq; ſalvâ conſcientia poſſent retineri, non rejecturum, quæ verò ei averſarentur, de ijs pontificem Rom. conſulendum exiſtimare. Qui à parte regis aderant, in adverſum reſponderunt, ſi articulos jam dictos improbandos judicaret, nec decimas epiſcopis deberi, quas illi tamen communi ſuffragio conceſſas admittunt. At ille repoſuit, decimas communi jure, etiamſi articulis expreſſæ non eſſent, ſibi deberi. Acta hæc quarto à paſchate die. Deinde poſt octiduum petijt ab archiepiſcopo rex, ut miniſtros ſuos, quos in Inſula *Wenâ*, alijſque in locis excommunicaſſet, abſolveret; reſpondit archiepiſcopus ſe facturum id, modò pollicerentur viciſſim illi, ſe, quæ mandaret eccleſia, non neglecturos. Quòd cum regi ac ſenatui minus placeret, miſſæ in curiam regiæ literæ, quibus ſignificabat rex, ſe archiepiſcopo ac toti ejus clero privilegia atque immunitates, quaſcunque à Daniæ regibus accepiſſent, negare atque abnuere, ac ſimul ſtatuere ut in poſterum ad regni onera ac regiæ aulæ miniſteria parati adeſſent. Similiter & ceteris, qui Lundenſi cathedræ jurejurando obſtringerentur, mandabat, ut intra dies quindecim, ſibi obſequium ac ſacramentum dicerent.

Nuncius, qui hæc adferebat, cum regis se jussu id facere judicaret, denunciavit ei archiepiscopus anathema, utpote qui adversus jura ac libertatem ecclesiæ mandata publicasset.

Dum ità inter se altercantur rex & archiepiscopus, iterum plebs, de quâ modò dictum, majore motu concitatur, & causam se agere archiepiscopalem profitetur. Nomen sibi indiderant *Choercarle*, utpote qui chori & sacerdotum jus defensuri convenissent. Arma, præter ferreas & ligneas clavas, nulla habebant. Unde chronicion, quod editum sub nomine regis Erici, ad hunc & superiorem annum hæc verba idiomate vernaculo adducit, tum vulgo jactata: *Choercarle ware alle galne met cylner*, id est, *homines chorales cum clavis divagantes passim insaniebant*; vox omnium & clamor erat, se aliquandiu vi & tyrannide potentum à Dei verbo inhibitos, nec id satis hucusque percepisse. Cùm autem regias undique arces, & prædia nobilium demolirentur, tandem manu armatâ furorem eorum compescere rex aggressus varijs eos locis stravit. Unde iterum ab ecclesiasticis concilium coactum; idq; Haffniæ. In eo, præter ceteros, archiepiscopus & qui cum eo faciebant anathematis fulmine feriêre quicunq; sive sacri sive prophani ordinis, constitutioni in Wedelæ conventu latæ obluctabantur; præsertim cum eam Romæ à regis procuratore impugnatam pontifex suo suffragio ratam firmamq; habuisset. Percussi quoque aut territi eodem fulmine etiam alij, & quos suspicio saltem erat regijs partibus favere.

Circa idem fere tempus rex *Haquinum*, Norvagiæ regem, missis ad eum honorifice literis ac legatis, in Daniam evocavit, ut de rebus utriusq; regni, & præsertim de pace semel ac firmiter constituenda utrimq; tractaretur. Haquinus, accepto hoc nuncio, filium suum *Magnum* Tonsbergæ relinquens, ac ipse cum classe instructissimâ ad fretum Oresundæ digressus, Haffniæq; mox portum petens, regem ibi operuit. Qui extemplo eodē accedens, ac salutato Haquino, intellexit Norvagorum quidem animos ad bellum propensos, sed suos & regni sui statum aliorsum trahere. Deinde traditis, quæ & quanta utrimq; damna fuissent illata, ad amica invicem convivia ac mutua colloquia discessum: Mox, remissis utrimq; illatis detrimentis, ictum fœdus, quo veluti perpetuo pacto, tam suo quam posterorum nomine, se ac regna sua obstringunt, ut quicunq; prior impeteretur, statim alter alteri suppetias accurreret. Actum etiā tum de nuptijs inter filiū ejusdem Haquini Magnū, & neptem Christophori *Ingeburgam* divi Erici, cui Abel successit, filiam. Nec omisit occasionem Haquinus injicere de reconciliatione ineundâ inter regem & archiepiscopum, licet incassum. Postremo datis invicem magnificis muneribus, inter quæ prætoria Haquini navis stupendæ magnitudinis memoratur, ad sua quisque regressus est. Reperio in actis Norvagiæ Haquini item filiam *Christinam* regis Hispaniarum & Castiliæ germano fratri *Philippo*, eodem postmodum tempore nuptui traditam; interq; fœdera utrimq; pacta promittere quidem Hispaniæ regem auxilia sua Haquino, excepto si quid adversus Galliam, Arragoniam aut Angliam tentaretur: Et Haquinum vicissim opem ei suam polliceri, modò Dania, Suecia & Anglia non peterentur. Sed de hoc cōnubio & quid super eodē domestici Hispanorū authores tradant, inferius nonnihil ad an. 1273 repetemus. Porrò Haquino domum regresso, è re etiā visum ut rex, & princeps Suecorum *Birgerus*, de rebus ad regna sua attinentibus amicè ac præsentes colloquerentur. Itaque dies & locus apud Scanienses condictus. Quo cum singuli advenissent, invicemq; benigne salutassent, ac ultro citroque inter se contulissent, sublata est tandē lis omnis ac inimicitia, quæ causam eousq; & fomitē dissidio præbuisset. Vocatus eodem quoq; est archiepiscopus Lundensis, utpote Sueciæ primas. Conventumq; Atorpiæ in territorio Hallandiæ. Ac mensis remotis, denuò archiepiscopum accusare rex cœpit, & seorsim quidā, quod immutare præsumeret Scaniensium statuta, quæ tot regū atq; episcoporum suffragijs fuerant approbata sigillisq; communita, quæ & semper inviolatè apud Scanienses obtinuissent. Respondit archiepiscopus id quicquid esset controversiæ sublatum jam ante per Ducem Pomeraniæ & reginā Sambiriam: nec exinde conscium sibi esse quicquam in eam partem à se commissum; libenter quidem obtemperaturū statutis Scanicis, præsertim quæ salvâ conscientiâ haberi possent, quæ verò cum ecclesiasticis decretis, quibus jurejurando erat obstrictus, pugnarent, animæq; saluti essent contraria, ea ad Papam Rom. referre se, ac ejus exspectaturū censuram. Volebat autem rex, ut legibus jam dictis in totum subscriberet. Itaq; iterum jussit, ut aliqui & inter eos à parte sua *Ernestus* Comes Glicensium, cum delegatis ab archiepiscopo controversiam istam de novo discutiendam susciperent. Indeq; ad regem mittit archiepiscopus *Esbernum Magnum* & fratrem suum *Andream Erlandum*, cum aliquot Lundensiū canonicis exploratum quibus ille modis componi rem posse existimaret. Hi cum regiâ majestate coram locuti, præsentibus

præsentibus Cancellario *Kiliano* episcopo, *Ernesto* Comite, *Nicolao Erlando* præfecto Lundensi, ac *Petro Finnio* Marschalco. Tum à rege conditiones istæ recitatæ, & à fratre præsulis Nicolao, regio apud Lundenses præfecto, propositę, ut si renunciare archiepiscopus vellet juri, quod sibi competere putaret in naves & mercimonia naufraga, inq; bona eorum, qui absq; hæredibus moriuntur, & causas omnes marcarum 40, inq; collationes sacerdotiorũ, quę à regibus existimantur instituta: nec eos in suũ ministerium velit assumere naucleros, qui alijs præsertim navium exercitoribus obstricti essent, aut suos homines à vocationibus liberos pronunciare; utq; mulcta, quæ pendi pro eo solet, ad regem referatur, velitq; firmum ac ratum habere, quodcunq; Scaniensibus statutis decretum est, paratam esse ad reconciliationem viam. Respondit episcopus eam jurisdictionem pertinere ad sedem ecclesię Lundensis, quam nec velit nec possit alijs transscribere absq; consensu summi pontificis, cujus sententiæ sese submittere foret paratus. Rex sua gravamina *Byrgero* Duci exhiberi curavit. Et episcopus vicissim perplures articulos & criminationes, quibus regem videbatur notare, aut saltem quorum commonitum eum vellet, intulit. Cujusmodi erant de homicidijs, incestu, fornicationibus, quod nimirum ad ea delicta videretur connivere, quodq; pro debito more ecclesiæ haud punirentur: Quod pœnitentiæ usitatam pœnam rejicerent multi atque insuper haberent; quod homicidia, quæ esse capitalia deberent, mulctâ pecuniariâ redimerentur; quod ijs, qui essent excommunicati, aliorum consortium & familiaritas permitteretur. Quæ aliaq; ejusmodi etiã multò minoris momenti regi impingebat, quasi causam eorum atq; occasionẽ præbuisset. Postremò negabat eos, qui jure canonico Romanæq; ecclesiæ subscripsissent, posse simul omnia, quæ jure Scanensiũ continerentur, bonâ conscientiâ præstare: Quod verò tanta esset istius juris ac legum authoritas ac reverentia, id regis edicto ac literis præcipuè deberi, qui Scanensium statuta ità emendasset, ut simul promiserit, quicunq; suo mandato se obsequentem præberet, ei se ope consilioq; adfuturum. Quos similesq; codicillos ut revocaret rex, seriò eũ commonebat, nec objicere etiã inter alia destitit, quod Neoburgi præsentibus multis prælatis, nobilibus alijsq; spectatis viris, cum ad salutandum ipsum in templum venisset, seq; aperto capite de tardiore accessu vellet excusare, nihil præter illud responderit: *Tardè venere bubulci*. Querebatur similiter sacerdotes, qui jure patronatus regi se defendebant, præsuli dicto audientes non esse, & excommunicatos permittere ecclesias frequentare, quod in insula Venâ fieret, ubi & decimas episcopales, nullâ ea de re latâ sententiâ, sibi servarent. Hæc aliaq; talia cum ab episcopo fusissime essent prolata, multi se offerebant ad litem componendam. Sed frustra cuncti fuêre: Tandem princeps Sueonum *Birgerus* se medium obtulit, episcopoque coram significavit, posse controversiam tolli, modo conditiones à rege superius per fratrẽ ejus *Nicolaũ* ipsi propositas acciperet. Verùm episcopus paucis respondit, ea scilicet esse Lundensis ecclesię privilegia, ut in nullas ejusmodi cõditiones consentire absq; Rom. pontificis voluntate ac nutu posset. Quo responso multo quam ante gravius ei succensuit rex, unde & eũ Lundam redire vetuit, nisi ad criminationes omnes, quę ei aliquoties erant objectæ, liquido respondisset. Episcopus primo judicabat non teneri se, præsertim cum per Ducem Sambirium & reginam controversia ea tota esset jam ante composita, postmodum tamen ad quosdam eorundum articulorum, non verò omnes responsionem instituit: Et præsertim quod objiceretur de præsulatu Lundensi, inscio & nolente rege suscepto, reponebat causam eam apud pontificem maximum fuisse ventilatam ac decisam, procuratore utriusque præsente. Nec impedire se præsentationis jus, ubi id regi competit, sed accidere subinde, ut à rege id fiat, ubi nullum ei ejusmodi jus est, & aliquando quoq; inhabiles ac minus idoneos produci, quos officij ratione recipere haud posset: Nec absolutos à pontifice de novo excommunicare, nisi anathemate digna exinde commiserint, eamq; causam non regẽ, sed pontificẽ spectare: nec absolvere omnes posse, pro quibus rex intercedat, aliàs in contemtum abituram disciplinam ecclesiæ: similiter nec impedimento fuisse regis comitijs, præsertim cum à rege dilationem eorum petierit, ac deniq; hiemis causa non adfuturos omnes accepisset: se nulla decreta sancisse adversus jus seculare: quæ tulerit esse ecclesiæ & spiritualia; duos haberi gladios, spiritualem & secularem, ità & duos judices esse: & unumquemque à sua parte statuere ac sententiam dicere: se neque amicitiam cum regni hostibus fecisse, neque literis cum ijsdem communicasse, regem Norvagiæ *Haquinum*, ad quem literas dederat, sibi antiquitus amicum ac benevolentem fuisse, nec regni hostem habendum: arces quas excitasse novas dicitur nullas fecisse, sed reparasse collapsas: quod etiam ad opida à se condita responsum putavit. quod ad naufragia,

CHRISTOPHORUS Rex. A. 61

fragia, eam jurisdictionem pertinere ad ecclesiam Lundensem; se nusquam ut judicem sedisse in rebus secularibus; quadraginta marcarum causas sibi jure ejusdem Ecclesiæ deberi: & porro quod vacationem militiæ impedierit suosq; domi continuerit, id juris competere Ecclesiæ Lundensi, quæ in suos colonos jus habet; judicesque spirituales constituit; nec interim derogare id quicquam regijs præfectis, quo minus suo jure utantur. Talis archiepiscopi fastus maximorum per omnes regni oras motuum ac dissidiorum occasionem præbuit. Nam in partes suas abduxit Roschildensem præsulem *Petrum Bangium*, Scialmonis Bangij ex Vidis oriundi filium. Fuit enim *Othincarus Vidus* senioris Canuti regis sorore progenitus. Similiter & adhærebat ipsi Othoniensium episcopus, alijque ex ordine Ecclesiastico præcipuæ dignitatis, præter Holsatiæ dynastas, Rugiæque principem *Iarimarum*, & si qui ijsdem amici essent ac fœderati. Nec deerant regi sui fautores suaque factio tam à parte Ecclesiasticorum quam secularium. Inter quos episcopus censebatur Slesvicensis, Wiborgensis & Borglomensis, alijque ex prælatis & nobilitate passim.

Hæc serra dum ultro citroque reciprocatur, incidit inopinatò *Valdemari* Slesvicensium Ducis obitus, qui novis difficultatibus regem involvit. Nam, ut ante est memoratum, cum idem Valdemarus Iutiæ Australis Ducatu ornaretur, literis expressum non fuit, eum Ducatum in hæreditatem ipsi concedi; & ipso tamen jam defuncto frater ejus *Ericus* eam præfecturam sibi quasi hæreditariam vindicare videbatur. Itaque iterum ad arma convolatum est: Et rex quidem collectis copijs ubi Slesvicum venisset, Ericus utpote imparem se ei videns Holsatiæ interiora petijt. Igitur rex arces omnes ac propugnacula suæ potestatis faciens, eadem quoque suis præsidijs communijt, additis insuper novis præfectis omnibusq; in eum modum ritè constitutis, domum redijt, ut regni comitia quamprimum indicerentur, quæ Othoniæ celebrari initio an. 1258 voluit, ac ibi simul filiũ suũ, jam antea principem juventutis designatum, solenni inauguratione regni coronâ donari. Sed eò accedere non tantum archiepiscopus renuit, sed & alios eodem venire ac filium regis inaugurare sub pœnâ excommunicationis inhibuit. Venerunt nihilominus ac regi suo dicto audientes fuère episcopus Wiborgensis, Borglomensis, Ripensis & Slesvicensis. Non tamen ausi diadema tum regium ei imponere. Itaque dilata res est in tempus commodius.

MCCLVIII. Quod haud multo post, anno nimirum eodem MCCLVIII fuisse annotatum est. Tum enim circa festum Martini Haffniæ celebrata sunt regia comitia, in quibus episcoporum quidem nulli, sed ex amicis & consiliarijs regis præcipui ac primæ admissionis præsentes fuère. Hic communi omnium senatusconsultò statutum ac decretum, operam daret rex idq; ad sui securitatem, tum & authoritatem tuendam, ut archiepiscopus episcopiq; nonnulli alijq; plures, prima quaq; occasione, & quicquid inde etiam eventurum foret, custodiæ mandarentur. Seorsim vero detulit ad senatum rex, sibi certò constare archiepiscopum *Iacobum* intercessisse apud pontificem pro *Erico* Abelis filio, ac declarasse quasi liberi ejusdem à se per fas & nefas rejecti sint à justa regni successione, cum & ipse alijq; regni episcopi sanctè Abeli suo chirographo promisissent, liberos scilicet ejus ipsi successuros: Tũ & questum de se quasi ordini ecclesiastico omnibusque pontificijs decretis esset adversus ac gravis; & qui clerum ejusq; clientes tributis vexaret, ideoq; petijsse à pontifice ut se regio diademate privare atque unum ex liberis Abelis vellet sufficere. Addebat & illud rex, fraudulenter & in regni detrimentum ab eodem archiepiscopo conciliatas reginæ *Mechtildis* cum Duce Sueonum nuptias, præsertim cum ipsa Othoniensi episcopo se viduam mansuram voto obstrinxisset. Inde occasiones omnes captavit rex, ut archiepiscopum interciperet, sed nullus dabatur aut locus commodus aut oportunitas, cũ ij scilicet, quibus id committebatur, aut populum, qui cum episcopo, ut plurimum, faciebat; aut fratrẽ ejus, qui Scaniensium castello Helsenburgi præsidebat, sibi metuendum viderent. Erat & alius eidem frater *Nicolaus Erlandus* Lundensium præfectus, qui semper ad reconciliationem, & ea quæ pacis erant, fratrẽ est adhortatus. Sed ejus sana & moderata consilia vento sunt tradita, nec locum habere potuerunt. Sub anni finem igne derepente cœlitus exorto & urbs & arx Ripensium conflagravit, penitusq; est defœdata. Hoc incendium pleriq; ordinis sacri in numen divinum atque iram ejus erga regem quasi episcoporum persecutorem rejecerunt, quamvis & ipse loci episcopus haud minore quàm rex ipse damno affectus est.

MCCLIX. Inde sub anni sequentis initium cum archiepiscopus in vicum Scaniæ Gilsebergam, prope Landeskroniam exiguo cum famulatu venisset, ex improviso ab Henrico Meckelenburgico nec non præfecto Lundensium Nicolao, & quos sibi adsciverat, sub noctem apprehensus est die S. Agathæ sacro; deductusq; in arcem Hagenschouvam, ibi biennium

nium circiter detentus fuit. Capto Lundensium præsule, statim ejusdem ecclesiæ archidiaconum ac præpositum, qui præcipue archiepiscopo à consilijs fuerant, deduci quoq; in custodiam mandavit: Capi præterea *Eschillum* Ripensem episcopum jussit, & idem etiam statui in *Petrum Bangium* Roschildensem voluit: Sed ille fugâ sibi consulens, apud *Iarimarum* principē in Insulâ Rugiâ, quæ ad diœcesin Roschildensem tum pertinebat, secessum invenit: Episcopus similiter Othoniensis regno excedens apud hostes & inimicos regis Alseæ subsistit, eos consilio & opibus, quascunq; per officiales suos e diœcesi sua corradere potuit, juvans: Quod ipsum & Petrus Bangius apud Iarimarum fecit, in eum scilicet episcopatus sui reditus, quâ poterat, largiter conferendo. Cum itaque hoc modo archiepiscopus ceteriq; in vinculis haberentur, continuo anathema clamatum est. Præter ceteros Roschildensis episcopus *Bangius*, præsulis *Iacobi* nepos, & *Iohannes* Othoniensis publicatis codicillis secundum decretum Wedelæ factum, universum Daniæ regnum interdicto subjecêre. Apud pontificem quoque de archiepiscopi ac reliquorum incarceratione graviter conquestus Bangius, culpam omnem in regem conjecit. Dumque idem in Insulâ Rugianorum hæret, apud pontificem præterea *Alexandrum* per literas machinatus est, seduloq; elaboravit, ut datis ad principem codicillis, eum ad arma sumenda & liberandum archiepiscopum ceterosque captivos cohortaretur. Interdictum autem, de quo diximus, postquam esset divulgatum, additâ pontificis ratificatione Viterbij datâ, cum excommunicatione omnium qui reluctarentur, idem templorum valvis affixum est. Et quidem Lundæ, Roschildiæ atque Othoniæ servatum aliquandiu fuit, in Cimbricâ verò Chersoneso (Iutiam dicimus) haud magni est habitum. Rex vicissim Christophorus confestim ad ipsum pontificem provocationem instituit, commonens ejus sanctitatem iniquum sibi videri, ut ordinis sacri homines in causâ propriâ actores essent & judices, præsertim cum interdictum, quod erat publicatum, non à pontifice, sed ab ipsis, qui adversarij sui essent, profectum foret: Nec par esse ut regno toti sacris interdicatur ac salutis beneficio tot millia mortalium priventur ob unius aut paucorum commissa; Quâ ad pontificem provocatione sperabat rex eludere aut saltem exire episcoporum molitiones, dum causa legitimè fuisset cognita. Similiter etiam diploma suum tum temporis evulgari fecit, in quo clerum omnesque sacerdotes severè cohortatus est, ut ad sacrorum celebrationem, verbique divini ac sacramentorum administrationem redirent, nisi reditibus vellent privari. Post id ubi accepisset Roschildensem episcopum *Petrum* & *Iohannem* Othoniensem in eo esse, ut Rugiæ principem *Iarimarum* & Ducem australis Iutiæ *Ericum*, regni hostem, unà cum *Gerhardo* & *Iohanne* Holsatiæ Comitibus, suas in partes allicerent, petijt ab *Haquino* Norvagiæ rege, nec non *Birgero* Sueonum principe, ut sibi juxta pacta conventa auxilio adesse vellent, quod & se facturos promittebant. Sed haud diu superesse dabatur Christophoro. De cujus obitu non omnium est eadem relatio. Crantzius innuere videtur, sub extremum pacificè rebus cunctis administratis, in fata concessisse. Alij & præsertim chronologi domestici, quibus potior hîc fides debetur, referunt durantibus, de quibus memoravimus, animorum motibus, digressum eum in Iutiam Ripas venisse, ut ibi cum episcopo, qui in vinculis erat, sive alijs ex ordine ecclesiastico, quos sibi benevolos ac partibus suis haud adversos comparaverat, familiarius ageret, consiliumque ac modum iniret, quo infausta ista dissidia sopiri & pax optata inter se & archiepiscopum constitui postliminio posset; ac tum, ut simul cum rege ageret, advenisse eodem *Arnefastum* Arhusiensem, quem jam ante, ipso nolente, archiepiscopus *Iacobus* præsulem constituerat; eumque toxico regem sustulisse: idque, ut tradunt nonnulli, hostiâ missaticâ veneno imbutâ, vel ut alijs placet, dum apud eundem convivio excipitur: Cujus *Arnefasti* cur non meminerit in catalogo episcoporum Arhusiensium Vitfeldius, cum tamen ejus in rebus Christophori mentionem faciat, & idem, quod jam attulimus, de eodem commemoret, quod referam non habeo. Illud autem quam execrabile ac horrendum fuerit, sive in ipsâ Eucharistiâ, quæ hominum bono ac saluti animarum est instituta, sive inter sacra mensæ tollere è medio, cui jurejurandi ac fidei datæ ratione obstrictus habearis, quis satis pro merito ac rei indignitate declaret? Sed bonis illis patribus religio non fuit excommunicatum à Papâ interficere: Quod nec nostra tempora ignorare, & sectam eorum, qui se sanctissimo Iesu nomine orbi jactant, docere hodieque ac scriptis etiam palam asserere, dolentibus licet ac publice reclamantibus pijs, satis constat. Hujus Arnefasti an discipulus fuerit, certe eodem in ludo eruditus videtur, ille è familiâ fratrum prædicatorum Bernardinus, qui aliquot lustris post, anno nimirum 1313 Henricum ejus nominis

CHRISTOPHORUS Rex. 1. C.

Imperatorem septimum, nefariè similiter per infectum veneno Eucharistiæ panem, pontifice, ut habet chronicion Slavicum autoris incerti, nequaquam dolente, necavit.

Christophorus igitur fato apud Ripenses hunc in modum functus, eodem statim loci in templo cathedrali circa chori meditullium tumulatus est, cum annos plus minus octo regnasset. Monumentum ejus aliquandiu marmoreum mausoleum impositum habuit, quod paulo spectabatur, quam alia sepulchra, elevatius, sed temporis diuturnitate ità exesum ac detritum ut epigraphe ac characteres, quorum vestigia laterum extremitates indicabant, legi nequiverint. Idem saxum incuriâ postmodum, aut quà aliâ de causâ, ad usus alios translatum nunc eo loci haud amplius visitur. Est autem cathedralis illa Ripensium ecclesia inter regni sacras ædes omnium vetustissima, & præter *Christophori* regis etiam *Erici Emundi* tumulo clara, uti est in rebus ejusdem superius memoratum. Regina *Sambiria*, celebratis mariti exequijs, extemplo de annorum aliquot inducijs cum Holsatiæ Comitibus cœpit agere, ut interea scilicet adolesceret *Ericus* filius, & ità ad regni sceptrum capessendum firmiore ætate uteretur: Scripsit præterea Norvagiæ regi *Haquino* & Sueonum Duci *Birgero*, deque copijs auxiliaribus, quas Christophorus petierat, quæ etiam paratæ aderant, quarum hujus manipuli Haffniam advenerant, illius verò ad Iaderam classis in procinctu stabat, gratias ipsis habuit, adjiciens de inopinatâ mariti morte, & ea occasione inter se & liberos Abelis amotâ belli curâ inducias pro tempore factas. Et, ut ante indicatum, quia Haquinus de *Ingeburgæ* cum filio suo Magno nuptijs agere præsens cum Christophoro ante biennium cœperat, missi hoc tempore ab eodem legati ad Electorem Saxoniæ, Ingeburgæ maternum avum, scitatum illius quoque eâ de re sententiam. Sed ipso amicis & consanguineis sponsæ paternis, qui in Daniâ erant, negotium totum permittente, legati in Daniam festinatò redierunt: atque ibi propius pertentato Ingeburgæ ipsius animo benignè & ad vota ipsorum responsum est. Quæ omnia ubi per legatos accepisset *Haquinus*, statim sub ver proximum septem prætoria navigia magnificè apparata in Daniam ad sponsam deducendam præmisit. Aderant ex regni proceribus episcopus *Haquinus*, *Amundus Crokedancius*, *Paulus Goscus* & *Lodvinus Staurius*. Hi in Daniam ubi advenissent, nihil paratum viderunt, reginâ viduâ alijs regni negotijs plus satis occupatâ. Igitur *Haquinus* episcopus cum ceteris magnatibus ipse ad sponsam profectus ægre obtinuit ut unà decederet. Tandem tamen post longas deliberationum moras assensum præbuit, Magnoque per eundem Haquinum episcopum desponsata est. Inde datis vento velis Tonsbergam primo, atque inde Bergas appulsâ classe, cognitoque sponsæ adventu Rex Haquinus nuptiarum confestim solemnia fieri, ac ipsam tradi in manus filio curavit. Legati autem cum se promisso obstrictos referrent de Magno in regem & successorem parentis inaugurando antequam in thorum sponsæ deduceretur, idem quoque haud multò post effectui datum est, ut habet memoratque prolixius vernaculum Norvagiæ chronicon.

LECTORI.

SUPERIUS *cum stemma* VALDEMARI I *adusq;* VALDEMARUM II *uno alteroque schemate ob oculos proposuerimus, consequens nunc est ut isto etiam loco quàm proximè annectamus Genealogicas tabellas duas; Quibus Valdemari non tantum II adusque regem* CHRISTOPHORUM I, *filium eiusdem, post* Ericum *&* Abelem *reges, natu minimum (de quibus nunc singulis diximus) sed & eiusdem quoque* Christophori I *ad* CHRISTOPHORUM *usque* III, *qui regum horum vetustissimorum est ultimus, stemma ac series exponatur. Et hoc vel eâ præsertim de causâ, quod eiusmodi apodixes non ad lucem modò eorum, quæ sunt memorata, & postmodum hinc ordine memorabimus, perplurimum faciant, sed quod inde quoque ad veras regum principumque stirpes originesque, in quibus plerique Genealogicorum haud leviter passim hallucinantur, percipiendas ostendendasque, ab erroneis ac devijs veluti manu traducamur. Harum tabellarum prior eiusmodi esto:*

VALDEMA-

VALDEMARVS II VICTORIOSVS dictus, Daniæ, Gothorum Vandalorumque rex.

Ei nati ex

Mariâ, *Othonis IV Imp. filiâ liberi nulli. Hanc perperam* Ingeburgam *alij vocant, & filiam faciunt Ducis* Henrici Leonis.

Margaretâ Dagmarâ *Bohemicâ*

- Canutus *Dux Lalandiæ. Obijt anno 1261.*
  - Ericus *Dux Hallandiæ. Vide ad an. 1304.*
- Valdemarus, *ductâ* Eleonorâ, *Alphonsi II Lusitaniæ regis filiâ, haud multo post ex ictu teli obijt: & eum sequuta mox* Eleonora *puerpera.*

Berengariâ *Lusitanâ*

- ERICUS *cognomento* sanctus *Daniæ rex. Ejus conjux* Iuditha Alberti *Ducis Brunsvicensis & Luneburgensis filia.*
  - Christophorus & Canutus *ante patrem defuncti.*
  - Sophia *nupta Sueonũ regi* Valdemaro.
    - Sophia *nupta, videtur* Erico *Duci Langelandiæ,* Langebeẽ *dicto. Vide eâdem hac tabulâ* Ericum Langebeen, *nepotem regis* ABELIS.
    - Rigissa *nupta Poloniæ Dynastæ Prebislao. Vide an. 1285.*
    - Marina. *hanc non Valdemari filiam fuisse sed neptem docet an. 1282.*
    - Ericus. *hunc alij omittunt. vide an. 1285.*
    - Henricus, Ericus, Voldemarus. *Vide ann. 1241.*
  - Agneta *monialis.*
  - Iuditha *compressa à sororio rege Sueciæ* Valdemaro.
  - Margareta *nupta* Burvino *Megapolensi.*
- ABEL *Dux Slesvicensis Daniæ rex. Vxor* Mechtildis *filia Adolphi IV Comitis Holsatiæ.*
  - Valdemarus *Dux Slesvicensis obijt an. 1257.*
    - Ericus *obijt infans.*
  - Ericus *Dux Slesvicensis. Ei ex filia Comitis Holsatiæ* Gerhardi *suscepti.*
    - Abel *obijt infans. hunc omittit Lysander, nominat A. Velleius.*
    - Ericus Langebeen *dictus Dux Langelandiæ. Duxerit juxta Vitfeldium an. 1295* Sophiam *viduam* Valdemari *Sueonum regis. at ea cum mortua eidem memoretur an. 1283 relictâ filiâ* Sophiâ, *verisimilius est hanc* Sophiam *fuisse, quæ Langebenio nupta. Perperam quoque alij huic* Erico *sororem* Gerhardi *Holsatiæ Comitis,* Magni *dicti, conjugẽ tribuunt, cũ ea* Erici *sequentis, ex fratre hujus* Valdemaro *nati, uxor fuerit.*
    - Valdemarus *Dux Slesvicensis; Ei ductâ Ducis Saxoniæ filiâ, natus*
      - Ericus *Dux Slesvicensis, uxorem habuit Holsatiæ Comitis* Gerhardi, *cognomento* Magni, *sororem, teste Crantzio. ex qua natus*
        - Valdemarus *Slesvicensium Dux, qui puer duodecennis ad regnum Daniæ vocatus, inter reges non recensetur. Hallucinantur, qui* Valdemarũ *hunc filium faciunt* Erici Langebenij.
          - Henricus, *quo sine prole defuncto, devenit Ducatus Slesvicensis ad* Gerhardum *Holsatiæ Comitem, filium* Henrici Ferrei. *vid. an. 1386.*
        - Hedevigis *nupta* VALDEMARO III. *Daniæ regi. Vide pag. seq.*
  - Abel: *hunc infantem obijsse vult Lysander. at posthumus fuit, & nata ex eo*
    - Margareta *nupta Helmoldo Suerinensium Comiti. Vide an. 1253.*
- Otto, *secundum quosdam, qui infans obierit.*
- Sophia, *perperam alijs* Iuditha, *nupta Electori Saxoniæ Iohanni ejus nominis I. Vide an. 1248.*
- CHRISTOPHORUS *Daniæ rex. De quo paginâ sequenti.*
- N. *filia nupta Comiti* Bernardo *de Berneborch. vide an. 1259.*

N.

- Nicolaus *Comes Hallandiæ.*

TABELLA GENEALOGICA II. AD REGES ET ANNOS, QUI CHRISTOPHORUM I. PROXIME HINC INSEQUUNTUR, REFERENDA.

CHRISTOPHORVS I DANIÆ REX, Valdemari II filius.

Ei nati ex Margaretâ *Pomeraniæ Ducis filiâ,* Springheſt *dictâ:*

ERICUS Glipping *Daniæ rex. Vxor* Agneta *Marchionis Brandenburgici filia.*

Valdemarus *vitâ functus in aulâ Electoris Brandenburgici* Iohannis II, *ſepultus Ringſtadij.*

Mechtildis *nupta* Alberto *Brandenburgico an Ch. 1271. ei natæ filiæ 2.*

- Beata *nupta Henrico Megapolenſi.*
- Agneta *collocato* Primiſlao II. *Poloniæ regi. quo defuncto, eſt deſponſata* Nicolao *Roſtochienſium dynaſtæ, ſed non ducta, unde lites & bella.*

Ex Erico Glipping:

ERICUS Menvid *Daniæ rex progenuit ex* Ingeburga *Magni Ladeſlai Suecorum regis filiâ*

Liberos, ut vulgo notant, octo. Vitfeldius 14 natos tradit omneſque infantes vitâ functos, & primos quidem gemellos fuiſſe.

Valdemarus *adoleſcens obijt.*

CHRISTOPHORUS II *rex Daniæ. Ei ex* Euphemia *Marchionis Brandenburgici filiâ, nati,*

Martha *ſive* Merethâ *nupta* Byrgero *Sueciæ regi.*

Margareta *nupta* Nicolao Verle. *vide an. 1316. infra.*

- Elizabetha *nupta* Chriſtiano *Oldenburgenſi. vide ad an. 1317. inferius.*
- Sophia *deſponſa Sueciæ Duci* Erico.
- N. *nuptui data Sleſvicenſium Duci* Valdemaro:
- Henricus & Niclotus *filij.*

Ex Christophoro II:

Ericus *prope Gottorpium cæſus.*

Valdemarus, *qui Roſtochy obijt.*

VALDEMARUS III *Daniæ rex. Ei progeniti ex* Hedevigâ *Ducis Sleſvicenſis* Valdemari *ſorore.*

Otho *obijt improlis.*

Agneta & Hedeviga *innuptæ obierunt.*

Metilda *nupta Alberto Brandenburgico.*

Margareta *nupta Marchioni* Ludovico *Imperatoris Ludovici filio.*

Ex Valdemaro III:

Chriſtophorus *cæſus circa Helſingburgum in freto Oreſundæ.*

Margareta *infans obijt. vide an. 1350.*

Ingeburga *nupta* Henrico *Megapolenſi*

- Anna (Maria *alijs*) *in matrimonium collocata Duci Pomeraniæ* Vartiſlao VI. *Ex ijs nati*

Catharina & Valdemarus *infantes obierunt.*

MARGARETA *Regina Daniæ, Sueciæ & Norvagiæ. Ex* Haquino *Norvagiæ rege natus ei*

- OLAUS *Daniæ Rex, obijt improlis, ante matrem 1387.*

Ex Anna et Vartiſlao:

ERICUS Pomeranus, *Daniæ rex, ductâ in conjugem Anglorum regis* Henrici IV *filiâ* Philippâ *obijt improlis.*

Catharina, *alijs eſt* Sophia, *nuptâ Duci Bavariæ* Iohanni *Neoburgico*, *filio* Ruperti *Imperatoris, Bavariæ Ducis*

- CHRISTOPHORUS III *Daniæ rex obijt 1448 improlis, relictâ viduâ* Dorothea *Brandeburgicâ, quam unà cum regno ſibi thori ſociam aſſumpſit* CHRISTIANUS *Oldenburgicus, ex eâ quidem familiâ regum Daniæ primus, ſed qui ſuam quoque proſapiam ad primos ac priſtinos boſce reges, ſed longè accitam, referat, ut ſuo deinde monſtrabimus loco.*

ERICUS

Ericus VI. Rex.

ERICUS REX LXXXV.

Cognomento GLIPPING.

DEFUNCTO Chriſtophoro, regni proceres præcipue ab ejus filio Erico ſe ſtare demonſtrabant, utpote ad regni ſceptrum jam dudum votis & acclamationibus publicis deſtinato. Erat ei cognomentum vernaculum *Glipping*, quod oculis ſcilicet identidem nictaret; quamvis alij *Klipping* videantur ſcribere, & alias notationes, ſed ut mihi videtur, minus appoſitas, adducere. Inaugurationem ejus celebrare Othoniæ parens conſtituerat anno 1258, ſed, ut ante meminimus, renuente Lundenſium præſule *Iacobo Erlando*, alijſque epiſcopis, qui partes adhuc Abelis fovebant, & aliquem ex ejus proſapiâ maluiſſent, ea tunc fuit dilata. Unde & ei mox rebus regni admoto parum etiam æqui ac faventes ijdem fuêre, eum nimirum ut hominem luxurioſum, & ad rerum adminiſtrationem minus habilem proclamantes, odio fortaſſe magis quam veritate, licet interim & vitia ſua habuiſſe, more mortalium naturæ labe contractâ, nemo negaverit; homines enim non dij ſumus. Mater ejus regina *Sambiria*, dum adhuc ipſe ætatis eſſet tenuioris, regimen unà cum ipſo ac regni ſenatoribus adminiſtrabat. Erat enim ipſa ſingulari prudentia, atque animo nequaquam fœmineo fœmina. Et ſanè tali indigebat regnum, quod pater decenni filio adeò turbatum ac undique diſſenſionum fluctibus vacillans reliquerat.

Primus ei motus & antequam Regni diadema ſuſcepiſſet, oblatus eſt ex inſtigatione pontificis Rom. *Alexandri IV.* Scripſerat enim is ad *Iarimarum* principem Rugiæ, ut omni ope ac vi anniteretur adeſſe & vinclis eximere Lundenſem archiepiſcopum: haberi enim haud minimum apud Deum promeritum vindicare in libertatem captivos inſontes, & eum hoc ipſo divinam ſibi gratiam ac ſedis præterea Romanæ benignitatem ac favorem demeriturum. Hac pontificia cohortatione, & inſtigatione inſuper epiſcopi Roſchildenſis *Petri Bangij*, qui, ut ſupra meminimus, ad *Iarimarum* in inſulam Rugiam confugerat, claſſis ibi armis viriſque inſtructiſſima confeſtim expedita. Nec deerant occaſioni Holſatiæ dynaſtæ. Inter primos *Iarimarus* & *Bangius* cum claſſe in mare progreſſi impetum in Selandos vertêre. Ac ſtatim ut in terram exſcenſionem feciſſent, qui à partibus epiſcoporum erant, ſe, prout inter eos convenerat, illis adjungunt. Nec morata regina, convocat extemplo viritim indigenas, quamvis ad prælium nō niſi, qui ſponte ſuâ adeſſe voluerunt, progreſſi. Habituſque haud multò poſt propè Neſtvedam acris inter utroſque conflictus, in quo indigenarum ac colonorum deſiderata circiter decem millia. *Iarimarus* potitus victoriâ, eâ admodum inſolenter eſt uſus, dum cives ceteroſque ad amplexandas epiſcoporum partes adigit, exuſtis paſſim ac direptis per totam Selandiam vicis ac municipijs. Quinto à Paſchatis feſto die Haffniam cepit arcemque diruit. Locus, per quem acceſſus illi in urbem patuit, multis poſt annis ad noſtram uſque memoriam *foſſa Iarimari*, vulgo *Iarmars Gab*, eſt appellata. Antea à milite ruſticano dirutum fuerat propugnaculum, quod extra urbem locatum portui imminebat linguâ populari *Reſſshaleborg* dictum. Epiſcopus *Bangius* in regnum regreſſus renovari ſine morâ interdictum præcepit: & eos, qui à partibus reginæ in prælio Neſtvedenſi pro patriâ proque aris & focis fortiter dimicantes occubuerant, locis conſecratis humari noluit, ſed eos tantum, qui ſe & *Iarimarum* fuerant ſecuti, utpote ob cauſam, ſic interpretabatur, juſtam peremptos.

Interea Holſatiæ Comites in Iutiam Auſtralem factâ irruptione univerſum Ducatus illius diſtrictum ferro ac flammis vaſtabant. Regina verò cum filio Erico inter utroſque poſita apud Fionios ſe continebat, ut inde atque è proximâ boreali Iutiâ vires contraheret. *Iarimarus* ſimiliter quà potuit, vaſtatâ circumquaque Selandiâ, mox in inſulam Boringiam, vulgo *Borringholm*, comitatus archiepiſcopi germano fratre *Andrea Erlando*, procinctum movit; atque arcem *Hamershuſam* dictam, (quam ſicuti & inſulam totam rex Chriſtophorus à Lundenſi diœceſi ſeparaverat) tam diu obſedit ac preſſit, donec extremâ adacti neceſſitate præſidiarij ſe dederint. Hoc propugnaculo potitus, captivos circiter ducentos abduci juſſit, quorum partem ſupplicio affecit, partem cuſtodię tradidit, ut, dato mox lutro, ſeſe redimerent. Verùm reditum haud multò poſt per Scaniam maturans, ac vico cuidam ibidem invadendo diripiendoque occupatus, à fœminâ quâpiam virilis animi, quæ execrabatur graſſatoris inſolentiam, cultello intra abdomen ejus adacto, perfoſſus interijt, pretium ſcilicet hoc ipſo factis dignum reportans. Talis autem ut in fœminâ quàm

ERICUS VI. Rex. quàm viro admirabilior virtus, ità quoque rari exempli hæc in sexu suo habenda, & quæ cum illâ, quæ *Pyrrhum* suâ manu interfecit, viragine haud immerito comparanda.

Sub anni finem Rostochij à reginâ conventus indictus Alberto Marchioni Brandenburgico. Ubi amicè eidem est reconciliata, sublatâ simul; quæ inter eum & regnum hæserat, controversiâ. Erat autem ea de dote, quam sibi Ducissæ Sophiæ nomine deberi monstraverat. Quibus transactis, sententiam ejus de regni regimine rectè instituendo regina expetijt, & quid tali rerum statu optimum factu judicaret, benigne consuluit. Qui & sua vicissim consilia in medium attulit, & quid faciendum statueret, quantum quidem sibi videbatur, haud quaquam celavit.

MCCLX. Anni sequentis initium celebre habitum comitijs ac coronatione Erici regis, qui tum annum circiter undecimum ætatis ingressus fuerat. Visumque eodem tempore proceribus, ut rex archiepiscopo *Erlando* è custodiâ dimisso Lundensem diœcesin redderet, quo ita inimicorum multitudine paulatim levatus auspicia imperij faciliora experiretur. Verum archiepiscopus tantâ tumebat arrogantiâ, ut nec diœcesin capessere, nec conditionibus aut ulla, ut vocant, reciprocâ cautione pacisci vellet, priusquam de causâ pontifex cognovisset. Dimissus Sueciam continuo petijt: cuius primas habebatur. Nec interea apud Romanum pontificem de carcere, innocentiâ ac calamitate suâ per literas agere destitit. Restituti similiter & ceteri episcopi ad suam quisque diœcesin regressus anno

MCCLXI. ineunte millesimo ducentesimo sexagesimo primo. Quo eodem temporis tractu obijt dux Lalandiæ *Canutus*, Valdemari II filius, Erici, de quo agimus, patruus, Ringstadij sepultura honoratus, relicto filio *Erico*, Hallandiæ Duce, qui anno exinde 1304 fato functus Ringstadij similiter conditus jacet. Dimissis archiepiscopo & cæteris præsulibus, interdictum, de quo supra memoratum, minus severè observatum Lundæ alijsque in locis; apud Cimbros vero neglectui fere habitum. Quamvis ubi rex ac regina agerent, seriò exsecutioni mandatum est, quòd episcopi de illatis detrimentis necdum sibi satisfactum quererentur. Occisus sub idem tempus *Olaus*, Borglomensis episcopus, ab equite quodam, cui *Iohanni Globo* nomen erat, ortâ inter eos forte fortunâ privati negotij lite. Qua occasione diœcesis ea tota ad interdictum revocatur.

Rex animadvertens episcoporum pervicaciam, deinde bellis ac detrimentis, quæ inde adversus parentem suum laudatæ memoriæ, tum se ac matrem suam reginam, essent exorta, consideratis, per legatos ac literas salutandum noviter tum electum Romanum pontificem, *Vrbanum quartum* curavit: seriòque petijt ut ab homine iniquissimo *Erlando* Lundensium archiepiscopo regnum liberaret, velletque operam dare, ut regni ejusdem territorio ac diœcesibus pax ac pristina tranquillitas postliminio redderetur, adjiciens se eum in finem transmittere sanctitati ejus criminationes universas, quarum Roschildensem & Othoniensem præsules, tum & archiepiscopum Lundensem reos postularet. Adversus *Bângium* hæc præsertim inferebat, eum post præstitam regi Christophoro fidei sacramentum Haffniam introduxisse regni hostes, ac unà cum ipsis arcem demolitum: pecuniam, commeatum ac reditus quoscunque ex sua diœcesi corradere potuit, tradidisse *Iarimaro*, Holsatiæ Comitibus, alijsque regni inimicis, ut ijs adjuti regem & regnum invaderet: manu item armatâ cum *Iarimaro* Roschildiæ diœcesin ingressum, ac ibi, immani in subditos cæde patratâ, cuncta, quæ à *Iarimaro* fierent, approbasse, homines que circiter 1000 ferro peremptos occubuisse: Et eosdem à se & Iarimaro trucidatos, indignos, qui locis consecratis tumularentur; sed patriæ hostes & qui suarum partium perempti essent, omnibus Christianitatis officijs humandos pronunciasse: Assensum etiam archiepiscopo præbuisse, ne Ericus, qui rerũ modò potitur, regio diademate insigniretur; ac simul inhibuisse ne quis episcoporum inaugurationi ejus interesset, qui verò interesset, eum anathemate feriendum: Ipsum denique nullibi in literis suis regem ac reginam pro rege aut reginâ agnoscere, aut uspiam eo titulo nominare. Similiter & Othoniensis episcopus insimulabatur, præter cetera, quod conscius fuisset cædis in regem perpetratæ, quod brachio carnali nisus, & præsertim Abelis authoritate abusus, ad præsulatum Fionensem fuisset evectus: Quodque in comitijs Othoniensibus cum rex Christophorus filium Ericum, nunc rerum potientem, coronandum vellet, urbe excesserit, atque ità coronatio tunc dilata sit: Quod diœceseos suæ reditus Holsatiæ Comitibus permiserit, ut, ijs acceptis, regnum oppugnarent: Quod in arce Holsatiæ *Alse* dictâ cum hostibus regni adversus regem consilia inierit: aliaque ejusmodi in regis ac regni præjudicium patrârit. Archiepiscopum verò, inter alia, quæ superius pro parte fuerunt recitata, accusabat, quod, licet regi

ERICUS IV. Rex.

regi similiter fidei sacramentum præstitisset, nihilominus cum Iarimaro & Holsatiæ dynastis fecerit, atque illos re consilioque adversus regem juverit; quod fassus fuisset suo jussu atque instinctu ducentos circiter à Iarimaro & fratre ejus Andreâ in insulâ Borcholmia ex regijs clientibus trucidatos, atque alios miserabili affectos supplicio, adductosque in custodiam alios ac arcem denique ejusdem insulæ solo æquatam: Quodque Erici inaugurationem impedierit, etiamsi certum jam antea inaugurationis diem constituisset: quod literas ad pontificem dederit pro Abelis liberis in regis ac posterorum ejus præjudicium: Quod illos à *Iarimari* & *Bangij* milite trucidatos rusticanos atque indigenas, jure cæsos, nec dignos pronunciarit, quibus humationis officium in loco consecrato commodaretur: Quod Romæ apud Papæ tribunal de rege suo malè existimans eum non esse catholicum, sed hæreticum proclamarit.

Post hæc Ericus, utpote rex solenniter jam inauguratus, conveniebatur super Iutiæ australis Ducatu, ut eum *Erico* Abelis filio (defuncto jam sine liberis *Valdemaro* ejus fratre) cum imperio ac potestate traderet. Sed modus, quo id rite fieret, haud parum difficultatis injiciebat. Existimabat enim rex, ejusq; mater regina excidisse *Ericum* omni jure istius Ducatus, quod cum patriæ hostibus, cumque episcopis fœdus fecisset, ac regno, unà cum *Valdemaro* fratre, bellum movisset. Interea tamen passuros se indicabant, ut præfecturam eam acciperet more majorum, & ad gratiam, non verò, quod ipse cupiebat, in perpetuum & quasi hæredium. Qui territorium idem incolebant plerique sua sponte Ducem sequebantur. Unde mox bellum. Nam præter id, etiam Holsatiæ Comites *Gerhardus* & *Iohannes*, avunculi ejus, ope suâ haud defuere, utpote qui communẽ sibi principem, quàm regnũ aut regem vicinum malebant. Itaque non ab illis solum, sed aliunde quoque acceptis auxilijs, Ducatum *Ericus* intrat, ut eum veluti hæreditarium teneat. Rex verò & mater ejus regina *Sambiria*, se ex adverso ad bellum accingunt. Convenitque utriusque exercitus in campo Leonino, vulgo *Loheide* vocitato. *Petrus Findius* Marschalcus regni, & *Ivo Tagonis* Danorum signis præerant; *Ericus* Holsatos ducebat. Commissumq; peracre prælium, & erant jam in fugam acti Holsatorum pedites, cùm ecce sive metu, sive dolo seu necessitate potius pressi *Findius* & *Ivo* cum equitatu suo recedere incipiunt. Quo viso, pedites qui superiores eousque fuerant, disperguntur & ipsi. Unde à parte Ducis stetit victoria. Præter cetera, rex ipse captus cum matre regina, qui in pago proximo commorantes, priusquam de eventu quicquam accepissent, à milite præventi sunt. Regina Slesvico Hamburgum deducta, rex in arce Alsæ sub Ducis custodiâ mansit. Slesvicensium præsul *Nicolaus* Iohanni Comiti demandatus, alijque alijs. Archiepiscopus *Erlandus*, accepto tam læto nuncio, extemplo relictâ Sueciâ in proximam Daniam redijt.

Retulimus superius ad annum MCCXXXIX *Adolphum* Holsatiæ Comitem è principe monachum factum, seque minorum apud Hamburgenses fratrum collegio suâ sponte adjunxisse, commendatâ filijs suis *Gerhardo* & *Iohanni* sub curâ Abelis Comitatuum administrationem. Is hunc annum fatalem ac ultimum habuit, postquam annos integros viginti non tantum intra monasterium mansisset, sed & sacerdotis quoque, indultu pontificis, munia omnia obijsset: Haud immerito comparandus illustribus viris, & inter exempla principum recensendus, qui depositâ omni dignitate ac rerum civilium curâ similem vitæ clausulam fecerunt: Cujusmodi fuere *Diocletianus, Anastasius II, Theodosius III, Isacius* & *Michael Comneni, Michael Ducas* & *Iohannes Cantacuzenus*, *Iohannis Palæologi* in imperio consors. Hi omnes, excepto *Diocletiano*, Christianis sacris imbuti, abdicatâ principali majestate in monasterio vitam finierunt. Diocletianus etiam ipse haud inter postremos imperatorum habendus, si excipiantur, quæ errore gentilium deceptus in Christianos peccavit, post administratum virtute summâ ac prudentia totos XX annos imperium Nicomediæ se eo abdicavit, anno Christi CCCVIII, & Salonæ apud Dalmatas, hortorum culturâ vitam oblectans, privatus discessit. Quos inter quoque jure connumerandus Imperator *Carolus V*, qui avorum memoriâ in summo humanarum rerum fastigio constitutus, translatis in filium Philippum regnis ac ditionibus, imperio verò *Ferdinando* fratri commendato, atque inde ad Hispanos profectus, ibi seorsim ac sibi, quod vitæ supererat, transegit.

Anno qui proximè superiorem excepit, millesimo supra ducentesimum sexagesimo secundo, non diu moratus, de quo diximus, archiepiscopus è Scaniâ in Iutiam australem concessit. Ubi id præcipuè negotij sibi sumsit, ut episcopus Slesvicensis *Nicolaus*, & regina, qui honestâ potius custodiâ, quam carcere eousque detenti fuerant, duriore conditione haberentur; adeò ut episcopo catenæ & compedes injecti; Regina, additis excubijs, diligentius MCCLXII.

ERICUS VI. Rex. A. C.

diligentius servata fuerit. Supra memoravimus, sponsalia facta inter *Sophiam*, D. Erici filiam, & *Valdemarum*, qui *Erico Blæso* avunculo suo Sueonum regi proximè successit: Eas nuptias cum jam, captâ reginâ ejusque filio rege, urgeret nihilominus *Valdemarus*, occasionem hinc sumsit regina eam rem ad Brunsvicensem & Luneburgensem Ducem *Albertum*, sponsæ maternum avum, referendi; ut is in Daniam accedens sponsam in Sueciam deduceret; ac simul de sua ac filij liberatione, assumtis etiam alijs amicis, ageret. *Albertus* reginæ aurem præbens absque morâ advenit; deductaque in manus *Valdemari* Enecopiam nepte suâ Sophiâ, ac mox Plonensi castro apud Holsatos expugnato, de rege exinde ac reginâ dimittendâ seriò cum Holsatiæ Comitibus alijsque cæpit agere. Et quidem haud multò post liberata regina, cum eodem *Alberto* transegit, ut is tutorio titulo, utpote regis avus regnum eousq; administraret, dum volente numine, ipse Ericus è custodiâ dimitteretur. Dux & hoc admittens regni curam assumsit; ostenditque inimicos & hostes sibi esse, quicunque D. Erico genero suo ejusq; deinde filio Christophoro, & nunc Christophori filio se adversarios præbuissent. Uno nomine culpatur, quod nimiâ severitate usus, dum facinora quorundam persequitur, ædes quoq; sacras ac monasteria promiscuè spoliarit. Nam eâ occasione excita denuo per episcoporum nonnullos populi rabies se Duci opposuit, & obsesso Arhusiæ munimento, illud & captum & direptum funditus destruxit.

Regina postquam ad lares & regni clavum redijt, excedere è regno jussa Esberni Snarei filia *Ingeburga*, Petri Strangij relicta vidua, quod nimirum cum hostibus regni occulta agitare consilia crederetur. Sed dimisâ reginâ tenebatur adhuc episcopus Slesvicensium *Nicolaus*, quem *Ivo Tagonis*, cujus supra meminimus, copiarum præfectus, occupatâ per insidias domo, quâ servabatur, liberum abduxit devehiq; fecit, ad prædium ipsius episcopale, quod *Tream* vocabant. Post hæc omnem movit lapidem regina, ut filius quoque Ericus è vinculis eximeretur. Quod & tandem obtinuit, ità tamen, ut eum vicissim Marchio Brandenburgicus *Otho* assumtum asservaret, ac traderet interea ejus loco Holsatis *Rendersburgum*, quod in pignus 6000 marcarum argenti Marchio retinebat. De cetero & summæ istius solutione Marchionem cum rege agere ac pacisci permittebatur.

Inde regina clanculum per *Matthiam Flotorpium* apprehendi *Petrum Findium* Mariscalcum, qui apud Fionios in prædio suo *Areschou* agebat, nec non *Ivonem Tagonis* mandavit. Utrumque Neoburgi deduci, ac ibi de utroque pronunciari mandavit. Quod nimirum in mediâ acie regem ac dominum suum deseruissent, dedissentque occasionem regiæ ac suæ multorumque nobilium captivitati, tum & calamitati, quæ inde in regnum redundasset. Lataque sententia est, vita eos ac bonis suis excidisse ac publico extra opidum suspendio afficiendos. Hinc Dux *Albertus* jussu reginæ in totum dirui fecit hæredium ejusdem Findi *Areschou*.

Solverat sub anni hujus ver *Haquinus* Norvagiæ rex, cujus mentionem supra fecimus, cum navibus centum quinquaginta petiturus regni sui insulas occidu[illegible], quas alij *Hebridas*, alij *Æbudas* vocarunt, ut eas nimirum à Scotorum injuriâ ac vastationibus defenderet. Scotici annales aliam belli causam adducunt, prætendisse nimirum Haquinum majoribus suis insulas aliquot à Machbetho promissas fuisse, quæ nondum essent redditæ, Botā præsertim & Araniā, & utramq; Cymbrā, quæ nunquam inter Æbudas numeratæ fuerant. Primo appulsu Æram accessit, quod opidum est Coilæ maritimum. Hîc milite in terram exposito, vicina loca, captis arcibus, suam in potestatem redegit. Mox se illi conjunxit rex *Magnus*, qui Mannorensium insulam tenebat, & *Dugalus* Sudorensium regulus. Horum supplementis auctus numerosam suorum manum in oram, quæ est è regione Botæ, descendere fecit, quæ & maximis damnis affecit incolas ac tributariæ insuper pensioni eosdem subjecit. Scotici scriptores duplici hîc infortunio perculsum Haquinum tradunt: Primum quod cū Alexandro III Stuarto, ejus, qui ex eâ familiâ primus in Scotiâ regnum gessit, proavo congressus, & à multitudine prope circumventus, trepidè ad naves refugerit; deinde quod navibus fœdissimâ tempestate vexatis, cum paucis, qui superfuerunt, ægrè ad Orcadas delatus sit. At Norvagiæ chronicion vernaculum, priusquam in terram miles expositus fuit, de pace ineundâ tractationem institutam ait, & regem, cum inter se convenire non possent, Scotis certamen obtulisse, eâ lege, ut utra pars superior foret, penes eam quoque jus ac victoria staret. Sed Scotis multitudinem ac vires Norvagorum suspicientibus, dilatum ulterius colloquium, ac mox impetum, ut retulimus, factum in oras continentis, sicque abjectis prædis imperatoque tributo, tum & insulis omnibus, quas rex Norvagiæ Magnus, *Barfoed* dictus, Scotis ereptas Norvagiæ adjunxerat, recuperatis, ad classem

classem regressos, ac mox, ortâ cœli fœda intemperie, ex classe, qua advenerant, naves decem, priusquam ad Orcadas pervenirent, vi ventorum disjectas, naufragio perijsse. Ità Chronicon, addens Haquinum porrò, ubi ad Orcadas accessit, ibi hibernare constituisse: Et mox viginti ex totâ classe navibus secum retentis ceteras domum remisisse, datis ad filium Magnum literis, quibus ei legum ac regni curam commendabat. Indeq; haud multo post oborta insomnia, atq; ex eâ corporis ægritudine, quæ & paulatim auxit, sub decimum tandem quintū Decemb. diem obijsse, cum regno præfuisset annos circiter quadraginta. Annales Scotorum ad animi ægritudinem morbi causam referunt, conceptā ex mœrore amissi exercitus, tum & morte propinqui ejus juvenis fortissimi, cujus nomen non traditur. Qui annales & hoc addunt, Alexandrū exinde regem navibus circummissis, Mannam insulā inter Hiberniam & Scotiam medio ferè cursu sitam, eâ lege recuperasse, ut insulæ regulus, quoties opus esset, decem naves longas ad regem mitteret; rex verò eum ab hoste externo defenderet: eamq; amicorum inclinationem cum reliquæ insulæ secuturæ viderentur, Magnum Haquini, quem diximus, filium, de pace legatos misisse: quam cum Alexander, nisi receptis Æbudis, recusaret; tandem pacificatoribus ultro citroq; commeantibus, convenisse, ut Æbudas Scotus teneret: in præsentia verò vel, ut alij, diversis vicibus 4000 marcarum argenti; in singulos autem annos centum marcas numeraret: Præterea ut *Margareta* Alexandri filia quatuor annorum puella, cum per ætatem commodum esset, *Haquino* Magni filio ex *Ingeburga* divi Erici Danorum regis filiâ suscepto, nuberet.

ERICUS VI. Rex. A. C.

Sequenti anno, cum Ericus Australis Iutiæ Dux, ægre ferret liberatum è carcere episcopum Slesvicensem operâ, ut meminimus, Ivonis; obsideri ac dirui, in quo episcopus agebat, prædium curavit, & eum durioribus vinclis compingi, idq; potissimum, ut fama ferebat, de consilio episcopi *Iohannis Grandij*. Postmodum tamen regina, suscepto identidem ejus patrocinio, eum è custodiâ liberavit. Sed libertati mox redditus, eodem hoc anno, vel ut alij MCCLXV expiravit, dato ei successore, cui *Bondo* nomen erat. Anni ejusdem initio, qui fuit XXII Cal. Aprilis, delatum est funus *Haquini* regis prætorio navigio Bergas Norvagorum, atque inde haud multo post, celebratis cum ingenti solemnitate exequijs, depositum est sepultumque in æde, quæ ibi est, cathedrali, verba faciente filio ejus *Magno* atque omnibus, qui aderant, supremi hujus officij nomine agente gratias. Quâ in ærâ obitus ac sepulturæ Haquini constituenda secuti sumus Chronicon vetus Norvagiæ vernaculum, à nobis jam iterum iterumq; laudatum: Nam regulorū illud Manniæ Memoriale, quod evulgavit v.cl. *Guliel. Camdenus*, obitum ejus integro biennio anteriorem videtur facere, modò rectè excepti sunt numeri. Habet enim: *Anno 1260. Haco Rex Norwegiæ venit ad partes Scotiæ, & nihil expediens, versus ad Orcades ibi apud Kirckwas moritur, & sepultus est Bergæ.* MCCLXIII.

Rusticanorum interea apud Danos populus, qui, ut ante meminimus, concepto adversus *Albertum* Brunsvicensem odio, eum quacunque dabatur, impetebat hoc præcipuè tempore, obsessâ arce Helsinborgensi, atque eadem mox captâ, propemodum vivum cepisset, nisi naviculâ, quæ forte fortunâ ad manus erat, conscensâ, sibi consuluisset. Inde, regno relicto, cum se Saxonico bello miscuisset, captus est à Marchione Misnensi, ac toto ferè biennio detentus non nisi grandi ære numerato è vinculis dimissus est. Cum verò, ut supra relatum, res captivi regis eo essent deductæ, ut ipse Marchionibus Brandenburgicis esset permissus, necdum tamen libero cœlo perfrui ei concessum, donec tandem nuptiæ Hamburgi habitæ inter filiam Comitis *Gerhardi* & *Iohannem* Brandenburgicum *Othonis Longi* & *Alberti* fratrem, ijsque interesset quoque mater regina, associata regni aliquot præsulibus, regis demum negotium ita actum, ut ipse liber dimissus, Ducem *Ericum* præfecturâ Ducatus Slesvicensis sub jure clientelari frui permitteret: inter reginam verò, & regem, nec non Marchionem Brandenburgicum, eo modo convenit, ut rex cum id esset ætatis, duceret in conjugem *Alberti* Brandenburgici filiam sine dote, ob debitum nimirum 6000 marcarum argenti, quod in se Marchio assumserat. Quibus omnibus sacramento ac chirographis utrimque signatis, rex regno suo redditus est.

Sub finem ferè anni, decimo scilicet septimo Cal. Decemb. habitus Lundæ conventus, in quo, præsentibus Daniæ, Sueciæ & Norvagiæ delegatis, tractatum de bonis patrimonialibus *Sophiæ, Ingeburgæ, Agnetæ* & *Iudithæ* filiarum divi Erici. Quorum delegatorū rex Sueciæ designatus Valdemarus ejusq; conjux *Sophia, Carolum, Ingemerum* & *Benedictum* transmiserant: E Norvagia regis Magni & Ingeburgæ nomine venerat *Hamundus Harrilsonius* & *Niclotus*. Quibus & suos rex Danorum adjunxerat. Eodem mox tempore virginum altera Agneta monasticum habitum induta, Roschildiæ cœnobium exædificari fecit D.

ERICUS VI. Rex. A. C. MCCLXIV. Agnetæ sacrum: cui & postmodum se quoque Iuditha applicuit, sed alio respiciens in eo vitæ genere haud diu perstitit, ut inde referetur. Obijt hinc anno MCCLXIV Holsatiæ ac Vagriæ Comes *Iohannes* relictis post se tribus filijs *Iohanne*, *Adolpho* & *Alberto*, unicâq; filiâ, quæ nuptui tradita *Othoni* Brandenburgico.

Rex sui juris ac potestatis jam factus, quod comperisset, se ab Holsatis detento, omnia egisse archiepiscopum *Erlandum*, ut non tantum duriore custodiâ episcopus Slesvicensis Nicolaus asservaretur, sed & suæ ac reginæ matris suæ liberationi impedimento semper atq; obstaculo, qua poterat, fuisse, iterato ad Rom. pontificem *Vrbanum IV* literas dat, eum obtestans rogansq; ut pacis ac tranquillitatis regni causâ faciat à se facessere dictum archiepiscopum, se vicissim obsequium omniaq; sua officia Romanæ sedi deferre. Inde Borringholmiæ copias admoveri rex imperavit, operam nimirum navaturus, ut ea insula atq; arx Hamershusia ad regni obsequium reduceretur. *Vrbanus* interea acceptis regijs literis, paulo ante obitum archiepiscopo scribit, eiq; author est, ut sua sponte ac ultro dioecesi Lundensi renunciet; comperisse enim se Lundensem ecclesiã, quæ eminere præ ceteris solebat, nunc ejus avaritia atq; ambitione, tam quod ad spiritualia quam temporalia planè pessundatam jacere; utpote quæ olim sex millium marcarum Sterlingi reditibus abundaret, nunc vix centum marcarum proventus habeat. Hinc sacramenta ab eo violata, machinationes etiam ac fœdera cum regni hostibus inita enumerat, quod author Iarimaro fuerit trucidandi ducentos ex regijs clientibus, atq; exscindendi arcem regiam in insulâ Borringholmiæ; quodq; post electionem regis, unanimi ipsius omniumq; consensu celebratam, stolidè se regi opposuerit, dictans nec esse eum, nec fore regem: quodq; coronationem deinde illius impedierit, & mox coronatum excommunicarit unà cum ijs qui coronationem sua vel ope vel favore promoverant: Quodq; regem Ericum ejusq; matrem reginam ac reverendum in Christo fratrem suum Nicolaum, Slesvicensem episcopum, ab hostibus captos gaudens, episcopo præterea nullis adhuc catenis gravato, suo hortatu obtinuerit, ut compedes injicerentur. Quas ob caũsas aliaq; facinora, quæ brevitatis ergo præterire se ait, denunciat, eum non solum regis, reginæ ac regni iram atque indignationem incurrisse, sed Deum etiam Opt. Max. graviter offendisse: Postremò recensens ea, quibus idem archiepiscopus, mutando ecclesiæ statuta, fideiq; articulos rescribendo, adversus quoq; ecclesiam Rom. peccarit; quodq; *Amfastum*, quem sciebat regis ac regni esse inimicum, suo ductu atq; authoritate ad ecclesiam Arhusiensem promovisset; qui & regis Erici laudatæ memoriæ parentem Christophorum, dato veneno, sustulisse perhiberetur, eum denuò hortatur ac monet, ut se respiciat nec diutius abuti pontificiâ lenitate velit, sed ultro se munere abdicet, ac locum det Hallemstadensi Priori, quem & eo nomine ecclesiæ Lundensi vult esse commendatum &c.

MCCLXV. Mox eodem hoc anno, vel ut alij, proximè sequenti *Vrbanus* Papa, res inter *Guelphorum* & *Gibellinorum* factiones animo versans, Perusij, cum omnia ex voto minus succederent, mœrore, ut volunt, obijt. Apparuit eo tempore *Cometa* usq; adeo magnus, ut post hominum memoriam nunquam similis fuerit visus: vesperi in orientali plagâ supra horizontem cum incredibili splendore ascendebat; & usq; ad circulum meridianum perveniens, versus occasum declinabat, & magnam lucidamq; caudam secum trahebat. Duravit circiter menses tres: desijtq; tandem eadem nocte, quâ *Vrbanus* ex hac vitâ migravit. Ei *Clemens IV* patriâ Narbonensis, *Guido Felcodinus* antea dictus, & tunc legationibus, quas in Anglia & his in oris obibat, districtus, decimũ post mensem surrogatus est. Comperto Urbani obitu, *Erlandus* Lundensium archiepiscopus ad novum salutandum pontificem accingitur, sperans se eo, quicunque is foret, Urbano saltem propitiore usurum.

Interea rex post longam obsidionem suæ potestatis fecit arcem Borrincholmiæ Hamershusam: interq; captivos fratrem quoq; archiepiscopi *Andream* carceri includi mandavit. MCCLXVI. Sequens annus MCCLXVI funestus ac fatalis accidit *Byrgero* Sueciæ Duci, qui, ut supra patuit, dum adhuc esset junior filius ejus *Valdemarus*, cuncta regni negotia, solus administrarat. Sed eo jam defuncto ad ipsum Valdemarum rerum cura delata est. Ei frater erat non unus. Itaq; ut æmulationibus, quæ inter tam propinquos solent exoriri, ansa præcideretur, de patrimonio quod ijs à patre Birgero relictum erat amplissimum, dividendo cœptum agere. Estq; *Benedicto*, qui jam ante episcopus Lincopensis erat designatus, Finlandiæ Ducatus attributus; *Erico* etiam, præter paternas possessiones, haud contemnenda regni portio tradita: *Magnus* autem Dux Sudermanniæ aliarumq; terrarum princeps appellatus, ità se numero ac virtute comitatus cæpit attollere, ut ejus aula nihilo videretur regiâ

regiâ majestate inferior. Quod cum regi cœpisset displicere, aliquandiu occultata quidem invidia est, at sub extremum eousque prorupit, ut alter alterum regno pelleret. Cui & fomitem addidisse volunt, quæ exstinguere debuerat, *Sophiam* conjugem. ERICUS VI. Rex. A. C.

Eodem tempore *Guido*, de quo supra diximus, Cardinalis Sabinensis à Papâ Urbano paulo ante ejus obitum huc transmissus, advenit, ut inter regem & episcopos medium agens id operam daret, ut sublatis intestinis dissidijs pax ac tranquillitas regi regnoque redderentur. Is postquam à regiâ majestate ut summi pontificis legatus honorifice esset exceptus atque omnia ex rege probe cognovisset, promisit, se, quod jus atque æquum foret, exsecuturum. Quamvis ab ijs, qui regi adversabantur, ita sibi persuaderi ac deliniri sivit, ut plus illis, quam rei æquitati concederet. Diemque exinde Slesvici indixit, quo regem ejusque adversarios peremptoriè, ut dici solet, vocari curavit. Sed rex confestim quod ad citationem excepit, & locum præsentem sibi minus esse commodum, datis ad ipsum Cardinalem literis, prolixè declaravit: Demonstrans præterea jam ante consensisse Cardinalem sibique ac regni proceribus permisisse, statuere de loco tuto, & omnibus ad tam sanctum pacis ac compositionis negotium tractandum commodo: Itaq; mirari tam subito mutatâ sententia imperium atque authoritatem hanc sibi sumere: ideoq; provocare se ad pontificem Rom. non tantum suo sed etiam reginæ matris suæ, cujus tutelam suscepisset, tum & reliquorum sibi fide atq; obsequio subditorum nomine. Hac denunciatione & ad Romanum pontificem regiâ provocatione acceptâ Cardinalis, Lubecā abijt. Quò etiam, præter episcopos *Petrum* Roschildensem, *Eschillum* Ripensem nec non *Bundonem* Slesvicensem, archiepiscopus Lundensis *Erlandus* (qui ad iter, de quo diximus, Romanum accinctus, superventu *Guidonis* substitisse videtur) acceleratò advenit. Hic in regem ejusque matrem reginam, & quicunque cum ijs facerent, seque Slesvici sistere recusassent, cujusmodi erat inter episcopos *Tycho* Arhusiensis, *Johannes* Borglomensis alijq; prælatorum, fulmen sui anathematis de novo vibrant, omnibusque sacris interdicunt. Addebat & literas suas Cardinalis, quibus imperabat, ut toto districtu Borglomensi interdictum servaretur, ob cædem, quam in episcopum *Olaum* perpetrarat *Johannes Globus*: ac regi similiter serio mandavit, ut in idem facinus animadverteret, modò esse iræ filius ac crimine ejusdem suspectus nollet. Dabat præterea tunc temporis idem Cardinalis ad episcopum Lubecensem literas, in quibus, præter cetera, cum sub pœnâ depositionis adhortatur, præcipitq; ut per totam suam diœcesin in omnibus templis, præsertim dominicis ac festis diebus, excommunicet regem ac reginam Danorum, eorumq; asseclas, *Tychonem* episcopū Arhusiensem, *Johannem* Borglomensem, *Agonem* Priorem, *Bodonem* Præpositum Roschildensem, *Petrum Abbetum, Nicolaum Hestium, Nicolaum Carrium, Agonem Eldium* ordinis prædicatorij, *Erlandum* archidiaconum Lundensem, *Nicolaum Torchillum*, ac *Torrium* Lundenses canonicos, fratrem *Henricum* Priorem Anderschovensem, *Iacobum* Presbyterum Flemingensem, magistrum *Nicolaum Wittium, Petrum Abyn, Petrum Sletium, Agonem* diaconum, *Ionam Futium, Ionam* Priorem Dallumensem, *Ionam* Præpositū Fimbriæ: Quos omnes ac singulos, quod interdictum insuperhabeant, & alios ad insuperhabendum ac contemnendum illud instigent esse anathemate percussos pæcipit, idq; cereis accensis ac pulsu campanarum per eum omnibus denuncietur mandat. Hac relictâ apud Danos fragrantiâ, sive fœtore potius, Cardinalis Romam ad suscipiendum, qui illi, ut diximus, delatus erat, pontificatum decessit. Atq; ibi, mutato *Guidonis* nomine, *Clemens* est appellatus. Quo & eum secutus aut comitatus *Iacobus Erlandus* Lundensium archiepiscopus, qui & ibi toto septennio ad ann. scilicet 1274 cum celebraret Lugduni Concilium *Gregorius X*, de quo infra dicetur, substitit, ut notat quidem Witfeldius: quamvis Erici regis chronicion, ad ann. 1268. iterato redijsse eum ad Romanā curiam videtur innuere. Isti autem pontificio interdicto à Guidone promulgato, quod occasionem dedisse cædi *Abelis* in fratrem *Ericum* perpetratæ narret continuator Annalium *Baronij Bzovius* ad ann. 1251, id tantum abest, ut ipsi potius Abelis posteri &, qui ijs ad regni solium contra fas & æquum promovendis studebant, episcopi, quod ex dictis huc usq; patere potuit, ejus causa ac flabella fuerint. Estq; in eo quoq; notanda *Bzovij* à verò deviatio, quod Guidonem Cardinalem missum à pontifice ad regem Abelem fratricidam castigandum referat, cum Abel, adveniente in Daniam Guidone, tribus propemodum jam ante lustris ab Eidorensibus cæsus fato suo esset perfunctus.

Qui superiorem excepit annus sexagesimus septimus supra mille ducentos, nulla admodum re memorabilis habetur, nisi duorum funeribus *Ingeburgæ* nimirum, quam annales dominam de Callenburgo nominant; & *Kiliani* Viburgensis episcopi, viri claris natalibus, ac MCCLXVII.

H h ij partium

partium semper bonarum tenacissimi. Unde & Cardinalis *Guido*, cujus supra meminimus, ei episcopatum sponte abdicanti Petrum surrogaverat: Ingeburgam verò ex Vidorum fuisse prosapiâ, utpote Esberni Snarei filiam supra injecimus. Ubi & regno exactam diximus sive suâ sive suorum culpâ, parum liquido ex rerum memorijs constat: id tamen certum habetur, eâ occasione *Callenburgum* ac *Sebugardiam* regno adjecta accessisse. Cumque Slesvici exulē obijsse referatur, verisimile est *Erici* Ducis atq; Holsatorū partem secutam.

MCCLXVIII. Rex deinde anno proximo redemptam à Duce *Erico* Coldingæ arcem, veluti claustrum atq; objicem regni novis fossis ac propugnaculis muniendam fecit. Urbem etiam ipsam, quà austrum spectat, additis circumquaq; pomerijs multò quam ante illustriorem reddidit. Ac mox ad locum, quem *Faurndale* indigenæ appellant, dicto die Suecorum regem convenit Valdemarum, habitisque utrimque de regnorum suorum negotijs sermonibus, quisque ad sua regressus est. Notant chronologi die S. Benedicto dicato maximam fuisse ventorum vehementiam, & æstatem præterea, adeo fervidam ut similem mortalium nulli meminissent, annum nihilominus frugibus ac rerum omnium ubere proventu extitisse fertilissimum.

MCCLXIX. *Albertus* Brandenburgicus anno sequenti filiam regis Christophori, Erici sororem *Mechtildam*, missâ ad regem honorificâ legatione, sibi in conjugem expetijt. Quorum deinde nuptiæ celebratæ propemodum biennio post *Sophia* quoq; Suecorum regina, *Valdemari* conjux, eodem circiter tempore nepotē suum regem Ericum, ex intervallo visum accessit: ac divi simul Erici, parentis sui, monumentum Ringstadij venerata, animi ibi ac devotionis suæ cultū deposuit. Sustulerat paulo ante ex eâ Valdemarus filiolam cui etiam *Sophia* vocabulum erat. Operam eodem hoc tempore Ericus rex haud segnem navavit, in constituendis regni legibus, quæ & populo universim magno tum usui fuerunt. Eæ gentis vocabulo *Birckeret* indigitatæ, quas exinde Christophorus Bavarus suo ævo recognovit, & multò quam ante castigatiores reddidit. Circa finem anni mortē Viterbij oppetijt *Clemens* pontifex, cum paulo ante, adjuvante *Carolo* Andegavensi, *Conradinum* bello captū, Frederici Imp. nepotē contra jus & morē militiæ, gladio percuti fecisset, tali in eum latâ sententia; *Conradinum, quoniam ecclesiæ pacem turbasset, regium nomen sibi falsò assumsisset, & regi ipsi mortem intentasset, morte damnari.* Memorabile est quod notant illius ævi chronologi, ministro, qui illi caput amputarat, alterum statim paratum fuisse, qui eidem vicissim cervicē feriret, ne unquam gloriari posset, se illius sanguinem fudisse, qui è tantâ familiâ prognatus fuisset.

MCCLXX. Sequenti anno cum ad regem esset delatum Noviogardios, Moschos, Lituanos, & Semigalenses magno impetu in oras Esthonum irruptiones fecisse, & aliquot eorundem territoria vi occupata tenere, missus est eò cum imperio satrapa *Matthias* ut regio præsidio, quod Revaliam defendebat, auxilio accederet, ac simul barbarorum insolentiam compesceret. Ille officij mandati haud immemor, aciem adversus eos instruit, ac mox congressus manumque fortiter conferens ipse inter primos occubuit, lætam quidem regno sed morte suâ mixtam mœrore victoriam relinquens.

MCCLXXI. Proximus, qui antecedentem excepit, annus millesimus ducentesimus septuagesimus primus *Alberti* Marchionis Brandenburgici *Mechtildæq;* nuptiarū solemnitate celebris fuit. Erat ea, ut supra meminimus, Erici regis germana soror, & ipsa Marchioni paulo ante per legatos desponsata. Sed peractis nuptijs haud multò post bellum insonuit. Uterque enim Ericus Rex, & Dux Slesvicensium, denuo ad arma convolarunt. Et regi præcipuè ægre erat suos villicos qui ad se hæreditatis jure in illo Ducatu spectabant, plus alijs gravari, nec ut cæteris legum ac juris usum petentibus concedi: quodque Dux à rege evocatus, venire tardasset; Erat & lis de *Alsæ*, alijsque in proximo insulis, quas rex ad regnum, Dux verò ad Iutiam australem pertinere existimabat: Similiter quoq; de limite Ripensi deq; bonis paternis, quæ in Ducatu erant sita, sicuti & de illis possessionibus, quæ regis Abelis liberi intra regni districtum habebant, controvertebatur. Quibus fortasse & carceris, quo & ipse & mater à Duce detenti fuerant, accessit injuria animusque vindicandi cupidus. Itaque ingenti militum manu rex Ducatum invadens omnium primo *Tynderslotam* capit, ac solo æquat. Inde *Haderslebiam*, *Flensburgum* ac totum fere Ducatum sui juris facit, præsertim cum vires, quas in adversum ducebat Dux Ericus, flocci faceret, nec ad manus essent, qui auxiliari poterant, Holsatiæ Comites.

MCCLXXII. Mox anno MCCLXXII *Otho Rodenstenius* ex ordine Theutonico equitum præcipuus ac vetus militiæ cum Moschis congressus ultra quinque eorum millia unâ strage concidit: A parte verò Rodenstenij occubuit *Alexander* Torpatensis episcopus. Qui sicuti & Revaliensis præsulatus à Daniæ tum regno inaugurationis suæ vim ac confirmationem solebat accipere,

accipere, ipſique epiſcopi inter regni ſenatores habiti, quomodo ſuo ſuperius eſt loco demonſtratum. Quo eodem tempore continuatis funeribus diſceſſerunt epiſcopus Arhuſienſis *Tycho*, & Sleſvicenſium *Bondo*; itemque in carcere *Iohannes Erlandus*. Obijt etiam *Ericus* Auſtralis Iutiæ Dux, Abelis filius, Erici regis adverſarius, qui poſt ſe tres filios reliquit, *Abelem, Ericum*, & *Valdemarum*. Similiter & conjux ducis vita deceſſit. Atque eâ occaſione rex Ericus tutelam liberorum in ſe ſuſcepit, miſſo Sleſvicum cum imperio & copijs *Iohanne Wittingio*. Quæ res motuum novorum occaſionem præbuit: Nam Comites Holſatiæ *Iohannes* & *Adolphus*, primi Iohannis filij, alijque ex eâdem familiâ, comparato exercitu, Eidoram tranſcendunt, ſeque regi objiciunt, exiſtimantes eam quoque rem ad ſe, utpote Erici Ducis conſobrinos, pertinere. Rex nihilominus cæpta perfecit, hac præſertim ſponſione factâ Holſatis, ſe filium ac liberos Erici, ubi ad juſtam ætatem perveniſſent, Ducatui præfecturum.

Anno inſequenti dum Sleſvici comitia habentur, celebratæ ſimul cum *Agnetâ* Marchionis Alberti filia regis nuptiæ, conditionibus quæ ſupra fuerunt commemoratæ. Tum & *Otho* Brandenburgicus à rege inter equites auratos relatus, ac multa præterea tam à Danis quàm Theutonis equeſtria exercitia, haſtiludia, aliæque Hippomachiæ ac decurſiones militares exhibitæ, ad augendam nuptiarum feſtivitatem. Rex deinde intra annum vertentem ex Agnetâ filium ſuſtulit, *Erici* etiam nomine: Quamvis alij annum ultra putant. Eodem temporis tractu *Iuditha*, quæ, ut ſupra meminimus, moniali ſe vitæ devoverat, in Sueciam ad viſendam ſororem *Sophiam* ſuſcepto itinere, maximâ cum benevolentiæ ſignificatione à rege Suecorum *Valdemaro* fuit excepta. Sed mox familiarius cum eâ quam honeſtius rex agens, prolem ex eâ ſuſcitavit. Eoque enormi ſcelere ſe ipſum omni honeſtatis opinione exuit, dum thori legitimi jure poſthabito, virginem non tantum illuſtriſſimam violaret, ſed ſororem quoque ſororis ſuæ pellicem faceret. Hoc flagitium ut oblitteraret, ſacram peregrinationem Hieroſolymam inſtituit, quamvis domum redux non tam animum quàm cœlum mutaſſe habitus fuit. MCCLXXIII.

Hic ille eſt annus, quo imperium, excommunicato ac mortuo *Frederico II*, diu fluctuans certum huc uſque Imperatorem non habuit. Nam nec *Henrico*, nec *Conrado* Frederici filijs aut poſteris eorum aditus ad imperium per pontifices permiſſus fuit. *Henricus* quoque Thuringiæ Landgravius Frederici liberis oppoſitus, dum Ulmā *Conrado* adhærentem obſidione cingit, ſagittâ lethaliter ictus, vel ut alij equo lapſus, eodem, quo imperium acceperat, anno occubuit. Hinc reverſus in Italiam *Conradus* urbes, quæ ad pontificem deſciverant, recepit, ac multis ſævitiæ exemplis editis regnum hoc pacto firmaſſe ratus redijt in Germaniam, ut nomen Auguſti ſuâ in familiâ retineret. Sed cum adverſa atq; infeſta ſibi omnia offendiſſet, commendato Bavariæ principi filio *Conradino*, repetijt Italiam, eâ ſpe ut recuperata ibi regna hæredi conſervaret. Hoc agentem *Manfredus* veneno peremit: & mox Conradinum ejus filium ſecuri ſubjecit, inſtigante *Clemente* pontifice, *Carolus* Andegavenſis, ut ante meminimus. Landgravio igitur, ut dictum ſupra, & jam æmulo ejus Conrado remoto dilata eſt rerum ſumma *Wilhelmo* Hollandiæ Comiti. Quo ſimiliter à Friſijs mox confoſſo, quod ſupra memoratum, iterum in partes diſceſſit Germania, longique fuerunt de ſucceſſore eligendo deliberationum conflictus, alijs ad *Richardum* Cornubiæ Comitem, Iohannis Anglorum regis filium, alijs verò ad *Alphonſum*, Caſtiliæ regem Hiſpanum ſuffragia ſua flectentibus: Et viſus eſt uterq; non tantum magnâ contentione ambire imperium, ſed auro quoque multò, tanquam empturus licitare. Et ille quidem per Moguntinum, Colonienſem & Palatinum id præſens egerat, *Alphonſus* animi quadam ſeu moderatione ſeu timiditate Biturigibus in Gallijs ſubſiſtens hærenſq; ac reformidans, quibus flagrabat Germania atque Italia, diſcordias, variantibus principum ſententijs, imperium foris, domi regnum amiſit, occupante id filio *Sancio*. Unde reverſus Hiſpalim mœrore contabuit, non magnam admodum ex oblato imperio ac regnis adminiſtratis gloriam adeptus, ſed longe maximam ac ſolidiſſimam ob reſtitutas atq; ornatas mathematicæ diſciplinas apud omnes in univerſum poſteros ſui memoriam ac laudem relinquens. *Richardus* autem, dum hæret in Germaniâ, pecuniâ ac largitionibus exhauſtus, ac mox in Angliam regreſſus, ibique bello oborto ac urbis cujuſdam obſidionem molitus telo trajectus oppetijt. Hos omnes excipiens *Ottocarus* Bohemus ambitioſo ſimiliter conatu imperium affectavit, ſed vicit tandem fatum *Rudolphi* Comitis Habſburgenſis, cui anno hoc ipſo MCCLXXIII Francofurti ſolemniter electo imperium principes tradiderunt, quod hodieque adhuc eâdem in familiâ per tot annorum volumina conſtanter perdurat.

OTTOCARUS & RUDOLPHUS HABSBURGENSIS IMPP.

A. 6.

Alphonsus autem Hispaniarum rex, de quo dixi, ejus nominis decimus fuit. Hic (quod ad seriem historiæ nostræ facit) is est, qui, præter alia jam memorata, uxorem duxerat *Violantam* Iacobi Arragonum regis filiam impense sibi adamatam. Sed cum nullos ex eâ liberos susciperet, pertæsus solitudinis istius decrevit eam repudiare, inq; ejus locum admittere *Christianam* Danorum regis filiam, virginem formosissimam, futuram, ut augurabatur, ex solo & corporum borealis hujus cœli temperaturâ, fæcundam. Iamque illa accersita haud procul aberat, cum repente Deus *Violantæ* preces exaudijt, eamque regio seminio gravidam effecit; Hic *Alphonsus* sacrum inter & saxum hærens incertusque rerum suarum, quum neque Christianam, speratam suam, posset honestè remittere, neque Violantam conjugem ex se prægnantem dimittere, dubitat quid agat: Erat autem regi frater *Philippus*, Abbas Vallis Oletanæ, jamque electus ecclesiæ Hispalensis præsul. Hic ultro fratrem adijt suspensum, ostenditque se, abjecto sacerdotio, futurum Christianæ maritum. Placuit regi fidum fratris consilium. Atque ita *Christianam Philippus* duxit, *Alphonsus Violantam* sibi retinuit. Quod quemadmodum referunt Hispaniarum rerum authores, etiam hic referendum putavi. Sed *Christiana*, quam nominant, non quidem Danorum, sed *Haquini* regis Norvagiæ filia *Christina* fuit: de cujus cum Philippo Hispaniarum & Castiliæ regis germano fratre connubio ex chronico Norvagiæ vernaculo jam ante, sed obiter, ad annum MCCLVII, retulimus. Nihil tamen id chronicon de Alphonso, aut conjugis ejus sterilitate; tantum ait missos à rege Hispaniarum legatos, qui *Christinæ* matrimonium, nomine fratrum regis, expeterent, eâ nimirum lege, ut quem eorum fratrum vellet, ipsi permitteretur: & postquam legatorum votis esset assensum, nominatos, qui sponsam in Hispanias deducerent, episcopum Hammerensem *Petrum*, & *Ivarum Anglum*, *Turlaum Bosium*, *Lodvinum Lepperum*, ac denique *Amundum Haraldsonium* viros primarios ac regi à consilijs: eosque cum eò venissent, sponsæ authores fuisse ut Philippum sibi eligeret.

Rodolphi verò ad imperij habenas electionem promovit etiam plurimum pontificum Romanorum studium. *Gregorius* præsertim *X*, qui tum rebus præerat, concilium Lugduni

MCCLXXIV. in Gallijs celebrabat, quod in annum sequentem protractum hujus quoque rei curam haud inter minimas habuit. Nam *Alphonsus* Castiliæ rex, cum in Gallijs adhuc agens questus esset apud pontificem, de suis pro imperio gravissimis impensis, pontifex allatis electionis Rodolphianæ maximi, ut haberi volebat, momenti causis, eum verbis, non nummis aut impendiorum solutione, pacavit. Ad idem concilium, præter aliarum gentium legatos, etiam regis Erici accesserant. Postque longas ambages id tandem, præter cetera, in causâ archiepiscopi Lundensis, qui unà aderat, decretum, ut is apud regem in gratiam receptus, impensarum, quas fecisset, nomine argenti marcas 15000 acciperet. Sed mox in Daniam rediturus, cum Rugiam insulam prius adire constituisset, ibi x Martij, postquam annos XXII maximà cum suâ ac suorum perturbatione diœcesin tenuisset, expiravit. Eodem anno cum invasissent *Osiliam* insulam Lithuani & Semigalenses, regis præfectus, qui Revaliam præsidio tenebat, *Sigefridus* ordinis magister, tum & *Fredericus* Torpatensis episcopus, nec non Lealensis *Hermannus*, expeditis cum copijs, Lithuanis in glacie occurrunt. Sed fortius quam felicius rem gerentes, trucidatis quidem Lithuanorum pluribus, at suorum M. *Othone* cum alijs quinquaginta duobus ex fratribus, præter Theutonicos milites gregarios 600, desiderato, tum & sauciato Hermanno episcopo, loco cedere coacti sunt.

MCCLXXV. Proximo, qui fuit annus MCCLXXV, conventus ecclesiarum Lundæ indictus, ubi inter alia regnum novennali interdicto solutum declarabatur: Et porro belli sacri nomine, quod superiori quoque Lundensi concilio statutum videtur, decimæ omnium ecclesiarum in annos sex à pontifice Max. exactæ fuerunt. Nam *Ludovico* Galliarum rege in eâ expeditione ante quadriennium defuncto, accisæ admodum erant Christianorum illis in locis res ac copiæ. Sultanus enim, obitu regis ac plurium, qui illum secuti fuerant, regressu cognito, statim Ægypti Tripolim invadens propositis optimis conditionibus, & anno proximo Ptolemaida quoque deditione in fidem recepit, omnibus omnium hominum generi, quæ possidebant, relictis ac pace insuper in annos XI Christianis datâ. Aderat tum adhuc, qui eo unà cum rege Ludovico concesserat, Anglorum rex, sed fremens atque indignans ob pactiones quas aversabatur. Unde & ipse domum repetijt. Itaq; priusquam induciæ finem acciperent, pecuniæ & miles ad res in pristinum ibi statum constituendas, requirebantur.

Porro in locum Lundensis archiepiscopi, qui, ut memoravimus, apud Rugianos diem obierat, omnium consensu surrogatus fuit archidiaconus ejusdem ecclesiæ *Erlandus* dictus.

RUDOLPHUS HABSBURGENSIS IMP.

A. C.

ctus. Qui eodem hoc anno Romam pro pallio, ut vocant, profectus in itinere jussu Imperatoris *Rudolphi* interceptus carceri ad tempus est mancipatus. Volunt suspectatum à Cæsare, quasi aliquid vel in electionis ipsius vel etiam imperij fraudem fuisset machinatus. Quo nomine, priusquam vinculis solveretur, innocentiam suam Lundensi Ecclesiæ testastatus, hunc ei planctum sive threnum potius non indignum, qui hîc legatur, transmisit:

Regibus & principibus Daniæ, Episcopis, Abbatibus atque universo clero & populo, Erlandus dictus Lundensis archiepiscopus vinctus Iesu Christi salutem. Feliciter sunt miseri quos constat non meruisse, quæ perferunt. In adversis est quædam felicitas, quem reum putas, esse tamen innocentem. Hinc est quod gloriamur in vinculis, quorum causa nobis est pro solatio, non conscientia pro flagello. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Qualis autem sit ea, vel quæ fuerit nostrorum causa vinculorum, audiant domini mei & amici mei, fratres mei & sacerdotes mei. Credo tanto devotius eos oraturos pro me, quanto noverint in me pati Christum, quam me propter Christum, novit Deus, filius & utriusque spiritus, quia ego non mentior. Dominus Imperator Romanus nos apud se graviter peccasse imponit, & nos sui Regni & suæ Coronæ diminutionem fecisse causatur. Nos autem super his conscientiam nostram recolentes, ubi aut quando hæc fecerimus, nequaquam reperire valemus. Hinc est quod (Deo gratias) accusati non convicti damnamur & innocentes inter iniquos reputati sumus. Sed hæc est gloria nostra, hic est triumphus noster, in tantum enim Danici regni honorem & Danicæ Ecclesiæ exaltationem desidero, ut gratius sit mihi pati pro eâ quam regnare in eâ. Ad vos igitur conversio mea, domini & amici mei, fratres mei & sacerdotes mei, oro vos orare pro me, curã agere de me, compassione esse juxta me. Oro vos solis orationibus innocentiã meam redimere: Mando & mandando præcipio ne de aliâ redemptione aliquis vestrum audere præsumat: Ego etenim semel Christi sanguine redemptus, iterũ non requiro redimi, insuper jam fere caro nostra nulla est: Corpus nostrũ debile, Anima nostra circa fines suos, dissolvi cupiens & esse cum Christo, solius Christi indiget redemptione, sanguis ejus redemptio mea, sanguis ejus precium meum: Indignum est ut sub precio redigar, cujus precium sine precio est. Præterea infamis est redemptio, quâ libertas perit Ecclesiæ, qua servitus comparatur. Necesse est enim ut membra serviant, si caput humilies sub tributo. Necesse est clericum redimi si Episcopum censeas redimendum. Necesse est trepidare subditos, si, juxta Comicum, ei opus est patrono, quem speras redemptorem. Ego certe vitam tanti non facio, ut brevem diligam, & irredemptus malo periclitari de eâ, quàm pro ea communem conculcari libertatem. Profit Ecclesiæ mea mors, cui vivens, dum præfui, non profui. Pontificis est si non vivere, mori saltem pro universis. Valete.

Vir igitur reverendissimus ac tali dignatione *Erlandus* iniquè non modò atque injuriosè in captivitatem abductus, sed iniquius etiam inter vincula habitus, omissâ Romæ curâ, domum hinc redijt, corpore atque animo æger, tum & carceris pædore debilitato haud ultra annum superfuit, electus ac vocatus ad archiepiscopatum non confirmatus. Eum excepit *Trugothus Torstanus*, inter primos Episcoporum Daniæ nominandus, qui pallium sive confirmationem Electionis Romæ acceperit. Is suo ac posterorum nomine *Iohanni* pontifici, dato chirographo, obstringere se etiam successorum suorum vice, debuit, eos scilicet investituram, quæ æstimata tum fuit quatuor florenorum millibus, Româ deinceps petituros. Cumque hoc pacto à regibus, quorum hoc antea fuerat, ad Romanos Pontifices investituræ collatio esset devoluta, id consecutum est, ut magis pontifici, quàm regibus auscultare episcopi cæperint.

Interea fraterna illa inter Sueonum principes diffidia, quæ, ut supra ostendimus, se exserere cœperant, nunc ad summum venisse videbantur. Est nihilominus ad redintegrandam singulorum amicitiam Strangenæ conventus indictus, in quo præsentibus non modò rege & fratribus sed omnibus insuper regni episcopis totoque procerum senatu, summopere, ut inter se fratres reconciliarentur, elaboratum. Præ ceteris maximè in id incubuit fratrum natu minimus *Benedictus*, Lincopensis Episcopus, qui Ducatum Finlandiæ & cuncta, quæ à patre habebat, hæredia, eorum potestati permisit, modo in gratiam postliminio redirent. Sed frustra omnes omniaque fuêre. Rex enim repetitâ Stocholmiâ, *Magnus* vero Nicopiâ, atq; inde in Daniam digressus, cum videret se ac fratrem suum *Ericum*, viribus longè inferiores nec pares regi Valdemaro fore, statim icto cum rege Danorum fœdere, quod Sunderburgi singulorum chirographis signatum est, maximum, dum ibi subsistit, ex Danis Theutonisque conflavit exercitum, anno Christi MCCLXXVI. Danorum MCCLXXVI.

Hh iiij copijs

ERICUS VI. Rex. A. C.

copijs præfectus est Hallandiæ comes *Iacobus*, nec non aulæ regiæ Mareschallus *Stigothus*. Extra numerum Rex ipse ex suis equitibus cataphractos addidit centum. Stipulatusque est regi *Magnus* se pro commodatis liberaliter auxilijs puri argenti libras 6000 repensurum. Inde subnixus hoc milite Vestrogothiam Magnus ingreditur, palam affirmans se aut eo in prælio moriturum aut regnum Sueonum è manibus ingrati fratris erepturum. Quo audito, *Voldemarus* resolutâ in risum buccâ, respondisse dicitur, minus aliquid fortunæ ejus quam regnum deberi. Quapropter assumptâ in adversum infinitâ multitudine constituit in Westrogothia belli aleam cum *Magno* experiri: Quam etiam sibi haud adversam polliceri potuisset, modo prudentiam cum potentiâ conjunxisset. Verum vis omnis consilij expers mole ruit suâ. Cum enim Marte ingruente, maximam exercitus sui partem præmitteret, ac ipse interea robore militiæ succinctus, pausam & somnos ac crapulam, gradu lento & cunctabundus sectaretur, Magnus sine morâ copias ductore destitutas aggressus juxta villam *Hovæ* dictam anno Christi MCCLXXVII fudit ac fugavit. Eâque potitus victoriâ animose ac celeriter pergens prævenisset ex inopinato dormientem regem unà cum Reginâ, quæ Schaccicho se lusu oblectabat, nisi equitum unus è turbâ palante ad regem præcipiti cursu advolasset vulneraque accepta ostendens, ei author fuisset ut gradu recollecto, exercitum animaret. Sed ille ut erat improvidus ac meticulosus nec belli satis gnarus posthabito prudenti militis consilio, fugæ se dedit; nec quievit donec ad deserta Vermelandiæ perveniret. Quo comperto, Magnus suorum expeditissimos sub tergum fugientis emisit, qui ipsum in villâ quadam cænantem, & omnia quasi securè agentem, desubito comprehensum ad Ducem deduxerunt. Quo perductus, primum ei supplex factus est; inde regnum in manus fratris reponens, asseruit se vitæ privatæ sorte paternisque hæredijs contentum, quod ævi superesset, transacturum. Tum Magnus modeste respondens, si me jure meo frui permisisses, nec ad libitum conjugis tuæ tanto fuisses odio prosecutus, nequaquam in te hoc belli fuisset susceptum. Interim ita tecum agam ut omnes agnoscant me maximis beneficijs maximas injurias compensasse. Ac simul convocato regni senatu, assignavit ei (sibi retento Sueonum regno) præter Vermelandiam totum fere Gothorum territorium. Atque ità pax concordiaque fratribus reddita.

MCCLXXVII.

Rex autem Ericus indictis Neoburgi comitijs filium sibi cognominem *Ericum*, tum circiter tres annos natum, assentientibus procerum suffragijs, eligi in regem ac sibi in omnem eventum successorem designari curavit. Unus Mareschallus Stigothus sive quod eum ætate adhuc inhabilem diceret, sive quod absens esset & necdum è Sueciâ cum copijs regressus, sive etiam (diverse enim traditur) quod regem (dum ipse in Sueciâ agit) intulisse conjugi suæ stuprum accepisset, electioni suum calculum adjicere noluit.

Apud Sueones verò redacto in ordinem, prout meminimus, *Valdemaro*, (quem & populus ob incestum cum conjugis suæ sorore fastidire cœperat) regio nomine insignitus est ejus frater *Magnus* cognomento *Ladelaus*. Ac mox ductâ in conjugem *Hedevigâ* Gerhardi Holsatiæ Comitis filiâ totoque Sueonum regno suum ad nutum composito, dimisit Danicum militem, verum, ut est verisimile, haud omnimode soluto, quod erat promissum, stipendio. Unde & miles diripuisse in regressu vicos ac damna Suecis intulisse videtur. Quæ exinde res odij occasiones inter reges præbuit. Instabat præterea apud Magnum Ericus, ut illa argenti marcarum sex millia secundum promissum solverentur. Quod conceptam jam ante indignationem haud leviter auxit. Quocirca irritum mox redditum est, quodcunque anno antecedente, datis chirographis, inter utrosque Synderburgi conventum fuerat: ut solent scilicet, quod ille inquit, initio quidem esse blandientia principum fœdera, sed finem sortiri plerumque parum amabilem aut lætum. Peractis itaque nuptijs *Magnus* exercitum adversus Ericum Danorum regem raptim collegit; ac primo impetu Scaniam ingressus territoria aliquot eo loci vastavit, sed mox cognoscens, *Vffonem* Mareschallum cum manu delectâ adventantem, relato pede, in Sueciam redijt. Verum Daniæ rex Ericus vindicias illati damni à Magno sumpturus clam ad *Valdemarum* nuncios mittit ei persuadens se eum in regni solium postliminio collocaturum, modò animum sibi obsequentem commodaret. Voldemarus reputans Danorum auxiliaribus copijs se à Magno superatum, eique vicissim par pari relaturum sperans, partibus Erici accessit. Ac simul Magno apertè se opponens ei significari curavit, sibi, quæ pridem facta fuerat, regni divisionem non placere, itaque firmiter secum statuisse aut totum recuperare aut toto carere. Inde Visegothiam, Finvidiam, Verendiam ferro ac flammis invadens nec locis quidem consecratis parcens, Vexionensem civitatem cum Ecclesiâ cathedrali incendio totam absumpsit:

absumpsit: quamvis Ecclesiæ postea damnum, collatis eo Tallugarniæ prædijs in sempiternam possessionem compensavit. Quæ dum fiunt atq; indies è Daniâ novæ copiæ accedunt; Eas ex improviso Dux Suecorum *Iffo Caroli* invasit ac fugavit, captis, præter ceteros, *Pulmone Vido* & *Benedicto Alsonio*, qui inter Duces Danorum præcipui ac multis antea victorijs clari habiti. Valdemarus autem qui ex eâ strage in Daniam pervenerat, se cum Erico rege conjungit ac maximo deinde cum exercitu Westergothiam pervadens eam incendijs, direptionibus ac cædibus complet. Sed Magnus districtum eum ad ipsum Valdemarum pertinere dictitans aut alias causas habens suas vires Danorum copijs non objecit. Inde utriusque partis proceres omnem movêre lapidem, ut, soluto, quod Danorum militibus debebatur, argento, Magnus in amicitiam cum rege Erico rediret. Quod & præstitum haud multo post, traditaque Valdemaro, quæ illi erant assignata, territoria.

ERICUS VI. Rex. A. C.

Dumque peregre expeditionibus Rex vacat, Regina mater *Margareta* Sambiria diœcesi Revaliensium, dato diplomate, indulsit, ut penes eam esset, non salutato Lundensium archiepiscopo aut Daniæ regibus, episcopum constituere. Sed hoc diploma etiamsi Ericus Rex suo assensu confirmasse videatur, reges tamen, qui subsecuti sunt, diœcesi id concedere haudquaquam voluerunt. Diploma quod dico, ejusmodi erat;

„ Margareta D.G. Danorum Sclavorumq; regina, Domina Esthoniæ omnibus præsens scriptum cernentibus salutem in Dom. Iesu Christo. Licet per quosdam dominos inclytos reges Danorum, prædecessorum nostrorum terra Esthoniæ traducta sit ad cultum nominis Iesu Christi, & ex defectu Episcopi & pastoris ibidem Dominũ Torchillum præfecerunt Ecclesiæ Revaliensi in electum, & postmodum per venerabilem patrem dominum Archiepiscopum Lundensem procuraverunt in Episcopum consecrari, nec non per assignationem dotis, jus eligendi & præsentandi Electum ad dictam Ecclesiam Revaliensem, sibi & suis successoribus reservarunt: Nos vero considerantes & timentes, quod ex tali reservatione & electione, plura incommoda & pericula, præfatæ Ecclesiæ Revaliensi, in posterum poterint evenire, illam vel illas reservationes vel provisiones cassamus & annulamus, revocamus & decernimus diutius non valere. Sed maturo super hoc habito consilio, quantum nobis concedetur ex alto, easdem electiones & provisiones, dilectis nostris canonicis Revaliensibus indulgemus concedimus & omnimodo resignamus ut sibi & Ecclesiæ suæ valeant episcopum eligere & de eodem libere pacifice in perpetuum providere. Concedimus nihilominus Episcopis & Canonicis memoratę ecclesię Revaliensi communitatem omnium libertatum, in terminis Revaliensis, utpote in gravaminibus, lignis, silvis & agris pro rerum usibus perpetuo perfruendis. Volentes etiam, quod omnia & singula bona ad sæpe dictam Ecclesiam impignorata, locata, perpetuata, impignoranda, locanda & perpetuanda ab omni servitio terræ, tollijs & exactionibus quibuscunque, sint libera totaliter & exempta.

„ Hæc itaque omnia & singula, ut præmittuntur, in ordine de verbo ad verbum per dilectum filium nostrum Dominum Ericum Regem Daniæ nobilem, volumus majestate regia confirmare & ut hoc factum nostrum solenne à successoribus nostris Dominis regibus inviolabiliter observetur, præsentes literas sigilli nostri munimine duximus roborandas, in testimonium evidens & cautelam. Datum Wordingburgi anno MCCLXXVII Cal. Sept. præsentibus consiliarijs nostris.

Insignis hic etiam annus habetur *Agnetæ* reginæ puerperio. Natus enim hoc ipso tempore Erico Regi alter filiorum *Christophorus*, cui regni sceptrum post fratrem Ericum obvenit. Funera duorum præsertim memorantur, Marianæ nimirum, quæ viri præpotentis ac magni tum nominis *Iohannis Nicolai Causij* uxor fuerit; nec non Abelis, quem regis Abelis, natum etiam Abele patre, nepotem memorant. Hujus tam intra regnum quam quæ erant in Slesvicensi Ducatu sitæ, hæreditarias possessiones, Rex Ericus pretio sibi comparaverat. Ei unica relicta filia Margareta, quæ, postquam Helmoldo Suerinensium Comiti nupsisset, mox, eo defuncto, monasticam vitam amplexa: assumptis, quæ possidebat, inque sacros usus conversis cœnobium ingressa est. Postremum circa idem hoc tempus domum redijt Lundensis archiepiscopus *Trugothus* decoratus per Romanum pontificem *Iohannem* & pedo & pallio, sed prius pro tanto scilicet beneficio persolutis quatuor florenorum millibus. Quam tamen summam ad 2000 reduxisse deinde *Martinum V* ex annalibus comperio. Volunt etiam hoc tempore obijsse Episcopum Roschildensem *Petrum Bangium*, quamvis alij ad annum Christi sequentem, millesimum supra ducentesimum septuagesimum octavum, referendum existiment. MCCLXXVIII.

Quo

Quo præfertim anno haud levis inter Norvagiæ regem Magnum & Daniæ Ericum simultas exorta; quæ in apertum tandem bellum erupit. Sufpectabat enim Ericum Magnus quafi is reginam & conjugem fuam *Ingeburgam*, divi Erici filiam, quæ ipfi hæreditate paterna hoc in regno erant relicta, poffeffionibus ac bonis fraudaret, cum econtra Rex Ericus ea à Duce Auftralis Iutiæ effe repetenda demonftraret. Hæc belli haud tralaticij caufa memoratur; quod tamen à chronologis adeo ftrictim & paucis eft indicatum, ut terra an mari fit geftum, aliaque ejufmodi omnino filverint; hoc uno folum addito, apud Schanoram fcilicet effe pugnatum & ex Norvagis uno conflictu circiter millia quinque defiderata, remanente etiam penes Danos victoriâ.

Agebat hoc tempore apud Suecos *Petrus Porfius*, eques Danus, qui cum Magno rege arctiffimâ familiaritate conjunctus arcem ab eo cuftodiendam acceperat, munimentis ac vallo firmiffimam. Cumque in ejus ære Magnus effet, Porfius captâ occafione, eum ad fe paucis comitatum invitat, ac mox ubi in hilaritatem inter epulas ac pocula effufum videret, injectâ manu abduci in cuftodiam curavit, nec liberum abire permifit, nifi prius quod fibi debebatur vel pecuniæ concreditæ vel ftipendij nomine perfolveret, ac fimul jurejurando polliceretur fe haud unquam eam offenfam vindicaturum. Magnus facto facramento, quod petebat, pollicitus nihil quoque exinde de folito erga eum favore remifit, fed arcem præterea Lodofienfem cum omnibus proventibus regijs eidem affignavit, juramento, quod præftiterat, inviolabiliter fervato. Memorant & alium, circa idem hoc tempus Danicæ gentis virum nobilem *Ingemarum* annales Suedici: Qui in tantam fimiliter amicitiam ac familiaritatem ab eodem Magno affumptus eft, ut datâ ei in conjugem forore aut confanguineâ fuâ *Helenâ*, eum omnibus regni nobilibus præferret. Quod cum maximam illi apud indigenas invidiam conciliaret, ac præfertim eorum inftinctu, qui è Folchungorum erant familiâ, & apud Sueones tum habebantur nobiliffimi, factum ut idem Ingemarus poftquam fuo comitatu reginam *Hedevigam*, itemq; Holfatiæ Comitem *Gerbardum* ad oppidum Scarenfe in Veftrogothiam deduxiffet, eodem quoque Folchungi convenirent, ac facta in hofpitium Comitis irruptione, Ingemarum, qui circa ingreffum confiftebat, crudeliter trucidarint, Comitemque injectis vinculis in arcem munitiffimam Imfeburgum captivum abduxerint, evadente inter ea periculum reginâ, dum fe in proximum monafterium recipit. Quibus peractis, ijdem Folchungi caftrū Ienecopenfe obfidione cinctum fuam in poteftatem redegerunt. Nec defuiffe eorum conatibus *Valdemarus* putatur. Magnus re intellectâ vehementi dolore affectus eft, cum ob cafum Comitis *Gerhardi* affinis fui, tum regni falutem, quam periclitari videbat. Itaque capto in arena confilio, diffimulare dolorem cœpit, ac laudibus vehere *Folchungos* quod rem feciffent memorabilem eofque de medio fuftuliffent, qui regno potius oneri quam honori effent; Multaque fimilia cum per literas tum per nuncios apud eos agebat ut facilius circumventos inefcaret. Atq; illi aurem Magno commodantes, fepofito bello, Comitem demiferunt. Inde tempore interjecto invitati à rege amiciffimis literis ad ipfum in civitatem Scarenfem & ad idem, in quo cædem Ingemari peregerant, hofpitium convenerunt. Quos confeftim ut advenîffent, Rex comprehendi comprehenfofque Stocholmiam abduci maudavit: atque ibi præcipuos eorum Duces, *Iohannem Philippi* & *Birgerum* fratrem ejus, ac
MCCLXXIX. *Iohannem Caroli* capite plexos trucidavit. Hæc nonnulli ad annum feruatoris MCCLXXIX alij
MCCLXXX. ad octuagefimum referunt. Quo jam anno *Magnus* ab hujufmodi domefticis infidijs turbonibufque liberatus in animum induxit fuum, fe cum rege Danorum Erico firmiore fœdere ac pace conjungere. Quapropter utrique regum ad limites, quibus Veftrogothi à Schoningis feparantur, magno utrimque apparatu defcendunt. Omniaque ad pacem ac concordiam fpectantia fummâ etiam diligentiâ ut promoverentur, efficiunt. Nec defuere militaria exercitia quibus Sueones & Dani fefe hinc inde ad haftiludia ac monomachias provocarent. Conventumque inter principes ut Magnus, qui Erico fex millia marcarum argenti debebat, duo tantum millia perfolveret, quod Magnus fuo identidem regno damna ac clades illatas quereretur. Interea autem, dum æs illud effet perfolutum, arx Lodofienfis regi Erico pro pignore cederetur: Eamque *Suento Plocus* nobilis Suecus (alijs eft eques Prutenus) præfidio teneret ac regi quotannis centum argenti marcas numeraret, donec fumma univerfa in totum effet expuncta. Ita fere annales Danici. Suecorum authores id præcipue referunt, regem utrumque Magnum & Ericum præteriti temporis odia firmiffimo fœdere permutaffe, atque eo nomine utriufque regni populos diu expectatâ lætitiâ mirificè affectos. Qui & hoc addunt, egiffe Ericum apud Magnum, ut

Valdemarus

Valdemarus in gratiam receptus de cetero ſuo patrimonio vivens, vitam privatam ac
tranquillam ageret.

Hinc circa feſtum *Odulphi* apud Fionios, præſentibus *Iohanne Dreſſio* archiepiſcopo (qui
Trugotbo paulo ante defunᶜto ſucceſſerat) alijſque regni epiſcopis ac proceribus nec non
Valdemaro Roſtochij domino Comitia Neoburgi habita, in quibus præter cætera, Rex E-
ricus, petentibus id regni ſenatoribus, pollicitus eſt ſeque obſtrinxit ad tollenda nonnulla
onera ac conſtitutiones, quibus gravari regnum querebantur. Obijt vero eodem circiter
tempore apud Norvagos Rex *Magnus*, eique *Haquinus* filius proxime ſucceſſit, tum anno-
rum propemodum novendecim, natus, ut ſupra meminimus, ex *Ingeburgâ* divi Erici filiâ:
Qui & anno ſequenti filiam *Alexandri* regis Scotorum *Margaretam*, ei jam ante, ut ſupra o- MCCLXXXI.
ſtendimus, deſponſam, in conjugem ſibi aſſumpſit. Electus eſt etiam ad regni Suedici
ſceptrum, ſuperſtite adhuc patre *Magno*, *Byrgerus*, cui & anno deinde MCCLXXXII Erici MCCLXXXII.
Danorum regis filia *Martha* ſive *Meretha* in matrimonium promiſſa: qui tamen non niſi
nubilem poſt annos aliquot domum duxit, ut infra referetur: ſicuti & ſoror viciſſim *Byr-
geri Ingeburga*, addicta tum, ſed collocata poſtmodum Erici regis filio, *Menved* dicto: quo
arctior ſcilicet affinitatis neceſſitudo ac pacis vinculum utraque hæc regna connecteret.
Quo autem remedium ac modus poneretur nonnullis, de quibus ſuperioribus comitijs
Neoburgenſibus difficultates fuerant motæ, curavit Rex Ericus patrias leges atque ha-
ctenus uſitatas conſtitutiones à viris peritis recenſeri & quod è re videretur publicâ au-
thoritate vel explicari vel emendari. Inde ſub anni finem ex hac vitâ migravit regis ma-
ter regina *Sambiria*, de cujus monumento & ſepulturæ loco nihil apud chronologos tra-
ditum reperio. Eam proximè præceſſerat *Bundo* Sleſvicenſium epiſcopus, cui *Iacobus* e-
juſdem Eccleſiæ Præpoſitus omnium ſuffragijs eſt ſurrogatus. Superius, quæ in tabella
genealogica *Valdemari II* ponitur *Marina* filia aut neptis potius regis Suecorum Valdema-
ri, eam nuptam non hoc anno ſed biennio poſt, inferius memoramus. Apud Siculos eâ-
dem hac tempeſtate quicunque reperti Gallici generis occidione occiſi ſunt, idque ipſa
horâ veſpertinâ. Unde & proverbium tum natum, *Siculæ veſperæ*. Atq; incidit hoc ipſum in
annum XIII poſtquam à *Carolo Andegavenſi* Gallorum principe innocenter neci eſſet adju-
dicatus Imperatoris Conradi filius *Conradinus*, cujus jam ante mentionem fecimus.

Sequenti anno *Valdemari* Ducis operâ fœdus ac pacta factioſa adverſus Ericum inita. MCCLXXXIII.
Valdemarus enim cum non tantum Sleſvicenſem Ducatum ſibi deberi diceret, ſed & alia
inſuper patrimonij ſui bona poſtularet, conjunxit ſe præcipuis aliquot è Danicâ nobilita-
te hominibus quietem exoſis, & qui jam ante ſimultates atque inimicitias adverſus regem
fovere cæperant, quos inter erant *Iacobus* Hallandiæ Comes, Mareſchallus *Stigotbus* alijq;.
Itaque Rex ut Valdemarum ſaltem erga ſe mitiorem efficeret, annuente etiam regni ſe-
natu, Ducatum ei Auſtralis Iutiæ conceſſit: *Iacobo* autem Comiti Hallandiam permiſit
hæreditariam; Utrumque tamen jure clientelari obſtrictum tenens. Quamvis nec ſic
quidem ſatisfactum ſibi putabant. Iacobus enim querebatur ſe aliquandiu, eo Comitatu
caruiſſe nec ideo ad jura clientis aut beneficiarij reſtringendum. Valdemarus, præter iſta,
etiam bona ac poſſeſſiones alias videbatur exigere, ut poſtea dicetur.

Interea Revalienſes de ſolutione decimarum controverſiam apud ſe exortam ad regis
tribunal detulêre. Quam Rex, adhibitis Regni proceribus, poſtquam propius cognoviſ-
ſet, de eâ, datis codicillis, certum aliquid ſtatuit, quod etiam ſervari in poſterum immote
voluit. Et præſertim ut Æſthones, quicunque vaſallorum regiorum terras colerent, tene-
rentur pro jugere unoquoque epiſcopo ejuſque ſucceſſoribus more majorum annonam,
ut tum loquebantur, *Synodalem* attribuere, hoc eſt, pro jugere uno duo modia; Eſthones
ſuo idiomate *Culmetas* vocabant. Norvagi autem licet defunctus jam eſſet, quemadmo-
dum meminimus, Rex ipſorum Magnus, ſuum nihilominus jus, de quo ſupra memoratum,
poſtulatæ nimirum dotis, Ingeburgæ reginæ nomine, acriter perſequentes ferro ac flam-
mis Daniæ oras, quà poterant, infeſtas habebant. Et anno præſertim qui ſuperiorem ex-
cipit, poſt natum Chriſtum, milleſimo ducenteſimo octuageſimo quarto, Borealē Iutiam MCCLXXXIV.
claſſe ingreſſi ac Schagæ maritimo vico in favillas dato, maximam præterea incolis cla-
dem intulêre. Valdemarus quoque eodem tempore, qui, ut meminimus, malis conſulto-
ribus uſus ſeque regi opponens Iutiam Auſtralem ſibi hæreditariam nullique obnoxiam
permitti cupiebat, multa, quæ jam antiquata ac deſita erant, cœpit retexere. Varijſque
cum varijs dynaſtis domi foriſque initis fœderibus tandem apud archiepiſcopum Lun-
denſem palam inter cetera teſtificatus eſt ſe, cum non Ericus modo Rex, ſed ejuſdem
quoque

Ericus VI. Rex. A. C.

quoque parens olim, Rex *Christophorus* Reginaque *Sambiria*, statim à morte avi sui *Abelis*, id perpetuo egerint, ut liberi nepotesque ejus, rebus angustioribus pressi nunquam emergerent, atque ideo eosdem Ducatus Slesvicensis hæredio alijsque patrimonialibus bonis hucusque defraudarint, se, inquam, idcirco obnunciationis quasi vice, archiepiscopo significare, decretum sibi jus suum in Daniæ regnum suaque municipia, vi atq; armis persequi: Eamque denunciationem rogare ut in acta referat, velitque pontificem Romanum per literas in suam ac fratrum suorum gratiam certiorem facere, quam hactenus præter fas atque æquum se suosque fratres Rex Ericus ac mater ejus regina tractaverint. Obijt eodem circiter tempore Regina Suecorum *Sophia* Sancti Erici filia, conjux regis Suecorum

MCCLXXXV. *Valdemari*, relicta post se filia Sophia quoque nomine. Proximo deinde anno Rex Suecorum *Magnus* filiam regis Valdemari *Rigissam* connubio tradidit Poloniæ principi *Probislao*; & alia fratris ejusdem filia dynastæ Depholtensi concessa, *Marina* dicta. Valdemarus quoque Sueonum Dux, quem regia insignia transtulisse in fratrem suum Magnum memoravimus, postquam varijs erroribus actus modò in Daniâ modò apud Suecos ageret & anno quoque antecedente defunctâ, ut dictum, Sophiâ, ex quâ filiam Sophiam, item Ericum susceperat, nova esset connubia auspicatus (nam & *Christinam* Danicam, & eâ vicissim mortuâ, Comitis *Gedschoviæ* filiam *Catharinam* duxerit) aliaque in regni ac suum dedecus indies committeret, visum Senatoribus eum certâ custodiâ in arce Nicopensi continere. Ejusque in eum latæ sententiæ exemplum apud *Ioh. Gothum* legitur, datum anno 1285. Magnus tamen diducta in tertium annum sententiæ executione, si fortasse ad frugem interea rediret, eum sub annum tandem 1288 comprehendi ac custodiri mandavit. Idem quoque fatum cognomini ipsius Valdemaro Slesvicensium Duci tum obtigit. Nam eum similiter Ericus Daniæ Rex (post convocata paulo ante Neoburgum comitia) cum palam in se ire animadverteret, & jam Helsingoræ (quod freto Oresundæ appositum est oppidum) paratum accinctumque ad transmittendum in Norwegiam videret, ut ibi nova adversus se regnumque fœdera pacisceretur, captivum abduci & ad Seburgum Selandiæ arcem in custodiam mitti præcepit.

Florebat id temporis pirata famigerabilis *Alphus Ellingsonius* natione Norvagus, quem vulgo indomitum ac ferum *Alphum* nominabant. Hic non modò Danorum, sed & Frisiorum Theutonumque circumquaque littora infesta reddebat, ac magnis undique prædis actis, Norvagiam velut asylum habebat. In eum triginta circiter majora navigia, *coggones* vocabant, suo impendio armaverant mercatores Vandalici. Sed illi dum Alphum circa Oresundam per aliquot septimanas præstolantur, ille Balticum sinum ingressus direptoq; Callenburgo, munito admodum eo loci oppido, ac modò Danis, modò Theutonis divexatis, ingentia ad suos spolia retulit. *Iacobus* tum quoque, quem diximus, Hallandiæ Comes, regem Norvagiæ respicere & cum eo consilia sua secretaq; miscere cœpit, equestris jam ante militiæ dignitate ab eodem ornatus. Nec multò post Ericus Dux, Valdemari Slesvicensium Ducis frater, Scialmonem satrapam, non comperto, quâ de causâ, rege præsente, confodit. In illis autem, quorum jam modo meminimus, Neoburgensibus comitijs, præter cetera, decretum editum, quod legibus exinde Selandicis ad calcem accessit; tum & litis, quæ inter Regem Ericum ac Ducem Valdemarum super Alse alijsque ejusdem Ducatus insulis ac locis agitabatur, compromissio facta, totaque controversia decemvirorum arbitrio permissa. Hi fuêre *Magnus Petreius*, *Nicolaus Duve*, *Thuro Meuersenus* Cimber, *Iohannes Barthson* Fionius, *Nicolaus* Lundensium olim præfectus, *Ionas Litle*, *Magnus Corvitius* Selandus, *Andreas Nicolai*, *Olaus Tychonis* Selandus, *Iacobus Slesus* Lalandus: Quorum de Alse alijsque in Ducatu Slesvicensi municipijs, de quibus inter principes controvertebatur, hæc erat sententia; eorum locorum dominium ac jurisdictionem penes regem ac regnum esse, ijsdemque & arces atque incolas sacramento obstrictos teneri, exceptis, quæ in ijs sunt sita, regiorum liberorum hæredijs, quæ olim à rege Valdemaro II cuique seorsim fuerunt assignata. Quo tamen, ut patet, compromisso insuperhabito Valdemarus, aliaq; animo agitans & jam ad regni præsertim hostem Norvagum se vertens, rege mandante, Seburgum, ut diximus, abductus est. Ubi cum menses plures sedisset, tandem anno à nato

MCCLXXXVI. Christo MCCLXXXVI, medios se interponentibus *Hermanno* episcopo Suerinensi, *Iohanne* Saxoniæ Duce, *Gerhardo*, *Iohanne* atque *Adolpho* Holsatiæ Comitibus, *Helmoldo* & *Nicolao* Suerini Comitibus, *Gerhardo* Comite ab Hoia; nec non *Iohanne* atque *Henrico* Mekelenburgensium Comitibus è vinculis liberatus est, datâ prius antapochâ, cum ejusmodi declaratione; se errore juvenili ac stultis consilijs abductum usurpasse sibi in insulâ Alse alijsque

locis

locis Ducatus Slesvicensis, quæ ad regni coronam pertinerent, hæredij jus: se idcirco ea omnia, aliaque ad regnum spectantia ex consilio procerum ac regni prælatorum regi permittere, ut non tantum moneta, quæ Slesvici cuditur, regis nomine cudatur, sed & Alse ceteraque in ijs oris territoria, arces, homines, quod ad jurisdictionem ac sacramenri pręstationem ad regem ac regnum cuncta referantur: Polliceri præterea ac sancte promittere, se neque re neque consilio in regis vel necem vel incarcerationem quidquam machinaturum; nec etiam operam collocaturum suam, ut regiæ provinciæ, opida, municipia aliaque loca aut arces regi regnove eripiantur, aut denique moliturum unqnam, quod crimine læsæ majestatis posset censeri, sed econtra fidem, obsequium atque honorem ei omnem delaturum; Bellum etiam si vel propulsandum à regni finibus sit, vel hosti inferendum, se ad ejusmodi expeditiones, rege postulante, promptum fore paratumque. Similiter & Comitijs, quandocunque ea indicentur, nisi sontica causa impediat, interfuturum; nec ulla cum quoquam initurum in regni aut regis detrimentum, fœdera: Et si qua ejusmodi inita fuerint, ijs renunciaturum; nec sibi possessiones ullas aut bona, quæ ad filiam divi Erici *Ingeburgam* Norvegiæ, aut *Sophiam* Suecorum reginam earumque sorores aut hæredes spectent, retenturum, sed ijs, quæcunque intra Ducatum habentur, libenter cessurum. Si qua etiam inter regiam majestatem ac se suosque exoriatur controversia, eam non vi & armis propugnaturum, sed curaturum ante omnia, ut ea secundum leges patrias in publicis Comitijs coram ijs, ad quos id spectabit, dijudicentur. Hæc fere præcipua erant, quæ in ea antapocha fuerunt à Duce *Valdemaro* verbis disertis non tantum expressa, sed manus etiam ac sigilli ipsius obsignatione communita. Principes præterea jam modo nominati Ducis rogatu sanctissime similiter, præstito sacramento, promiserunt, se, si quid forte à Valdemaro in contrarium fieret sive adversus regem seu regnum ac subditos ejus, aut etiam effici per se aut alios vellet, id inhibituros, nec ei rei aut clam aut palam consilium vel assensum commodaturos. Quem etiam in finem suis ipsi sigillis eandem antapocham communiri fecerunt.

Eodem Christi servatoris nostri anno circa feriam, ut vocant, quintam post Calixti publicari Comes Hallandiæ codicillos curaverat, quibus significabatur, *Ingeburgæ* Reginæ Norvagiæ nomine *Petrum Capellanum*, Sophiæ verò Reginæ Suecorum vice *Lidekium* & alios, divi Erici hæredia in æquas portiones, tam reginarum jam dictarum aspectu, quam etiam *Agnetæ* & *Iudithæ* nomine partitos: Actumque haud dubie occasione ejusdem divisionis de pace & concordiâ inter regnum utrumque Daniæ & Norvegiæ resarciendâ. Nam & volunt *Magnum* ad conficiendas filio *Erico* illustres nuptias cum *Ingeburgâ* regis Erici filiâ, tum etiam mandata dedisse; sed nuptias exinde successum haud sortitas, sive ob Ingeburgæ præmaturum obitum, sive quod essent inter sese sanguinis necessitudine propinquiores. Quod tamen ipsum an ex vero per omnia traditum controversum facit, quod supra ad annum millesimum ducentesimum octuagesimum obijsse *Magnum* & ei *Hacquinum* successisse memoratum sit. Ubi tamen domestici chronologi non *Haquinum* sed *Ericum* successorem ejus nominat & eundem anno proximo in conjugem accepisse jam ante sibi desponsam Scotorum regis filiam *Margaretam*. At Scotici annales id *Haquino* tribuere videntur, nupsisse ei scilicet *Margaretam Alexandri* regis Scotorum filiam, non *Erico*, signate asserentes. In *Crantzij* insuper Norvegiâ non error tantum, sed ingens præterea historiæ hiatus est, dum & *Magnum* & ejus parentem filiumque *Haquinum* nuspiam agnoscat.

Anni finis, finem etiam vitæ optimo huic regum imposuit. Die enim vigesimo secundo Novembris, qui festum Cecilię proximè antecessit, conjurati, in quibus, pręter superius indicatum *Stigotum* aliosque, etiam Hallandię Comes *Iacobus* habebatur, commorantem in pago *Finderup* extra Viburgum ab itinere aut venationibus fessum, & jam quieti redditum, inopinato invadunt, ac, datis identidem ictibus, sex & quinquaginta vulneribus contrucidant. De ijsdem hoc insuper divulgatum, ora omnes personis ac larvis habuisse occultata, ac factâ resumptâque de novo conspiratione, quâ se vel ad omnia eo nomine subeunda patiendaq; paratos dictitarent, in cædem unanimes irruisse. Hoc patratum circa vigesimum nonum regni ejus annum. Diu quinam authores tam extremi facinoris fuissent, ignoratum, donec tandem ad Norvegos confugerent, & ibi à rege *Erico* vel *Haquino* potius, receptus eis in arce Congellâ concederetur. Erat autem is Danorum tum hostis, & jam pridem in oras regni maritimas incursiones instituere ac deprædari littora cæperat, causam prætendens denegatū sibi maternū hæredium: Quâ de re lis adhuc eo tempore pendebat:

ERICUS VI. Rex. A. C. Nec satis expediri hæredij divisio poterat ob incommoda ac difficultates alias, quibus indies regnum conflictabatur, quod ex superioribus liquere plus satis potuit. In ipso autem Finderupensi pago, ubi cædem perpetratam diximus, exiguum ac fere ruinosum superioribus annis sacellum visebatur, eo loci in rei tantum memoriam positum. Nam funus ipsum Wiburgum in ecclesiam cathedralem delatum, atque ibi pro more defletum regiâ solennitate sepulturam accepit. Huic Viburgensium ecclesiæ jam ante Ericus rex Lesöæ insulam, quæ Anholtæ prope Scagæ promontorium est proxima, liberali manu concesserat. Unde & toti ei diœcesi haud leves ex sale proventus quotannis accedunt.

ERICUS PIUS REX LXXXVI.

MENVED *aliàs dictus.*

ERICUS, ut memoravimus, è vivis sublatus filium sibi cognominem Ericum successorem habuit, vulgò *Menvid* ob id dictum, quod cum vel assertum vel negatum quidpiam vellet, particulam *Mend* Danis usitatam, verbis suis adjicere, ut plurimum, erat solitus. Habebatur & idem singulari pietate tum & legum atque æqui egregius cultor, quapropter etiam Pium appellitarunt. Vix duodecennis rebus administrandis admotus, matrem cum regni proceribus à consilijs habuit. Quorum mater etiam hoc effecit, ut Dux Slesvicensium *Voldemarus* ei ac regno tutor daretur, quamvis jam antę, ut modò relatum, eum pater Ericus captivum detinuisset. Ipso statim Aprili mense convocati *Schelsöram* regni proceres, qui unà cum Reginâ ac Duce *Valdemaro* de vindicanda regis morte deque regni administratione instituendâ alijsque eo spectantibus agitare consilia cœperunt. Quæ dum fiunt, conjurati ab amicis, qui regium consilium participabant, certiores facti de capite ipsorum agi comitia, potius præveniendum duxerunt, quàm præveniri. Itaque capto consilio, regem comprehendendum consentiunt; eoque comprehenso ac penes se custodito, ipsi imperium capessere nec quidquam sine suo suffragio decerni voluerunt, quo ità fœdissimum, cujus se reos non ignorabant, parricidium occultaretur. Non enim concedendum existimabant, peregrinorum quempiam in Danos dominium sibi vindicare. Verùm Rex motibus oportunè exemptus in tutum evasit. Dux *Valdemarus* excubijs circumquaque quam diligentissime dispositis, conjuratos urbe pepulit, aut ipsi, cum id quod cœpissent, irritum viderent, suâ sponte diffluentes eam dereliquerunt. Ducis milites ignari quid ageretur, & à reginâ in Ducem aliquid tentatum suspicati, reginam comprehensam Duci sistunt. Sed mox ubi res in apertum deducta omnibus innotuit, excusauit se comiter Dux *Valdemarus* reginamque demisit. Inde utrique in Fioniam ac mox in Iutiam digressi de compescendâ talium insolentiâ secum deliberarunt. Eodem hoc anno monasterium, quod in Lalandia Neostadij nomine insigne habetur, ad colophonem deductum fuit. Apud Fionios *Gesico* ad episcopale munus electus promotusque secundum privilegia ab Erico rege ei diœcesi concessa, ut nimirum ipsi inter se antistitem in locum defuncti constituerent. Cœlitus etiam animadversa prodigia, Soles tres, ijdemque iride coronati, haud vana calamitatum ac dissensionum subsequentium indicia.

MCCLXXXVII. Mox sub festum Pentecostes anni MCCLXXXVII Neoburgi conventus procerum habitus, aderatque, pręter regem & reginam, Dux *Valdemarus* cum ceterâ nobilitate omnibusq; regni præsulibus. Diu discordes & quid super parricidis statuerent, dubij hæsêre, quod ipsi è præcipuâ nobilitate ac longo sanguine censerentur. Tandem *Otho* Marchio, Reginæ frater, Dux *Witzlaus,* Comites Holsatiæ atque ex nobilitate Danicâ viginti septem designati, qui facto sacramento, de cæde inquirerent, ac quinam regis percussores essent, publicè declararent. Tum auditi testes inspectæque probationes ac lecta propalam documenta; Pronunciatumque *Iacobum* Hallandiæ Comitem, Mareschallum *Stigotum*, *Nicolaum Hallandsfar, Petrum Porsium, Petrum Iacobum, Nicolaum Canuti, Agonem Cacium, Rannonem Ionæ* & *Arvidum Benedicti* parricidij in regem esse reos, atque ideò, ut publicos regni hostes, extorres habendos bonaque ipsorum fisco adjudicari. Quibus peractis, Dux *Valdemarus,* quas antea, à parte Australi Medelfurti sitas, *Alsam, Arram, Fimbriam,* aliasque parens ejus tenuerat insulas, omnium suffragio recepit: Fuitque tum idem regis ac regni tutor publice declaratus, donec ad justam ætatem rex ipse pervenisset. Suspectatus est autem de seditione, quæ Schelsoræ fuerat excitata, *Petrus Holselus* satrapa. Dum autem eadem adhuc Neoburgi habentur Comitia, Rex Ericus, licet patre vivente id factum fuisset, denuo

Rex

Rex electus omniumque suffragijs inauguratus cum paulo ante ab *Othone* Marchione avunculo suo equestris dignitatis insignibus fuisset ornatus: Quem & ipse vicissim honorem, adhibitis pro more solemnibus, *Valdemaro* Duci contulit. Nec multo post sententiam, quæ in regis percussores lata fuerat, Imperator *Rudolphus* Habsburgensis suo etiam calculo approbavit. Hinc in Norvegiam profugi paricidæ apud regem ejus regni tum adhuc ob causas supra memoratas, Danis inimicum, asylum invenerunt. Nam & obsequium ac fidem suam ei postquam prolixè addixissent, tradidit illis *Congellæ* arcem, loco atq; operibus munitissimam. Ipsi *Hunesbalsam*, quæ sita erat in parte boreali Hallandiæ, nec non *Warebergam*, aliaq; ad Hallandiæ Comitem *Iacobum* pertinentia municipia, vallo ac fossis adversus vim atq; incursiones subitaneas reddiderunt quasi inexpugnabilia. Hoc inter Danos & Norvagos belli initium fuit, quod ingenti utriusq; clade integrum propemodum novennium attinuit. Fatalem verò annum habuerunt viri præstantissimi *Iacobus* Slesvicensium episcopus, regius Cancellarius, nec non Arhusiensium præsul *Tycho*: Illi archidiaconus *Bartoldus* Haffniensis, huic verò *Iohannes Assuerus* capituli suffragijs proximè surrogatus est. ERICUS VII. Rex. A, C.

Nec diu moratus Norvagiæ Rex, statim ineunte à nato Christo anno MCCLXXXVIII noviter inaugurato Danorum regi Erico bellum indixit, datis ad eum codicillis, quibus maternum hæredium sibi denegari querebatur, addito nonnihil de Comite *Iacobo* ceterisque regni extorribus quasi injuriâ affectis & quibus causæ suæ legitima defensio permissa non esset. Quinto deinde à festo D. *Petri* die Helsingoram cum classe appulit. Eratq; jam ante exorta desubito tempestate ejectum in littus *Culborni Catterichij* navigium. Quorum qui in terram salvi pervenerant, custodiæ traditi capitis mox pœnam subierunt. Ipse rex alterâ statim ab appulsu suo luce, factâ in terram exscensione, Helsingorę opidum, igne injecto, totum exussit. Cives atq; indigenæ receptum habuerunt in arce *Flonderburgo*. Inde, datis vento velis, Haffniam petijt: magnoq; universos terrore perculit; sed in terram descendere ausus haud fuit. Mox insulas vicinas *Venam* & *Amagum* invasit, direptisq; qui inhabitabant, tectis prædisq; eorum ignem injecit. His deinde relictis, myoparones aliquot petere *Schanoram* jussit ac prædas agere, quod ibi locorum præcipua tum regni negotiatio atq; opes essent, ob halecum capturam. Præerat myoparonibus *Cortenius Cruter*. Sed haud sine strage suorum regressi sunt, trucidatis ex Norvagis septuaginta circiter. Extorres ab alterâ parte in sinum, qui hodie adhuc *Balthicus* dicitur, vulgo de *Belt*, irruptione cum navibus similiter armatis factâ, non simplice vice regnum infestum reddiderunt. Mareschallus *Stigotus*, destructo Bratingburgo, *Samsöam* deprædabatur. Inde cum classe totâ profugi versus Tornsborgam prope *Corsoram* vela facientes, ubi Ericus Menved rex, ut plurimum agere erat solitus, urbem ac templum incendio defœdarunt. Nec aliud fatum fuit Schelsöræ. Cujus urbeculæ, quæ supererant tenues adhuc reliquiæ, in favillas similiter versæ. Hinc *Falstriam* ingressi, Nicopiam ubi diripuissent, igne perdiderunt. Norvagi eodem tempore cum parte suæ classis circa proximam Lalandiam appellentes, ubi in terram eorum perplures ad prædas faciendas essent egressi, ab indigenis fere omnes aut capti aut perempti fuerunt. Sed Nicopiæ non contenti ignem injecisse etiam arcem obsidione premere instituerunt. Verùm *Stigotus* facto mox procinctu, unà cum *Othone Hestecornio* ad regem Norvagiæ, qui juxta Amagum adhuc cum classe præcipua consistebat, enavigavit. Ubi haud diu morati, junctis viribus, *Gronzundam* petierunt arcemque Stegensem continuâ diei ac noctis oppugnatione ità infestarunt, ut nec repugnantiū alacritatem nec cladem suorum pensi habuerint. Pertinebat tum locus ille dotis nomine ad Rugiæ dynastam *Witzlaum*. Atque inde Stubbecopiam adnavigatum: Quam cum totam incendissent, die, qui *Mariæ* sacer fuit, versus Norvagiam vela verterunt. Ericus autem electus Daniæ Rex, missis extemplo in Norvagiam legatis, amicè petebat ut bello, quod erat motum, amabili quadam compositione sopito sanguini innocentium parceretur; se in morâ haudquaquam futurum, quin maternum ejus hęredium, quod suę esset potestatis, ipsi quamprimum redderetur; partem autem ejus penes Australis Iutiæ Ducem *Valdemarum* haberi: seorsim verò id expetebat ne causam extorrium suam faceret; hominum parricidarum, & qui laudatissimæ memoriæ parentem suum Ericum regem immeritissime trucidassent. Verum Norvagus pactionibus aurem præbere noluit, nisi extorres ijsdem quoque includerentur. MCCLXXXVIII

Hinc regis coronatio ipso die nativitatis Dominicæ, cum ageret jam annum decimum quartum, præsentibus Archiepiscopo Lundensi *Iohanne Drossio*, ceterisque regni episcopis ac senatoribus regium in morem celebratur. Tum & cæptum tractari per matrem ejus

ERICUS VII. Rex. A. C.

Agnetam cum rege Sueonum *Magno Ladelao* de connubio Erici regis cum filiâ eius *Ingeburga*. Dos dicta 6000 marcarum argenti puri. De die solutionis ipsi inter sese statuerent. Antea nonnihil etiam motum fuisse innuimus de Erici sororis cum *Byrgero*, Magni filio, nuptijs, quò arctior scilicet utraq; hæc regna ac reges necessitudo sociaret. Missi idcirco à Sueonum rege in Daniam legati *Henricus* Comes Glicensis & *Vernerus Brunckius*; pactumque ut *Ingeburga* regi Erico in conjugem traderetur, quamprimum ad justam ipse ætatem pervenisset, daretque interea operam ut intra triennij spacium dispensatio à pontifice obtineretur, ne qua uspiam sanguinis propinquitas nexum matrimonialem impediret. De dote autem ità conventum, ut illi haud minor daretur, quàm esset accepturus *Burgerus*, qui ejusdem sibi sororem desponsaret. Hæc pacta Helsingburgi præsente *Witzlao* Rugiæ principe, nec non Priore *Henrico* Cancellario, *Ionâ Litlo*, *Petro Hoselio* satrapa, *Davide Tostonio* ac *Benedicto Wasteno*, qui eodem regis Erici nomine delegati accesserant. Tum quoque temporis, Slesvicensium Dux Voldemarus regni tutor in Daniam deduxit conjugem suam Saxoniæ Ducis filiam, cum quâ anno superiori nuptias Molnæ celebraverat. Obijt verò regina *Mechtildis*, Abelis quondam Danorum regis conjunx, quam Byrgero Sueonum Comiti alteris nuptijs sociatam supra memoravimus. Mentionem præterea chronologi injiciunt maximi ac desubito exorti incendij, quo urbs universa Slesvicensium conflagravit. Ea ut restauraretur summâ ope adnisus est Dux *Valdemarus*, qui, destructo etiam Gottorpio, omnia ad ejus communitionem contulit. Ejusdem anni tertio post festum Paschatis sabbatho, mense Aprili sævissima ex orta seditio pugnaque inter cives *Wisbuenses* ac reliquos terræ incolas. Sed prævalentibus opidanis ac lite per Sueonum regem Magnum amice compositâ, urbs exinde muro ac fossis incincta est.

MCCLXXXIX. Sequenti anno, qui census est à nato Christo supra millesimum ducentesimum octuagesimus nonus, Comes Holsatiæ *Henricus* ejusque frater *Iohannes*, cæpto adversus Dithmarsos bello infeliciter præliati memorantur, occasione leporis qui exercitui ad pugnam accincto forte fortunâ occurrens, præliaturos in fugam egit. Quod quo pacto acciderit, referre obiter haud pigebit, ut ostendatur rem sæpenumero levissimam maximi momenti negotijs impedimentum injicere. Holsati enim cum starent jam magno nobilitatis suæ ac populi numero ad pugnam ac jugum Dithmarsis inferendum parati, contigit eorum copias desubito ac viâ transversâ leporem prætercurrere eâque occasione militem exclamare, *prætercurrere leporem*: idque exaudientes, qui posteriores erant, clamoremque in id excitatum putantes ut se in cursum ac fugam darent, fugere hoc ipso cœperunt: Quos deinde intermedij (quod existimarent aciem suorum ab hoste perruptam) continuo secuti: Et eos vicissim primi, cum abijsse unà cum postremis viderent, nec alia subsidia haberent, similiter subsecuti. Qui evadere fugiendo nequierunt, à Dithmarsis, quibus hoc casu alacritas accrevit, quique auxilia ab episcopo Bremensi *Giselberto Bronckhorstio* acceperant, interfecti sunt. Adeò ut locum hîc meritò habeat, quod vulgo creditum, etiam his temporibus, occursum leporis omen esse parum fœlix, præsertim iter ingressis ideoque & proverbio olim dictum, *lepus apparens infortunatum facit iter*, vel ut senario hoc potius è Greco, quod Suidas citat, exprimam:

Inauspicatum iter obvius facit lepus.

Postmodum verò adnitente eodem Episcopo Bremensi Giselberto, cum ejus neptem, filiam Comitis Bronckhorstij, sibi in conjugem acciperet Henricus Holsatus, bellum hoc totum compositum est, reconciliatis & in gratiam cum Holsato reductis Dithmarsorum populis.

Per id tempus Rex Ericus Revaliensium diœcesi immunitates, quas eis parens ipsius concesserat, suo assensu ratas habuit. In ijs, præter ceteras, censebatur constituendi Episcopum jus ac potestas; quamvis hoc ipsum in usum ac consuetudinem haud plene apud eos deductum sit. à collationibus interim belli tempore alijsq; oneribus exemptos pronunciavit concessitque prata ac silvam cæduam, quæ intra urbis jurisdictionem continebatur, usurpandi liberam facultatem.

Hinc die *Iohanni Baptistæ* sacro Norvagus, cui se extorres conjunxerant, denuo cum classe armis virisque hostiliter instructa in mare progressus, primùm in Alburgenses atq; inde in arcem opidumque Suinoburgi impetum convertit. Eoque direpto ac flammis fœdato domum versus navigationem instituit, cum antea Lalandiam partim divastasset, partim ad tributum pendendum coegisset. Extorres verò, qui eadem cum classe accesserant,

rant,

rant, hærere interea ac subsistere circa insulas Balthici sinus, *Hielmum* ac *Sproam*, easque communire cœperunt, ut inde facto assidue in regni districtus atque incolas procinctu eos undiquaque infestos haberent. *Petrus* autem *Hoselius* satrapa, cujus semel iterumque mentionem supra fecimus, eodem hoc temporis tractu in vincula conjectus fuit, quod de seditione excitatâ in conventu Schelscorensi suspectus haberetur, & rumor præterea ferret idem eum cum regni perduellibus agere. Captivus verò Synderburgum deductus, ibidem custodiæ mandatus est. Hujus perhibentur insignia ternæ rubræ trabes in area flava deorsum protendentes. Supremum hoc ipso anno diem clausit archiepiscopus Lundensis *Iohannes Drossius*. Cujus in locum totius diœceseos suffragio electus fuit *Iohannes Grandt*, episcopus, vel ut alij, Præpositus Roschildensis. Verùm regi reginæque minus placuit Grandij electio, quod esset perduellibus, ac præsertim *Iacobo* Hallandiæ Comiti sanguine atque affinitate conjunctus. Ipse nihilominus, acceptâ Lundensium commendatione, Romam profectus à summo pontifice, licet rege invito, solennem electionis suæ confirmationem obtinuit. Funestus præterea idem hic annus accidit Tychoni episcopo Arhusiensi. In cujus mox locum est surrogatus, ejusdem capituli archidiaconus Christiernus nomine.

ERICUS VII. Rex. A. C.

Hinc anno, qui superiorem excepit, identidem cum classe Balthicum sinum ingressus Norvagiæ Rex, Corsoram, sed frustra tentavit. ac mox Nicopiam & Holbecam territorij, quod *Otsherrid* appellant, oppidula, postquam esset deprædatus, igne injecto utrumque exussit. nec diu moratus festinatò tum temporis ad Norvagos redijsse chronologis memoratur, sive quod id postularent regni ejus negotia, sive, quod verisimile habeo, quia revocarit eum filiæ suæ *Margaretæ*, quam ex cognomine *Margareta*, Alexandri Scotorum regis filiâ, sustulerat, Scotici regni adeunda post obitum avi hæreditas. Interea perduelles, direpto Middelfurto, alia insuper loca aut deprædati sunt aut flammis illatis exusserunt. Scanienses quem eodem tempore interceperant *Alphum Ellingium*, piratam Norvagorum percelebrem, latâ per *Davidem Tostenum* satrapam sententiâ, rotæ impositum neci dederunt. Memoratur hac circiter tempestate episcopus Othoniensis *Gesico*, sublatis longo ævo pravè inveteratis consuetudinibus ac statutis nonnullis in locũ eorum reduxisse, quæ applausu plurium recepta fuerunt, idque in publico provinciæ conventu: Et inter cetera statuisse, ut in sua diœcesi fas esset sacerdotibus statuere de bonis suis mobilibus, dum in vivis non tantum essent, sed mortis etiam tempore, facto propalam testamento, exceptis solummodo ecclesiæ bonis. Si quis moreretur intestatus, ejus bona absque episcopi voluntate haud abalienarentur &c. Obijt eodem quoque tempore Rex Sueonum *Magnus*, postquam regno præfuisset annos tredecim. Eum commendant non tantum pulcherrimæ, quibus patriam emendasse memoratur, leges, sed etiam rara animi pietas, quâ verbi divini præcones prosequebatur, summopere nimirum contendens, quod de eo Gothus tradit, ut nec Dani, nec Theutones nec aliæ vicinæ gentes ipso in Christi ecclesiam liberaliores prædicarentur. Ei *Byrgerus* filius successit tum annos vix undecim natus, ideoque & *Torgyllus*, regius Dapifer, regno gubernando à patre *Magno* designatus, donec ipse Byrgerus, accrescente cum ætate prudentiâ, regni capax haberetur. MCCXC.

Mareschallus autem *Stigotus*, inter extorres haud postremus, eodem hoc tempore insulam *Hielmum* ita communierat, ut ibi in omnem eventum certum parricidæ refugium haberent. Est ea insula exigua quidem, sed loci naturâ & per se admodum firma, tum & commoda omnibus qui è sinu *Balthico* Norvagiam petunt, nam & portum situs ipse facit, & aquæ præterea dulcis scaturigines habet ac deniq; loco edito è mari extans ad vim circumquaque avertendam perquam est oportuna. Cumque identidem atque indies Norvagorum incursiones metuerentur, eâ occasione *urbis* quoque *Haffniensis* pomœria præsidijs firmata, novisque propugnaculis communita.

Injecimus superius de obitu regis Scotorum Alexandri, qui *Margaretæ* Norvagicæ avus fuit. De eo apud nostros Scoticosque authores hæc reperi: *Alexandrum* scilicet, postquam mortua esset *Margareta* Anglica, ex qua *Margaretam* item filiam susceperat, nuptam, uti ante indicatum, regi Norvagorum *Haquino* alijs est *Erico*, qui ex eâ filiam genuit *Margaretam* etiam nomine, eundem mox non uxore tantum, sed liberis etiam omnibus orbatum, *Ioletam* filiam Comitis Druidum, conjugem accepisse, & intra annum vertentem ab equo lapso excussum, fractis cervicibus, interijsse, non procul ab *Kingorno*, solâ ex ejus prosapia superstite hac, quam dixi, nepte *Margareta* Norvagica. Hæc igitur à morte avi cum unica Scotici regni hæres esset, mirum haud est reductâ quam celerrime è

Ii iij Dania

ERICUS VII. Rex. A. C.

Dania claſſe domum feſtinaſſe, ut indicavimus, ad res ſuas componendas Norvagum. Apud Scotos autem extincto eum in modum *Margaretæ* avo conventus ordinum Sconam indictus, ut ibi de novo rege creando & ſtatu regni componendo ageretur; *Eduardus* autem Anglorum rex, gnarus ſuæ ſororis neptem, regis Norvagiæ filiam unam ex *Alexandri* poſteris eſſe ſuperſtitem eandemque regni Scotici legitimam hæredem, legatos ad eam depoſcendam filio ſuo uxorem in Scotiam miſit. Hi cum in conventu procerum multa de utilitate publicâ, quæ hoc matrimonium eſſet ſecutura, diſſeruiſſent, Scotorum animos ab eâ affinitate non alienos invenerunt. Nec odia vetuſta unquam commodius aboleri poſſe videbantur, quàm ſi uterque populus, honeſtis & æquis conditionibus in unum coiret. Igitur facile de matrimonio eſt conventum. Adjectæ tantum, utrâque parte approbante, conditiones, ut Scoti tantiſper ſuis legibus & magiſtratu uterentur donec ex eo matrimonio liberi naſcerentur, qui regni potentes eſſent. Quod ſi forte nulli procrearentur, aut nati ante legitimam regno ætatem decederent, tum regnum Scotorum ad proxime è regia ſtirpe propinquos transiret. Rebus ita compoſitis, legati in Norvagiam miſſi, viri illuſtres & qui ſummæ prudentiæ apud ſuos illis temporibus habiti. Qui cum in Norvagiam appellerent, intellexerunt ante adventum ſuum diem obijſſe *Margaretam*. Itaque mœſti, re infectâ, domum redierunt. Noſtri annales in itinere & jam ſuſceptâ in Scotiam navigatione circa Orcadum inſulas defunctam injiciunt, cum annus ageretur Chriſti

MCCXCI. ſervatoris ſupra milleſimum ducenteſimum nonageſimus primus. Nec moratus Norvagus, cum accepiſſet *Eduardum* Angliæ regem veluti judicem vel arbitrum potius à Scotis electum, & ipſos, quem ille juratus regem pronunciaret, accepturos, ſuos etiam in Scotiam legatos miſit *Andium Harangerum*, *Henricum Preſtium*, pontificis Romani capellanum; nec non *Petrum Algothum*; viros omnes eo tempore nobiliſſimos, ut coram Eduardo cauſam regis ſui agerent. Exiſtimabat enim Norvagus, ſecundum jura ſui regni omnium, qui competitores eſſent, ſe proximum Scotici regni hæredem cenſendum, quod filiæ ſuæ *Margaretæ*, quamvis jam defunctæ, jus atque hæreditas proximè in ſe, utpote parentem ejus, recidiſſet. Petebat præterea à regni Scotici proceribus reditus totius regni quadriennales ab obitu ſcilicet avi *Alexandri*, uſque ad diſceſſum filiæ ſuæ *Margaretæ*, regni Scotici legitimæ atque unicæ poſt avum hæredis: Repetebat ſimiliter impenſas, quas ejus nomine dum apud ſe eſſet & poſtea feciſſet, cum ipſam inſtructâ cum claſſe tranſmiſſurus in Scotiam eſſet. Qui & Scotiæ indigenas univerſos centum millium librarum multâ afficiendos judicabat, quod non continuò & ſtatim ab avi obitu prompti volenteſque filiam ſuam *Margaretam* regni hæredem reginamque proclamaſſent. Et præter hæc, 700 inſuper marcas Sterlingicas ſibi adhuc deberi aſſerebat ex dote uxoris *Margaretæ* Alexandri filiæ. Quæ omnia ſummo jure ad ſe pertinere vi præſertim ſyngrapharum, quas inter regem *Alexandrum* ſocerum ſuum & ſe confectas haberet. Rex auditis legatis, reſponſi loco quærere cæpit quo jure aut modo ſibi attribuerent Scotiæ regnum, quod, defunctâ ſine liberis Margaretâ, in aliam ſtirpem eſſet devolutum. Reſponderunt illi, ſe ulteriora quàm dixiſſent, niſi convento prius rege ac hero ſuo, quæ adferrent, non habere. Quod ipſum cum iterum tertioque ad cauſam dicendam vocati referrent, Rex *Eduardus* pronunciavit *Iohannem Baliolum*, qui *Davidis Hamtintonij* neptem natu majorem, tum adhuc ſuperſtitem, uxorem teneret, excluſo *Bruſſio*, qui ex nepte ejuſdem Davidis natu minore erat progenitus, ſecundum patriæ morem, quo qui gradu propior eſt, jure etiam potior habetur, Scotiæ legitimum ac verum regem habendum. Sententiâ eum in modum pronunciatâ, Norvagos deinde, quod ad cetera ipſorum poſtulata, quæ regni ſucceſſionem non attingerent, ad ordines regni remiſit. Hanc eorum legationem, de quâ tamen annales, quos vidi, Scotici ſilent, referunt plerique ad annum à natali Domini milleſimum ducenteſi-

MCCXCII. mum nonageſimum ſecundum.

Quo eodem tempore defuncto Romanorum Imperatore *Rudolpho* Habsburgenſi, ſurrogatus eſt in ejus locum *Adolphus* Naſſovius operâ præcipue Electoris Epiſcopi Moguntini, qui cum arte ademptum collegis jus ſuffragandi in ſe omne tranſtuliſſet, præterito *Alberto* Rudolphi filio, quamvis adverſante *Ludovico* Palatino, præter omnium ſpem atque opinionem Imperatorem renunciavit cognatum ſuum *Adolphum*, quem dixi, *Naſſovium*, virum quidem ob edita ſub Rudolpho bellicæ virtutis experimenta non indignum imperio, niſi ab uno epiſcopo eoque ordine totus pependiſſet. Domi autem *Grandius* Lundenſium preſul, Româ jam redux, eccleſiaſticis conventum indixit, Roſchildię celebrandum, in eo præcipue de jure ac privilegijs eccleſiæ, quibus, ſub rege Chriſtophoro nec non

regis

regis hujus parēnte Erico, detractum haud parum existimabat serio asserendis ac sarte tecteque asservandis agitatum. quamvis annalium nonnulli non ad præsentem hanc sed proxime antecedentem anni æram eandem synodum referant. A. C.

Sequens annus initio sui id memorabile habuit, quod abstulerit Mareschallum *Stigotum*, perduellium facile principem. Is cum in insula illa, quam supra nominavi, *Hielma* diem obijsset, famulorum ejus nonnulli sepeliendum eum in templo Hinsholmiæ idque de nocte curarunt, ne quis omnino rescisceret, ubi funus ejus esset depositum. quamvis ancilla quæpiam, forte fortuna animadvertens in æde illâ lumen accensum, rem sacerdoti aperuit. Ille postmodum in locum sepulchri anquirens haud tamen scire potuit quisnam ibi conditus esset. Sericum interea, quod cadaveri erat impositum, ablatum est, ac frustum ejus ancillæ traditum. Quæ cum interjecto tempore uni ex Stigothi famulis nuberet & ille sericum domini sui noscens illud ancillæ, quam duxerat, pulvinaribus assutum videret, quærit ex eâ unde id habuisset, illa cum rem, ut erat, narrasset ac metuens famulus ne cuiquam innotesceret, quo loci funus heri sui haberetur, eam peremit. Sed hoc utcunque se habeat, illud constat, eundem Stigothum paulo ante obitum & jam moribundum suos ad concordiam cohortatum, utque unum omnes agerent, seriò commonuisse, allatâ historiolâ sive symbolo potius quod regem quendam Tartarorum liberis suis commendasse ferebat, telorum nimirum in se colligatorum fasciculum haud facile frangi, dispersâ vero ac separata quàm facillime. MCCXCIII.

Inde conventus prope Varbergam decretus, in loco qui *Grodera* dictus est. Quo licet regum uterque Daniæ Norvagiæque dictâ die ad pacem feriendam convenirent, parum tamen aut nihil, quod ad sarciendam amicitiam faceret, peractum memoratur. Nam & Rex statim Norvagorum, comparatâ classe armis virisque instructissimâ, quæ expeditionum ejus navalium in Danos quarta fuit, mare vicinum ingressus maxima indigenis detrimenta intulit. Nec tamen ipse nec, qui ei conjuncti semper adhærebant, Regni perduelles in terram tum egressi fuerunt, sed naves quascunque negociatorum aliorumque obvias sibi habuêre, adorti, ijs captis ac spoliatis, nautis etiam vel cæsis vel necatis ac navibus igne subinde injecto multiplex damnum regno dedêre. Secundum hæc Regis Erici mater, Regina *Agneta* iteratas nuptias auspicata inferiorem suâ dignitate maritum accepit, Comitem nimirum *Iohannem II* Vagriæ dynastam. Hic ille *Iohannes* est, cui morionem fuisse in delitijs memorant, quem ille dum alijs, se præsente, exercendum permittit, morioq; non Comitem sed alios petens, Comiti oculum imprudenter osse excussit. Ex ea liberos habuit *Iohannem* Chilonij & Holsatiæ Comitem, Ducem aliàs Vagriæ appellatum, nec non *Christophorum*, qui infans casu fortuito è loco sublimiori in arce Chilonensi decidens in fata concessit.

Valdemarus postremò, quem supra Sueonum rex cum esset à Magno in ordinem redactum ac carceri denique inclusum retulimus, hoc tempore supremum diem clausit, cum paulo ante filius ejus *Ericus*, non tam ob sua quam patris demerita, ut habet Suecorum historia, similiter comprehensus inque vinculis Stocholmiæ aliquandiu detentus, capitis tandem supplicium subierit.

Proximo, qui secutus est, Christi anno ducentesimo nonagesimo quarto supra millesimum, missi Revaliâ legati, ordinis ecclesiastici viri, qui Roscildiæ præsentibus episcopo atque alijs ejusdem territorij diserte professi sunt se à collegio suo in Daniam ablegatos, ut declararent se ac prædecessores suos jus constituendi episcopum nunquam habuisse, nec id sibi unquam arrogasse: Sed eam semper prærogativam Daniæ regibus ipsorumque majoribus nec non regi præsenti fuisse atque esse, ut quem ipsi ad ejusmodi dignitatem idoneum ac commodum judicarent eum Canonicorum collegio sisterent ac præsentarent. Idque ita se habere nec quidquam unquam in adversum acturos, facto jurejurando ac dato sub Episcopi totiusque collegij sigillo chirographo, confirmarunt. MCCXCIV.

Sub idem tempus Roschildenses *Rannonem Ionæ*, olim patris Erici regis cubicularium ac conjuratorum unum in ædibus *Nicolai Brockenhusij* comprehensum in carcerem compegerunt. Erat is Lundensis Archiepiscopi sororis filius; ac postquam sub torturâ, præter alia, fuisset professus se regem ceteris prodidisse, dum & locum, quo esset sub noctem hospitaturus, indicasset, & januam insuper prædij, dum alij facinus peragunt, oppositâ serâ custodivisset, extra urbem incussu rotæ membra convulsus lentâ morte peremptus est. Nec longâ interjectâ morâ, Ericus rex per fratrem suum *Christophorum* comprehendi similiter ipsum Archiepiscopum jussit, anno præsulatus ipsius quarto, sicut & Præpositum

Ii iiij ejusdem

ERICUS VII. Rex. A. C.

ejuſdem diœceſis *Iacobum Langium*. Cauſam facti eſſe demonſtrabat, colluſionem eorum cum parentis ſui percuſſoribus quodque ope ac conſilio eoſdem, quâ daretur, juvarent; & archiepiſcopus præterea *Grandius* nonnullos ex conjuratis ſanguine attingeret, & ipſum denique archiepiſcopatum non inconſulto tantum ſe, ſed invito quoque arripuiſſet. De horum autem incarceratione ac cuſtodia præſertim Iohannis Grandij ſeorſim referri multa poſſint, ni longius foret. Lectorem interea remittimus ad libellum hac de re fuſe agentem, quem edi olim ac publicis typis vernacule deſcribi curavit felicis memoriæ nobiliſſimus *Arnoldus Vitfeldius*, regni olim Cancellarius. Tum & habet hiſtoria Bremenſis, quæ huc ſpectant, ſuo exinde loco haud omittenda.

Hoc peracto, Rex codicillos evulgari fecit, in quibus declarabat ſe clerum totumque Eccleſiæ Lundenſis ſodalitium licet paſtore orbatum ſuo nihilominus patrocinio defendendum ſuſcipere. Ideoque & inhibere ac ſerio mandare, ne quis cleri aut monaſticorum jura aut libertates tollere vel ijs quidquam derogare in animum inducat ſuum niſi ſe vindicem atque ultorem experiri cupiat. Horum codicillorum hoc exemplum eſt:

„ Notum facimus univerſis, quod nos viros venerabiles dominos Decanos, Oeconomos & Capitulum Lundenſis eccleſiæ, nec non omnes & ſingulos clericos ejuſdem diœceſis unà cum omnibus bonis ſuis & familia ijſdem attinente, ſub noſtra pace & protectione ſuſcipientes ſpecialiter defendendos, prohibemus diſtricte ſub obtentu gratiæ noſtræ, ne quis cujuſcunque conditionis, ipſos aut ipſorum aliquem, aut quemcunque de ipſorum familia ſuper bonis epiſcopalibus, aut ſuis eccleſiaſticis vel mundanis contra jura, leges & libertates ſibi conceſſas, in bonis aut perſonâ impedire præſumat, ſeu aliquatenus moleſtare, ſicut ultionem regiam voluerit evitare. Nolumus enim ſanctam matrem eccleſiam, aut clerum prædictæ diœceſis, quanquam paſtorem non habeat, in bonis ſuis, juribus aut libertatibus injurioſis aliquorum tyrannorum morſibus ſupprimi vel gravari; Cum ex commiſſo nobis officio tenemur ſpecialiter paci ſuæ & quieti ſolicite providere. Datum feria IV poſt diviſionem Apoſtolorum, qui dies eſt Id. Iulij.

Sed Præpoſitus *Langius* ſeptimanis aliquot in cuſtodiâ detentus captâ elabendi occaſione, clam evaſit, ac mox Romam profectus multa de ſe multaque de ærumnoſa archiepiſcopi ſorte apud ſummum Pontificem conqueſtus omnia egit ut rege gravato pontificis animum favoremque præoccuparet. Et quod fieri fere ſolet, ut mala malis cumulentur,

MCCXCV.

lis haud multo poſt anno ſcilicet milleſimo ducenteſimo nonageſimo quinto, exorta inter regem Ericum & Ducem *Valdemarum*, quod exiſtimabat Rex illam procerum conceſſionem, qua Duci *Alſa, Arra, Fimbria*, aliæque regni inſulæ, cum regni tutor declararetur, tranſcriptæ fuerant, minus ex æquo ac bono factam, & ſtandum potius parentis ſui, quam de eâ controverſiâ tulerat, ſententiâ. Eique occaſioni haud defuit Rex Norvagiæ unà cum regni perduellibus, ſicuti nec ipſe Valdemarus; ſed facto confeſtim inter ſe fœdere ac junctis viribus, de novo minitari Daniæ cœperunt. Frater etiam Ducis Valdemari, Dux Langelandiæ *Ericus*, ductâ in conjugem *Sophiâ*, quæ matris Norvagiæ regis ex ſorore neptis erat, nata ſcilicet ex *Sophiâ* Danicâ & *Valdemaro* Sueco, quem mortuum in cuſtodiâ modo diximus, firmiori ſe eorundem amicitiæ innexuit. Hanc *Sophiam* non me latet authores domeſticos Valdemari Suetici viduam aſſerere matriſque Norvagiæ regis ſororem. Sed id quomodo potuerit, cum eâ, ut ipſi fatentur, & nos ſupra poſuimus, anno 1284 defunctâ, nova poſt ejus obitum connubia Valdemarus contraxerit? Inter memoriæ itaque hoc ſphalmata habendum & pro *Sophia*, viduâ Valdemari, filia ſubſtituendum etiam in tabulis Ducum Sleſvicenſium genealogicis. Valdemarus autem Dux tempori ſerviendum ratus, nec diu deliberatione habitâ, cum claſſe armatâ in mare prodijt. Et Rex viciſſim, civibus non modò, ſed & monaſticis etiam hominibus cenſu indicto claſſem ſimiliter eduxerat, quæ Ducis copijs in freto, quod *Gronzundt* appellant, obviam facta, eas oppreſſit ac peſſundedit univerſas.

Interea archiepiſcopus *Iohannes Grandius* è turri arcis Seburgenſis, in qua ſervabatur, miro artificio evaſit, occaſione atque induſtria cujuſdam coci, qui illi in carcerem panem intulit paulo grandiorem, ita confectum, ut præter ſcalam è cannabe contextam, etiam limam incoctam haberet: quâ ille ferramentis ac compedibus protritis ſe per ſcalas demiſit, demiſſus primo Borneholmiam atque inde Romam petijt.

Valdemarus verò occaſione belli, quod imminere exiſtimabat, Gotorpium, antea, ut diximus, disjectum, exædificare de novo ac foſſis circumquaque incingere, additis etiam vallorum propugnaculis, curæ habuit. At rex aſſidue tum Hinſgavelæ agebat, ubi amicabilis

cabilis inter ipſum & regem Norvagiæ conventus erat indictus. Quo tamen tempore aut loco, quia res componi in totum nequijt, induciæ hyemales pactæ, ut ſub annum nimirum proximum Egeholmiæ prope Schelſoram ad pacem firmiter ac ſemel conſtituendam conveniretur. His inducijs comprehenſi ſunt, à parte unâ Rex Ericus ejuſque frater *Chriſtophorus* ceterique amici ipſorum ac ſubditi: à parte verò alterâ Norvagiæ Rex cum ſocijs ejuſdem ac ſubditis. Dum autem eæ induciæ durarent, liberum eſſet unicuique ad cauſæ ſuæ defenſionem teſtimonia conquirere, commeare per alterutrius regna ac territoria, in ijſque negotiari ac commercia exercere, exceptis perduellibus. Rex Norvagiæ ut poſſidet, ita quæque bona ac hæredia materna poſſidebit. Quæ autem ulterius ad ſe pertinere judicabit, de ijs ſecundum leges ac ſtatuta regni municipalia pronunciabitur. His infra ſcriptis Comiti *Iacobo*, *Nicolao Canuti*, *Petro Iacobi*, *Nicolao Hällindsfar*, alijſque eorum ſocijs cujuſcunque ſtatus ac conditionis ſint, qui è Daniâ in Norvagiam quamcunq; etiam ob cauſam profugerant, ſicuti & defunctorum hæredibus libere intra Daniam commorari permittebatur; tantum ut ij, qui rei pronunciati erant regiæ cædis, caverent ne in regis aut Ducum *Chriſtophori* ac *Valdemari* conſpectum progrediantur; ſi tamen id caſu contigerit, tum ex conſanguineis ipſorum duodecim jurejurando teſtarentur ſtudio ac deditâ operâ factum non eſſe. Bona eorum in fiſcum redacta Rex reſtitui curabit; Norvagiæ Rex ſibi ſervabit *Hielmum* ac *Huneſhalſam*. Captivi utrinque dimittentur. Nova propugnacula nulla excitabuntur: Nulla etiam vectigalia extraordinaria ſed tantum conſueta exigentur. Dux *Ericus* Langebenius frater *Valdemari* Sleſvicenſis bona quæcunque in regno Daniæ ſunt ſita pertinentia ad conjugem ejus *Sophiam*, quæque illi hæreditate obvenerunt ex Regis Erici ſororibus *Iuditha* & *Agnetâ*, ea cuncta recipiet. Si quis alius in eaſdem poſſeſſiones aliquid prætenderet cum eo jure agere tenebitur. *Ericus* item Auſtralis Hallandiæ Dux, *Canuti* Ducis filiam, quæ ad ipſum ſpectant, tuto tenebit, cetera verò inter regem & eum de bonorum poſſeſſionibus controverſa per arbitros decidentur. Si quis agere cum rege velit de hæredijs reginæ olim Suecorum *Sophiæ*, ea lis ſecundum jura ac leges patrias inſtituenda. Hæc ita fore ac ſancte ſervatum iri promiſerunt *Ferrandus* archiepiſcopus Nidroſienſis, *Nerva* Bergenſis, *Amundus* Opſloenſis, epiſcopi; itemque equites *Bernerus à Berkero*, *Thoro Haquini*, *Iohannes Benolphus*, *Iſacus Gautenius*, *Erlandus Amundi*, *Vedmundus Erlandi*, alijq;. Datum apud Hegneſgaff vel MCCXCV dominica primâ poſt feſtum beati Matthæi Apoſtoli. Similiter & cum *Valdemaro* Sleſvicenſium Duce reconciliatio tum inita, hac tamen conditione, ut ſecundum ſententiam à rege olim *Erico* Glipping latam, cujus ſummam in rebus ejus retulimus, regno redderet *Alſam*, *Arram* & *Fimbriam*: Erant & aliæ de bonorum diviſionibus inter regem & *Valdemarum* ejuſque fratrem *Ericum* controverſiæ, quas omnes arbitrorum ſententiæ ac præſertim *Gerhardo* Holſatiæ Comiti dijudicandas permiſerunt.

ERICUS VII. Rex. A. C.

Hinc anno proximo ducenteſimo ſupra milleſimum nonageſimo ſexto celebratæ Helſenburgi maximâ cum ſolennitate regis Erici cum *Ingeburgâ*, Sueonum regis *Byrgeri* ſorore, nuptiæ. Atque inde trium regnorum Daniæ, Sueciæ ac Norvagiæ regum ſub feſtum divi *Iohannis* in loco, cui *Sommerſtadium* eſt nomen, conventus eſt habitus. Ibique de certâ pace cum Norvago ineunda tractatum. Sed res ſucceſſum non habuit. Induciæ interim, quæ anno antecedente pactæ fuerant, integrum biennium prorogatæ. Acta eodem tempore apud Romanum pontificem *Bonifacium* octavum archiepiſcopi *Iohannis Grandij* nec non *Langij* Præpoſiti cauſa, patrocinium eorum ſuſcipiente *Regenvaldo Sicciâ*; à Rege ac Duce *Chriſtophoro* miſſi eodem fuere *Martinus* Cancellarius & *Guido* Ripenſis Præpoſitus. Idem mox *Martinus* in locum ſuum ſurrogavit *Georgium Interamnen* atque inde *Martinum* advocatum Pariſienſem magnis ſumptibus conductum, ut ſe abſente cœptam cauſam ſuâ ſuadâ promoveret. Sed pontifex dum aliquot è numero Cardinalium conſtituit, qui partis utriuſq; criminationes ac reſponſa exciperent eaq; propius cognoſcerent, variè ac maximis cum impenſis res acta eſt. Tandemque regno ac regi ſacris interdictum; pronunciatumque ut rex 49000 argenti marcas archiepiſcopo perſolveret. Anni hujus MCCXCVI tam acris fuiſſe bruma memoratur, ut vaſtus ille oceani ſinus, qui eſt inter Norvagiam ac Schagæ promontorium, itâ gelu conſtrictus ſit ut ingens populi multitudo Anſloâ in adverſam Cimbricam cherſoneſum, nunc *Iutiam* dicimus, per glaciem pedes tranſmitteret, res, ut exiſtimo, inauditi antea exempli adeoque hoc loco à nobis haud prætereunda. MCCXCVI.

Sequēti anno hoc ſolum apud chronographos annotatum reperio, ſimultatis nonnihil inter regem ejuſque fratrem *Chriſtophorum* exortum occaſione propemodum ejuſmodi: MCCXCVII.

Rex

ERICUS VII. Rex. *A. C.*

Rex cum forte fortunâ Callumburgum iter instituisset (quem tum Comitatum unà cum *Holbeca* & insulâ Samo, *Samsoa* vulgo, frater ejus *Christophorus* tenebat) & jam urbi appropinquantem animadverterent excubiæ, solitò frequentiore satellitio accedere, valvas portarum ei occludunt: Rex, qui portam servabant, extemplo compellari jubet & accusari ut in regnum perduelles. Et licet Dux *Christophorus* medium se interponeret eosque excusare conaretur atque edito jurejurando asseveraret, se ut nescio, ità haudquaquam in regis vel contemptum vel contumeliam hoc factum, vix tamen redintegrari inter fratres amicitia potuit, nisi prius excubitorum unus alterque capite plecterentur.

MCCXCVIII.

Sententia verò in regem, ut modò retulimus, à pontifice latâ missus ab eodem in Daniam est anno Christi millesimo supra ducentesimum nonagesimo octavo *Isarnus* pontificius Capellanus, qui eam executioni mandaret. Dumque Lubecæ aliquantum subsistit, moritur Præpositus *Iacobus Langius*, accusatorum regiorum alter. *Isarnus* priusquam in Daniam digrederetur, cum eodem verba commutavit archiepiscopus *Grandius* Lubecæ. An verò & quo exinde tempore in Daniam idem advenerit, haud diserte annotatum reperi. Nec eo etiam anno quidquam, quod eam causam attinet, dignum memoratu magnopere occurrisse chronologi referunt.

Per idem tempus occiso in acie *Adolpho* Imperatore, adversarius ejus *Albertus* Austriacus, *Rudolphi* Habsburgensis filius, in imperio successit. Hujus temporibus Othomannica domus Turcique, quos vocamus, ab exiguis progressi initijs maximas vires acquisiverunt. Cum enim antea ex nimiæ potentiæ æmulatione fuissent inter se discordes, hac præsertim tempestate in unum juncti perplures Byzantinis Imperatoribus provincias ademerunt. Quibus universis ceu in tetrarchias divisis etiam singuli potestate regiâ imperare cœperunt. *Carameno* enim Alismeio obvenerunt pleraque mediterranea Phrygiæ, ad Philadelphiam usque & Antiochiam, quæ Meandro adjacet. Hinc quidquid in Smyrnam & interiorem Ioniæ oram pertinet, cessit *Sarchani*: Magnesiam, Prienen & Ephesum *Sason* occupavit. Quidquid verò à Lydiâ & Ætoliâ ad Mysiam usque & Hellespontum porrigitur, id *Calames* sibi & filio *Ceraso* vindicavit. Quæ circa Olympum sunt, Bithiniamque omnem *Ottomannus* invasit. Reliquam à Sangorio flumine regionem ad Paphlagoniam usque *Amuriadæ* inter sese partiti sunt. Sed & hi ipsi cum inter se vicissim diffidere inciperent, deq; regnorum ac provinciarum finibus impune bello contenderent, victis aut oppressis ceteris, una omnium familia Ottomannidarum, occupatâ diffidijs ac bellis domesticis Europâ, tyrannidem obtinuit; quæ hodieque *Turcarum* appellatur. Eaque cujusmodi sit & nomen & eventus ostendunt. *Turca* enim *vastatorem* notat, & res haud aliud declarat, cum terræ ditionesque, quas ipsi occupant, artibus, doctrinâ alijsque ornamentis florentissimas, in solitudinem meramque redigantur barbariem, sine cultu ac luce literarum, sine legibus ac vitæ normâ sordescentes; idque fato ac Deo mortalibus irascente, qui ob delicta populorum tam latè ac læte grassari sævam adeò ac trucem gentem permittit.

MCCXCIX.

Mox sub anni sequentis initium, ipso mense Ianuario venit in Daniam denuo *Isarnus* ac publicè interdictum pontificis promulgari Othoniæ curat. Regius procurator *Henricus* Revaliensium episcopus eodem tempore 3000 argenti marcas conficere laborabat, archiepiscopo certis intervallis reddendas, ad resarcienda quæ passus fuisset, detrimenta. Sed cum nummi ex tempore parati non essent, novus conventus Haffniæ decretus. Interea *Isarnus* Alburgum proficiscitur, unde circa Quadragesimæ tempus ad regem literas dat, quarum hæc fere summa erat: Regem ex sententia summi Pontificis teneri ad solvendum archiepiscopo marcarum 3000 in compensationem bonorum amissorum; 6000 loco damni & usuræ; 40000 ob carcerem aliasque injurias ac dedecus ipsi illata: vel aliâs amicâ compositione cum eo transigendum curaret; Quod nisi fieret, graviora fortasse subsecutura; Excommunicationem & regni ac coronæ in alium translationem: Quibus literis hoc tantum *Isarnus* obtinuit, ut archiepiscopo salvus conductus Haffniam veniendi concederetur, si forte amicè negotium transigi posset. Sed archiepiscopus, sive quod serius illi literæ redderentur, aut quod ijsdẽ haud satis fideret, in insulâ Borringholmiæ substitit, ac nomine suo ad conventum ablegavit *Nicolaum Bunkeflodium* Canonicum Roschildensem: Regis missu eodẽ accessêre procurator regius, nec non *Esgerus Iul* Canonicus Ripensis. Negotium diu tractum est, ac modi quidem indicati, quibus componi res posset, sed nequicquam omnia. Tandem *Isarnus* latâ sententia, adjudicat archiepiscopo tertiam partem civitatis Lundensium, Monetariæ officinæ tantundem, item bona omnia, quæ regis

regis eſſent propria in inſulâ Borringholmiâ: ſimiliter & urbes, vicos, arces, parochias, ſilvas, piſcationes, mercatus aliaq; ejuſmodi in diœceſi Lundenſi ad regem ſpectantia cum juriſdictionibus ac privilegijs omnibus. Munia etiam ac præfecturas earundem poſſeſſionum alijs continuò adſignat. Verùm Rex cum ęgrius hoc ferret & plura quã jus permitteret, ſibi vindicare *Iſarnũ* teſtaretur, non erant, qui oblatas præfecturas acciperent. Ac mox ad ipſum pontificẽ factâ provocatione, cauſam ſuã toti conſiſtorio cognoſcendã tranſmiſit.

Circa idem hoc tempus iterum cum Norvago agi cæptum, indictuſque Preſtholmiæ in Hallandia conventus, quo tamen accedere perduellibus haud conceſſum. Antea nonnihil inter regem utrumque Haffniæ erat ad pacis promotionem decretum, operâ *Berneri Birckeri* & *Odderi Haglai*, Norvagorum equitum: Quod ipſum, interea dum ad ulteriora agenda progrederentur, pro firmo ac rato habitum. Hoc verò, de quo dictum, Præſtholmienſi conventu, ſalvus conductus eſt datus *Erico* Norvegiæ regi, ac Duci *Haquino*, exceptis ſuperius indicatis perduellibus. Quibus ut & Duci *Erico Langebenio*, Ducis Sleſvicenſium *Valdemari* fratri, accedere haud propius quam circa Helgoam conceſſum. Hoc inſtrumentum obſignarunt unà cum rege Dux Rugiæ *Vitzlaus*, Dux Hallandiæ *Ericus Canuti*, *Ago* ſatrapa, *Nicolaus Laurentij*, *Olaus Tagonis*, *David Paper*, *Petrus Ionæ*, *Olaus Tagonis*, *Petrus Nicolai Toſlandus*, *Hamundus Lille*, *Ioſephus Magni*, *Iohannes Nicolai*, *Nicolaus Brock* & *Ingvardus Hiort*. Qui & addito ſacramento ratum hoc ipſum fore declararunt. Apud Sueones tum etiam *Byrgeri* cum regis Erici ſorore *Margaretâ* nuptiæ factæ, idque maximo cum apparatu Stockholmiæ. Ei in dotem præter alia loca ac territoria aſſignata fuit Enecopia. Ripis, defuncto *Tychone* præſule, archidiaconus *Chriſtianus* in ejus locum omnium votis eſt ſurrogatus, vir non minus nobilitate generis, quàm pietatis ac doctrinæ ornamentis eo tempore conſpicuus. Is cum non ignoraret Scholas eſſe reipub. ac præſertim eccleſiæ ſeminaria, aperiri Ripis ludum literarium curavit conceſſo in eum uſum ex bonis proprijs inſigniori ædificio ac reditibus, qui frumenti quatuor & viginti laſtis cenſebantur, præter pecora & pecuniam, aliaque ad alimoniam xx ſtudioſorum pertinentia: Quæ liberalitas cum rari ac memorandi apud poſteros exempli ſit, ipſius fundationis literas ſubjeci:

„ Omnibus præſens ſcriptum cernentibus Chriſtiernus D. G. Ripenſis Epiſcopus ſalutem in Domino ſempiternam. Cura ſuſcepti regiminis nos inducit ut perſonas eccleſiæ utiles prærogativâ ſpecialis gratiæ proſequamur. Etſi ad proviſionem cunctorum, qui eleemoſynam expoſcunt inclinati ſumus, ijs tamen qui dant operam ſcientiæ clericali, ut clericali ordine famulentur eccleſiæ, debet non immeritò etiam de bonis eccleſiaſticis provideri, ut ab eo vitæ ſtipendia accipiant, cujus obſequijs mancipantur. Hinc eſt quod conſtare volumus univerſis, Nos omnia & ſingula bona mobilia & immobilia inferius annotata, cum eorundem attinentijs quæ tempore adminiſtrationis quo Ripenſi eccleſiæ præſedimus, ex noſtro patrimonio acquiſivimus, in honorem & gloriam Dei, ex unanimi conſenſu & conſilio Capituli noſtri ad ſuſtentationem viginti pauperum ſcholarium, idoneorum ad literas diſcendas undecunque de epiſcopatu Ripenſi aſſumendorum, ſub communi cohabitatione & convictu eorundem, ſecundum formam & regulam eis competentem Ripis in perpetuum faciendam ac de conſilio archidiaconi pro tempore & Capituli ordinandam exiſtentium contuliſſe, ſcotaſſe & ſub reali poſſeſſione tradidiſſe jure perpetuo poſſidenda. Bona autem ſunt hæc: una curia in Vexebij, quam à Nicolao Horck juſto ſcotationis titulo obtinuimus, quatuor curiæ in Methim cum molendino ibidem, una curia in Finekier in Salingſyſſel, una curia in Wilſtrup in Almyndſyſſel, cum colono ibidem, una curia in Hotrop, quæ debet redimi, per nos vel ſucceſſores noſtros pro ducentis marcis denariorum legalium, iterum pro utilitate dictorum ſcholarium convertendis, una curia in Slodborg, quam habuimus de Andrea Akeſon; omnes terræ noſtræ in Segerſloff, omnes terræ noſtræ in Sckaff, omnes terræ noſtræ in Forbalgum, omnes terræ noſtræ in Randrup, decem oræ terrarum in Gertrupmarck in cenſu cum viginti plauſtratis fœni ibidem, omnia bona noſtra in Bole, in Parochiâ Longborg, item de Parochia Henne, in quâ jus patronatus nobis competit, quadraginta marcæ denariorum uſualium, vel quinque libræ Sterlingorum pro optione vicarij perpetui, qui pro tempore ibidem fuerit, cui etiam de reſiduo reditu ejuſdem eccleſiæ credimus nos congruam portionem reſignaſſe, in divinis competentibus annuatim in perpetuum exſolvendam eſſe, cum multis reliquis bonis. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum, unà cum ſigillo Capituli noſtri ſupradicti præſentibus literis eſt appenſum. Datum & actum Ripis, ſalvo nobis jure dicta bona in bona æquivalentia vel meliora commutandi. „

Porro

Porro *Iſarnus* cum ſuperiori illo conventu magis exaſperaſſet, quàm mitigaſſet regis animum, manſit ac perduravit in aliquot annos interdictum pontificis, adeo ut ubicunque Rex aut Regina agerent, ſacra non fierent. *Lubecenſes* eodem circiter tempore regem Ericum, miſſis ſolemniter legatis delatoque ei protectoris titulo orarunt, ut ſui defenſionem ſuſciperet. Quâ de re poſtquam habito cum regni ſenatoribus conſilio, deliberaſſet, protectionem eam in annos decem ſe ſuſcipere eorumque jura ac privilegia ſarta tecta adverſus quoſcunque tutaturum promiſit. Ei viciſſim *Lubecenſes* quotannis 750 argenti marcas perſolverent, ità tamen ut ſi intra dictum annorum terminum rex defungeretur etiam contractus iſte nullius exinde momenti eſſet. Interea autem dum urbis protectorem agit, nullibi Lubecenſes, vel armis aut ſimilibus belli ſubſidijs, regis hoſtibus ſuppetias præſtarent. Civibus interim commercia exercere & apud vicinos res ſuas ac mercimonia diſtrahere liberum eſſet. Daniqne & Lubecenſes ubicunque occaſio ferret, ſibi mutuo, ut ſolent populares, adeſſent, manuſque auxiliares præberent.

Referunt annales domeſtici in eundem hunc annum (alij ſequentem ponunt) *Erici* Norvagiæ Regis filij *Magni* obitum; cui & nuptui datam volunt *Margaretam* Scotorum regis *Alexandri* filiam, & ex eâ natam eidem filiam *Margaretam* etiam nomine, ut ſupra meminimus. At Scotici authores proximè ſucceſſiſſe *Magno Haquinum* filium tradunt, atque illi *Margaretam* fuiſſe collocatam. Buchananus, quamvis paulo corruptius, *Haggonanum* tamen diſerte nominat. Et *Crantzius* eum ipſum *Ericum* non patris *Magni*, cujus nullibi meminit, ſed *Olai* ſucceſſorem facit, ut vel inde liqueat, magis divinare eum de Norvagicis illius ſeculi rebus, quàm certum aliquid tradere, quod nec ipſe diffiteri eo loco videtur. At nos ſequuti Norvagiæ chronicion vernaculum, jam ante ſæpiuſcule ad teſtimonium nobis citatum, deprehendimus poſt *Suerum* ſceptro potitum filium ejus *Haquinum*: Cui & filius *Haquinus* fuerit. Eoque adhuc impubere regnum adminiſtraſſe primo *Guthornum Sivardi* atque inde *Ingonem*: Ac ijs mox defunctis vocatum ad imperium *Haquinum* illum, *Haquini* ex *Sueo* nati filium. Qui & mox *Magnum* genuerit, parentem *Haquini* hujus, cui nuptui datam Scotorum regis filiam *Margaretam* jam diximus. Adeò ut defunctum quem volunt annales regem *Ericum*, Rex jam ante unà cum fratre tum fuerit, utpote *Haquino* major natu. Chronicion autem, cujus memini, licet in *Magni* rebus deſinat, id nihilominus contuliſſe, præter alia fatendum, ut eum regum ac temporum Norvagiæ hiatum, qui eſt apud *Crantzinm* ſtatim poſt nominatum *Haquinum Sueri* filium ex eo ſuppletum hoc pacto habeamus. Quocirca nec abs re exiſtimem proxime hîc ſubjicere genealogicam regum Norvagiæ tabulam abuſque *Haraldo Harfagero* ad hæc uſque tempora, &, quæ exinde ſunt ſequuta, Reginæ *Margaretæ*: Cujus cum *Haquino*, *Magni Smeci* filio, nuptijs Danicæ coronæ regnum Norvagiæ primò, quod inde referetur, unitum eſt. Ut ità regnum idem Norvagiæ, ſi ab *Haraldi Harfageri* majoribus uſque ad *Margaretam* jam memoratam calculum deducamus annis pluſquam quingentis ab ejuſdem *Haraldi Harfageri* progenie ac natis natorum ſit legibus ac jure adminiſtratum rectumque. Quod ipſum etiam (ut iſtâ occaſione id interſeram) haud vane ſomnio matris ejuſdem *Harfageri* portenſum. Nam ipſa eo gravida, ut habet Norvagiæ vernaculum chronicon, ſibi per quietem viſa eſt ex ſuo ſinu ſpinam ſive ramum expromere, unde ingens mox, adeoque procera opacaque arbor enata, ut rami ejuſdem pampinique univerſam viderentur ſuâ opacitate inumbrare Norvagiam. Et ita revera fuit, ſi ex ipſo ejuſque proſapiâ tot exinde Norvagiæ principes regeſque progenitos videamus. quemadmodum & olim ſimili fere oſtento, teſtante *Suetonio Tranquillo*, matri Imperatoris *Veſpaſiani Veſpaciæ* antiqua, in ſub urbano Flaviorum, quercus per tres ejus partus, ſingulos è frutice ramos dedit, haud dubia ſigna futuri cujuſque fati: & primum quidem exilem & citò areſactum; ideoque puella nata non perennavit; ſecundum, prævalidum & prolixum, & qui haud parvam felicitatem portenderet: Tertium verò, inſtar arboris, qui *Veſpaſianum* Imperatorem præſignificavit, ſicuti ſecundus *Sabinum*, ejus fratrem, ad præfecturam urbis provectum. Sed ipſam nunc *Harfageri* Genealogiæ ſeriem totque uno ex ſtipite progreſſos ramos, vel, ut verius dicam, natorum natos paulo propius inſpiciamus. Eſt autem ejuſmodi:

HARALDI

HARALDI HAARFAGERI *Norvagiæ regis, ex diversis conjugijs liberi fuere* xx. *Quorum præcipui memorantur:*

ERICUS Blodoxe *Norvagiæ rex.* | Olaus Digrebeen. | Biorno robustus. | Sivardus Rise. | HAQUINUS *cognomento* Adelstanus.

HARALDUS Graafelder *regno potitus post* Haquinum Adelstanum. | Tryggo *cæsus ab* Haraldo Graafeldero. | Gundraad *cæsus item ab* Haraldo Graafeldero. | Sivardus Syr, *sive victoriosus. vide infra.* *

OLAUS Truggonis *rex, submersus in conflictu navali. Ei* Thyram, *non filiam, sed sororē* Suenonis Tiuskeg, *conjugem tribuit Chron. Norv. p.39.* | Haraldus Grensche *pater* S. Olai *vide infra.* †

HAQUINUS Iarl, Sivardi Iarli *filius. vide Chronicon Norvagiæ vernaculum pag. 35. Norvagiæ regno ejectus ab* Haraldo Graafeldero, *restitutus ab* Haraldo Blaatand, *rege Danorum. vulgo* malus Iarlus *vocitatus.*

ERICUS Iarl *cum* Suenone Tiuskeg *rege Daniæ, &* Olao Fónske *rege Suecorum regnum Norvagiæ partitus est. Vxor ei fuerit filia* Suenonis Tiuskeg, *soror* Canuti Magni.

HAQUINUS Iarl Erici *filij. Hic nominatur filius sororis* Canuti Magni, Thyræ *fortassis, cujus Saxo meminit, promissæ* Olao Truggoni *sed non ductæ. Hic naufragio perijt intra Angliam & Norvagiam. vide in rebus* Canuti Magni.

SUENO Iarl *Norvagiæ rex, præfuit una cum fratre* Erico, *inde cum fratruele* Haquino Erici *filio.*

† Haraldus Grensche, *de quo vide Chronicon Norvagiæ, pag. 37. suscepit ex* Aasthrita *reginâ*

S. OLAUM *cognomento* Digre. *De eo passim supra in rebus* Suenonis Tiugskeg *&* Canuti Magni. S. Olao *cæso, ac submerso* Haquino Iarl, *præfecit Norvagis* Canutus Mag. Suenonem *filium, cujus imperium breve admodum neq; prosperum fuit. vide supra suo loco.* S. Olao *Vxor fuit* Aasthrita, Olai Fonske, *Sueonum regis, filia. ex hac nati*

MAGNUS Bonus *dictus., Rex non modo Norvagiæ sed & Daniæ. de quo superius.* | Ulvilda *nupta Duci Brunsvicensi* Othoni, *alijs est* Orthulpho. *Sunt qui* Giselam *vocent, & filiam, non sororem,* Magni *faciant. at disertè* Magni *sororem nominat Adamus lib. 2. cap. 58.*

N. *cui filia fuit* Gudrom, *nupta* Scuoloni *Duci.*

Ex eadem Aasthritâ *suscepit* Sivardus victoriosus Syr *vulgo* *

Guthormum. | HARALDUM Haarderaade, *regnavit post* Magnum *cognomento* Bonum. | Halffdanū.

Ingertha *nupta* Olao Hunger *Daniæ regi.* | OLAUS Kyrre *cum fratre & post eum regnavit.* | MAGNUS Haraldi *regnavit post patrem unà cum fratre.*

MAGNUS Barfod *dictus. vide paginâ versâ.* ‡

HAQUINUS Magni, *eodem tempore quo patruelis* Magnus Barfod, *regno admotus, obijt haud multo post.* | Ragvilda, *cujus nescio an meminerit Chronicon Norvagicum.*

Hîc notandum, quæ mater fuit HAQUINI *Iarl Erici* filij, eam *Suenonis Tuigskeg* filiam fuisse, sororem vero *Canuti Magni*. Nam disertè *Haquinus* hic Chronici Norvagici pag. 44 regem Daniæ & Britanniæ *Canutum Magnum* matris suæ fratrem vocat: Et idem vicissim *Canutus Magnus Haquinum* eundem sororis suæ filium nominat pag. 32. Ut itâ, quæ superius pag. 179 *Thyra* soror *Canuti Magni* ponitur, intelligenda non ex eâdem, quâ *Canutus Magnus*, *Gyrithâ* sive *Sigrithâ* matre nata, sed ex aliâ: & nupta *Erico Iarlo*, genuisse *Haquinum Iarlum*, qui & ibi exprimitur: Non verò nupta *Burislao* Vandalorum principi, & inde *Olao Truggonis* Norvagiæ regi. quod de *Thyrâ*, non filiâ, sed *Suenonis Tiugskeg* sorore accipiendum potius, quomodo habet expressè Chronicon Norvagiæ vernaculum jam indicatum, pag. 39. & nos quoque superius meminimus pag. 139.

‡ MAGNVS BARFOD, *cujus mentio superius, filios habuit ex conjuge non unâ.* *vide pag.* 206. *item pag.* 202.

OSTENUM *regem.*
| Marina.
| Olaus Skaughaugson, *sepultus Alburgi.*

SIVARDUM Iorsalafar *dictum. cui ex* Maltreda, *de quâ pag.* 206, *nati*

- MAGNUS Blinde Cœcus. *cui uxor erat* Valdemari I *soror* Christina.
- Christina *nupta* Erlingo Scacke *dicto.*
  - Raguilda *nupta* Hakildo Ionæ.
  - MAGNUS Erlingi *filius post varia prælia à* Suero *rege cæsus.*
    - SIGVARDUS *rex cæsus à* Suero.
    - Ingo | Guthormus.
    - Schulo. *de quo in rebus* Haquini, Haquino *patre nati, vide Chron. Norvag. & supra suo loco.*
    - Haquinus | Canutus Iarlus *Vestergothiæ.*
  - Ormus, *qui fratri adversus* Suerum *auxiliũ ferens cum eodem occubuit.*

HARALDUM Gille. *de quo supra dictum. vide & paginâ sequenti.* ‡

Olaus *obijt adolescens.*

Sivardus Slambeus, *se filium* Magni *dictabat: vide historiam supra.*

Hanc & quæ sequitur quicunque regum Norvagiæ prosapiam cum historiâ Norvagicâ, quam *Crantzius* dedit, comparaverit, facillime animadvertet, scopas ibi dissolutas, & aliquot insignium regum, qui haudquaquam præteriri silentio debuerant & res ac nomina omissa.

Ex sequenti etiam Genealogiâ, in qua HARALDI *Gille* Norvagiæ regis nati ac posteritas enarratur, falli, inter cetera, *Crantzium* & veluti in tenebris dimicare facile erit intelligere, cum de *Haquino, Haquini* filio, quem in Orcadum insula obijsse constat, nihil sani referat: & ei postremò *Olaum* filium ac successorem tribuat, qualem ille nullus habuit. Filius enim ejus MAGNUS Norvagiæ rex fuit, cui sancti *Erici* Danorum regis filia *Ingeburga* nupserat. Quæ & *Magno* eidem ERICUM & HAQUINUM filios peperit, regem utrumque Norvagorum. Sed in eo scrupulus hæret, cuinam horum nupta fuerit *Margareta*, *Alexandri* Scotorum regis filia. *Vitfeldius* ἐ παρέργως *Erico* nuptam dicit, cum tamen rerum Scoticarum scriptores, & in his *Buchananus*, *Haquino* nupsisse tradant. *Crantzius* nihil propemodum nisi nomen *Erici* ex annalibus Norvagiæ sibi notum ait, & filiam, quam reliquerat superstitem, à fratre *Haquino* honestis nuptijs elocatam: *Haquinum* verò ipsum filiam Comitis *Rupini* conjugem accepisse, cui mater erat, sunt ejus verba, filia domini Ruginorum. At certum est *Euphemiam, Witzelai* Rugiæ principis filiam, ei conjugem fuisse: ut ità *Ericus*, ejus frater, *Margaretam* Scoticam uxorem habuerit: nisi, defunctâ *Margaretâ*, nupsisse *Haquino Euphemiam* dicamus. Sed hoc cum intricatius sit, nec satis ab authoribus diserte expresseque traditum, in medium relinquimus. Nunc Genealogiam videamus.

HARALDUS

1 HARALDVS Gille. *Ei ex diversis conjugibus liberi fuerunt.*

Ex

Thorâ *Guthormi filiâ*

- Sigvardus *rex, cujus filij plures fuêre.*
  - Haquinus *rex* Hardeberd *dictus.*
  - Guthormus *regnum administrat impubere adhuc* Haquino Sueri *filio. vide ad an.* 1299.
- Cecilia *nupta apud Suecos, filio fratris* Suero *adjumento fuit.*

Ingerthâ *Ragvaldi filiâ*

- Brigitta *nupta* Byrgero Iarlo *Sueciæ.*
- Ingo Krogbag.
  - Haraldus, *qui cum rege* Magno Erlandi *filio occubuit.*

Hibernicâ fœminâ

- Ostenus.
  - Ostenus.

Sueno. Ericus, *qui Byzantium profectus.*

Sivardus *Bergis decollatus.* Haraldus *laqueo necatus ad promontorium* Huariffsness.

Suerus *Rex, natus ex fœminâ, cui* Gunildâ *nomen, quæ postmodum* Unæ Fabro *nupta filium* Suerum *in insulâ* Ferró *apud episcopum, qui* Unæ Fabri *frater erat, educavit. Vbi & literis eruditus sacerdotio destinabatur. Sed, impediente matre, quomodo tandem ad regni Norvagi paternique sceptrum pervenerit, vide superius pag. 260. Ei ex* Margareta *regis Suecorum filiâ natus*

Haquinus Sueri, *defunctus Bergis. Ei ex* Ingâ Andreæ *filia progenitus*

Haquinus Haquini, *qui in Orcadum insulâ obijt. vide an. 1262. Prognatus ei ex* Margaretâ Schulonis *Ducis filiâ*

Ex N.

Haquinus, Sigvardus. Ingeburga.

Cecilia *nupta* Baardo Reim.

Ingo Baardsson *rex.*

Haquinus, *cui* Rigissa *Suedica nupta fuit.*

Magnvs. *cui conjux fuit* S. Erici *Danorum regis filia* Ingeburga. *vide supra pag. 337. & pag. 354. adde festinantibus operis omissum ejus nomen in tabulâ, quæ ibi est genealogicâ.*

Christina, *nupta* Philippo *Hispaniarum & Castiliæ regi,* Alphonsi *decimi fratri germano. Perperam hanc Danorum regis filiam faciunt scriptores Hispanici.*

Ericvs, *cui* Margaretam *Scoticam nuptui datam tradit* Vitfeldius, *alij* Haquino *tribuunt.*

Ingeburga *nupta Duci* Valdemaro, *Ducis* Erici *apud Suecos fratri germano.*

Haqvinvs, *cui, secundum Buchananum, nupta* Margareta *Scotorum regis* Alexandri *filia peperit sibi cognominem*

Margaretam, *quæ, defuncto sine superstite prole* Alexandro *avo, Scotorum rege, expetita ad Scotici regni regimen ab* Eduardo I *Angliæ rege, qui eidem tutor & patruus erat, cui & filium suum maritum destinaverat. Sed intercepit hæc omnia mors* Margaretæ *præpropera. vide ann. supra 1290.*

Fuit eidem & filia Ingeburga, *ex matre alia, forte* Euphemia *Rugiæ principis filia, vid. ann. 1303. & 1301. huic maritus fuit Dux* Ericus *Suecus.*

Magnvs Smecus *Norvagiæ ac Sueciæ Rex. Ei ex* Blanca *Gallicâ nati*

- Haqvinvs *rex. cui natus ex* Margareta Valdemari III *Daniæ regis filia*
  - Olavs *ex familiâ* Harfagorum *omnium ultimus obijt improlis. De quibus singulis in sequentibus.*
- Ericus, *electus Sueciæ rex, uxor ejus* Beatrix Brandeburgica. *vide an. 1346. à matre potionatus obijt.*

Ericus VII. Rex. A. C. MCCC.

Roschildiæ initio tertij seculi post annum Christi millesimum, defunctus est episcopus *Iohannes Cragius*, cui successit, suffragijs omnium rite electus, *Florentius*. Et statim eodem circiter tempore, induciæ, quas inter Norvagum & Daniæ regem Ericum Somerstadij pactas supra injecimus, ante diem ruptæ fuerunt, occasione perduellium quibus pace bellum potius videbatur: quamvis Norvagus in Danos, Dani in extorres, quos dixi, causam rejiciendam existimabant. Sed mox *Ericus* Langelandiæ Dux, se medium ac pacatorem suâ sponte obtulit; profectusque in Norvagiam ad consobrinum uxoris suæ *Haquinum*, assumptis *Henrico Clerico* & *Canuto Mulenio* equite, de pace cæpit agere Fenecolbiæ, hunc propemodum in modum: Reges utrique Corsóram convenirent circa Mariæ ascensionem, atque ibi, si Erico Menved idem videretur, se paratum *Haquinus* dicebat, causam suam duorum aut trium virorum principum arbitrio permittere (modò idem Ericus faceret) & quod illi pronunciarent, id ratum ac firme mansurum. Arbitri, qui negotio præficiendi essent, præstito sacramento sanctè pollicerentur, se neque irâ aut studio sed veri solius ductu, quod esset justum ac æquum pronunciaturos. Eorum si quem mori contingeret ante finem actionis, in ejus locum alius, sed prius facto similiter jurejurando acceptoque salvo conductu, admitteretur. Durante autem tractatione Rex Norvagiæ nec non *Iacobus* Hallandiæ Comes, alijque è Daniâ extorres eorumque hæredes aut cuicunque id suo nomine concredituri forent, bonis suis, quemadmodum ijs ante exortum bellum frui atque uti consueverant, uterentur ac fruerentur. Inde Norvagiæ regi *Haquino* publicæ fidei literas transmisit Daniæ Rex Ericus: Quibus significabat liberum ac tutum ei esse cum satellitio suo aut comitatu centum personarum Schelsóram accedere ac vicissim ad classem, quæ juxta Engholmiam consisteret, regredi, exceptis parentis sui percussoribus eorumque socijs, quos nec occurrere sibi concedebat. Fideique certioris gratiâ subscripserant his literis ac nomine regis veluti sponsores se interposuerant Dynasta Rugiæ *Witzlaus*, Dux *Christophorus* regis frater, Dux *Valdemarus* ejusque frater *Ericus*, alijque ex nobilitate atque ordinis equestris viri, ac præter ceteros *Ionas Litleus*, *Olaus Tagonis*, *Christianus Pætdz*, *Nicolaus Landius*, *Canutus* & *Petrus Mullij*, *Nicolaus Hassius*, *Amundus Lilleus*, *Valdemarus Rosseus*, alijque. Verum ad rem ubi ventum, neque in regis Norvagiæ neque extorrium causâ conveniri ad vota regum potuit. Itaque conventus ille sine magno emolumento solutus est: Interveniente tum etiam obitu *Agnetæ* Reginæ matris *Erici*, quam alteras cum *Iohanne* Vagriæ Comite nuptias contraxisse supra memoravimus: Ejus funus insigni cum pompâ ac solennitate Ringstadiam delatum ibidem juxta regia monumenta, comitante principe ac regni proceribus, honorifice est conditum.

Mota sub id tempus inter Ordinis Theutonici fratres & Episcopum Rigensem *Fredericum*, haud levis controversia. Et videns Episcopus sibi prævalere Ordinem, qui incendijs ac rapinis totam fere Livoniam complebat, & jam intra Rigam domicilia sua constituerat, societatem ac fœdus cum Rege Danorum Erico inijt, in hanc fere sententiam: ut quandocunque emori quenpiam contingeret, qui bona Archiepiscopatus Rigensis possedisset, potestas penes Regem esset ea bona aut possessiones in alium transferre, eâ tamen lege ut fidei sacramentum archiepiscopo Rigensi præstaretur; in bona etiam aut territoria, quæcunque ad diœcesin olim spectaverint, quæque Rex aut episcopus ab Ordinis Theutonici magistris reducere ad diœcesin posset, idem regi jus ac potestas esset: Opidum præterea castellaque Rigensia ad regis obsequium paterent; Et denique episcopus nullam cum fratribus dictæ societatis tractationem institueret, nisi cum regis aut successorum ejus suffragio ac voluntate. Instrumentum ipsum cujusmodi Latinè exstat, his subjiciendum existimavi:

„ Quia propter pervicaces nimis paganorum insultus, quibus frequenter molestamur & devastamur in bonis & personis, adeoque terræ nostræ sunt & fuerant desolatæ penitus annis pluribus & destructæ, sicut in terris Semegalliæ, Valez & Gerze patet evidenter: & præcipue propter persequutiones enormes, quas à fratribus domus Theutonicæ in Livonia passi sumus & patimur in captivitate & defensione nostrorum Prælatorum, hominum nostrorum interfectione ac civitatis nostræ Rigensis pressione, nostrorum & bonorum plurium desolatione, incendio & rapinis, hominum nostrorum à nobis & ecclesia aversione, & castrorum nostrorum omnium subtractione fraudulentâ, contra fidelitatem Prælato nostro, nobis & ecclesiæ ab eis debitam, ratione bonorum, quæ à nobis tenere dignoscuntur: Timentes novellæ Christianitatis plantationi in nostris partibus gravius immi-

nere

ERICUS VII. Rex. A. C.

nere periculum & irrecuperabile forsan, nisi celerius & sagacius caveatur, decrevimus contra persequutiones præmissas, injurias & pericula invocare brachium seculare, per quod & nos & cultus divinus & ipsi in nostris partibus servari poterimus & defendi.

Unde tenore præsentium declaramus, quod de deliberato consilio & communi consensu nostri Capituli, civium nostrorum Rigensium, & omnium aliorum nobis fidelium, quorum interest, tales inter magnificum principem, Dominum Ericum regem Danorum ex unâ parte, & nos ac civitatem nostrã Rigensem ex altera, sunt placitationes habitæ & contractus, videlicet, quod nos de præmissorum consilio & consensu terras supradictas subdimus prædicto regi Danorum, hac etiam adjectâ conditione, quod quoties ipsa bona, mortuo eorundem possessore, sine viris hæredibus vacare contingat, toties rex alium, seu alios ad eadem præsentabit, & idem præsentatus, eadem ab ecclesiâ, jure reaccipiat feudali, quousque ipsorum bonorum possessores, veros habuerint hæredes, & extunc ecclesia ipsa bona libere ordinet sine briga, etiam ipsi domino regi Daniæ, & suis successoribus regibus Daniæ, qui pro tempore fuerint nomine coronæ, dedimus, & per præsentes assignamus jure perpetuo possidenda; permittimus insuper quicquid de bonis nostræ ecclesiæ ipsis fratribus hactenus demissis, & nunc ratione excessuum eorundem ad nos & ecclesiam nostram rite & canonice devolutis, recuperare & ab ipsis extorquere poterimus, regis adjutorio, vel rex nostro, hominibus, quos idem dominus rex ad hoc deputare seu nominare voluerit, ex parte nostræ ecclesiæ, in feudum dimittantur, ita tamen, quod ijdem ratione receptionis bonorum prædictorum, ecclesiæ nostræ homagio adstringantur, secundum quod ceteri vasalli ecclesiæ, ratione suorum *Lenwar*, receptorum ab ecclesia, affecti fuerant ab antiquo. Civitas etiam nostra Rigensis & castra quæcunque rehabere poterimus ab ipsis fratribus, quocunque modo assignentur seu aperta sint, advocato & hominibus ipsius domini regis, quando & quoties voluerint, guerra præmissâ inter nos & fratres durante, & nunquam cum ipsis fratribus acceptemus placitationes, vel concordiam, ante finalem extractionem guerræ nunc subortæ, vel quæ nomine ipsius oriri poterit in futurum, sine ipsius domini Regis, aut successorum ipsius Regum Daniæ, qui pro tempore fuerint voluntate & consensu. Volumus nihilominus & promittimus ipsa guerrâ ex toto sopitâ, cum ipso domino Rege & ejus vasallis & fidelibus pacem & concordiam servare in perpetuum & eisdem adstare pro viribus, contra injuriatores quoscunque & favore, sicut ipse dominus rex nobis promisit vice versâ.

Pontifex cum animadverteret rem Christianam apud Livonos intestinis ejusmodi motibus in chaos ac confusionem abituram, nisi tempori occurreretur, misit eo *Isarnum* sacellanum suum: qui authoritate pontificià inter dissidentes medium se offerens, ita pronunciavit: Episcopus Ordinisque fratres utrinque remittent, de quibus per procuratores queruntur, impendia ac damna: Ordinis Magister ac fratres recipient quæcunque ante bellum enatum possederunt in diœcesi Rigensi: Domus, quam inhabitaverat *Valdemarus Rosa*, ea ipsi reddetur. Fratribus verò tradetur S. Georgij Templum, quod est Rigæ, ut ibi cultum divinum exerceant, ità tamen, ne ultra decem numero intra urbem maneant, nec comitatum adducant nimis magnum: conventus ibi nullos sive publicos, sive privatos celebrabunt: turres aut munimenta neque intra urbem aut ejus territorium ulla excitabunt; Pons, quem cives exstruxissent, sartus tectus manebit, ità ut etiam fratrum navigijs per eundem transitus pateat; cum Fratribus cives, & cum civibus vicissim fratres commercia exercere fas erit. Vectigalia nova non imponentur: Regio tota, ut fuit, ita deinceps pontificis erit, quæ & literis pontificijs defendetur, concessa quidem fratribus, sed eo fine ut sacra Christiana propagent. Bona quæ intra diœcesin Rigensis jurisdictionis fratribus sunt adempta ac civibus vicissim in Livoniâ & Curlandiâ, de ijs ob reverentiam Romanæ sedis ad pontificem referretur, qui sententiam dicet: Iuri verò ac justitiæ præesse, tam intra urbem quam in suburbio, ecclesias sacrare ac dedicare, lectiones ac ceremonias ordinare, hæc omnia ad Episcopum *Fredericum* ejusque successores, ut ante ita & porrò pertinebunt, nisi aliter videbitur summo pontifici: aut pactis conventis inter partes statuatur. Huic tractationi interfuêre Episcopus Revaliensis *Henricus*, *Esgerus Iul* Canonicus Ripensis, Procurator Regis, *Bernardus Brrolettus* Episcopus Varcensis, *Henricus* Lubecensis, Canonicus Ripensis, *Porrius de Cusâ*, *Iacobus de Casulis*, *Petrus de S. Benedicto* LL. Doctores & Curiæ Romanæ advocati.

Maxima eodem tempore Holsatis, & præsertim maritimis, oceani excessus damna intulit, perruptis passim ac dissipatis vi tempestatum aggeribus, adeò ut plana omnia ac

ERICUS VII. Rex. A. C.

vicos circiter viginti octo maris inundatio oppresserit. Obtinuit tum Holsatiæ Comes *Gerhardus* à rege Danorum Erico confirmationem bonorum, quæ ei Duces Luneburgenses ac Brunsvicenses in Daniæ regno sita, venditione inter ipsos habitâ transtulerant. Harum possessionum nonnullæ ut Gierdinga & Grethusa in Frisiâ minore, Danici districtus territorio, sitæ habebantur; in Iuthiâ vero erat Warsyssel, apud Fionios Stega cum Lingeby, Staverby & Aumelby. Hæc omnia, ut olim possederant dicti Duces, ab omnibus oneribus ac telonio libera, eodem modo Holsato possidenda Rex permisit, exceptis duabus cum dimidia libris, quibus territorium *Osterherret*, & onere militiæ, quo *Scatherrit* regi atque ejus hæredibus obstringebatur.

Confecerat ijsdem diebus cum *Othonis* & *Conradi* Marchionum Brandeburgensium sorore sponsalia *Nicolaus* dynasta Verlensis, quem & Rostochiensem nominant, ac mox, retracto pede, cum insuper habere matrimoniale pactum videretur, indigne id tulerunt consanguinei sponsæ, qui & ulcisci injuriam cogitarunt. Quod & metuens *Nicolaus*, cum & Rostochienses experiretur sibi ut plurimum immorigeros & contumaces, Erico Regi in clientelam se tradidit, translatâ simul in ipsum Rostochiensium dioecesi ac jurisdictione universâ, utpote qui urbis imperio tum solus potiretur, ac ipse vicissim, præter certam nummorum summam, possessiones ac territoria intra Daniæ regnum collocata ab Erico recepit. His transactis, Rex valido cum exercitu in Vandalos irruptione factâ, Rostochium aliasque urbes sibi jure pactionis traditas & olim quoque majoribus suis possessas, repetebat. Quo autem facilius ad obsequium Rostochienses traduceret, ingens munimentum ad Varni amnem excitari curavit, *Danoburgum* dictum; turribus alijsque propugnaculis ità constructum, ut eo in arctum redigere opidanos eosque commeatu atque egressu in mare Balthicum intercludere quàm facilimè posset. Confectusque deinde anno proximo inter regem, eundemque *Nicolaum* ejusmodi contractus: Rex quoscunque

MCCCI.

hostes haberet, eosdem quoque *Nicolaus* hostes duceret; idem quinquaginta stipendiarijs Regi suis impensis domi forisque militaret: Rex vicissim, si quid *Otho* aut *Conradus* Brandeburgici, sive liberi eorum, in contrarium molirentur aut vim ipsi vel damnum inferrent, ejus se patrocinium suscepturum pollicebatur ac vim vi repulsurum, si æquo ac bono nihil posset obtineri. Nec diu cunctati *Otho Conradusque* Brandeburgici, sed litem, quæ inter ipsos & *Nicolaum* erat, Erici regis arbitrio permiserunt; ille quodcunque statueret, ratum firmumque haberetur.

Migraverat ex hac vitâ, ut modò meminimus, anno superiore Episcopus Roschildensis *Iohannes Cragius*, eique successor electione datus Florentius: qui tamen ad præsulatum ægre admissus, locum *Oldo* cedere coactus est. Is à *Iohanne Erlando* Boringiâ missus Romæ initiatus fuerat, partium, ut videtur, studio. Nam per id tempus, pridie nimirum *Simonis* & *Iudæ* in Boringiam, sive ut vulgo appellamus, Borringholmiam, redierat archiepiscopus *Grandius* nihil non agens ut in sedem veterem Lundæ reponeretur. Sed cum frustra se esse videret, Lutetiam mox Parisiorum profectus ibi aliquandiu domicilium fixit, donec tandem *Benedictus* Bonifacij successor, ei absenti dioecesin Rigensem assignavit, quam tamen ille, oculos identidem atque animum Lundam referens, cunctanter aut nunquam suscepit ut postea dicetur.

Interea Marchiones Brandeburgici, datis ac manu suâ signatis literis, testati sunt reconciliationem, quam inter ipsos & *Nicolaum* Verlensem Rex Ericus avunculus ipsorum, nec non *Henricus* Megapolitanus confecerant, ratam se habere, bellumq; ac belli occasiones omnes missas facere; si quid deinceps inter se & *Nicolaum* occurreret controversiæ, id

MCCCII.

eidem regi atque arbitris permissuros. Hoc ad annum millesimum trecentesimum secundum refertur à chronologis, quo fere eodem tempore Dux Iutiæ Australis *Valdemarus* ejusque frater Dux Langelandiæ *Ericus*, nec non dynasta Rugiæ *Witzlaus* cum Holsatiæ Comitibus *Gerhardo*, *Adolpho* & *Iohanne*, quibus *Nicolaus* Verlensis ac Megapolitanus *Henricus* accessêre, societatem omnes ac foedus cum Rege Danorum Erico ejusque fratre *Christophoro*, tum & *Othone* ac *Conrado* Marchionibus Brandenburgicis firmissum iniêre; adeo ut si qua inter ipsos dissidia exurgerent, ea per regem, si penes illos culpa esset, aut ab ipsis, si à parte regis delinqueretur, amicè consopirentur: Ac denique in id cuncti incumberent ut quod Regi in Rostochienses eorumque territoria juris à *Nicolao* Verlensi ipsorum domino esset traditum, id vel vi vel amicâ compositione ipsi redderetur. *Rostochienses* igitur cum ostium Varni fluminis eum in modum, ut diximus, à rege obseptum viderent, ac rem sibi fore cum tam potentibus adversarijs animadverterent, factâ dedi-

tione

tione Erico regi fidem atque obsequium suum, præstito solenniter sacramento, polliciti fuerunt. Rex deinde *Henricum* Megapolitanum in præfecturam eam misit, acceptis ab eo publicis codicillis, quibus agnoscebat sibi arces, municipia, territoria ac causas omnes Rostochiensium, nullo titulo aut pignore sed solo præfecturæ beneficio, ut regio procuratori, tradita; seque hæredesque suos obstringens, quandocunque id postulaturus rex esset, ditionem ac jus eidem regi redditurum, secundum exemplar regiarum literarum, quas ea de re accepisset.

Interea temporis cum tæderet regem, tam diu regnum suum subditosque à sacris inhiberi, Pontificem, Cardinales & quoscunque in ea aula sibi amicos sciret, per literas & oratores adit, reverenter ac submissè petens ut, quemadmodum ipse summus Deus misericors esset, ità etiam sanctitas ejus se benigne susciperet ac gratia dignaretur, ut habent fere verba ejus expressa quibusdam in literis; in alijs hæc occurrunt: Vestræ sanctitati „ in omni misericordiâ semper quantum possum humiliter supplico, quatenus me miseri- „ corditer dignetur recipere vestræ sanctitatis pietas, ut non desoletur Regnum, ne tota „ gens pereat; Illi enim oves cum sint, quid fecerunt? Convertatur, obsecro, in vagiam „ *Petri* gladius, & restituat servo auriculam Christi vicarius; imo verius ipse Christus, ut „ restitutus ad Ecclesiastica sacramenta, liberius audiat verbum Dei: Et quidquid humeris „ meis portabile mihi jusserit vestra sanctitas reverenda, licet perquam durum fuerit, non „ negabo; quid plura? loquere domine & audiet servus tuus: Quâ regiâ submissione Ponti- „ fex totumque consistorium ad mitiora vertens animum, cæpit tranquillitati ac publicæ regni concordiæ consulere. Erat tum *Isarnus*, qui, ut ante memoratum, pontificij interdicti promulgator fuerat, ad diœcesin Rigensem capescendam postulatus. Itaque Pontifex in regis gratiam, ne cum archiepiscopo *Grandio* serram perpetuo reciprocandam haberet, *Isarnum* ad sedem Lundensem promovit, *Grandio* in ejus locum Rigensibus destinato. Sed *Isarnus* haud diu Lundæ resedit: *Grandius* Rigensem præsulatum accipere cunctatus, se, benignitate pontificis, locum aliquando commodiorem consecuturum sperabat.

Eo tempore *David Tostenus*, de quo diximus, plures per annos Satrapæ magistratu apud Scanienses gesto diem obijsse memoratur, vir ut bello & pace egregius ità regi inter charos præcipue habitus. Ab ejus statim obitu conventus Suenburgi celebratus, in quo de regni universo statu deq; bello Norvagico ac perduellibus, interdicto alijsque agitatum. Rex præterea Sueonum *Burgerus* & ejus conjux *Margareta* Erici regis, ut diximus, soror regiæ majestatis diadema in Ostergothia & portu Sudercopensi susceperunt; ubi & frater regis *Valdemarus* militiæ insignibus decoratus est: matrimoniumque cum filia *Turgilli Canuti* consummavit: quod tamen postmodum, sive quod offensæ inter socerum & generum essent exortæ, sive etiam, quod Gothus tradit, ob cognationis spiritualis, ut infra referetur; propinquitatem rescissum est. Ericus tum quoque eorundem principum frater, ad *Haquinum*, Norvagiæ regem, Ansloam literis ac nuncijs invitatus, eodem cum illustri procerum comitatu concessit, exceptusque à rege & reginâ omnibusque regni proceribus tantâ liberate ac magnificentia, ut majori vix possit. Causam instituti colloquij scriptores Suecici silent, alij de connubio inter *Ingeburgam* Norvagi filiam & Ericum tractatum injiciunt.

Proximo anno, qui fuit à Christo in terris nato millesimus trecentesimus tertius, Roma domum redijt *Ionas Litle*, negotio, quod ipsi erant mandatum, feliciter ac bono reip. transacto. Rex enim ceterique anathemate soluti & sacra aris, templaque sacerdotibus reddita. Tum etiam ex Capituli Lundensis decreto pronunciatum, ut cuncta regni bona, quæ sita erant in territorio *Hervidstadherrit* apud Scanienses, & in *Rodueberrid* apud Insulanos Boringiæ, Borringholmiæ vulgò, exceptis duntaxat Ustado ac regijs hominibus dicti *Hervidstadberrid*, in usum archiepiscopi *Isarni* Ecclesiæque Lundensis rex in sempiternum cederet; archiepiscopus vero *Grandius* pro detrimentis & carcere acciperet decem marcarum argenti millia. Atque ità Neoburgi die altero ante festum Paschatis promulgata interdicti cessatio, quod eum in diem integro quinquennio duraverat. *Ionas Litle* eques auratus honoribus ac beneficijs ob rem præclare gestam à rege proceribusque ornatus est. Regiæ cessionis bonorum supradictorum literæ stilo ac phrasi illius seculi Latinè concinnatæ, ejusmodi fuère: MCCCIII.

Ericus D. G. Danorum, Sclavorumque Rex dilectissimis in Christo dominis Nicolao „ Holmiger strenuo militi & Trugoto presbytero Canonico Lundensi salutem & gratiam. „ Rogamus vos modis omnibus volentes & mandantes quantis statim visis præsentibus ad „

ERICUS VII. Rex. A. C.

Rothneherrid in Borringholm & Hervidstadherrid in Scania, personaliter accedentes, virum nobilem Dominum Iohannem dictum Canne, militem reverendi patris domini Isarni Dei gratia Lundensis archiepiscopi Sueciæ primatis electi, advocatum in corporalem possessionẽ dictorum locorum, jurium & pertinentiarũ eorundem nomine dicti domini archiepiscopi & Lundensis ecclesię inducatis & defendatis inductum: Mandantes ex parte nostrâ habitatoribus dictorum locorum ut prædicto domino archiepiscopo & successoribus ejus, tanquam domino suo humiliter & devote obediant & intendant de omni jure regio, plena & integrè, in judicio & extra studeant respondere, Villâ Ydstade & hominibus nostris dicti Hervidstadherrid duntaxat exceptis, juxta formam Scotationis dictorum locorum, quam in literis inde confectis videbitis contineri, contradictores & rebelles authoritate regiâ compellendo prout regiam vitare volueritis ultionem. Datum Nyborg, anno Domini MCCCIII in Cœna Domini in præsentia nostra.

Scotationis, quæ nominantur literæ, similiter in manibus sunt, sed eæ quod prolixiores essent, aliò rejici potuissent. Ne quid tamẽ omisisse videamur, en & ipsas verbotenus adjecimus: Ericus D.G. Danorum Slavorumq; Rex, universis literas præsentes inspecturis, salutem in Domino sempiternam. Vobis universis & singulis tenore præsenti facimus manifestum, quod nos vocato & congregato generali parlamento, prælatorum, principum, Baronũ & aliorum incolarũ regni nostri, apud Nyborg super satisfactione faciendâ venerabili patri, Domino *Isarno* D.G. Archiepiscopo Lundensi, Sueciæ primati electo, & ecclesiæ suæ Lundensi, de privilegijs & bonis Lundensi Ecclesiæ subtractis eidem tempore captionis venerabilis patris Domini *Iohannis* quondam Lunden. Archiep. ac libertatibus, quibus extunc præfata Ecclesia per gentes nostras noscitur spoliata, nec non in decem millibus marcarum puri argenti in bonis immobilibus, in quibus auctoritate Apostolicâ, eidem Archiepiscopo & Ecclesiæ, noscimur condemnati, habito frequenti & diligenti tractatu cum nobilibus viris, *Christophoro* & *Woldemaro* fratribus nostris, & alijs prædictis, eorumque accedente consilio & assensu, prædicta privilegia eidem domino Isarno & Lund. Ecclesiæ restituimus, promittentes quod si aliqua alia poterint inveniri, quod non credimus, ipsa ei restitui faciemus, ac destructa, corrosa, infecta vel læsa nostri causa, si qua fuerint, innovabimus ad bene placitum eorundem. Præterea libertates, quas præfata Ecclesia & Archiepiscopus, vel prædecessores ejusdem hactenus habuerunt, & in quorum possessionem, vel quasi prædictæ captionis tempore existebant, eisdem restituemus, & servare promittimus illibatas, scilicet quod homines dicti Archiep. & Ecclesiæ Lunden. vel etiam alij in bonis Archiepiscopalibus residentes, quæ *Skudgaarde* communiter appellantur, ac etiam familia ipsius Archiepiscopi, & clerus Lundensis diœcesis ac ejus familia, non in nostro seu alio seculari foro (nisi tantum super terris hæreditarijs) sed in Ecclesiastico, super omnibus alijs negotijs & offensis respondeant, & satisfaciant, ac idem (si tamen actiones fuerint) forum reorum sequantur. Item quod homines Ecclesiæ & Archiepiscopi supradicti juxta dispositionem ejusdem, bona sua propria per portus dicti Archiepiscopi, de dicto regno liberè trahere & portare valeant extra illud, nisi generalis inhibitio in toto regno nostro, ex causa nostræ reipublicæ per nos fiat, quod nullus bona inde extrahat vel exportet. Archiepiscopus autem qui est, & qui pro tempore fuerit, bona sua propria nullis alienis adjunctis, omni tempore & per omnem locum dicti regni, nulla sibi inhibitione obstante, trahere & portare liberè valeat, qualibet fraude cessante. Item quod præfati homines, & familia Archiepiscopi & Ecclesiæ Lunden. liberi sint & immunes, ab omni Regio novo Thelonio & Pedagio imponendo, & à dicta captione imposito; Sicque est & ab omnibus talibus exactionibus & collectis, nisi eas de consilio majorum & meliorum regni nostri, suadente utilitate & necessitate nostræ reipub. & regni per nos vel successores nostros fieret in forma & casibus à jure, consuetudine, vel bonorum ipsorum conditione permissis. Item quod si vocatus in generali placito, incolarum Lundensis diœcesis ad expeditionem pro defensione dicti regni præfati homines Archiepiscopo & Ecclesiæ Lundensi contumaces fuerint, vel deliquerint in præmissis, Archiepiscopus ipsos puniat & compellat, si verò in hoc negligens fuerit, vel remissus vel prædicta commiserint ejus mandato conniventia vel concessu, nostram in quos deliquerint juxta leges paternas sentiant ultionem. Item quod bona clericorum decedentium liberè veniant ad eorum hæredes legitimos, si existant, alias Ecclesiæ vel Archiepiscopo juxta canonicas sanctiones. Item promittimus, quod si apparuerit Lunden. Ecclesiam alia vel alijs libertatibus spoliatam, eam & eas plenè & integrè restituemus eidem, & in possessione ipsarum &

Ericus VII. Rex. A. C.

rum & aliarum prædictarum, & earum quas obtinent in præsenti defendemus eandem, ità quod omnes libertates prædictas, cum omni jure regio liberè habeat & gaudeat commodo earundem. Item pro bonis subtractis dicto domino Iohanni tempore captionis suæ, si quæ sint præter illa, quę sibi & dicto domino Isarno restituta noscuntur, obligamus eidem Domino Isarno, & tradimus bona nostra omnia in Othelstade in Fyonia, tam diu habenda & tenenda cum omnibus sylvis, pascuis, piscarijs, & alijs suis juribus & pertinentijs universis, donec de dictis bonis cognoscatur, sibi de ipsorum fructibus vel alienatione plenè & integrè satisfactum. Item bona nostra quæ in insulâ Borendeholm obtinemus, dicta *Rothneherrid*, quæ quidem bona hæredes nobilis viri Uffonis militis quondam dapiferi detinent in præsenti, cum omnibus alijs in dicta insula, per ipsos vel per patrem eorum prædictum emptis, aut quomodolibet acquisitis. Item, *Hervidstadeherrid*, cum omnibus sylvis, pascuis, piscarijs, pertinentijs suis, cum dominio mero & mixto, ac pleno jure Regio, villa forensi dicta *Ydstadtz*, ac hominibus, qui sunt & dicuntur communiter & specialiter, homines Regis, duntaxat exceptis in dicto Herrit Scaniæ, qui tum in negotijs & delictis in ipso Herrit commissis & committendis, vel quomodolibet emergentibus respondeant, & satisfaciant Archiepiscopo supradicto, & successoribus suis, juxta leges, & consuetudines Scanienses, arbitrantibus reverendis patribus, Ripensi & Viburgensi Episcopis, ac nobilibus viris, Iohanne Litle, Akone Ionidson, Nicolao Biller, & Canuto Esberni, militibus, habita deliberatione cum alijs Episcopis electis. Roschildensi, baronibus, principibus & majoribus regni, gratis & spontanea voluntate non decepti, sed de jure & facto plenè instructi, eidem domino Isarno ac Lunden. Ecclesiæ, pro memoratis decem millibus marcarum argenti puri assignavimus, scotavimus & dedimus in solidum. Item pro evictione & cautela evictionis, dictorum bonorum de Borendeholm assignavimus, scotavimus & dedimus in solidum domino Archiepiscopo, & Ecclesiæ supradictæ, si evincerentur, ab ijs in toto vel in parte, *Wemundherrid* adjecto, si ipsi hæredes nobilis viri Uffonis militis, quondam dapiferi omnes & singuli, dicta bona de Borendeholm, liberè demiserint, & restituerint Archiepiscopo & Ecclesiæ supradictis, prædictum Herrid, pro dictis bonis scotatum, ad nos & jus ad proprietatem nostram liberè redeant ipso facto, renunciantes actioni cujuslibet doli & deceptionis, pluris & minoris & sine causa restitutionis in integrum, & generaliter omni jure & actioni, qua vel quibus, adversus vel contra prædicta, per nos vel per alium quomodolibet venire possemus, approbantibus supradicta universa & singula, venerabilibus patribus domino Christierno Ripensi, Gertholdo Slesvicensis, Iohanne Arhusiensi & Petro Viburgensi, Episcopis ac principibus, Baronibus & alijs regnicolis in dicto parlamento per se & nomine absentium constitutis. In cujus rei testimonium, sigilla nostra ac fratrum nostrorum, ac reverendorum patrum Episcoporum, & electis. prædictorum & dominorum, Iohannis dicti Bekke, Akonis Iohannis, Canuti Esberni & Iohannis dicti Litle, Marschalcki nostri, præsentibus duximus apponenda. Actum et datum Nyborg, Anno Domini, MCCCIII. in Cœna Domini, in præsentia nostra.

Invenio in actis eorum temporum, cū *Vffo Nicolai* olim regni Mareschallus sibi in *Rodneherrid* juris aliquid competere diceret, ejus loco *Wemindsherrid* archiepiscopo concessum: ac simul tum publicatum, rege mandante, novum diploma in quo diœcesis Lundensis ab omnibus oneribus ac tributis immunis pronunciatur, conceditur que ut jure ac consuetudine majorum utatur fruaturque.

Per idē tempus Rugiæ principem *Witzlaum* diem suum apud Norvagos obijsse annales notant, cum eo concessisset partim ut filiam suam *Euphemiam* regi *Erico*, sive *Haquino* verius, nuptam ex intervallo viseret, partim ut fœdus ac pacem inter utraque regna Daniæ Norvegiæque firmiorem efficeret. *Christophorus* deinde regis frater, qui, ut supra injecimus, Samsoæ, Holbecæ ac Callenburgi præfecturam gerebat, Estlandiæ insuper Ducatui, indultu regio, ad annos sex præficitur hisce legibus ac conditione, ut Ducatum illum adversus barbaros aliosque hostiles incursus tutaretur; Rex vicissim, ubi opus esset, suis illi copijs subsidio adesset, interea quinquaginta stipendiarijs regi militaret ac fidem ei obsequiumque, ut frater ac Vasallus, polliceretur. Apud Sueones Mareschallus *Turchillus*, qui, ut ante meminimus, *Byrgero* rege adhuc adolescente, rebus administrandis erat præpositus, nuptias cum filiâ Comitis de Ravensberg Stocholmiæ celebravit, ijsque peractis, apud regem ejusque fratres, Sueonum Duces, præsente procerum multitudine, cæpit agere de administratione suâ, quam annos tum tredecim sustinuerat, petens ut ab eâ honeste liberatus

ERICUS VII. Rex. A. C.

ratus quod reliquum esset vitæ seorsim & procul negotijs sibi liceret vivere. Sed *Turchillus* à rege & Ducibus multis nominibus de novo commendatus senatui, eo tempore ab eâ curâ liberari nequijt. Et annotatũ in commentarijs Danicis reperio, quamvis Suetici annales omittant, *Magnum Byrgeri* filium ad imperium in omnem eventum, & si quid humanitus patri contingeret, unanimi utriusque Ducis ac procerum omnium consensu electum fuisse, & Mareschallum insuper, præter ceteros, arctius se regi ejusque in posterum liberorum obsequio devinxisse; ac statim deinde *Byrgerum* cum à Daniæ rege affine suo, quod metueret, non haberet, vetera cum rege Norvagorum *Haquino* fœdera Sulbergæ olim icta renovasse, & hoc præterea noviter pepigisse, ut mutua utrinsque regni auxilia essent, si alterutri bellum ingrueret. Impensæ quæ fierent, eas quique seorsim toleraret, ità tamen ut loca ac munitiones quascunque hosti præreptum irent, communibus impendijs defenderentur. His interfuerint, præter Ducem *Ericum* & *Valdemarum*, ex reliquo senatu *Turchillus* Mareschallus, *Benedictus* Ostergothiæ præses, *Torbornus Ketelius* alijque.

MCCCIV. Anno, qui hunc proxime excepit, MCCCIV fœdus, quod inter Danos & Norvagos pactum diximus, interruptum est occasione præsertim Hallandiæ Comitis *Iacobi* ceterorumque perduellium, quorum animus inquies ac fidens amicitiâ Norvagicâ novas perpetuo bello faces subdebat, insolenter ac turbide in Danos agendo. Quocirca Ericus Rex imperatâ navali expeditione Varbergam, Huneshalsam aliasque munitiones obsidione circumcinxit, & arma perduellium armis compressit. Indictusque inter regem utrumque Daniæ & Norvegiæ conventus, qui Cnederudæ magnifice habitus. Eoque non reges modo Ericum & *Haquinum*, sed & Reginas quoq; utrasq; advenisse chronologi referunt.

Per idem circiter tempus Torpatum convenerant ordinis Theutonici fratres aut eorum nomine deputati cum supremo Livoniæ magistro, nec non Daniæ regis per Esthoniam clientes ac beneficiarij, aut saltem eorum vice certi quidam delegati. Hi, fœdere invicem percusso, præter cetera, declararunt professiq; sunt Daniæ regis vasallos ad suam ac suorum defensionem ex pacto convento pertinere, nec eos à Daniæ regum obsequio aut fide ullo pacto separandos: statuerunt etiam fœdera nulla icienda sine mutuis aliorum suffragijs aut consensu; utque Episcopus Torpatensis & Osiliensis cum Ordinis magistro alijsque ad Episcopum Rigensem se conferrent, eiq; authores essent, ut publici commodi ac fidei Christianæ, quam unam communemq; haberent, nomine se ipsis conjungeret: Quod tamen ut faciat, ejus se arbitrio relinquere: si qua inter Dunũ & Narvam sita loca aut urbes ab hoc fœdere recedant aut ei se opponant, eos se ut hostes habituros. Qui etiam ipsos alijs dominis subjicere tentet, eum similiter perduellem habendum: Lites aut controversiæ si quæ oriantur Torpatensibus, Osilianis ac Magistro ejusque fratribus junctim aut seorsim cum Moscho, tum è Rigensi diœcesi tres, Osiliensium item tres, Torpatenses vero sex, Regiorum vasallorum sex, ac fratrum totidem, loco ac tempore idoneo causam cognoscent, & quod illi declaraverint, ratum habebitur. Si autem inter ipsos fœderatos, quod Deus avertat, dissidium fuerit tum sex è diœcesi Torpatensi atque Osiliensi, & sex item regiorum clientum ac fratrum totidem, indicto conventu, litem componant, si componere nequeant, pro refractario ac rebelli censebitur, qui se intractabilem exhibuerit: Interim nemo seorsim ac ceteris inconsultis bellum Moscho facesset, qui fecerit, is suo Marte ac periculo rem geret, nec à ceteris quod expectet, habebit. Qui verò eo tempore apud Esthones prorex agebat *Iohannes Saxo* Ericum regem hujus fœderationis commonefecit, existimans in omni bene constitutâ Repub. periculosum esse ullam à nobilitate cum alijs iniri societatem, principe præsertim inconsulto. Nam licet, ut idem addebat, e re principis ejusmodi subinde fœdus videretur, alijs tamen temporibus alia posse intercurrere, quæ eidem detrimento forent. Seorsim autem de *Leone Orgesio* & *Iohanne Wagithâ* querebatur, utpote fœderis istius primis authoribus; quodque idipsum sibi ut regio vicario planè ignaro fuisset percussum.

Inter hæc apud Rostochienses, qui, ut supra meminimus, jam ante post arctam obsidionem se dediderant, moritur *Valdemarus* frater Erici regis natu minor, ibidem solenni sepulturâ honoratus; sed qui postmodum, reportato in Daniam funere, Soræ tumulatus est. Mortuus quoque per id tempus Hallandiæ Australis Dux *Ericus*, *Valdemari II* ex filio *Canuto* nepos.

Apud Sueones verò, licet jam undique *Byrgerus* Rex vicinis principibus aut fœdere aut affinitate sibi devinctis ac pacatis uteretur, tantam tamen in se domi tempestatem concivit, ut ea propemodum universam regiam domum pessundiderit. Invitaverat enim in arcem

ERICUS VII. Rex. A. C.

arcem ſuam *Byrgerum* ejuſque fratres *Ericum* & *Valdemarum* Duces, *Turchillus* regni Mareſchallus: finitoque convivio Rex utrumque fratrem ſeorſim avocans, affirmabat ſibi certò conſtare peregre eos & extra patriam proficiſci conſtituiſſe, & tam in ſe quàm in regnum hoſtilia machinari: itaque eos monitos cupere, ſi abire ſalvi vellent, ut literis, quas in hoc paratas habebat, additis ſigillis, ſubſcriberent. Duces in arctum redacti, poſtquam ad ſui defenſionem multa adducere pararent, nihil tamen obtinere potuerunt; ſed coacti ſunt, obſignatis literis affirmare ac jurejurando promittere ſe patriam ſine regis venia haud egreſſuros, in ejus etiam conſpectum, niſi vocarentur, non venturos; familiam atque gravem comitatum non alituros, neque ullas in regis aut reginæ perſonam aut qui ad eos pertinerent, inſidias molituros, aut adhæſuros molientibus. Hæ literæ datæ fuerunt in arce *Turchilli* Aranes, accuſatuſque *Turchillus* ipſe quaſi earum author aut regi conſilij iſtius ſuaſor fuerit; quod illi, ut poſtea dicetur, magno ſtetit. Interjectis aliquot diebus juſſi Duces ad inſulam Viſingiacam accedere, ut reſponderent articulis, quos in ipſos rex eſſet prolaturus. Verùm *Valdemaro* Regis fidem ſuſpectante, ſolus *Ericus* exiguo comitatu regiam acceſſit, ac ipſum *Byrgerum*, prout erat ſingulari comitate atq; eloquentiâ, coram ſalutavit. Rex autem poſthabitis omnibus obſequijs ac humaniſſimis ejus verbis torvo vultu venientem excepit, & recitari extemplo criminationum aliquot in ipſum capita mandavit; Quod nimirum contempto Regis edicto, extra regni limites commeatum evehi feciſſet, quodque facto per regis territoria itinere ſubditos regios manu armatâ infeſtaſſet: ac famulus ipſius alapam oſtiario regis incuſſiſſet, quod in arcem non admitteretur: ac denique quod palatium ipſius tantâ eſſet magnificentiâ exornatum ipſeque tam frequentem comitatum circumduceret, ut aula regia ejus comparatione contemptui haberetur. Quibus perlectis, Rex non admiſſo Ducis reſponſo ſubito exſurrexit ac irâ concitus regno eidem interdixit. Duces igitur à fratre proſcripti ad *Ericum* Danorum regem, affinem ſuum, facto procinctu confugerunt. Sed cùm parum ibi ſolatij reperirent & Ericus Byrgero potius quàm ipſis favere videretur, quod arctiori inter ſe affinitate juncti alter alterius ſororem duxiſſet, relictâ Daniâ ad *Haquinum* Norvagum ſe receperunt. A quo amicè ſuſcepti oppidum Cungellæ inter Norvagianos & Suecos ſitum in præfecturam acceperunt; ut eſſet ſcilicet veluti ſpecula unde, captâ occaſione, facto procurſu Suecorum vicinas provincias Daniam & Vermelandiam continuis incendijs ac direptionibus vexarent. Eſtque ob id ipſum coactus *Byrgerus* novum præſidium, quem Aureum Montem vocant, eo loci adverſus eorundem incurſus extruere. Quo tamen excitato nihil remiſſius egêre: ac mox Daliam ingreſſi arcem Daleburgum condidêre, unde varijs excurſionibus editis, populares undiquaque aut fatigarunt aut abduxêre captivos. Proinde *Byrgerus* collecto decem millium exercitu ſtatuit, expugnato Daleburgo, retro eos agere atque in totum extra regni fines propellere. At Duces, paratis, quas habebant, copijs, una cum milite, quem auxiliarem ipſis *Haquinus* ſubmiſerat, in adverſum egreſſi *Byrgero* viciſſim exercitum objiciunt. Quæ dum magno utrinque molimine fiunt, interponentibus ſe arbitris ita bellum compoſitum eſt, ut *Byrgerus* receptis in gratiam fratribus redderet, quæ illis debebantur, hæreditarias poſſeſſiones, ac præfecturas lege pactas cuique aſſignaret. *Iacobus* interea Hallandiæ Comes, cum arces ſuas ac propugnacula, quæ ut diximus, Ericus Daniæ rex certâ militum coronâ circumcinxerat, liberare obſidione non poſſet, totum Hallandiæ borealis Comitatum Regi Norvagorum in perpetuum poſſidendum ac tenendum tranſcripſit, memor ſcilicet ingentium ac variorum beneficiorum, quæ ipſi Norvagiæ reges, durante cum Danis bello, toties tamque liberaliter prçſtitiſſent, acceptis inſuper à Duce Auſtralis Iutiæ, bis mille argenti marcis, pro quibus idem Norvagiæ Rex fidem ſuam apud Ducem interpoſuiſſet. Hæc itaque in totum Norvago *Iacobus* permittens ac ſe liberoſque ſuos ejuſdem regis gratiæ ac favôri commendans illud præterea orabat, ut ſi Rex commodâ aliquâ tranſactione eundem Comitatum obtinere etiam à Daniæ rege poſſet, ut tum meminiſſe liberorum ejus vellet, quò ſcilicet eorum alicui ea præfectura traderetur. Bis autem illa marcarum millia ſi Duci redderentur, regem ab omni ſponſione fore liberum. Acta hæc Tonſbergi anno circa feſtum Divi *Suffridi* à Chriſti nativitate quinto ſupra milleſimum trecenteſimum. MCCCV.

Quo eodem propemodum tempore, reconciliatio, quam diximus inter *Byrgerum* ejuſq; fratres factam, chirographis ac codicillis Nicopiæ ſignata eſt: In quibus præſentibus Epiſcopis ac regni proceribus culpam profeſſi ſunt *Ericus* & *Valdemarus*, quod ſe fratri oppoſuiſſent, eoque nomine ſe facturos ac omiſſuros ſpondebant, quodcunque ille mandaret, excepto

Ericus VII. Rex.
A. C.

excepto bello adverſus Norvagum gerendo, à quo immunes forent ſicuti nec juvarent adverſus Danum Norvagos: ceterum fratri *Byrgero* ejuſque conjugi Reginæ *Margaretæ* ac liberis fidelem ubique operam præſtarent; Ac Ducem *Magnum Byrgeri* filium jam electum, regem agnoſcerent, & poſt ejus obitum filium ejuſdem natu maximum, ac ſic deinceps: Nullâ etiam *Turchillum* Mareſchallum alioſque ex regis conſiliarijs injuriâ aut malevolentiâ proſequerentur, quod *Byrgerum* ope conſilioque juviſſent. Hæc firma rataque permanſura etiam adſtipulatione regum Daniæ *Erici* & *Haquini* Norvagiæ, nec non *Gerhardi* Holſatiæ Comitis ſe obſignata allaturos intra feſtum nativitatis divi *Iohannis Baptiſtæ* promiſerunt. Eâque habita pacificatione, omnis exinde in *Turchillum* Mareſchallum ſimultas invidiaque derivata. Ei imputatum quod Ducibus perpetuo obſtaculo fuiſſet ac multa inſcio rege ſuâque ſolius authoritate, in regni ipſorumque detrimentum egiſſet. Ac licet pro ſe haud pauca in contrarium adduceret, locum tamen ea habere nequierunt. Nam quod fieri vulgò ſolet, tranſilire ſepem ſtudebant, quà erat depreſſiſſima; Itaque *Byrgerus* aurem Ducibus præbens nec intelligens per *Turchilli* latus ſe peti, comprehendi eum in villa Veſtrogothorum Lenâ juſſit ac vinctum in regiam Stocholmienſem abduci. Ubi dum detinetur, divortium fecit cum ejus, quam diximus, filiâ Dux *Valdemarus*, quaſi ſpiritualis cognatio (quod ſcilicet in baptiſmate pro *Valdemaro Turchillus* fidejuſſiſſet) hoc ipſum poſtularet. At illud vinculum ſi nullum fuerit, cum nuptiæ contraherentur, nec jam eſſe alicujus momenti potuit, niſi iſtæ aliæque interveniſſent ſimultates. Itaq; haud multò poſt *Turchillus*, nullâ habitâ meritorum ejus ac regi per tot annos navatæ fideliter operæ memoriâ, præbere cervicem carnifici coactus eſt. Ejus aliquandiu corpus levi ceſpite adobrutum jacuit, donec interceſſione tandem bonorum in monaſterium minorum ſepulturæ eſt traditum.

Memoratum ſuperius pactiones; quæ inter Daniæ & Norvagiæ reges aliquoties eſſent initæ, iterum ſæpiuſque ruptas occaſione perduellium, ac præcipuè *Iacobi* Hallandiæ Comitis, qui minus pacatè agens varijs modis inducias interrumpebat. Quapropter Rex Ericus, habito Helſenburgi procerum conventu, etiam extorres, datis ipſis fidei ac ſecuritatis literis, convocari eodem curavit, ut ſi quid etiamnum ad ſui defenſionem haberent, quemadmodum innuere Norvagiæ Rex *Haquinus* videbatur, id publicè proponerent, ac ſe homicidij in parentem ejus laudatæ memoriæ Ericum regem perpetrati, reos non eſſe liquido demonſtrarent. Itaque illis non comparentibus, in pleno procerum ac epiſcoporum conſeſſu, cui etiam Dux Eſthonum *Chriſtophorus*, Sueonum *Ericus* & Finlandiæ *Valdemarus* unà cum Holſatiæ Comite *Gerhardo* interfuêre, ſententia ejuſmodi recitata, ſe iterum iterumque inſpectâ perduellium cauſâ agnoſcere ac pronunciare, Comitem Hallandiæ *Iacobum*, Mareſchalcum *Stigotum*, *Nicolaum Hallandsfar*, *Petrum Porſium*, *Petrum Iacobum*, *Nicolaum Canuti*, *Agonem Cacium*, *Ranmonem Ionæ* reos eſſe cædis Ericianæ ac crimen commiſiſſe læſæ majeſtatis.

Per id quoque tempus *Iſarnus* Lundenſium archiepiſcopus aſſignationem regi tradidit, certi, ut vocant, præbendi ſive ſportulæ ſacerdotalis à rege in eccleſiâ Lundenſi fundatæ. Eſtque ad eam acceptandam à rege productus ac præſentatus *Eſgerus Iul*, confirmatuſque ab archiepiſcopo. Quod etiam præſentandi jus Rex ſibi ac ſucceſſoribus ſuis reſervari in perpetuum voluit.

MCCCVI. Anno, qui proxime ſuperiorem excepit, milleſimo trecenteſimo ſexto, ſept. Cal. April. Vaſalli ac fiduciarij regij qui Eſthoniam incolebant, celebrato conventu varias leges ac conſtitutiones in uſum atque utilitatem reipublicæ ediderunt, aſſentiente atque eaſdem approbante *Henrico* Revalienſium epiſcopo, ità tamen ut eædem ſervarentur aut intra biennium abrogarentur, prout regi videretur.

Apud Sueones verò haud multò poſt *Ericus* & *Valdemarus* Duces regem *Byrgerum* fratrem ſuum in loco, cui *Hatunæ* nomen erat, unà cum reginâ ac liberis captum in vincula conjecerunt. Rex enim ſecurè eo loci agens nec ullas inſidias metuens totam eodem familiam regiam adduxerat. Unde & *Nicolaus* Aroſienſis Epiſcopus, duoque & viginti Sueonum nobiliſſimi, ſimul in captivitatem abducti ſunt. Solus *Magnus Byrgeri* regis filius primogenitus, tum adhuc infans, induſtriâ atque operâ *Arvidi Gothi* inſidias evaſit. Eum enim humeris ſuis clam deportatum *Arvidus* in Daniam ad regem *Ericum* avunculum pueri, ſalvum traduxit. *Byrgerus* igitur ad eam extremæ infelicitatis ſortem redactus totum Sueonum & Gothorum imperium *Erico* Duci aſſignare coactus eſt. Ac mox eodem captivo in arce Nicopenſi arctiſſimæ cuſtodiæ tradito, Ericus intra anni unius ſpatium ità utrumque

utrumque regnum subditosque omnes ac nobilitatem sibi obsequentem reddidit, ut difficillimum videretur, eum de gradu ac possessione repellere. Attamen Ericus Danorum Rex *Byrgero* affini suo auxilium laturus ingentem exercitum comparavit. Eoque in Sueciam translato, ad limites Vestrogothiæ circa *Bosund* Ducum agmina sibi obviam habuit. Et licet utrinque ad pugnam parati starent, absque tamen conflictu tunc temporis res cessit. Ericus enim Rex cum varia pacis media ac conditiones, quibus dimitti *Byrgerus* affinis ejus possit, dispiciendas Ducibus proponeret, annuæ induciæ ac deliberandi tempus ipsis indultum est. Durantibusque inducijs, *Valdemarus* Finlandiæ Dux, transmisso mari in Germaniam transijt, nomen præbens quasi peregrinationem religionis ergo instituisset, cum interea octingentos arte militari instructissimos equites ibi conscriberet: Quibus secum mox in Sueciam advectis Scaniam ingressus est, atque eam circumquaque regionem ferro ac flammis vastavit. Referunt annales Suetici eâ expeditione Ducem *Christophorum*, Erici regis fratrem, in præsidijs ibi cum alâ equitum constitutum, à Suecis captum: cujus tamen apud chronographos nostros nihil occurrit, sed postmodum *Christophorum*, exortâ inter ipsum & regem fratrem simultate, ad Suecos suâ sponte concessisse, quod infra dicetur.

ERICUS VII. Rex. A. C.

Per id tempus lis enata est inter regem Ericum nec non *Valdemarum* & *Ericum* Australis Iutiæ Duces super extorrium bonis, quæ in Ducatu ipsorum erant sita. Electusque est Comes Holsatiæ *Gerhardus*, qui arbitri partibus functus ità pronunciavit, ut ea bona Episcopo Ripensi permitterentur atque inde regni proceres sententiam ferrent, utrum ad Duces an ad regem pertinerent, lataque est pro rege sententia, quia adversus Regem non Duces crimen læsæ majestatis esset commissum.

Norvagi tum quoque arma in Danos iterum commovere cœperunt, egressique in terram circa Torneburgum fortiter à milite, qui limiti erat appositus, repulsi sunt. Ac mox cum eos classe suâ persequeretur *Iacobus Olai* Mareschallus velletque in hostium navem desubitò transcendere, saltu aberrante, submersus est. Inde Haffniam appulsi ac simili fortunâ usi domum redierunt.

Eodem propemodum tempore Ordo equestris apud Esthones Ducatum Estlandię Episcopo Revaliensium *Henrico*, regis quasi vicem tenenti, assignavit; Eâ nimirum lege ac conditione, ut idem Ducatus à Daniæ regno haud unquam abalienaretur. *Henricus* verò eandem assignationem regi vicissim transmisit cum amplissimis testimonijs quibus fides ac studium ejus erga regem ab Ordine universo prolixè commendabatur. Fatalem annum præter alios expertus est *Ionas Litle*, vir equestris dignitatis, & qui apud regem illustri semper gratiâ ac magnâ authoritate suo merito floruerat. Ejus conjux *Cecilia* paucis post mensibus maritum secuta, Esseromi, ubi & parens ejus erat conditus, sepulturam accepit.

Sequenti anno, qui fuit Christi MCCCVII secundò in Suecos movit Rex Ericus, cum ut anni superioris injurias illatas ulcisceretur, tum ut affinem suum *Byrgerum* è captivitate liberaret. Ei auxiliares accesserant Dux Slesvicensium *Valdemarus* ejusque frater *Ericus* nec non Dux *Christophorus* alijque principum ac procerum plures. Sed tanta tum anni hyems erat ut morari sub dio vix quisquam mortalium posset. Tum & Ducum uterque, cum jam prope Lingebyam Rex venisset, missis nuncijs, declarabant se æquis conditionibus libenter pariturós. Ac mox traditis regi obsidibus promittebant se ad pacem cum fratre faciendam adfuturos sub festum proximum nativitatis Christi in loco, cui *Orknelund* nomen erat. Tum hæ pactæ conditiones, quæ tamen servatæ haud fuère, nimirum ut esset perpetua pax atque amicitia inter Duces & Regem Sueciæ *Byrgerum*: Is sibi servaret Borckholmiam, Stegeburgum, Ostergothiam, Verendiam, Gotlandiam, Olandiam & Moream aliaque territoria in diœcesibus Lincopensi & Veriensi sita: Ipsi retinerent Ducatus suos aliaque ad Sueciæ regnum pertinentia, exceptis *Byrgeri* regis paternis hæredijs reginæque in dotem concessis. Rex ipse octiduo ante festum nativitatis eodem loci adesset, nec quisquam ducentis personis comitatior accederet: ibi de pace resarciendâ seriò ageretur; si eam inire ipsi inter se nequirent, tum Daniæ Rex à parte suâ & regis Suecorum quatuor assumeret, Danos duos & Suecos item duos; totidem & Duces sibi adjungerent. Hi octo, facto juramento, sententiam quæ rata haberetur, dicerent: Atque inde Rex ejusque liberi dimitterentur; arcesque & opida aliæque munitiones restituerentur. Hæc aliaq; tum temporis eo loci ventilata; Actumq; similiter de bello Norvagico, ut nimirum ab eo tempore ad festum usq: Michaelis induciæ essent.

MCCCVII.

Ll *Christophorus*

Christophorus item Dux (ità in actis reperio, quamvis & ipsum hic præsentem fuisse ex modo dictis apparet) ejusque socij, exceptis parentis ipsius percussoribus, suis per totam Daniam bonis hæreditarijs liberè fruerentur usque ad idem Michaëlis festum, ità tamen ne uspiam se extra suum Ducatum absq; regis voluntate Dux reciperet. Verum omnia hęc ventis tradita, nec quidquam eorum obtinuit, præsertim cum sibi quisque novos cudi articulos cuperet. Itaque bellum resumptum, ac tota propemodum Vestrogothia cladibus exhausta ac divastata est. Nec multo etiam post Norvagiæ Rex *Haquinus* exulum patrocinium iterum assumpsit, à Sueciæ Ducibus, qui Erico Daniæ regi negotium facessi optabant, indubiè excitatus. Is igitur publico diplomate promulgato, constare omnibus volebat, se multoties proscriptorum, & qui regiæ cædis accusabantur, nomine, apud Daniæ regem per literas & legatos egisse ut causa eorum propius cognosceretur: quod licet obtinuisset, ità tamen cum ijs actum ut constitutis juratis judicibus se eorum sententiæ submittere deberent, idque cum iniquum existimarent, ad pontificem provocationem factam: ac se tandem tædio istius negocij ac publicæ concordiæ causâ cum rege Danorum pacem fecisse, sed eam à parte Danorum continuò ruptam, præsertim cum Rex Ericus capi exinde ac dirui arcem suam Hielmum mandasset, nec libera commercia regni sui negociatoribus concederet, se itaque nulla nunc re Danorum regi esse obstrictum; Ericique Sueonum Ducis, generi sui futuri, ac regni senatorum consilio suscipere in clientelam ac patrocinium cognatum suum Hallandiæ Comitem *Iacobum* nec non dominum *Petrum Iacobeum*, eorumque liberos omniumque honestorum virorum clientes ac liberos, qui è Daniâ ad se confugerunt: Sub finem ejusdem diplomatis profitetur motuum ac dissensionum istarum inter Danos & Norvagos se & fratre adhuc minorennibus initium factum secus quam multi sentiant. Datæ verò literæ fuerant Nidrosiæ anno regni ejus octavo, sub ipsum verò finem anni superius indicati. Eodem circiter tempore obierat Bremæ archiepiscopus diœcesis *Florentius*; Estque in ejus locum à pontifice Romano *Clemente V* surrogatus, de quo supra aliquoties memoratum, *Iohannes Grand* Lundensium olim præsul. Is annos circiter viginti eam Ecclesiam administravit, sed ut erat homo inquies ac moribus asperior haud commodius eam rexit, quàm domi ecclesiam Lundensem gubernaverat. Nam, ut de eo *Crantzius* loquitur, unius pontificis moto ac perturbato capite totius ecclesiæ status fluctuabat. Huic *Grandio* prima institutio seu donatio tribuitur præbendorum sacerdotalium sex, ut vocant, apud Roschildenses, quæ ad Academiam postmodum Haffniensem relata, hodieque *intersex* vocantur.

Post hæc Ericus Rex, archiepiscopi Lundensium *Isarni* aliorumque præsulum ac regni senatorum usus consilio, tradidit Esthonum olim Duci *Christophoro*, fratri suo ac post ipsum filio ipsius natu maximo, ac sic deinceps, Hallandiæ Australis nec non Samsoæ Ducatum, cujusmodi eum ante quadriennium tenuerat, quem supra anno MCCCIV defunctum memoravimus, Dux *Ericus Valdemari* Secundi ex *Canuti* filio nepotum ultimus. Hunc igitur Ducatũ, tradito pro more vexillo, cum regni clientibus totâq; regiâ jurisdictione ac prærogativis ita Duci permittebat, ut si ipse absque liberis defungeretur, ad regni coronam eadem omnia redirent. Si quando etiam expeditiones terrâ marive indicerentur, Dux ejusque subditi ac naves regi confestim auxilio accederent, & ipse quoque regni comitijs interesset, nec ullam monetæ curam gereret omniaque præstaret quæ regni vasalli præstare tenentur. Rex vicissim ad eum promovendum, juvandum ac defendendum, si dicto audientem se præberet, ut dominus clientem, se paratum semper fore promittebat. Eam in rem *Christophorus* ex adverso, datâ regi antapochâ, profitebatur accepisse se suo, ac suorum masculini sexus hæredum nomine, Australis Hallandiæ ac Samsoæ Ducatum lege ac conditionibus jam dictis. Et præter hæc, constitutis sponsoribus *Othone* & *Hermanno* Marchionibus, *Nicolao Verlensi, Henrico Megapolitano*, ac denique *Gerhardo* Holsatiæ Comite, *Valdemaro* Iutiæ Duce unà cum Episcopis ac regni senatoribus præcipuis, pollicitus idem fuit, se in regis aut regni detrimentum nec re aut consilio palam aut clam quidquam moliturum: nec unquam in necem aut incarcerationem ejusdem regis conspiraturum; si verò fecisse convinceretur, omni successionis jure omnibusq; bonis hæreditarijs & se & hæredes suos excidisse. Promisit præterea, si quæ inter ipsum & regios homines incidere querelæ aut controversiæ possint, eas non per se vindicaturum, sed regio tribunali ac publico judicio permissurum: jura etiã & privilegia, quę in suo Ducatu diœcesis Lundensis & Arhusiensis haberent, ea ipsis integra atq; immota relicturũ: Quæ ceteraq; huc spectantia, datis insuper

Ericus VII. Rex. A. C.

insuper codicillis ac facto sacramento, sanctè se servaturum pollicebatur. Habitus per id tempus in insulâ Fimbriâ conventus tractatusque de pace constituendâ inter Holsatiæ Comitem *Gerhardum* & conjuratos quosdam ejusdem Comitatus præcipuæ nobilitatis. Horum litem ad hoc Electus Rex Ericus, assumptis præter domesticos consiliarios etiam exteris aliquot, itâ decidit ut utraque pars sibi satisfactum judicaret. Sed mox cum iterum irritata nobilitas quiritaretur ac veteres inimicitias resumeret, res ad arma devenit. Tractisque in societatem Dithmarsis alijsque vicinis populis conjurati Holsato metum incussêre. Ille igitur collectâ, quam dicto adhuc audientem habebat, nobilitate domesticâ, aliorumque fœderatorum assumptis auxilijs in adversum progressus manum cum hoste conseruit victorque evasit, capto exercitus totius duce *Pelsio*, quem rotæ impositum ut patriæ perduellem extremo supplicio affecit. At ceteris, qui è prælio salvi evaserunt, Lubecæ receptus est datus. Quod cum ureret Holsatum, qui Lubecenses sibi ut vicinos propitios putabat, etiam ipsis bellum minatur. Et quamvis se illi excusarent nec in id hospitio dignatos exules dicerent ut ei molestias crearent, sed ne desperatione adacti ad extrema confugerent; Comes nihilominus coacto milite Travæ ostio munimentum apponit, sperans se eo commeatum oppidanis interclusurum. Lubecenses cum fœdere sibi obstrictum haberent Saxoniæ Ducem *Albertum* & exulum præterea eorumque apud Holsatos amicorum viribus fiderent, arma vicissim Comiti ostentant. Quibus & Rex Ericus, utpote civium defensor, *Valdemarum* Slesvici Ducem veluti tutelarem ac præfectum submiserat; *Gerhardo* suppetias ferente Duce Megapolensi *Henrico* & si qui intra ipsius Comitatum erant dynastæ consanguinei. Castra idem collocata habebat in nemore urbi proximo prope locum, qui *Suartou* dicitur: Unde & oppidanos infestare & suis, qui Travæ ostio assidebant, subvenire, ubi opus esset, poterat. Sed Dux *Valdemarus* à rege, ut dictum, Lubecensibus præsidio missus, ne bellum ulterius serperet, omnem movit lapidem, ut Lubecenses cum Holsato reconciliaret. Quod & factum in hunc propemodum modum; ut pace inter utrosque sancitâ, turris illa ad Travemundam sita, quam sibi Holsatiæ Comes vindicavit, ejus hæredumque esset ab eo usque tempore in annos quatuor; Nullæ interea novæ structuræ aliave ædificia eidem adjicerentur; donec, elapso quadriennij tempore, controversia illa ab Imperatore *Alberto* vel in totum composita vel aliud statutum fuerit. Hæc Lubecæ acta feriâ quintâ post festum Urbani anno jam dicto. Turris verò ea penes Holsatiæ exinde Comites mansit, utpote in solo ipsorum posita, dum tandem *Iohannes, Benignus* dictus, eam quatuor marcarum argenti millibus Lubecensibus vendiderit.

Eodem circiter tempore *Andreas Hogbyus*, *Christophori* Hallandiæ Ducis satrapa, nomine Ducis cum *Iacobo* Comite, *Petro Iacobeo* alijsque, qui cædis Ericianæ rei habebantur, itâ egit ut si quid, quod ad Ducis laudem ac defensionem ipsorum facere posset, haberent, id proferrent: Arbitros ejus futuros regem Norvagiæ *Haquinum* & Daniæ Ericum: Cum verò nihil, ut supra indicatum, illo conventu, qui in loco *Orcknelund* dicto habitus fuerat, esset promotum, tum & differretur *Byrgeri* regis liberatio, tertiò adversus Sueciæ Duces multo quàm ante validiores copias Ericus comparavit. Erat in his *Henricus* Megapolensis *Henrici* filius, quem annos viginti sex Sarraceni captivum detinuerant: Dux Slesvicensium *Valdemarus* & Langelandiæ *Ericus* unà cum *Nicolao Verlensi* alijsque Germaniæ principibus ac dynastis, excepto domestico milite; Qui in universum sexaginta fuisse virorum millia perhibentur; & in ijs Germanorum equites quinquies mille & quingenti. Hoc exercitu fretus annum circiter millesimum trecentesimum octavum Vestrogothiam Rex intravit, obsessâque Nicopia Dux *Ericus* id præcipue in adversum egit ut undique commeatum tam immensę multitudini pręcluderet. Quibus cum mox accederent intestina mala, discordia ducum, atque inde laxata militię disciplina, coactus est Rex, postquam tredecim septimanis Nicopiam obsedisset, novas cum Ducibus pacisci inducias. Suetici annales paulo hęc aliter referunt. Volunt enim jam ante ex pactis conventis dimissum *Byrgerum*, sed violato mox sacramenti jure, pactis non stetisse & ad regem Danię *Ericum* confugisse: Ibique collectis his copijs, utrumque regem Ericum & *Byrgerum* in Duces simul movisse & tandem post grave & atrox cum Sueonibus bellum ad pacem & pacta cum Ducibus redijsse *Byrgerum*: eaque ut rite conciperentur, Comitia Helsingburgi indicta. MCCCVIII.

Porro solutâ obsidione Nicopensi pactisque inducijs, cum Dux *Christophorus* exercitum è Sueciâ reducturus nonnullos in transitu pagos exureret, idque contra pacta conventa

Ericus VII. Rex. A. C.

factum quiritarentur Sueciæ Duces, à rege minus benigne exceptus fuit. Nam & Hallandiæ Ducatum, quem paulo ante à rege acceperat, ei ademit, palamque oſtendit diſplicere ſibi ipſius molitiones. Itaque Dux, ſumptâ fugâ, in Sueciam ad affines ſuos abijt ibique aliquandiu ſubſtitit. Rex interea has ei criminationes impegit; eum nimirum poſtquam accepiſſet Ducatum Hallandiæ, ad ſe allexiſſe regni clientes eoſque rege invito retinere: itemque apud ſe detinere, qui regem offenderunt & inter ceteros Thorium: unum feciſſe cum rege Norvagiæ & Ducibus Sueciæ regni hoſtibus: Flocci habuiſſe provocationem ad regem factam, in cauſâ Laccij aliorumque, qui pœnâ affecti ac bonis ſuis multati ſunt: non permittere ut Eccleſiæ Lundenſis agricolæ apud Hallandos ſuis fruantur immunitatibus: pacta ac promiſſa cum Ducibus Sueciæ per regem & regni ſenatores inita fregiſſe irritaque reddidiſſe, incendijs ac direptionibus pagorum cum è Sueciâ rediret: regios equites ab expeditione Suedicâ domum tendentes in Hallandiâ, ejus Ducatu, equis ſpoliatos; conſpiraſſe de rege tollendo vel captivum adducendo: odio habere quoſcunque Rex deligit, diligere verè quos ille odit. *Chriſtophorus* ex adverſo publicas literas ad forum judiciale, quod tum in Selandia habebatur, confeſtim tranſmiſit, gratias omnibus agens pro benevolo eorum erga ſe affectu; ſeque idipſum viciſſim demeriturum promittens, deprecanſque ſi quem ipſorum offendiſſet: Inde alìorſum converſâ oratione queritur ac dolet, ſe malevolorum quorundam delationibus odium atque offenſam domini fratris ſui incurriſſe. Deum vero teſtem invocare, ſe ſemper dignitati fratris promovendę ſtuduiſſe & vitam quoque pro ipſo impendere paratum; & jam tertio ad eum miſiſſe nuncium ac petijſſe, ut tuto accedere liceret ad ſe defendendum vel luendam pœnam ſi reus judicaretur: nec adhuc ſalvum conductum impetrare potuiſſe, ſine autem eo non venturum, quod intellexerit unum ex regijs ſenatoribus, qui cum exercitu in Sueciâ adeſſet, operam dare ut ſe vel trucidet, vel vivum capiat; & hoc palam profeſſum, cum ab eo potius ſolatium & patrocinium exſpectaſſet: Orare idcirco ne ſe deſerant, ſed efficere apud fratrem velint ut tutò redire & ſe publico judicio ſiſtere in comitijs poſſit. His autem interceſſoribus an aliquid *Chriſtophorus* obtinuerit, cum annales ſileant quod referam non habeo, quamvis impetraſſe veniam ac reconciliatum cum fratre ex eo veriſimile ſit, quod interfuerit exinde Helſingburgenſi conventui ac pacis tractationem inter *Byrgerum* & Suecię Duces cum fratre Erico alijſque principibus ſimul promoverit, ut ſtatim patebit.

Eadem hac tempeſtate Norvagię rex *Haquinus* Erico regi exprobrare cępit neutiquam ab eo ſervata, quæcunque inter ipſos acta multoties pactaque fuiſſent, tranſmiſſoque prolixo ac querulo ſcripto non uno modo ſe ludificatum ac opinione ſuâ fruſtratum ſignificavit. Et ut ab ovo ac primis actibus res deduceretur, oſtendit pactionem eam, quæ inter fratrem ſuum Ericum regem & ſe Haffniæ præſente *Witzlao* principe, jam olim inita fuerat, ſtatim exinde Alburgi infractam, multatis Norvagiæ incolis: atque inde Medelfurti, Somerſtadij, Hegnedſgaviæ, Balgoæ, Fanecalviæ, Schelſoræ quæcunque diverſis temporibus aut reſumptæ aut conſtitutæ de novo pacificationes fuerant, eas univerſas flocci habitas, ac varijs injurijs ac detrimentis Norvagiæ ſubditos, dum eædem durarent, à Danis fuiſſe affectos. Quibus omnibus Rex Ericus occaſionem præbuiſſe reponebat parentis ſui percuſſores, qui pacem omnem oderant: Eos decennales inducias aliaſque pactiones, injurijs ac cædibus in Danos perpetratis, identidem interrupiſſe, nihil commiſſum adverſus regem ipſum Norvagiæ, tantum exulum culpâ & occaſione peccatum, idque articulis aliquot in medium allatis luculenter demonſtrabat, & præſertim Hallandiæ Comitem *Iacobum* ejuſque aſſeclas, variè in cauſa fuiſſe, dum regni reditus in Hallandiæ Ducatu ſibi retinerent, agricolas exactionibus vexarent, alioſque regi ſubditos captivos abducerent, mutilarent, occiderent, ac bonis deníque ſpoliarent.

Quæ dum ultro citroque agitantur, exorta eſt inter regem Norvagiæ *Haquinum* & Ducem Sueciæ *Ericum* haud levis ſimultas, quæ novæ exinde pacis inter Danos & Norvagos conficiendæ occaſionem præbuit. Repoſcebat enim *Haquinus* Vardebergam, Cungellam aliaq; præſidiaria loca Erico olim è Sueciâ profugienti clientelæ jure concredita. Sed *Ericus*, qui filiam *Haquini* ſe accepturum in conjugem ſperabat, quod tenebat, haud temere redditurus videbatur. Itaq; Daniæ Rex Ericus occaſionem haud negligens, agere cum *Haquino* in hunc modũ cœpit, ut *Magnus Byrgeri* Sueonũ regis filius *Ingeburgā* in conjugem duceret eſſetq; inter Danos & Norvagos pax perpetua aliaq;, de quibus plene conſtituendis dies conventui agendo dicta eſt S. Barnabæ, locus Heſiorda apud Selandos. Sed locus iſte

ERICUS VII. Rex. A. C.

iste postea mutatus habitusque Haffniæ conventus die quinto ante festum Mariæ Magdalenæ mense Iulio. Ubi, præter cætera, decretum ut immota pax esset inter Daniæ regem Ericum & *Haquinum* Norvagiæ. Eaque pacificatio quò firmior haberetur, Rex *Haquinus* filiam suam *Ingeburgam* nuptui traderet Duci *Magno Byrgeri* filio regis Erici è sorore nepoti, eamque hæredem pronunciaret Norvagiæ, si nullâ prole masculâ augeretur: Si nec ipse *Magnus* filios ex eâ progigneret, dos esset 6000 marcarum argenti; quantum vicissim conferret Dux *Magnus* aut ejus loco suas possessiones pignori traderet: Si verò regnum hærede augeretur, esset dos 3000 marcarum argenti: cujus nomine *Haquinus* Erico regi fidejussione caveret: Ericus vicissim efficeret ut, rege *Byrgero* in integrum restituto, filius *Magnus* patri successor declararetur: *Byrgerus* verò apud Pontificem ageret ut acceptâ ejus, ut vocant, dispensatione, nullâ ex cognatione remora matrimonio injiceretur, cum alter alterum in quartum gradum sanguine contingat. Rex præterea Daniæ *Haquino* regi Borealis Hallandiæ quatuor territoria ab amne Etherâ cederet loco maternorum bonorum, quæ sibi competere intra Daniæ regnum sita existimaret. Quod reliquum istius Ducatus, præter dicta territoria, esset, id *Haquinus* jure clientelari & sub vexillo ac præstito regi fidei sacramento, acciperet. Quod ad regios percussores, de ijs hæc statuta: Ericum regem in gratiam *Haquini* Norvagorum regis concessisse ut conjuges ac liberi eorum novem, qui essent cædis in parentem suum patratæ convicti, acciperent bona tantum materna: ceteris & qui illis sanguine juncti sunt ac unà cum ijs ad Norvagos profugerunt, eorumque conjugibus ac liberis, qui, priusquam in Norvagiam abijssent aut regi Norvagorum sacramentum dixissent, bonis suis ob crimen idem multati non essent, regno ac bonis suis tam paternis quàm maternis uti frui liceret, ac regi vicissim Danorum ejusmodi prædes darent, quibus satisfactum sibi judicaret: At capita & coryphæi eorundem conjuratorum bona sua vendere tenerentur, ac pretio eorum accepto, regno exulare, eâ tamen lege, ut uxores & liberi novem eorum, qui cædis rei damnati sunt, perpetuo Daniæ regno emaneant atque intra triennium distrahant materna bona: de ceteris penes regem esset statuere, quosnam eorum frui regno ac bonis suis, & quosnam extra regnum commorari ac ipsis quod deberetur ex annuis bonorum ipsorum proventibus solvi vellet. Rex porrò Norvagiæ pacis firmioris ergò, regi Erico omnia materna sua bona, ubicunque locorum ea in Daniæ regno haberentur, cederet, quamprimum ipsi quatuor illa territoria ac castra Hallandiæ traderentur: Codicilli quoque & hypothecæ, quas Daniæ rex super ijsdem bonis servaret, eæ universæ ipsi exhiberentur, quò & scire posset, quinam de ijs essent compellandi & à quibus reditus exigendi; teneretur que Daniæ rex tergiversantes jure ac legibus cogere, donec territoria atque arces Hallandiæ jam indicatæ eorum vicem ipsius potestati permitterentur. Rex præterea Daniæ Duces Seciæ hostiliter invaderet, nec pacem cum illis Norvagus faceret absque Daniæ regis assensu; Si verò aliquâ causâ sonticâ ad inducias cum eis feriendas adigeretur, eæ & breves essent, & ità factæ ut ijs quoque Daniæ rex regnumque comprehenderetur: Nullum etiam cum Ducum socijs fœdus Norvagus pacisceretur, nisi quod ipsi & *Byrgero* regi esse possit commodo. His si quid in contrarium *Haquinus* faceret, se Roschildensium Episcopi censuræ atque anathemati submitteret, Rex verò Daniæ Ericus Episcopo Ansloensi obnoxius fieret. Atque hæc ità fore adstipulati sunt *Chetillus* Stavangriensis, *Helgo* Ansloensis, *Arno* Bergensis & *Ingualdus* Hammerensis Dei gratiâ episcopi: Dominus *Ericus Valdemari* quondam regis Suconum filius, magister Capellarum regiarum, ac nobiles viri domini *Berniardus* dictus *Bekerò*, *Thorias Haquini*, *Suaro Aslaci*, Barones nec non & Domini *Thorvaldus Thoreson*, *Olaus Erichson*, *Sigvardus de Randani*, *Trundo Halduardi*, *Suerus de Lauden*, *Thorias Horson*, *Sigvardus Haraldson*, *Brynolphus Storm*, *Trondo Gronulphi*, *Gunorius Thomæ*, *Byrgerus Torchilli*, *Sterkerus Pederson*, *Ivarus Sekeman*, *Emundus Simonis*, *Augustinus Arnonis*, *Andreas Sivardi* milites; ac etiam *Haquinus Thoriæ*, *Iohannes Gulbrandi*, *Ivarus Arnonis*, *Brynulphus Egmundi*, *Egmundus Egmundi*, *Haquinus Egmundi*, *Petrus Peterson*, *Iohannes de Steti*, *Andernus Guthormi*, *Guthebrandus Guthebrandi*, Armigeri; quorum sigilla unà cum sigillo regio præsentibus sunt appensa.

Aliquot ante hæc mensibus Imperator *Albertus* interficitur non procul à Rheno, inter Risum Arulamque amnes, consilio & operâ Baronum quorundam, à fratris filio *Iohanne*, cui tanquam prodigo administrationem Sueviæ ademerat. Initium cædis fecit *Iohannes* Dux, ficâ in jugulum Imperatoris adactâ; sequutique ceteri caput diffecuerunt medium & confoderunt pectus. Septimo ab interitu ejus mense ipsis Calend. Novembris electus

ALBERTUS IMP.

Francofurti ex commendatione præsertim *Balduini* archiepiscopi Trevirorum, præsulis ejusdem frater, *Henricus* Comes Lucelburgensis.

Statim exinde anno proximo missa ad regem Norvagiæ *Haquinum* Procuratio signata Hameræ ipso die Mariæ Magdalenæ sacro: Ea hujusce erat sententiæ; Ducem Sueciæ *Magnum*, præsentibus Erico Daniæ & *Byrgero* Sueonum regibus, absolutam potestatem tradidisse Episcopo Viburgensium *Petro* & *Iohanni* præposito Roschildensi nec non *Inguaro Cervino*, *Hiort* populariter dicto, suo nomine postulandi in conjugem *Haquini* regis filiam *Ingeburgam* omniaque transigendi quæ ad ejusmodi solennitatem pertinerent. Rex *Haquinus* his acceptis, convocata statim in Ecclesiam divæ Mariæ filiâ suâ *Ingeburgâ*, præsentibus matre *Euphemiâ*, *Helgone* Asloensi & *Ingvaldo* Hammerensi episcopis, nec non *Erico Valdemari* Sueonum olim regis filio, *Iohanne Ivaro* Cancellario alijsque regni proceribus, desponsari volentem permisit *Magno* Duci *Ingeburgam* filiam, adhibitis ceremonijs ac manuum impositione per verba, ut loquuntur, de præsenti: Tabulisque eâ de re confectis, in uberiorem veri testificationem regis & episcoporum procerumque reliquorum sigillum fuit additum. Datæ autem ac signatæ eæ tabulæ anno Christi nono supra millesimum trecentesimum Mastrandriæ. Hinc Comitia, de quibus supra injecimus celebrata Helsingburgi apud Scandianos, initaque inter regem *Byrgerum* & Sueciæ Ducem diu sperata

MCCCIX. concordia, operâ præsertim Danorum regis Erici. Ad eum namque locum convenerat *Byrgerus* ipse Sueciæ Rex cum fratribus *Erico* & *Valdemaro*: Et Daniæ Ericus cum fratre suo *Christophoro*: Aderant etiam *Gerhardus* Holsatiæ Comes & Megapolensium Dux *Henricus*. Hi diuturnis illis atque infaustis contentionibus, quæ fratres & regnum tam misere distraxerant, hunc in modum finem imposuerunt, ut *Byrgerus* Helsingiam, Verendiam, Westmanniam, Strengenessam, Ostergothiam unà cum insulâ Gotlandiæ & ejus civitate Visbyensi nec non Nicopiam aliasque arces ac territoria ad tertiam usque regnorum Gothiæ & Sueciæ partem sibi acciperet: Reliquæ autem duæ eorum regnorum portiones *Erico* & *Valdemaro* permitterentur. Quibus & aliæ adjectæ conditiones de non vindicandis injurijs deque retinendis ac defendendis subditorum privilegijs atque immunitatibus; ac simul ne quis suorum districtuum arces aut opida vel vendat vel pignori alijs cedat; ne etiam alter alterius jurisdictionem invadat aut violet; ac denique ut captivi omnes aut pro captivis obsides, si qui adhuc in custodiâ essent, confestim dimittantur. De mutuo autem auxilio adversus quoscunq; hostes invicem præstando omnes, qui aderant, principes unanimiter consenserunt. Hanc pacificationem firmam ac perpetuam fore promiserunt Ericus Daniæ Rex ejusque frater Dux *Christophorus* nec non Episcopi Upsalensis, Scharensis, Vexiensis, alijque regni Suedici proceres ac Ordo equestris universus armigerique ad eundem conventum vocati. Acta hæc, ut diximus, Helsingburgi in Scaniâ à Christo nato MCCCX, XV mensis Iulij.

Quo etiam paulo post anno iterum conjuratos illos Holsatiæ nobiles cum *Gerhardo* Comite in gratiam ac concordiam Ericus reduxit pronunciatâ in hanc mentem sententiâ;

MCCCX. Nobilibus bona ac possessiones suæ, cujusmodi ea id temporis essent, restituantur; immunitatibus ac jure suorum majorum fruantur; Comes eandem, quâ usus fuerat prædecessor ejus, in eos jurisdictionem teneat, & illi vicissim obsequium ipsi ac servitia pro more præstent. Si quid in posterum in eos Comes prætendat aut illi in Comitem, de eo secundum leges ac jura agatur. Si Comes aut illi leges insuperhabeant, tum Rex arbitri partibus fungatur. Actum etiam tum de asylis alijsque munitionibus reficiendis aut diruendis ac novis constituendis; de captivis dimittendis; deque colonis, qui venditi essent belli tempore, redimendis; ac denique de amnestiâ injuriarum omnium ac stabili utrinque amicitiâ sarciendâ, quæ & sancita stabilitaque fuit. Ante easdem transactiones, dominicâ Palmarum ejusdem anni, permiserat Rex Ericus *Wartislaum* Rugiæ principem affinem suum vice ejus, quod in Monæ insulam aliaque territoria vindicare sibi videbatur, exceptis quæ in Daniâ oppignorata haberet, accipere dimidium territorij Gnoyensis veluti pignus loco 2000 marcarum puri argenti, ità tamen ut penes regem ejusque posteros esset territorium idem, quandocunque id illi aut ipsis commodum foret, eâdem summâ redimere: Concesserat præterea, ut eidem Duci *Wartislao* alteram territorij jam nominati partem à *Nicolao* Verlensi, qui eam oppignoratam tenebat, traditâ, quæ literis indicaretur, pecuniæ summâ, liberare fas esset: Liceretque eidem munitiones ibi novas exstruere, eâ tamen lege ut quandocunque pecunia accepta redderetur & *Wartislao* quoque refunderentur ædificationis impensæ, ad regem eæ pertinerent. Mandaverat similiter Rex vasallis suis ejusdem districtus,

districtus, ut *Wartislao* obsequium omniaque officia, ut legitimo ipsorum præfecto exhiberent; additâ seorsim pollicitatione, se eum ut vasallum ac fidum suum clientem, ubicunque occasio daretur, tutaturum; quod & ille vicissim facturum se regi ejusque hæredibus adstipulatus est, promittens insuper omnia sua, se absque hærede mortuo, ad regem jure hæreditatis pertinere: De Monæ quoque insulâ, quæ dotis nomine uxori ipsius concessa fuerat, ita actum est, ut eam etiam reddat, si quando illam redimere regi aut regno visum fuerit. Hæc rata certoque mansura viginti equitum torquatorum urbiumque ipsius omnium subsignatione notentur. Stralesunda si & suum adjicere sigillum cupiat, id non nisi Rege ac Duce consultis fiat.

Post hæc *Ericus* & *Valdemarus* Sueciæ Duces novum compositionis modum inter se & Daniæ regem Ericum, *Byrgerum* Sueciæ, *Haquinum* Norvagiæ ejusmodi proposuerunt, se nimirum operam daturos ut lites ac dissidia omnia inter ipsos tollerentur; Rex autem Daniæ concederet Sueciæ Duci *Erico* Borealis Hallandiæ Comitatum, cujusmodi eum *Iacobus* tenuerat, in formam præfecturæ; Dux vicissim ei quadraginta militibus mereret, & matrimonium, quod inter *Ingeburgam Haquini* filiam & *Magnum Byrgeri* filium institutum fuerat, ut promoveretur, adjuvaret, itâ tamen, ut filia *Nicolai Verlensis*, Erici Daniæ regis neptis, *Sophia* Duci in conjugem traderetur. Si qui captivi aut pro ijs obsides, in custodiâ adhuc essent, ij dimitterentur. Rex *Haquinus* si eandem hanc reconciliationem probaret, tum ipsi Cougella redderetur, missis similiter captivis. Sin verò non probaret, & arcem & captivos Dux retineret, idque nec rege Danorum renuente, quem sciret haud adversaturum, si antiquos Sueciæ limites Dux tutaretur & profugos & percussores parentis ipsius procul ab ijsdem amandaret. His interfuêre præterea Dux Australis Hallandiæ *Christophorus* & Megapolensium *Henricus*, Holsatiæ Comes *Gerbardus*, qui & idem probarunt subscripseruntque, excepto rege *Haquino*, cujus ratificatio expectabatur.

Eodem tempore Helsingburgi commodato accepit ab Erico rege, affine suo, *Byrgerus* Sueciæ & Gothiæ rex decem millia marcarum argenti puri: Quæ ipsi intra triennium per partes redditurum pollicebatur, itâ ut ad singulos dies festi, quod Michaelis dicitur, aliquid ejus deponeretur. Si verò summa ad præscriptum non solveretur, tum rex *Byrgerus* intra Sudercopiam se reciperet, nec inde pedem efferret, priusquam Erico regi satisfactum esset. Hujus debiti nomine sponsores fuêre *Haquinus* Marescallus, *Thuro* cubicularius, *Canutus Ionæ* alijque equestris ordinis præter nobiles aliquot, quorum si quis interea diem obiret, alius in ejus locum sufficeretur. Tum simul eodem loci præsentibus Holsatiæ Comite & Megapolensi Duce *Henrico* alijsque principibus feriâ sextâ ante diem D. Mariæ Magdalenæ inter Daniæ, Sueciæ & Norvagiæ regna pax sancita: & regi Norvagorum *Haquino*, de quo antea actum fuerat, Hallandiæ Borealis ad Etheræ usque amnem regio indultu præfectura permissa est: Sueciæque Dux *Ericus* suo in Norvagiam juri ac quidquid in filiam regis *Haquini Ingeburgam* sibi prærogare possit, renunciavit; Eique *Sophia Nicolai Verlensis* filia addicta, omniaque superius posita, exceptâ Hallandiæ infeudatione, de qua siletur, repetita firmataque.

Per id quoque tempus Rex Norvagiæ *Haquinus* literas evulgari curavit, quibus super datis Helsingburgi codicillis inter Daniæ regem Ericum & *Byrgerum* Sueciæ nec non *Christophorum* Ducem Holsatiæque Comitem *Gerbardum* & *Henricum* Megapolitanum, Sueciæque Duces *Ericum* & *Valdemarum* suam paulo prolixius sententiam declaravit; Et præsertim, quod ad *Christophorum* & literas inter ipsum & se antea confectas docebat eas nullius momenti esse, & tantum posteriores se ratas habere. Articulum de limitibus Norvagiæ & Sueciæ intelligi volebat, cujusmodi ijdem fuerant temporibus regis Norvagiæ *Magni*, ejus nominis quarti, ac regis Suecorum *Valdemari*. Promissum etiam & juramento firmatum asserebat à rege Danorum Erico, Holsatiæ Comite *Gerbardo* & *Valdemaro* Sueco, nomine *Erici* Sueonum Ducis, eum haud amplius *Ingeburgam* sibi conjugem postulaturum, qualiacunque licet promissa intercessissent. De controversijs, quæ intercidere inter regna Norvegiæ, Sueciæ & Daniæ possint, itâ statuebat, ut de ijs secundum leges pronunciaretur, ac nihilominus inter eadem regna Daniæ, Sueciæ, Norvagiæ immota pax staret. Literę verò, quibus Ericus Rex Duces Sueciæ Borealis Hallandiæ ducatu, tradito pro more vexillo, ornare, vel, ut vulgo loquimur, infeudare videbatur, itâ confectæ, ut conditiones ex pactis anterioribus deque ducendâ *Nicolai Verlensis* filiâ *Sophiâ* ijsdem insertę essent, adderetúrque concedi ea omnia salvis prioribus pactis Helsingburgi præsertim inter reges Daniæ, Sueciæ & Norvegiæ initis, feriâ sextâ ante diem beatæ Mariæ Magdalenæ.

ERICUS VII. Rex. A. C.

Circa idem quoq; tempus *Ericus* Sueciæ Dux ſperatæ ſuæ *Sophiæ* Erici Danorum regis nepti, dotem aſſignavit 1000 marcarum argenti puri: Si verò ſe mori ante eam contingeret, liberum ipſi eſſet regno excedere, acceptis prius à ſucceſſore ipſius bis millibus marcarum pro bonis dotalibus. Quorum nomine fidejuſſerunt Epiſcopus Upſalienſis, Scarenſis, Lincopenſis & Strangonenſis militeſque aurati quatuor & viginti: qui & literas diſpenſatorias apud Romanum Pontificem ſe procuraturos addiderunt. Dux quoque Finlandiæ *Valdemarus* fratris nomine ea omnia rata ſe habiturum promiſit. Datum Arbogæ MCCCX in vigiliâ Laurentij. Hę literę pactioneſque regum Danię, Suecię, Norvegięque & eę quoq; inter Suecię Duces ac Danię regem initę potiſſimum cum adhuc inter Norvagum & Duces & pręſertim cum *Erico* Duce, de quo ſupra memoratum, ſimultas eſſet. Tum enim Congellam ab *Erico Haquinus* repetebat, & ad eum urgendum haud procul à Congellâ novam arcem *Bahuſiam* excitarat. *Ericus* ex adverſo maximas Norvago clades inferebat, captâque Anſloâ Agerhuſiam obſedit; & *Haquinum*, qui collecta trium millium manu ad arcem obſidione liberandam acceſſerat, avertit ac fugavit. Et licet deinde, ubi *Ericus* valetudine compulſus in Sueciam ſe recepiſſet, & mox ſanitati reſtitutus ibi quoque quod eum moraretur reperiret, Norvagi ad obſidionem Congellę redirent eamque occuparent, tamen factâ exinde cum Danię rege Erico pace, Norvagiam *Ericus* Dux repetijt & arcem Congellę ſuam in poteſtatem vi reduxit. Adeò ut res eò tandem deducta ſit, ut *Haquinus* in conjugem *Erico* traderet primitus illi pactam *Ingeburgam* filiam, quamvis anno antecedente, ut meminimus, Duci *Magno*, *Byrgeri* regis filio, deſponſam; de quo inferius dicetur uberius.

Habita inter hęc Middelfarti pacis ac reconciliationis tractatiò, pręſertim Roſtochienſium aſpectu, cum Duce Stetini *Othone*; Eâ lege ut is literas, quas habebat Roſtochienſium ſuper ſummâ quingentarum & quinque marcarum argenti puri regi traderet: qui deinde cum civibus & qui eos infeſtaſſent Molſanis tranſigi curaret: Dux pręterea fidei atque obſequij ſacramento regi pręſtito, ei militibus quinquaginta, cum in Daniâ tum extra eam, ſuo ęre mereret, excepto ſi bellum gereretur adverſus *Valdemarum* Brandeburgicum, Holſatię Comitem *Gerhardum*, *Henricum* Megapolitanum: Ducem Caſſubię *Witzlaum* & *Nicolaum Verlenſem*: niſi & illi intra menſis ſpacium conditiones omnes pacificationi commodas rejiciant. Idem tum quoque ſuper cauſâ illâ Roſtochienſium & Molſanorum cum Duce Auſtralis Iutię *Valdemaro*, qui & fidei ſuę & clientelę obſequium regi prolixe ſimiliter probavit, ventilatum eodem loci feria 5 ante diem beati Thomę.

Per eadem tempora urbs Revalienſium, quę antea ſolâ arce alijſque forinſecus munimentis defendebatur, non tantum pomœrijs aucta, ſed mœnibus pręterea ac foſſis circumcincta eſt, operâ pręſertim *Iohannis Cani*, qui tum Regij legati vicem apud Eſthones fungens eam à rege procurationem ſive aſſenſum potius acceperat. Dux Sleſvicenſium *Valdemarus*, defunctâ priore conjuge, Ducis Saxonię filiâ, ſecundas eodem hoc tempore nuptias auſpicatus eſt, accepta in uxorem *Nicolai Verlenſis* filia Erici regis ex ſorore nepte. Diem verò ſuum obijt Abbas Sorenſis *Henningus*; Lundęque *Iſarnus* archiepiſcopus, natione Italus, vel, ut alijs placet, Gallis oriundus, relictâ Lundenſium diœceſi, quam annis aliquot adminiſtraverat, pontificis magis quam popularium votis ad eam vocatus; Salernum Calabrię tranſlatus eam poſtliminio gubernandam eccleſiam acceperat. Ei ſuffragijs omnium ſurrogatus fuit *Eſgerus Iul* Arhuſienſium tum pręſul.

Poſtquam verò, ut ſupra memoratum, *Nicolaus Verlenſis* qui Roſtochij imperium habebat, tradito Danię regi Erico privilegij ſui jure, ſe totum ejuſdem clientelę ſubmiſiſſet atque inde ipſi Roſtochienſes fidem atque obſequium promiſiſſent, convocaverat Rex

MCCCXI. anno Chriſti treceenteſimo undecimo poſt milleſimum perplures ad eam civitatem Germanię principes ut habito ibi conventu pro more eorum temporum ludos ſimul equeſtres celebraret. Convenerant eò, præter regem Marchioneſque Brandeburgicos, viginti ex vicinis principibus alijque dynaſtæ. Quos omnes eorumque comitatum cum non admitterent cives, veriti libertatis ſuæ naufragium, extra urbem in loco ſpatioſo, quem *hortum Roſarum* vocabant, explicatis tentorijs conventum Rex habuit. Creatique equites ac multis donarijs gladio, cingulo, aureiſque calcaribus præter ceteros honorati *Valdemarus* Marchio ac Dux *Chriſtophorus*; Fuêreque tantâ frequentiâ decurſiones celebratæ ut ſexies mille & ſexcenti cataphracti uno certamine congreſſi ſint. At Roſtochienſes eam in regem, cui obſequij jure ſuberant, pervicaciâ, quod regi portas urbis ſuæ non patececiſſent, haud impune tulerunt. Nam Ericus initâ confeſtim cum *Valdemaro* Brandeburgico ſocietate

cietate

ciotate haud levem illis metum incussit. Cui & Megapolensis *Henricus* accessit, qui nuptias intra Visinariam suam celebraturus similiter se exclusum querebatur; Nec deerat *Wartislaus* Rugiæ dynasta Stralesundenses quoque incusans contumaciæ. Et mox *Henricus* Megapolitanus cum ad obsidendam Visinariam progrederetur & aliquot à rege Danorum armatas naves subsidio acciperet, in se fabam cudi urbes vidêre. Itaque associatis sibi Gripswaldensibus classem extemplo ad littora ac insulas Daniæ infestandas emittunt. Ac primo ingressu Helsingoram, Amagum, Scanoram & Fasterboam deprædati, quod erat reliquum, igne injecto, defœdarunt. Acceptoque hoc detrimento Rex agricolas aliquot, qui oræ maritimæ invigilarent, utpote officio suo minus functos, supplicio affecit.

Inter hæc controversia, quæ *Adolphum* & *Gerhardum* Holsatiæ Comites diu exercuerat, super turri Uthersena, arbitro ad id delecto rege Erico, amicè composita est. Conventum etiam inter *Haquinum* Norvagiæ regem & Sueciæ Duces *Ericum* & *Valdemarum*, ut nimirum Duces restituerent Varbergam, Hunehalsam, Congellam ac regem liberarent promisso, quod Erico Danorum regi ante biennium fecerat, super nuptijs filiæ suæ & *Magni* Ducis: Rex vicissim intra triennium pollicebatur filiam suam *Ingeburgam* Duci *Erico* in uxorem traditurum; & *Valdemaro* insuper fratri ejus filiam *Erici*, Norvagiæ regis jam ante defuncti, *Ingeburgam* etiam nomine. Ei dos daretur 3000 marcarum argenti. Actum etiam de *Erico Valdemari*, olim Sueciæ regis filio, qui personam ecclesiasticam sustinebat ac regis *Haquini*, ut vocabant, Capellarum magister erat; Ei scilicet, quo juri suo, quod in Sueciam haberet, renunciaret, Markæ territorium cederetur, ac celebratis Erici cum *Ingeburga* nuptijs, pro arbitrio ac placito Norvegiæ regis, alijs insuper possessionibus ac bonis eidem provideretur. Duces verò quadringentis equitibus, cum res postularet, *Haquino* stipendia facerent, navibus si opus foret, eas quoque sufficerent: Rex autem si absque hærede masculo & antequam consummatæ essent nuptiæ, moriatur, tum *Euphemia* regina ac regni senatus unà cum *Ingeburgâ* sponsâ regnum Norvagiæ Duci traderet, ità tamen ne arcibus aut rerum administrationi præficerentur nisi indigenæ ac Norvagi. Quoscunque *Euphemia* regina codicillos aut literas à rege ac regno accepisset, eæ ratæ ac firmæ manerent. Deque illis omnibus plenius ageretur ad diem Philippi & Iacobi in conventu Baloræ, Omnes utrinque captivi sub idem tempus dimitterentur, modò rata manerent, quæ jam essent pacta: Ex his liquere posse interjicit felicis memoriæ nobiliss. Vitfeldius, principes ac dynastas fœdera sua & pactiones habere utplurimum, quemadmodum pueri talos & crepundia, ijsque ludere ac lascivire, & præ omnibus suum quemque commodum spectare.

Rostochienses interea factâ eruptione, Varnoviam &, quæ ibi ante decennium à rege fuerat posita, Daneburgi munitionem suæ potestatis faciunt: Exclusoque *Nicolao Olai* regio præfecto, eandem munitionem &, quod in proximo stabat, templum dejiciunt. Quo autem portum pręsidio communirent, turrim exstruxêre latericiam, quę simul veluti pharus de noctu navigantibus lucem eminus præferret. At Rex Ericus, cum his, tum priori ignominiâ, quod se urbe exclusissent, incitatus ac magis magisque irâ commotus, nova cum principibus adversus eosdem fœdera inijt. Inter ceteros *Othonem* Stetini Ducem sibi conjunxit, factâ injuriarum, quas ille in regios subditos Molsenses exercuerat, amnestiâ: additis præterea conditionibus, ut regi adversus Rostochienses quadraginta cataphractis mereret, & si opus foret, omnes in eos vasallos suos educeret. Literæ etiam Rostochiensium, quarum supra meminimus, ei redderentur, si reconciliationem à Rege propositam respuerent. Intercedebat quoque *Nicolao Verlensi* cum rege liticula de nummis quibusdam, quorum aliqua adhuc summa in solutionem pro territorio Rostochiensi restare videbatur. Sed ea controversia ad *Henricum* Megapolitanum & Episcopum Ripensem, ut medios inter utrumque, rejecta facileque composita est.

Detecta est eodem tempore in regem gravis conjuratio: Invitaverat Rex Erici, Lalandiæ Ducis, viduam *Sophiam*, ut filiam suam de sacro fonte levaret. Quæ ubi advenisset, sive ignara, quid proderet, sive ut regi gratificaretur, cum marito defuncto id esse noxæ non posset, literas exhibuit, multorum sigillis, qui in caput regis cum Duce conjuraverant, communitas. Quibus ille acceptis, vidit quibus fidendum, & quos sibi cavendos haberet, suppressitque veluti in herbâ eorum machinationem, sumpto paulatim de præcipuis supplicio. *Sophiæ* interim Lalandiæ præfecturam, quoad vixit, concessit. Quæ exinde, defunctâ ipsâ, cum prolem non haberet, ad regni laciniam redijt.

Eâdem circiter tempestate, actum apud Gallos in Concilio Viennensi, quod à Clemente Quinto

ERICUS VII. Rex. A. C.

Quinto Pontifice erat indictum, de Templarijs, eorumque nomine ac memoriâ in perpetuum abolendâ. Hi aliàs milites appellati Hierosolymitani. Estque sine morâ eorum tum omnis familia occulto quodam ejusdem *Clementis*, nec non *Philippi Pulchri*, Francorum regis, instinctu ac consensione totâ passim Galliâ uno quasi momento deleta. Cujus propemodum simile olim in magnâ Græcia accidisse Pythagoræis Græcorum memoriæ testes sunt. Templariorum autem deletiones causas ex suis conjecturis alij alias referunt; prophanationem religionis aliqui ethnicæ similem, simulachra humanâ pelle induta, & victimis humanis culta: alij libidines, alij proditiones & fœdera cum hostibus Christiani nominis inita. de quibus suum cuique judicium esto. Nam de religionibus, quæ eis tribuuntur, conficta esse plures putant, ut ſęvitię exemplum specie honestiore ad vulgus excusaretur. Interea luxum libidinesque ac proditiones, & maxime opum ac potentiæ magnitudinem, exstirpationis ipsorum exstitisse causam multi ratiocinantur. quòd hęc monarchis orbis Christiani & formidabilis & intolerabilis videretur. Germania in suos mitior fuit. Non enim statim eos ad jussa pontificum trucidari imperavit. Verum ipsi, intellectâ suorum apud Gallos cęde, confestim ad demonstrationem suę innocentię provocarunt: quod factum traditur Maguncię ipsis Cal. Iulij anni hujus millesimi trecentesimi undecimi. Et postquam publice auditi, nomen tantum & leges societatis, distributis in Ordines alios personis ac reditibus, immutatas reperio.

Sub idem propemodum tempus Rostochienses, quos jam ante *Henrico* Megapolensi parere suo nomine Rex jusserat, ità in totum ejusdem potestati subdidit, ut eum veluti Tutanum ac procuratorem à se constitutum agnoscerent. Quod vicissim *Henricus* Megapolensis, datis eâ de re codicillis publicè testatus fuit, se munitiones, arces, opida totamque Rostochiensium ditionem à rege Danorum Erico, non ut pignus; sed ut pręfecturam ab ipso concessam tenere, seque & hęredes suos obstringere ad eam regi, quandocunque id ipsi aut ejus successoribus videretur, restituendam. Hujus promissionis chirographo consignatę autographum in archivis servatur, cujus hoc exemplar est:

» Omnibus pręsens scriptum cernentibus, Henricus Dei gratia, Dominus Magapolensis & Stargardię, salutem in Domino sempiternam. Noverint universi, quod recognoscimus in his scriptis; Nos munitiones & terras in dominio Rostokiensi magnifico Principi Domino Erico Regi Danię attinentes, quas nobis cum attinentijs, de eisdem provenientibus, ad pręsens concessivè commiserat, ab eodem tanquam procuratore suo & capitaneo, suo nomine in eisdem concessivè tenere: Et nullius prorsus pignoris, aut alterius obligationis alicujus causa, seu titulo, aut ratione debitorum, seu servitiorum quorumcunq;: Promittens bonâ fide, quod eidem domino Regi ipsas munitiones & terras omnes, cum attinentijs suis omnibus præmissis, quandocunq; per ipsum requisiti fuerimus, debeamus restituere, liberè & sine contradictione & impedimento quolibet assignare. Si verò, quod absit, eidem domino Regi Daniæ aliquid contingat humanitus, debemus filio suo, si obtinuerit, vel successori suo alteri in Regno, quicunque fuerit, ipsas munitiones cum attinentijs præmissis, requisiti per ipsum, similiter assignare, postquam nobis super his omnibus, quę nos pro ipso Rege Danię, tempore quo easdem munitiones & terras tenuerimus, exposuisse poterimus rationabiliter edocere, fuerit plenè & integrè satisfactum, nisi forte, quod absit, nobis fraude vel violentiâ subtrahantur, quod etiam vir nobilis dominus *Gerhardus* Comes Holsatiæ, una nobiscum similiter promiserat bona fide. Promittimus insuper ordinare eidem domino Regi Danię, literas Dominorum *Witzlai* principis Ruianorum, *Ottbonis* Ducis Stetinensis, *Vartzlai* Ducis Slavorum & Cassubię, *Ottbonis* Ducis Luneburgensis junioris, & *Adolphi* Comitis de Schavenborg, intra festum Michaëlis proximum, quibus promittent, quod omnia pręmissa eidem domino Regi Danię, vel successori ejus, ex parte nostra inviolabiliter observentur. In cujus testimonium, Sigillum nostrum una cum sigillo domini *Gerbardi* Comitis pręd ícti, pręsentibus sunt appensa. Datum Nakschou, Anno Domini millesimo trecentesimo undecimo, feria II proxima ante nativitatem beatę virginis.

MCCCXII.

Hinc anno proximo varia in eosdem gravamina ac criminationes publicatę; tractusq; in fœderis societatem, pręter *Valdemarum* Brandeburgicum, etiam frater ejus *Iobannes*. Cujus nomine Comes Anhaltinus *Albertus* & Lindaviensis *Vlricbus* suam quoque fidem obligarunt. Eodem tempore Rex Ericus, refuso pretio, redemit ab *Alberto* Marchione, quæ plures annos tenuerat, Lalandię municipia Naschouam, Saxcopiam, Vixnessam, Tarudum, Sedorpiam, Birkindam aliaque belli tempore eidem oppignorata. Et Dux insuper Sueciæ

Sueciæ *Ericus*, feriâ tertia post diem Tiburtij, fidem auxiliaque sua adversus quoscunque, excepto fratre *Valdemaro*, regi Erico de novo adstipulatus est.

Memoratum superius ad annum MCCLXII inter regem Norvagiæ *Magnum* & *Alexandrum* Scotiæ ejus nominis tertium post diutina bella & contentiones super insulis Scotiæ vicinis, ita tandem esse conventum, ut Scotus, numeratis Norvago in annos singulos centum marcis Sterlingicis, eas insulas (Æbudas vulgo dictas) exceptis Hetlandiâ & Orcadibus, sibi retineret: Et præter centum eas marcas annuas, quatuor insuper marcarum millia, vicibus diversis quatuor persolvenda Norvagis traderet. Quarum prima solutio marcarum mille haberetur anno MCCCLXVII; altera in LXVIII; tertia in LXIX; ac ultima denique in annum MCCCLXX recideret. Quæ tractatio tum Perthi celebrata resumptaque est hoc ipso tempore ab *Haquino* ejus nominis quarto Norvagiæ rege, & confirmata Ivernessę in Scotiâ, præsente *Roberto* rege ejusque senatu, nec non *Haquini* regis legatis *Biornone* à *Birckerò*, & *Ivaro Nicolai* Bergensium Canonicis: Qui pactis conventis non staret, is ecclesiæ Apostolicæ censuræ atque excommunicationi obnoxius haberetur, ac simul mulctam incurreret decem millium librarum Sterlingicarum. Subscripserant huic chirographo unà cum rege Scotorum suaque sigilla impresserant *Gamelus* divi Andreæ, *Iohannes Glasgwensis* episcopi, *Alexander* Curius à *Ruchon*, Præpositus Dombariensis, *Gulielmus* à *Mehr*, *Adamus* à *Corck*, Comites; itemque *Robertus* à *Menis*, Baro. Ac postmodum cum jam Norvagiâ Daniæ esset annexa, tertio repetitus hic idem tractatus est sub Erico Pomerano Daniæ rege per legatos præsertim Scotorum regis *Iacobi*, ejus nominis primi, quod alibi referetur.

Pestem hoc anno per oras boreæ adeo sævijsse ut ejus vi magnâ mortalium strages sit facta, annalibus annotatum reperio, nec pauperum tantum tabernas sed & regum quoque palatia pervagatam: obijsseque inter ceteros *Agnetam* Ducis *Christophori* filiolam, sepulturæ solennibus in Soræ cœnobio honoratam; itemque *Valdemarum* Slesvicensium Ducem, qui præter cetera præclare statuta, Flensburgensium civitati primas immunitates concessit. Post eum Ducatu illo honestatus *Ericus* ejus filius. Qui, salutato statim ab obitu patris rege Erico, tum circa Varnemundam in castris agente, totum Ducatum & quomodo eum pater possederat, more majorum & accepto solenniter vexillo factoque obsequij ac fidei sacramento, præsentibus Germaniæ aliquot principibus ac magnâ procerum ac nobilitatis affluentiâ gubernandam à rege suscepit. Tum quoque *Nicolaus* & *Iohannes Verlensis* se regi arctius obstrinxêre, promisso equitum ac bellatorum quinquaginta subsidio. *Adolphus* item Comes Schouvenburgensis *Gerhardi* Holsati germanus frater, suo ære quindecim armatis regias copias suppleturum & eos aut Slesvicum aut Varnemundam, prout regi videretur, deducturum addixit. Cumq; jam aliquandiu ad Varnoviam ac circa Rostochium sedissent principes, expugnata est turris, quam ibi latericio opere noviter à Rostochiensibus excitatam diximus: Eâ captâ aliam eodem loci munitionem principes fecerunt, additis turritis & in orbem lunatis propugnaculis tribus, quæ vallo ac fossis undique profundissimis circumcincta hostium assultum facillime eludebant. Huic munimento diversa imposita præsidia regis, Marchionis & Megapolitani. Inditumque eidem ut prius, quod ab opidanis disjectum memoravimus, *Daneburgi* vocabulum. Interque regem deinde & Marchionem ita convenit, ut quicquid pacisci cum Rostochiensibus unus quisque possit, id æqua portione utrimque haberetur. Oppidani itaque cum jam undique arctissimè inclusi, neque terrâ neque mari egressum reperirent, ut canes irritati, in se ipsos versi, alios trucidarunt, alios urbe ejectos quasi reos proditionis & occulte cum rege facientes senatu insuper rejecerunt. Qui erant opulentiores, captivi abducti ac domus eorum direptæ; Novaque plebiscita condita, ut nemo in senatum adlegeretur nisi ex consensu seniorum, quos *Oldermannos* vocabant, nulla mulcta absque eorum arbitrio cuiquam imponeretur, pro militaribus civium nemo fidem interponeret, essetque invalidum ac nullius momenti, si quid in contrarium fieret. Quæ dum aguntur seditione magis quàm consilio, inedia tandem & rerum penuria ad deditionem invitos compulit. Ait *Crantzius* consules urbe ejectos egisse cum *Henrico Megapolensi*, quem Rex suo nomine vicarium constituerat, ut sibi manum commodaret, se lubentes ejus imperio obtemperaturos: *Henricumque* monuisse ut curarent vrbis portam de nocte clam reserari, se cum milite ex inopinato adfuturum: Idque sub vigiliam Dominicæ Epiphaniæ singulari cujusdam industriâ curatum; atque ità immisso portis milite oppidanos ad ejus ac regis obsequium redijsse. Danici annales hoc præterea adjiciunt, Rostochienses in pœnā pervicaciæ, datis codicillis, pollicitos se regi Danorum

Erico,

ERICUS VII. Rex. A. C.

Erico, Marchionibus *Iohanni* & *Valdemaro* Brandeburgicis, *Henrico Megapolitano* & *Nicolao Verlensi*, quatuordecim marcarum argenti millia tribus diversis temporibus intra semestre soluturos: Quorum primam summam sub Christi nativitatem, alteram ad festum Paschatis, tertiam ipso die divi *Iacobi* dependerent. Si pecuniæ ad manus non essent, earum vice coccinei panni aut similes merces redderentur. Quod ad templum Varnemundanum, à civibus, ut diximus, dirutum, de eo itá statutum, ut ejus loco ligneum exstruerent. Hinc civium nonnulli proscripti, in alios, quod seditioni ansam dedisse constaret, gladio animadversum. Atque itá rebus ad pacem ac concordiam postliminio traductis, *Henricus Megapolensis* Regis nomine administrationem in se civitatis suscepit. Vismarienses exemplo isto consternati, se quoque suaque *Henrico* æquis conditionibus permisêre. Enata per idem tempus haud tralatitia lis Holsatiæ Comitibus *Adolpho Gerardoque* ut & Chilonij Comitibus *Iohanni* atque *Henrico*. Eamque controversiam omnem decidendam atque arbitrandam permisêre regi Erico. Inter cetera controvertebatur inter Comites de certis reditibus atque impensis, quæ debebantur Saxoniæ Duci *Iohanni* clientelaris beneficij nomine. Nam olim Holsatiæ Comitatum feudum sive beneficium Saxoniæ Ducum fuisse, priusquam ad præsules Lubecenses devolveretur, ad eundem hunc locum atque annum commonet nobilissimus Vitfeldius.

Rostochiensem eam, de qua diximus, litem atque obsidionem in annum duodecimum & decimum tertium supra millesimum trecentesimum rejicere *Crantzius* videtur, cum nostri Chronologi intra duodecimum post mille trecentos concludant. Quo etiam tempore *Haquinus* Norvagiæ rex Duci Sueonum *Erico* filiam *Ingeburgam* ipsi primum atque inde *Magno* Duci, ut retulimus, desponsam in conjugem tradidit. Cujus frater *Valdemarus Haquini* tum quoque neptem, *Ingeburgam* etiam nomine, *Erici* Norvagiæ regis jam ante, ut supra diximus, defuncti filiam in thori consortem accepit: Nuptiæque utriusque ingenti cum magnificentiâ peractæ apud Sueones Lodosiæ. Erantque eodem tempore inter eosdem Sueciæ Duces & Regem *Ericum* nova pacta ac pacificationes in annum prolongatæ, ut exinde quicquid utrimque controversum esset, id *Christophoro* Duce, *Esgero* Lundensium archiepiscopo, *Adolpho Scouenburgensi* & *Henrico Megapolensi* arbitris componeretur. Con-

MCCCXIII. sensit quoque anno statim proximo, qui fuit à Christo nato trecentesimus decimus tertius supra millesimum, *Haquinus* Norvagiæ Rex ut Hallandiæ borealis Ducatum, ipsi jam ante promissum, Ericus Rex Ducibus Sueciæ jure clientelæ concederet.

Gripsvaldenses verò, qui se Rostochiensium causæ miscuissent ac bellum ope consilioque juvissent, ter mille argenti Brandeburgici marcis multati, stabilitâque injuriarum amnestiâ in gratiam veterem recepti sunt. Similiter & Rostochiensibus regij codicilli missi, quibus omnia eorum privilegia atque immunitates ratas se habere Rex declaravit, liberaque esse civium utrinque, ut olim fuerant, commercia voluit. *Nicolaus* quoque *Verlensis* regi per id tempus hærediorum omnium, quæ ad conjugem ipsius, regis Erici sororem, spectabant, sicuti & quatuor marcarum millium, quas sibi adhuc debere existimabat, gratiam fecit, datoque chirographo sancte promisit, se filiam suam *Sophiam* haud ulli in matrimonium, nescio rege, collocaturum. Hinc feriâ tertiâ post hebdomadem Trinitatis, Helsingburgi inter regem Daniæ Ericum, *Byrgerum* Sueciæ, *Christophorum* Hallandiæ Ducem, *Nicolaum Verlensem* à parte unâ, ab alterâ, regem Norvagię *Haquinum* ac Duces Suecię *Ericum* & *Valdemarum*, itá convenit, ut æquam invicem pacem colerent: *Ericus* & *Valdemarus* quod sannâ & ludibrio affecissent Ericum regem, Ducem *Christophorum* & *Nicolaum Verlensem* non ductâ, quam sibi Ericus desponderat, *Sophiâ Nicolai* filiâ, Daniæ regi mulctam solverent quatuor millium marcarum Coloniensium, *Nicolao* vero duarum millium: ac jurejurando insuper affirmarent, cumque ipsis viri equestris ordinis centum haud ullius probri aut dedecoris causâ *Sophiam* desertam, aut in contumeliam dictorum jam principum id factum, sed lege solum divinâ & sanguinis vinculo fuisse inhibitos. *Ericus* quoque & *Valdemarus* tenerentur mensibus tribus *Nicolao Verlensi* suis impendijs stipendia facere, quandocunque hoc ipsis significaretur, excepto si bellum adversus regem Ericum aut alios amicos ac fœderatos ipsorum gerendum foret. Daniæ Rex Ericus Hallandiæ borealis Comitatum *Erico* & *Valdemaro* Ducibus secundum tabulas eâ de re jam ante conceptas cederet: Et si quæ in futurum controversia exoriatur inter regem Daniæ Ericum, *Byrgerum* Sueciæ, *Christophorum* Ducem & *Nicolaum Verlensem*, ea ad arbitros *Henricum Megapolensem* & *Olaum* Episcopum Roschildensem rejiceretur; *Haquinus* verò Norvagiæ Rex *Ericusque* & *Valdemarus* Sueciæ Duces, sua, quæcunque ea essent, litigia *Gerhardo* Comiti,

Gerhardi

Gerhardi filio nec non *Gerhardo* Randersburgensi Holsatiæ dynastis judicanda componendaq; permitterent. Deniq; *Ericus* & *Valdemarus* sub festum nativitatis Mariæ, *Sophiam* virginem adusq; Etræbyam deducerent, atq; ibi eam regis Erici nuncijs traderent, addito, ut prius, sacramento, nullius opprobrij aut dedecoris ergò, eam à se vel spretã vel rejectam fuisse. *Ericus* deinde Sueonum Dux novo seorsim fœdere Coldingæ inito feriâ sexta ante Mariæ Magdalenæ, regi se obstrinxit de auxilijs illi adversus quoscunq; præstandis. A. C.

Post hæc inter regem quoq; Ericum & Ducem *Ericum, Valdemari* filium, qui, ut memoravimus, ab obitu patris *Valdemari*, Ducatum Slesvicensem sive Australem jure clientelari à rege acceperat, itâ conventum, ut Dux *Ericus* quicquid in Langelandiam ac Frisiam minorem sibi juris vindicaret, regi remitteret; Impensas etiã, quas pater *Valdemarus* in expeditione Suedicâ regis nomine fecisset, & ipse nuper in obsidione Rostochiensi, eas omnes condonaret. Additum de bonis, quæ ad regios vasallos spectarent, reddendis deq; inimicis ac regni hostibus in Ducatũ non admittendis: utq; novæ munitiones nusquã excitarentur, ac suo cuiq; jure ac jurisdictione frui atq; uti permitteretur; Et deniq; ut L armatis, cum opus esset, regi suis impendijs Dux auxilio veniret. Rex contra Ducẽ adversus quoscunq;, ut dominus vasallum, defenderet. Et Dux præterea, existente bello, quoscunq; nancisceretur captivos dignitate aliquâ præeminentes aut cędis Erici patris reos, hos regi traderet.

Eodem circiter tempore in Iutia boreali rusticanorum multitudo in regem concitabatur. Tributa, censum similiaq; obsequia cuncti respuebant, quiritantes onera sibi inusitata & collationes nimis graves impositas. Capita eorum atque incentores nominati *Nicolaus Brock* Baro, *Iohannes Slaverschou, Iohannes Papæ, Nicolaus Laurentij, Nicolaus Obbonis*, alijque. Rex satrapam confestim suum, qui tum aulæ præfectus habebatur, cum aliquot ex aulicorum ac nobilium præcipuis ad compescendam insolentiam eò transmisit. Sed illi manum militarem conspicati prælio se in adversum parant ac satrapam sine morâ & quoscunque secum ductabat, fundunt fugantque. Estque præter ceteros à parte regiorum desideratus etiam *Henrici* Comitis Glicensis filius. Unde rex majorem in modum succensens totis viribus in eam Cimbricæ chersonesi oram movit ut homines effrænes ad officium reduceret. Agricolæ adventu regis conterriti causam suam compositioni permiserunt. Ac simul regi indicarunt, quinam ex nobilitate, quinam verò suorum, animis rusticanorum primum concitandis occasionem præbuissent. Itaque in universum multitudo incondita pœnæ loco bonis multatã, tributumque eidem impositum, quod *Guldkorn* appellatum. Ceteri & qui ex illis seditionis fuissent authores, suspendio affecti sunt, utpote criminis læsæ majestatis rei. Conscriptisque codicillis, signatum ordine quantum singuli quotannis frumenti, quot equos regi seorsim ac in perpetuum tribuerent. Decimis verò ecclesiarum in annos aliquot carere jussi. Et præter hæc propugnacula aliquot ad confinia ipsorum Rex poni curavit, Horsenæ unum, alterum Coldingę, tertium ad sinum Lymicum Volstorpium dictum, diœcesi præsertim Ripensium defendendæ accommodum; & quartum denique Viburgi quod *Borrevaldum* appellarunt. Horum exstructionibus ut suas circumquaque operas rusticani conferrent, regio mandato imperatum. Ei sententiæ ferendæ præfuere ex regni proceribus ac senatu *Iohannes Nicolai* de *Toslandia, Ivarus Grubbe, Iohannes Nicolai Kaas, Iohannes Muli de Beeg, N. Heæ, N. Rany, N. Olai*, illustris Domini regis Danorum dapifer, *Lago Agonis*, ejusdem domini regis Marschalcus, *Turgillus Tordo, Iohannes Staverschou, Ericus Erici, Ioh. Petri Trohere, Ioh. Grubbe, Petrus Grubbe, Petrus Nicolai Neb, Thuro Petri, Nicol. Holgeri, Holingerus Nicolai, Olaus Flemingus, Magnus Ionæ, Ioh. Frijs, Michael Paack, Paulus Magni, Ioh. Sletus, N. Korff, Ionas Balbornus, Andreas Balbornus, Carolus Iacobæus, Sevetus Scienus, Petrus Wetherus, N. Torbernus, Thuro Strangenessensis, Nicolaus Ionæ Alckelus, Nicol. Antonij* de *Klappedorp, Iacobus Flepus* alijq;. Obijt circa hæc episcopus Ripensis *Christianus* cujus in literas ac literarum cultores singularis munificentiæ mentionem superius fecisse memini. Ei omnium suffragijs *Iohannes* suffectus est. Horsenæ autẽ proclamati ac publico regis edicto præscripti ut regni proditores, *Nicolaus Brock, Ioh. Papæ, N. Laurentius*, quos & supra ut coryphæos rusticanæ seditionis memoravimus. *Petrus* verò *Porsius Canuti* parens eâ conditione in gratiã receptus ut regi de novo fidem ac sacramentũ diceret, regis inimicos atq; hostes missos faceret ac intra biennium habitationẽ ac sedem suã in Daniã figeret. Ejus haud pauci equestris dignitatis viri alijq; ex nobilitate sponsores fuere. Quos inter memorantur *Sividus Scenius, Nicolaus Scriverius, Esbernus* & *Magnus Agonis, Iacobus Vrneus*, equites: *Benedictus Ionæ, Timæus Schoningius, Andreas Coltorpius*, alijque armigeri. Et, quod modò retulimus, cum Rex indicio Ducissæ Langelandiæ comperisset nobiliũ aliquot in se conjurationes, deprehendit inter eos etiam

Ericus VII. Rex. A. C.

epiſcopos nonnullos. Quibus tamen ignoſcere quam intempeſtivis remedijs irritare quietos maluit. Itaq; epiſcopus Viburgenſis præſtito de novo jurejurando pollicitus inter cetera fuit, ſe regi haud unquam adverſarium fore; amaturum quos ille amaret, & hoſtibus ejuſdem hoſtem futurũ, neminemq; vel laicum vel ordinis eccleſiaſtici perſonam re conſilioq; adverſus regem adjuturum, ac deniq; regis ac regni commodis perpetuò invigilaturum. Idẽ & Roſchildenſis Epiſcopus *Olaus* & Borglomenſis *Nicolaus* & Othonienſis *Petrus*, ſub fide ſimiliter ſacramenti promiſerunt: Sleſvicenſiũ verò pręſul *Iohannes*, datis regi codicillis aſſeveravit ſe haud permutaturũ diœceſin ſuam cũ Torpatenſi, niſi rege cõſcio.

Eſtlandiam tum adminiſtrabat *Henricus Bernoverus*, *Agone* Saxone, qui eum proximè pręceſſerat, vel defuncto vel in patriam revocato. Factaque apud eoſdem conſtitutio ut qui hæredem non haberet, bonaq; ſua pretio diſtraheret eâ ſpe ut alibi ſibi alia compararet ac mori eum interea, re adhuc integrâ, ibi contingeret, eæ tum pecuniæ ad regis fiſcum pertinerent: mandatumque regio legato *Iohanni Bernovero* ut ejuſmodi poſſeſſiones regis nomine ſuum in uſum transferret.

Helſingoræ, haud multò poſt, præſente *Henrico* Megapolenſi, pacta fuit *Magno*, Sueonum *Byrgeri* regis filio, *Euphemia Witzlai* Rugiæ principis filia cum dote 3000 marcarum argenti: *Magnus* viciſſim 600 illi marcas annuas ad vitã procuraret. De quibus alijſq; in conventu Vordenburgenſi aut Nicopenſi rex Sueciæ ac princeps Rugię cũ rege Danię Erico ac Duce *Chriſtophoro* plenius deinceps ſtatuerent. Mutuo tum quoq; datæ *Byrgero* Sueonum regi 650 marcæ Colonienſes, quas redditurũ ſe regi Erico pollicebatur ſub annũ proximũ.

Per idẽ hoc tempus, teſte incerto authore Chronici Slavici, horribile in cœlo ſidus, quẽ *Cometam* vocant, veluti præco animadverſus ſubſequentium malorum, & inter cetera, quæ ſtatim patrata, nefariæ necis *Henrici* Imp. VII. Is enim, ut omnes tradunt (excepto *Muſato Patavino*, qui res alioquin *Henrici* diligenter conſcripſit) poſtquam in agro Senenſi agens à quodam Bernardino ex S. Dominici familiâ Euchariſtiæ panem veneno imbutũ ſumſiſſet, è vitâ confeſtim migravit. Memorat Pandulphus Collenutius, hiſtoriæ Neapolitanæ author, teſtari ſcriptorum pleroſque venenum id Apoſtolici legati inſtinctu fuiſſe procuratum. Falli anno integro *Crantzius* videtur, cum idem ſidus ad finem anni ſequentis referat, niſi de alio accipiendum velit, cujus apud chronologos nihil memini legere.

MCCCXIV. Proximo ſtatim anno, datis Roſchildiæ codicillis, quibus præter regem ſigilla etiam ſua adjecerant *Nicolaus Olai* regni Mareſchallus, *Nicolaus Verlenſis* & *Otho Podeboſck*, conſtitutum eſt inter regem & Ducem Auſtralis Iutiæ *Ericum*, in annum circiter omnium, quæ inter ipſos controverſę habebantur, cauſarum veluti juſtitium; ut interea amice utrinq; agerent, nihil alter in alterius detrimentum moliretur, ipſe ut vaſallus obſequio regem, rex eum viciſſim ſuo favore auxilioq; ut ſuperior complecteretur. Exortumq; haud multò poſt bellũ, aut belli cauſæ, inter regem & Marchiones Brandeburgicos occaſione præſertim Sundenſium, qui Rugiæ dynaſtã *Witzlaum* ejuſq; ditiones ferro ac flammis infeſtabant. Quorũ ille viciſſim territoria invadens par pari referebat. Eâq; occaſione rex vaſallũ ſuũ *Witzlaũ* haud quaquam deſerendũ ratus ei claſſem ac viros ſubſidio miſit: *Valdemarus* autem Brandeburgicus & qui eum ſequebatur Pomeraniæ Dux *Wartiſlaus*, aſſumptâ ſibi Sundenſium tutelâ Loiſizam poſt aliquot dierum obſidionem Rugiæ Duci ereptam ſuæ poteſtatis fecerunt. Sed ea contentio eo tempore ad pacẽ atq; inducias qualeſcunq; reducta Broſtorpij, allatis in medium conditionibus aliquot, quibus & Straleſundenſes & Marchiones rexq; Ericus & Rugiæ princeps unanimes ſubſcripſêre. Inter cetera autem conventum ut Sundenſes, renunciato Brandeburgenſium fœdere, quæcunq; vel in continente vel inſulâ Rugiâ ædificia aut munitiones ut Hirdſakerum excitaſſent ea demolirentur; ac Rugiæ principem *Witzlaum* ut dominum ac ſuperiorem agnoſcerent: Ipſe viciſſim Sundenſes adverſus vim omnem tutos pręſtaret & vetera eorum jura atq; immunitates ſartas tectas ſervaret; Capti qui eſſent aut obſides dati, liberi dimitterentur. Actum eodẽ tempore cum ordinis Theutonici magiſtro ut quæcunq; apud Eſthones inter Daniæ regis & Ordinis ſubditos cõtroverſiæ de limitum diviſionibus inciderent, eæ regis Præfecto Revaliæ ac tribus inſuper ejuſdem regis vaſallis & quatuor ex ordine fratribus dijudicandæ permitterentur. Quod illi pronunciarent, ipſe quoq; ratum haberet. Confirmatæ tum quoq; ab eodem literæ regis *Valdemari* ordini olim indultæ, ſuper Harriæ territorio, modò archetypę earum apographis reſponderent. Porrò rebus cũ Sundenſi civitate compoſitis receptâq; ditione & arce Loiſitzâ, princeps Rugiæ *Witzlaus* eandem munitionem cum annexis, quemadmodũ eam à rege in præfecturã acceperat, eidem viciſſim ceſſit, ſicuti & Marloviã cũ Syltæ ac Gnoiæ territorijs,

ERICUS VII. Rex. A. C.

territorijs, quæ vice marcarum Slavicarum 7000, quas jam recepisset, pignori tenuerat. Rex ipsi ex adverso Scaprudæ arcem eiq; adjacentes districtus in annũ fruendos permisit.

Expeditionibus autem Vandalicis, ut supra memoratum, feliciter peractis, Regeq; jam rebus domesticis intento, perplures ex nobilitate, qui rusticanę seditionis, cujus modò meminimus, authores fuerant, sisti judicio ac læsæ majestatis accusari curavit: Lataq; in foro Wiburgensi sententia præsentibus regni Mareschallo *Agone* alijsq; equestris ac senatoriæ dignitatis, quos inter nominatissimi, *Iohannes Nicolai Caasius*, *Petrus Mulus de Beeg*, *Petrus Porsius*, *Gothus Nicolai*, *Alkildus Lollandus*, *Iohannes Sletus*, *Thuro Pallisonius*, *Iohannes Gundi*, *Iohannes Tagonis*, *Petrus Herulphi*, *Ebbo Ballius*, *Magnus à Bardeschou*, *Esgerus Frostius*, *Christianus Boetius*, qui omnes capite & bonis jure damnatos pronunciarunt *Nicolaum Brock*, *Iohannem Staverschou*, *Iohannẽ Papæ*, *N. Vbbonem*, *Nicolaum Laurentium*, *Laurentium Laurentij*, *Gotschalcum Lilleum*, *Thomam Rud*, *Tychonem Vindium*, *Tychonem Laurentium* equites: itemq; *Eschillum Ethir*, *Iohannẽ Dalium*, *Petrum Syffbyum*, *Nicolaum Braßeum*, *Petrum Rodium*, *Gulielmum Sterckũ*, *Turonem Kiert*, *Turonem Vestiũ*, *Nicolaum Turonium*, *Tychonẽ Bridisium*. Præter autẽ communem eam accusationẽ, rex seorsim *Nicolaum Bruckium* aliorũ præterea criminum arcessebat, quod nimirum paricidis Erici regis fautorẽ se prębuisset ac cædis ejusdem semper suspectatus fuerit, præsertim cũ *Rannonem Ionæ* hospitio excepisset atq; eũ intra ædes suas Roschildię occultasset: ex quibus eductum, mancipari ipsum carceri rex fecisset. *Iohannẽ* quoq; *Papæ* & *Nicolaũ Laurentij* ijsdẽ fere delictis insimulabat, objecta etiã *Nicolao* ingratitudinis nota & quod minus fide provincias demandatas administrasset cum eum scilicet equestris dignitate ornasset, ac pręter judicis munus, etiã regni bona ac possessiones administrandas concessisset.

Volunt nonnulli extremo supplicio affectos hos omnes. Nobiliss. autem Vitveldius, felicis memoriæ, accusatos quidem & capitis accersitos, non tamen mulctatos existimat, præsertim cum id jam olim in causis etiam capitalibus obtinuerit, ut accusati damnatique in publicis judicijs fuerint, qui tamẽ evaserint. Et accedit quod annum circiter MCCCXVIII *Nicolaus Brockius*, *Iohannes Staverschouvius*, *Iohannes Papæ*, literis Sueticis subscripsisse ac obsignasse memorentur, nisi ijsdem nominibus exque eadem familiâ alij hi fuerint. *Brockium* præterea gravabat, quod intercessione præsulis Arhusiensis, cui nomen *Iohannes* erat, aliorumque amicorum suorum regi identidem reconciliatus, & ad dignitatem equestrem promotus, regis tamen inimicos atque hostes fovere ac defendere non desierit, quodque pręfecturis regijs ornatus imperium in populares severius exercuerit, ac deniq; *Palmium* sacerdotem in regis contumeliam è medio sustulerit. Accusabatur insuper, quod inhibuisset regios colonos, quod erat imperatum tributum, regi pendere; & eosdem adversus regem ac regnum incitasset, aliaq; perpetrasset, quorũ singula capitis illum damnarent. *Ioh. Papa* pręcipue arguebatur, quod Neoburgi apud Fionios, cũ in regios percussores sententia diceretur, regis se hostibus junxisset inq; regis caput conjurasset, ac regẽ Middelfurti armatâ manu impedierit in Iutiam adversam transmittere. Qui & similiter, postquam in gratiã à rege esset receptus ac Iudex territorij haud exigui apud Iutas constitutus pręfecturisq; ornatus fidem datam fregerit ac seditiones in regẽ non uno modo concitarit. *Nicolaus Laurentij*, pręterquã quod superiorum criminum reus ageretur, etiam rationum malè redditarũ accusabatur. quodq; mox intercessione Ducis Megapolitani cũ ei rex peccata condonasset, haud multò post seditionum author exstiterit, seq; Holsato ac regijs inimicis conjunxerit. *Tycho Vindsonius* insimulabatur, quod rem non modò publicam sed & propriã malè administrasset, seq; ære alieno ità gravasset, ut solvendo non esset, quodq; rex ei ob varia delicta, quorum reus agebatur, postquam mulctas remisisset, possessiones tamen regias deprędatus sit ejusq; militem impetisset. D. *Tymæus de Margaard* militẽ Germanum, qui regi stipendia faciebat, suas in partes traxisse arguebatur inq; regem instigasse, & regis expeditionem suo discessu impedijsse: Similiaq; impingebantur *Iohanni Kystio* & *Olao Arckio* utrisq; Lalandis, qui non modò cædium ac rapinarum variarum alligabantur, sed regem etiam in expeditione Sueticâ deseruisse ferebantur, quemadmodũ & *Iohannes Vffo*, Qui tamen unà cũ fratre *Henrico*, in gratiã cũ rege certis conditionibus redijt, in quibus memoratur, quod ædificiũ Helsingoræ exstructum diruerit, facto promisso, se id haud unquã exædificaturũ, & bona quoq;, quæ Luderi Muli fuerant, regi traditurum: Cumq; idem à rege ad regni comitia provocasset, mulctæ loco coactus est juramento testari, in regis contumeliam id à se haud factum.

Hinc *Erici* Sueonum Ducis compromissum factum in fratrem *Valdemarum*, *Henricum* Megapolensem, *Nicolaum Olufssonium* & *Bernardum Molsanum*, se quod regi Erico addixisset, si ipse liberiq; sui Norvagiam ipsius auxilio obtinerent, sanctè servaturum. Ejusq; nomine sponsores

ERICUS VII. Rex. *A. C.* sponsores fuère armati equites decem *Matthias Ketelmundius, Gunno Grisius, Arvidus Gustavus, Laurentius Olufssonius, Henricus Molsanus, Bernhardus Molsanus, Iohannes de Kou, Cunradus de Kou, Eggerus Kyrne, Iohannes Kyrne.* Atq: ita alter fratrum *Ericus* Succiam; *Valdemarus* sibi Norvagiam destinabat: promittebantq; utriusq; regni viribus, ubi res postularet, se Daniæ subsidio venturos. Dithmarsi eodem tempore fidem suam obsequiaque Regi etiam Erico prolixè obtulère, prçterquam si belligerandum foret cum episcopo Bremensium. Ubi tum pedum pastorale tenebat *Iohannes Grandius* Danus, Lundensium olim archiepiscopus, nobis superius semel iterumq; nominatus. Dux similiter *Henricus* Megapolensis, cum ejus opem societatemq; rogaret Marchio *Valdemarus* Brandeburgicus, ità promisit, modò res adversus regē Ericū, cui jure clientelari obstringebatur, gerendę nō essent. Missę per idē tempus regię literę ad Livonos, qui Hirrię districtū incolebant, quibus monebantur ut debitos sacerdotibus reditus tribuerent idq; cōmuni modio ac mensurâ, non verò eâ, quā ipsi finxissent.

Quartâ deinde feriâ ante festum omnium sanctorum Rex Ericus nonnullos Sueonum Ducis *Erici* equestris ordinis viros ac fratris ipsius *Valdemari* in suam tutelam ac fidem assumpsit, eosq; se patrocinio suo defensurum promisit adversus quoscunq; qui præter fas eos injuriâ afficeret. Eorum nomina fuerunt *Matthias Ketelmundius, Gunno Grisius, Arvidus Gustavus, Laurentius Olufssonius, Henricus Molsanus, Bernardus Molsanus, Iohannes Bucholtius, Cunradus de Bugen, Eggerhardus de Kuren, Iohannes de Kuren, Birgerus Petri, Canutus Liquidius, Matthæus Thuneus, Carolus Emerus, Nicolaus Wæmundus.* Sub anni finem, postridie nimirum festi S. Nicolai, habitus Tempelini conventus, ubi Marchio Brandeburgicus, *Valdemarus* & Rugiæ princeps *Witzlaus*, amicâ inter se compositione transegerunt super omnibus, quæ adhuc in causâ Sundensium ac territorij Loisitiensis superesse controversa videbantur. adeò ut *Witzlaus* suam fidem atque opem Marchioni polliceretur adversus omnes, excepto domino ac feudatario suo rege Erico. Sed ea pactio quamdiu duraverit, exinde liquebit.

Memorabile est hoc anno nec imperatorē nec pontificem nec regem Galliarum fuisse. Nam, ut supra notatum, initio statim illucescentis *Cometæ*, de quo anno antecedente diximus, perijt miserè Imperator *Henricus*: atque inde continuò hoc anno *Clemens V* & rex Galliarum *Philippus Pulcher*, ut verè poëtâ dixerit: REGALIA FATA COMETAS. Sub anni verò finem, postquā plurium jam mensium interregnū fuisset, *Moguntinus, Trevir, Iohannes* Bohemię rex & *Valdemarus* Marchio Brandeburgensis *Ludovicū* Bavarię Ducē, Imperatorem declararunt, frustra in adversum nitentibus Coloniensi præsule *Henrico, Rudolpho Palatino* ad Rhenū, *Ludovici* ipsius fratre, & Duce Saxoniæ *Rudolpho*, qui *Fredericū* Austriacū maluissent.

MCCCXV. Anno, qui cum excepit, decimo quinto post mille trecentos, factâ inter regem & Marchiones Brandeburgicos venditione, accepit Rex Ericus eam quæ ad Marchiones spectabat, munitionis istius sive phari, quem communibus ipsorum impensis Varnemundæ constitutum superius memoravimus, portionem, persolutis ejus nomine Marchionibus 5000 mille argenti marcis. Ac statim exinde Loisitzæ arcis ac territorij præfecturam rex *Witzlao* Duci, tradito ei pro more vexillo, id est, fiduciariè ac jure clientelæ, quomodò & alia regni bona possidebat, administrandam permisit. Quibus transactis novæ inter *Witzlaum* & Sundenses lites natæ. Existimabat enim *Witzlaus*, Sundenses privilegia sua atque immunitates ulterius, quam jus sineret, trahere atq; explicare. Itaq; restringenda ea & in morem Rostochiensium & Vismariensiū nonnihil prçcidenda judicabat. Eâq; occasione oppidani Marchionis Brandeburgici *Valdemari* opem implorant, promissâ illi æris ingentis summâ. Qui confestim, traducto in suam societatem *Wartislao* Pomeraniæ Duce, Rugiam invasit ac prædas ibi agens multaq; divastans, partem etiam Trebesanorum, Grimmensium & Loisitiorum (in continente hi siti) juris sui fecit. Nec intacti abière, qui in proximo erant, Megapolensium limites. Quapropter *Henricus* Dux cum oras vicissim Marchionum expeditâ cum manu ingrederetur ac ferro flammisq; hinc inde attereret, bellum haud tralatitium excitatum est. Hinc ad regem Ericum confugiens *Witzlaus* ejus patrocinium adversus vim Marchionum postulavit. Qui extemplo, misso ex regni proceribus *Iohanne Olao* ad *Valdemarum* Marchionem, eum officij sui commonuit. Verùm respondit *Valdemarus* se Rugiæ principis jura, telonia aliaque obsequia ac collationes, quibus ei Sundenses obstricti tenerentur, haudquaquam diminutū ire, defendere tantum adversus quoscunq; urbis libertatem ac jurisdictionem; interea quę essent inter ipsos pacta sartè tectęq; servaturum. Inde *Witzlaus* datis ad regē literis, eū absolutâ potestate donabat se cum *Valdemaro* reconciliandi sive per amicā compositionem, sive latâ in foro sententiâ. Si verò iniri reconciliatio intra diē divi Gregorij nō posset, tū ei rex viros armatos 600 subsidio mitteret. Ipse ei vicissim pollicebatur se,

batur se, finito bello, regiæ majestati adversus quoscunq; in perpetuum suis copijs meriturũ. Rex his acceptis ei codicillos reddidit, quibus auxilia prompte offerebat seq; daturum operam, ut cum eo *Valdemarus* in gratiam rediret; ipseq; Sundensium civitatem ac Rugiæ dynastiam in totum recuperaret. Transtulitque eodem tempore in regem *Witzlaus* Mònam, Coagiam cum territorijs *Steffrisherridt* & *Breverschousherrit*, quæ dotis ac pignoris loco à rege accepta possederat omnesq; suas ac majorum suorum super eisdem factas tabulas rescidit nulliusque esse momenti declaravit. Egit itidem cum Holsatiæ Comitibus. Quin & Pomeraniæ & Cassubiorum Dux *Wartislaus*, acceptis à Marchione mandatis, videbatur interea paci promovendæ operam navare, ut nimirum indicto Broderstorpij, quod est inter Deminum & Gnoyam, conventu, Rex ibi cum *Witzlao*, *Henrico Megapolensi* nec non & ipse cum Marchione Brandeburgico ad diem secundum Iunij adesset, quo intra octidui spatium lis universa tolleretur. Sed ille conventus habitus haud fuit.

Procuratæ exinde per regem Ericum induciæ inter Dithmarsos & Comitem *Bernhardum* Randersburgensem, ut omnes ipsorum liticulæ adusque festum trium regum protollerentur: Dithmarsisq; interea liberum esset in Daniam & quoquo vellent iter facere commerciaque exercere. Actum similiter inter ipsum & regem, ut quicquid hucusq; litis habuissent, id totum obliteratũ censeretur, nec ulla illius extaret ulterius memoria. Ipse regẽ omnibus suis viribus juvaret & eum vicissim Rex, ut vasallum re consilioq; defenderet.

Per id tempus *Andreas Hoibyus* & *Nicolaus Ranni* claro nobilium stemmate nati, quorum *Andreas* Ducis *Christophori* satrapa olim fuerat, capitis supplicio affecti sunt, corporaq; ipsorum rotis imposita. Crimini dabatur, quod regi insidias struxissent, ac Ducis non tantum *Christophori*, qui fratri perpetuum adversabatur, sed & proscriptorum partes fuissent secuti. Episcopus autem Viburgensis, qui, ut ante meminimus, in partes etiam sequiores propendebat & adhuc, licet aliud promisisset, Ducis & proscriptorum causam clanculum fovens, semper aliquid in regẽ machinari videretur, præsentibus *Olao* Roschildensi & *Petro* Othoniensi Episcopis, literas identidem regi signatas dedit, quibus profitebatur se cum rege de criminibus sibi objectis amicè transegisse omniaque pacate esse composita, ac se deinceps regiæ gratiæ ejusq; favori totum debere idq; sponte suâ, non coactum ab aliquo sancteq; promittere se in posterum regi fidum atq; obsequentem fore: ejusq; commoda secuturum & aversurum contraria ac publice declaraturum quæcunque imminere regi regnove adversa cognoverit.

Sub idem circiter tempus Ascaniæ Comes *Anhaltinus* se quoque regi majorem in modum obligavit, datis codicillis, quorum formulam subjecimus:

Omnibus præsens scriptum cernentibus, Otho Dei gratia Comes Ascaniæ & princeps de Anhalt, salutem. Noverint universi nos magnifico principi domino nostro charissimo, D. Erico Danorum Slavorumq; regi illustri, cui homagio & vasallagio obstricti sumus, firmiter promisisse, quod ejus servitijs fideliter adhærebimus cum omnibus nostris hominibus, vasallis, munitionibus & clausuris nec ejus propter aliquem erimus inimici. In cujus &c. Datum Ulsen MCCCXV, in crastino beati Urbani & Papæ Martyris.

Rex ei vicissim literas sive chirographum misit promittens in reditus annuos marcas 500 monetæ Selandicæ: Cujus exemplum hoc est:

Omnibus &c. salutem. Noverint universi quod nos nobili viro Domino Othoni Comiti de Anhalt, dilecto affini nostro, quem in nostrum hominem recepimus & vasallum, reditus 500 marcarum Selandicæ monetæ concedimus secundum jura & consuetudinem regni nostri volentes pro eodem dilecto affine nostro præplacitare in suis omnibus justis causis, secundum quod quilibet dominus pro suis tenetur facere hominibus & vasallis.

Munitiones verò quas in usum regis offerebat Anhaltinus, erant Askesleva, Hatzkeroda & Bruck civitates cum duobus in Saxenburgo castellis, præter Hoiam, Suetingam (sive Kuetingam) Wedestorpium & Anhaltum arces.

Transferebat id temporis Rebenitzæ, præsente rege Erico, Comes *Gerhardus Gerhardi* Holsati filius, *Nicolao* Suerinensium Comiti quicquid in Daniâ & Holsatiâ bonorum frater ejus *Henricus* ipsi nomine 3000 marcarum argenti pignori reliquisset, utijs *Nicolaus* jam dictus uteretur ac frueretur ex præscripto literarum antitheseos. His quoque subscripsit atque assensum suum præbuit *Henricus* Comes. Actum per eadem tempora adversus Brandeburgicos initumque cum Duce Cracoviæ *Wadeslao* fœdus: Quod non regem modò Daniæ, sed & fœderatos ejus, Sueciæ & Norvagiæ reges Rugiæque principem ac Ducem Megapolensem, pactis inclusit, in eam, ut sequitur, sententiam:

ERICUS VII. Rex. A. C.

In nomine Domini Amen. Cum sincera concordiæ unio principum inter ipsos verum amorem nutriat, odium tollat, tranquillitatem & pacem subditis generet, terrisque ipsorum profectum augeat & salutem. Hinc est quod Nos Woldeslavus Dei gratiâ Cracoviæ, Sandomiriæ, Syradiæ, Lucitiæ, Cuianiæ, totiusque regni Poloniæ Dux nec non hæres Pomeraniæ, omnibus ad quos præsens scriptum pervenerit, constare volumus, quod cum victoriosissimis principibus amicis nostris, præ cunctis præcordialibus & dilectis dominis Daniæ, Sueciæ & Norvagiæ regibus & magnificis principibus Ruyensis, Slaviæ, Mekelburgensi & cum omnibus eorum coadjutoribus ordinationem inter eos habitam ex unâ parte & nos ex alterâ omni dolo procul moto inconvulsam volumus observare: quemadmodum inter nos utrinque per nostrum fidelem Capellanum dominum Stanislaum extitit hactenus ordinatum, per patentes literas nos firmiter & districte obligando, quod præfatos nostros dominos & amicos in nullo penitus volumus deserere, sed contra omnem hominem & personam eis inimicam vel inimicari volentem adstabimus & præcipue contra Marchiones Brandeburgenses, promittimus ipsos juvare & spondemus omni consilio, auxilio & favore, quo poterimus ampliore & nunquam cum ijs pacem aut aliquam concordiam faciemus, nisi de ipsorum consilio, favore pariter & consensu, unde si ipsorum excellentiæ adhuc de nobis aliquid hæsitarent, requisiti tempore & occasione se offerente oportunâ, auxilia præstabimus cum nuncium, cui fidem adhibuerint, ad nos duxerint destinandum. Ex superabundanti ordinationem habitam inter nos juramento & nostrorum coadjutorio promittimus roborare, promittimus etiam bonâ fide, pro excellentissimo rege Ungariæ affine nostro charissimo & pro omnibus nostris filiolis Dei gratia principibus Cuyaniæ, Masoviæ, Osuantiniæ, Bythoniæ & Raziboniæ proque nostris nepotibus Russiæ principibus, quod præhabitam ordinationem initam nobiscum tenebunt & inviolabiliter observabunt. Actum & datum apud Cracoviam, Anno Domini MCCCXV quinto Cal. Iulij, ad cujus rei evidentiam pleniorem, præsentibus nostrum sigillum autenticum diximus apponendum.

Interjectis deinde diebus Rex Episcopo Torpatensi liberum ac tutum commeatum concessit in Daniam veniendi, ut ibi sub festum Michaëlis, de causis ipsius universis plene cognosceretur. Revalienses etiam, datis eâ de re literis, in gratiam recepit omnesque immunitates ac privilegia, quæ ipsis jam annis major indulserat, haberi rata voluit. De urbis mœnibus ita statutum, ut missis eo legatis, eorum inspectio aut ratio haberetur; si nec obessent arci nec ejus defensionem impedirent, integra relinquerentur. Moschorum autem & Novogardensium, qui regijs territorijs erant contermini, limes definitus. Actum quoque cum Ducibus Luneburgensium ut ij regi adversus quoscunque & præsertim Brandeburgicos, excepto Brunsvicensium Duce *Alberto*, prompti paratique adessent: pacem cum Marchionibus non inirent, nisi rege consentiente, nec ipse etiam cum eis pacisceretur sine ipsorum arbitrio: Rex Ducibus vicissim persolveret ad festum Michaëlis 1000 argenti marcas. Nec absimilis fere cum *Gerhardo* Rendersburgensi Comite tractatio inita, ut regi nimirum mereret 60 stipendiarijs, in peditem unumquemq; marcas duodecim, pro equite viginti salario acciperet. Estque per idem tempus intestina quædam cum Duce Australis Iutiæ exorta contentio, quæ occasionem regi dedit invadendi sine morâ eum Ducatum. Et advenerant jam quoque in Fioniam cum suis copijs regi auxiliares Sueonum Duces, *Ericus* & *Valdemarus*. Sed induciæ desubito inter utrumque Neoburgi pactę non bellum tum modo diremerunt, sed & Ducem arctiori fœdere & ad subsidia contra Marchiones seorsim pręstanda regi obligarunt; confectęque de his tabulę, quibus à parte regis subscripserunt, pręter ceteros, *Otho* Comes Hoyensis, *Nicolaus Olai* Dapifer, Mareschallus *Laugo, Petrus Grubbe, Petrus Muli de Beeg, Inguarus Hiort, Iohannes Caneus, Marcus Duve, Hamundus Litlæus, Iohannes Grubbe, Trugillus Splitaff, Iacobus Slepus, Tordo Ambringius, Iohannes Frisius, Olaus Schriverus, Olaus Flemingus, Ethardus Molteke*, milites. *Petrus Vendelbo, Nicasius Munck, Iacobus Hack, Iohannes Haffenberg, Trugillus Ruth, Nicolaus Hiort, Thuo Pepelinck, Nicolaus Bernekovius, Nicolaus Dalle, Iohannes Frys, Petrus Vether, Ivarus Beeg, Petrus Laxmand, N. Kyrning, Iacobus Grubbe, Iacobus Fleming, N. Frijs, N. Mandorp*, dictus *Dus*, *Bondo Snaffs, Benedictus Bing* & *Nicolaus Grijs*. Literę ipsę hac formulâ descriptę fuêre:

Omnibus &c. Ericus Dei gratia, Danorum Slavorumque Rex & Ericus Dux Saxonię salutem in Domino sempiternam. Noverint universi nos & nobilem virum, dominum Othonem, Comitem de Hoya, generum nostrum dilectum, Nicolaum *Olufsson*, dapiferum, Ericum *Erichsson*, Marschalcum Laugonem, Petrum Grubbe, Petrum Muli de Beeg, Ingua-

Inguarum Hiort, Iohannem Cane, Marcum Duffue, Hamundum Litlæ, Petrum *Nickleſſon* de *Hylleród*, Iohannem Grubbe, Trugillum Splitaf, Iohannem *Peterſſón*, Laurentiũ *Toenſſón*, Herlogum *Iacobſſón*, Marſchalcum Trugillum, Albertum *Albrechtſſón*, Iacobum Flep, Tordonem Ambring, Iohannem Frijs, Augonem *Thomiſſón*, Folckmarum *Arnoldeſſón*, Iohannem *Vffeſſón*, Ericum *Iuardſſón*, Egherdum Polz, Magnum Iohannis Zevet, Paulum *Magnuſſón*, Magnum *Aageſſón*, Olaum *Skriffuer*, Olaum Fleming, Erhardum Molticke, milites; Lodovicum *Albretſſón*, Nis Munck, Aconem *Peterſſón*, Petrum Wendelbo, Benedictum *Benedicbtſſón*, Iacobum Hack, Iohannem Haſſenberg, Andream *Peterſſón*, Trugillum Ruth, Laurentium *Ioenſſón*, Nicolaum Hiort, Thuuonem Pepelinck, Claus Bernekowe, Laurentium *Tygeſſón*, Nicolaum Palle, Iohannem *Oelſſón*, Saxonem *Peterſſón*, Iohannem Fris, Petrum Wether, Ivarum Beeg, Petrum Laxmand, Gregorium *Hageſſón*, Aconem *Karlſſón*, N. Kyrning, N. *Boſſón*, Gremer *Ioenſſón*, Palne *Ioenſſón*, Uffonem *Nickleſſon*, Iohannem Hollinger, Gunerum *Ackeſſón*, Iacobum Grubbe, Paulum *Pöffuelſſón*, Iacobum Fleming, N. Frijs, Angonem *Iſſuerſſón*, Chriſtiernum *Plougſſón*, N. Maudorp, Dus dictus, Bondi Suafs, Iacobum *Nickleſſón*, Ulff *Soneſſón*, Andream *Soneſſon* fratres, Benedictum Bing, Arvidum *Vlffſon*, N. Grijs pro omnibus & ſingulis quæ in placitationibus inter nos Regem Ericum prædictum, ex una parte, & nobilem virum dominum *Ericum* Ducem Iutiæ ex altera, Nyborg ſub Anno Domini MCCCXV craſtino beatæ Luciæ virginis facta continentur, prout in literis inde confectis, lucidius apparet per fidem noſtram firmiter promiſiſſe, & quod XXI milites & armigeri, qui nondum promiſerunt pro promiſſis omnibus fideliter obſervandis firmiter per fidem promittant apud Eccleſiam Tyrreſtorp, feriâ V ante feſtum beati Thomæ Apoſtoli proximè nunc venturum. In cujus rei teſtimonium Secreta noſtra ſunt appenſa, donec ſigilla noſtra majora apponi potuerint. Datum loco, Anno & die ſupradictis.

Nomine Ducis auſtralis Iutiæ ſponſionem fecerant *Ericus* Mareſchallus, *Iohannes Magnus, Henricus Kletclamp, Ericus Blaanes, Laurentius Bemcke, N. Hiort, Iohannes Grubbe, Iohannes Hebt, Rodolphus Ruſeus, Tordo Vekop, Laurentius Pucke, Chriſtiernus Baalt, Petrus Schram, Herulphus Seſtede, Thomas Iul, N. Bath, Otho Frijs, Trugillus Baalt, N. Naſke, Olaus Daal, Ago Porſius, Niclotus Brock, Andreas Back, Canutus Frijs, Petrus Hææ, Iohannes Rig, Laurentius Green, N. Beeg, N. Rath, Iohannes Lycke, Iohannes Holcklabbij, Hennicke Schilbre, N. Rod, Henſe Smalſtede, Henekinus Doſenrode, Iacobus Appelgaard, Petrus Muli, Iacobus Bani, Nicolaus Bonſtrup, Otho Paawiſck*, Dominus *Iohannes* de *Verle*. Hi jam dicti promiſerunt alijq; ex parte Domini *Erici* Ducis apud eccleſiam Terreſtrup, per placitationem factam Nyborg; feria V proxime ante diem Thomæ ſub anno MCCCXV beatæ Luciæ virginis.

Eodem hoc anno Rex epiſcopis ac nobilitati omnibuſque qui apud Eſthones magiſtratum gerebant, jus feudale per leges deſcriptum tulit, idque eſſe quàm commendatiſſimum ſingulis voluit. Et utitur eodem hodieque univerſa Livonia: Idem tum quoque conſtitutiones Selandicas inſigni auctario locupletavit & cum ante tres tantum libri eſſent, nunc totum illud legum corpus in ſex libros, illius beneficio, tributum habetur. Codex verò juris Feudalis, quod Eſthonibus præſcriptum dixi, ſtatim initio præfationis fatetur quidem, ſicuti & nobilitatem, ità & illud à *Valdemaro* eſſe primo conſtitutum, ſed ab Erico varie adauctum, atque ita deſcriptum ut intelligi & haberi ab omnibus poſſit.

Inde, qui proxime eſt ſecutus, anno trecenteſimo decimo ſexto, ſupra milleſimum, feriâ quartâ poſt dominicam Epiphaniæ, Roſtochij domina *Margareta*, uxor quondam *Nicolai* de *Verle*, Roſtochienſis dicti, per manus Erico regi tradidit, ſuo & filiæ ſuæ *Elizabethæ* nomine, Rubbenitzam, Sultenam, Morlaviam: quas illa urbes vicem dotis tenebat. Vaſallos præterea, quoſcunque ijſdem in locis ſibi obſtrictos habebat, ſacramento exemptos ad regis Erici obſequium amandavit, datiſque tabulis ſpopondit ſe filiam ſuam *Elizabetham* nuptui non elocaturum ſine ipſius voluntate: ſi faceret, dote, quam eſſet pollicitus, carituram; Eodem tempore rex ei Vordeborgi 1000 marcas Slavicas, quas debebat, adnumerari curavit; & eam ſimul bonis, quæcunque in territorijs Blekingæ, Lalandiæ & Iutiæ marito ipſius *Nicolao* de *Verle* in dotem ejus nomine tradiderat, clientelari modo adminiſtrandis præfecit, loco dominij ac juris, quod ſibi filia ipſius in ditiones Roſtochienſium aliaque provinciarum ſuarum opida vindicare poſſet; idque dum ipſa in vivis eſſet vice 2000 marcarum per reditus, quos nec ipſe nec hæredes ſui infringerent, reddendarum. MCCCXVI.

Erant eodem tempore ex nobilitate Brandeburgica, nonnulli qui in offenſâ erant apud Marchiones, eos quoque Ericus in ſuam ſocietatem ac patrocinium ſuſcepit, pollicitus ſe illos tutaturum aut operam apud Marchiones daturum ut æquis conditionibus in gratiam recipe-

ERICUS VII. Rex. A. C.

reciperentur. Illi arces vicissim aliasque munitiones suas in usum regis ac belli volentes offerebant. Ictum tum itidem cum episcopo Magdeburgensi *Burchardo* foedus, cui erant innexi, præter regem, *Witzlaus* Rugiæ princeps, *Nicolaus* Suerinensis, *Henricus* Megapolensis, ac Comes Holsatiæ *Iohannes*. Hi operam auxiliaque sua Episcopo adversus quoscunq; luculenter deferebant, excepto Saxoniæ Duce *Rudolpho* & *Othone* Luneburgensi. Quod & Episcopus vicissim pollicebatur, se venturum illis cum opidis suis & arcibus armatisque trecentis subsidio adversus Brandeburgicos aliosque, excepto Misniæ Marchione *Frederico*. Susceptus eodem tempore in regis tutelam Saxoniæ Dux *Ericus*. Qui & regi ex adverso operam atque opem suam prolixe est pollicitus. Quod & ipsum fecère *Nicolaus* & *Iohannes* de *Verle* fratres, datis regi ejusmodi literis:

> Omnibus &c. Nicolaus & Iohannes de Verle salutem: Notum per præsentes facimus, ex quo magnificus princeps dominus noster, Dominus Ericus Dei gratiâ Danorum Sclavorumque rex illustris, nos in suos recepit homines & vasallos, promittens nos juvare & tueri in omnibus nostris justis causis, sicut tenetur dominus suos tueri homines & vasallos, nos eidem domino nostro regi per fidem nostram firmiter astare promittimus contra quoscunque, cum munitionibus nostris, hominibus & vasallis & cetero nostro posse eique in omnibus fidele servitium exhibere ac ipsum juvare in omnibus suis causis motis & movendis. Datum ut supra. item dedit Dominus Rex dominis Nicolao Suerinensi Comiti consimiles literas, sicut dominis Nicolao & Iohanni de Verle, & ipsi Nicolaus & Henricus de Suerin dederunt regi &c.

Verum haud multo post simultates ac discordiæ quædam inter principes foederatos ac præsertim regem Ericum, *Henricum* Megapolensem ac dominos de Verle enatæ: adeò ut alter alterum captivum abduceret: Sed eę tandem operâ ipsius regis ac Ducis Rugię *Witzlai* aliorumque principum amice fuère compositæ.

Per id tempus vectigalium ratio per Daniæ regnum ejusmodi obtinebat: equuleus solvebat schellingam sterlingicam 1: Butyri, suminis, sævi, similisq; adipis pondo nauticum, vulgo *schippund*, sterlingos 8: Laridi libra sterlingos 6: Mille albicæ sterlingos 6: Piscium item, quos asellos dicimus, tonna una sterlingos 3: Anguillarum lasta 10 sterlingos: Bos sterlingos 4: Ovis sterlingos 2: Coriorum salitorum decas sterlingum 1: Lasta nucum avellanarum sterlingos 6: Lasta frumenti sterlingos 18: Centum ulnæ panni *Borelli* sive *Leysk*, ut eo ævo vocabant, sterlingos 4: Tabernæ rusticanorum cerevisiariæ pro tonnâ sive vase unoquoq; cerevisiæ sterlingos 6: Reperio & *Daventriensibus* tum temporis immunitates concessas, & Neoburgi & Torneburgi pro segestri unoquoque *(packe klede)* portorij nomine solverent marcam unam cupreæ monetæ; pro panni fasciculo *(sterling)* Slaglosæ ac Roschildię obelos 2: Si quid venderent, schillingam; si nihil venderent, liberè & sine vectigali decedere ipsis permittebatur; ità tamen ut pro plaustro mercimonijs onusto schillingam telonio inferrent, si semel census esset solutus, alibi solvere non tenebantur. Exstant quoque in archivis *Hardervicenæ* civitatis literæ Erici regis eodem hoc anno Helsenburgi & aliæ Wordenburgi datæ, quibus pollicetur se *Hardervicenses*, ob honorem & reverentiam illustris domini *Reinoldi* Comitis de Gelriâ, consanguinei sui atque amici dilecti (ità enim verba diplomatis habent) ad regni sui oras coggonibus appellentes & protecturum & gratia suâ usquequaque dignaturum. Concedit etiam præter immunitates certas, quæ ijsdem codicillis prolixius exprimuntur, locum amplum ac liberum in nundinis Scanorensibus perpetuo ac seorsim ipsis possidendum. Similiter & Lubecensibus privilegia vetera firmata ac nova indulta, ut nimirum in territorijs Scanoræ & Falsterboæ præfectum ipsi constituerent, qui de civium controversijs cognosceret, concessumque ut quamprimum ipsorum navigia appulissent, ea exonerarent. Acta hæc Vismariæ præsentibus *Henrico* Megapolensi, *Othone* Comite de Hoyâ, *Nicolao* Dapifero, *Martino Duve, Ditlevo Vlphone* & *Iacobo Flepo*. Rostochiensibus tum quoque haud absimiles tributæ prærogativæ Tranekèræ.

Lundensi archiepiscopo *Esgero Iul* litis nonnihil per eadem tempora cum rege intercesserat: Delataque ad summum Pontificem causa fuerat, ac mox eâdem resumptâ pressiusque inspectâ pronunciatum decretumque ut Episcopus regi 5000 argenti marcas intra annos 10 persolvendas redderet: nihil domi aut in aulâ pontificis quod regi obesse possit vel clam aut palam moliretur: Borneholmiæ præfectum non imponeret, nisi rege conscio: Qui præficeretur regi gratus esset, ac præstito dioecesi Lundensi fidei sacramento inter cetera polliceretur se regis extorres hospitio haud excepturum.

Mox

Mox Nicopię, datâ sub testibus fide, promiserunt Holsatiæ Comites *Gerhardus* & *Iohannes* se regi Erico & *Henrico* Megapolensi centum cataphractis adversus *Valdemarum* Brandeburgicum militaturos. Damni quodcunque vel equitatus vel ipsi paterentur id rex & Megapolensis intra annum præstarent. Si vicissim operam atque auxilia Ducis Holsati desiderarent, ijsdem conditionibus ipsis adesset. His subscripsère Megapolensis, *Nicolaus Hæe*, Mareschallus *Lago*, *Ingvarus Hiort*, *Ionas Balhorn*, *Petrus Grubbe*, *Esgerus Brock*, *Nicolaus Frijs*, *Ago Caroli*, *Acco Petri*, *Strango Esgesson*, *Ago Eschilli*, *Petrus Vendelbo*, alijque.

Inter hæc frater regis Dux *Christophorus* cum aliquot ex eâ nobilitate, qui ob cædem Erici patris extorres agebant, se *Valdemari* Marchionis partibus præter multorũ & regis ipsius expectationem conjunxit. Datoque Marchioni fidei sacramento, classem confestim circa Stralesundam tumultuariam comparavit: Eâque Fioniam ingressus cum suam in potestatem redegisset Suinoburgum, ei cum aliquantâ suorum manu occurrit insulę præfectus *Iacobus Flepus*; Sed à milite Ducis repulsus nihil in adversum magnopere præstitit. Itaque arcem & oppidum *Christophorus* sibi tenuit, donec inter regem & Marchionem induciæ fierent. Tum enim, relicto Suinoburgo, insulâ excessit, ut inde referetur. Rex autem tantis undiq; collectis copijs Mareschallum suum *Hermannum* Glicæ Comitem cum septem millium armatorum exercitu, trajicere in Germaniæ littus imperavit, ut obsidione Sundenses tentaret. Eodem quoque *Byrgeri* regis è Sueciâ manipuli transmissi. *Witzlaus* verò Rugiæ princeps, Saxoniæque Dux *Ericus* Lauvenburgius cum *Alberto* Brunsvicensi, *Valdemaro* & *Suenone* Slesvicensibus, *Gerhardo* & *Iohanne* Holsatis, *Henrico* Megapolensi, *Prebislao* Vandalo, *Adolpho* Schouvenburgensi, *Gunselino* Vittenburgensi, *Gyntero* Pæpinensi, alijsque Germaniæ vicinæ Comitibus ac dynastis terrâ profecti omnes ad eundem locum convenire, ac se regio militi consociare studuerunt. Dux Saxoniæ *Ericus* cum suis nonnihil progressus reliquorum adventum spe prædæ, ut videtur, anteverterat suaque ad lucum urbi vicinum castra locarat, ibi exspectaturus, qui sequerentur. Stralesundenses igitur cum se tot hostibus objiciendos animadverterent, nec ignorarent ex nobilitate ac Rugiæ incolis plerosque *Witzlao* parum æquos, ac funem cum eo contentionis ducere quod ipsorum libertati imminere videretur, à se robur mutuati cum nobilibus centum triginta, qui insulæ præcipui habebantur, fœdus feriunt; Horum coryphæi tum habiti atque eo nomine suspectati *Prabernus* ab Ulmentz & *Stadislaus* Potebulk. Qui urbem cum ceteris ante obsidionem ingressi auctique Marchionis *Valdemari* ac Ducis Pomeraniæ *Wartislai* auxiliaribus copijs eruptionem in castra Ducis *Erici* fecerunt, atque ipsum inter alios vivum potiti intra urbem quasi triumphantes perduxerunt. Qui deinde supervenerunt, acceptâ Ducis captivitate, minus læti urgere nihilominus obsidionem acriter cœperunt: adeoque in arctum redegère opidanos ut eruptiones exinde nullas tentarint. Interea tamen cum mœnia sua alacriter defenderent & ipse Rex domesticis impeditus exercitu abesset paulatim soluta est obsidio. Inde Sundenses animosiores redditi Rugiæ oras invadere, & modò insulanos, modò qui in proximo erant, Barthenses, Tribezanos, Loisitzios ferro atque igne defœdare haud desierunt. Dux Saxoniæ *Ericus*, quem captivum diximus, primo ad Ducem Pomeraniæ *Wartislaum*, atque inde ad Marchionem Brandeburgicum *Valdemarum* missus, non ante catenis solutus est, quàm sedecim millium marcarum argenti lutrum Marchionibus persolvisset. *Crantzius* Sundensium hanc obsidionem non ad Ericum, de quo agimus, sed ad tempora *Christophori*, qui Ericum proxime est secutus, at perperam retulit, quod res & acta illius principis ostendent.

Lis *Adolphi* & *Henrici* Holsatiæ Comitum, quæ diu inter eos eorumque consanguineum *Gerbardum*, super turri Travemundæ ac silva, quæ *Kiffhoa* dicta, agitata fuerat, permissa est tandem arbitrio Erici regis ac Ducis Megapolensis. Quibus veluti compromissarijs *Gerhardus* Comes æquis conditionibus & quæ parti adversæ non displicerent, causam obtinuit. *Adolphus* haud multo post in lectulo suo ab *Hartvico* quodam una cum proprio ipsius *Hartvici* filio, qui *Adolpho* à cubiculis erat, cæsus, multorum sermonibus occasionem præbuit varia de illatæ necis causa commemorandi. *Crantzius Hartvicum* istum Dithmarsum fuisse ac virum ex Revenlouensium prosapiâ primarium indicat, injuriæque, in familiam quondam ipsorum irrogatæ, ab *Adolpho* voluisse pœnas sumere: idque occasione *Gerhardi*, *Henrici* Comitis filij, quem inopem & ab amicis neglectum querebatur; Alios tradere ait, fuisse arcis, quam *Adolphus* inhabitabat, præfectum; inque tam atrox facinus impulsum, quod Comes in conjugem ipsius aut filiam pudoris fuisset oblitus. Sed hoc utcunq; fuerit, Ericus saltem Rex, quod, *Crantzio* silente, in actis regalibus reperio, evulgato diplomate, *Gerbardum*

Ericus VII. Rex. A. C. *Gerhardum* ejusque fratres *Henricum* & *Iohannem* unà cum vasallis ipsorum ac viris equestri dignitate ornatis ab eâ cæde immunes ac liberos statuit, nec ab illis ultionem unquam rependam, serio cautum voluit.

Inter regem porro Ericum & Sueonum Duces *Ericum* & *Valdemarum*, quorum illum *Haquini* Norvagiæ regis filiam, *Valdemarum* verò neptem ejusdem *Haquini* in conjugem duxisse supra memoratum, ità per idem hoc tempus convenit, ut rex, si quid humanitus *Haquino* accideret, operam daret ut *Erico*, qui *Haquini* filiam habebat, aut ejus hæredibus, regnum Norvagiæ traderetur. Ericum verò ejusque liberos si mori ante *Valdemarum* contingeret, tum Rex *Valdemaro*, qui neptem *Haquini*, *Erici* Norvagię quondam regis, *Haquini* fratris filiam sibi conjunxerat, aut ejus liberis auxiliares manus commodaret, ut ipsis Norvagiæ imperium permitteretur: Illi vicissim, quid ob eam operam sibi rependendum rex vellet, id arbitris ad hoc delectis, quos inter erant *Henricus* Megapolensis, *Nicolaus Olai*, *Bernardus Molsanus*, Episcopus Lincopiensis alijque dijudicandum relinquebant.

MCCCXVII. Anno proximo, qui fuit millesimus trecentesimus decimus septimus, Rex Neoburgi reginæ ac conjugi suæ *Ingeburgæ* pignori tradidit Lalandiam & Falstriam cum adjacentibus territorijs, vice duodecim marcarum argenti millium: eâ tamen lege, ut si ipse ante eam vitâ migraret, successoribus ejus repetere easdem ditiones fas non esset, nisi prius refusis, quas diximus, duodecim marcarum millibus: Similiter & Gnoyæ districtum, qui est in Ducatu Megapolensi, *Sigefrido* Plonio oppignoravit *Henricus* Megapolitanus. Et conjugi vicissim *Henrici* Megapolensis *Annæ* Rex item Neoburgi decreto sanxit ut trecentæ argenti marcæ, quomodo eas à præfecto Fimbriæ Glambecensi accipiebat maritus ejus *Henricus*, quotannis adnumerarentur, si eam esse marito superstitem contingeret.

Hinc postquam aliquandiu esset bellatum, Rex Ericus & Marchio *Valdemarus*, alter alterum pacis, quæ Broderstorpij fuerat inita, violatæ arcessijt. Rex præcipue Marchioni objecit, quod Stralesundam quę sui erat dominij, manu armatâ adversus præfectum à se constitutum defendendam susceperit: quodque Hirdsackeram aliasque in solo Sundensium fundatas arces, non modò non demolitus sit, prout Broderstorpij conventum fuerat, sed firmius communierit, ac denique die tractationi ulteriori destinato Lykenam cum Episcopo Caminensi alijsque qui erant nominati, non accesserit, seque ad bellum pacis tempore, invaso ac vastato Megapolensium limite, compararit. Contra verò Marchio reposuit, se jurisdictionē, quam Rex aut ejus præfectus *Witzlaus* in Sundenses sibi vindicaret, haudquaquam impedijsse, tantùm vetera eorum jura fuisse tutatum: Hirdsackeræ munitionem à se aut Sundensibus nec excitatam nec dirutam: ideoque alijs non sibi hoc imputandum. Episcopus Caminensis ceterique arbitri quod Lykenam non venerint, errore factum; Templinique præsto fuisse; limitem Megapolensium infestatum occasione eorum, qui ei defendendo appositi, suos primum fines impetierint. Hæ postmodum controversiæ permissæ arbitrio Domini *Doyskij*, D. *Henningij* à Blanckeborg, D. *Bossonis* à Dallen & *Georgij* Hasenkoff. Qui statuerunt, si affirmare jurejurando Marchiones vellent, se in causa Sundensium nihil adversus pacta deliquisse, liberos & immunes à culpa habendos: Quod ad Hardsackeram, pronunciarunt *Bosso* à Dalen & *Georgius* Hasenkoff, si ijdem Marchiones asseverarent pactionem Broderstruppensem sarte tecteque servatam, literis ac promissis starent arcemque eam dirui quàmprimum facerent: De Episcopo Caminensi & ceteris decretum ut ipsi compellarentur ac si quid forte ad sui defensionem haberent, in medium proferrent. Quod autem Marchiones Regi & *Henrico* Megapolensi pacis turbatæ dicam impingerent, pronunciatum est regem *Henricumque* si jurejurando declararent se pactionem Broderstruppensem haud primos rupisse, extra culpam censeri. Verum pacificationis hic modus, quòd principes sacramento adigeret, posthabitus fuit; atque ipsi inter se factâ reconciliatione amicè, ut postea referetur, convenēre.

Per idem tempus Rex *Henricum* Megapolensem ditioni Rostochiensium omnibusque in Slaviâ territorijs ac munitionibus suis jure clientelari administrandis præfecit, excepto Daneburgi castello ad Varni exitum sito, quod jam ante Mareschallo suo *Nicolao Olai* eodem jure possidendum tradiderat. Codicilli eâ de re evulgati, ejusmodi habentur:

„ Ericus Dei gratiâ &c. Omnibus hæc lecturis constare volumus nos ob fida ac multiplicia erga nos ac regnum nostrum officia ac merita, Domino *Henrico* Megapolensi ac Stargardiæ ejusque hæredibus utendam fruendamque concessisse atque hisce concedere ditionem Rostochiensem, & quidquid nos apud Slaviæ populos proprium possidemus, unà cum arcibus, munitionibus ac jurisdictione ceterisque attinentijs, excepta arce, quæ ad exitum

ERICUS VII. Rex. A. C.

exitum Varni amnis est sita, Danneburgo dictâ, ejusque appendicibus: Quæ nos singula jam ante Mareschallo nostro *Nicolao Olai* tenenda utendaque permisimus, secundum codicillos eâ de re conscriptos. *Henrico* autem Megapolensi, affini nostro, præcipue aspectu detrimentorum, quæ nostro nomine non uno modo perpessus fuit, bona ac territoria jam dicta possidenda usurpandaque tam ipsi, quàm hęredibus ejus indulsimus, cum nostro tum hæredum quoque nostrorum nomine, donec ei in plenum resarcita refusaque fuerint damna jam memorata. Subsignaverunt hæc unà nobiscum *Otho* Comes Hoiensis, *Guido* Decanus Lundensis, Cancellarius regius; *Nicolaus Olai* Mareschallus, *Martinus Duve* nomophylax Iutlandiæ, *Iacobus Flepus* nomophylax Fioniæ, *Ludovicus Albertsson* regius cubicularius. Dat. Neoburgi anno Ch. MCCCXVII. in crastino Epiphaniæ.

Scanienses quoque ob varia ipsorum erga se ac regnum præstita officia inque posterum præstanda privilegijs atque immunitatibus ornatiores reddidit. Præter cetera nobilitati eandem in municipes ac bona sua libertatem indulsit, quam antiquitus habuissent: neminique in eorum detrimentum codicillos regios impetrare fas esset, nisi prius in dicasterijs forensibus fuissent convicti: Indigenæ item omniaque eorum mercimonia à portorijs omnibus per regnum universum essent libera, nisi aliud olim obtinuisset. Eodem anno die Cinerum, rex Ericus *Elizabetham* filiam *Nicolai* de *Verle*, suam ex sorore neptem nuptui tradidit *Christiano* Oldenburgensium Comiti, addita mille marcarum argenti dote, quæ anno exinde post habitas nuptias esset solvenda. Hinc iterum circa Pentecosten Broderstorpij tractatio instituta inter Ericum regem & Marchionem *Valdemarum* de litibus ac controversijs omnibus, quæ bello occasionem dedissent: traditaque est universa causa in manus compromissariorum *Bossonis* à *Dalen*, *Georgij Hasenkoff*, *Droiskij* & *Henrici* Blanckenburgensis. Hi quatuor Templini convenirent atque ibi quodcunque statuissent id consignatum mitteretur ad Ducem Saxoniæ *Rudolphum*. Cujus demum judicio pars utraque staret. Intercessit tum etiam Marchio apud Ericum regem pro Duce *Christophoro* eumque in gratiam cum fratre reduxit, impetratis in eam rem regijs codicillis; quorum hoc exemplum est:

Omnibus præsens scriptum cernentibus Ericus Dei gratia Danorum Slavorumque Rex, salutem in domino sempiternam. Notum facimus universis, quod nos fratri nostro domino *Christophoro* & omnibus Danis, qui in provinciâ magnifici principis avunculi nostri charissimi, domini *Valdemari* Marchionis Brandeburgici fuerunt, in guerrâ proximâ, inter nos & ipsum dominum Marchionem habitâ, hoc indulsimus & propter hoc debent habere plenam sonam & ob hoc non debemus habere suspicionem aliquam contra ipsos. In cujus rei testimonium sigillum nostrum est appensum. Datum Vernemundæ MCCCXVII sabbatho proximo ante dominicam sanctæ Trinitatis in præsentiâ nostrâ.

Similiter & Marchio, publicatis literis professus fuit, se in gratiam Erici regis suos è nobilitate viros primarios aliosque vasallos, qui, ut supra memoratum, relictâ patriâ Erico regi sacramentum adversus ipsum dixerant, redditis possessionibus in gratiam recepturum: Stralesundamque & Rugiam insuper unà cum nobilibus ac vasallis, qui se ipsius imperio subdiderant, missas facturum ac principi Rugiæ *Witzlao* redditurum. Nec tantum de pace & amnestiâ priorum tum actum, sed de novo etiam fœdere ineundo & quid in omnem eventum, ad bella, quæ ingruere possint, profliganda conferre unusquisque vellet, cum rege & Megapolensi sermones simul habiti. Concessit per id quoque tempus Rex Abbati conventus Stolpensis monasterium ordinis Sestertiensis Padicæ apud Esthones exstruendi potestatem, ità tamen ne id fiat cum detrimento Ducatus Estlandiæ. Hoc cœnobium Episcopo Revaliensi subditum atque ei sacramento fuisse obstrictum, ex formulâ juramenti quod subjeci liquet:

Ego N. Monasterij Padicensis ordinandus Abbas, promitto coram Deo & sanctis ejus & hac solenni fratrum congregatione fidelitatem dignam, subjectionem, obedientiam, & reverentiam matrici meæ Ecclesiæ Revaliensi tibique domino N. meo ejusdem Ecclesiæ episcopo, successoribus tuis secundum sacrorum canonum institutionem & prout præcipit inviolabiliter authoritas Rom. pontificum. Sic me Deus adjuvet & sancti ejus.

Eodem circiter tempore *Iohannes* de *Verle*, *Nicolai* filius, Regi obsequium ac fidem adversus quoscunque pollicitus fuit; exceptis *Iohanne* patruo & *Othone* Stetinensi, affine suo, eorumque vasallis, amicis ac munitionibus. Eumque vicissim rex in suam tutelam ac patrocinium, datis eâ de re literis, suscepit, præterquam si res ei esset cum *Henrico* Megapolensi ac *Iohanne Verlensi*, patruo ipsius. Eos enim ut sibi fœderatos excipi voluit. Causa quoque

ERICUS VII. Rex. A. C. quoq; *Wartislavi* Pomeraniæ Ducis, qui Marchionem *Valdemarum*, durante bello Sundensi, re consilioque adversus Ericum regem juverat, ipsi *Valdemaro* ut arbitro permissa. Et præter hæc idem *Valdemarus* tale cum rege fœdus ferijt, ut, si quid ei obveniret resq; archiepiscopi Lundensis *Esgeri* ac Ducis Slesvicensis *Erici*, quique illis essent associati, in bellum erumperent, pollicitus fuit se à partibus regis fore. Dux verò *Christophorus* regis frater, cum reconciliationi, quæ erat cum Marchione inita, noluerit includi, promisit Marchio se nec illi adversus regem nec regi adversum illum opem laturum. Holsatiæ etiam controversiæ eodem tempore per regem & Marchionem compositæ. Statutumque ut *Hennichio* post obitum *Iohannis* Kilonium permitteretur, atque idem in conjugem duceret viduam Marchionis *Iohannis Catharinam* absque dote. Tradidit tum quoque Marchio Stargardæ territorium *Henrico* Megapolensi administrandum; & Megapolensis vicissim Werdenhagæ arcem atque Oldenburgum jure clientelari possidendum Marchioni permisit. Acta q; hæc Templini in festo Catharinæ. Quo eodem die & loco inter Marchionem *Valdemarum* & regem Ericum avunculum ejus, datis utrinq; codicillis conventum, ut, quandocunque res posceret, Marchio regi intra Daniæ regnum quadraginta cataphractis & sagittarijs decem auxilio adesset, idque suis impendijs: Et rex vicissim unà cum *Henrico* Megapolensi adusq; Bohemos eidem cum cataphractis quinquaginta & decem sagittarijs subsidio accurreret; si verò in vicino bellum gereretur, cataphractos centum ac sagittarios decem suis stipendijs ei sufficeret: eà tamen lege ut equi minores, qui in itinere exspirarent, intra semestre; cataphracti verò intra annum unicuique rependerentur. Tandem Wordingburgi die Luciæ sacro, qui fuit 13 Decemb. inter regem Ericum & Marchionem *Valdemarum* conventum, ut dissidia omnia sinistræque interpretationes, quæ inter ipsos ac fœderatos ipsorum exortæ agitatæque hucusque fuissent, sublatæ in universum decisæque jam essent & loco earum pax concordiaque utrinque coleretur. Principique *Witzlao* Rugia, Stralesunda, ceteraque opida ac munitiones, quas ei Marchio præripuisset, sarte tecteque redderentur: Et in posterum idem Marchio nullam eorum territoriorum, quæ ad regem ac *Witzlaum* pertinerent, sibi usquequaque curam assumeret, sed ad retinenda potius, quæ jure *Witzlaus* possidet, amice eidem manum commodaret. Rex quæ Stralesundensibus, quod ad ipsorum immunitates, datis jam ante eà de re codicillis, esset pollicitus, ea ut certa ac rata haberentur, operam navaret. Exulibus Danis, qui belli tempore se adversus regem Marchioni junxerant, bonis suis frui postliminio permitteretur. Et Dux *Christophorus*, quod Marchionem secutus se regi opposuisset, id ex regiâ gratiâ ei indultum foret: Marchionesque exinde neque regni extorres, neque alios in regis præjudicium sibi adjungerent. Quod & rex vicissim Marchionibus promisit. Rex quoque ejusque socij ditionum suarum limitibus, prout olim fuissent, integre fruerentur. Sicuti & suos Marchiones, & qui ipsis adhæsissent, similiter retinerent: Reliquaque, prout jam ante sæpiusque Magdeburgi statuta fuerant, inviolata haberentur.

Eadem tempestate simultas inter Comitem *Iohannem*, *Benignum* cognomine, Vagriæ dynastam, fratrem *Adolphi*, quem Segebergæ trucidatum memoravimus, & Comitem *Gerhardum*, cognomento *Magnum*, exorta. Quorum *Iohannes* ægre ferebat occupatam à *Gerhardo* Segebergæ arcem: Eoque nomine in partes suas traxerat Comitem Scouenburgensem *Adolphum*, cognatum suum, qui aliquot auxiliaribus copijs paratus ipsi adfuit. Nec defuit *Gerhardus Magnus*, qui extemplo similiter è partibus Villtermarschiæ, Hedemarschiæ, Snefeldiæ, Nortorpiæ, Kilinghusæ, Vestedæ & Coldencocæ ingentem militum manum collegit castraque posuit circa Bramstedam, eà mente, ut *Adolphum* Scouenburgicum, priusquam se *Iohanni* Vagriensi conjungeret, interceptum armis adoriretur, quod & factum. Nam *Adolphus* quamprimum Bramstedæ vico adpropinquaret, ei in adversum *Gerhardus* occurrit. Habitusque vehemens conflictus, in quo superior fuit *Gerhardus*. *Adolphus* fugam capessens, cum se sub pontem Bramstedæ occultasset, *Gerhardo* proditus cum centum ac viginti alijs ab eodem captus est, nec inde, nisi soluto magno lutro, liber abijt.

Hinc sub anni finem die, qui Silvestro sacer habetur in ultimum Decembris incidens, reconciliatus etiam cum rege Dux Slesvicensium *Ericus*. Rex enim habito Neoburgi conventu publicè spopondit, se eum, ut vasallum dominus in suam tutelam suscipere, & ipse vicissim *Ericus* ut cliens obsequium se ac fidem regi exhibiturum pollicebatur, vasallique qui singulis essent, eos haberent, nec augendis eisdem in detrimentum alterutrius studeretur. Ius quoq; quod unicuiq; in territorijs suis esset, id sartum tectum maneret. Actum etiam de commercijs ut ea haberentur libera, deque obsidibus ac captivis dimittendis ac damnis

damnis denique utrimque rependendis, prout illata fuerint. Deinde cum *Gerbardo* Comite Randelburgensi & *Hennchio* Holsato ità transactum, ut tota ipsis Fionia in triennium possidenda fruendaque concederetur nomine ducentorum armatorum, quos illi durante bello Brandeburgico, auxiliares regi submiserant. Persoluto autem ex insulæ reditibus, quod sibi deberi existimabant, insula ad regem ac regnum rediret. ERICUS VII. Rex. A. C.

Anno, qui proxime est secutus, millesimo trecentesimo decimo octavo, Rex senatu consulibusque Stralesundensium in suam tutelam ac patrocinium susceptis, oblivionem injuriarum omnium atque offensarum promulgari fecit pollicitusque fuit se triennio toto eos adversus quoscunque defensurum: Illi vicissim, si quod interea bellum regno oborietur, copias auxiliares regi subministrarent. Rex pacem non faceret, nisi & ipsi eâdem comprehenderentur: Inimicos ac regni Danici hostes opida ac portus suos intrare non sinerent: Negociatores undiquaque appellere atque ingredi oras suas commerciaque exercere libere permitterent: ac idem quoque jus emendique quæ vellent regi relinquerent. Quorum omnium antapocham etiam Sundenses exhibuêre. *Nicolaus de Verle* Rostochiensium dominus Suanensibus tum quoque non tantum certos terræ mansos, nunc lastas dicimus, piscandique in Varno flumine potestatem, sed ripam quoque ejusdem fluminis, quà Gustroviam spectat, in pastum pecorum concessit: utque eodem quo reliquæ ejus civitates jure ac libertate uterentur. Est præterea hoc tempore census indictus omnibus regni incolis: quorum agricolæ pro aratro unoquoque marcam, nobiles bonorum suorum decimas solvebant: Ecclesiasticis etiam nobiliumque colonis haudquaquam parcitum: archiepiscopus *Esgerus*, qui jam ante à rege dissentire cæperat, suum huic exactioni calculum adjicere noluit occasionemque præbuit ut de rege passim male hoc nomine vulgus existimaret. Reperio circa eundem temporis tractum reconciliationis literas, quæ ad regem ejusque dapiferum *Nicolaum Olai* spectent, ab episcopis *Olao* Roschildensi & *Nicolao* Viburgensi ejusmodi promulgatas: MCCCXVIII.

Omnibus præsens scriptum cernentibus; Olaus Rosckildensis & Nicolaus Burglaviensis Dei gratia Episcopi, salutem in domino sempiternam: tenore præsentium constare volumus præsentibus & futuris nos præsentes fuisse vidisse & audivisse quod venerabilis in Christo frater noster; dominus Hermannus Dei gratiâ episcopus Suerinensis, cum magnifico principe domino nostro Erico Dei gratiâ Rege Danorum illustri, pro domino Nicolao Oluffsen quondam dapifero suo; qui castra sua, postquam officium dapiferiæ suæ resignavit; contra voluntatem ipsius domini regis detinuit & adhuc detinet, ac occupat violenter, placitavit & concordavit totaliter in hunc modum, videlicet quod super omnibus & singulis, quæ inter ipsos dominum regem & Nicolaum Oluffsen quibuscunque de causis vertebantur, ex nunc & in futurum esse deberent firmè, verè & plenâ concordiâ atque sonâ perpetuis temporibus duratura. Pro quibus, quod concordia & sona ut præmittitur observanda; supradictus dominus Episcopus Suerinensis & cum eo domini; Thetlavus dictus Ulff & Ludolphus dictus Suanove milites firmiter promiserunt in manus supradicti domini regis ac dominorum Othonis Comitis ab Hoya & Henrici domini Magnapolensis ac multorum fide dignorum militum & armigerorum, fide super hoc suâ præstitâ corporali; qui sonas & concordiam prædictas; quanquam sæpius sufficienter moniti, minime impleverunt. In cujus rei testimonium & evidentiam pleniorem sigilla nostra præsentibus literis duximus apponenda. Datum Vordingborgi anno Domini MCCCXVIII dominica proxima ante festum beatæ Mariæ Magdalenæ.

Hinc feriâ post Matthæi Apostoli, qui fuit VI Kalend. Mart. Sueciæ rex *Byrgerus* Regi Erico universam cum Visingsöa Smaalandiam (quæ territoria hinc Daniam, illinc Ostergothiam attingunt) vice auxiliorum, quæ jam ante ab eo liberaliter accepisset & adhuc in Sueciâ ipsius beneficio retineret, ac postmodum esset habiturus, datis codicillis, in totum assignavit, eâ interim lege ut sibi etiam suppetias ferre adversus Duces *Ericum* & *Valdemarum* haud intermitteret, ità tamen ut penes eum staret amicitiam ac pacem inter dissidentes constituere, quæ qualiscunque esset, etiam Erico placeret. Episcopi autem nobilesque ac ceteri ditionum jam dictarum incolæ regi sacramentum dicerent ac sibi easdem Rex teneret, donec belli impensæ aliaque detrimenta in totum essent restituta: additæ & aliæ conditiones, de excitandis novis munitionibus, deque patrocinio & tutelâ, quæ regi Daniæ à *Byrgero* ejusque successoribus esset præstanda, quamdiu in potestate Danorum ea loca haberentur. Munitiones autem duas excitare regi suis

LVDOVICVS BAVARVS IMP...

impensis fas esset; quas & regi cum id flagitaret, ejusque hæredibus restituere teneretur. Nec ipse aut ejus successores regi Danorum hac in parte impedimento essent, donec ditiones dictæ in totum essent redemptæ atque ære præsenti liberatæ. His veluti sponsores se interposuêre *Magnus* Byrgeri filius & patres venerabiles Olaus archiepiscopus Upsalensis, Israel Arhusiensis ac Magnus Vexionensis episcopi: nec non viri nobilitate insignes Iohannes Brunkovius, regius dapifer, Haquinus Bæmæ Mareschallus, Canutus *Ioensśön*, Stephanus *Rorichßön*, Ivarus *Liguidßön*, Tuco *Ioenßön*, Benedictus *Boßön*, Roricus *Byrgißön*, Petrus *Ragvaldßön*, Hemmingus *Odgysleßön*, & Carolus *Oresseßön*, milites. Item discreti viri, Petrus *Andreßön*, camerarius regis, Conradus Isern, Sigismundus Kellers, Magnus *Benedictßön*, Tostanus *Gudfaseßön*, Luderus Foss, Petrus *Sibbeßön*, Nicolaus Magnus, Byrgerus *Knudßön*, Ericus *Christiernßön*, Benedictus *Thureßön*, Martinus *Bendtßön*, Carolus *Benedictßön*, Iohannes *Sygtrudßön*, Iohannes *Howichßön*, & Boo *Hendichßön*. quorum prædictorum videlicet domini, Iohannis Brunckovij dapiferi, Petri Andreæ Camerarij & Petri Sibbiss. sigilla unà cum secreto regio in præmissorum evidentiam præsentibus fuerunt appensa.

Mox Slaglosæ Dux *Ericus* Slesvicensis amicè cum rege convenit: decretumque ut quicquid inter ipsos hucusque controversum hæsisset, deque episcopi aliorumque Ducatus istius vasallorum privilegijs atque immunitatibus necdum in plenum esset pronunciatum, id totum intra festum Michaelis aut per arbitros modestè componeretur aut jure decideretur; nominatique Dux Megapolensis *Henricus* & Comes Holsatiæ *Gerhardus* utpote compromissarij & quorum sententijs pars utraque staret. Agitatæ tum ibidem variæ variorum causæ, aut potius recitatæ obiter, ut intra tempus jam dictum, aut quod judices nominarent, deciderentur. In his erant, quæ spectabant Ducissam olim Langelandiæ *Sophiam*; Quæ item *Margaretam*, reginam Sueciæ: Et alia quæ pertinebant ad Iacobum *Ioenßön*, Iohannem *Godscalckßön* Litle, Timeum *Timeßon*, Nicolaum Gylt, Benedictum *Nickleßön*, & Ivarum *Ioneßön*, eorumque bona, quæ erant in Ducatu sita. Qui ablatum sibi quidquam etiam à rege ac regio milite existimarent, his sua redderentur secundum latam à judicibus sententiam. Hinc conventui judicioque promovendo interessent simul *Otho Paawisck*, *Nicolaus Bönstorp*, *Henekinus Klitkamp*, *Boscho de Vestenze*, milites: Et Iohannes *Nickleßön* armiger.

Nec multò post Dux *Christophorus*, qui jam aliquoties fratrem regem offenderat, iterumque in gratiam cum eo redierat, tandem relictâ Daniâ, Sueciam petijt: Eumque secutus continuo archiepiscopus Lundensis *Esgerus Iul* se Duci ac Suecis junxit, suaque consilia in regni detrimentum cum eisdem sociavit, quomodo & infra referetur. Causam secessus uterque ad regem Ericum ut sibi ac rebus suis gravem referre videbatur: Episcopo etiam ægre erat mulcta, quam ei ob causas supra memoratas Rex jam ante imperaverat, quamvis nunc alias prætexeret, & inter cætera censum Ecclesiasticis indictum, aliaque onera ipsius seorsim diœcesin spectantia. Mandaverat quin etiam, se absente, ut regno sacris interdiceretur. Sed clerum minus obsequentem vel potius se opponentem repperit.

Eodem circiter tempore accidit *Valdemarum* Sueciæ Ducem Calmariâ Stocholmiam pergere. Ex quo itinere cum paululum deflexisset, arcem Nicopiæ ingressus est, ut ibi regem *Byrgerum* fratrem suum ex intervallo salutaret. Qui venientem benignè affatus omnibus etiam benevolentiæ officijs affecit: nec defuit regina idem verbis operibusque demonstrans. *Valdemarus* Nicopiâ digressus, fratrem *Ericum* de regis erga se prolixâ humanitate certiorem fecit, nec quidquam ex ejus societate formidandum coram declaravit. Ijsque à *Valdemaro* persuasus Ericus & à *Byrgero* exinde humanissimis lireris invitatus, tam humaniter invitanti obtemperandum existimavit. Itaq; Nicopiam simul profecti arcemq; ingressi, tantâ eos benevolentiæ significatione Rex excepit, quantâ excipi à fratre fratres potuerunt. Sunt qui tradunt accurrisse quosdam, qui urbi appropinquantes monerent, malo caverent; sed Ducem *Valdemarum* id insuperhabuisse ac reposuisse, nimium multos exstitisse, qui inter fratres dissidia quæsiverint. Itaque hilariter magnificeque apud regem epulati postquam, mensis remotis, ituri jam cubitum essent, suumque cuique in arce conclave assignatum est. Comitatus verò, quem adduxerant, in urbe apud cives hospitia accepit, curante id regis satrapâ *Iohanne Brunckio*. Duces igitur cum in arce soli essent, excepto fortassis uno alterove famulo, eos, reclusis foribus, invadi rex jussit, ac lectis somnoque exstractos in arcis profundissimam turrim detrudi præcipites mandavit. Dum

Dum arripiuntur, quæsivisse ex eis regem tradunt, num meminissent lusus, qui Hathunæ jam olim lusus fuerat; nunc lusum iri haud absimilem ludum. Erat autem *Hathuna* locus, unde jam ante *Byrgerum* abduci captivum fecerant, de quo supra suo loco, ad annum Christi MCCCVI, memoratum. Rex deinde, comprehenso Ducum satellitio, confestim Stocholmiam, quæ Ducis *Voldemari* præsidijs defendebatur, procinctum movit. Sed fama jam ante, quid actum esset, eò pertulerat. Itaque factâ eruptione *Byrgerum* cedere ac repetere Nicopiam coegerunt.

Dux interea *Christophorus*, acceptis ab Archiepiscopo Lundensi mille quingentis monetæ Scanicæ marcis, earum nomine ipsi successoribusque ipsius Helmstadij territorium oppignoravit, effecitque apud Ducum captivorum conjuges *Ingeburgam* utramque; quarum altera *Haquini*, altera erat *Erici* Norvagiæ olim regis filia, ut illæ, donec è custodia liberarentur Duces, archiepiscopum unà cum ditione jam indicatâ sibi defendendum susciperent. Eaque de re confectæ ejusmodi tabulæ:

> Omnibus præsens scriptum cernentibus Ingeburgis & Ingeburg Dei gratia Ducissæ Suecorum omnesque consiliarij ipsarum salutem in domino sempiternam. Notum facimus universis, quod ex quo magnificus princeps dominus Christophorus Dei gratia Hallandiæ & Samsoæ venerabili in Christo patri domino Esgero divinâ permissione archiepiscopo Lundensi, Sueciæ primati ecclesiæ ipsius seu successori ipsius unum *herrid* (territorium) quod *Halmstadherrid* dicitur in Hallandia cum omnibus bonis & eò pertinentibus terris, pratis, silvis, pascuis, piscarijs, curijs, molendinis, colonis, & singulis alijs emolumentis de dicto *Herrit* provenientibus pro mille quingentis marcis denariorum Schanensium, nec non sumptibus & expensis pro ipso Duce, hominibus ipsius & stipendiarijs, per ipsum dominum archiepiscopum factis & erogatis, prout doceri poterit, titulo pignoris obligavit. Nos ad petitionem & instantias ipsius domini Ducis Christophori, promittimus dictum dominum archiepiscopum pro posse nostro defendere & adjuvare contra quemcunque ipsum super possessione ipsius *Herrith* perceptione seu levatione fructuum, redituum; proventuum & obventionum quarumcunque molestare vel inquietare attentantem, ac ei assistere in omnibus suis damnis, injurijs & molestationibus, si quæ ipsi vel ipsius successori impedimenta super possessione seu usufructu hujusmodi inferantur, ubique pro viribus nostris resistere & oportuno remedio obviare, id ipsumque per serenissimos principes dominos nostros, Ericum & Valdemarum, Dei gratiâ Duces Suedorum illustres, cum dominus eos à captivitate liberaverit, fieri, adimpleri, confirmari, & inviolabiliter observari. In quorum omnium testimonium sigilla nostra & sigilla consiliariorum nostrorum & nobilium militum dominorum scilicet Philippi Ulffson, Ioen Thor & Sinvidi Ergiselson ac aliorum militum infra scriptorum, qui huic tractatui & negotio similiter interfuerunt, videlicet Nicolai Brock, Iohannis Papæ, Iohannis Staverskoff, Andreæ Stigson, Iohannis Grubbe, Iohannis Uffeson, Nicolai Tygeson & Laurentij *Lauritsson*, præsentibus sunt appensa; Datum Calmariæ, anno domini MCCCXVIII in Cœna Domini.

Hîc notandum, quædam eorum haberi nomina, qui supra ad annum MCCCXIV capitis damnati memorentur. Unde conjicere est eam fortasse sententiam de absentibus pronunciatam. Hinc amici & præfecti Ducum captivorum concitare in regem regnum cæperunt. Præsidebat Oplandiæ *Matthias Chetelmundus*; Smalandiam tenebat *Carolus*, *Byrgerus* Vestergothiam: Qui omnes collectâ manu Nicopiam properarunt. Quod cum rex animadverteret, arci præsidium quantum sufficere putavit, imponit: traditaque certis hominibus turris curâ, claves in profluentem, ne unquam inde vivi egrederentur, projecit: atque ità confestim ipse Stekeburgum concessit. Digresso autem eo, Nicopiæ arx arctissimâ obsidione cingitur, ac Duces, dum id agitur, inedia & dolore, miserrimo mortis genere, spiritum exhalant. Tradunt authores *Ericum*, postquam carceri esset mancipatus, vix triduum supervixisse, utpote plagis aliquot, cum caperetur seq; ad defensionem pararet, pessimè multatum: *Valdemarum* verò ad diem usq; undecimum sine cibo & potu vitam prorogasse. *Byrgerus* igitur videns undiq; in se iri, extemplo filium suum *Magnum* è Daniâ, ubi tunc apud avunculum Ericum regem agebat, sibi ut subsidio adesset, revocat. Isq; paternis acceptis literis haud moratus cum equitibus sexcentis, quos illi bene armatos avunculus tradiderat, ad patrem in Ostergothia morantem acceleravit. Quibus copijs & si quæ ad manũ præterea essent, subnixus *Byrgerus* statuit cum hoste, qui obviã movebat, belli aleam tentare. Sed primo aggressu superatus ad Vestergothos profugit: à quibus cum pari indignatione exciperetur, cogitabat agrestium arma, quibus impar erat, astu ac dolo superare.

Ericus VII. Rex. *A. C.*

Itaque trium diernm inducias pactus, dum complures, ut sibi de commeatu prospicerent, domum abijssent, ille in reliquam multitudinem impetum fecit, ac maximam inconditæ turbæ stragem dedit: eâque potitus victoria & jam quasi re feliciter gestâ securior, militem suum per pagos & opida Ostergothiæ passim disposuit. Verum qui ad Duces liberandos excitati fuerant, auspicijs *Canuti Pose* præfecti, copias dispersas invadunt ac ipsum *Byrgerum* in fugam agunt. Danicus miles qui Liucopiam tenebat alijque relatis præsidijs, domum festinarunt. Unde & *Byrgerus* cum reginâ se in Gotlandiam recepit, manente in arce Stekeuburgensi filio *Magno*. Quæ deinde arx cum à Ducum milite obsideretur, omnia egit *Byrgerus* ut filium obsessum liberaret; ac primo è Gotlandiâ classem submisit, copijs ac commeatu instructissimam; Quæ ubi in hostium potestatem venisset, alteram expedivit, cui *Brunchonem* dapiferum suum præfecit. Sed & eâ exemplo prioris superatâ aut incensâ captus est ipse classis præfectus *Iohannes Bruncho*, unà cum *Vffone Sualebeco*, *Ludero Vosto* & *Valramo*: qui omnes Stocholmiam abducti capitis deinde supplicium subière extra urbem in monte, quem à *Brunchone* hodieque *Brunchonis Montem* vocant, corporaque rotis imposita. Post hæc *Matthias Chetelmundus*, senatorum consensu ad regni regimen vocatus, quaqua versus iter suscepit ac Sueonum Gothorumque statum suâ prudentiâ ac moderatione tranquilliorem reddidit.

Interea *Byrgeri* regis miles, qui intra Nicopiam consistebat, Ducum in carcere defunctorum corpora extra portam arcis deponens monebat obsidentes armis atque obsidioni supersederent, cum extincti essent, quorum nomine bellum suscepissent. At illi respondebant se pro filio Ducis *Erici* pugnare, *Byrgerum* aut ejus filium non agnoscere. Itaque sublata principum cadavera in ecclesiâ divi Nicolai debitis exequijs Stocholmiæ funerarunt: atque inde cum arcem obsidione urgere perseverarent obsessique insultus aliquot viriliter repulissent, arx tandem obsidentibus dedita ac funditus ab ijsdem diruta soloque æquata est. Stekeburgum verò paulò diutius defensum, quod in eo *Magnus* Byrgeri filius conclusus teneretur; postremò tamen id quoque dedere præsidiarij coacti, conditiones obtinere haud commodiores potuerunt, quam ut *Magno* in modum captivi victoribus relicto, ipsi, quo vellent, liberi decederent. Hinc similiter dirui id ipsum militibus permissum, sicuti & aliæ præterea munitiones ad *Byrgerum* pertinentes: *Magnus* autem Stocholmiam missus ibique biennium & quod excurrit, veluti victima & piaculum pro paternis delictis servatus supplicium tandem capitis subijt, ut postea dicetur.

Dux verò *Christophorus* regis Erici frater, per idem tempus è Suecia quò se, ut modò memoratum, extorris receperat, præfectum suum *Eskildum Crakium* ad Scanos divastandos emisit. qui occupato ex improviso Orkeliungæ castello, idem funditus destruxit. Rex id agi videns confestim satrapæ suo *Nicolao Olufssonio*, traditis copijs, imperat ut arces Lauholmiæ & Falckenbergæ *Christophoro* ademptas suam in potestatem redigat. Quod cum ille ageret, *Eskillo* tamen *Crakio*, qui ea loca, nomine Ducis, servabat, ceterisque præsidiarijs, quo liberet, abire concessum. Contraxitque eodem tempore Rex cum Mareschallo & consiliario suo *Ludovico ab Everstein*, qui & Scaniæ totius præfectus erat, ut vice millium octingentarum ac sexdecim marcarum Scaniensium pignori acciperet reditus omnes, qui è Scania ad regem redirent, unà cum arce Helsenburgensi, Lundâ ceterisque opidis eorumque telonijs ac jurisdictionibus; excepto, quod Lundæ & Scaniæ erat, monetæ jure: utque ijs uteretur ac frueretur, donec regi quod mutuum dedisset, ipsi esset restitutum. Hujus rei testes adfuere *Olaus* Roskildensis Episcopus, *Henricus* Megapolensis regis affinis, *Guido* archidiaconus Lundensis, regius Cancellarius, *Ingvarus Hiort*, *Iacobus Flepus*, & *Petrus Vendelbous*. Hic *Ludovicus* is creditur, cujus sepultura hodieque Viburgi visitur.

Occupato autem, ut memoravimus Stekeburgo funditusque everso, *Matthias Chetelmundus* regni Suetici gubernator, valido cum exercitu Scaniensium fines ingressus gravi eos bello affecit, quod eorum copiæ cum *Magno* Byrgeri filio in Sueciam, regis jussu, transgressæ Byrgero auxiliares adfuissent, cum is agrestium eam, de quâ supra memoratum, stragem ederet: Aderantque Chetelmundo, præter extorres, aliosque regis hostes, etiam Dux *Christophorus*, *Esgerus Iulius* Lundensium archiepiscopus, *Canutusque Pose*. Qui junctis cum Sueco viribus primo Falsterboam suæ potestatis fecerunt, inde obsidione Helsingburgo admota omnes circumquaque dioeceses funditus divastarunt. Rex quas in adversum copias miserat, eæ aut cæsæ aut fugatæ, & militum præterea trecenti in

Succiam captivi abducti: Sicque totam Schoningiam, exceptis octo territorijs, poſt- ERICUS VII.
quam aut prædationibus diripuiſſent, aut flammis fœdaſſent ipſi in Sueciam rediêre. Rex.
Captivos ſecum abduxêre ultra trecentos, in quibus nobiles Ordiniſque equeſtris viri per- A. C.
plures numerabantur.

Helſingburgi poſtremùm induciæ qualeſcunque pangi cæptæ, quæ Roſchildiæ exinde repetitæ firmatæque in hanc fere ſententiam: Primùm inter Daniæ regem Ericum & Sueciæ *Byrgerum*, Norvagiæque *Haquinum* ejuſque & Ducum *Erici* & *Valdemari* liberos, Sueciæque regnum triennij tempore pax æqua coleretur: Sueciæ verò regem ſi quid interea tentare in adverſum contingeret id ſupradicti principes, quantum in ipſis eſſet, inhiberent, nec eò ſua uſquequaque conferrent auxilia. Durantibuſque his inducijs *Byrgerus* cum liberis ſuis extra Sueciam ſubſiſteret, exceptâ Gotlandiâ, modò hoc ipſum volentibus indigenis fieret, quorum nutum atque aſſenſum explorare ei liberum eſſet. Filius ejus Dux *Magnus* intra cuſtodiam, prout hactenus fuit, teneretur, ità tamen ut nulla ei aut ulli corporis ejus parti vis aut injuria inferretur, excepto ſi quid Deus cœlitus immitteret: Qui rei eſſent cædis in Duces perpetratæ ante initium induciarum Sueciâ excederent: Captivi dimitterentur: *Chriſtophorus* Dux: *Eſgerus* Lundenſis archiepiſcopus ceterique è Dania profugi, qui liberis Ducum bello ſuperiori ſuppetias tuliſſent, ſi porro inferre bellum Daniæ regi aut Sueciæ ejuſque liberis pergant, eis neque Ducum liberi, neque Sueciæ regnum opem ſuam commodaret. Ac denique hæ aliæque ſuper hoc negotio controverſiæ permitterentur in univerſum arbitrio Epiſcopi Roſchildenſis *Olai*; Mareſchalli *Ludovici ab Everſtein*, *Laurentij Ionæ*, & *Inguari Hiort* à parte Danorum: Ducum & Suecorum nomine adeſſent *Carolus* epiſcopus Lincopienſis, *Canutus* Magni Forenſis apud Veſtrogothos præſes, *Boetius Nicolai* & *Ericus Tordſonius*. Hi octo ſub feſtum divi Iohannis Helſingburgum convenirent atque ibi quodcunque pronunciaretur id ratum eſſet. Si tamen eo tempore & loco, res in totum decidi nequiret, induciæ nihilominus ratæ manerent. Si quis interea ex medijs ac pacis arbitris vitâ excederet, ejus in locũ alius ſubſtitueretur, Scanienſes quod ſuperiori bello auxilia ſua Suecis commodaſſent, id illis vitio haud verteretur: Hoc pacti ratum ſartumq; fore promiſêre epiſcopus Roſchildenſis *Olaus*, Mareſchallus *Ludovicus*, Inguarus *Hiort*, Nicolaus *Holingerſſón*, Clemens *Herlugſſón*, Albertus *Albretſſón*, Hemmingus *Peterſſón*, Ericus *Iſſuerſſón*, Olaus *Eſgerſſón*, Eſchillus *Grys*, Tidemannus de *Ortzen*.

Præter jam dictos, ſeorſim quoque hoc ipſum, datis codicillis, promiſêre illuſtriſſimi principes dominus *Valdemarus* Brandeburgenſis, avunculus regis, *Ericus* Dux Iutiæ, conſanguineus, *Henricus* dominus Megapolenſis & Domicellus *Hennikius* Comes Holſatiæ; Hi enim omnes Roſchildiæ ipſo die S. Martini conventui iſti præſentes interfuêre. Literæ verò ipſorum ſignatæ Vordenburgi feriâ ſextâ proximâ poſt Martini.

Similes quoque codicillos ſuper ijſdem triennalibus inducijs, Roſchildiæ ipſo die divi Martini, ut dictum, pactis, evulgarunt *Olaus* archiepiſcopus Upſalienſis, *Carolus* Lincopienſis, *Benedictus* Scarenſis, *Styrbernus* Strangenenſis, & *Iſrael* Aroſienſis Dei gratia epiſcopi, Matthias *Kietelmundſſon* Dapifer & Capitaneus Sueciæ, Philippus *Oluffſſón*, Canutus *Ioenſſón*, Canutus *Magnuſſón*, legifer Veſtgothiæ, Boetius *Nickeſſón*, Ericus *Tonneſſón*, Canutus Porſius, Iohannes de Kyren, Torſchillus *Anderſſón*, Magnus *Nickeſſón*, Finuldus *Nickeſſón*, Haquinus *Inguorſſón* dictus Lume, Torſchillus *Clemenſſón* milites; Sigiſmundus *Kieldſſón*, Ionas *Tolſſſón*, Gotſlavus *Thurſſon*, Nicolaus Abram, Ulpho Aberni, Canutus *Folckeſſón*, Erengiſelus *Naſkenſſón* Mareſchallus. & Ragualdus Magnus, & Ulpho Philippi. Hę literę datę fuerunt Stocholmię anno memorato die Benedicti Abbatis.

Tum eodem tempore *Witzlaus* Rugiæ princeps, nec non *Henricus* Megapolenſis, fidem ſuam atque obſequium regi Erico adverſus quoſcunque, excepto *Witzlao*, Pomeraniæ Duce, prolixe atque identidem polliciti fuêre. Et Rex præterea ipſo die Calixti *Nicolao Olai* regni Mareſchallo poſtquam Vordingburgi expenſi acceptique rationes reddidiſſet, vice eorum, quæ ipſi debere regem deprehendebatur, Varnemundam, Stegeburgum & Glambecam pignori reliquit, promiſitque ſi obſideri ea caſtra à quoquam contingeret, dum eadem nomine regis tenet, ſe ſubſidio adfuturum. Hujus tranſactionis teſtes fuêre, præter Marchionem Brandeburgicum ac Ducem Megapolenſem, principes etiam alij Comiteſq;, & in his *Gerhardus* Renderſburgenſis, *Gerhardus* Comes Suerinenſis, *Henricus* Comes Holſatiæ. Inter equeſtris dignitatis viros nominatur *Inguarus Hiort*, *Iacobus Flep*, *Eſchillus Grip*, *Henricus* & *Iohannes* fratres, *Valkenhagen* dicti, milites Dani; *Conradus*

ERICUS VII. Rex. A. C.

de Cromon, Reinerus de Vedale, Godefredus Bulovius, Vlricus Bernekovius, Iohannes Rosendal, Reinerus de Plesse, alijque. E Livoniâ quoque perplures tum ex nobilitate ac meritis insignes, præfecturis ac bonis hæreditarijs sub fide clientelari ornavit. Quorum præter ceteros recensentur *Nicolaus & Tilleus a Dolen, Iohannes Wessenberg, Godeschalcus Preen, Hennichius Raliken,* Simon *Niclesson, Florkenus & Henricus Raliken, Godeschalcus de Capelle, N. Lydinchusen, Engelbertus & Valdemarus à Dolen,* Adecke *Hansson, Henricus de Arussel, Iohannes Godecken ab Ortzen, N. à Vorckele, N. de Hyldensen, de Resbytte, de Rachelle, Ruderus Brunsvicensis, de Sorsovir, Lambertus Dirckhan, Valdemarus Nicolus, Helmoldus Lode, Conradus Sage, Villichius Farnebeck, Gerbardus Hobenbeck, N. de Pekelle, Otho Rosen, Hermannus Orges, N. de Vake, de Assen, de Thamkis, Tilenus Kivelle, N. de Nattemuli, de Meckis, de Aluen, Otho Byschovid, Henricus Vithe, N. Rosenheim, Bertramus & Conradus Farenbeeck, Iohannes Orges, Henricus Witte, Iohannes Hane*, nobiles de *Risenby*, alijq;. Et ut parens ejus *Ericus, Glipping* dictus, primus inter reges post episcopos opidum Haffniensium privilegijs donavit, ità ipse omnium primus eidem opido præfectum constituit, qui regni telonia aliaque regiæ jurisdictionis curaret: Eisdem præterea Haffniensibus

MCCCXIX. datis anno, qui proxime superiorem secutus est, millesimo trecentesimo decimo nono Vordingburgi codicillis, immunitatem cujusdam vectigalis, quod tum erat imperatum, eâ lege attribuit ne sua mercimonia peregrinorum commiscerent. Meminimus supra *Esgerum* Lundensem archiepiscopum, relicta suâ dioecesi, in Sueciam concessisse. Qui quamprimum eo abijsset, Boringholmia, quæ ad ipsius quoque ditiones pertinebat, obsessa fuit à *Ludovico Alberti* Eversteinio seque haud multò post regi ac regno submisit, datis eâ de re ejusmodi literis:

» Omnibus præsens scriptum cernentibus, omnes & singuli terrã Borendeholm inhabitantes, salutem sempiternam in omnium servatore. Universis Christi fidelibus constare volumus præsentibus & futuris. Quod propter multimodas injurias & graves oppressiones, videlicet deprædationes & direptiones rerum & bonorum, nostrarum personarum captivitates, incarcerationes & tormentationes & quorundam propinquorum & amicorum nostrorum expulsiones à proprijs & exulationes, quorundamque mutilationes & mortes impias & crudeles ceterasque contumelias & persecutiones intolerabiles & injurias quibus per dominum Esgerum archiepiscopum Lundensem ejusque fautores videlicet homines de regno Daniæ legaliter & bannitos & propter ipsorum crimina enormia pace privatos & convictos ac ipsorum complices, quos multis vicibus in dictam terram Borendeholm numero non paucos, in nostram depauperationem & persecutionem scelerum adduxerunt, jam annis pluribus passi sumus & afflicti; Magnifici principis & illustris domini nostri Erici Dei gratia, Danorum Sclavorumque regis, cujus regni incolæ sumus, auxilium & consilium, urgente necessitate ultimâ, duximus humiliter implorandum; sperantes firmiter per ipsius adjutorium & potentiam à dictis tribulationibus, auxiliante altissimo, liberari, præsumentesque certissimè ac vehementissime formidantes ac verissimè cognoscentes, quod nisi hoc fecerimus, prædicta terra Borendeholm, cum castro & suis attinentijs universis à possessione dominij Lundensis Ecclesiæ irrevocabiliter alienaretur, hæreditas nostra ad extraneos verteretur, Nosque & nostri hæredes redigeremur in perpetuam servitutem. Convenientes igitur nos habitatores prædictæ terræ, omnes & singuli in unum, de omni nostrorum unanimi consilio ex consensu, nuncio dicti domini nostri regis ad manus ejusdem regis elevatis ad coelum manibus per fidem nostram promisimus & juravimus, quod dicto domino regi contra omnem hominem firmiter adhærebimus & fideliter serviemus, quoad usque eidem pro omnibus damnis & expensis, quæ & quas per se & suos, pro liberatione nostra & dictæ terræ ad Lundensis Ecclesiæ recuperationem incurrerit & fecerit; plenariè fuerit satisfactum. In cujus rei testimonium sigillum communitatis dictæ terræ & sigilla discretorum virorum dominorum Iohannis Kane militis, Thulonis Mus & Petri *Magnusson* militum præsentibus literis duximus apponenda. Datum Borendeholm, Anno domini MCCCXIX in VIII Ascensionis Domini.

Eodem temporis tractu per regnum universum vectigal promulgatum, quod ex unoquoque aratro semimarcam pendendam imperabat. Estque tum quoque Malmogiæ opidum, quod Ellebogium aliàs vocant, eo, quo nunc conspicitur loco, è solo ac fundamentis primo eductum conditumque, cum anteà initia quædam urbis alio loco fuissent inchoata. Revaliæ autem ubi regio decreto, quemadmodum in alijs dioecesibus literarius ludus erat apertus, diplomate edito cautum voluit ne scholis alijs liberos suos erudiendos cives traderent: Inhibitique idcirco ludi triviales ac secundarij mulctæque civibus constitutæ si regio

regio decreto minus parerent: Fuit sub anni hujus autumnum gravis admodum annonæ caritas adeòque Daniam universam pressit ut eam memoriæ posterorum mandandam chronologi existimarint. Hanc proxime excepit circa Idus Novemb. die beati Brixij episcopi & confessoris, Erici regis obitus, cum annos imperasset tres & triginta. Sepulturæ suæ locum Ringstadium elegit, donatis in eum usum loci istius cœnobio permultis reditibus ac vicis. Nec insuper etiam amicos habuit, interioris præsertim admissionis: Quorum alios auro argentoque ac nummis rarioribus, quosdam cyathis inauratis annulisque ornatos affecit. Fatalis quoque annus fuit Marchioni Brandeburgico *Valdemaro* Erici regis adversario, qui stirpis Anhaltinæ postremus exstitit. Apud Norvagos præterea defunctus rex *Haquinus*: cujus in locum surrogatus *Magnus*, ei ex filiâ *Ingeburga* nepos, Erici, quem in arce Nicopiensi enecatum inedia diximus, filius, cui & Sueciæ exinde sceptrum obtigit.

Ericus verò Rex sub vitæ finem proceres, qui extremis ejus intererant, commonuit ac seriò obtestatus est, caverent, defuncto se, fratrem suum *Christophorum* eligere, utpote quem sciret regno & ipsis inutilem futurum. Nullos post se liberos reliquit, cum tamen quatuordecim ex reginâ *Ingeburgâ* susceptorum utriusque sexus, pater fuisset: Quorum qui primâ fæturâ nati sunt, gemelli fuerunt *Ericus* & *Magnus*, *Esferomi* uterque funeratus infantium ultimus, anno MCCCXVIII prognatus, cum forte fortuna mater Abramsdorpio profectura puerulum secum in pilentum assumi jussisset, tum sedecim circiter hebdomadarum, è curru ac sinu quasi matris excussus, cervice confractâ exspiravit. Quâ sive incuriâ sive socordiâ rege quam gravissime offenso, Regina piaculari sibimet pænâ impositâ, Claræ cœnobium ingressa seculi rebus in totum valedicere in animum induxit. Tradunt episcopum *Olaum* ab eo proposito multis alloquijs conatum eam revocare, sed frustra fuisse, & ei inter cetera affirmasse reginam, sibi constare & regem & se vertentem eum annum supremum habituros.

Fuit Ericus confessione omnium inter reges, quos tum Dania aliquandiu habuerat, regum optimus ac pientissimus; & magis id magisque probavit frater ejus, qui proxime successit, *Christophorus*. Quo regnante, quanta incurrerit regnum detrimenta, postea referetur. Præcesserat maritum paucis ante diebus Regina *Ingeburga*, mortua die assumptionis beatæ Mariæ virginis, ut liquet ex utriusque epicedijs, quæ Ringstadij servantur. Quorum regis istud habetur:

EGO ERICUS QUONDAM DANIAE REX REGNANS ANN. XXXII RECTUS IUSTITIARIUS PAUPERUM ET DIVITUM UBI IUS HABUERUNT. ORO OMNES, QUIBUS ALIQUID * FOREFECI, UT MIHI PER SUAM GRATIAM INDULGEANT ET ORENT PRO ANIMA MEA. QUI OBII ANNO DOMINI MCCCXIX DIE BEATI BRIXII EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Reginæ illud est:

EGO INGEBURGA NATA DE SUECIA QUONDAM REGINA DANIAE. ROGO OMNES SI ALIQUID EIS * FOREFECI QUOD INVITE FECISSEM UT MIHI PER SUAM GRATIAM INDULGEANT ET SINT MEMORES ANIMAE MEAE. QUAE OBII ANNO DOMINI MCCCXIX DIE ASSUMPTIONIS BEATAE MARIAE VIRGINIS.

* *Inscriptiones Ringstadienses, quæ evulgatæ habentur, perperam hîc utrobique legunt*, forte feci. *Est autem* forefacio *sive* forisfacio, *testantibus Isidori Glossis*, offendo, noceo. *Et usus eadem voce, sensu quoque eodem, divus Bernardus epistola* cxc, *ubi legas*: Omnium unus ille peccata portavit, nec alter inveniatur, qui forefecit; alter qui satisfecit: quia caput & corpus unus est Christus. *Et hinc verbum* forfaire, *quo hodieque utuntur Galli.*

CHRISTOPHORUS II. Rex. A. C.

CHRISTOPHORUS ejus nominis II. REX LXXXVII.

AGEBAT adhuc apud Suecos, moriente *Erico* fratre, Dux *Christophorus*. At verò de obitu ejus certior redditus in Daniam quàm celerrimè ac magnis itineribus redijt, factus jam ex hoste amicus: Et humilitatem professus clientis, cœpit cum Episcopis ac Senatoribus regni totàque nobilitate quasi precariò agere, ut se regem crearent. Annitensque tam infimorum quàm summatum sibi favorem ac gratiam conciliare, immunitates ac privilegia offerebat passim omnibus ingentia. Agebat & idem apud regni primores uterinus ejus frater Vagriæ Comes *Iohannes*, commonens eos atque adhortans ut regium ipsi diadema imponerent, quod is nimirum solus superesset è regiâ Danorum prosapiâ, quodque se ità esset compositurus ut nullus dubitaret quin placere omnibus posset. Erant nihilominus perplures, qui eum ex consilio Erici regis præterire constituerant, ac Ducem Slesvicensium *Ericum* regem creare; quò ità Ducatus etiam ille ad regnum ex intervallo reduceretur. At alij quos inter *Ludovicus* ab Everstein, & *Lago* Mareschallus erant; itemque *Holgerus* Nicolai & *Petrus* Styggeus, insuperhabitis, quæ frater Ericus de eo non eligendo moribundus seriò præmonuisset; neglecto etiam, sua quod arma regno intulisset seque patriæ hostibus multoties conjunxisset, ei promovendo summopere studuerunt. Quibus & ille vicissim, si res effectum sortiretur, omnia summa pollicitus fuit.

MCCCXX. Cum deinde annus flueret supra millesimum trecentesimus ac vigesimus, die divo Paulo dicato, regni proceres unà cum nobilitate ac civitatū delegatis, Wiburgum convenêre: ibique dato in certos articulos sacramento, Dux Christophorus ad accipiendum regni sceptrum vocatus inauguratusque est, rejectâ in tempus aliud coronatione. Articuli, in quos sacramentum dixit, hi fere fuêre: ut ante omnia episcopi & quicunque Ecclesiæ deserviunt in bona & subditos suos jure ac libertatibus olim consuetis fruantur: ut ministeria ecclesiastica nulli deferantur, nisi Ecclesiæ præsulibus ac populo conscijs: utque clerus, quacunqne etiam de causâ, non nisi coram judice ecclesiastico citetur causamque agat; ne etiam ecclesijs admoveantur peregrini & gentis ac linguæ alienæ, ecclesiastici præterea nullis tributis ac regijs literis graventur; Nemo quempiam ecclesiæ exhibeat aut præficiat, nisi qui jus habet, quod patronatus vocatur: Apprehendere vel proscribere episcopum nulli fas sit, nisi mandante summo pontifice: idem quoque nec in clerum liceat, nisi ex decreto ecclesiastici judicis: Cœnobia ac monastici ad canes aut equos alendos non adigantur; archiepiscopo jus sit suis territorijs ac munitionibus prospicere; & de ijs constituere, prout ipsi è re videbitur. Equites ac nobiles exigere à subditis suis, ubicunque jure convicti fuerint, trium aut quatuor, secundum regni consuetudinem, marcarum mulctam liceat: Nec ijdem cogantur extra regnum militare: Si tamen id sive domi sive peregre ex decreto regis fiat, tenebitur rex captivos intra anni spatium liberare ac restituere ijsdem amissa, priusquam se iteratò militiæ accingant: nec tamen eorundem immunitatibus quidquam derogabitur, si ad militiam non processerint. Rex nullum bellum, nisi ex consensu & annuentibus regni prælatis ac senatoribus, suscipiat: Nullus exterus aut Germanus arces, propugnacula, præfecturas, aut territoria teneat, aut ullo modo in regni senatorem adsciscatur: Cuncta apud Cimbros boreales munimenta, exceptis Ripensi, Coldingensi ac Scanderburgensi arcibus, solo æquentur. Quicunque proscripti fuerint, ijs aut eorum hæredibus reditus permittatur: Quorum etiam bona injustè sunt confiscata, ea ipsis aut liberis ipsorum, si haberi possint, restituantur: Nullus è clero aut laicis, quod regi jam nuper defuncto fidus exstiterit, accusetur; sed potius si quis ob id molestiam experiatur, à rege præsente defendatur, excepto *Nicolao* Oluffsonio, olim regis dapifero, qui excedere regno est jussus. Dabit etiam pro viribus Rex operam ut tollantur ac sopiantur controversiæ omnes, quæ exoriri inter regni indigenas possent: Similiter & captivos & quicunque ob regem defunctum extorres sunt, liberare curabit omnemque movebit lapidem ut proximis comitijs dies ipsis prolongetur: Additum deinde de regijs præfectis deque vectigalibus: decretumque ut cives ab omni onere ac telonio liberi mercimonia sua exercere atque evehere potestatem haberent; nisi fortasse rex certis de causis & assentiente senatu aliter statueret: Rustici à regijs præfectis nec adigantur ad ea, quæ cum legibus ac regni consuetudinibus pugnent, nec etiam iniquis graventur tributis. Semel quotannis

quotannis regni comitia habeantur Neoburgi. Cuncti ſtent legibus regis *Valdemari*: quibus quod deeſt, ſupplebitur à regni proceribus. Nemo ad regis tribunal aut regia comitia vocetur, niſi prius cauſa fuerit cognita in foro cujuſque privato aut ditionis totius. Neci nullus adjudicetur, aut bonis damnetur, niſi publicè ac legitimè accuſatus convictuſque. Neminem rex vel ſuſpectet vel odio habeat, qui de legibus regni ac provinciarum verba fecerit. Onera autem nova, ut aratri nummus aliaque poſt obitum *Valdemari II* introducta, abrogarentur: De conventibus etiam judicialibus ità ſtatutum, ut primò ad tribunalia cujuſque diœceſeos, deinde ſi ulteriore dijudicatione opus eſſet, ad forum provinciæ, hinc ad regis dicaſterium atque ultimò ad regni comitia cauſæ deferrentur, eà tamen lege, ut extra ſuum ſolum nemo citetur. Nomen, quod Rex ſuperior fecit, præſens Rex indigenis præſtaret: Quod pignoris loco eſſet traditum, ſervaretur, donec æs totum expunctum foret, exceptis ijs locis ac munimentis, quæ ſolo æquarentur: Nullæ rogarentur leges novæ, niſi ex conſenſu omnium regni ordinum, idque in publicis comitijs, quæ proxime haberentur, in quibus etiam de hiſce jam latis articulis ſtatui poſſet, & eos regi fas eſſet augere, mutare, imminuere, prout è re ſtatus ac regni videretur. Subſcripſit hiſce codicillis Dux *Chriſtophorus*, atteſtantibus ac ſigillis ſuis literas ipſas munientibus *Petro* Viborgenſi, *Nicolao* Borglumenſi, *Eſchillo* Arhuſienſi, *Ionâ* Ripenſi, *Nicolao* Torpatenſi Epiſcopis, unà cum *Ludovico* ab Everſtein & *Lagone* Mareſchallo, *Petro* Mullenio de Beg, *Nicolao* Hæo, *Laurentio* Ionæ, *Petro* Nicolao de Hellerud, *Nicolao* Holgeri in Hyllerod, *Nicolao* Schoningio, *Alberto* Alberſonio, *Iohanne* Oluffſonio, *Axillo* Ianſonio equitibus auratis.

Hæ leges cum moderationem quandam præferre viderentur & indigenis non tantum, ſed & proſcriptis ab *Erico* rege plauſibiles eſſent ac gratæ, videbatur jam regnum earum beneficio ad ſtatum nonnihil tranquilliorem poſtliminio traductum. Arceſque de quibus dictum, continuò exinde ſolo æquatæ. Archiepiſcopus autem *Eſchillus* (*Eſgerum* ſupra nominavimus) intellecto Erici regis exceſſu quamprimum è Sueciâ Romam conceſſit, dolens conquerenſque apud Romanum pontificem ſe diœceſi ſuâ per vim exactum extorrem agere, ſibi ac Lundenſi epiſcopatui ademptam Boringholmiæ inſulam, petere idcircò à ſummo pontifice ut cauſam ſuam ſuſcipiat.

Mox altero paſchatis die electus Rex *Chriſtophorus*, dato chirographo, promiſit *Hermanni* à Gliken hæredibus nec non *Ludovicò* ab Everſtein, quondam regni Mareſchallo ejuſque fratri, ſe ipſis ſatisfacturum, quod ad nomen *Erici* regis, fratris ſui, relictâ interea ipſis, pignoris loco, univerſâ Blekingiâ. Hiſce in codicillis *Ludovicum* jam dictum conſanguineum ſuum nominat. Ac ſimul eundem cum ſubditis ejus ſibi defendendum aſſumit, conceſſis inſuper, præter alia nonnulla, quadraginta marcarum cauſis; atque ita pignus, quod, ut ſupra in rebus *Erici* memoratum, totam comprehenderat Scaniam, ad ſolam Blekingiam reductum. Eundemque in modum haud multò poſt præter *Ludovicum ab Everſtein*, *Laurentium* inſuper *Ionæ* ſatrapam, *Andream Petri* Scaniæ præfectum, *Albertum Albertſonium* equitem, *Andream Petri* & *Petrum Petri* fratres & milites ob fidem aliaſque virtutes ac merita ipſorum ſibi ſingulariter commendatos tutandoſque ſuſcepit, nec ipſis tantum, ſed & cognatis & amicis ipſorum eandem gratiam pollicitus, eos ſibi perpetuo charos acceptoſque futuros oſtendit.

Memoratum ſuperius ad annum MCCCXVIII, inter cetera, Roſkildiæ cum Sueonum delegatis ità conveniſſe *Ericum* Daniæ regem, ut filio *Byrgeri Magno*, qui ex arce Stekenburgenſi Stocholmiam captivus fuerat abductus, nulla vel corporis aut vitæ vis injuriave, dum in cuſtodiâ manet, inferretur; At eâ pactione inſuperhabitâ, idem hoc anno à Sueonibus damnatus ob ſcelera, ut habet Iohannes *Gothus*, paterna ſupplicium capitis ſubijt. quamvis Olaus Petri, eorundem Suecorum hiſtoricus, cum judicio & ad normam Chriſtianæ pietatis hac de re verba faciens ei factam injuriam exiſtimet, nec debuiſſe *Byrgeri* patris commiſſa impingi filio, præſertim cum aliud, quod ei objiceretur, non haberent. Et ipſum *Magnum*, ſupplicio ac morti jam proximum, excuſaſſe ſe ac ſeriò affirmaſſe memorant haud conſcium ſe conſilij paterni fuiſſe de necando utroque patruo ſuo *Erico* ac *Valdemaro* Ducibus, de quibus ſuperius relatum eſt.

Ejus rei nuncius ubi ad *Byrgerum*, qui ut ante meminimus, in inſulam Gotlandiæ ſe receperat, eſſet delatus, confeſtim & ipſe ejuſque regina *Margareta*, datis vento velis, in Daniam abière, depoſitâ jam omni ſpe in Sueciam poſtliminio redeundi. Rex Chriſtophorus, cui ſoror erat *Margareta* regina, ne officio conſanguinitatis deeſſe videretur, præfecturam Holbekenſem (*Spicaborch* caſtellum Gothus vocat) ipſis permiſit, non tamen eo affectu

& charitate,

CHRISTOPHORUS II. Rex. A. C.

& charitate,quâ frater ipsius laudatæ memoriæ Rex *Ericus*, qui eorum nomine nihil non egerat. Sueones deinde *Magnum* Erici,quem in turri Nicopensi enectum diximus,filium regem creant,cum eidem Norvagi,defuncto jam ante *Haquino* avo, diadema detulissent, ut modò relatum. Atque ita tum temporis Norvagiæ Sueciæque regna conjuncta sunt. Notandus hîc obiter *Crantzij* error, qui duos *Magnos* Norvagiæ & Sueciæ reges sibi invicem succedentes facit, cum id non modò genealogiarum series, sed historia etiam Sueonum refellat, quæ unum tantum,post Ladelaum, *Magnum Smegi* cognomine agnoscit.

Apud Holsatos hoc tempore varij Comites rerum potiebantur. Nam Vagria Comitem agnoscebat *Iohannem*,Christophori regis fratrem uterinum: Holsatiæ præerant *Gerhardus*, & frater ejus germanus *Iohannes*: Stormariam tenebat *Gerhardi quarti* filius, *Iohannes* etiam nomine. Quorum *Gerhardus* hoc circiter tempore Dithmarsos, qui se Holsatiæ populabundos infuderant circa Bornevedam conquiescentes; insigni illatâ clade,oppressit,cæsis ex ijs aut submersis ultra quingentos. Silesiæ verò Dux *Henricus*, dato Christophoro regi fidei sacramento,se ei obstrinxit, pollicitusque est paratum se fore quandocunque res posceret, ad facienda regi regnoque stipendia. Similiter & Fimbriæ insulani,factis eâ de re codicillis, Daniæ ac Slavorum regi Christophoro ejusque hæredibus fidem atque obsequium suum detulerunt, quemadmodum & ipsi majoresque ipsorum prædecessoribus ipsius jam olim fecissent.

MCCCXXI. Anno,qui superiorem excepit,millesimo trecentesimo vigesimo primo, habitus prope Milburgum & Oliugam conflictus inter Imperatorem *Ludovicum* Bavarum & Austriæ Ducem *Fredericum*,quem oppositum *Ludovico* indicavimus. Sed eo in prælio cum caperetur *Fredericus*, imperium soli *Ludovico* permissum est. Archiepiscopus *Esgerus* Româ per idem tempus redijt,comitante eum Papæ Iohannis XXIII legato, *Bernardo* de monte Valramo,archidiacono Sicaloniæ, ejusdemque pontificis in ecclesiâ Bituricensi Cappellano. Is literas Apostolicæ sedis regi exhibuit,quibus seriò eum commonebat pontifex ut in locum veterem archiepiscopum reponeret,ac redderet eidem Boringholmiæ insulam. Eâque occasione indictus extemplo Roschildiæ conventus fuit, quintâ post festum Bartholomæi feriâ: in quo,præter cetera, amice inter regem & archiepiscopum convenit, ut
,, docent infra scriptæ literæ:
,, Universis præsentes literas inspecturis vel audituris, Christophorus Dei gratiâ Danorum
,, Sclavorumque Rex salutem in Domino sempiternam: Ex quo sanctissimus in Christo
,, pater dominus noster,dominus Iohannes divina prudentia,sanctæ Romanæ ac universalis
,, Ecclesiæ summus pontifex, Reverendum dominum magistrum Bernardum de monte
,, Valramo,Archidiaconum Sicaloniæ,in ecclesiâ Bituricensi Capellanum suum,ad regnum
,, nostrum duxit destinandum cum quodam rescripto Apostolico, quod venerabilis pater
,, dominus Esgerus, miseratione divina Lundensis archiepiscopus, Sueciæ primas, contra
,, nos super quibusdam restitutionibus sibi faciendis in Romanâ curiâ impetravit. Tandem
,, post aliquot tractatus placuit nobis & ipsi domino archiepiscopo Lundensi, de consensu
,, ipsius, nuntij domini Papæ mediantibus omnibus prælatis & alijs potioribus consiliarijs
,, regni Daniæ, sublato omni strepitu judiciali de plano per amicam compositionem ad in-
,, vicem, in modum, qui sequitur, concordare, videlicet quod prædictus Archiepiscopus
,, Sueciæ primas, Ecclesiam suam Lundensem habere & tenere liberè debeat, cum perti-
,, nentijs suis, *Hervidstadherrit* in Scaniâ & *Rodneherrid* in Borringholm, nec non & castrum
,, Hammerense cum terrâ ibidem, eo salvo & excepto,quod dominus Ludovicus Marschal-
,, cus noster debeat recompensationem expensarum & sumptuum de dicto domino archie-
,, piscopo Esgero & ecclesiâ suâ Lundensi, quos fecerat in acquirendo & conservando illud
,, castrum & terram in Borringholm rehabere,cum suâ totali indemnitate. Ita quod omnes
,, qui levaverunt & receperunt fructus & pensiones de bonis Archiepiscopatus Lundensis,
,, de mandato domini Erici quondam regis Danorum,fratris nostri claræ memoriæ & ero-
,, gaverant vel solverant, eosdem ad mandatum ejusdem de quibus poterit constare per a-
,, pertas literas quitationis dicti domini regis fratris nostri, vel alia legitima documenta de-
,, bent esse liberi quitti & penitus excusati. Quicquid autem de dictis reditibus & fructi-
,, bus sic perceptis remanet insolutum hæc archiepiscopus Esgerus suo jure percipere de-
,, beat & super hoc suos convenire debitores. Item quod idem archiepiscopus Esgerus de-
,, beat esse quitus & penitus absolutus pro summâ 5000 marcarum puri argenti, quas idem
,, archiepiscopus Esgerus olim promisit in Helsenborg solvere charissimo fratri nostro
,, domino Erico quondam regi Danorum, & omnes qui se fidejussores constituerunt pro
dicto

CHRISTOPHORUS II. Rex. A. C.

literæ obligationis ſuper hoc confectæ eidem domino archiepiſcopo Eſgero debent reſtitui & deinceps haberi pro infectis. Item quod idem dominus archiepiſcopus & Eccleſia Lundenſis gaudere debeant omnibus libertatibus, quas idem dominus archiepiſcopus & Eccleſia Lundenſis liberius habuerant ab antiquo. Item quod omnes tam clerici quam laici, qui aſtiterunt & adhæſerunt nobis & fratri noſtro chariſſimo domino Erico quondam regi Danorum, progenitoribus noſtris regibus Danorum & hominibus noſtris & eorum fautoribus in cauſis contra eundem dominum Eſgerum archiepiſcopum & ſuos prædeceſſores uſque ad hæc tempora motis veram & firmam amicitiam ab ipſo domino Archiepiſcopo habere debent ſine omni fictione, & quod omnes tam clerici quàm laici, qui adſtiterunt eidem Archiepiſcopo in cauſis eiſdem ſimiliter habere debent amicitiam veram, firmam & bonam à nobis & liberis noſtris ſine omni fictione. Item quod omnes cauſæ, diſcordiæ, controverſiæ, rancores & inimicitiæ, quæ unquam in hunc diem ortæ vel motæ fuerunt, vel moveri potuerunt, inter nos reges Danorum & coronam regni Daciæ, omneſque nobis adhærentes ſive clericos ſive laicos & eorum fautores ex unâ parte & dominum Eſgerum, Eccleſiam ſuam Lundenſem prædeceſſores ſuos amicos, conſanguineos, familiares & quoſcunque ſibi & Eccleſiæ adhærentes, ſive clericos ſive laicos & eorum fautores ex alterâ debent eſſe ſopitæ, finitæ & perpetuo terminatæ, eo ſemper ſalvo & excepto, quod debita ſua, ut præmittitur, liberè exigere valeat, ex quo omnibus quæſtionibus & controverſijs nos, liberos noſtros, fratrem noſtrum, progenitores & ſucceſſores noſtros & coronam regni Daciæ ac homines noſtros tam clericos, quam laicos, eorumque fautores, liberos, quitos demiſit & penitus excuſatos. Ad hæc autem omnia & ſingula perpetuo & inviolabiliter conſervanda nos tenore præſentis firmiter obligamus, renunciantes in præmiſſis omnibus & eorum quolibet, omni exceptione doli mali, rei ſic non geſtæ, actioni in factum ac omni juris auxilio, canonici & civilis per quod in contrarium prædictorum aut alicujus eorundem, fraude vel ingenio poſſit aliqualiter deveniri. In cujus rei teſtimonium & evidentiam pleniorem, ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Nos quoque magiſter Bernhardus de monte Valramo, archidiaconus Sicaloniæ in Eccleſiâ Bituricenſi, domini Papæ capellanus & ſedis Apoſtolicæ nuncius ad regnum Daciæ pro negocijs Lundenſis Eccleſię ſpecialiter deſtinatus, Petrus Viburgenſis, Nicolaus Burglavenſis, Petrus Othonienſis, Iohannes Sleſwicenſis, Eſgerus Arhuſienſis & Iohannes Ripenſis Dei gratiâ epiſcopi regni Dacię, prędictis omnibus prę́ſentes interfuimus, & ea utpote mediatores pacis & concordiæ inter partes ipſas unà cum pluribus alijs ordinavimus, ſigilla noſtra unà cum ſigillis prædicti domini Regis, præſentibus literis duximus apponenda, in teſtimonium & evidentiam pleniorem. Actum & datum Roſchild Anno domini MCCCXXI, IV feriâ poſt feſtum beati Bartholomæi Apoſtoli.

Obijt eodem anno *Byrgerus*, Sueciæ quondam Rex, ſepulturâ honeſtatus Ringſtadij juxta mauſoleum affinis ſui *Erici* regis; cujus res ſuperius fuerunt memoratæ. Conjunx ejus ac regina *Margareta* pluribus exinde annis ſupervixit, mortua demum anno MCCCXLI, VI Id. Martij, eodem, quo maritus, loci funerata. Eſſe verò uterque exemplo ac documento principibus omnibuſque in excelſo collocatis debet, ut commiſſum ſibi à ſummo numine imperium prudenter moderentur, quod id, exorbitantibus ipſis aut nimiâ ſubinde fortunâ ebrijs, quam facillime mutari, ac vertere vultum, quæ blandita fuerat, fortuna ſoleat. Fatalis quoque annus *Olao* Roſchildenſium Epiſcopo fuit. Cui exinde ſurrogatus atque anno ſtatim ſequenti à Romano pontifice eſt confirmatus *Iohannes* Hindius. Circa verò Pentecoſten ejuſdem anni comitia Wordingburgi habita, & ſimul coronatio celebrata Chriſtophori jam ante electi Regis. Ipſe autem quod ætate non tantum eſſet provectâ, ſed & valetudine haud ſatis firmâ uteretur, egit atque obtinuit apud regni proceres ut filium ſuum *Ericum*, quem militiæ laborumque ſocium ſibi aſſumpſerat, regem electum declararent. Atque ita ab *Eſgero Iulio* archiepiſcopo Lundenſium regio uterque diademate inſignitus eſt. MCCCXXII.

In Daniam eodem circiter tempore advenerat cum inſigni aliorum etiam Germaniæ principum comitatu *Bertholdus* Comes Henneburgenſis. Iuterque ceteros ducebat ſecum *Ludovicum* Marchionem Brandeburgicum, Imperatoris *Ludovici* Bavari filium, puerum tum circiter duodecennem; ut ipſi nimirum præſenti præſens deſponderetur Chriſtophori regis filia *Margareta*. Quod & continuè effectui datum, magnâ adhibitâ ſolennitate. Intererat ijſdem ſponſalitijs *Henricus* etiam Megapolenſis &, ut Crantzius memorat, petebat tum ab eodem Rex ut indicato pretio ſibi divenderet territorium quoddam, cujus

LUDOVICUS BAVARUS IMP.

cujus nomen à Crantzio non exprimitur, ad Vandaliæ quidem fines spectans, sed in Marchiâ situm & ipsius proprium. Megapolensis cum id negare regi formidaret, haud ignarus quid in suo rex posset, diei deliberationem poposcit. Sed ille navi exinde conscensâ, in Germaniam abijt. atque eo mox reverso, quem diximus, *Bertholdo* Hennebergensi, Cæsareo legato, *Henricus* ejusdem interventu ditionem memoratam, acceptâ pecuniâ, Marchioni tradidit. Eodem propemodum temporis tractu Wordingborgi accepit à rege Christophoro Dux *Witzlaus* clientelarem Rugiæ præfecturam, vexilli Ducalis in morem &, ut literæ ipsius Ducis loquuntur, facto ex jure feudali regi homagio. Ita enim habent:

> Omnibus Christi fidelibus præsentes literas inspecturis, Witzlaus Dei gratiâ princeps Rugianorum salutem in Domino sempiternam. Notum facimus universis, præsentibus & futuris, quod nos omnia bona nostra & singula, quæ habemus, videlicet terram Rugiæ, terram Grimmis, terram Sundis, terram Bart, terram Trebezes & terram Loisitz cum omnibus civitatibus, munitionibus, hominibus, ceterisque pertinentijs infra terminos earum terrarum contentis, à magnificis principibus, videlicet domino nostro Christophoro Danorum Sclavorumque rege illustri, & filio suo domicello Erico, quibus de dictis terris homagium fecimus jure feudali, quod *Fanelæn* nuncupatur, recepimus & tenemus, nec alium dominum temporalem præter ipsos recognoscimus, de dictis bonis nos habere. Ad quod similiter faciendum, hæredes nostros, si ipsas terras & bona tenere voluerint, recognoscimus obligari, Promittentes bonâ fide, quod eisdem domino nostro Christophoro regi Danorum & filio suo domicello Erico, in omnibus causis suis, contra quemlibet, tanquam fidelis Vasallus, domino suo naturali adstare firmiter & pro viribus nostris fideliter servire debeamus, ipsorum amicos & inimicos nostros reputantes. In cujus facti testimonium & evidentiam pleniorem, sigillum nostrum, unà cum sigillis nobilium dominorum, Wartzlai domini Slaviæ, Cassubiæ & Pomeraniæ, Iohannis domini de Venden & & domicelli Hennekini Comitis Holsatiæ præsentibus est appensum. Scriptum & datum Vordinborg Anno domini MCCCXXII, feria V ante festum Pentecostes.

Hinc die dominicâ ante festum Margaretæ in opido Stegensi convenit inter regem & *Gerhardum* Rendersburgensem Comitem in hunc fere modum, ut nimirum Comes *Gerhardus*, quotiescunque à rege vocaretur, ei triginta armatis ultra Eidoram & mare, quod falsum appellant, præsto adesset: Ejusdem Comitis munitiones, opida & loca omnia regi paterent, ut in ijs hostem persequi & à finibus suis defendere, ubi opus esset, posset. Ab alterâ verò parte maris in solo Germaniæ omnibus ei viribus auxilio accurreret, ubi & quandocunque & adversus quoscunque ipse aut ejus hæredes citarentur; excepto si bellum gereretur adversus *Henricum* Megapolensem & Comitem Holsatiæ *Iohannem* eorumque fœderatos: si tamen contingeret, Megapolensem aut Holsatum se regi aut liberis ejus hostes declarare, tum eis suppetias haud ferret. Excipiebatur etiam *Adolphus* Comes Scouenburgensis, ne scilicet *Gerhardus* Comes modò dictus infra triennij tempus ulla ei adversus regem aut ejus liberos auxilia commodaret; at elapso eo tempore teneretur juvare regem adversus eundem *Adolphum* Schouenburgensem, quemadmodum adversus quoscunque alios. Triginta verò illi armati à rege, ubicunque liberet, conscriberentur. Si quos, dum regi merent, equos desiderare eos contingeret, eos rex intra anni dimidij spacium eisdem restitueret: Si qui ex militibus ab hoste caperentur, eos Rex, solutâ redemptione, liberaret: Si quas etiam Comes literas obligatorias à fratre regis *Erico* piæ memoriæ penes se haberet, quibus se Comitis debitorem declararet, eæ nullæ & evanidæ essent. Rex vicissim omni ope auxilioque ubicunque id jus & æquum postularet, Comiti adfuturum eumque se defensurum promisit. Cum rege subscripserunt *Laurentius* Ionæ regni Mareschalcus & *Iohannes* Nicolai *Caasius*. Acta ea Stegæ in insulâ Monâ, die ut supra notatum.

Post hæc idem *Gerhardus* ejusque frater *Iohannes* Holsatiæ ac Stormariæ Comites, associati Saxoniæ Duce *Iohanne* & *Henrico* Megapolensi alijsque principum ac nobilium Germaniæ in Dithmarsos duxêre: superatisque varijs viarum difficultatibus vadosisque locis ad paludem postremò Nordstrandæ, provinciæ totius meditullium, Crantzius *cor Dithmarsiæ* vocat, delati sunt: Hic primum in unum collecti Dithmarsi, arma atque aciem objecêre venientibus: ac semel iterumque fusi, postquam mille septingentos ex suis desiderassent, fugere in Ecclesiam *Olderwolden* dictam & se ibi tumultuariè communire cœperunt. Quo Holsatus animadverso, cum ignem tectis pararet injicere, imperata se facturos polliciti

CHRISTOPHORUS II. Rex. A. C.

polliciti sunt. Sed *Gerhardus* versutiam gentis veritus, nec fidem dictis habens jussit propius ignem admoveri: ac mox ubi per stillicidia plumbeum tectum liquesceret, metusque vires atque animum desperatis adderet, turmatim progressi invasêre obsidentes: Quibus & alij aliunde è latibulis prorepentes, dum suppetias obsessis accurrunt ac hostem animosè impugnant, cunctos ad internecionem deleverunt. Solus *Gerhardus* Comes & *Henricus* Megapolensium dynasta, qui ex more militiæ post principia agmen extremum ducebant, salvi domum rediêre. cetera omnis nobilitas, magna virorum principum multitudo, cum copijs propemodum universis intercidit: Qui exactius factæ stragis calculum posuêre ex principibus duodecim, ceteros haud infra duo millia numerant. Incidit Holsatorum ea clades in ipsas Iulij calendas anni jam ante nominati. Quo adhuc fluente, apud Danos *Petrus* Wetherius eques & *Absolon* Nicolai, claris natalibus ac gloriâ meritorum illustres, diem obierunt. Refert ad hæc tempora & res Christophori Crantzius obsidionem Stralesundensium, sed eam sub *Erico* factam & eò referendam ex anno MCCCXVI superius notato patere existimo.

Statim exinde, qui alter fuit ab anno superiore, iteratò Comitia habita: Eaque Nicopiæ, quod Falstriæ opidum est, præsentibus Christophoro ejusque filio *Erico* nec non archiepiscopo *Esgero* ceterisque præsulibus celebrata. MCCCXXIII. In ijs præter alia, *Henricus* Megapolensium Stargardiæque dominus, facto regi ejusque hæredibus obsequij ac fidelitatis juramento, in feudum ab eodem accepit Rostochium &, quæ eò spectabant, munitiones territoriaque universa. Eâ de re, quas regi *Henricus* suâ principumque ac Ducum multorumque nobilium subscriptione ac sigillis obsignatas tabulas antigraphi vicem dedit, ejusmodi fuêre:

„ Omnibus præsens scriptum cernentibus, Henricus Dei gratia, Magnopolensis & Stargardiæ dominus salutem in domino sempiternam. Notum facimus universis, præsentibus & futuris, quod inter magnificos principes, dominos nostros charissimos, dominos Christophorum & Ericum ejusdem Christophori filium, Dei gratia, Danorum Slavorumque reges illustres ex unâ parte, & nos ex alterâ in modum qui sequitur extitit placitatum, videlicet quod ipsis dominis nostris regibus, Christophoro & Erico filio suo, de terris & domino *Rostock*, *Gnóyen* & *Suan* cum omnibus civitatibus castris & munitionibus, oppidis & villis & omnibus earum adjacentijs, nobis & hæredibus nostris veris, per ipsos nobis per literas suas apertas commissis & concessis, homagium fidelitatis fecimus & facimus in his scriptis, verâ fide pronunciantes quod post mortem nostram, omnes nostri hæredes veri & successores, qui nobis in dicto domino, mediatè vel immediatè, successivè in perpetuum successerint ipsis dominis nostris regibus Christophoro & Erico filio suo, & omnibus ipsis in regno Daciæ mediatè & immediatè, successivè & in perpetuum succedere valentibus, homagium fidelitatis similiter præstare debeant & fideliter observare. Promittimus insuper bona fide, nos ad hoc firmiter obligantes, quod nos & hæredes nostri, qui nobis in dicto dominio, ut præmittitur, succedant, homines ipsorum dominorum nostrorum Christophori & Erici filij sui, & quorumcunque ipsis in regno Daniæ & in perpetuum succedentium & regnum Daciæ gubernantium; Nec non coronæ & regno Daciæ fideliter, constanter & perpetuis debeamus & debeant temporibus adhærere. Ceterum verâ fide promittimus nos & ad hoc firmiter obligantes, quod nos hæredes nostri & successores omnes, nobis in dicto dominio successivè in perpetuum succedentes, prædictis dominis nostris, Christophoro & filio suo Erico Regibus & omnibus ipsis in regno Daciæ successivè in perpetuum succedentibus & regnum Daciæ gubernantibus cum 50 hominibus dextrarijs & armatis, sufficienter expeditis, ex parte maris videlicet in Daciâ, Sueciâ, Norvegia, ubicunq;, quandocunq;, quotiescunque, & tempore quo ipsi domini nostri Reges prædicti, Christophorus & Ericus filius suus & omnes ipsis in regno Daciæ successivè in perpetuum succedentes, dicta servitia habere voluerint contra quoscunq;. Ex aliâ verò parte maris videlicet in Alemanniâ, cum omnibus hominibus nostris, castris, civitatibus, munitionibus, singulis & omnibus viribus nostris, ubicunque, quandocunque & quotiescunque ipsi dicta servitia habere voluerint, ut præmittitur, contra omnes viventes servire debeamus fideliter ac paratè, in expensis, acquisitione seu lucro, ac deperditione eorundem dominorum nostrorum regum, & eorum in regno Daciæ successorum, exceptis dominis D. Henrico episcopo Havelburg: Gerhardo Comite Holsatiæ, Henrico & Gunzelino Suerinensium Comitibus, itâ tamen quod si ipsi vel aliquis illorum, dictis dominis nostris vel eorum successoribus injuriari voluerint,

„ ipſum ſeu ipſos contra præfatos dominos noſtros Reges & eorum ſucceſſores, in nullo juvare, ſeu ipſis juvamen præſtare debeamus. Præterea cum ipſi domini noſtri Reges prædicti vel aliquis ipſis in regno Daciæ ſuccedens, dicta ſervitia, videlicet in Daciâ, Sueciâ & Norvegiâ habere voluerint, nobis & hæredibus noſtris & ſucceſſoribus ad ſex ſeptimanas antea de dicto ſervitio indicare debeant & intimare & infra ipſas ſex ſeptimanas ab intimatione nobis & hæredibus noſtris factâ, dicti quinquaginta homines in Wernemunde, dextrarijs & armatis bene expediti eſſe debeant, & parati quibus domini noſtri Reges & ipſis in regno Daciæ ſuccedentes, naves in Daciam & expenſas à Wernemunde & ultra de Alemaniâ in Daciam, & per totum ſervitium uſque in Alemanniam cum navibus procurabunt; ſervitia etiam ad quæ ipſis dominis noſtris Regibus & eorum ſucceſſoribus in Alemannia ut præmiſſum eſt, ſumus obligati, etiam infra ſex ſeptimanas ab intimatione, nobis & hæredibus noſtris facta, promta eſſe debeant & parata, prout ſuperius eſt expreſſum, ipſi verò reges & eorum in regno Daciæ ſucceſſores nobis & hæredibus noſtris, parvos equos, quos nos vel homines noſtri in ſervitio ipſorum & quacunque parte maris amiſerimus, in eadem reyſâ perſolvent. Dextrarios verò, quos in dicto ſervitio amiſerimus infra dimidium annum, de quibus ſufficientem poterimus reddere rationem, perſolvere teneantur. Si autem aliqui de hominibus noſtris in ſervitio prædictorum capti fuerint ipſos domini noſtri Reges & eorum in regno Daciæ ſucceſſores, infra dimidium annum, poſt captivitatem ab ipſorum captivitate redimere teneantur, prout etiam homines ſuos de Jure redimere tenentur. Domini verò prædicti noſtri Chriſtophorus & Ericus & eorum in regno Daciæ ſucceſſores, nos & hæredes noſtros in licitis, juſtis & honeſtis cauſis defendant & pro nobis placabunt prout domini homines ſuos de jure defendere tenentur.

„ Inſuper ſæpedictos dominos noſtros reges Danorum homines & hæredes ipſorum pro omnibus & ſingulis debitis, in quibus dominus Ericus quondam rex Danorum frater prædicti regis Chriſtophori & homines ipſius regis Erici; nunc homines dictorum dominorum noſtrorum Chriſtophori & Erici, nobis tenebantur obligati, pro quibus etiam ſingulis debitis dicti homines prædictorum dominorum Erici quondam regis & Chriſtophori nunc regnantis, hominibus noſtris ad manus noſtras promiſerant, nec non pro omnibus damnis & intereſſe, quæ ratione prædictorum debitorum contraximus ac pro omnibus obligationibus, promiſſionibus, fidejuſſionibus, quas nobis ijdem domini Ericus olim rex & Chriſtophorus nunc Rex per ſe vel per alios ſuo nomine fecerant, quitos dimittimus & penitus excuſatos: ſuper alijs verò debitis, pro quibus nos ex parte domini Erici quondam regis Danorum aut regijs promiſeramus ipſos dominos noſtros Chriſtophorum & Ericum, nunc reges & eorum ſucceſſores, nos & hæredes noſtri monere nullatenus debeamus, renunciamus inſuper omnibus literis novis & antiquis nobis ante hunc diem per dictos dominos Ericum quondam regem Daciæ & Chriſtophorum nunc regnantem, ſuper quibuſcunque datis: Et ſi ex nunc alicubi inventæ fuerint, caſſæ eſſe debeant & nullius vigoris, firmitudinis & momenti. Per iſtas etiam placitationes omnes homines dominorum noſtrorum regum prædictorum, & noſtri ex utraque parte ſuſpecti omninò ſint reconciliati & ab omni ſuſpicionis notâ pro omnibus cauſis inter nos hactenus motis & habitis liberi penitus & excepti. Pro præmiſſis omnibus & ſingulis firmiter & inviolabiliter obſervandis, nos & unà nobiſcum illuſtres principes domini Rudolphus & Wenſeſlaus Duces Saxoniæ, Henricus & Gunſelinus Suerinenſium Comites, Adolphus Comes Holſatiæ & in Schouenborg; Nec non Iohannes Roſendal de Pleſſe, Wipertus Lutzove, Wedekindus de Plate, Martinus de Lynda, Albertus de Eleptz, Georgius Haſenkop, Matthias Naſkove, Gotſchalcus & Bertholdus Preen, Henricus de Bluncken, Otho Valchenberg, Nicolaus de Petachle, Iohannes de Helſted & Henricus de Pleſſe milites, Henricus de Molzan & Henniche Moltike armigeri, promiſimus & promittimus fide datâ quorũ omnium ſigilla una cum ſigillo noſtro præſentibus in teſtimonium ſunt appenſa. Actum & datum *Nykiöbing* in Falſtriâ, Anno Domini MCCCXXIII Sabbato Trinitatis.

Eodem hoc tempore Rex Chriſtophorus *Canutum* Porſium ex nobilitate Hallandicâ virum illuſtrem, ob vetera, ut putabatur, ejus erga ſe merita, ad ſummas dignitates evexit, tradito ei unà cum auſtrali Hallandiâ atque inſulâ Samo (*Samſeâ* vulgò) nec non Holbecenſi præfectura, Ducali titulo. Adjecit tum quoque latifundia nonnulla Holmæ cœnobio *Gerhardus* Holſatus, ex bonis ac poſſeſſionibus ut eſt veriſimile, quas ipſe intra regnum tenebat. Chriſtophorus tum etiam neglecto, quod regni proceribus jam ante fecerat, ſacramento,

cramento, ingens ecclesiasticis ac secularibus tributum imperavit, decimas nimirum redituum omnium; significans velle quidem ipsos, ut nomen fraternum exsolveretur, at fieri à se aut regno haudquaquam id posse, cum regni possessiones ab alijs ob idem debitum oppignoratæ teneantur; ipsos igitur subsidio accurrere debere ac teneri per liberales collationes ad onus idem exhauriendum secumque sustinendum. Quod cum archiepiscopus *Esgerus* & alij ex regni proceribus, opponendo codicillos ejus & juramentum antea præstitum, concedere recusarent, odium in eos concepit: nec ullâ deinde fraterni debiti exsolutione factâ, *Ludovico* insuper Albertzonio ab Everstein, cui, ut supra meminimus, Scania, Helsinburgum, Lunda, Falsterboa, Schanóra, Hallandia, Blekingia aliaque ab Erico rege pignori erant relicta, solam permisit Blekingiam: Similiter & *Laurentio* Ionæ satrapæ, qui Arream oppignoratam tenebat, vi eandem ditionem ademit. *Nicolaus* præterea Olufssonius, regni quondam Marescalcus, qui, ut ante relatum, *Erici* gratiâ exciderat, nec Christophoro nunc satis propitio utebatur, quod ab *Erico* olim in eum missus Hallandiam ei eripuisset, cum post *Erici* regis obitum, quid sibi vi variorum contractuum ac syngrapharum deberetur; quamque diversa loca territoriaque sibi ab *Erico* oppignorata essent, declararet, ijs nec auscultare Christophorus nec ei tuti reditus fidem aut quidquam ex eo, quod jure repetebat, concedere in animum induxit; Itaq; *Nicolaus* cæpit in patriam aut, ut ipse interpretabatur, in regem Christophorum arma movere: tractisque in societatem suam, præter *Canutum* Porsium Hallandiæ novum Ducem, *Esgero* archiepiscopo & *Ludovico* Albertzonio alijsque è nobilitate Scanensium, apud quos perplures cum amicos tum consanguineos numerabat; tum & Vandaliæ atque Holsatorum auxilijs suffultus etiā *Barnevinum* Pomeraniæ Ducem, qui de injuriâ super hæreditate quapiam à parte matris sibi in Daniâ illata querebatur, in partes easdem traduxit. Hi in Scaniam effusi ac cuncta ferro ac flammis depopulati indeque verso procinctu; in proximam Zelandiam transgressi eam universam deprædati sunt, indicta insuper tributi pensione, quâ ab igne ac conflagratione tecta ædesque redimebantur. Hoc bellum quomodo porro gestum aut finitum sit, referre non habeam. Sive enim *Nicolaus* Olai, qui id temporis ætate erat senectâ, mortem obierit, sive ad compositionem res deducta sit, nihil eorum in annalibus memoratum reperio. Saltem id constat perplures ex nobilitate Scanicâ, qui *Nicolai* partibus se adjunxerant, à Christophoro variè mulctatos & quosdam etiam supplicijs affectos pœnas Christophoro dedisse. Hæc nonnulli referunt ad annum præcedentem. Et Holsatorum præterea chronologi illam, quam dixi, Stralesundensium obsidionem in hunc vicissim, non antecedentem annum, quamvis, ut modò ostensum, perperam conjiciunt: docuique toto eos septennio unà cum Crantzio à recto deviare & ad res non Christophori sed *Erici* obsidionem eam pertinere.

CHRISTOPHORUS II. Rex. A. C.

Proditum est memoriæ ab authoribus tam asperam ac diuturnam hujus anni hyemem fuisse ut totis sex septimanis Balticum mare conglaciatum jaceret. Eâque occasione satrapam *Laurentium* unà cum equitatu ac robore Selandico in oram adversam Torneburgo equis transvectum: Et addit in Vandaliâ suâ Crantzius ità circumquaque gelidissimo frigore aquas constrictas ut itinere pedestri de littore Theutonico in Daniam inque Borussiam transitus pateret; dispositis hinc inde per glaciem hospitijs in usum scilicet ac commoditatem transeuntium. Quod sane inusitati frigoris exemplum haud quaquam hoc loco prætereundum silentio existimavi.

Anno, qui proxime est secutus, millesimo trecentesimo vigesimo quarto, archiepiscopus *Esgerus Ludovicum* ab Everstein anathemate exemit, quo eum Papæ nuncius *Bernhardus*, quod vivente *Erico* rege unà cum Duce *Christophoro* Borringholmiam invasisset, affecerat. Nec diu exinde Rex post brevem cum archiepiscopo cultam amicitiam ejusdem insulæ arcem munitissimam Hamershusam cingi obsidione per Marescalcum suum *Petrum* Wendelboum imperavit. Sed archiepiscopus, assumpto ad sui atque arcis defensionem *Ludovico* ab Everstein quondam, ut ante dictum, regni Marescalco ejusque fratre, arcem atque insulam aliquandiu tutatus est. Causam obsidionis atque odij regij in præsulem quanquam memoriæ traditam non reperio, vero tamen consentaneum habeo fuisse, quod *Nicolao* Olufssonio, quem diximus jam modò in regem arma movisse, suum quoq; nutum ac favorem commodârit. MCCCXXIV.

Quæ dum ibi geruntur, celebrari Wordingburgi nuptias filiæ suæ *Margaretæ* cum Marchione *Ludovico*, Cæsaris *Ludovici Bavari* filio, Rex fecit. Ei in dotem adscriptæ duodecim mille argenti marcæ quarum nomine certa territoria ac districtus apud Esthones Marchioni in

LUDOVICUS BAVARUS IMP.

CHRISTOPHORUS II. Rex. A. C.

chioni in pignus conceſſi. quos & retinuit, donec uxoris ipſius frater *Valdemarus*, dato pretio, eos redimeret. Super nuptijs hiſce binas Chriſtophori regis literas annis MCCCXXIII & MCCCXXIV datas ſervari in archivo Bavariæ meminit in Apologetico ſuo adverſus *Bzovium* vir ſummus *Herwartus*, Bavariæ Ducis Cancellarius. Tertias ejuſdem regis, quæ videntur anno poſt pro Imperatore *Ludovico* ad cætum Cardinalium Romam miſſæ, idem *Harwartus* Apologetico eidem ſuo inſeruit. Hæc cum nuptiarum etiam iſtarum cumque domo Bavaricâ affinitatis mentionem injiciant, eâdem, quâ ab *Herwarto* expreſſæ ſunt, formulâ hiſce ſubjiciendas curavi:

» Reverendiſſimis in Chriſto Patribus ac dominis, ſacro Cardinalium cætui & collegio honorando, Chriſtophorus Dei gratia Danorum Rex &c. ſalutem ſempiternam. Cum omnimodâ, qua poteſt, reverentia & honore, reverendæ paternitati veſtræ cum humilitate, quâ decet, attentius intimamus, nos veraciter percepiſſe, ut inter ſanctiſſimum in Chriſto patrem ac dominum dominum Iohannem miſeratione divinâ ſacroſanctæ Romanæ ac univerſalis eccleſiæ ſummum pontificem ex unâ parte, & magnificum principem dominum Ludovicum Romanorum Regem ex alterâ, diſſenſio plurima & grandis diſcordia, proh dolor, ſit ſuborta. De quo ſine dubio turbati ſumus non modicum, & dolemus, imò dubitamus veriſimiliter & timemus, quod exinde provenire poterunt non ſolum perſonarum & rerum diſpendia gravia, imò etiam animarum pericula quàm plurima & ſcandala in populo, in maximum Chriſtianitatis & fidei per diverſas locorum diſtantias, forſitan, quod Deus avertat, notabile decrementum. Unde vobis & veſtrum cuilibet, omni inſtantia, quâ poſſumus, ſupplicamus, quod dominum Iohannem ſummum pontificem prædictum, velitis piè monere & inducere, ut prædictum dominum Ludovicum Regem Romanorum jure ſuo ac juris ſui proſecutione perfrui amore Dei, juſtitiæ & noſtrarum precum interventu velit permittere, prout prædeceſſores ſui Romanorum reges pacifice & quietè uſi fuerunt ab antiquo, & ad concordiam inter eos faciendam, propter Deum, cum efficaciâ vos interponere dignemini. Ad quod, ſicut etiam pro parte ſperamus poſſe proficere, cooperari & laborare volumus cum effectu. Nec miremini, quod pro ipſo & bono ipſius certare volumus, & in ſuis juſtis cauſis nos intromittere, quod filius ſuus filiam noſtram duxerit in uxorem, nec aliud de ipſo ſentiamus, quàm quod de fideli Chriſticola eſt ſentiendum. Cui teſtimonium perhibent vita ſua & operationes, nec non fama ejuſdem, non ſolum apud bonos & graves, verum etiam ut intelleximus, communiter apud omnes. Bono etiam pacis & tranquillitatis ſanctæ Romanæ eccleſiæ, & prædicti patris noſtri ſummi pontificis & totius Chriſtianitatis libentiſſime intendere volumus, tenemur. Valeant in Chriſto veſtro paternitates reverendæ per tempora longiora. Scriptum craſtino circumciſionis Domini.

MCCCXXV. Hinc anno proximo, feriâ proximâ poſt diem beati Bartholomei, inediâ ac vi majore coactus *Ludovicus* arcem Hammerſhuſam Chriſtophoro regi ejuſque filio dedidit, lege ac conditionibus, quas tabulæ hic proxime ſubjectæ declarant:

» Chriſtophorus & Ericus filius ſuus, Dei gratia Danorum Sclavorumque Reges, Duces Eſthoniæ, omnibus præſens ſcriptum cernentibus, ſalutem in Domino ſempiternam. Notum facimus univerſis præſentibus & futuris, inter nos, liberos noſtros, & fautores noſtros univerſos, ex unâ parte, ut dominum Ludovicum Albretſſön quondam Mareſchalcum noſtrum liberos & fautores ſuos omnes cum ipſo exulantes & in caſtro *Hammeren* exiſtentes, dum noſtram habuerunt indignationem ex alterâ, in modum qui ſequitur eſſe placitatum. Primò quod recognoſcimus nos & hæredes noſtros dilecto domino Ludovico Albretſſön, & ſuis hæredibus veris, veraciter eſſe obligatos in 9366 millibus ſexaginta novem marcis denarij Scanienſis uſualium in certis terminis infra ſcriptis, videlicet in proximo feſto Purificationis beatæ Mariæ 1000 marcarum den. Scanienſ. & deinceps ſingulis annis in dicto feſto Purificationis Mariæ 1000 marcarum den. Scanienſis uſualium perſolvendis, donec ſibi vel ſuis veris hæredibus per nos aut hęredes noſtros dicta ſumma pecuniæ, totaliter fuerit perſoluta, ſalvo nobis, Quod ſibi & hæredibus ſuis, ſingulis terminis prædictis pro quâlibet marcâ denar. Scanienſ. duas marcas denar. Selandiæ vel pro ſingulis quatuor marcis cum dimidiâ denar. Scanienſ. unam marcam puri argenti ſub pondere Colonienſi ſolvere valeamus, pro quorum denariorum ſupradictorum ſolutione per nos & hæredes noſtros dilecto domino Ludovico Albretſſön & ſuis hæredibus faciendâ, nos unà cum conſiliarijs noſtris infra ſcriptis dominis Laurentio Ioneſſön quondam dapifero noſtro, Petro Vendelbo Mareſchalco noſtro, Eſchillo Gris, Stigeto Anderſſön,

CHRISTOPHORUS II Rex. A. C.

Laurentio Lauritſön, & Gregorio Thuneſſön, militibus; Iohanne Kaas, Chriſtierno Kaas, & Laurentio Truitſön, Nicolao Ioneſſön Broelicke, Ioen Ioenſön Broelicke, Ivaro Pederſön, Ioen Nieckleſſön, Rani, Boetio Falck, & Erico Nickleſſön promittimus fide data. Inſuper dictus Ludovicus Albretſſön ijs quibus ſolvere tenetur, ſolvere debeat, prout ſibi per nos ſolutum fuerit, nec ultra hoc infra certos prædictos annos aliqui proceſſus judiciales contra ipſum per nos aut advocatos noſtros fieri debeant ratione debitorum ex parte fratris noſtri domini Erici quondam regis Daniæ & noſtrâ per ipſum contractorum. Inſuper eundem Ludovicum Albretſſön & hæredes ſuos pro 600 marcis puri argenti apud hæredes dicti Pallionis Ioneſön, in quibus ipſe dominus Ludovicus ſe ipſis obligatum eſſe aſſerit, ratione caſtri Hammerenſis, liberum & quietum ac quitum faciemus. Idem verò dictus Ludovicus & fautores ſui in caſtro Hammerenſi exiſtentes dicto caſtro cum ipſius fratribus domino Petro Vendelbo Mareſchalco noſtro ex parte noſtrâ liberè reſignato, rebus & ipſorum bonis omnibus in ipſo caſtro exiſtentibus liberè perfruantur. Et ſi dictus dominus Ludovicus vel hæredes ejus poſtquam dictum caſtrum Hammerenſe & terram Borringholm reſignaverit, aliquam excommunicationis ſententiam pro nobis ex parte ipſorum terræ & caſtri incurriſſe contigerit, nos ipſum à dictâ provinciâ utique liberemus & indemnem faciemus. Præterea Capitanei, advocati & fautores noſtri quicunque ipſorum domini Ludovici & dictorum fautorum bona receperant, occupaverant vel qui ijſdem aliquas moleſtias intulerint, tempore exulationum eorum eſſe debeant totaliter excuſati; capti verò ex utraque parte liberi eſſe debeant, pariter & ſoluti. Item omnes cauſas, quas idem dominus Ludovicus cum domino Andreâ Pederſön de Alnerup, juxta tenorem literarum noſtrarum prius datarum ex parte noſtra placitaverat, ratas ſervabimus, quo ad eas quæ ante datam dictarum literarum noſtrarum inter nos & ipſum dominum Andream Pederſön actæ fuerint & exortæ, ſed ad alias cauſas poſt ipſarum literarum noſtrarum datarum inter nos exortas, præſens placitatio minime extendatur. Præterea ante omnia inter nos liberos & fautores noſtros omnes, & inter dictum dominum Ludovicum Albretſön liberos & fautores ſuos præmiſſos, pro hac cauſa firmam amicitiam volumus permanere, ipſum dominum & fautores ſuos prædictos ad gratiam noſtram recolligentes ſpecialem, eidem domino Ludovico & fautoribus ſuis prænotatis, omnia bona ſua, prout ipſi in præſenti invenerint, concedendo & pro ipſorum uſibus demittendo, ipſoſque in dictis ipſorum bonis pro cauſâ antedictâ in poſterum nullatenus moleſtando, ità tamen quod *Beenflæt* tantum in annonâ, utenſilibus & rebus alijs in terrâ *Aage Haß* dictâ *Gaſetoffte* relinquat, quantum in eadem de præmiſſis dignoſcatur recepiſſe & ipſe *Beenflæt* annona, utenſilibus & rebus ſuis alijs, exceptis ijs quæ in eadem receperit, liberè perfruatur. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum Chriſtophori regis præſentibus eſt appenſum. Datum *Tingſted* Falſtriæ, Anno Domini MCCCXXV, II feriâ proxima poſt diem beati Bartholomei Apoſtoli in præſentiâ noſtra. In cujus rei evidens teſtimonium, ſigilla noſtra præſentibus ſunt appenſa; Datum die, loco ſupradictis.

Eodem circiter tempore Equeſtris Ordo apud Eſthones ſeſe regi Chriſtophoro ejuſq; filio obſtrinxit, datoq; chirographo profeſſus eſt, ſoluturos ſe eis 2000 marcarum argenti, quæ jam ante provinciæ totius nomine Erico regi promiſſa fuerant. Nobilium, qui ſe regi ejuſq; filio obſtrinxêre, hi præcipui fuêre: *Iohannes* Rusbrit, *Iohannes* de Lemed, *Hennekinus* Rusbrit, *Hennekinus* à Napale, *Rollo* de Hercula, *Tylo* Circuta, *Tylo* Hoppanima, *Hennekinus* à Sylkula, *Hinco* à Rokula, *Palno* Tuveſſon, *Hennekinus* Hunkimpa, *Hennekinus* à Zagemula, *Eylartus* ab Eyſenberg, *Everardus* ab Engilâ, *Hennekinus* Raffuen Corvinus, *Lipoltus* ab Aletarn, *Hennekinus* ab Hemſebeke, *Byſlo* ab Orgyle, *Hennekinus* à Kyrkuta, *Hennekinus* Waras in Harria; Item *Willekenus* ab Embeke, equites; *Hinco* à Revele, *Bertholdus* à Laydes, *Hennekinus* à Brakel, *Godelus* à Brakele, *Florekinus* ab Havenforde, *Hinco* Mora, *Gerhardus* Skye, *Hennekinus* ab Knudes, *Hennekinus* ab Roſenhagē, *Oduardus* à Revel, *Tylo* à Polle, *Hennes* ab Yſle, *Andreas* de Polle, *Hennekinus* de Walka, *Simon* Mora, *Henricus* Havenforden, *Bertholdus* à Wirckes & *Conradus* ab Hyrman in Virlandia. Inde Rex Chriſtophorus ejuſque filius *Ericus* Wordingburgi privilegia atque immunitates, quaſcunque à regibus accepiſſet Eccleſia Revalienſis, eidem Eccleſiæ, epiſcopis ac toti capitulo firmavit, eamque ſanctionem eſſe ratam ac firmam voluit. Obierunt hoc anno *Ericus* Dux Sleſvicenſis, *Eſgerus* archiepiſcopus Lundenſis & Rugiæ denique princeps *Witzlaus* abſque ſtirpe maſculâ. In cujus locum ſororis ipſius filius Pomeraniæ Dux *Witzlaus* proxime ſucceſſit. *Eſgero* ſurrogatus eſt præ-

CHRISTOPHORUS II. Rex.
A. C.

positus Lundensis *Carolus*. Slesvicensium Dux *Ericus* funeratus conditusque est in æde divi Petri apud Slesvicenses; habetque tumulo suo inscriptum ejusmodi epicedium:

Anno milleno migrans C. ter Vq; viceno
Gregorij festo, Deus huic miserator adesto.
Hic Dux magnanimus, patriæ servator Ericus,
Woldemari natus, patri jacet associatus.

Patri nimirum *Valdemaro*, qui *Erici* primi, Australis Iutiæ Ducis, filius fuit, nepos verò Regis Danorum *Abelis*. quemadmodum genealogicâ ejusdem regis tabellâ demonstratum est superius pag. 355.

Duci autem huic Slesvicensi *Erico* etiamsi filius superesset *Valdemarus*, rex nihilominus Christophorus eum Ducatum ad se ac suam tutelam pertinere ratus, totam ditionem vi armatâ suam in potestatem redegit, excepto Gottorpio, quod obsidione quàm arctissimâ cinxit, positis in monte Caballino (*Hesteberg* vulgo dicto) castris. Comes verò *Gerhardus* Rendeburgensis, *Valdemari* avunculus, cum existimaret se tutelæ jure puero propiorem esse & regem hoc agere ut Daniæ regno Ducatum postliminio adnecteret, cogit extemplo apud Holsatos & alibi militem, ac manum cum rege prope Gottorpium conferens obsidionem eum solvere adegit. Liberatoque Gottorpio diu id *Gerhardus* impensarum, quas eâ expeditione fecisset, nomine sibi retinuit. Memorat Crantzius in more huic *Gerbardo* positum prælium inituro, imaginem divæ Mariæ collo appensam habere ac proclamare ter solitum, *serva nos hoc die congregatos ô virgo.* quomodo fere gentium scriptores Syllam quoq; tradunt, Romanorum dictatorem, circumgestasse similiter in prælijs atque expeditionibus icunculam Iovis, ac crebro ad eam verba referendo dicere suevisse: *Quam pene ego tecum & tu mecum concidisses Iupiter.*

Rex autem imposito subditis tributo ex unoquoque aratro argenti marcam pendi postulavit. MCCCXXVI. Ac proximo deinde anno fundatum ab eo cœnobium Cnarderuppense, traductis in id ex Soræ monasterio ordinis Bernardini monachis. Templum ipsius cœnobij divæ Mariæ dicatum est. Collata præcipue in eam ædificationem bona proscriptorum, qui parentem ejus *Ericum* augustæ memoriæ Finderupi trucidaverant. Ipsum autem Cnarderupum inter aulas seu regia palatia habitum. Procedente mox tempore imperium ipsius tam ecclesiasticis quàm secularibus displicere ac grave haberi cæpit. Nam & archiepiscopus *Carolus* ademptam diœcesi suæ Boringholmiam querebatur: & alij episcoporum immunitates suas ac privilegia imminui per ipsum existimabant: Nec deerat nobilitas ceterique ex optimatibus qui negabant stare eum promissis super nomine & oppignoratis à parente ipsius factis, quorum in se onera recepisset; quin & querebantur tyrannide ejusdem atque exactionibus opes suas ac facultates exhauriri, nec in bona solum sed & corpora sua sæviri. Incusabat eum & plebs ac civium vulgus, quod tributa ac collationes imperaret, quibus conficiendis pares non essent. Hinc *Laurentius Ionæ* satrapa & *Ludovicus* Albertsonius ab Everstein capita ac coryphæi factionis, præsules regni & ante omnes archiepiscopum *Carolum*, nec non *Canutum Porsium* Hallandiæ dynastam aliosque ex nobilitate atque ordine equestri, quos regi iniquiores scirent, suas in partes traducunt: Ijque facto inter se fœdere de rege ejusque filio Erico, quem patre meliorem negabant, regni finibus exturbando, decretum ediderunt, quo obsequium illi omne ac fidem ob intolerabile ipsius imperium, se renunciare significabant, adjicientes ijsdem codicillis, satis superque, idque cum suo ac regni maximo detrimento, comperisse jam se, quod frater ipsius laudatæ memoriæ Rex Ericus ominatus fuerat, fore ipsum regno ac regni proceribus inutilem ac perniciosum regem: itaque interdicere plebi ac populo universo ne ei obsequium commodarent, donec de rege alio in ejus locum sufficiendo simul statuissent.

Quæ dum agitarentur, erat apud Zelandos in arce Wordingburgo Rex Christophorus, & videns Fionenses unà cum Cimbris, quibuscum & Schani Zelandique conferre capita cæperant, adversus se cornua erigere, è re censuit filium suum natu maximum illis in adversum submittere. itaque traditâ ei quam citissimè tumultuariâ manu, cogitabat ipse subsequi, si forte pace potius quàm armis sistere commotos, & in se euntes sufflaminare daretur. Ac postquam Torneburgum princeps *Ericus* venisset, ibi aliquantum substitit, non ausus scilicet in oram adversam trajicere, aut in hostem ducere, nisi auctis copijs. Idque agenti supervenit *Ludovicus* Eversteinius & *Canutus Porsius* cum robore Scanensium ac Zelandorum ac principem intra arcem Torneburgi conclusum obsident. Eum ex suis

nonnulli

nonnulli deferuerant; Theutones, qui in arcem cum ipso confugerant, necessitate adacti pedem fixêre. Ac sexto exinde post obsidionem die arcem dedidit. Ipse Haderslevіam deductus, ibi custodiæ est traditus, militi quò vellet, abire permissum.

Rex, ubi animadvertit, passim in se iri, magno ære ac regni cimelijs pretiosissimis secum assumptis, trajecit in Germaniam, comites secum ducens *Valdemarum* & *Othonem* filios; Ac modò Rostochij, modò apud Vandaliæ principes, nec non affinem suum Marchionem *Ludovicum* agens, suam eis causam deferebat. *Laurentius* interea satrapa nec non *Ludovicus* Mareschallus *Canutusque Porsius* cum Duce Slesvicensi *Valdemaro*, qui tum annum circiter duodecimum agebat ac denique cum *Gerhardo* Holsatiæ Comite, Christophori regis hostibus, arctiori nexu se conjungunt promittuntque invicem ut alter alteri, & ipsi præsertim laboranti jam regno auxiliares adessent stipendiaque facerent. Atque ità istis temporibus Slesvicensis Ducatus, cum eũ regno clientelarem haberi Duces atque eis sanguine juncti Holsati nollent, quod tamen Daniæ reges sibi deberi judicabant, veluti Eridis pomum ac contentionis perpetua seges materiaque fuit. Fœdus autem, de quo dicere cœperam, cum Duce Slesvicensi *Valdemaro* percussum hunc in modum in archijs conceptum legitur;

Omnibus præsens scriptum cernentibus, Woldemarus Dei gratiâ Dux Iutiæ salutem in domino sempiternam. Notum facimus universis, quod promittimus bonâ fide & præsentibus obligamus, quod nos unà cum omnibus nostris fautoribus firmiter astabimus honestis viris domino Laurentio Ionessôn & Ludovico Albretssôn cum suis veris hæredibus eorundemque fautoribus & amicis singulis ad omnem eorum justitiam in omni necessitatis articulo, subsidijs & auxilijs, toto posse, nec eos unquam deseremus antequam de rege Daciæ aut ejus successoribus compositionem plenam & sonam competentem habuerint, secundum ipsorum placitum voluntatis. Præterea assignamus ipsis duas nostras munitiones *Tranekier* & *Hadersleff* & ad quamlibet earum decem marcas annonæ, anno quolibet pro sublevamine expensarum, addito tamen hoc quod si Rex Daciæ ipsos expulerit aut ipsis bona eorundem abstulerit, ex tunc dictarum munitionum advocatias cũm ipsarum adjacentijs singulis plenius sine omni computatione libere possidebunt, prout advocati præcedentes aliqui ipsas liberius dignoscuntur habuisse. Si verò ampliores expensas fecerint, quàm se reditus dictarum munitionum extenderint, has non computabunt nobis vel hæredibus nostris nec super munitiones nostras sed pro se expensas earundem personaliter suppeditabunt. Præfatas autem munitiones sine omni computatione ac contradictione nobis vel nostris hæredibus repræsentabunt, quando nos vel hæredes nostri & amici nostri ipsis vel suis veris hæredibus & eorum amicis compositionem plenam & sonam æternam, secundum eorum velle ordinare poterimus & non prius. Antedictæ verò munitiones semper nobis vel nostris veris hæredibus apertæ erunt ad omnem nostram necessitatem. Si etiam de præfatâ munitione *Hadersleff* novam in alium locum dictorum virorum consilio ædificari evenit, novam pro antiquâ cum adjacentijs & reditibus prioris munitionis recipient nobis vel hęredibus nostris repręsentando. Servitium autem ipsorum quotidianum erit cum quadraginta viris expeditis infra dominium regni Daciæ & Ducatus Iutiæ contra regem Daciæ sub damnis eorum proprijs & expensis. Veruntamen de captivis si qui capti fuerint, plenam partem capient, prout expeditos habent, secundum suorum numerum devinctorum. Præterea si rex Daciæ vel alius terram nostram invaserit seu nos cum nostris terram ipsius invadere attentaverimus, cum omnibus amicis, viribus ac rebus eorundem nobis firmiter adstabunt ad auxilium fideliter properando. Terra etiam aliqua vel numerosius plures si captæ vel acquisitæ fuerint, cedant nobis & nostris hæredibus ac possidebimus eas sine omni impeditione eorum vel eorundem hæredum pacificè & quietè. Et si medio tempore ipsos dominos Laurentium Ionessôn & Ludovicum Albretssôn vel alterum eorum mori contingat, quod Deus avertat, nos sine voluntate unanimi & consensu hæredum ipsorum, diem Trengarium aut sonam non inibimus seu faciemus, sed omnia placita quæcunque sunt superscripta cum hæredibus ipsorum inviolabiliter servabimus ac econtra ipsi nobis vel nostris hæredibus cũ eorum amicis omnia & singula plane & integraliter servabunt. Præterea munitiones nostras ab ipsis vel suis veris hæredibus non recipiemus antequam omnia & singula superscripta complebuntur & centum marcas cum quinquaginta marcis puri argenti, in quibus ipsis & suis veris hæredibus recognoscimus nos & nostros hæredes esse obligatos, integraliter persolvemus. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus est appensum.

„ Datum Sonderborg Alsiæ, anno Domini MCCCXXVI dominica Quasimodogeniti, in præ-
„ sentia nostra.

A. C.

Hujus fœderis initia quædam jam ante jacta fuerant inter *Ericum* Ducem, *Waldemari* parentem, & *Ludovicum* Eversteinium. Eâque de re literas Flensburgi signatas anno MCCCXXIV Eversteinius acceperat, quibus *Waldemari* parens pollicetur se Eversteinio adfuturum atque eum tutaturum ubicunque id rei æquitas postularit. *Gerhardus* verò Holsatus Rendeburgensis *Waldemari* Ducis avunculus, qui eo seculo inter militiæ archegos eminebat, confestim facto hoc fœdere in Daniam evocatur. Et ut fidem suam atque industriam proceribus approbaret, inprimis Wordingburgum, quod tum inter regni munimenta præcipuum habebatur, & quo retento sperabat Christophorus sibi in omnem eventum ad regni interiora aditum patefacere, Christophoro præripere elaboravit. Itaq; egit cum arcis præside, ut acceptis 4000 argenti marcis sibi arcem dederet ac ejus vice præfecturam arcis Segebergensis acciperet, eamque teneret donec nummi jam indicati in totum essent adnumerati. Præfectus, acceptâ conditione, Segebergam proficiscitur, atque ibi dum præsidet, ab Holsatis ex improviso oppressus atque exturbatus proditionis suæ pœnas luit. Sed Christophorus rex, haud diu moratus classeque armatâ Wordingburgum appellens ac validum simul militem apud Marchicos atque alibi collectum secum ducens; quibus & Megapolensis *Henricus* alijque ex Vandaliæ principibus aderant, Wordingburgum extemplo, factâ oppugnatione, recepit. At Comes *Gerhardus* regni strategus magnâ in adversum manu accurrens, cui se Dani junxêre, regem obsidione circumcingunt. Primo alloquio ad jurgia progressi Duces, Rex *Gerhardo* ut fœdifrago exprobrare cœpit, quod promissis ac tabulis jam ante inter se & ipsum signatis haud staret: cui ille vicissim objecit, quod subditorum suorum malâ tractatione & se omnesque vasallos suos adversarios experiretur. Ac demum commeatu obsessis deficiente, ob interceptum à Danis, qui mari patebat, aditum, premere eos rerum omnium penuriâ cœpit. & licet frumenti non deesset copia tamen cum molendina ad manus non essent, aptare id ad usum & esum humanum nequierunt. Quapropter coactus est *Henricus* Megapolensis cum *Gerhardo* pacisci; quod eum in modum factum, ut Rex & Megapolensis cum milite suo unde venerant, regrederentur. Idque cum Rex ceptasset essetque in proximam Falstriam progressus, figere ibi pedem ac denuò fortunam tentare constituit: sed à Comite & classe Danorum iterum circumventus ad nova ineunda cum ijsdem pacta descendere suo nomine *Henricum* permovit; obtinuitque tum iterum, ut libere se Rostochium reciperet. ubi & substitisse aliquandiu cum familiâ ac liberis memoratur. De Rostochio autem ejusque territorio, quod Crantzius alijque injiciunt, id 60000 argenti marcis *Henrico* Megapolensi circa hæc tempora ob præstita auxilia Christophorum transcripsisse, verosimile haud est, quod rex postmodum *Waldemarus*, Christophori filius, eam ditionem in alios transferendi jus usurpaverit, ut infra patebit. Nec aliud de Rugiâ quoque statuendum, eam quidem in feudum non verò hæredium alijs tum permisisse Christophorum, cum ei, ut mox ad annum MCCCLIX referetur, Pomeraniæ Duces à *Woldemaro* jure clientelari præfecti sint: Nisi forte de Rugiâ cismarinâ & quæ Pomeraniæ continenti annexa est, non verò de transmarinâ, eam abalienationem factam interpretari potius velint.

Hæ res cum eum in modum Christophoro adversæ fluerent, authores fuêre nobilitati ac ceteræ multitudini Comes præsertim *Gerhardus*, *Laurentius Ionæ*, *Ludovicus Eversteinius* ac Dux *Canutus Porsius*, ut Ducem Slesvicensem *Valdemarum* dominum suum ac regem declararent, quo ita omnis in universum ad regnum redeundi spes Christophoro præcideretur.

VALDEMARVS *Dux Slesvicensis Rex Daniæ eligitur.*

VALDEMARUS itaque die ascensionis Mariæ Neoburgi apud Fionios, indicto regni conventu, rex electus, omnibus ac singulis ore ac scripto est adstipulatus se immunitates ac privilegia cujusque ordinis ac status sarta tectaque habiturum: jus quoque ad leges præscriptumque regis *Woldemari* pronunciaturum, omniaque juxta morem ac consuetudines regni ab antiquo receptas exsecuturum, subscribente suâque manu obsignante easdem tabulas Comite *Gerhardo*, utpote pueri ac nepotis sui tutore. Sicque rex electus non tamen coronatus, nisi Neoburgi fortasse, *Woldemarus* Dux inter Daniæ reges non nisi ut insititius & hypobolimæus habetur, quamvis regiâ ubique authoritate egerit. Non autem insertum catalogo regio vel ideo existimo, quod brevi admodum tempore eam personam sustinuerit atque inde in *Woldemarum* Christophori filium translato sceptro, regio etiam vocabulo abstinuerit.

Dum

CHRISTOPHORUS II. Rex. A. C.

Dum autem rebus præesset, regiâ authoritate Slesvicensis ecclesiæ privilegia firmavit: Capitulorum etiam ac cœnobiorum nec non opidorum multorum immunitates asseruit: *Gerhardum* prætetea Comitem avunculum suum Iutiæ australis Ducem, datis ea de re literis, pronunciavit; eique ac hæredibus ejus Ducatum eum in perpetuum ut feudatarius clienti utendum ac possidendum tradidit, assensum ac vota sua accommodantibus archiepisco Lundensi *Carolo*, *Nicolao* Borglumensi, *Petro* Othoniensi, *Iohanne* Slesvicensi, *Iohanne* Ripensi, *Iohanne* Roschildensi, *Tychone* Viburgensi ac *Suenone* Arhusiensi episcopis: Quibus & suum adjecerant calculum ex Senatoribus ceteri & in his *Laurentius* Ionæ satrapa, *Ludovicus* Mareschalcus & Dux *Canutus* Porsius, alijque. Renunciavit præterea ijsdem codicillis omni juri, quod in dictum jam Ducatum sibi competierat, tantum reservatâ penes se investiendi & in potestatem mittendi alios facultate: Denique & antiquavit ac nulla esse declaravit, quæcunque his aliæ adversari vel tabulæ vel instrumenta possent: Fecitque in rei majorem fidem easdem literas obsignare secum Saxoniæ, Angariæ & Vestphaliæ Ducem *Albertum*, *Iohannem* & *Adolphum* Holsatiæ, Stormariæ & Schouenburgi Comites; *Henricum* & *Nicolaum* Comites Suerini; *Walterum* Comitem Werningerodæ; *Burchardum* Comitem Sualenburgensem; *Laurentium* satrapam; *Ludovicum* Albertum Mareschalcum; *Canutum* Porsium; *Ionam* Olai; *Petrum* & *Andream* Styggeos; Actum Neoburgi in comitijs, anno & die ascensionis Mariæ supra notatis. Eandem investituram, datis super eâ postridie ac seorsim literis, etiam regni proceres ratam se habere ac firmam apud omnes testatum fecerunt. Præscriptisque episcoporum jam modò nominatorum vocabulis evulgari literas curarunt, quibus significarunt se, postquam Daniæ olim rex *Christophorus* salutis suæ ac sacramenti parum memor, patriam suam ac regnum, quod justitiâ atq; æquis legibus defendendum susceperat, iniquis exactionibus ac telonijs similibusque oppressionibus gravarit, omnibusque tam nobilitati quàm plebi se exosum reddiderit, & clerum insuper reditibus suis ac bonis spoliarit; Et ejus vicissim loco singulari studio ac sollicitudine magnisque impensis effecerint *Laurentius* Ionæ & *Ludovicus* Mareschallus, ut Comes *Gerhardus* sui totiusque regni curam ac tuitionem in se assumserit, se idcirco tanti beneficij haud immemores assensum suum ac nutum libentissime concedere, ut serenissimus *Valdemarus*, Daniæ Slavorumque Rex, dominus suus clementissimus, Dux olim Iutiæ Australis dicto *Gerhardo*, avunculo suo, Comiti Holsatiæ ac Stormariæ, ejusque legitimis hæredibus, Ducatum eundem Australis Iutiæ, tradito pro more vexillo, in totum transcribat ac tribuat, eumque regni sui principem, clientem ac vasallum designet, pronunciet atque agnoscat. Hisce codicillis sua appendi sigilla fecerant, præter jam numeratos præsules *Carolum* archiepiscopum Lundensem, *Nicolaum* episcopnm Borglumensem, *Petrum* Othoniensem, *Iohannem* Slesvicensem, *Iohannem* Ripensem, *Iohannem* Roschildensem, *Tychonem* Viburgensem ac *Suenonem* electum Arhusiensem episcopos, *Laurentius* Ionæ satrapa, *Lodovicus* Albertsonius Mareschallus, *Canutus* Porsius ac Ionas *Vffeson*, præsentibus *Alberto* Duce Saxoniæ; *Iohanne* & *Adolpho* Comitibus Holsatiæ, Stormariæ ac Scouvenburgi; *Henrico* ac *Nicolao* Comitibus Suerini; *Valtero* Verningerodæ Comite nec non *Burchardo* Comite Sualenburgensi. Acta hæc Neoburgi postridie Ascensionis Mariæ. *Canuto* Porsio, qui Hallandiæ australis Ducatum tenebat, in gratiam rei bene gestæ etiam borealis ejusdem Hallandiæ ditio unà cum Samseâ insulâ & Callenburgo permissâ. Nec abijt indonatus *Ludovicus* Mareschalcus: qui licet multas præfecturas ac territoria apud Scanienses defuncti regis *Erici* liberalitate possideret, adjecit nihilominus electus jam rex *Valdemarus* gratitudinis testandæ ergò, prçter Coldingam & Ripas Iutiæ claras urbes, pagos præterea ac districtus alios, quæ ille universa, ejusque hæredes in feudum retinerent, confectis super eo tabulis, quæ sunt hodieque in manibus, ejusmodi:

Omnibus præsens scriptum cernentibus, Woldemarus Dei gratia Danorum Sclavorumque rex salutem in Domino sempiternam. Tenore præsentium constare volumus tam præsentibus quam futuris, Quod nos cum unanimi consensu & voluntate consiliariorum nostrorum & regni nostri meliorum, strenuo militi & honesto nobis in Christo prædilecto, consiliario domino nostro, Ludovico Alberti filio & suis veris hæredibus exactiones nostras infra scriptas, videlicet *Almyndsyssel* cum castro & villa *Coldinge*, *Iellingsyssel*, civitatem Ripensem, monetam nostram cum teloneo nostro & molendinis ibidem *Maltherrit* & *Gierenherrid* cum omnibus bonis & villis dictis *Bierck* in ijsdem exactionibns situatis, & cum universis & singulis reditibus & fructibus, silvis, piscarijs, molendinis, villicis, colonis & inquilinis, precarijs, impositionibus, servitijs, teloneis ceterisq; ad nos & coronam Dacianam

„ Dacianam spectantibus in dictis exactionibus sitis damus & per præsentes assignamus, præfato domino Ludovico Alberti filio & suis hæredibus cum omni jure regio & libertatibus ab impetitione cujuslibet memoratas exactiones cum omnibus suis pertinentijs prædictis appropriantes jure hæreditario & perpetuo possidendas ac pro usibus suis libere disponendas talibus annexis conditionibus: Quod idem dominus Ludovicus Alberti filius & sui hæredes à nobis homagium accipere debeant ac nobis & coronæ Dacianæ prædictæ stabilem fidelitatem & plenam securitatem, omnibus diebus vitæ suæ fideliter conservare ac ipsos in omnibus servitijs nostris & regni nostri prænotati ubique viriliter exhibere. Ut autem omnia præmissa prædicto domino Ludovico Alberti filio & suis hæredibus firma & inviolabilia in posterum conserventur, nos sigilli nostri appensione ac sigillorum magnificorum principum dominorum Gerhardi avunculi nostri dilecti, Iohannis Holsatiæ ac Stormariæ Comitum, Adolphi eâdem gratiâ Comitis de Schouenborg & venerabilium in Christo patrum dominorum Caroli archiepiscopi Lundensis Sueciæ primatis, Nicolai Burglavensis fratris Petri Othoniensis, Iohannis Slesvicensis, Iohannis Ripensis, Iohannis Roschildensis, Tychonis Viburgensis & Suenonis electi Arhusiens. confirmari & capitulorum omnium cathedralium ac Episcoporum prædictorum domini Henrici Nicklessón Prioris & fratris de Anderschow, & domini fratris Abbatis Ringstadiensis nobilium militum Danorum, Laurentij Ionessón, Drost, Canuti Porse, Nicolai Brock senioris, Andreæ Pederssón Stygge, Petri Pederssón Stygge, Henrici Nicklessón, Uffonis Nicklessón, Nicolai Gutteskonning, Ingvari Hiort, Iohannis Uffessón, Augonis Esckildssón, Andreæ Pederssón de Alnetorp, Tychonis Vind, Elbonis Galt, Petri Rustici (*Bonde*) Absolonis Ioenssón, Nicolai Brock junioris, Nicolai Ioenssón de Ryndning, Iohannis Iffuerssón, Petri Grubbe, Iohannis Olufssón, Nicolai Thuessòn de Horby, Canuti Nicklessòn, Petri Carlssen, Iacobi Nicklessòn, Nicolai Thuessòn de Klabetorp, Andreæ Peterssòn de Bulletorp, Nicolai Iacobssòn de Haragre, & Nicolai Kyrning. Nec non & armigerorum scilicet Iohannis Hasenberg, Saxonis Peterssòn, Nicolai Anderssòn de Tubetorp, Andreæ Laugessòns, Andreæ Olufssòn, Nicolai Suen, Petri Torbenssòn, Iohannis Magnussòn & Iohannis Due, præsentes literas duximus roborandas, in testimonium, cautelam, evidentiam & certitudinem plenariam. Actum & datum Roschildis anno dominicæ incarnationis MCCCXXVI Sabbato infra octavam Apostolorum Petri & Pauli, in præsentia nostra.

Accepit quoque in signum benevolentiæ ac regiæ gratiæ possidendas Langelandiam & Arream insulas satrapa *Laurentius* Ionæ: redditâque Lundensium archiepiscopo Boringholmiâ, quam ei jam ante Christophorus præripuerat. Duci *Porsio* quæ concessa diximus, eâ lege concessa rex electus voluit, si & idem approbasset avunculus suus *Gerhardus* Holsatiæ Comes, aliàs irrita esset donatio & literæ super eâ confectæ traderentur *Ludovico* Mareschalco. Facta tum simul de territorio *Rodneberrid*, in insulâ Boringholmiæ sito, compromissio inter *Iohannem* Uffonem & *Carolum* archiepiscopum, constituto sequestro *Ludovico* Mareschalco. Cui eidem Ludovico Viburgensis insuper præfectura nec non forum ac juris dicundi provincia demandata. Pronunciatusque territorij apud Scanienses universi judex ac litium diremptor *Iohannes* Uffo. Reperio inter acta curiæ, quæ Hardervici est, Gelrici Ducatus non incelebris oppidi, asservari diploma eodem hoc anno MCCCXXVI civibus urbis à *Woldemaro* tum noviter electo rege indultúm, in quo Burgenses de **Harderwyck**, ità enim verba habent, suam in tutelam ac fidem peculiari gratiâ ac favore se suscipere & easdem immunitates ac prærogativas in regno suo & præsertim in Scaniâ ac Scanorâ, ubi tum celebris erat halecum piscatio, concedere testatur, quas olim temporibus *Woldemari* secundi, hunc progenitorem suum ijsdem in tabulis vocans, habuissent. Datæ literæ Wordingburgi, feriâ proximâ ante diem nativitatis beatæ Mariæ, additumque sub calcem, teste domino *Gerhardo* Comite Holsatiæ & Stormariæ illustri, avunculo nostro perdilecto. Renovata tum quoque firmataque privilegia omnia, quæ reges jam olim Daniæ, prædecessores ejus, Frisiorum urbi *Staveræ* ejusque oppidanis, navigatione ac commercijs isto præcipuè tempore insigniter florentibus, liberali manu concesserant. Sed literarum ipsarum, quæ Hardervicenos spectant, cujusmodi eæ in urbis archivo servantur, hîc apponendum exemplum censui: quod est ejusmodi:

„ Waldemarus Dei gratia Danorum Slavorumque Rex, Dux Esthoniæ, omnibus præsens scriptum cernentibus salutem in domino sempiternam. Constare volumus universis tam præsentibus quam futuris, quod nos discretos viros presentium exhibitores Burgenses de

Harderwyck

CHRISTOPHORUS II Rex. A. C.

Hardervvyck regnum noſtrum cum ſuis mercimonijs viſitantes ſub noſtra pace ſuſcipimus & protectione ſpecialiter defendendos. Nos volentes favoris & gratiæ prærogativa proſequi ſpeciali ipſiſque cupimus & denunciamus omnes gratias & libertates, quas temporibus D. Waldemari quondam Regis Danorum progenitoris noſtri claræ memoriæ dignoſcantur liberius habuiſſe vid. quandocunque & quotieſcunq; alicubi in regno noſtro in *Skanor* vel alibi cum navibus ſuis applicuerint naves ſuas poſſint ſecure exonerare & bona ſua ſive in ſale ſeu in pannis laneis vel lineis aut in cerâ vel in vario opere fuerint, ſeu in alijs mercimonijs quibuſcunque quocunque nomine cenſeantur ad terram & ſuas *bodas* vel hoſpitium pro ſuo libitu voluntatis libere deducere & non debeant per Advocatos noſtros ſuper hoc nec per aurigas qui dicuntur *Wounkarle*, nec per nautas qui *zoekarle*, *pramekarle* vel *ſchudemen* nuncupantur, nec per aliquos alios quorumlibet impediri. Et dicti nautæ & aurigæ prout cum ipſis convenerint, bona eorum ducant impedimento quolibet procul moto. Item ſi aliquis auriga vel nauta bona ipſorum per ſuam incuriam deſtruxerit vel madefecerit, ipſe debet ea prout rationi conſonum eſt, emendare. Item omnia quę ſub pondere vendi ſolent, poſſunt in ipſorum *bodis* ſive *vicæn* vendere & alienare & cum ſtaterâ Colonienſi & pondere debito trutinare. Item vinum quod perſonaliter apportarint poſſunt in ſuis *vicæn* ad clepſidras vendere & alienare. Item nullus *forpugh* emat apud littus maris ultra dimidium plauſtrum alecium, ſicut amiſſionem omnium, quæ ſic emerit, duxerit evitandam. Item nullus emat alecia in aquis, ſed ſi aliquis incauſatus fuerit quod alecia in aquis emerit ipſe tertia manu ſe purgabit & hac de cauſa convictus Advocato noſtro tantum tres *murelden* tamen emendabit. Item de omnibus & ſingulis querimonijs & controverſijs ac læſionibus quas inter ipſos Burgenſes de **Hardervvyck** mutuo commiſerint, Advocatus proprius in Skanor habeat diſcutere & judicare, niſi hujuſmodi læſionis emenda ad vitæ vel manus amiſſionem ſe extendat. Item ſi ità contigerit vid. ſi aliquis alium interfecerit aut gladio, ſecuri, lanceâ ſeu cultello ſive aliquo alio armorum inſtrumento ſecando vel tundendo vulneravit, ſeu haſtâ, baculo ſive lapide percutiens membrum fregerit aut ad effuſionē ſanguinis vulnus inflixerit, de hujuſmodi advocatus noſter qui eſt, & qui pro tempore fuerit, habeat judicare. Item ſi aliquis ex ipſis Dacum aliquem pro debitis novis vel de aliquibus annis præteritis incuſaverit, advocatus noſter ipſi de **Hardervvyck** dicta debita ſua juxta *leges* terrę ſine aliqua multa aut aliquo ejus damno adjudicabit. Item nulli de **Hardervvyck** damnatio aliqua adſcribatur niſi per cauſam quę ad amiſſionem vitę vel manus ſe extendat. Item ſi ita contigerit, quod abſit, quod alecia non capiantur, nec in Skanor ſalſentur, quilibet dato ſuo *torghórebngh* autoritatem habeat bona quę adduxerit abſque teloneo libere deducendi. Item ſi alicubi infra regni noſtri terminos naufragium paſſi fuerint, Advocatus noſter ſeu aliquis alius cujuſcunque condiditionis ſeu ſtatus exiſtat ipſorum bona nullatenus impediat vel ſe de ipſis nullatenus *intromittat* quandoquidem ipſa bona perſonaliter per ſe vel per alios quos ad hoc conceſſum vel conductum habere poterint, valeant de naufragio liberare. Item ſi aliquis ipſorum ligna ſive carpenta ſua in Skanor vel alicubi alibi in regno noſtro depoſuerint, navemque ſuam cum alijs mercimonijs onuſtando abceſſerit, ipſo cum redierit dicta ligna ſua abſque impedimento recipiat & ea ſoluto ſuo *thorghórebngh* abſque omni alio Teloneo libere deducat. Item ſi aliquem ex ipſis infra regni noſtri terminos decedere contigerit conſanguineis ſuis & hęredibus ſuis non pręſentibus bona ſua apud unum fidelem & diſcretum illius civitatis vel loci ubi deceſſerit ſub bonorum teſtimonio ſequeſtrentur uſq; ad diem & annum. Si aliqua ex illis bonis, tam diu durare non poterunt, ſine damno in alia bona durabilia convertantur & ſimili modò ſequeſtrentur. Et ſi veri hęredes ipſius aut ipſorum tutor ſi minoris ętatis fuerint, pro hujuſmodi bonis repetendis infra dictum terminum venerint cum bonorum ſufficienti teſtimonio ipſius pręfata bona reſignentur & libere aſſignentur abſque ulla difficultate. Si vero pręfati hęredes aut ipſorum tutor infra prefatum terminum non venerint, ſępe dicta bona nobis cedere debeant libere poſſidenda, prout exigunt leges terrę. Item nullus ipſos ſuper eorundem *vicæn* in ipſis bodis ſine eorum voluntate deſtruendo aut ab ipſis aliquid abſtrahendo ab ijs impediat aliqualiter vel moleſtet. Item exactores qui *ſilekrever* dicuntur, non debent propter opus diei feſtivi ephippia alicujus aurigæ bona ipſorum ducentis auferre vel deſumere quoquo modo. Item nullus bona ſua amittere debeat propter alterius pugnam vel delictum. Item teloneum eorum maneat prout fuerat ab antiquo niſi quis equum emerit pro ſua propria ſella cū quo intendit per terras ad propria remeare & tunc pro tali equo dato ſuo *thoreghórebngh*

liber eſt

,, liber est & excusatus. Item liceat ipsis lâstadia sumere in fluctibus maris ubi volunt. Item
,, telonea Coggonum maneant prout fuerant ab antiquo ut ante hæc omnia per nostros Ad-
,, vocatos & Officiales in perpetuum firmiter observentur. Præsentes easdem literas si-
,, gilli nostri munimine roboratas contulimus in testimonium & evidentiam firmiorem.
,, Datum Wordingborch anno incarnationis Dominicæ MCCCXXVI quinta feria proxima
,, ante diem nativitatis beatæ virginis. Teste Domino Gerhardo Comite Holsatiæ & Stor-
,, mariæ illustri avunculo nostro perdilecto.

Canutus deinde Porsius antequam à rege Christophoro in feudum Ducatus Hallandię esset immissus, equestri dignitate contentus agens, hoc circiter tempore, qui fuit annus supra millesimum trecentesimum vigesimus septimus, illustres nuptias affectare haud veritus in conjugem sibi sumpsit *Ingeburgam*, Magni *Smegi* Sueonum regis superstitẽ matrem: Erat ea *Erici* Ducis, quem tame enectum in arce Nicopensi diximus, vidua, filia verò *Haquini* Norvagiæ regis. Atque ęa occasione facilius *Porsio* borealis Hallandia australi addita, quod ea jam olim *Erico* Duci, *Ingeburgæ* marito, à rege ac regni proceribus in feudum fuisset concessa. Sicque ille cum regni utriusque Daniæ Sueciæque veluti dynasta ageret, superbire atque animos cæpit tollere. Cujus nomine, sicuti & maternarum nuptiarum causâ, *Magno* Suecorum rege haud exinde propitio admodum usus est. Nam & Axelvoldam Ostrogothiæ arcem, quam *Ingeburga* (utpote sibi in vitam ab *Erico* marito concessam) Duxque *Porsius* defendebat, ipsis hoc anno *Magnus* ademit, & proximè sequenti ad Hunesshalsam obsidendam procinctum movit. Idem *Porsius* Helmstadium tenens, eam hoc tempore urbem privilegijs primus donavit & Suecos, qui eò negotiandi gratia commeabant, teloneo immunes pronunciavit. Auxit tum quoque, additis novis prærogativis, Lundensium immunitates Rex *Valdemarus*, habitisque Helsenburgi comitijs de controversiâ, quæ agitabatur inter archiepiscopum & *Iohannem Vffonem* super ditione *Rodneherrid* eum in modum pronunciatum, ut municipium *Rodnekiobsted*, itemque pagus *Rodneberret*, utraque sint *Iohanni* Uffoni adjudicata. In literis hac de re evulgatis *Valdemarus* se regem; *Gerhardus* verò se ejus Tutorem appellat. Sunt autem ejusmodi:

MCCCXXVII.

,, Omnibus præsens scriptum cernentibus, Voldemarus Dei gratiâ Danorum Sclavorumq;
,, rex salutem in domino sempiternam. Cum olim inter magnificum principem dominum
,, Ericum, qui tum regni Daciæ gubernacula tenebat, & coronam regni ex unâ parte & ve-
,, nerabilem in Christo patrem, dominum Iohannem Grand quondam Lundensem archie-
,, piscopum, Sueciæ primatem; ex alterâ, ratione captivitatis ejusdem domini archiepisco-
,, pi & propter damna & injurias, quæ & quas Lundensis Ecclesia passa fuerat, tempore ca-
,, ptivitatis ejusdem, unde lis quædam increverat & discordia in tantum augmentata & in
,, Romanâ curiâ agitata, ut totum regnum Daciæ ecclesiastico supponebatur interdicto &
,, sic longo tempore & annis pluribus ligatum & interdictum tenebatur, quem dominus
,, etiam rex & quidam alij de regno potentiores sententijs fuerunt excommunicationis ca-
,, nonicæ enodati. Tandem prædictus dominus rex se & regnum suum, ratione damni &
,, injuriarum prædictarum, Lundensi ecclesiæ in decem millibus marcarum puri argenti, in
,, quibus Ecclesiæ per sententiam Romani pontificis se recognoverat condemnatum, obli-
,, gavit. Considerans etiam prędictus dominus rex mirabilem statum, in quo ipsum regnum
,, Daciæ positum fuerat, pro utilitate & liberatione omnium de regno ut ipsum interdictum
,, eo facilius ac citius potuisset relaxari. Majorum ac meliorum regni ad hoc accedente
,, consilio, et unanimi consensu *Hervidstadherrid* in Scania et *Rodneherrid* in Borringholm
,, cum omni jure regio Lundensi ecclesiæ pro dictis decem millibus marcarum argenti de-
,, dit, in solidum scotavit et assignavit jure perpetuo possidenda. Pro dicto verò *Rodneher-*
,, *red*, quod hæredes nobilis viri domini Uffonis quondam dapiferi, ipsum *Herred* ad se dixe-
,, runt de jure pertinere et minus juste dicto *Herred* se fuisse privatos asserebant, ideo *We-*
,, *mundeboghsherret* in Scaniâ loco dicti *Rodneherrit* prædictus rex ratione evictionis posuit &
,, assignavit in pignus, tali conditione adjectâ: Quod si à prædictis hæredibus domini Uffo-
,, nis dapiferi prædicti, sæpe dictum *Rodneberrid* in Borendeholm, quocumq; tempore con-
,, tingeret evinci, seu ad ipsos vel ipsornm aliquem aliquo jure redire ex tunc *Wemundeboigs-*
,, *herred* cum omni jure regio, villâ *Aas*, *Ydstad* et suis attinentijs exceptâ, cum omnibus alijs
,, bonis regalibus, quibuscunque in eodem *Herret*, ipsi Lundensi Ecclesiæ lòco prędicti *Rod-*
,, *neberret*, ut prius est expressum, absq; omni aliâ scotatione cedat, jure perpetuo possiden-
,, dum, prout hæc omnia in literis super hoc confectis et sigillatis Domini Erici regis præ-
,, dicti, prælatorum et meliorum regni Daciæ plenius continetur. Convenientibus in
Helsinborg

Helsinborg anno domini MCCCXXVII in crastino beati Lucæ Euangelistæ, magnifico principe domino *Gerhardo* Dei gratia Duce Iutiæ, Holsatiæ, Stormariæ Comite ac tutore nostro nec non & consiliarijs nostris & potioribus regni nostri Daciæ inter alia, quæ ibidem agebantur, proposuit dominus Iohannes prædicti domini Uffonis filius, quod *Rodneherret* in Borendeholm ad ipsum de jure pertinebat, & quod injustè & iniquo judicio fuerat sibi abjudicatum, respondente econtra venerabili in Christo patre domino Carolo permissione divina archiepiscopo Lundensi Sueciæ primate, quod prædictum *Herret* ad Ecclesiam suam Lundensem, de jure pertinetur, ex eo quod pro decem millibus marcarum argenti, in quibus dominus Ericus quondam Rex Daniæ, pro damnis & injurijs quæ & quas Ecclesia Lundensis tempore captivitatis domini Iohannis Grand prædicti passa fuerat, obligatus tenebatur, prædictum *Herret* Lundensis Ecclesia receperat in solidum. Sic actis, necessarium videbatur melioribus & discretioribus ibidem congregatis ut hujusmodi liti & discordiæ finis imponeretur, isto modo, scilicet quod nominarentur duodecim viri diserti, qui de veritate hujusmodi negotij inquirerent, in causam seu litem sub juramento terminarent, nominati duodecim fuerant isti qui sequuntur domini, scilicet, Andreas Peterssón de Alnetorp, Gregorius Thuessón, Petrus Egetheside, Nicolaus Hack, Andreas Peterssón aff Bulletorp, Nicolaus Kyrning, Petrus Nielssón de Stodhauge, Petrus Laxmand, Stigotus Peterssón, Benedictus Sunessón, Esbernus Moenssón & Ioseph Saltensee, milites; qui se ad partem trahentes, de veritate prædicti negotij, inquisitionem fecerunt diligentem, tandem redientes suo juramento firmaverunt, quod prædictum *Rodneherret* ad D. Iohannem Uffessón pertinebat de jure, & quod nunquam sic legaliter ab eo fuerat abjudicatum, quod prædictum *Herret* amittere tenebatur. Quia per duodecim ad Ioh. Uffessón, *Rodneherret* legaliter, ut apparet, est adjudicatum. Nos nolentes Ecclesijs & sacris locis ad cultum divinum & Dei sacrificium dedicatis, in suo jure deficere secundum formam & tenorem literarum prædicti D. Erici regis prædictũ *Wemundebógsherret* cum omni jure regio, villa Ydstad excepta, cum suis omnibus attinentijs pro prædictis millibus marcarum argenti, in quibus prædictus rex & corona Lundensi Ecclesiæ, ratione damnorum & injuriarum, quæ & quas tempore captivitatis D. Ioh. Grand archiepiscopi incurrerat, obligati tenebantur, authorizante D. Gerhardo tutore nostro antedicto & his omnibus & singulis authoritatem & consensum præbente de meliorum regni nostri consilio & consensu, adjudicamus jure perpetuo possidendum. Nec obstante quod ipsum *Wemundebógsherret* domino Hollingero Nicklessón fideli nostro per nostras literas concessimus, quas tenore præsenti totaliter revocamus, præcipue cum ipsum *Wemundebogsherret* Lundensi Ecclesiæ prius fore dignoscitur in recompensam *Rodneherret*, ratione evictionis, assignatum; Inhibentes districtè per gratiam nostram, ne quisquam cujuscunque status seu conditionis existat, prædictam Lundensem Ecclesiam contra hanc nostram sententiam in aliquo perturbare seu molestare præsumat, prout indignationem nostram & regiam vitare volueritis ultionem. In cujus rei testimonium, sigillum nostrum unà cum sigillis dominorum magnifici principis D. Gerhardi Ducis Iutiæ, Holsatiæ & Stormariæ Comitis dilectissimi avunculi & tutoris nostri prædicti, Canuti Ducis Hallandiæ & Samsoë, Laurentij Ionessón, Ludovici Albretssón Mareschalci nostri, Petri Vandelbo quondam Mareschalci, Andreæ Pederssòn de Alnetorp, Petri Egeteside, Petri Styg, Stigoti Anderssòn, Gregorij Thuessòn, Petri Grubbe, Nicolai Iacobssen de Haragre, Andreæ Nicklessòn de Nielstrup, Andreæ Pederssòn de Bulletorp, Nicolai Kyrning, Nicolai Hack, Canuti Nielssòn, Kethilli Pederssòn, Peder Nielssòn Litle, Iacobi Grubbe, Stigoti Pederssòn, Peder Laxmand, Esbern Magnussòn, Christierni Bojessòn & Ioseph Saltense, Agonis Haas, armigerorum, præsentibus duximus apponendum. Datum anno, die, loco supradictis.

Memoratum superius in rebus *Erici* ad annũ MCCCXVIII tabulæq; prolatæ, quibus Dux *Christophorus* & archiepiscopus olim Lundensium *Esgerus* se utriq; *Ingeburgæ*, Suecorum Ducum *Erici* & *Voldemari* tum captivorũ, conjugibus bona nonnulla ecclesiæ Lundensis Calmariæ oppignorasse fatentur; Ea hoc tempore ejusdem ecclesiæ præsul *Carolus* libera ac soluta præstitit, acceptâ apochâ quæ data Daneholmiæ sexto ante festum divi Iohannis die.

Per idem fere tempus in Daniam venit Ericus *Woldemari*, regis olim Sueonum *Valdemari* filius. Is aliquandiu Norvagorum regi *Magno* à sacris fuerat, & nunc, mutatâ personâ, secularis hæredia quædam à parte matris ad se pertinentia hisque in oris sita, jure reposcebat. De quibus Neoburgi ità statutum, ut quæ ipsius essent, ei traderentur, si verò demonstrari posset plus juris in eadẽ alijs competere, ijs sententia lata nihil præjudicaret. In his bonis,

CHRISTOPHORUS II. Rex. A. C.

quæ ad se apud Scanos spectare referebat, nominabantur Malmogia & Trelleburgum itemque pars tertia Malmogiæ ortivæ; apud Zelandos Skielsóra & Scheppinga cum appendentibus: apud Fionios *Herritzloffgarda* & alia nonnulla, ut *Borbya*, *Bogensea*, *Hindsholmia* & *Pertorpium*: apud Iutas *Ierloffherrid* & *Nessum* aliaq; minoris nominis. Deditq; idem absolutam potestatem *Ludovico* olim Mareschallo, nec non Petro *Brockio Nicolai* filio, ut apud Iutas, Fionios ac Zelandos pagos ac possessiones jam nominatas, ab ijs qui eas jure aut injuriâ detinerent, repeterent ac suo nomine cum illis, prout videretur, agerent. Tum etiam rex *Valdemarus*, consentiente præter regni consiliarios, *Gerbardo* Comite, oppignoravit Erico *Holck* & Agoni *Ivaro* Vindbyam, Draugbyam, Boseholmiam, Elsemarkiam, Holmiam, Suartorpium, Ebeltofftam & Grindaviam cum prędio regio, *Kongsgaard* dicto alijsque vice marcarum Lubecensium mille.

Rex autem Christophorus, pace cum fratre suo uterino *Iohanne*, Vagriæ Comite, circa idem fere tempus initâ, sperabat hoc pacto commissum non modò iri utrumq; Comitem *Iohannem* & *Gerhardum*, sed & se quoque illis dissentientibus ad regni solium facilius rediturum. Estque per idem tempus sublata lis omnis de *Rodneberret* Boringholmensi territorio, de quo toties ac tamdiu litigatum fuerat. *Iohannes* enim *Vffo*, semel atque in perpetuum acceptis à præsule Lundensi *Carolo* mille marcis monetæ Scaniensis, id ei utendum ac possidendum soli ac secure permisit. Funestus ac fatalis annus fuit *Wartislao IV*, Rugiæ ac Pomeraniæ principi. Cujus relicta vidua *Elizabetha*, præter *Bugislaum V* & *Barnimum IV*, quos ante sustulerat, defuncto nunc insuper parente, posthumum genuit *Wartislaum V*. Privatus est etiam imperatoriâ dignitate per *Iohannem XXIII* Romanum pontificem *Ludovicus Bavarus*. quanquam ille, contempto pontifice, Avenione tum apud Gallos agente, diadema Romæ assumpsit tradente illud *Stephano Columnio* principe ac cardinale egregio, qui eductum è cœnobio Franciscanæ familiæ *Petrum Corvarium*, natum in agro Reatino, pontificiâ tiarâ exornavit, eumque *Nicolaum IV* appellavit. Sed eo mox à discessu *Ludovici Avenionem* per seditionem misso atq; ibi in custodia vitam finiente, solium ac sedem retinuit *Iohannes*.

MCCCXXVIII. Initio fere anni sequentis millesimi vigesimi octavi supra trecentesimum obijt Ludovicus *Alberti* de Everstein, regni olim Mareschallus, novi regis *Voldemari* præcipuus fautor & ad regiam dignitatem promotor. Ei funus ductum Wiburgi. Per eosdem fere dies *Gerhardus* Comes, regni primas, tributum nomine regis *Voldemari* Zelandicis colonis jusserat modicum. Sed illi censum qualemcunque negantes convenêre quasi pro aris ac focis dimicaturi. Quod cum animadverteret *Gerhardus*, assumptis secum sagittandi peritissimis, plurimos eorum telis configi permisit, ceteri & qui effugere nequierunt, aquis hausti perierunt. Exarserat circa eundem temporis tractum bellum sive lis potius inter Ducem Megapolitanum & Rugianos principes de Rugiæ territorio, in quod sibi etiam aliquid vindicare Megapolensis videbatur. Erant tum adhuc minorennes *Wartislavi quarti* liberi. Itaque eos sibi defendendos sumebant Gripswaldenses, qui, missis ad regem *Woldemarum* legatis, copias auxiliares submitti orabant. misitque extemplo *Woldemarus Gerhardum* Comitem cum equitibus cataphractis sexcentis. qui unà cum milite domestico Megapolenses in fugam egêre. Inde factis inducijs, fœdus initum, quod *Gerhardo* absente, vicissim ruptum est. Quapropter *Otho* & *Barnimus* Pomeraniæ Duces, susceptâ liberorum *Wartislavi* defensione, jus eorum ac ditiones egregie tutati sunt.

Per idem tempus rex *Valdemarus* Slesvicensis singulari quoque gratia prosequebatur *Elizam* Petri filiam conjugem D. Ludovici *Albertzón*; Eiq; cuncta, quæ possidebat, libera & à vectigalibus immunia concessit, eam peculiariter sibi defendendã suscipiendo, & causam quoque marcarum quadraginta indulgendo. Huic *Ludovico* frater germanus erat Albertus *Albertzón*, cui uxor erat *Ingeburga*, ex qua filij eidem nati quinque *Albertus*, *Henricus*, *Hermannus*, *Ludovicus* & *Christiernus*. Domina verò *Eliza* filium habuit Petrum *Ludovici*. Eratque idem Ludovicus *Albertzón*, *Alberti* Comitis Glicensis & Everstenij filius, mater verò ejus filia erat Domini Elberni *Snarei*, soror *Ingeburgæ* Callenburgensis.

Christophorus autem Rex, dum una cum filijs utroq; *Waldemaro* & *Othone* peregre agit, haud unquam desijt causam suam episcopis ac nobilitati, & quicunq; aliquid intra regnum poterant, per literas atq; internuncios commendare: adjiciens paratum se fore, quodcunq; in Deum, ecclesiam atq; ipsos à se esset commissũ, corrigere atq; emendare, & velle quoq; ipsos universos suo favore ac gratiâ peculiariter prosequi, omnesq; actiones suas ac regimen quoq; ipsum ad nutum & voluntatem ipsorum componere. Apud exteros verò & præsertim Cęsarem, reges, principes ac dynastas passim Germaniæ, de injuriâ sibi ac liberis suis

CHRISTOPHORUS II. Rex. A. C.

ris suis allatâ querebatur, quod causâ nimirum non cognitâ è regno ejectus exulare cogeretur: eamq; ipsorum judicio ac sententiæ submittens eorum opem atq; auxilia implorabat, quo retunderetur rebellium contumacia: Et hoc ut in præsens utile, ita in posterum alijs exemplo futurum commonstrabat. Effecitq; apud Imp. Bavarum, idem quoq; agente Marchione *Ludovico*, quem supra filiam ejus duxisse retulimus, ut in aulam Cęsaream receptus filius suus *Woldemarus*, ijs ibi artibus atq; experimentis adolesceret, quæ ipsi postmodum totiq; regno utiles atq; usui fuêre. Obtinuit præterea ab eâdem Cæsareâ majestate literas ad *Gerhardum* Comitem, quibus eum commonebat Imperator, ut causam suam judicibus neutram in partem propendentibus subjiceret. Vocatiq; ad rem propius cognoscendam Saxo, Megapolensis ac Pomeraniæ Duces, qui, causâ penitius inspectâ, compererunt *Gerhardum* præcipue pignus, quod ipsi esset traditum, vindicare: de *Valdemaro* autem nepote suo respondisse, nec ad se nec ad imperium eam causam pertinere, quod rex esset electus ad consuetudinem regni Danici. Christophorus nihilominus promissis ac pollicitationibus assiduis id demum apud regni indigenas effecit, ut archiepiscopus Lundensis & magna nobilitatis pars tam apud Zelandos, quam Scanos, Langlandios & Falstrios se erga ipsum benignos propensosq; declararint. In his fuêre Albertus *Alberti* ab Everstein, D. *Ludovici* defuncti frater, alijq; ejusdem filij atq; hæredes, D. Petrus *Nielßön Ludeke*, Prosius *Jenßön*, Andreas ab *Alnerup*, D. Andreas *Nielßön*, Petrus *Styggeus*, D. Kiedelius *Pederßon*, Petrus *Jenßon* Cancellarius, Nicolaus *Anderßon*, Iohannes *Hasenbergius*, Henricus *Petri*, Ericus *Jonæ*, Ago *Haßus*, D. Uffo *Nicolai*, D. Eschillus *Brock*, Dominiq; *Verlenses*, qui varias intra regnum possessiones hærediaq; habebant alijq; plures. Quibus & Ripensis episcopus Iacobus *Splid* & Arhusiensis *Sueno* sese junxere, præsertim cum animadverterent *Gerhardum* sibi potius, quàm regi electo *Valdemaro* studere. Tum & urebat eosdem teneri atq; administrari à Theutonis ceterisq; regni arces ac pręfecturas, quibus pręfici aliàs ac pręesse indigenæ consueverant; quin etiam illud pungebat, quod nonnulli beneficijs amplissimis ornati apud regem essent acceptissimi, cum alij neq; acciperent quidquam, neq; ullo haberentur loco. adeò ut pænitere eos cæperit, quod regem Christophorum ejusq; filium regno unquam pepulissent aut fœdera adversus eundē inijssent. Itaq; ij ipsi, qui abjurarant, revocare eū ac monere instituerunt, ut exercitum adduceret, se, quas possent, vires auxiliaq; collaturos. Ità fœdus inter plures ac dissimiles & qui ad scopū haud unū collinearent, initū, facile ruptum scissumq; fuit. Nec Comes *Gerhardus* ad eam unquam potentiam atq; authoritatē, quâ pellebat apud regni proceres indigenasq; pervenisset, nisi ipsi inter se diffidentes, nec sibimet ipsis fidi aut fidentes hujus ipsi calamitatis ac distractionis causæ fuissent.

Sed Christophorus viribus omnibus destitutus cum fratre suo uterino *Iohanne* Holsatiæ & Wagriæ Comite cæpit agere, ut præstitâ certâ pecuniæ summâ sibi in Daniam procinctum moventi adesset. Iuitaq; Lubecæ inter eum & Comitem, die divi Andreæ Apostoli, tractatio, quæ in hunc fere modum habuit; ut rex acceptâ 20000 marcarum Colonensium argenti summâ, earum alterius partis loco oppignoratas Comiti traderet Langlandiam & Falstriam cum omni jure regio, eum nimirum in modum quomodo prædicti Comitis parens unà cum conjuge suâ reginâ *Agnetâ* easdem insulas tenuisset, donec summa jam dicta redderetur. Comes autem solutionem Chilonij aut Lubecæ præstaret, rexq; 10000 marcarum, quæ essent reliquæ, per partes ac certis dierum vicibus persolveret. Concessitque eidem Rex monetæ jus intra Saxcopiam & prædia quædam Monensia cum Falstricis mutandi potestatem. Addixit se quoq; ei per omnia & ubicunque adfuturum defensurumq;. Hæc ea reconciliatio sit, cujus & Crantzius meminisse voluit, sed in eo errans, quod referat, inter Christophorū necnon *Iohannem* & *Gerhardum* Comites ità Lubecæ conventum, ut illi acceptis 80000 argenti marcis, eum in regnum reducerent: Pecuniarum autem nomine, cum eæ ad manus non essent, in pignus Comitibus rex cederet *silvam Danicam* (ità est in Crantzio) cum octo parœcijs. Sed horum in Danicis actis nihil occurrit.

Eodem circiter tempore *Canutus* Porsius, qui inter regni primates tum habebatur, contendere cæperat cum *Magno* Sueonum ac Norvagiæ rege. Et licet matrem *Magni* Canutus uxorem haberet, non tamen fida unquam aut firma inter eos amicitia coaluerat. Unde & *Henricus* & *Iohannes* Werlenses Comites, qui præter possessiones, quas intra regnum habebant amplissimas, etiam partes Christophori regis sequebantur, seque cum Sueonum rege adversus *Canutum* conjungunt. Displicebat enim ipsis *Canuti* fastidiosa potentia, qui præeminere cunctis volens etiam ipsorum territoria, quę in Zelandiâ tenebant, sibi vindicare cæperat, quod Christophoro affines amicique essent. Itaque fœdus cum

CHRISTOPHORUS II. Rex. A. C. MCCCXXIX.

Magno feriunt; sed eâ lege ac formulâ, ut id neutiquam in regis Christophori præjudicium, sed bonum potius cederet. Acta hæc Stocholmiæ annum circiter millesimum trecentesimum vigesimum nonum, postridie assumptionis Mariæ.

Hinc Christophorus usus auxilio, quod sufficiebat Comes *Iohannes* nec non *Henricus* Megapolensis aspectu territorij Rostochiensis, tum & Warlenses dynastæ Comesq; *Gunzelinus*, Lalandiam & Falstriam cum *Iohanne* ingressus Nicopiam obsedit ac deditione in suam potestatem recepit. Inde uterq; Wordingburgum profectus cum exscendere in terram pararent, occurrêre in adversum coloni aliquot, qui, absente *Porsio* ceteraq; nobilitate, fusi omnes fugatique fuêre; ijsque profligatis, passim codicillos affigi curat, quibus veniam & amnestiam præteritorum Zelandis atque universis pollicetur, qui redire in gratiam secum vellent. Et jam, ut ante memoratum, tædere Lalandos, Falstrios, Zelandosque cæperat externorum dominorum; tum & *Valdemari* Comitisq; *Gerbardi* imperiosam potentiam fastidiebant. Quocirca agere & pacisci cum Christophoro institêre, sibi de eo, post tot incommoda tantamque status ac dignitatis diminutionem, omnia nunc meliora pollicentes. Apud Iutas quoque concitati Episcopus Ripensis Iacobus *Splid*, & Arhusiensis *Sueno*, quique ijsdem adhærescebant. Hi relicto *Gerhardo* Comite & rege, quem elegerant *Valdemaro* Slesvicensi, seque jungentes Christophoro Haderslebiam, (in quâ, ut diximus, *Ericus* regis Christophori filius captivus tenebatur) desubito invadunt atq; ipsum carcere exemptum in Zelandiam transmittunt. Zelandosq; secutus confestim archiepiscopus Lundensis cum nobilitate Scanensium potissimâ. Qui initâ itidem cum rege pace, in gratiam recepti, suam ei opem auxiliaque luculenter sunt polliciti. Et ille vicissim promulgatâ omnium, quæ se absente contigissent, oblivione, propitium se ipsis ac fidum regem fore vicissim promisit. Hæc reconciliatio Roskildiæ celebrata; unde cum Hafniam movere jam castra rex insisteret, obvius ei fit *Ingvarus* Hiort Cervinus ex ordine equestri haud postremus; Eum affatus rex quærit, quâ ille audaciâ fretus ipsi in occursum prodire auderet, quem adeò graviter offendisset; ille respondit, venisse ut cum rege se reconciliaret ipsique urbem Haffniensium dederet; Ac simul ubi regi hoc ipsum certo asseruisset, præmisit extemplo Comes *Iohannes*, qui ab equite jam dicto arcem atq; urbem regis nomine acciperent, existimans sibi eo pignore satis cautum fore, modò copias suas urbi introduxisset. Cumque mox eodem accessisset Rex, & militem explicantem vexillum Comitis animadverteret, folium urticæ inscriptum exhibens; usq; adeò in fratrem uterinum excanduit, ut missâ confestim expeditione, & quod agendum instabat, relicto, in Iutiam arcemq; Scanderburgum concesserit. Ubi dum aliquandiu subsistit, equi ac miles in prata cœnobiaq; monasticorum immissus ea circumquaq; depastus est. Qui autem regis partes secuti fuerant, eos ægre habuit & remora quasi injecta, quod ipsum regressum ac sibi quodammodo metuentem viderent. Sed regi qui à consilijs erant, ei authores fuêre ut resarcitâ cum fratre uterino gratiâ, aliquid adversus *Valdemarum* & Comitem *Gerhardum* adversarios suos serium & quod in regni universi bonum posset redundare, auspicaretur. Quapropter, convocato fratre, denuò cum eo pacisci cæpit, idq; in hunc propemodū modum, ut Comiti Lalandia, Falstria, Zelandia & Scania in pignus cederent nomine sumptuum ac pecuniarum quæ in bellum impenderentur. Sed cum liberi *Ludovici* Mareschalci Helseburgum & totam ferè Scaniam, exceptâ australi Hallandia, quæ *Canuti* Porsij erat, obæratam tenerent, egit cum Duce *Porsio* Christophorus, ut is, retentâ Hallandiâ & boreali *Asbolierrid* cum insulâ Samsó & Callenburgo, dynastis Worlensibus hæredia sua redderet. His interfuêre compromissores, ratumq; hoc fore addixêre *Ericus* & *Albertus* Duces Saxoniæ, *Canutus* Dux Hallandiæ ac Samsoæ, *Conradus* Oldenburgensis & *Nicolaus* Wittembergensis Comites: Iohannes *Vffesson*, Inguarus *Hiort*, Iacobus *Nicolai*, Iohannes *Olai*, Nicolaus *Absolonius*, Petrus *Nicolai* dictus *Lycke*, Petrus *Carlsson*, Marquardus de *Sandberg*, Henricus *Bruchtorp*, Rudolphus *Parckentin*, Uffo de *Cruren*, Gotschalcus de *Aschenberg*, Nicolaus *Bruchtorp*, Emichinus de *Voodtzeke*, Henningus de *Sygen* & Marquardus *Stacke*, milites: Iohannes *Hasenberg*, Nicolaus *Sueij*, Iohannes, Magnus, Boetius *Ionesson*, Magnus *Thodde*, Nicolaus *Drutken*, Ivarus *Iffversson*, Iohannes *Iffversson*, Eggerus *Bruchtorp*, *Langelouve*, Hermannus *Ryckstorp*, Iohannes *Stacke* & Hennekinus *Breyde*, fide mediâ promiserunt.

Atque inde ipse seorsim Comes *Iohannes* cum liberis & hæredibus *Ludovici* Mareschalci ejusque fratre *Alberto* Alberti super Helsenburgo totaque eâ diœcesi in manus suas aut principis *Erici*, filij regis Christophori, transferenda, triduo ante festum Michaelis tractationem seu pactum inijt, postquam à parte *Alberti* juramentum esset præstitum, ad rei ac regni

CHRISTOPHORUS II. Rex. A. C.

regni præsertim Danici majorem certitudinem, quod *Orfeide* vocant, quod & altero deinde die, signaris utrinque tabulis, firmatum est. Compromissores ijdem adfuere fidemq; suam interposuêre, qui superius nominati *Ericus* & *Albertus* Duces Saxoniæ, *Conradus* Oldenburgensis, *Nicolaus* Wittembergensis Comites, Henricus à *Blunckeren*, Iohannes *Vffeßón*, Inguarus *Hiort*, Iacobus *Nicleßón*, Iohannes *Olai*, Nicolaus *Axelßón* seu Absolonius, Petrus *Nicleßón* dictus *Lycke*, Emechinus *Voetzen*, Petrus *Carlßón*, Marquardus *Stacke*, Henricus *Bruchtorp*, Marquardus *Bruchtorp*, Rudolphus *Parchentin*, Ulffo de *Kuren*, Gotschalcus *Aschenberg*, Nicolaus *Bruchtorp*, Henningus de *Zigen*, & Marquardus *Sandberg*, equites: Iohannes *Hasenberg*, Nicolaus *Sueij*, Iohannes *Magnußón*, Boetius *Ioneßón*, Magnus *Thodde*, Nicolaus *Nicolai*, Ivarus *Iffverßón*, Iohannes *Iffverßón*, Eggertus *Bruchtorp*, Nicolaus *Langelow*, Hermannus *Ryckstorp*, Iohannes *Stacke* & Iohannes *Breyde*: Datum Helsingburgi ut supra.

Rex autem ipse dominica post festum Martini diploma Tingstadij apud Falstrios evulgari fecit, in quo declaravit inter se & fratrem suum uterinum & quicunque utrique auxiliares fuissent, plene ac plane contractum pacificatumque: Et traditam fratri hæredibusque ejus Fimbriæ insulam ut feudum hæreditarium tam quod ad filias quàm filios cum jure ac jurisdictione omni regia: Lalandiam vero cum arce Alholmensi pignoris loco eidem permissam, donec persolverentur 20000 argenti puri marcæ: Sicque & Scaniam & Selandiam quoque concessas; excepto Callenburgo & eò spectantibus unà cum possessionibus ijs, quæ passim in Zelandia ad dynastas Werlenses, Megapolenses & Ducem *Porsium* pertinerent: Cum archiepiscopo etiam ceterisque ecclesiastici ordinis ac status post datas has literas pax esset & amicitia integra. Et additæ conditiones mulctaque posita, quam incurrerent, qui pacem violarent. Atque ita in Comitis *Iohannis* potestatem redacta Scania: Qui se exinde dominum ac dynastam Holsatiæ, Stormariæ, Fimbriæ, Lalandiæ, Falstriæ, Scaniæ, & denique Zelandiæ præfectum nominari voluit. Conventum tum quoque inter regem & Ducem Canutum *Porsium* in modum fere ut supra positum.

Eaque dum fiunt, seorsim id operam Comes *Iohannes* dedit ut reconciliaretur etiam Rex Christophorus & Comes *Gerhardus*. Cui rei induciæ primum constitutæ, ut ijs durantibus, Comes, quæ ipsi oppignorata essent, retineret & rex vicissim ex bonis regni quodcunque necdum esset expositum pignori, id tuto & liberè similiter possideret. Quâ cum subditis & Comitibus reconciliatione tum initâ Rex Christophorus pacate aliquandiu egit, degens ut plurimum Scanderburgi. *Ericus* verò filius ejus Neoburgi manebat, cum reliquæ fere regni arces omnes oppignoratæ ab alijs possiderentur.

Per idem tempus procurante rege, comprehensus est à Comite *Gerhardo* episcopus Borglumensis *Tycho* & ob id regnum interdicto subditum, quod septennium circiter duravit. Ejus interdicti formula, quam & pontifex confirmatam approbavit, exstat supra ad annum MCCLVI ab archiepiscopo *Iacobo Erlando* Wedelæ primum procusa divulgataque. Sed eo loci quum sensum hujus Constitutionis non ipsa verba expressérimus, hîc eàdem, quâ scripta est, formulâ, subjiciendam putavi. Est verò hujusmodi:

Cum ecclesia Daciana adeò gravi persecutioni sit exposita tyrannorum, quod episcopis, qui se pro domo Domini murum objiciunt defensionis, etiam in præsentia domini regis, in ipsorum personas non verentur minas injuriosas inferre, quæ satis probabiliter sunt timendæ, cum clerus secularis defensione videatur carere penitus potestatis, ac eorum superbia à metu Regio libera & secura; in malum possit ascendere quantum velit. Sanxit præsentis Concilij authoritas, quod quicunque episcoporum infra terminos Regni Daciæ, mala captione, de mandato domini regis, vel ejus conniventia, vel assensu, vel alicujus nobilis, qui manet infra fines prædicti regni, captus fuerit, vel membrum amiserit, aut atrocem injuriam in personâ suâ passus fuerit, ipso facto, dummodo probabiliter præsumi possit, hoc de voluntate domini regis processisse, ac dubium non sit hoc ipsum faciliter corrigere posse, in toto regno divina officia sunt interdicta. Si verò aliquid prædictorum alicui episcoporum illatum fuerit, per aliquem potentem, qui manet extra regnum Daciæ, & ex conjectura conjici possit, hoc aliquo modo ex regis, vel principum sive nobilium regni Daciæ consilio provenisse, ejusdem episcopi diœcesis à celebratione ministrorum (mysteriorum) sileat divinorum: Et si Rex per episcopos, vel quoscunque suæ diœcesis monitores distulerit, vel non curaverit taliter læso justitiam infra mensem exhibere, regnum ipsum ad condignam satisfactionem habeatur à divinis suspensum. Prohibemus

CHRISTOPHORUS II Rex. A. C.

,, bemus item sub pœnâ excommunicationis, ne quis presbyter sive Capellanus alicujus nobilis, durantibus prædictorum interdictorum sententijs, ipsis nobilibus, aut in loco alio aliquo in curijs dictorum nobilium, vel aliâs publice vel privatim divina celebrare præsumat. Quod qui fecerit, sciat se sententiam excommunicationis incurrisse. Actum in Concilio provinciali Vedelæ.

Eodem circiter tempore Esthonum nobilitas metuens ne Rex Christophorus tantâ rerum omnum penuriâ laborans, etiam eum Ducatum abalienaret, codicillos ipsius impetravit, quibus profitetur se prædictum Esthoniæ Ducatum nullo unquam tempore de regno seperaturum. Eorum codicillorum exemplum, quia & alia insuper de hæreditate & tutelâ liberorum similiaque continet, proxime subjiciendum putavi:

,, Christophorus Dei gratia Danorum Sclavorumque Rex, Dux Esthoniæ omnibus præsens scriptum cernentibus, salutem in Domino sempiternam. Præsentibus publice protestamur, quod terra nostra Esthoniæ cum castris, civitatibus, munitionibus inibi existentibus, per nos aut per nostros successores venditione, impignoratione, commutatione seu quocunque alio modò nunquam in perpetuum à corona vel regno Daciæ valeat alienari. Item ob reverentiam beatæ Mariæ virginis ac in remedium animæ nostræ nostrorumq; parentum volumus, damus & concedimus puellis in Esthonia existentibus ex gratia speciali ut succedant jure hæreditario parentibus ipsorum, quibus verò puellis defunctis ipsa hæreditas ad nos sive nostros successores revolvetur. Præterea volumus & concedimus quod vicinior consanguineus puerorum remanentium, post mortem parentum de consensu cognatorum usque dum ad annos discretionis pervenerunt, sit tutor & provisor. Item volumus quod consiliarij nostri terræ nostræ Esthoniæ habeant eandem authoritatem in sententijs ferendis, quam habuerunt à temporibus retroactis; Inhibentes omnibus nostris Capitaneis & officiarijs eorundem ne quis de ausu temerario se opponat prædictis, prout nostram regiam ultionem voluerit evitare. In cujus rei testimonium sigillum nostrum una cum sigillo venerabilis patris domini Olai Episcopi Revaliensis præsentibus est appensum. Datum Kopenhagen Anno domini MCCCXXIX in die beati Matthæi Apostoli, præsentibus consiliarijs nostris.

Interea verò dum Imperator *Ludovicus* à pontifice excommunicatus agit, Pomeraniæ Duces inter saxum quasi & salum positi ab Imperatore dignitatum suarum insignia non acceperunt. Quocirca Cæsar filio suo *Ludovico* Stetini Ducatum permisit, protestantibus licet in adversum Pomeraniæ principibus. Et Marchio deinde *Ludovicus* cum eâ occasione Pomeraniam ferro ac flammis involveret, eodem modo Megapolenses & Werlenses dynastæ, captâ opportunitate tituli, quem in Rugiam jam olim sibi vindicare videbantur, Tallensoam invadunt: Sed Barnimus Pomeranus Marcanos prope Prentzloviam cecîdit; & Comes quoque Gutzoviæ *Iohannes*, assumptâ nobilitate, quæ juxta Deminum & illa loca colebat, impetitis circa Watzloviam Megapolensibus, eos similiter fugat ac fundit.

Christophorus verò Rex, factâ reconciliatione, de quâ diximus, cum æstatem fere & hyemem quievisset, videretque regni subditos fastidire passim Holsatorum superbum dominatum, concitare nobilitatem ac plebem borealis Iutiæ in *Woldemarum* Slesvicensem cœpit. Et factus brevi tantus militum concursus ut denuò Gottorpium obsidione circumcinxerit. Aderat ipsi, præter ceteros, episcopus Ripensis *Iacobus* Splid & *Sueno* Arhusiensis, tum & patruus ejus, sed thoro non legitimo natus, *Abel* dictus, homo strenuus & belli militiæque vetus. Secumque volvebat animo Christophorus si *Woldemarum* vicisset, facile se exinde obviaturum *Gerhardo*: Quem & quieturum existimabat, si in eum & pacem jam ante pactam nihil id temporis moliretur. Verum *Gerhardus* haud ignarus quò spectarent consilia Christophori, totis viribus ad subveniendum *Woldemaro* progressus, iterum Gottorpium obsidione liberat, captis, præter eos qui occubuêre, quadringentis circiter. *Abel* verò, cujus jam mentio facta, is est, quem ut virum etiam strenuum ac militiæ veterem celebrat, inter cetera, vetus rhythmus eodem hoc seculo cantitatus, in quo præter alia, hæc legas:

QVOD HIC FATVR, COMPROBATVR
PALMARVM SOLENNIIS;
FIRMABATVR, AVGEBATVR,
GOTTVRP IN OBSIDIIS,

REGIS

CHRISTOPHORUS II. Rex. A. C.

REGIS TAMEN PATRVVS
ABEL MILES STRENVVS
RESISTEBAT,
VT VALEBAT,
FIRMITER,
VIRILITER,
EX TOTIS PRÆCORDIIS.

Idem quoque rhythmus nec episcopum *Spliddium*, sicuti nec *Suenonem* Arhusiensem (quorum uterque, ut jam patuit, regi Christophoro in eadem obsidione Gottorpiensi pro viribus adfuit) indictos omittit, sed utriusque mentionem facit honorificam, ubi inquit:

IACOBVS SPLID RIPENSIS,
PONTIFEX EGREGIVS,
ET SVENO ARHVSIENSIS,
DOMINVS EXIMIVS,
RECTORES ECCLESIÆ,
FAVTORES IVSTITIÆ
VERACES,
AVDACES,
SVASERVNT,
EGERVNT,
OMNIBVS VALENTIVS.

Atque istis ita peractis, cum animadverteret *Iohannes* Wagriæ Comes, qui veluti sequester ac medius inter diffidentes postulabatur, haudquaquam convenire, duos in Dania reges esse; idque causam perpetuo & occasionem fore motuum, cæpit cum *Woldemaro* Slesvicensi agere, ut sibi, dum viveret, certum censum ac portionem pactus, regno cederet idque Christophoro resignaret. Sed præcipua difficultas apud Comitem *Gerhardum* hærebat, cui traditus erat in feudum hæreditarium Slesvicensis Ducatus: Permovit nihilominus & *Voldemarum* Slesvicensem & *Gerhardum* Comitem *Iohannes* ut sibi, propositis idoneis medijs, persuaderi sinerent. Nam anno statim proximò, qui fuit millesimus trecentesimus ac trigesimus, interventu Comitis *Iohannis*, ipsa dominicâ *Invocavit*, volente & adsentiente rege Christophoro ejusque filio *Erico*, Ripis decretum, ut Comiti *Gerhardo* Fionia in feudum hæreditarium permitteretur cum jure omnibusque regijs reditibus, exceptis insulis in proximo sitis, ad quas non vado sed velis ac remo commearetur. Comes vicissim regi auxilio adesset, cum equitibus quinquaginta, excepto si adversus australem Iutiam & Comitem *Iohannem* res gereretur idque impensis regijs. Et præter conditiones alias etiam adstipulatum ut regi Christophoro Scanderburgum, *Erico* verò Neoburgum cum adjacente territorio relinqueretur, donec Helsinburgum Christophorus reciperet, ac denique *Ericus* amicitiæ firmioris ergò sororem *Gerhardi* Comitis, senioris *Erici* Saxoniæ Ducis viduam, in conjugem acciperet; quam ille tamen postmodum demisit, cum mox sub annum MCCCXXXI ad arma redijssent. De *Woldemaro* verò ita statutum ut is, omisso regio titulo, se in Ducatum Slesvicensem reciperet. Interim *Gerhardus* dum ei impensæ, quas belli tempore fecisset, redderentur, borealem Iutiam ut pignus teneret, excepto Scanderburgo, de quo est memoratum. E vitâ deinde migravit IX Kalend. April. *Iohannes* Hindius episcopus Roschildensis, dum peregrè in insulâ Rugiâ agens ecclesias eo loci obit. Erat enim, ut est ad annum MCLXIX indicatum, Rugiæ insula, quod ad spiritualia, Roschildensis episcopi obsequio ac jurisdictioni subdita, volente id ac literis Pontificialibus mandante *Alexandro* ejus nominis tertio Romanorum pontifice anno MCLXVIII ut præferunt ejusdẽ literæ, quarum exemplar superius est positum. Ei communibus omnium votis est surrogatus *Iohannes* Nieuburgensis. Obierunt præterea eodem hoc anno Dux *Canutus* Porsius, & regina *Euphemia*, Christophori regis conjunx. Quorum ille uno aut altero post Pentecostên die, relictis duobus filijs *Canuto* & *Haquino*, qui & ipsi haud diu exinde superstites fuêre, è vivis excessit; Regina verò *Euphemia* VII Calend. Augusti: Cujus funus Soræ celebratum. Iacetque ibidem tumulata sub æreo mausoleo, quod ei filius *Valdemarus* fieri exinde curavit. Eam nonnulli Esthonicam, sed perperam, nominant; Fuit etenim Marchionis Brandeburgici filia: Genueratque Christophoro priusquam ad regni

MCCCXXX.

LUDOVICUS BAVARUS IMP.

CHRISTOPHORUS II. Rex. A. C.

diadema perveniret, filios tres *Ericum*, *Valdemarum* & *Othonem* totidemque filias *Mettham*, *Agnetam*, *Margaretamque*. Quarum prima *Alberto* Brandeburgico nuptijs tradita; *Margaretam* Marchio *Ludovicus*, Imperatoris *Ludovici Bavari* filius, uxorem accepit. Alij pro *Metthâ Helvigam* nominant, & eam una cum *Agnetâ* innuptam obijsse sed perperã volunt. *Porsij* vidua princeps *Ingeburga*, defuncto licet marito, sibi nihilominus Callenburgum, Holbecam, Samseam & Hallandiam retinuit.

Post hæc die qui D. Remigio sacer est, inter Ducem australis Iutiæ *Valdemarum* & Comitem *Gerhardum* ab una, & alterâ parte *Iacobum* Splid, Ripensem episcopum & viros nobiles *Iohannem* Tynderingium convenit, ut inimicitiæ, obligationes, contractus & quicquid alter alterius detrimento vel Hadersleбiæ vel Gottorpij fecisset, id omne obliteratum ac condonatum foret: paxque deinde firma ac perpetua utrinque coleretur, & alter alterius commodo non palam modò sed & clam studeret; Et Dux præterea Comesque *Gerhardus* episcopatum Ripensem sibi in omnem eventum defendendum assumerent. Acta hæc Abenradæ die, ut supra positum. Sub anni fere finem evulgatum diploma Comitis *Iohannis*, quo is cleri ac sacerdotum per Lalandiam & Falstriam immunitatibus consultum voluit. Exque ijs frui eosdem nonnullis etiam hodie constat. Harum literarum ejusmodi exemplum est:

> Iohannes, Dei gratia, Comes Holsatiæ & Stormariæ, nec non terrarum Lolandiæ, Imbriæque dominus universis præsentes literas inspecturis vel audituris salutem in omnium servatore. Dignum & hominibus gratiosum esse credimus ut quos Dei pietas Ecclesiæ suæ ministros & domus suæ sanctæ dispensatores ordinavit, gratia speciali persequamur & favore. Hinc est quod nos ex instantia & consensu venerabilis patris domini Petri ejusdem gratia Otthoniensis episcopi nec non communis consilij nostri voluntate, exhibitores præsentium dominos, sacerdotes omnes & singulos terram nostram Lolandiam inhabitantes, sub Dei & nostrâ pace & protectione recipimus specialiter defendendos, demittentes unicuique ipsorum unam curiam cum suis attinentijs, in fundo Ecclesiæ sitam, in quâ residentiam elegerint personalem ab omnibus oneribus nostris exactorijs, petitionibus, donationibus, impositionibus, precarijs seu ceteris gravaminibus quibuscunque, videlicet impositis vel imponendis ad jus nostrum spectantibus, liberam penitusque exceptam, sicuti aliquo tempore prædecessorum nostrorum liberius habere vel habuisse dignoscuntur. Volentes etiam ut familia ipsorum dominorum in pane suo existens vel in bonis eorum Ecclesiasticis residens, ad judicium seculare non citetur nec ad vectigalia nostra, quæ *Redesckyld* dicuntur per Officiales nostros coarctentur, nisi cum per ipsos sacerdotes ad vehendum requiratur aut de causis trium aut novem marcarum ubicunque emerserint, nulli nisi eis debeant respondere. Admittimus insuper quod ipsi domini vel eorum famuli in expeditionem nostram & edictum, extra terram seu ad obsessionem alicujus castri, per nos vel officiales nostros, minimè teneantur evocari. Item volumus quod nullus sacerdotum in placito nostro seculari se obliget alicui finaliter responsurum contra regulam juris Ecclesiastici; quod si fecerit, ratum non tenetur nec pro quibuscunque causis per leges, quæ dicuntur *Tingstockeloge* ibidem convincatur. Concedimus etiam, ut si quis ipsorum dominorum, vocante domino, moriendo discesserit, authoritatem habeat, libera bona sua conferendi & legandi quocunque vel cuicunque sibi placuerit, in suæ animæ remedium & salutem; Et quod reditus Ecclesiarum cum alijs bonis eorundem à die obitus sui neque ad annum integrum hæredibus suis vel testamenti eorum executoribus, quos ipsi ultima voluntate constituerint, integraliter cedere debeant, pacificè & quietè pro testamentis & alijs debitis eorum exsolvendis. Unde ob talem gratiam eis à nobis concessam volumus ut quilibet ipsorum quater in anno memoriam parentum nostrorum, videlicet in vigilijs & missis animarum, habeat defunctorum. Quare districtius sub obtentu gratiæ nostræ & firmiter inhibemus, ne quis advocatorum nostrorum seu eorundem officialium, sive quisque alius cujuscunque conditionis existat aut status ipsos dominos sacerdotes nostros vel eorum familiam supradictam contra hanc libertatis nostræ gratiam sibi à nobis indultam, audeat vel præsumat molestare aut aliquatenus impedire prout indignationem nostram & ultionem voluerit evitare. In cujus rei testimonium sigillum nostrum unà cum sigillo memorati venerabilis patris, domini Othoniensis præsentibus duximus apponendum. Actum & datum castro nostro *Aaleholm*, sub anno Domini millesimi trecentesimi trigesimi in festo beati Martini episcopi & confessoris.

Sequenti

CHRISTOPHORUS II. Rex. C. A. MCCCXXXI.

Sequenti anno in clientelam suam Christophorus Rex ejusque filius *Ericus* suscepit Stygotum *Andreæ* de Biorneholm promisitque se ei & quicunque ipsius essent, propitium & dominum clementem futurum: estque vicissim regi Stygotus obsequium suum ac fidelitatem pollicitus. Et credidit Rex viam sibi ad Iutiæ penetralia hoc pacto reseratam ac magnum ejus authoritatem apud Cimbros momentum allaturam.

Per idem tempus Marchio *Ludovicus*, collectis è Bavariâ atque alibi maximis copijs denuo in Pomeranos ac Barnimum, à quo fusum modò diximus, procinctum movit. Sed ei Barnimus obviam progressus, eum circa Cramerdamum in fugam egit, cæsis ex equitatu ejus circiter quadringentis. Domi verò & in ipsâ Daniâ concitatus eodem propemodum tempore haud levis belli motus adversus regem ejusque edictum, quo caverat, ne quis seorsim & suo ductu ad arma multitudinem convocaret. Tamen exortus è rusticâ plebe cui Michaeli *Vripio* nomen erat, qui coactâ rusticanorum magnâ manu, quietem publicam interturbasset, nisi in tempore occurrens Christophorus & capite ac coryphæo factionis Michaele castigato ac profligato, bona ejus omnia ac latifundia in fiscum redegisset; Quæ exinde *Stygoto Andreæ*, consensu omnium, in publicis comitijs Wiburgi sunt assignata. Incidit in idem hoc tempus *Iohannis II* Holsatiæ & Wagriæ senioris Comitis obitus: cui nuptam *Erici* regis viduam, reginam *Agnetam* superius memoravimus; & filium ex eâ natum *Iohannem* tertium, cognomine *Largum*, Christophori regis uterinum fratrem. Cui patre jam defuncto lis exorta cum *Gerhardo* Comite, sed litis occasionem chronologi non referunt, id tantum indicantes bellum ex eâ natum, quod etiam Christophorum regem ob fœdus & auxilia sibi jam ante à *Iohanne* liberaliter præstita in arma traxerit. Rex igitur ejusque filius *Ericus*, dum se ad expeditionem accingunt, constituit *Iohannes* Comes regem circa Oldesloam operiri ut ibi sociatis viribus *Gerhardum* impediret, ne ad eum, quas è vicinâ Germaniâ sibique consanguineâ domo Brunckhorstiâ expectabat, copiæ pervenirent. Et *Gerhardus* vicissim id operam dabat, ne uterque regis & *Iohannis* exercitus conjungerentur. Itaque ipse regi, qui viâ Gottorpensi pergebat, priorem se objicit ut eum, priusquam *Iohannem* assequeretur, cæderet, licet copiæ quas conscripserat, ad manum omnes non essent. pars enim militum, quos tribunus ejus ducebat, haud ultra Randersburgum progressi, ibi à civibus ob æs non solutum detinebatur. Victor nihilominus *Gerhardus* regem ejusque filium *Ericum* in fugam compulit. Dumque fugit ac equo evadere *Ericus* festinat, prope Danewirckam, ubi sese *Lohede* campus expandit, unde & *prælium* istud *Lohedense* vulgò indigitant, cum equo corruit. Quo ex casu ita contusus afflictusque est ut famuli eum Chilonium deportari curarint. quò & parens ipsius Christophorus confestim advolavit. Similiter quoque *Gerhardus* equo dejectus periculum incurrisset, nisi è proximò pago, Butelâ dicto, colonus accurrens auxiliares ei manus commodasset: Quapropter etiam pagum ipsum oneribus ac tributis exemptum haberi exinde, & ibi incolarum tantum delectum fieri militemque legi voluit, qui expeditionibus secum interesset. Huic prælio à parte Regis præter Vandalorum ac Megapolensium auxilia Dux interfuit Saxoniæ *Ericus*: à Comite steterunt *Wilhelmus* Orsemundanus, *Burchardus* Sualenbergensis Comites: *Henricus* de Bronchorst, *Nicolaus* & *Gunzelinus* Wittenburgici: Apud Crantzium & Holsatiæ chronologos nonnihil confusius hæc enarrari comperior, qui & captum Christophorum volunt, quod de *Othone* filio omninò verius sit. *Burchardo* præterea *Itzhodeo*, qui captivum abduxisset, non hîc sed in rebus exinde *Woldemari* locus debetur, nisi duo ejus nominis diversi aut idem hic ipse etiam exinde sub *Woldemaro* fuerit: Tum & Christophorus si in vincula nunc denuò fuisset abductus, haud ita facile evasisset nisi pactis & instrumentis de ejus liberatione prius confectis, quorum mentio nusquam occurrit.

Hoc prælio commisso iterum sibi regni curam assumere est visus unà cum avunculo *Gerhardo* Dux Slesvicensis *Woldemarus*. Nec deerat eorum fortunæ nobilitas, præsertim Cimbrica, quæ victorem sequebatur. *Stygotus* quoque *Andreæ* toparcha Biornholmensis, qui, ut memoratum, se paulò ante regiæ clientelæ solenniter permiserat, nunc aliò consilia animumque vertens *Woldemaro* à consilijs atque aulæ Mareschalcus creatus est. Quin & acceptis ab eo aliquot argenti puri marcis *Woldemarus* Comesque *Gerhardus* unum atque alterum ei territoria eorum vice oppignorata reddidit.

Hinc anno, qui proxime superiorem excepit, millesimo trecentesimo trigesimo secundo post dominicæ nativitatis festum, id est, duodecimo à prælio commisso die, rex Christophorus ejusque filius *Ericus* nec non *Iohannes* cum *Gerhardo* Comite Chilonij hunc in modum MCCCXXXII.

modum convenêre ut Comiti scilicet *Gerhardo* tota borealis Iutia cum jure ac regijs reditibus nomine centum millium marcarum argenti puri relinqueretur, dum ab illo aut ejus hæredibus idem districtus, soluto pretio, redimeretur: Ejus item consanguineus *Iohannes* redimeret ab *Hennichio Hummersbyttell*, Hunesgavelam nec non Fioniæ semissem, datâ summâ, cujus nomine obærata fuerat; Teneret etiam sibi *Gerhardus* quicquid insularum inter mare occiduum & Iutiam esset situm unà cum Frisijs, littori circa exitum Eidoræ vicinis, qui jam ante in pignus cesserant: interim redirent ad *Iohannem* Comitem hæredia quæcunque apud Iutas & Fionios habuisset. Quibus alijsque in eum modum compositis dimitterentur utrinque captivi, & præsertim *Otho* Dux & Episcopus Borglûmensis, eà tamen lege, ut responderet ac promitteret episcopus se nulla de re sive cum rege aut alijs qui eum carceri emanciparant, expostulaturum, aut injuriarum cum ijsdem actionem auspicaturum. Inde addita nonnulla de *Alberti* Saxoniæ Ducis hæredio Tossingâ, deque Langelandiâ & arce Tranekierâ reddendâ Slesvicensi Duci *Woldemaro* unà cum Arreâ insulâ; idque ea lege ac conditionibus, ut si Langelandia *Woldemaro* non permitteretur, tum ejus loco Scanderburgum & Arrea à Ducis consiliarijs pro Duce servarentur. Inde actum de auxilijs quibus *Gerhardus* consanguineum suum *Iohannem*, & ille vicissim *Gerhardum* juvare teneretur: stipulatumque ne in Ducem *Woldemarum Iohannes* aut ille in *Iohannem* quidquam hostile moliretur: Acciperetque idem *Woldemarus* sexaginta frumenti lastas, partim è Iutia partim è Fionijs nomine debiti: Huic reconciliationi interfuêre ac manu suâ subscripsere nomine regis & *Iohannis*, Uffo *Nicolai*, Eskillus *Brock*, Canutus *Frijs*, Ago *Haßens*, Henricus *Petersonius*, Petrus *Diaconus*: Comitis verò *Gerhardi* nomine præter ceteros Laurentius *Ionæ*, Petrus & Andreas *Stygeus*, Boecalus *Falck*, alijque. Eâdem insuper reconciliatione comprehenderentur à parte regis & *Iohannis*, Dux Saxoniæ *Ericus*, *Burchardus* episcopus Bremensis, *Albertus* Megapolensis, *Henricus* Suerinensis: nomine *Gerhardi* Comitis, *Albertus* Dux Saxoniæ, Dux Slesvicensis *Woldemarus* & *Adolphus* Comes Schouenburgicus.

Hac initâ cum *Gerhardo* Comite pacificatione trajecit in Zelandiam Rex nec multo post filius ejus *Ericus* ex vulnere & casu, de quo diximus, Chilonij diem supremum obijt. Unde in Lalandiam translatum funus, ibique aromatibus Lubecâ, quæ erat in vicino, petitis suffultum, post dierum quatuordecim moram in proximam Zelandiæ insulam devectum est; atque ibi regali magnificentiâ Ringstadij inter cetera regum mausolea sepulturæ mandatum. Hinc XI nonas Maij fato etiam suo functus est Slesvici episcopus Iohannes *Borcholtus*, cui exinde surrogatus est *Hellembertus*. Ac simul Neomonasterij cœnobium Borsholmiam translatum est, cum exuvijs, quæ ibi, ut habent chronologi, asservatæ, S. Vicelini: idque per Henricum *Suinebergium*, Præpositum Lubecensium.

Cum autem per eosdem dies Scania Holsatorum extremo jugo fatigata ad incitas quasi redacta videretur, nec jam suo, sed gentis alienigenæ more ac modo viveret, varias de eorum injurijs deque inexplebili avaritiâ ad Comitem *Iohannem* querelas indigenæ detulerunt: Seorsim verò incusatus arcis Helsenburgi præfectus Eggerus *Bruchtorpius*, qui arcem eam à Comite oppignoratam tenens imperium serverius exercebat; Adeò ut Comes postremum archiepiscopo *Carolo* alijsque ditionis illius proceribus permiserit, ut redditis sex mille argenti marcis, eo se homine ac populi odio ipsimet liberarent. Verum insuperhabitum istud, sive quod episcopo ad manus pecunia non esset; sive quod minus convenire existimaret regni arces ab extero ac Comite peregrino sibi obærari; sive denique quod aliud animo agitarent Schani. Nam plebs postremò populusque unà cum nobilitate, ruptis patientia repagulis, obsequi ulterius Holsatis omnino detrectabat: Et tandem eo usque progressi, ut ubicunque obvios eos haberent, quâ poterant, è medio tollerent. Et accidit aliquando, dum in templo Lundensi inter se Holsati de componendâ populi seditione deliberant, ut, factâ in ædem irruptione, trecenti ex ijs sint trucidati, & alij similiter alibi. Itaque cum animadverterent indigenæ Christophorum jam totum propemodum regnum duobus Holsatiæ Comitibus ære gravatum, quasi in prædam exposuisse, & ipsum nuperrime etiam cladem insignem passum, sibimet defendendo parem haud esse, capto in arenâ consilio, de *Magno* Sueonum rege adsciscendo cæperunt agere. Nec mora, plebs nobilesque, missis in Sueciam nuncijs, animi sui sensum regi aperiunt. Ille confestim dicto ipsis die adesse eos Calmariam jubet. Quò & profectus exinde archiepiscopus *Carolus* alijq; ex nobilitate, ampla omnia ac speciosa domum retulerunt. Præter cetera pollicitus *Magnus* se Schoningos adversus vim & injurias aliorum indemnes ac tutos præstitutum; pri-

CHRISTOPHORUS II. Rex. C. A.

vilegijs ac priscis eorum statutis atque immunitatibus nihil omnino derogaturum, sed ampliaturum ea potius: Illi vicissim fidem & obsequium oneraque se consueta suffecturos pollicentur. Holsati, his acceptis, despondere jam animum cæperunt, ac totâ paulatim ditione facessere. Et ipse quoque Comes *Iohannes* videns se tanto adversario haud quaquam parem futurum, extemplo, quod dicitur, necessitatem in virtutem vertens, quidquid è Scaniâ, Hallandiâ, Blekingiâ & Lystris sibi obæratum habebat, id, venditione cum Sueonibus habitâ, & acceptis septuagies mille argenti puri marcis, *Magno* in totum transtulit, postquam summâ cum vi ac violentiâ triennium circiter id ipsum tenuisset. Nec Christophoro etiam, hoc accepto nuncio, gaudium auctum, cum distrahi ac separari regnum videret, & malum malo cumulari. Hîc mirari subit, quid in mentem Iohanni *Gotho* venerit, cum in distractionem istam consensisse Christophorum tradat, & per literas & oratores rogasse ut Schania cum Hallandiâ & Blechingiâ ad regni Suetici, à qua sejuncta fuerat, laciniam rediret, præsertim cum eas regis literas nec ille exhibeat, nec uspiam in actis aut diplomatibus Daniæ Sueonumque regum id alij offenderint. Ad exsolvendam hanc summam, quâ tum Scania Suecis est tradita, partem ex omnium Sueciæ ecclesiarum decimis assumpsit *Magnus*; & prima quidem vice triginta quatuor atque inde decem millia marcarum persoluta, donec paulatim, quod erat reliquum, expungeretur. Varieque exinde super eâ disceptatum venditione, quæsitumque an ei, qui tantum oppignoratam regionem teneret, ejus abalienandæ potestas esset: quamvis Sueci non eâ tantum cum Holsato transactione, sed etiam literis se indigenarum niti indicant, de quibus inferius referetur. Statim exinde, quæ feria fuit sexta post Butolphi, firmavit rex *Magnus* rataque habuit privilegia omnia atque immunitates ecclesiæ Lundensis, simul adpromittens archiepiscopo *Carolo*, se indemnem eum præstiturum, quod ad sacramentum, quod ipsi fecisset. Præerat eâ tempestate ac res Sueciæ potissimum tunc moderabatur Mathias *Ketelmundus*, quod ipse *Magnus* ætate per idem tempus admodum esset tenellâ.

Sub anni finem renunciavit, de quo est supra memoratum, Cæsareo ac paterno in Pomeranos beneficio Marchio *Ludovicus*, habitâ cum eorum principibus amicâ ac sociali compositione. Idem quoque eodem circiter tempore cum *Othone* & *Valdemaro*, Christophori regis filijs, affinibus suis, hunc in modum est pactus, se nimirum auxilio ipsis adversus quoscunque adfuturum excepto Romanorum Imperatore parente suo; seorsim verò adversus Holsatiæ Comites, idque totis viribus, quoad viveret; hac tamen lege, ut ipsi navigia ad transfretandum militi atque inde impendia sufficerent: Acta hæc Vartislaviæ testibus Alberto *Furstenbergio*, Batone *Weltebergio*, Henrico à *Buck*, alijsque. Datis tum etiam literis, attestatus est iterum Marchio se quodcunque territoria illa apud Esthones, *Harria* & *Wirria* dicta, quæ sibi à rege Christophoro dotis nomine oppignorata fuerant, duodecim millium argenti marcarum reditum superare ijsque esse potiora compериretur, eo dotalitium uxoris suæ *Margaretæ* compensaturum.

Accepit anno insequente suo tutandum patrocinio Andream *Stigotum* Comes *Gerhardus*: Eique non solùm, sed ejus universo famulitio satellitioque, ut & domesticis omnibus remisit, quibuscunque aliàs oneribus ac collationibus ipsi obnoxij haberentur. Et *Magnus* Sueciæ, Norvagiæ ac Scaniæ tum Rex salutatus, *Elizabetham*, *Ludovici* quondam Mareschalli viduam, non modò sibi defendendam, sed nomen quoq;, quo marito ipsius regnum obstringebatur, ut expungeretur quamprimum, aut ejus vice pignus traderetur, se curaturum promisit, obsignantibus in rei majorem fidem, unà cum rege, eâ de re confectos codicillos *Carolo* Lundensium archiepiscopo ac Sueciæ primate, Nicolao *Aborno*, Giselino *Elneo*, Amundo *Sturio*, alijsque. Et acta hæc Lundæ in cœnobio Franciscanorum, regem ea de re compellantibus proque dominâ *Elizabetâ* jam dicta intercedentibus *Carolo* archiepiscopo Lundensi, Petro *Ionæ* diacono, Canuto *Erickssön* archidiacono, Johanne *Offessön*, Andrea *Niclessön*, Nicolao *Iacobssön*, Nicolao *Hack*, Holgero *Niclessön* & Petro *Laxmand* equitibus; Saxone *Pederssön*, Petro *Torberussön*, Iacobo *Pederssön* de Trutelò, Nicolao *Hack* à Lyngby & Iacobo *Ionæ* armigeris. Literæ verò huc spectantes, quas eodem tum tempore rex *Magnus* eidem *Elizabethæ*, vernaculo idiomate vulgatas, concessit, hujus fere exempli fuêre: MCCCXXXIII.

Omnibus has visuris ac lecturis, Magnus Dei gratia, Sueciæ, Gothorum, Scaniæque ac Norvagiæ Rex, salutem in Deo sempiternam. Cum vir nobilis dominus Iohannes Comes Holsatiæ & Stormariæ, dum adhuc suæ potestatis Scaniam tenet, honestæ matronæ dominę Elizabethæ, Petri filię, domini Lodovici Alberti, regni olim Mareschalli, conjugi legitimæ,

CHRISTOPHORUS II Rex. A. C.

„ legitimæ, in recompensionem eorum debitorum damnorumque, quæ idem dominus Ludovicus publici boni ac regni causâ incurrit, quorum summa 8000 esset marcarum argenti, reliquerit vicissim ac pignori cesserit coronæ territoria; Nos idcirco, cum æs jam memoratum regni causâ accreverit, nec levibus prçterea ipsi eorumque hæredes damnis afficientur, si in totum suo ipsis carendum sit, idcirco nos, ex consilio assensuque senatus nostri, prædictæ dominæ, ejusque hæredibus, providendum in hunc modum censuimus, ut ipsi 2000 marcarum Scanensium ex officinâ monetaria Lundensi, & quidem 500 die divi Martini, 500 die annunciationis Mariæ, 500 Philippi & Iacobi, & alia 500 die ascensionis Mariæ adnumerentur: Quas jam dictas pecunias hisce mandamus ut monetarius noster Lundensis ipsi quotannis sufficiat. Pignori vicissim ei tradimus Blekingiam & Lystram unà cum piscaturâ Mòrumeâ ac jurisdictione ejusdem. Ditionem præterea eandem eidem immunem ac liberam transferri curabimus, hac interim lege, ut ex eâ quoscunque perceperit reditus inque posterum perceptura sit, id quidquid erit de summâ ac sorte totâ detrahatur. Has literas unà cum rege obsignarunt, Carolus archiepiscopus Lundensis, Sueciæ primas, Nicolaus *Abiornsön*, Gisleus *Elnessön*, Ulffo *Abiornsön*, Amundus *Sture*, Ulff *Philipssön*, Iohannes *Vffessön*, equites; Petrus *Ionessön* diaconus Lundensis & Saxo *Pedersön*, armigeri. Datum *Skieldwigslaat*, anno domini MCCCXXXIII postridie divi Martini.

Advenerat jam ante Saxcopiam, Lalandiæ civitas est, exiguo comitatus satellitio Rex Christophorus, cum ecce duo ibi nobili genere Hennichius *Bredius* & Iohannes *Ellemosius* suopte instinctu de capiendo eo consilia ineunt, existimantes se eo facinore haud levem apud Holsatum *Gerhardum* gratiam inituros. Ut igitur regem ex ædibus, in quibus divertebatur, viri nobilis Petri *Vitfeldij*, propellerent, ignem contignationi, in quâ erat, subjiciunt, adeo ut fumo coactus dum è fenestris prosilit, ab ijs sit captus atque inde in arcem Aholmiam abductus, quam tum tenebat frater ejus uterinus Comes *Iohannes*; Qui comperto indignissimo facinore, confestim laxari cum vinculis ac liberum dimitti imperavit. Dimissus aliquot post septimanis, circa idus nimirum Iulij, Nicopiæ apud Falstrios ex hac vitâ migravit, dierum ac seculi satur, cum annos circiter duodecim regno præfuisset, plura, quod superiora demonstrant, expertus undiquaque adversa quàm prospera: Qui esse felix potuisset, tot præsertim magnatum suffultus amicitijs, & ipsi quoque Cæsareæ domui per connubia innexus, si fortunæ moderari, si pactis conventis stare, si colere pietatem ac culpas denique & sphalmata priora seriò emendare in animum induxisset. Non nos latet exstare Latinis versiculis, quorum aliquem superius gustum dedimus, carmen antiquum, id est, ipso hoc ævo compositum ac cantitatum, quod graphicè quidem mores & statum eorum temporum videtur proponere, sed in principes ac gentem cum satyricâ quadam mordacitate dicam an licentiâ tum & rhytmis in morem famosorum libellorum luxuriet, alibi quàm hìc legi maluimus.

INTERREGNUM.

DEFUNCTO Christophoro, deploratissimus fuit reipublicæ regnique universi status, hinc *Gerhardo*, illinc *Iohanne* Holsatis, tum & *Sueco*, qui tertius accesserat, ditiones passim ac populum depascentibus. Quàm verò nobilitatem ceterosque indigenas facti pænituerit, quod reges ac dominos suos, patrem filiumque regno extorres propulissent, tum apparuit, cum remedio locus vix esset. Septennium exinde tenuit, priusquam regno rex & patriæ, ut sic dicam, pater est redditus. Quid autem illo quasi interregni tempore intercurrerit, nunc aperiendum est.

Memoratum superius, Comitem *Iohannem*, uterinum *Christophori* regis fratrem, præter alias regni provincias, etiam Lalandiam sibi obæratam tenuisse. Hanc ille insulam atque insulanos, ne, ut Scanos, rebellantes aliquando experiretur, statim initio anni millesimi
MCCCXXXIV. trecentesimi trigesimi quarti, excitari apud eos ac muniri propugnaculum Ravensburgense curavit. Quod annis sequentibus Rex *Iohannes* solo æquavit, relatis, quæ eò pertinebant, ad Engelholmię territorium latifundijs. Ejus hodieque adhuc rudera solo exstantia omnibus conspicua sunt. Advenerat per eosdem dies has in oras pontificis Max. internuncius Petrus *Gervasius*. Et ei cognominis Petrus *Paghus*, Othoniensis episcopus, adauxit tum temporis salarium, quod jam ante Rex *Ericus*, *Menved* dictus, studiosis, qui Lutetiam Parisiorum ad uberiorem animi cultum capiendum mittebantur, liberaliter indulserat. *Woldemarus* etiam Slesvicensis Holmię monasteriū, firmatis, quas antiquitus habuerat, immunita-

immunitatibus novâ insuper munificentiâ exornavit. Vitâ per idem fere tempus excessit, archiepiscopus Lundensis *Carolus*, si Catalogum sequimur præsulum ejusdem ecclesiæ. Estque sepultus in templo urbis cathedrali, illatus sacello, quod ipsemet constitui curaverat, S. Dionysij. Ei proximè successit ecclesiæ ejusdem Decanus Petrus *Lycke*, acceptâ Avenione electionis suæ confirmatione non à *Iohanne* quidem vigesimo tertio, qui anno hoc eodem Avenioue vitæ finem fecerat, sed à *Benedicto* ejus nominis duodecimo. Petrus initium suarum curarum auspicatus est ab excommunicatione eorum, qui res ecclesiæ ac decimas tollerent, quique episcopos aliosque prælatos indignè tractarent, editis aut repetitis ad id codicillis, quos *Leo* olim pontifex sanxerat, & *Vffo* quoque archiepiscopus in usum jam ante reduci fecerat. INTEREGNUM. A. C.

Anno insequenti Sueonum proceres principem suum *Magnum* diademate regio insigniunt, annos jam circiter natum septendecim. Eiq; Gallicam ex regio Valesiorum stemmate virgunculam associant, *Blancam* nomine. Ex hac duos filios *Ericum* & *Haquinum*, de quibus suo loco, sustulit. Idem hac tempestate latâ lege, quemadmodum & ante eum rex *Byrgerus*, inhibuisse memoratur, ne quis intra Sueciam Christum professus mancipi haberetur: quamvis in adversum neget Iohannes *Gothus* tale unquam apud Suecos obtinuisse, nec eos adeò servili conditione vel gentilium ævo egisse, sed suam perpetuo libertatem gladio & armis tutos. Estque haud multo post ab eodem Sueonum rege *Magno* Australis Turris sive arx Stocholmiæ fratribus Franciscanis, quos, ex pullo vestitu, *Nigros* vocant, concessa, ut ex eâ cœnobium ædificaretur. MCCCXXXV.

Gerhardus progressu exinde temporis & anno præsertim MCCCXXXVI &, qui eum secutus est, millesimo trecentesimo trigesimo septimo, non se ulterius *tutorem Valdemari*, qui jam ultro regno renunciaverat, sed *Ducem Iutiæ* scribi voluit; & qui ejus vices tenebat *Nicolaus Limbequius*, Norderjutiæ Capitaneus est salutatus. Sæpiuscule verò hoc tempore *Gerhardus* ipse pro tribunali assedit ac jus Iutis dixit. MCCCXXXVI. MCCCXXXVII.

Otho autem Christophori filius, incensus animi generosi impetu recuperandi & è manibus injustorum possessorum eripiendi paterni regni, collegerat è Lalandis, Germanis alijsque parenti ejus olim deditis, tumultuariam manum, qua ille irruptionem in borealem Iutiam facturus, sperabat, repulso *Gerhardo*, sibi insignia regia assumere. Verum *Gerhardus* militiæ vetus ac rerum suarum satagens seque anteverti haud sinens, ei circa Taphedam, quà Viburgum itur, obviam occurrit. Atque ibi confertâ utrimque manu, ipse tandem *Otho*, commisso infeliciter prælio, cum alijs ex nobilitate permultis captivus Segebergam abductus est. Hinc interjecto haud multo tempore mittit ad Lubecenses literas Imperator, eos adhortans operam apud Holsatos navarent, ut vinculis *Otho* solveretur. Et actitatum de eo tum quidē inter *Gerhardum* & Lubecenses, sed eo tempore res minus successit.

Interea Episcopus Borglumensis *Tycho* ejusque capitulum, datis literis, palam est contestatum quidquid simultatis, erroris litiumque inter Comitem *Gerhardum* & episcopos, equites, clerum ac laicos suæ diœceseos in Iutiâ boreali, Fionia, Arrea, Tossinga à parte unâ; & se quoque ipsum seorsim ob captivitatem ac vim sibi ex mandato Christophori olim regis illatam intercessisset; & quidquid etiam in se ac suam ecclesiam violentiæ rapinæque esset commissum; de ijs omnibus amicè utrimque esse conventum ac sibi omnimodo satisfactum: tantum cum hæredibus Christophori regis cumque Eschillo *Brockio* & Boetio *Falckio*, calamitatum suarum authoribus, sibi constitutum injuriarum agere: similiter quoque actionem suam in Episcopos Ripensem & Arhusiensem de ablatis, se captivo, è suâ diœcesi reditibus velle reservatam: Ità tamen ut eam *Gerhardo* Comiti permitteret, ut is de re totâ juxta leges ac regni placita pronunciaret. Liberatoque è carcere Episcopo, interdictum, cujus superius meminimus, remissum est. Ad idem hoc tempus referri vulgo reperio obitum archiepiscopi Lundensis *Caroli*, quem tamen superius biennio & ultra jam ante suo fato functum ostendimus. Ei fratrem germanum fuisse lego *Ericum* nomine, cui præfectura commissa arcis atque insulæ Borringholmiæ.

Iohannes deinde Vagriæ Comes, anno, qui superiorem excepit, dato decem millium argenti marcarum pretio, Oldesloam à Tralovensibus sibi possidendam accepit. Et Cæsar Ludovicus *Bavarus* in Comitijs Francofurtensibus, die ascensionis Mariæ, Ducibus Pomeraniæ *Othoni* & *Barnimo* literas obsignatas reddi curavit, quibus eos imperio reconciliatos & in posterum sibi ac successoribus suis obsequium pollicitos profitebatur. Quo autem filius ejus *Ludovicus*, Elector Brandeburgicus, aliquo sumptuum, quos, ut supra relatum, haud exiguos in oppugnandis Pomeranis fecerat, solatio frueretur, ei jus successionis MCCCXXXVIII

INTEREGNUM. A. C. indulsit, si forte, quæ tum erat, Pomeraniæ prosapia deficeret: Refert ad hunc annum ex actis Pontificijs Bzovius, Annalium ecclesiasticorum Baronij continuator, *Magnum* Sueciæ ac Norvagiæ regem (de quo ad annum MCCCXXXII superius dictum) quasi Daniæ universo jam regno potientem, egisse hoc tempore apud pontificem Romanum *Benedictum*, ut Daniæ ejusdem pars Scania, quæ veluti clavis & janua regni Suetici haberetur, quæq; solummodò, ut supra ostensum, *Magno* se junxerat, sibi ac posteris suis in perpetuum Apostolicâ authoritate confirmaretur; Ac simul potestas fieret, alias quoque regni partes e manibus tyrannorum eripere suoque regno adjungere, quod id nullo unquam tempore Imperio Romano subditum, sed ecclesiæ tantum Romanæ fuisset vectigale; addito promisso se in obsequio sedis Apostolicæ deinceps mansurum ac censum consuetum singulis annis Romano pontifici, more aliorum, persoluturum: sed renuisse pontificem vel confirmare aut concedere quidquam postulanti, quod Apostolicæ sedis haud esset aliquid alicui injuste, aut parte alterâ inauditâ detrahere. Per eosdem dies prælucere secuturis malis motibusque fax ingens in æthere cæperat, vulgo *Cometam* vocabant. Nam eum confestim prægravis, & quæ ob id in literas est relata, annonæ difficultas secuta Eidoram ac Slesvicensem Ducatum populosque vicinos miserrimum in modum afflixit. Atque illam exinde haud minor comitata pestis, & ad ultimum pæne Boreæ frigus divagata, nec ibi
MCCCXXXIX. ignem ac sævitiam suam exerere desijt. Eodem tum tempore indici censum monasterijs omnibus Zelandiæ Lalandiæque jussit Comes *Iohannes*. Et Pomeraniæ insuper principes juniores *Vartislai* liberi, *Bugislaus, Barnimus* & *Vartislavus* oppignorarunt Prussiæ magistro *Theodorico*, Comiti Oldenburgico, præfecturam universam atque opidum Stolpæ, vice marcarum Lubecensium 2756, eâ lege, ut si idem fortè intra anni tempus & quod excurreret non redimeretur, ejus esset, qui pignori accepisset.

Hinc quoque *Valdemarus*, Slesvicensium Dux, qui omnem aliquandiu de regno cogitationem seposuerat, sub annum proximum, qui trecentesimus quadragesimus supra millesimum fuit,
MCCCXL. novam de eo spem concepit, incitatus præcipue ab avunculo *Gerhardo*, qui commonebat jure concesso uteretur, semel unanimi omnium consensu regem eum electum; *Christophorum* & *Ericum*, quibus cesserat, nunc defunctos; *Othonem* captivum teneri & *Valdemarum* viribus destitui, se auxilio ei futurum, tantum auderet ac repeteret, quod ipsi summo jure debebatur. Verum Dani quos Holsaticæ dominationis fastidium habebat, animum atque oculos ad *Valdemarum, Christophori* filium, qui tum in aulâ Cæsaris magna cum gloriâ agebat, cæperunt reflectere. Eum per literas convenientes, amicè serioque sunt obtestati, amicorum externa auxilia circumspiceret eaque ad recuperandum majorum suorum regnum imploraret, esse domi faventes omnes paratosque ad suam quoque symbolam conferendum. *Gerhardus* autem Comes ne imminere ipsemet sceptro videretur, Iutiam borealem, quam oppignoratam tenebat, nepoti suo Duci *Valdemaro* constituit cedere, ut eum hoc pacto & aliâ quasi viâ ad solium promoveret, ità tamen ut sibi vicissim Slesvicensis Ducatus, quasi amica permutatione, redderetur. Et mox mense statim Februario tractari inter utrumq; cæptum de Iutia boreali & arcibus in eâ sitis, eodem, quo obæratæ erant, pretio redimendis, præsentibus amicis & affinibus ipsorum Duce Saxoniæ *Alberto* & Comite *Gerhardo* Hoiensi. Qui quidem tractatus multis tum ac varijs circumscriptionibus conceptus fuit, sed incidente, de quâ statim dicemus, *Gerhardi* nece, ad finem, quem speraverant, perductus non est. Præter cetera autem eo pacti instrumento contenta, hoc quoque *Gerhardus* stipulatus fuerat, ne ullo modo Dux *Valdemarus* Slesvicensis cum hæredibus *Christophori* regis, *Othone* Duce aut alijs fœdus feriret, aut nuptias cum eorundem sorore contraheret: ipse vicissim promittebat se haud unquam è vinculis dimissurum *Othonem* aut affinitatem cum eodem contracturum, nisi ipso *Valdemaro* Duce conscio & consentiente: Seque hæc aliaque ijsdem tabellis inserta (quæ nunc brevitatis causâ & alio festinantes prætermittimus) unà cum Duce Saxoniæ *Alberto*, *Iohanne* & *Henrico* Holsatiæ Comitibus & *Giselberto* Domino de Bronchorst servaturum sanctissime pollicitus fuit. Et licet non omnia, præcipua tamen ex ijs, idque strictim hic apponenda existimo. Nam
„ primò Duci Slesvicensi *Valdemaro* nepoti suo concedit ac permittit, ut Iutiam borealem,
„ unà cum arcibus, quemadmodum eas oppignoratas à rege *Christophoro* acceperat, redimere
„ integrum esset ac ære suo liberare, exceptis, quę ad ipsum jure hęreditario pertinerent,
„ inter quæ recensetur medietas territorij, quod *Brysherret* appellatur, situm haud procul
„ Middelfurto, ut & domus Scanderburgum, cum præfecturis eodem pertinentibus, quæ
„ spectaret ad cognatum suum, Comitem *Iohannem*; ut & illa, quæ ejus nomine teneret
Marquardus

INTERREGNUM.

Marquardus Bruchtorpius loco 43000 marcarum argenti: Qua ex summa idem intra septimanas quatuor dependet 1000 in pannis laneis & alia item 1000 in mercibus alijs. Solutio fiet Lubecæ aut Hamburgi. Si conveniri super his nequeat eligentur sequestri, dominus *Henricus Split*, dominus Hartvigus *Ressuentloff*, & Gerhardus ab *Alffstorp.* Quibus ex tribus duo seligerentur. Solvet porro nobis & hæredibus nostris proximâ Pentecoste 5000 marcarum argenti. atque inde die divi Iohannis 5000 marcarum item argenti Coloniensis ponderis. Nomine harum 10000 marcarum argenti nobis vades dabit, quibus satisfactum esse nobis iudicabimus. Si autem ejusmodi fidejussores præstare nequierit, saltem præfecti ejus, qui arcem & oppidum Ripense tenent, id quidquid est nobis & hæredibus nostris cedant vice, ut dictum, 10000 marcarum argenti. Arcem inde Ripensem, annotatis detrimentis, pignori teneremus donec eam, sorte ac damnis reparatis, à nobis in totum redemerit. Si autem pro 10000 marcis supra memoratis respondeatur, haud necessum erit præfectum arcis eam nobis tradere. Porro nisi vades ac fidejussores idonei constituantur nomine 5000 marcarum, aut eæ si intra diem divi Iohannis non expungantur, tenebitur præfectus, qui Calloæ præsidet, reddere nobis & hæredibus nostris Calloam cum præfecturis alijsque eodem pertinentibus. Exspectabimus, hoc inito, hebdomadas quatuor sine ejus detrimento. Si verò nobis intra easdem septimanas quatuor post festum divi Iohannis haud satisfecerit tum omne damnum, quod eo nomine incurrimus, imputabitur arci Calloæ ejusque ditioni, ut inde hoc quidquid est resarciatur. Ac nobis oppignoratam tenebimus Calloam, donec idem propugnaculum nomine summę ac sortis totius à nobis liberaverit: Permittimusque ei ut hanc summam 10000 marcarum argenti nobis refundat aut in argento signato, aut in mercibus, cujusmodi sunt, pannus, cera, butyrum, lana, linum aliaque ejusmodi. Præstabiturque hæc nobis solutio Lubecæ aut Hamburgi. Nobis præterea ac hæredibus nostris oppignorabit Gottorpium cum *silva Danicâ*, itemque Slesvicum ac Flensburgum cum præfecturis eo spectantibus universis: Itemque domum sive arcem oppidi Tonderensis cum præfecturis ejusdem, item domum sive palatium Dorningæ atque Haderslebiæ cum advocatijs seu præfecturis omnibus vice 25000 marcarum argenti libræ Coloniensis. Has omnes arces, ditiones, præfecturas cum adjacentibus, nos nostrique hæredes possidebimus ut verum pignus cum jurisdictione, usufructu, immunitatibus ac clientelis universis: Omnes etiam ecclesias, quomodocunque appellentur, feudaque ecclesiastica nos nostrique hæredes tradendi donandique jus habebunt, quandiu ditiones arcesque jam dictas pignori tenemus. Liberum etiam ei erit Tonderam & Dorningam redimere vice 12000 marcarum argenti liberæ Coloniensis. Cumque has arces liberare constituerit, solutio fiat Lubecæ aut intra Holsatiæ Comitatum, prout illi aut nobis videbitur commodissimum. Nos nosterque cognatus Comes Iohannes pecuniarum curam geremus. Eritque Gottorpium pignorum omnium, quod redimetur, ultimum. Præfectis etiam, qui Coldingam & Horsenam tenent, mandabitur ut Duci sacramentum pręstent. Isque illis persolvet 5000 argenti marcas, si ipsorum summa eousque se extendat; si verò eò non excurrat, quod erit reliquum adjicietur 14000 marcis, nomine arcis Gottorpianę. idemque viros quatuor ut vades dabit, quibus ipsis pro damno caveatur. Porro alteram partem territorij *Bruskherret*, quod proxime adsitum est Middelfurti freto nobis nostrisque relinquat hęredibus. Cujus nomine ei tribuemus, ut à parte nostrâ duo & ejus totidem judicent. Hi si inter sese convenire non poterunt, arbitrium ejus relinquetur Henrico Suerinensium Comiti. Et quidquid illi statuent, id ratum esto. Eaque summa detrahetur 5000 marcis, quę ei solvendę erunt circa festum divi Iacobi. Nos prętereа nostrique hęredes trademus Duci ejusque hęredibus Ripas, Calloam, & Alburgum cum præfecturis ac eò spectantibus, & quidquid in Iutia boreali possidemus ab hac parte freti Middelfurtensis cum præfecturis, jurisdictione ac usu fructu cumque clientelis, templis atque ecclesijs, quemadmodum his ipsi jam ante usi fuimus. Omnes etiam literas ac codicillos per Ducem evulgatos Dux ratos atq; inviolabiles perpetuo servabit. Si quid nobis aut præfectis nostris vel à tribunali profano vel sacro intendatur, id à nobis atque illis ut arceatur, nobiscum operam navabit. Dux insuper neq; cum regis Christophori hæredibus aut cum Othone Duce se conjuget, neq; cum sorore ejus connubium inibit. Neque nos Ducem Othonem à nobis dimittemus, nisi id fiat consensu Ducis; neque cum eodem affinitatem contrahemus. Nos præterea Dux, neque matris nostræ fratrem, aut Comitem Iohannem inhibebimus, aut à pignore eorum alijsq; bonis, quæ in Daniâ habent, excludemus: sed eis, si quis id tentaverit, auxilio accurremus.

INTEREGNUM.

„ Nostri quoque homines, quotquot sub Duce hæredia aut bona possident, aut sub jurisdictione Comitis Iohannis, ij sua tenebant prout ea tenuerunt, cum primum inter cognatum nosque controverti est cæptum. Hac super re consanguineo nostro ac cognato pleuam jam esse factam reconciliationem ac pacem spospondimus unà cum amicis nostris infra scriptis *Alberto* Duce Saxoniæ, *Iohanne* Comite Holsatiæ, domino Iohanne à *Venden*, Henrico Comite Holsatiæ, domino Goselberto *à Bronckhorst*. Hi nobiscum promiserunt, ut si forte hanc pacem rupeтimus, se adversus nos Duci Valdemaro auxilio accessuros, donec culpam emendaverimus. Si etiam contingat ut ipse Dux sua tenere malit, nec Iutiam borealem redimere curet, de eo ipsi deliberandi tempus concedetur: atque inde nos certos reddat per dominos ac principes jam memoratos, se haud inhibiturū nos quod ad pignus nostrum: si tamen id sibi attribuere in posterum sategerit, tum ad amicos atq; avunculos nostros Albertum Saxoniæ Ducem & Henricum Comitem Suerini causa referetur. Hi quodcunque pronunciarint, id ratum erit. Datum Lubecę anno & die ut supra.

Per idem propemodum tempus *Bertholdus* Hennebergensium Comes apud Cæsarem monetæ jus Lubecensibus impetravit, idque occasione Ducis *Othonis*, de quo è Segebergensi custodiâ liberando seriò tum idem Comes sategit, & ut eò quoque suam Lubecenses conferrent operam, eos identidem est adhortatus. Obijt per eosdem dies *Petrus Paghus* Othoniensium antistes, cui successorem elegerunt Canutianæ societatis fratres *Nicolaum Ionæ* monachum Ordinis Francisci, non sine tamen contradictione aliorum. Quo etiam tempore exarsit in Comitem *Gerhardum* per universam fere Iutiam plebs nobilitasque, quod ipsis inconsultis imponere dominos ac dynastas in animum induceret: ideoq; & arces ac loca, quę tenebat munitoria, cingunt obsidione, tributum & pensiones, quas alias debebant, ei ac procuratoribus ejus cuncti renuentes. At *Gerhardus*, quē vulgo tum, ob capitis glabritiem, *Calvum Comitem* vocitabant, irâ incensus, extemplo conscribi è dioecesi Bremensi, apud Vestphalos & Rhenanos militem imperat, cui *Gunsbouver* nomen inditum, quod vestitu admodum adstricto ad omnia haberetur expeditissimus; fuisseque haud infra decem millium tam equitum quàm peditum numerum authores tradunt. His ille in IutiamBorealem facto procinctu, & plebem & nobilitatem in ordinem redigere & *Voldemarum* Slesvicensem vi in possessionem immittere constituit. Aderant ei è filiis *Henricus* & *Nicolaus*. Eos cum parte copiarum aliò dimittit. Ipse Randershusium progressus quatuor millia armatorum secum ducebat. Hi quacunque iter facerent ferro omnia atque igne defædantes nobilium pręsertim prędia ædesque ac loca sacra more militiæ in prædam passim dabant dispoliabantque. Tum *Sueno* Arhusiensis episcopus aliique plures, relicto regno ac possessionibus, ad *Waldemarum* Christophori in Germaniam concessère, ejus se prosperis dubiisque socios juncturi.

Obtulit se per eosdem dies vir genere nobilis, sed animi nobilioris, Nicolaus Ebbonis *Noreriſius*, qui indignum ratus tot jam annos Holsatis, quibus imperare sueverat, servire Daniam, de bello semel & in universum finiendo consilia secum cœpit agitare. Idq; cum fieri non nisi magno audacique aliquo facinore posse animadverteret, ipsum se morti potius objicere, quàm videre perpetuo oppressam patriam maluit. Accedebat præterea occultum quoddam adversus Comitem odium, ortum è lite, quam inter ipsum & *Stigotum* Andreæ, sed minus ex sententiâ *Nicolai*, Comes deciderat. *Nicolaus* itaque, ut alter Scævola, ad trucidandum *Gerhardum* Comitem aut occumbendum ipse paratus, cum jam ante rimatus cuncta fuisset, & eidem quoq; amicitiam rite & more gentis jam ante renunciasset, sciretque quo loci Comes cubaret, ipso sabbato ante Dominicam Oculi, priusquam Randerhusium, ubi Comes agebat, cum suis ingrederetur, ita pontem, quem erat in reditu transiturus, sublicium de nocte aptavit, ut eum cum vellet, posset dejicere atque aliis hoc pacto assequendi se occasionem præripere. Eoque facto Randerhusium ingressus recta conclave Comitis petiit; ibique ipse, & quem ad manum sibi habebat, satelles, excusso è cardinibus ostio, Comitem in lecto jacentem obtruncat unà cum Capellano ejus & cubiculario Henrico *Wittinghovio*. Nicolaus perpetrato facinore urbe confestim facessit, resciſſoque, prout constituerat, post se opidi ponte, celeri sibi fugâ consuluit. Quę ubi in vulgus sparsa, & ad totum deinde exercitum dimanarunt, ingens omnes terror pervasit, nec multò post diffluere paulatim cæperunt copiæ: Gerhardoque exinde funus à filiis Henrico & Nicolao mæstissimis Itshoę ductum.

Hic *Gerhardus* primò dictus Comes Randersburgensis, tenuibus admodum initiis ad summa paulatim evectus est. Pater ei *Henricus* fuit, mater *Ceva* Bronchorstia. uxorem

duxerat filiam Ducis Saxoniç *Iohannis*, ex quâ tres filios Henricum *Ferreum*, *Iohannem* & *Nicolaum* suscepit. Operam initio liberalibus studijs dederat ad annum usque ętatis vigesimum quartum, spe potiundi episcopatus ob avunculum *Giselbertum* à Bronchorst, qui Bremensem pręsulatum tenebat: Cujus etiam auxilio Vilstermarsiam, de qua diu litigatum fuerat, obtinuit, cum jam antea eâ laborasset inopiâ, ut ne locus quidem ullus aut arx apud Holsatos esset, quę ad eum pertineret. Rendersburgi ut civis propemodum inter cives agebat. Memorant *Hennichium* Reventolphium, *Adolphi* Comitis percussorem, ei canes, equos & arma sufficere solitum. Inde, adspirante fortunâ, vicit Comitem *Adolphum* Schouenburgensem; Segebergam etiam & Randersburgum suę in universum potestatis fecit, Dithmarsos compescuit; Danum ad incitas propemodum redegit. Quibus alijsque factis, ut solet industrios & gnavos, nec virtutem modò sed umbram sæpe ejus, gloria consequi, nomen ei postremò impositum *Magni*. Qui verò, ut memoravimus, eum de gradu dejecit, Nicolaus fuit *Ebbonis*, Crantzius Nicolaum *Iepseum* sive *Iacobi* appellat: Domestici insuper scriptores familiæ cognomentum *Norisij*, sive, ut posuimus, *Norerisij* adjiciunt. Et volunt præterea Holsatorum chronologi ipseque Crantzius eum *Nicolaum* fidei & obsequij jure *Gerhardo* fuisse obstrictum: ideoque & mox à filijs deprehensum, ut paricidam & proditorem, enectum ac rotis impositum, cum ejus annales domestici nihil referant, qui biennio post circa Londenessum in acie occubuisse injiciunt; & apud Iutiæ borealis Cimbros haud aliter sacramento obnoxium *Gerhardo* egisse, quam cetera, quæ *Gerhardi* imperium coacta acceperat, nobilitas: imo & amicitiam, ut dictum, *Gerhardo* legitimè jam antea, & more majorum renunciasse, acta, quæ eâ de re habentur, ostendunt; Quod Dani suo idiomate ac formulariter *onsige* dicunt. adeo ut hostem ab hoste, ac media inter arma, præventum ac cæsum videantur innuere; præsertim cum tam negligenter custoditum, ac nullis propemodum præsidijs, flagrante adhuc undique bello, communitum *Nicolaus*, captatâ occasione, aggressus sit atque interemerit. INTERREGNVM.

Ob ea, quæ jam & ante sæpenumero, tum & in sequentibus de Holsatiæ dynastis Comitibusque erunt memoranda, proximam, quæ sequitur, hic attexendam genealogiam existimavi: Tum etiam, quia aberrare, ut plurimum, in hisce atque hallucinari genealogicos hodiernos comperiam.

STEMMA
COMITVM HOLSATIÆ
antiquorum.

ADOLPHUS *Salinglevius vir nobilis ac strenuus, fratre Brunone episcopo annitente, à Conrado II Imp. in Comitijs Mindensibus Eques Auratus & primus Comes Scaumburgensis designatus an. 1030.*

- Hartungus *cæsus bello Bohemico. Reusnero est Adolphi 3 frater.*
- ADOLPHUS *2 Comes Scouenburgicus, à Lothario Saxone primus suæ familiæ Comes Holsatiæ creatus an. Ch. 1114. post Billengerorum stirpem extinctam. cæsus Demini.*
  - ADOLPHUS *3 obijt in arce Scouenburgensi.*
    - Bruno *Præpositus Magdeburgensis, inde episcopus Olmicensis.*
    - Conradus *Comes Scouenburgensis.*
    - ADOLPHUS *4 Comes Holsatiæ, monachum postremò professus obijt Chilonij.*
      - Iohannes *1 Comes Vagriæ.* A
      - Luderus *puer extinctus.*
      - Mechtildis *uxor* Abelis *Danorum regis.*
      - GERHARDUS *1 Comes Holsatiæ.* B

LVDOVICVS BAVARVS IMP.

A

Iohannes 2 *Comes Vagriæ, bis conjugatus. ex priore uxore 3 liberi nati, qui sine hæredibus obiêre. ex alterâ conjuge, quæ fuit vidua* Erici Glipping *Daniæ regis, nati filij duo*

Albertus *Præpositus Hamburgensis.*

Adolphus 5 uxor Mistovij Pomeraniæ Ducis filia sterilis.

Iohannes 3 *Beningus dictus, Christophori Danorum regis frater uterinus* :

Christophorus *infans perijt collapsus de ponte Chilonij.*

Adolphus 7 *postremus ex stirpe* Iohãnis 1. *sepulti omnes in cœnobio Reinfeldensi, excepto* Iohannis 2 *filio* Adolpho *ex priore conjuge, quem Hartvigus Refuentloff occidit. is Segebergæ locum sepulturæ accepit.*

Gerhardus, *Dux Slesvicensis factus an. C. 1366 cæsus à Dithmarsis. uxor* Elizabetha *filia Magni Torquati Ducis Brunsvicensis & Luneburg.*

Albertus, *conjux Erici Saxoniæ Ducis filia* ἄπαις.

Henricus *electus episcopus Osnabrugensis.*

Henricus *obijt non relictâ prole.*

Adolphus 8 *ultimus Dux Slesvicensis & Comes Holsatiæ.*

Gerhardus *absque prole post se relictâ mortuus.*

Filiæ duæ N. & Hedevigis. *quæ nupta* Theodorico *Comiti Oldenburgico. Exque ijs natus*

Christianus, *eius nominis Daniæ rex & Dux Holsatiæ, de quo in sequentibus.*

B

Henricus *Comes Holsatiæ, uxor præsulis Bremensis* Giselberti *de* Brunchorst *fratris filia.*

Gerhardus 2 *Comes Scouvenburgi.* : : :

Gerhardus 3 *dictus* Magnus *item* Calvus *Comes Holsatiæ, uxor filia Iohannis Ducis Saxoniæ, trucidatus in lectulo an. Ch. 1340.* : :

Iohannes ἄπαις.

Gerhardus 4 *Comes Holsatiæ & Stormariæ*

Gerhardus *Præpositus Lubecensis.* : :

Adolphus 6 *Comes Scouẽburgi, ab hoc descendunt hodierni Comites Scouenburgici.*

Henricus & Otho *sine prole obierunt.*

Henricus *Ferreus uxor N. filia Alberti 1 Ducis Megapol.*

Ioh. *cæsus Dāni.*

Nicol. *improlis obijt.*

Iohannes *præfuit Stormariæ an. Ch. 1320 usque ad an. 1330. Hic postremus fuit è prosapia* Gerhardi *qui Holsatiam moderati sunt.*

RERUM





RERUM DANICARUM HISTORIÆ LIBER VIII.

VALDEMARUS ejus nominis III. REX LXXXVII. ATTERDAG *dictus.*

VALDEMARUS III. Rex. *A. C.*



ÙM jam annis circiter quindecim Daniæ regnum exterorum dominationibus exhaustum, ac, veluti Penthei artus, in partes plures dissectum huc illuc fluctuaret, respexit postremo divina clementia &,excitato Valdemari natu majoris filij *Christophori* generoso spiritu, regnum injustis possessoribus liberavit,& membra, quæ variè à varijs erant discerpta, in unũ paulatim reducendi & absq; propemodum cæde ac sanguine componendi facultatem eidem indulsit. Ei *Atterdag* cognomentum hærebat,quod ex usu scilicet sermonis quotidiani *Atterdag* dicere erat solitus, cum innuere vellet,iterum instare diem,nec omnes omninò soles occidisse. Itaque dum cedit tempori,& plura consilio quàm vi gerit, in id præcipuè incubuit, ut Cæsar & Marchio Brandenburgensis *Ludovicus* ad causam ejus propius cognoscendam animum atq; aures commodarent. Nec aversum ab eâ re Cæsarem expertus est, utpote cujus aulam aliquamdiu non sine industriæ laude secutus fuerat; & Marchio, qui filius erat Cæsaris, Valdemari ipsius sororem duxerat, uti jam ante est memoratum. Hi igitur cum subditorum in Valdemarum inclinationem animadverterent,& literæ quoque allatæ ab ijsdem essent, quibus eum Holsatici dominij tædio in regnum revocabant, indictus Spandaviæ conventus est. Quocum advenissent Marchio jam dictus,& Dux Pomeraniæ *Barnimus* ex Cæsaris mandato, inter principem Valdemarum ab unâ, & alterâ parte Ducem Slesvicensem *Valdemarum*,Comitesque Holsatiæ *Henricum* ejusque fratrem *Nicolaum*,mediantibus utrimque consiliarijs, hunc in modum agi cœptum: ut *Otho*, Valdemari frater, ante omnia è carcere dimitteretur,traderetur que Marchioni aut regi Valdemaro, hac tamen cautione, si prius *Henrico* & *Nicolao* nec non *Iohanni* Comitibus profiteretur se actioni suæ universæ in Daniæ regnum renunciare: quod esset decretum, unius Daniæ unum & solum agnoscendum regem Valdemarum. Præterea Dux Slesvicensium *Valdemarus* sororem suam principi Valdemaro in conjugem cederet, traditâ dote 24000 marcarum argenti; Quam ille summam decideret ex 100000 marcis, quarum nomine Iutia & Fionia oppignorata tenebantur; ità ut Fionia 41000 marcis cum insulis adjacentibus, & Iutia 35000 similiter marcis

LUDOVICUS BAVARUS IMP.

marcis adhuc obligatæ manerent, excepto Alburgo, quod unà cum Vensyssela, Himmersyssela, Thyesyssela, alijsque eodem spectantibus territorijs regijsque reditibus omnibus confestim regi Valdemaro permitteretur. Similiter & reliquæ Iutiæ arces eidem paterent, quandocunque eas redimere ipsi aut liberet, aut integrum esset. Harum primo loco censebatur Calloa, inde Horsena atque ultimò arx & urbs Ripensis cum quartâ latifundiorum ad easdem spectantium portione. Præterea statutum ne Valdemarus sibi defensionem assumeret percussorum Comitis *Gerardi*, sed ipsis eorumque fautoribus, quicunque ij forent, se perpetuò adversarium ac hostem demonstraret. Inde actum de censu agrorum à colonis præstando exigendoque à partis utriusque scribis, deq; auxilijs cum à rege, tum à Comitibus invicem ferendis, ac demum de revocandis extorribus, inter quos erat Episcopus Arhusiensis alijque, ac damnis ipsorum, quæ passi exilij tempore fuissent, reficiendis. Eaque omnia permissa arbitris, ut de ijs seorsim pronunciarent. Actum quin etiam de dotalitio, quod rex Valdemarus sponsæ suæ *Hedevigæ Valdemari* Ducis sorori, post nuptias celebratas esset assignaturus, nominataque præter arcem Ripensem & urbis monetam, etiam molendinum, telonium, alijque eodem spectantes reditus usus que ac fructus urbani.

Inde Marchio, indicto Lubecæ conventu, præter cæteros, vocari eodem Ducem Slesvicensium *Valdemarum*, itemque *Henricum*, *Nicolaum* & *Iohannem* Holsatiæ Comites curavit. Ibique superiora illa omnia Spandoviæ inter partes agitata proposita, signatis ritè tabulis, firmata sunt. De dotalitio autem, quod reginæ *Hedevigæ* erat assignatum, hoc insuper decretum, ut, si arx Ripensis eoque spectantia ante regis Valdemari obitum non redimerentur, tum eorum loco Alburgum cum reditibus universis, quæque eodem pertinerent, territorijs, reginæ ad vitam concederentur. Hæc sanctè assecuturum se professus est Dux Slesvicensium *Valdemarus*, adstipulatique sunt, ac fide bona, veluti sponsores, hoc ipsum polliciti Dux Saxoniæ *Albertus*, Holsatiæ Comites *Henricus*, *Nicolaus* & *Iohannes*, Schouwenburgi Comes *Philippus*, Oldenburgi *Conradus* unà cum arcium Iutiæ Borealis quatuor Præfectis: Promisitque & idem rex Valdemarus, ejusque nomine princeps illustrissimus Marchio Brandeburgicus *Ludovicus*, ipsius affinis; itemque Stetini Dux *Barnimus* & Gomes Lindaviæ *Vlricus Gunterusque* Swartzenburgensis, ac denique Megapolitanus *Albertus*. Sed ipsæ hæ literæ, idiomate vernaculo evulgatæ, cum & alia non prætereunda propius cuncta exprimant, earum, quantum potuit, sensum atque exemplum hîc subjiciendum existimavi. Sunt autem ejusmodi:

,, Nos Valdemarus, Dei gratiâ, Dux Slesvicensis, hisce patentibus codicillis profitemur ac
,, testamur coram omnibus, nos cum serenissimo ac generoso principe, rege Valdemaro,
,, Danorum rege, domino nostro, super detrimentis ac controversijs, quæ hucusque tenue-
,, runt, amicè & secundum æquum ac bonum, in modum ut sequitur, convenisse: Primo so-
,, rorem nostram dilectissimam Hedevigem, proximâ, quæ instat, dominica ante Penteco-
,, sten in conjugem tradémus jam memorato illustrissimo principi, addita dote 24000 mar-
,, carum argenti, quas in solutum ei cedemus ac decidemus ex marcis 100000, quibus Fionia
,, ac Iutia oppignoratæ sunt, ut ità Fionia adhuc cum insulis circumjacentibus 41000 marcas,
,, Iutia verò 35000 debeat, excepto Alburgo, quod nos domino nostro regi unà cum Vend-
,, syssela, Himmersyssela, Omsyssela ac Hanherret, nomine ejusdem sororiæ dotis, redime-
,, mus ac eidem principi ac domino nostro extemplo utendum fruendumq; permittemus.
,, Præfecti, qui arces borealis Iutiæ tenent, ipsi ut vero suo domino sacramentum dicent:
,, cumque celebrata erit inauguratio, ad nos ut pignus, remittentur: Et redimet porro Iu-
,, tiam rex summæ alterius parte in eum modum ut cum quarta pars pecuniæ erit soluta,
,, tum etiam quarta ditionis pars ad eum recidet, unà cum arcibus, quas ei deinde permitte-
,, mus. Arcibus regi traditis si forte rex fœdus hoc fregerit, tum arcium præfecti ad nos
,, provocabunt. Et vice versâ fiet, si nos promissis non steterimus. Si quæ hac de re con-
,, troversiæ aut lis exsurgat, eam ut sequester decidet Dux Saxoniæ Albertus. Cui & ipsi
,, quatuor septimanarum tempus dabitur de jure statuendi. Sique is, qui esse in culpâ judi-
,, cabitur, eam intra spatium quoque quatuor hebdomadarum non emendarit, tum omnes ac
,, singuli utriusque partis, qui huic tractationi interfuêre, se ei, qui injuriâ afficitur, conjun-
,, gent, donec effectum sit, quod sententia tulerit. Liberumque erit domino nostro regi
,, Valdemaro arces Iutlandiæ jam dictas redimere, quandocunque id ipsi integrum erit.
,, Prima earum quæ redimetur Calloa erit, cum quarta parte territorij ejus: altera Hor-
,, sena, cum quarta item parte ditionis ejusdem. His constituendis præficientur ex regijs
scribis

WOLDEMARUS III. Rex. A. C.

scribis duo & totidem à parte nostrâ. Si autem accidat regem indigere vel nostrâ vel Holsatorum ope, auxilio ei accurremus cum equitibus 400: & ipsi vicissim si auxilio indigeamus regis, ipse nobis aderit cum equitibus similiter 400. Si majoribus copiis opus sit, totis eum viribus nostris opitulabimur. Ubi nuptiæ erunt consummatæ, cedentur sorori nostræ ad vitam arx atque urbs Ripensium, unà cum teloneo, molendinis ac fructibus universis extra intraq; urbem sitis unà cum lacubus ac territoriis quatuor, quæ eòdem antiquitus spectarunt cum alterâ parte Varsysselę. Quibuscunq; à nobis arces permittentur, ii regi sacramentum dicent, ut indicatum modò. Si cuiquam præfectorum concredi arcem è re haud judicetur, is suo nomini fideiussores constituat. Episcopo porro Arhusiensi neq; quod ad vitam neque ad bona ejus, sive etiam quod ad diœcesin attinet molesti ulterius erimus. Quicunq; sive equites sive milites, ditiones sive populus, laici aut clerici aliique ex regis ministerio qui cum rege extorres fuerint, sua securè possidere permittemus. Rex quoque ut & nos omnibus, qui hucusque domino parenti ejus ipsique & nobis adversarii fuêre, & jam vicissim se clientelæ ejus atque obsequio dedunt, ignoscemus veniamque largiemur. Prædictus dominus ac rex nòster, ubi redimet aut redemerit terram suam borealis Iutlandię, nobis haudquaquam impedimento erit, quod ad hæredia nostra in Vendsyssel posita, sed iis hęreditariè nos frui sinet, cum jurisdictione universâ, quemadmodum illis Comites *Iohannes* & *Gerhardus* eorumque liberi jam ante usi fuêre: Si autem contingeret, ex hac vitâ decedere dominum nostrum ac regem (quem diu incolumen Deus pręstet) priusquam nos, Dux Valdemarus, Ripas redemerimus cum ceteris jam ante memoratis, tenebit tum eorum loco soror nostra ad vitam Alburgum cum omnibus reditibus, jurisdictione, usu fructu aliisque eòdem spectantibus, una cum Vendsyssella, Hemmersyssela, Thysyssela & Hemherret, prout idem territorium reges aliiq; dynastæ jam ante possederunt. Hęc nos cuncta sartè tectèque servaturos fide bonâ promisimus prædicto domino, Danorum regi Valdemaro ac nomine nostro vades sivę compromissores dedimus illustrem principem Ducem Saxoniæ *Albertum*, Comitem *Iohannem*, Comitem *Henricum*, Comitem *Nicolaum*, Holsatorum Comites; *Philippum* Comitem Scovenburgensem, *Conradum* Comitem Oldenburgensem, Præfectosque borealis Iutiæ quatuor, utpote quibus quatuor oppignoratæ arces concreditæ sunt; Nosque ejusdem prætereà regis vice pollicemur illustri principi, *Ludovico* Marchioni Brandeburgico, affini ejus, Duci *Barnimo* Stetini domino, Comiti *Vlrico* à Lindauw, *Guntero* à Swartzenburg, domino *Alberto* Megapolensi seniori, nos præmissa capita omnimodè ac certò servaturos absq; dolo malo. Ad rei majorem certitudinem sigillum nostrum præsentibus appendi fecimus. Datum Lubecæ 1340. die Veneris ante festum S. Urbani.

Hinc eodem propemodum tempore & loco, seorsim cum rege Woldemaro sunt reconciliati Holsatiæ Comites Henricus & Nicolaus, eorumq; hęredes & auxiliares sublatis, quæcunque inter eos fuissent, controversiis. Deque Fionia professus est Rex se eam insulã cum cæteris ad eandem spectantibus oppignoratam ipsis reliquisse nomine 41000. marcarum argenti, nec ipsis, quod ad idem pignus, sicuti nec ob Arream, ullo modo futurum obstaculo, donec illud, ære soluto, liberarit, adjiciens de extorribus, & qui relicto solo patrio secum exularint, pronunciaturum cognatum suum Comitem Iohannem, idque quod ille statuerit, sibi placiturum. Actum similiter de auxiliis mutuò præstandis, deq; Marquardo Rostrupio, & si qui alii bona ac latifundia apud Fionios & Iutlandos obęrata tenerent, ea juxta tabulas signatas possiderent, donec redimerentur. Horum sponsorem Rex elegit suo nomine Albertum Saxoniæ ducem. De Othone quoque fratre ejus statutum, ut, quandocunque is liberaretur, id ea cautione fieret, ne obesse uspiam Comitibus posset, quod ad hypothecas jam indicatas. Subscripta hæc atque obsignata ab iisdem ferè, qui nominati superius. Ipse autem Slesvicensium Dux Woldemarus circa festum divi Iohannis cum Holsatiæ Comitibus ità Sonderburgi convenit, ut redemta ab ipsis in commodum & usum regis Woldemari Boreali Iutiâ, ejus vicissim loco possessiones ac territoria alia apud Iutas Australiores redderet. Qui tractatus multa continet, quæ ad bona etiam nobilium privata spectant, & inter cæteros nominantur Nicolaus Crummedigus, Timæus Rantzovius, Petrus Munckius, Emolenus Vinsfledus aliique: estque ferè ad eum modum conscriptus, cujusmodi jam ante vivente adhuc Gerhardo Comite inter Woldemarum Slesvicensem ipsumque Gerardum fuerat conceptus, quamvis, ut videtur, ipse exinde Woldemarus Rex Comitibus hac parte satisfecerit. Relatum superius Scanienses cum jugo Holsatorum supra modum premerentur, ad Regem Suecorum Magnum confugisse,

WOLDEMARUS III. Rex. A. C.

Holſatiæ Comitibus, ſed cum Ingeburgâ quoque ac urbibus Vandalicis hunc in modum initâ pactione convenit: ut quatuor utrimque eligerentur viri prudentiâ ac fide conſpicui, qui Roſchildiæ circa feſtum Michaëlis convenirent, atque ibi de totâ controverſiâ, quæ inter diſſidentes fuiſſet, ſive amice, ſive ex juris præſcripto pronunciarent. Si qui autem his octo arbitris habere fidem detrectarent, tum ii, facto ſacramento teſtarentur, ſe neque æquius quicquam neque commodius comminiſci potuiſſe. Si verò diſſidere hos ipſos inter ſe contingeret, tum evocato Helſingoram archiepiſcopo Lundenſi Petro, ei permitteretur quod æquum ac bonum, in medium depromere. Quodq; ipſe pronunciaret id firmum ratumque haberetur. Similiter etiam, quodcunque inter regem & Comites Holſatię Henricum & Nicolaum, durante ſuperiore expeditione, diſſidii ſeorſim incidiſſet, id Heineus Brocdorpius & Henricus Sedelitzius, aſſumptis duobus aut quatuor ex regis conſiliariis, inque inſulam Fioniam profecti apud ipſos Comites deciderent ac terminarent. Si verò nec ità componi in totum lis poſſet, tum ea deferretur regi Suecorum ac Duci Saxoniæ Alberto, aut uni eorum ſeorſim: Et ille quodcunque ſtatueret, id firmum maneret. Hæc acta Callenburgi dominicâ poſt feſtum divi Iohannis Baptiſtæ. Inter regem verò & Ingeburgam, novâ exinde ſuper Callenburgo tractatione inſtitutâ, ita convenit; ut ipſa Hallandiam borealem vitæ ſuæ tempore teneret, Callenburgum verò confeſtim redderet. Crantzius & quæ Holſatica hic refert hiſtoria, Holſatorum ſcilicet fuiſſe Callenburgum (ipſe Scaldinborg at Scalingborg corruptè appellat) Comitemque Henricum ulciſcendæ paternæ necis eo cum copiis trajeciſſe, parentiſque percuſſorem intra arcem apprehenſum rotis impoſuiſſe, ea ut à vero abeunt, ita cum actis quoque domeſticis, diſſident, quomodo & ſtatim liquebit. Fatalis annus fuit Margaretę Sueonum reginę Erici & Chriſtophori Danorum regum ſororis, Byrgeri olim regis, de cujus exilio & obitu ad annum 1321. diximus, conjugis. Ea Ringſtadii juxta cineres mariti collocata, terreſtrem hanc patriam cum cœleſti commutavit. Incidit in idem hoc tempus donatio ſacratiſſimi Cæſaris *Ludovici*, quâ annuam ſex millium marcarum argenti puri penſionem, quam Lubecenſes ipſi Romanoque imperio ſolvebant in totum filio ſuo Ludovico Marchioni reſignavit; quæ & poſtmodum ab eodem Marchione regi Woldemaro tranſcripta, ut infra ad annum 1350. uberius patebit. Cæſarea donatio filio facta, ſi quis eam deſideret, ita habet:

„Nos Ludovicus Dei gratiâ Romanorum Imperator ſemper Auguſtus tenore pręſentium profitemur, & conſtare volumus univerſis, quod nos illuſtri Ludovico Marchioni Brandeburgenſi primogenito & principi noſtro chariſſimo obſequiorum ejus fidelium nobis & imperio benevolentius factorum gratia, quorum refuſionis occaſione ſibi ſuiſq; hęredibus in ſex millibus marcarum argenti puri tenèmur, & obligamur, penſionem civitati Lubecenſi annuis temporibus nobis & imperio debendam locavimus: tam diu ſine inquietatione qualibet percipiendam quouſque ipſi Ludovico pręfato ſuiſque hæredibus prædictę pecunię quantitas per nos aut noſtros ſucceſſores nobis in regno vel imperio Romano ſucceſſuros integraliter perſolvatur præſentibuſque de plenitudine noſtrę Imperialis majeſtatis decrevimus obligare. In cujus rei teſtimonium præſentes conſcribi & noſtrę majeſtatis ſigillo juſſimus conſignari. *Datum* Monachii undecimo die menſis Martij anno Domini MCCCXLI. regni noſtri anno viceſimo ſeptimo, imperij vero quarto decimo.

Tenebant adhuc per id tempus, qui annus erat ſupra milleſimum trecenteſimum quadrageſimus ſecundus, potiſſimam borealis Iutiæ partem Holſati; cum eam neque Sleſvicenſium dux Woldemarus, neque ei cognominis rex in totum, ære ſoluto, redemiſſent. MCCCXLII. Itaq; Nicolaus Ebbonis Norreriſius, qui, ut ſupra memoratum, in lecto cubantem Gerhardum ſuſtulerat, collectâ Iutarum aliquot, qui Holſatos fere paſſim faſtidiebant, levi manu Lundeneſſum profectus eſt; atque ibi munimentum, quod excitare circa Scirneam cæperant Holſati, deſtruxit ac ſolo æquavit. Verùm Henricus recentibus copiis ſubſecutus ac prope Alburgum eundem aſſecutus confligere cum eo conſtituit. Factaque haud tralatitia pugna; in quâ animoſe præliando Nicolaus occubuit. Cadaver inter cæſorum corpora repertum an rotis impoſitum nec ne, de eo inter annotamenta domeſtica nihildum reperi. Cum jam regno rex eſſet redditus, identidem ad eum reſpicere ſubditi, contemtâque Holſatorum ſuperbâ dominatione ſe eis opponere paulatim cæperunt, & arcium quoque pręfecti, qui Dani erant, ac regi dicto audientes habebantur, minus cum ijſdem amicè agere, & illi viciſſim cum ipſis. Quę utrimq; occaſionem ſępenumero bello, cædibus

WOLDEMARUS III. A. C.

cædibus ac deprædationibus præbuerunt, dum alter alterum hostiliter invadit. Factumque interjecto tempore ut regis Mareschalcus *Fredericus* à Laahen & Marquardus Scanius Wordingburgi præfectus, conscripto hinc inde milite, tum & Sueticis adjutus auxiliis inter se congressi acriter decertarint, adeò ut *Marquardus* prælio superatus fuga sibi consuluerit, dum alij, & inter eos *Halduorus* Peltius Suecus, aliique Danorum misere occumbunt. Inde iterum inter Holsatos & regem pactio inita, concessumque ut deinceps illi arces ac regni territoria pignoris quasi vice tenerent. Anni finem clausit obitus *Benedicti* pontificis, cujus supra meminimus, postquam annos circiter septem sedi isti præfuisset. Hic est ille Benedictus, de quo memorabile est quod refert in vitâ Petrarchę Hieronymus Quarzaficus Italus, eum, cum deperiret afflictim sororem Petrarchæ, eleganti formâ ac moribus puellam, & eam, oblato licet Cardinalitio galero, impetrare à Petrarchâ, qui ejusmodi galerum ut spurcum ac capiti suo dedecorosum detestabatur, haud posset, vertisse se ad ejus fratrem Girardum, qui paucis muneribus captus sororem concesserit: sed Petrarcham, audito facinore, & viso etiam eos, qui Dei quasi vices in terris gerant, per abrupta vitiorum agi præcipites, Avenione facessisse, ac rhytmo exinde Italico, cujus initium *jo non vo piu cantare come solea*, rei indignitatem posteris prodidisse: fratrem verò pœnitentiâ ductum in cœnobium abdidisse se prope Massiliam. Habuit successorem Benedictus *Clementem* ejus nominis sextum patriâ Lemovicensem. Anno verò, qui proximè est secutus, millesimo tricesimo quadragesimo tertio, divastata est passim ac prædæ pœnè relicta omnibus tam exteris quam ipsis quoq; indigenis Zelandia. Coagium, quod insulæ ejusdẽ non ultimi nominis est opidum, in favillas versum & aliæ similiter alibi desolatæ urbes. Commissumque inter Danos & Theutones prælium pridie D. Michaëlis circa Flasmollam, in quo cum superiores essent Holsati, præter eos, qui occubuerunt, Boëtium etiam Falcum, summæ apud regem dignitatis virum, vivum ceperunt. Eâque strage incensi Dani, ubicunque coire turmatim Holsatos viderunt, facto in eos impetu, ad pugnam provocarunt; adeò ut unâ nocte, exorto forte fortuna tumultu, trecentos sustulerint. Circa idem propemodum tempus inita Worbergæ inter regem Sueciæ *Magnum* & Woldemarum amica & in perpetuum mansura pax concordiaque. Datis ea de re Latine literis, quas eâdem quoque, quâ tum conscriptæ sunt, formulâ proximè subjeci:

MCCCXLIII.

„ Universis præsentes literas visuris vel audituris, Magnus Dei gratia Rex Sueciæ, Norvegiæ & Scaniæ, salutem in Domino sempiternam. Quantis est plena periculis æmula pacis discordia, jam non solum ex prisca dudum colligimus serie, verum etiam quam brevi manu ad id attigimus, quam in se perplexa sit, præterquam quod onusta dispendiis crebra Guerrarum adjecta, quæ gravi concussionis pondere luctuosa cumulant incommoda subditorum, procul igitur eliminanda est guerrarum occasio, & alumna bellorum sæva dissensio radicitus extirpanda, ut quæ ad pacem fuerint bene ordinata effectu non careant, cum cognoscantur habere profectum salutarem. Hinc est quod tenore præsentium notum facimus universis, quorum interest, vel interesse poterit in futurum, Quod nos anno Domni 1343. in octavis beati Martini Episcopi, cum magnifico principe Domino Woldemaro, Danorum Slavorumque rege illustri, & Duce Æsthoniæ, consanguineo nostro charissimo, in castro nostro Varberg præsentibus consiliariis & potioribus Regni nostri Sueciæ placitavimus & concordavimus in hunc modum: Primo, quod inter eundem Dominum Woldemarum, regnum suum, terras & dominia, homin esque & subditos suos quoscunque, parte ex unâ, & nos, regna nostra, terras & dominia homines & subditos nostros quoscunque, parte ex alterâ, firmæ pacis sinceritas, & indissolubilis concordiæ stabilitas, perpetuis temporibus inviolabiliter observentur, sedatis totaliter omnibus & singulis controversiis, discordiis, rumoribus & guerrarum disturbiis, hinc inde, huc usque qualitercunque, & quibuscunque causis motis & subortis. Item si ardua nimis & difficultate plena inter eundem dominum Woldemarum regem & nos, ac utriusque nostrorum successores vel hæredes, emerserint negotia, statum regnorum nostrorum aut successorum vel hærẽdum nostrorum honorem seu commodum summè tangentia, crimen, ut puta, læsę Majestatis, castrorũ aut terrarum proditionem, vel eorum consimilia, ex tunc tres assumantur Episcopi & totidem milites, & militares prudentiores ex quolibet regno Daniæ & Sueciæ, qui infra duodecim septimanas à tempore quo principi vel ejus locum tenenti, seu tenentibus, per duos consiliarios partis adversæ, querimoniæ fuerint intimatæ Helsingborg convenientes, prædictas causas & ardua negotia Regum & Regnorum

WOLDEMARUS III. Rex. A. C.

Regnorum diligenter examinent, fideliter tractent,& finaliter terminabunt; & ſi inter ſe concordare nequiverint,tunc duos diſcretiores ex ſe ipſis vel aliis unum videlicet Dacum alterum Suecum ſuper juramenta & conſcientiã eorum eligant, qui quidem duo ſic electi, omni amore & odio prorſus ſemoto, hujuſmodi negotia ibidem terminent, & definiant,ſuo poſtmodum ſuper hoc ad ſancta præſtito juramento,quorum definitioni & terminationi abſq; quavis diſplicentiã & contradictione, utraq; pars debet contentari, pace nihilominus & in hac finali concordiã in ſuo pleno vigore & robore, in perpetuum duraturis. Item ſi caſus aliqui minus graves ſuperius poſiti, inter regna noſtra utriuſque noſtrorum ſucceſſorum,vel hæredum,ſeu ſubditos evenire contingat,adeò graves quod noſtri, vel eorum ſucceſſorum, aut hæredum advocati, ſeu juriſdictiones vel judicia exercentes tales caſus terminare,vel ad concordiam reducere nequiverunt, tunc princeps coram quo delata eſt querimonia, duos de conſiliariis ſuis ad hoc ſpecialiter deputabit, qui hujuſmodi negotia ardua Helſingborg intra duos menſes à tempore delatæ querimoniæ coram principe terminabunt, & fideliter coucordabunt, pace nihilominus & hac finali concordia perdurante. Item ſi ſubditos utriuſque noſtrorum ſucceſſorum, vel hæredum noſtrorũ, unius vel alterius, in aliquo regnorum noſtrorum ſeu dominio contingat delinquere,adhuc flagrante crimine, ſecundum leges patriç, in quã quis eorum delinquit, pro delicti qualitate punietur,pace ut præmittitur nihilominus valiturã. Item ſi ſubditi unius vel alterius noſtrorum,noſtrorum ſucceſſorum,vel hæredum,in advocatos,officiales, aliosve honores alterius noſtrorum ſuper rebus vel perſonarum injuriis conquerantur,teneatur dominus Rex,vel ejus advocatus, ubi delinquens eſſe dignoſcitur,intra certum tempus,ex quo querimonia coram eo delata eſt,juſtitiam facere conquerenti,ſecundum leges patriç & conſuetudines approbatas; Nec advocati ſeu officiales prædicti cauſas ſive caſus coram eis delatos à ſe aliqualiter removere poſſunt, juſtitiam petenti denegando, vel eos ad ſuperiores judices remittendo,niſi adeò graves fuerint,quod eorum juriſdictionem non attingat,prout ſuperius annotatur,pace nihilominus duraturã. Item neuter noſtrũ ſive ſucceſſorũ ſive hæredũ noſtrorum aliquis alterius inimicos vel adverſarios publicos colligat, defendat,ſeu quovis modo foveat,vel in ſuis Regnis,terris,vel dominiis recipiat, aut ſuſtineat, infra ſua dominia aut territoria commorari, in præjudicium,gravamen aut damnum alterius noſtrorum ſucceſſorum vel hæredum noſtrorum,ſeu etiam ſubditorum. Nec noſtrum alter, hæredes noſtri, vel ſucceſſores amicitiæ fœdus ineant,ſeu colligationes faciant, cum alterius, noſtrorum ſucceſſorum, vel hæredum inimicis, vel adverſariis publicè vel occultè, ex quibus damnum & jactura in rebus vel perſonis alicui noſtrum, hæredibus noſtris,vel ſucceſſoribus ſeu ſubditis poterit evenire. Item uterq;noſtrum,ſucceſſores noſtri&hçredes adhoc efficaciter cooperabuntur,quod prædones & piratæ ex regnis noſtris &dominiis procul eliminẽtur,ut mercatores&alij navigantes in bonis liberã pace perfruantur,nec ipſos prçdones vel piratas aliquis noſtrum,hçredes noſtri,vel ſucceſſores colligant,ſuſtineant,vel quovis modo foveant,contra regnorum noſtrorum vel noſtrum commodum ſeu profectum ſubditorum.Item in aliquo regnorum noſtrorum ſeu dominiis paſſi naufragia res amiſſas liberè abſq; impeditione quorumlibet, recolligant,& recuperent, quamdiu pro derelicto nõ habuerint res prçmiſſas.Item circa exules&expulſos vel timore ex uno in aliud regnum noſtrorum ſeu dominiorum fugientes,antiqua conſuetudine in regnis ipſis&dominiis obſervetur,dummodo nihil moleſtiç aut gravaminis intulerint regno,vel regnicolis,unde exularunt.Item omnes&ſinguli,cujuſcunq;conditionis aut ſtatus exiſtant,bona in utroq; regno habentes,liberè gaudebunt iiſdẽ,& ſervient de iſtis bonis, ſicut in eiſdẽ regnis juris ac cõſuetudinis fuerit ab antiquo. Itẽ volumus & firmiter ſtatuimus,ut omnes & ſingulæ placitationes& literæ,per dictum dominũ Regẽ,& quoſcunq;alios, nobis datæ aut nobiſcum habitæ,ſuper terris Scaniæ, Hallandiã,Blekingia, Lyſter & inſula Huæn,in ſuo pleno vigore&robore,per hanc noſtram placitationem&finalem concordiam,in nullo penitus diminutç vel debilitatç ſed potius redintegratç&de novo roboratç ac firmç ſint, ac in perpetuum ſtare debeant & durare. Cçterũ quod prçmiſſa omnia &ſingula,quç à nobis acta ſunt perſonaliter,illibata ſervare ac tenere&nõ contravenire per nos vel alium aliquã occaſione,vel cauſã de jure vel facto debeant,promittimus bonã fide, &ſub honore noſtro;Et ut majorem habeant roboris firmitatem,volumus&expreſsè conſentimus, noſtro ſucceſſorũ & hæredum noſtrorum nomine,quod contra ea,vel eorũ aliquod(quod Deus avertat)nos,ſucceſſores,vel hçredes noſtros venire aliquo modo contingat,fidejuſſores &cõpromiſſores noſtri infra ſcripti,hçredes &ſucceſſores eorũ de eo ipſo,

Rr abſq;

WOLDEMARUS III. Rex. A. C.

abſq; diſplicentiæ & ingratitudinis noſtrę, ſucceſſorum & hæredum noſtrum nota, ſe bonis ſucceſſoribus & hæredibus noſtris poſſint & debeant hoſtiliter opponere, & præfato domino Regi Woldemaro, ſucceſſoribus & hæredibus ſuis, contra nos ſucceſſores noſtros & hæredes, efficaci juvamine firmiter & fideliter cum omnibus amicis ſuis alijſq; amore eorum quicquam facere aut omittere volentibus adhærere, donec eidem domino Regi Woldemaro, vel ſucceſſoribus & hęredibus ſuis, per nos vel ſucceſſores noſtros & hæredes, propterea plenariè fuerit ſatisfactum ſecundum juſtitiam & amorem. In quorum omnium evidentiam firmiorem ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Nos inſuper, Petrus Lundenſis archiepiſcopus Sueciæ primas Siggo, Scarenſis & Freuderus Stengenenſis, Dei gratia Epiſcopi, Henricus Abbas de Sabâ villæ Scheminghen, Ivarus Ingmundſſon, Laurentius Ulffson, Gotſtanus Tuneſſon, Canutus Folckeſon, Carolus Tygeſſon, Carolus Naskoningſon, Ulfo Abiornſon, Ulfo Gudmarſſon, Amundus Sture, Amundus Sueniſſon, Tucho Gliſſing, Laurentius Carlſon, Magnus Knudſon, Siggo Magnuſſon, Iſraël Bygeſſon, Goſtanus Arvidſon, Byrgerus Magnuſſon, & Laurentius Magnuſſon, milites, ac Iohannes Chriſtenſon, armigeri, fidejuſſores & compromiſſores domini noſtri Regis Magni prædicti, pro præmiſſis omnibus & ſingulis firmiter & inviolabiliter obſervandis, una cum domino noſtro Rege ſupra dicto promittimus, bonâ fide & ſub honore noſtro, ſucceſſorum noſtrorum & hæredum: Quod ſi præfatus dominus noſter Rex Magnus hæredes ſui vel ſucceſſores ad coronam & regnum Sueciæ qualitercunq; venientes, prætextu juris coronæ regni Sueciæ, aut propriæ temeritatis audaciâ, contra præmiſſa, vel aliqua præmiſſorum venerit vel venire attentaverit, ſtatim nos, ſucceſſores noſtri & hæredes cum amicis omnibus noſtris alijſq; amore noſtri quicquam facere vel omittere volentibus, ſæpedictum dominum Woldemarum Regem Daniæ, ſucceſſores ſuos & hęredes ſub præmiſſa fidei ſponſione, efficaciter & fideliter juvabimus, contra dominum noſtrum regem Magnum prędictum ſucceſſores ſuos & hęredes in præmiſſorum evidentiam & teſtimonium, ſigilla noſtra cum ſigillo domini noſtri Magni regis prædicti, præſentibus apponentes: Quamvis autem per viginti quatuor compromiſſores, & unum ſuper arbitrũ pro utraq; parte, per nos utrumque Regem adhoc eis plenâ authoritate datâ, ſpecialiter aſſumtos & electos hujus finalis concordiæ tractatus Helſingborg initium haberet, & proceſſum aliqualem, veruntamen propter quædã incidentia utilius & magis expediens videbatur, eadẽ omnia & ſingula, quæ perpetuæ pacis & finalis concordiæ ſodalitatem reſpiciunt, ut utraq; parte præſente, ſcilicet domino Rege præfato, ac nobis & utriuſq; noſtrorum conſiliarijs & potentioribus plenius & perfectius diſcuterentur, ad finem debitum ordinanda, unde ejuſdem compromiſſi forma non attenta, per viam & modum amicabilis compoſitionis, per omnia hujus perpetuæ pacis & finalis concordiæ placitationem loco & termino prænotatis, hoc eſt Varbergæ in octavis Beati Martini, ut præmititur, duximus terminanda. Actum & datum Anno, die & loco ſupradictis.

Woldemarus inde rex, facto cum exercitu ſuo procinctu, caſtra Ringſtadio admovit circa feſtum divi Iohannis Baptiſtæ, atq; inde ipſo die Silveſtri Slagoſam movit. Unde cũ iter Corſoram inſtituiſſet, proditis nuncijs Liungam eâdem luce conceſſit: atq; inde reductis Ringſtadium caſtris, octiduo ante diem Stephano ſacrum Roſchildiam venit, militemq; hinc inde in præſidijs locavit. Eodẽ circiter tempore *Sueno* Arhuſienſis epiſcopus, nec non Roſchildenſium Diaconus *Iacobus* Pauli cum iter Roſchildiam inſtituiſſent, captivi Padebornam, (arx erat Zelandiæ) abducti ſunt. Qua de cauſa confeſtim toti regno ſacris interdictum, ex formula ac vi conſtitutionis ejus, quam ſuperius Wedelæ olim concinnatam indicavimus. Poſt hæc *Stigeus* Andreæ, Biornholmiæ dominus, volente rege, Calloam è manibus *Nicolai Limbeci* ejuſq; hæredibus, repręſentato, quod ipſi debebatur, ęre, recepit. Acceptâq; ab eodem apochâ, profeſſus eſt *Nicolaus* ſibi hæredibuſq; ſuis, quod ad Calloam, plenè ſatisfactum. Hic *Limbekius* initio regi inimiciſſimus, poſtea in amicitiam ac conſilium ejus receptus ſatrapiâ alijſq; honoribus ab eodem honeſtatus eſt. Similiter tũ Falſtriam & Nicopiam à *Chriſtophoro* rege, ut ſupra memoratum, *Iohanni* Comiti oppignoratam, Rex Woldemarus, ſolutis, quę ei debebantur, regno reſtituit: liberique demiſſi *Henningus* Podebuſkius, nec non *Macarius* Bruſcovius, qui territorij iſtius ac arcis nomine *Iohanni* obſides conceſſi fuerant. Eodem circiter tractu temporis Rex Sueonum *Magnus* reginæ *Blancæ*, præter dotalitia bona, quę intra Norvagiæ regnum tenebat, ad vitam inſuper poſſidendam conceſſit Bahuſiam, Malſtrandiam atque Elverſyſſelam, datis ibidem Bahuſiæ Codicillis, quibus id ex filij ſui *Haquini* omniumque procerum conſenſu,

eſſe

Woldemarus III. Rex. A. C.

esse ratum firmumq; voluit. Tum quoque Norvagiæ regni proceres pręstito Varbergæ *Haquino*, Magni natu minori filio, ut regi suo ac vero regni hæredi, obsequij ac fidei sacramento, diploma eàdem de re evulgarunt, quod, Latine & ad formam ejus seculi concinnatum, ita habet:

Universis Christi fidelibus, ad quos præsentes pervenerint, Erlingus Widkunni, Inguarus Ogmundi, Iohannes Hastoriæ, Haquinus Ogmundi, Ogmundus Guttormi, Ulffo Saxonis, milites, Siguardus Hastoriæ, Vernerus Erlingi, Ogmundus Finnonis, Gerderus Gundonis, & Olaus Olavi, armigeri, salutem in Domino sempiternam. Notum facimus per pręsentes, Quod anno Domini 1334 in castro Varberg, in festo assumtionis Beatę Marię virginis, convenientibus nobis in concilio corã excellentissimo principe nostro, Domino Magno, Norvagiæ Sueciæ ac terrarum Scaniæ, Hallandiæ, Rege illustri, intelleximus ipsum id velle gratâ mentis deliberatione perficere, quod nos ab ipso prius plenâ instantiâ & concordi animo, petere volebamus. Nam filium suum juniorem, videlicet Domicellum nostrum Haquinum, regem habere voluit super regnum Norvagię, ad quod nos totis viribus anhelabamus, unde cœlestis gratiæ ductus instinctu, idem dominus noster Rex Magnus, sanus, & incolumis, pręsentibus nobis, pro firmiori pacis fœdere inter filios suos & regna Norvagiæ & Sueciæ securius conservando, eundem filium suum juniorem, Domicellum Haquinum prædictum, regem fecit & constituit super Norvagiam, terras, provincias & insulas tributarias ad idem regnum pertinentes; deditq; ipsi regnum Norvagiæ & nomen regium, cum omni honore & dominio, proventibus & commodis, servitiis & homagiis, quæ vero regi Norvegię, de jure & consuetudine debentur, & ex facto. Nosq; prout domini nostri regi Magni præfati, & prælatorum regni Norvagiæ literæ super hoc negotio plenius declarant & insinuant, lęto animo hoc ejus factum amplectentes, ipsum eundem filium ejus Domicellum nostrum Haquinum statim immediatè eodem loco & tempore nobis in verũ regem assumsimus, & tenore pręsentium assumimus, pro nobis & hęredibus nostris, amicis & fautoribus totius regni Norvagię, ut pręmittitur, cum omni honore, dominio, emolumentis, servitiis & homagiis cõsuetis, impensis seu impendẽdis, vero Regi Norvagiæ debitis, eidem domino nostro regi Haquino &c, quę sequuntur.

Interjecto deinde tempore, iterum Warbergę conventus habitus, in quo Scaniæ proceres præter eam, quæ habita cum *Magno* Calmariæ fuerat, super Scanię districtu transactionem, datis denuò codicillis, decreverunt perpetuo eam adnectendam Sueciæ. Eæ literæ ejusmodi fuerunt:

Universis præsentes literas inspecturis Petrus Lundensis, & Hẽmingus Upsalensis divinâ miseratione Ecclesiarũ archiepiscopi, Petrus Lincopensis, Siggo Scarensis, Frenderus Strengenensis, Odgysilus Arosiensis, Henningius Aboënsis & Boetius Vexionensis Ecclesiarum eadem miseratione Episcopi; Iohannes monasterij Sanctorum omnium in Lundis, Ragnaldus in Alvastro, Sueno in Hergede, Vinmarus de Varnhem, Andreas de Siutli, Folcho de Novavalle, Michaël de Biackaskog, Henricus de Sabâ, N. de Thomatorp & Andreas de Asylo Abbates, Petrus Dalbiensis, & Godefredus de Ekilstunâ Priores, nec non capitula ecclesiarum cathedralium & conventus monasteriorum prædictorum, salutem in Domino sempiternam. Cum regnum Suecię & terra Scaniæ ita legaliter & indissolubiliter unita sint, & conjuncta, quod unum de cætero regnum censeri debent perpetuis temporibus, ac unius regis præsidio gubernari, sicut patentes literæ & manifesta instrumenta super hoc edita lucidius edocent & declarant: nos unionem memoratam prompto & benevolo amplexantes affectu, firmiter promittimus quod magnifico Principi domino nostro charissimo D. Magno Sueciæ, Norvagię ac Scanię regi illustri, suisq; successoribus & hęredibus, pro dicto regno Sueciæ & Scaniæ in unione pręfatâ retinendo, nec non pro eodem cum suis juribus, & justitiâ contra omnem hominem defendendo, adstabimus fideliter verbis, factis, consiliis & auxiliis, quantum possumus, jure Ecclesiæ, ordine & officio nostro salvis, habituri deinceps limites dicti regni Suecię, qui ante citra Scaniam tenebantur in ipso passagio Orasund, eosdemq; usq; illuc unà cum aliis confiniis & limitibus ejusdem regni Suetiæ & Scanię, ubicunq; illud hostiliter invadi contingat, cum omni fidelitate & toto posse nostro viriliter & unanimiter cum Dei adjutorio defensuri. Cęterũ revolventes sedulò in intimis cordis nostri, quàm plena sit periculis, & onusta dispẽdiis intestina dissensio, ea potissimũ, quę solet multoties ex vacillatione regiminis provenire; & tantis malis, quantũ Deus permiserit, prospicere circa regni regimen cupientes, firmiter promittimus quod inclitũ Domicellum Ericum filiũ dicti domini nostri regis seniorem,

Rr ij juxtą

WOLDEMARUS III. Rex. A. C.

,, juxta consilium & voluntatem ejusdem domini nostri in regem & dominum nostrum supradictum regnum Suetiæ & Scaniæ terràs provincias & insulas tributarias ad idem regnum pertinentes, omni quo decet honore, secundum debitam formam, & consuetudinem ab antiquo jure in regno Sueciæ approbatam, in loco pro electione regis deputato, unanimiter & concorditer eligemus, obligantes nos & nostrum quemlibet ex tunc ad servandum sibi cum omni obedientiâ, fidelitate, servitiis & homagiis favoreq; prout ex debito veri subditi tenentur domino sua facere, & vero regi, salvo per omnia eidem domino nostro regi Magno patri ejus jure regendi ut prius, præcipiendi, ordinandi ac statuendi toto tempore suo, quo superstes fuerit circa nos subditos suòs, & regni res, ac negotia quæ pro commodo & utilitate ipsius regni viderit expedire. Item promittimus firmiter ut prius, quod si præfatum dominum nostrum regem Magnum (quod Deus avertat) nobis viventibus migrare contigerit ab hac luce, inclytæ dominæ nostræ Blancæ & dicto domino nostro regi Erico ad honorem & servitium in omnibus fideles erimus, eisque in suis juribus in Sueciâ & Scaniâ fideliter astabimus juxta posse: & si idem Ericus rex noster pro tunc minor annis fuerit, sibi & regno suo Sueciæ & Scaniæ juxta consilium, consensum & ordinationem nobiliorum ejusdem regni Sueciæ & Scaniæ tutor indigena deputetur, & castra omnia & regni munitiones cum eorundem consilio & provisione per indigenas gubernentur, donec eum ad legitimam ætatem Deus dederit pervenire. Si vero dictum dominum nostrum regem sine liberis existentibus contingat decedere, tunc alium de filiis domini nostri regis prędicti Magni superviventibus, qui convenientior & aptior habeatur, in regem & dominum nostrum super antedictum regnum Sueciæ ac Scaniæ, terrasque provincias, & insulas memoratas, & nullum alium ritè & rationabiliter, ut convenit, eligemus. Item si ipso domino nostro Erico rege supradicto superstite, vel ejus liberis existentibus, contingat dominum Haquinum fratrem ejus quem idem pater ipsorum dominus noster rex Magnus regno suo Norvagię praficiendum duxerat principatum seu regnum regni Sueciæ & Scaniæ contra istud patris sui & matris factum velle usurpare, tunc eidem domicello Haquino totis viribus resistemus: quod etiam proceres & domini in regno Norvagiæ promiserunt, quod eidem domicello Haquino in nullo penitus consilium, auxilium, vel favorem ministrabunt, quorum prætextu contra hanc constitutionem veniat, vel contravenire attentet in futurum. Similiter si contingat dominum nostrum regem Ericum supradictum ad regnum Norvagiæ velle se intrudere, domicillo Haquino, & ejus liberis existentibus, pari modo promittimus, quod in hoc facto ipsi domino nostro regi Erico memorato nullatenus coadjutores erimus, aut fautores. Et si contingat quod uterque dictorum fratrum, vel eorum alter contra præmissa patris eorundem, & nostra facta venire voluerit, & alienigenarum seu extraneorum ad hoc auxilium adduxerit, & per hoc regnorum prædictorum aliquod hostiliter invaserit, seu subintrare attentaverit, ex tunc regnum utrumque scilicet Norvagia, Suecia & Scania unanimiter & insimul totis viribus, & posse huic eorum voluntati efficaciter resistere laborabit. Quodcunque regnorum prædictorum prius, vel pluries circa talia fuerit necessitatum, ad hoc finaliter & intentè, ut eorum paterna tam provida pacis, simul & concordiæ prærordinatio in suis viribus, & pleno robore irrefragabiliter perseveret. Et si memoratum dominum nostrum regem Magnum plures contingat habere liberos, pro tunc promittimus, ut superius, quod ipsorum quemlibet utriusque sexus in suo jure & honore juvabimus, prout ipsis, & eorum statui, conditioni, simul & sexui congruerit, secundum leges & statuta regnorum prædictorum tam Suecię & Scaniæ, quam Norvagiæ, & juxta consuetudines in ejusdem regnis approbatas. Verum si quis cujuscunque conditionis aut status contra præmissa, vel eorum aliquod in parte vel in toto se opponere, aut ea annihilare vel infringere quomodolibet nostris temporibus attentaverit, promittimus firmiter, sicut supra, quod eidem quo minus id efficiat, totis viribus & posse nostro viriliter & unanimiter resistemus consiliis & auxiliis, quantum possumus, jure Ecclesiæ, ordine, & officio nostro salvis. Quamvis autem liberâ & spontaneâ voluntate, ac affectanti animo hujusmodi negotium pro bono pacis fecisse dignoscimur, per hoc tamen juribus & consuetudinibus in regno Sueciæ & Scaniæ ab antiquo tempore de regiâ electione observatis, in nullo penitus volumus derogari, quin ad nos & successores nostros Regum electio cum juribus suis omnibus, post mortem dicti domini nostri regis Erici, vel alterius domini nostri Domini Magni filij, quem

WOLDEMARUS III. Rex. A.C.

,, quem ipso domino nostro Erico rege prædicto, sine liberis (quod absit) mortuo, in Regem (ut præfertur) eligemus, liberè revertatur. Ut autem præmissa omnia, & eorum quodlibet majoris habeat roboris firmitatem, sigilla nostra præsentibus duximus apponenda. Datum Varbergis, Anno Domini MCCCXLIII. in octavâ beati Martini Episcopi. ,,

Quod autem ex literæ in ipsum Oresundæ fretum Sueciæ limitem videantur producere,atque idem hodieq; ità habendum, quia tum pronunciatum, ut Gothus concludit, haud quaquam concedi debet. Nam postmodum ad Danici regni laciniam ubi redijt Scania, veteres & qui ante observati fuerunt, non Oresunda, Sueciæ ac Daniæ limites in usum revocati. *Magnus* præterea non contentus *Haquinum* natu, ut diximus, minorem filium, qui à teneris apud Norvagos erat educatus, regem Norvagiæ communibus omnium suffragijs fuisse declaratum, nisi & *Ericus* quoque, qui *Haquinum* annis anteibat, Suconum rex designaretur: eà tamen lege ut superstitibus rege & *Blancâ* reginâ parentibus ipsorum, potestas etiam regia penes ipsos maneret, donec *Haquinus* præsertim ad ætatem pervenisset adultam. Eaq; occasione datæ *Haquino* ab omnibus Norvagiæ ordinibus inaugurales literę, quibus eum solemnibus regni totius votis electum principem declarabant ac renunciabant, ei, ubi ad eam, quæ regni capax esset, ætatem adolevisset, obsequium, fidem ac fidelitatem pollicentes. Hæc acta Bahusiæ anno supra millesimum trecentesimum quadragesimo quarto, anno, quo Sueciæ sceptrum tenuerat *Magnus*, vigesimo quinto. Genuit eodem propemodum tempore Regi Woldemaro filium, *Christophorum* nomine, regina *Hedeviga*. Atque eo pacto, quæ habita cum Holsatiæ Comitibus fuerat de Fionia transactio, rescissa evanuit. Estque tum nova Sunderburgi inita cum Holsatiæ dynastis *Henrico* & *Nicolao* tractatio, qua ipsis adfuturum se pollicebatur Woldemarus adversus quoscunque, idq; vi & armis, si amicè res componi nequiret: Si quid autem inter se & ipsos oriretur inimicum aut controversum, de eo ad Ducem Slesvicensium Woldemarum, veluti sequestrem, referretur. At verò si quid inter regem Sueciæ *Magnum* sive Ducem Stetini *Bugislaum* & Comites litis exsurgeret, eorum neminem armis juvaret, idque ob fœdus, quod cum rege eodem fecisset; sed potius lis omnis ut componeretur, operam daret. Literæ omnes, quâs obsignatas Comitibus dedisset, eę ratæ firmæque haberenrur. MCCCXLIV.

Exortus per idem fere tempus homo nequissimus, cui *Mullero* Meinekeno verum fuisse nomen volunt, qui se Marchionem *Waldemarum* Brandeburgensem finxit, cum is ante annos viginti quinque sine sobole objisset. Hic Mullerus, sive, ut tradunt, molitoris filius personam habitumque ac mores defuncti *Waldemari* peritè mentiri norat, quod ejus complures annos armiger fuisset. Itaque *Waldemarum* fato haud quaquam functum referebat, sed religiosâ peregrinatione confectâ incolumem rediisse. Et jam domum regressus, cum neminem ex veteri Ascaniorum stirpe, sed Ludovicum Bavarum ditionibus suis præesse videret, id ferendum nequaquam putavit. Et licet nomine Waldemari, sit falsò Waldemarus creditus, ut plurium opinio habuit, magno tamen non populi modò applausu, sed vicinorum quoque Saxoniæ & Anhaltinorum Ducum opibus auxiliisque exceptus adjutusque bellis difficilibus annos propemodum novem Bavaros præsertim exercuit, stante semper à partibus Marchionis & Bavarorum rege Danorum VValdemaro. Tradit Crantzius à *Wenzeslao* (aliis Iohanne) Bohemiæ regis filio, qui tum, assumta Caroli IV nomine, ad imperium contra Bavarum erat vocatus, hunc Marchioni Ludovico, imperatoris filio, falsarium sive adversarium potius excitatum. Idque propterea quod jam ante *Ludovicus* Marchio, defunctâ VVoldemari regis sorore, conjuge suâ, cum de nuptiis secundis cogitaret, hujus Bohemi conjugem *Margaretam*, Stiriæ Ducis unicam filiam, *Maultaschiam* cognomine, postquam dictum jam maritum suum, ut ad vota nuptiarum minus potentem, deseruisset, in uxorem sibi accepisset. Verum Ludovicus post multas cum eo pugnas pugnatas cum exinde, ut infra dicetur, defuncto *Ludovico* parente ejus imperio videretur proximus, interventu magnorum amicorum res eo deducta, ut permissis imperii habenis Bohemo, jam, ut dixi, Carolo IV. Imp. nominato, veterum injuriarum omnium oblivio sanciretur. Quo concesso *Ludovicus* quam acceperat ejus conjugem securè tenuit, acceptâ insuper ab eodem Carolo totius Brandenburgici ac Stiriæ principatus investiturâ, cum jam detecta fraude tenebrio ille *Waldemarus*, verso solo, in exilium ac latebras se abdidisset: sed de hoc inferius suo loco plura.

WOLDEMARUS III. Rex. A. C.

Woldemarus per id tempus creato regni marescallo *Nicolao* Limbekio, ità per eundem cum Holsatis transigi fecit, ut Holsati, accepto ære, Danis Soeburgum redderent. Dimissus etiam, de quo supra injectum, Arhusiensis presul una cum Iacobo Paulo diacono arisque sacra sua restituta, intermisso, quod anno superiori publicatum fuerat, interdicto. Obijt haud multò post *Iohannes* Neoburgius Roschildensis episcopus, estque in locum ejus continuò surrogatus Iacobus Pauli. Per eosdem dies domina Ingeburga, Canuti Porsij ducis vidua, Magni Norvegiæ ac Sueciæ regis mater, habitâ cum rege Woldemaro amicâ transactione in potestatem ipsius tradidit Callunburgum, Hallandiam verò utramque borealem australemq; sibi Rex Sueciæ *Magnus* retinuit, vi & aspectu transcriptionis, quam cum eò peregisse Scaniæ proceres superius ostensum fuit. Etiamsi haud leviter id usserit Woldemarum, præsertim cum utræque illæ Hallandiæ ditiones haud unquam Holsatis oppignoratæ, sed Erico atq; Ingeburgæ Magni regis parentibus in præfecturas fuissent concessæ. Habita post id apud Cimbros Iutlandiæ regni comitia ipsoq; die undecim millium virginum invasit, vastavit, sibique in totum Woldemarus subegit conterminos Chersoneso Frisios, causam belli prætendens, quod annis totis quatuordecim à temporibus Christophori regis, parentis sui, tributum negavissent. Holsati etiam cum Nestwedæ, Zelandiæ opidum est, munitionem posuissent, quod oppignorationis tabellis expressum non habebatur, existimabat Woldemarus ad se propugnaculum illud pertinere, aut saltem solo æquandum videri. Holsati contra cum id suis impensis construxissent,

MCCCXLV. & bona quoque aliunde eodem transferri curassent, sibi deberi contendebant. Itaque obsidione tum cinctum, sed expugnatum non est. Induciæ interim utrimque decretæ. Proximo anno, qui fuit millesimus trecentesimus quadragesimus quintus, sub festum conversionis Pauli, petentibus atque obtinentibus Esthoniæ statibus, qui sub potestate Woldemari tum temporis erant, Ordinis Theutonici fratres per anni spatium, cum ad Esthoniæ tuitionem, tum regni Danici bonum, sibi defendendam Nervam, factis utrimque stipulationibus, susceperunt sanćteq; polliciti sunt. Atque inde ipso Paschatis festo fœdus inter ducem australis Iutiæ Woldemarum & regem adhibito altrinsecus jurejurando eum fere in modum est initum, ut nimirum dux Woldemarus regi reginæque sorori suæ non minus quàm sibi ipsi fidus favensque per omnia esset: & ipsi, re exigente, invicem præsto auxilioq; adessent unumq; perpetuo agerent: Si quoq; regem esse Duci superstitem contingeret, declarabat Dux regem tutorem suum, ut scilicet conjugem, Ducatum arcemque ac liberos præsertim suos, donec ad justam ætatem pervenissent, suo patrocinio defenderet. Hujus fœderis ergò invitatus postmodum à consobrinis suis *Henrico* & *Nicolao* Holsatis Dux *Woldemarus*, ut ad ipsos in Fioniam trajiceret, ab ijsdem in venatione captus est, existimantibus ejusmodi fœdus pugnare cum pacto, quod inter ipsos jam ante fuisset percussum, quo scilicet vetabatur ne quisquam cum rege seorsim pacisceretur: sed hæc postea fuêre, pleniusque mox infra dicentur. Eodem verò hoc, quem signavimus, anno, archiepiscopus Lundensis Helsingburgi synodum celebravit, in quâ præcipue super nonnullis ad Ecclesiæ ritus ac ceremonias spectantibus decreta facta. Fuitque id temporis archiepiscopus *Petrus* ex nobili Luckiorum prosapiâ: qui primus collectis in unum, quæcunque haberi uspiam potuêre Lundensis Ecclesiæ statutis, ex iis volumen confecit, in quod jurare soliti, quicunque in societatem canonicorum admitterentur. Per idem ferè tempus Holsati, & præsertim qui partes fovebant Comitis *Iohannis*, varia Zelandiæ loca ipsumq; Ringstadium ferro atque incendio violenter fædarunt. Dani autem Nestwedense munimentum de novo agressi, illud unà cum Gunderslebholmia suæ fecerunt potestatis, trucidato, præter ceteros, ipso mareschallo *Erico* Nicolai; Expugnatum similiter receptumque tum Paderbornæ castellum. Postridie festi, quod Martino sacrum habetur, factâ venditione concessit rex Episcopo Revaliensium *Olao* civitatem Cylpanorum. Hæc enim, defuncto *Iohanne* Rodio, ejusdem Rodii testamento regi cesserat, ut aut ipse eam in suum aut Ecclesiæ Revaliensis usum transferret. Firmatæ tum etiam assertæque capituli Revaliensis immunitates.

MCCCXLVI. Woldemarus rex proximo statim anno Holsatis, qui Lalandiæ adhuc arces præfecturasq; pignori tenebant, obtulit se ad redimendum eas, ære repræsentato, paratum. Misit interea sub festum circiter trium regum Mareschallum suum in ipsam insulam, ut loca quæcunque ibi munitiora erant præsidiisque defendebantur, obsidione premeret, cum paulo ante Corsoram & Pedersburgum ad regni coronam non sine oppignoratione reduxisset. Sed Holsati, intellecto Lalandiæ munitiones à regio milite peti, valido cum exercitu eodem accurrunt, ut suos obsidione libera-

WALDEMARUS III. A.C.

liberarent. Quæ dum fiunt, poſt varia tandem prælia ac depugnationes interventu Sueciæ regis *Magni* in has utrimque conditiones deſcenſum, ut *Iohannes* Wagriæ Comes, acceptâ marcarum argenti octo millium ſummâ, regi Wordenburgum cederet. Crantzius non Wordenburgum, quod Zelandiæ eſt municipium, ſed Lalandiam totam tum regi permiſſam tradit. Hoc circiter tempore *Carolus* ejus nominis IV. antea, ut ſupra eſt indicatum, Wentzelaus appellatus, filius Iohannis Bohemiæ regis, nepos Henrici Imperatoris VII. electus eſt Rex Romanorum paulo ante obitum *Ludovici* Bavari, poſthabito filio eidem Bavaro cognomine Ludovico, de quo & ejus occaſione jam ante à nobis nonnihil eſt commemoratum. Pro Carolo ſtabant non tantum pontifex, qui Bavaro adverſabatur, ſed *Iohannes* etiam pater & *Balduinus*, patruus magnus, præſul Treverorum, una cum *Gerlaco* Maguntiuo & *Henrico* Colonienſi archiepiſcopis. Inter hæc Eſthoniç ac Revalienſium rebus divinis præſertim & ad Eccleſiam ſpectantibus rex vacans adjecit ædi apud eoſdem cathedrali, quæ Mariç erat ſacra, quæque à progenitoribus regis jam olim fuerat fundata, duo templi ædificia Capellam & Cipellam, inque iis ſolemnes preces ac ſupplicationes aliáque exercitia divina certis anni temporibus ad animæ ſuæ ac reginæ ſuæ ſolatium haberi mandavit, nec omiſit etiam reditus ſubſidiaque quibus eadem cathedralis Eccleſia ad ſui reparationem aut aliàs uti fruiq; cum uſus poſtularet poſſet. Eodem circiter tempore etiam Decanum totumque Canonicorum collegium ejuſdem Revalienſis Eccleſiæ in ſuam tutelam ac defenſionem aſſumpſit, idque datis ea de re codicillis apud omnes teſtatum voluit. Nec multò poſt ipſemet ſacram veluti peregrinationem ſive militiam potius adverſus Lithuaniæ paganos auſpicaturus iter in Boruſſiam inſtituit; aſſumto fratre Othone, qui ſe in ordinis Theutonici ſodalitium eum præſertim in finem tum tradidit, ne ipſius præſentia regni territoria ac præfecturæ gravarentur, ex decreto ſcilicet, quo ſemel erat ſtatutum; regem Woldemarum Daniæ regnum ſibi ſoli retenturum. Aſſumſerat præterea itineris Comitem Saxoniæ Ducem Ericum: profectique unà Lubecâ, ubi convenerant, ad extremos Boruſſos Liffiandoſque haud diu ibi ſubſtitere, quod induciæ id temporis cum paganis eſſent pactæ. Vendiditq; per eoſdem dies Ordinis Theutonici fratribus Eſthonie Ducatum, acceptis ab ijs 18000. argenti marcis, contra non ſolum pactum; quod parens ipſius laudatæ memoriæ jam olim conſignarat, quo cavebatur ne quis unquam à Daniæ regno eum ducatum divelleret, aut ſepararet, ſed & contra jusjurandum ab Eſthonum nobilitate præſtitum, quo illa ſe haud unquam ab eodem regno receſſuram promiſerat. Accedebat quod venditionis eæ tabellæ à nemine Senatorii ordinis niſi ab uno *Stigotò* Andreæ; Eſthoniæ tum temporis præſide, conſignatç fuerint, tum & teſtetur in Chronologicis ſuis nobiliſſimus Arnoldus Witfeldius, regni olim cancellarius, earundem literarum exemplar, tum demum in manus Daniæ procerum veniſſe, exhibitum ipſis per legatum Polonicum, cum de pace inter Daniam Sueciamque reſtaurandâ ſub annum 1570 Stetini ageretur. Rex præterea Marchioni Brandeburgico, qui, ut ante eſt memoratum, ductâ in conjugem ſorore Woldemari, Eſtboniç nonnulla territoria dotis loco acceperat, eam nunc dotem, factâ, de qua diximus, venditione, ære repræſentato perſolvit. Tradiditque viciſſim Woldemaro Brandeburgicus manu ſua ſubſignatos codicillos, quibus eum ab ope auxiliiſq; quæ erant ad eorundem territoriorum defenſionem promiſſa, liberum, ſibique per omnia ſatiſfactum declaravit. Priuſquam verò e Lithuaniâ in Germaniam procinctum rex moveret, per literas cum nonnullis è Danicâ nobilitate egerat, ut ſe in Marchiâ Brandeburgicâ apud affinem ſuum præſtolarentur: quorum cum aliqui à Comite Wagriæ Iohanne circa Falſtriam captivi abducerentur, id à Woldemaro perquam indignè acceptum eſt. E Germania poſt hæc in terram Sanctam religionis ergò, ut erat tum moris, profectus Comitem ſecum duxit *Ericum* Saxoniæ Ducem, præter nobiles perplures interioris prçſertim admiſſionis. Cumque ad Chriſti Servatoris monumentum eſſet deventum, ab Erico duce, conceptis ſolemni more verbis, eques Ordinis Chriſti creatus eſt. Eſtque eodem loci à præfecto monachorum, qui ſepulchrum ſervabant, ſeriò commonitus ut ſtrenuè pro fide ac confeſſione Chriſtianâ dimicaret majorum ſuorum, qui primi in Eſthoniam Chriſtiana ſacra intuliſſent, veſtigiis inſiſtens. Eſt & Dux Ericus eodem honore cum aliquot è nobilitate honeſtatus, dictique hi equites aurati Templarii ad diſcrimen eorum, qui in aperto campo creati, equites Marcani dicebantur. Hoc iter prçcipuam ferè pecuniarum pro Eſthoniâ numeratarum partem abſtulit, exceptâ dote, quç conjugi Marchionis eſt tradita. Hinc Regina Hedeviga anni inſequentis ipſo paſchatis die filiam ei MCCCXLVII.

genuit Ingeburgam nomine. Quo circiter tempore etiam Rensburgum ære soluto repignoratum traditumque *Nicolao Hamo* vice regis à *Iohanne Huido*. Per idem tempus Marquardus *Schoreus* elapsus est è turri Hafniensi, in qua captivus tenebatur. *Ludovicus* præterea Imperator inter venandum cum motu atque equitatione corpus calefaceret, ursumque ingentem cum impetu quodam viriliter peteret, de equo præcipitatus corpus gravi concussione læsit: Alii corporis convulsione ex veneno propinato, quod agitatione discutere laborabat, equo dejectum tradunt. Sicque viribus omnibus ac sensu mox destitutus vitam cum morte commutavit, sepulturâ honestatus Monachi Bavarorum. Uxores ei plures fuêre. Prima *Beatrix* Poloniæ Ducis filia *Ludovicum* (qui *Margaretam* Woldemari regis sororem conjugem duxerat) & *Stephanum* filios ei genuit: altera *Margareta*, Guilielmi III Hollandiæ Comitis filia, Romæ cum ipso Imperatrix coronata ibi filium illi *Ludovicum* cognomento Romulum sive *Romanum* peperit, cum ante etiam *Othonem*, *Guilielmum* & *Adelbertum* eidem procreasset: tertia ejus conjux Rudolphi Imperatoris filia *Mechtildis* dicta est, ex quâ nati *Rudolphus* & *Ludovicus*; quorum ille Palatinam, hic Bavariæ familiam propagavit.

MCCCXLVIII. Woldemarus rex anno statim proximo, qui fuit millesimus trecentesimus quadragesimus octavus, è terra sancta domum reversus Selandiæ reliquas arces, & aliquot etiam Iutlandię recepit. Cum Holsatiæ verò Comitibus ità porro agere instituit, ut sibi Neoburgo cum altera Fioniæ parte permisso, ipsi Stegam vicissim reciperent, quodque reliquum esset pecuniâ suppleretur; & ea dum foret repræsentata Orkelam interea & Hinsgavelam tenerent. Toto autem tempore dum peregrè rex agit, in custodiâ apud Fionios detentus est, de quo supra injecimus ad annum 1345, Dux *Waldemarus*, nec ante dimissus fuit, quam fœderi, quod Holsati contra fas & pacta priora ictum cum rege judicabant, renunciaret. Hafnienfibus eo tempore immunitates in insula Dragoræ concessę aut firmatæ ut ibi scilicet emere, venundare suaq; omnia more consueto distrahere ipsis liceret. Hac de re codicilli confecti signatique in arce Scanderburgensi ipso die, qui Laurentio sacer habetur. Notant chronologi adeò sævam ac diram hoc anno pestem per omnes propemodum orbis plagas grassatam, cujusmodi ante nulla hominum memoria noverit: Absumpta Lubecæ utriusque sexus mortalium novem millia, Argentinæ millia sedecim, Florentiæ quadraginta millia. Multi in Daniâ pagi colonis exhausti agros desertos atque incultos reliquerant. Primò hoc malum pueros atque infantes, inde adolescentes ac juniores, mox demum ætate maturos ac senes invasit, suoque contagio alios atque alios infecit, & quem invaserat celeriter enecabat. Vulgo & ab effectu *atram mortem* vocitabant. Et sunt qui tradant, post eam epidemicam luem fuisse intermissam ac neglectam, quæ ad oras Gronlandiæ solemnis antea atque annua fuerat incolarum regni navigatio. Nova post hæc circa festum Mariæ Magdalenæ, inita cum *Henrico* & *Nicolao* Comitibus transactio super 41000 argenti marcis, quibus Fioniam oppignoratam tenebant. Eaque compositio varijs interfertis pactis ac stipulationibus, quæ antea minus expressæ fuerant, peracta Nebbegardiæ assentiente utreq; Comite & rege propriâ manu ac sigillo tabulas ea de

MCCCXLIX. re conceptas obsignante. Obsessa haud multò post Schioldenessa. *Carolus* vero ejus nominis IV, Romanorum imperator anno, qui proxime est secutus, Comites Megapolenses *Albertum Iohannemque* inter Duces ac imperij principes censendos, adhibitis pro more ceremonijs, Pragæ declaravit. Die deinde, qui Canuto est sacer, habita Ringstadij regni comitia præsentibus nobilitate, civibus, agricolis aut eorum delegatis. Hîc Woldemarus, præter alia, id universis significatum voluit se regni arces variaque municipia, 3[illegible] argenti marcis persolutis, ab Holsatis redimisse: ex suo autem 10000 addidisse, ut populo hoc pacto benigniore in posterum uteretur, & simul constare ut omnibus posset, tributa ac collationes, quas huc usque imperasset, haud in vanum expensas aut collocatas fuisse. Indicta exinde Roschildiæ comitia, cum antea Sueonum regem *Magnum* in Hallandiâ præsens convenisset. Nec multò post, emissâ in littus Germaniæ classe, insulam Polæ, quæ extra Wismariam sita ad Ducem Megapolensem spectabat, totam ferro atque igne est depopulatus, idque in gratiam affinis sui Marchionis *Ludovici* Brandeburgici, cum Megapolitanus adulterinum Marchionem Waldemarum, cujus superius meminimus, suo patrocinio defendendum suscepisset. Itaque Megapolitani ditiones, quà potuit, infestas habuit ac diripuit. Motisque mox in proximos Pomeranos castris, Stargardiam obsedit ac cepit. At Megapolensis *Albertus* regem expedito cum milite insecutus, eum intra opidum quod ceperat, conclusit. Intellectoque *Romulum*, Ludovici Marchionis fratrem, cum

WOLDEMARUS III. Rex. A. C.

cum copiis auxiliaribus accurrere, omissâ confestim, quam instituerat, obsidione, Romulo in occursum progressus est, ac habito conflictu, eum devicit, acceptis præter eos, qui occidione occisi sunt, captivis quadringentis. Ipse Romulus vix fuga sibi consuluit. Rex intellecta Marchionis clade, Stargardiâ discessit, ac versâ in proxima Megapolitani opida belli mole, nonnulla eorum sibi subjecit ac mox, auctus Pomeranorum aliquot manipulis, Berlinum obsidione circumcinxit, quod id quoque à partibus fictitij Marchionis, quem Bavaris objecisse *Carolum* Cæsarem diximus, staret. Dum ibi rex agit, creati equites aliquot aurati, donatiq; solemni ceremoniarum ritu, præter gladium cingulumq; calcaribus etiam aureis. Verùm *Albertus* vestigia regis premens se ad conferendum cum eo manus parabat; Nec detrectabat, imo in adversum jam etiam pergebat Rex; cum utrimque ecce principum senatores se medios interponentes præstare existimabant componi controversiam, quàm sævire in sese mutuo Christianos. Quapropter statutum ut rex Sueonum *Magnus* sub proximam Pentecosten de lite totâ pronunciaret: At mox, ubi dies dicta venisset, ità per Sueonum regem *Magnum* res composita, ut Marchio *Romulus* captivos suos redimeret; sacramentum etiam, quo obstringebantur civitates nonnullæ Megapolenses, quæ olim ad Vandaliam pertinuerant, remitteret: ipse *Romulus* filiam *Alberti* in conjugem acciperet. Dos esset Lentiæ præfectura. Romulus vicissim in usum fructum, quem dotalitium vocant, Arusbergam, Werbam & Pelebergam eidem permitteret. Reconciliavit eadem hac expeditione Rex Woldemarus affinem suum Marchionem *Ludovicum* & Duces Stetinenses. *Albertum* quoq; Megapolensem cum *Erico* Saxoniæ Duce in gratiam reduxit, Pepererat eidem eo anno tertiam prolem *Heduga* regina, *Catharinam* nomine. Woldemarus excitatis inter principes imperij his motibus, tum quod arma in Germania ipsemet quoq; movisset, Cæsaris indignationem incurrit. Postremum misit tamen ad eum Imperator salvi conductus literas, Budusini datas, anno millesimo trecentesimo quinquagesimo; quibus ipsis ejusq; viæ socio *Guntero* Suartzenburgensi Comiti aliisq; sive illi proscripti sive nō proscripti essent, liberam ad se Sprenbergam veniendi ac recedendi, tum & commorandi eodem loci, quandiu liberet, potestatem permisit. MCCCL. Assumserat itineris comitem Rex Marchionem *Romulum*, Ludovici fratrem: in quem *Ludovicus* totum tum Marchionatum transcripserat, solâ sibi reservatâ Bavariâ: Aderat & Dux Saxoniæ *Ericus*. Inde ad Cæsarem admissi, ex eo quærebant cur in prejudicium principum ac veritatis fictitium *Woldemarum* Marchionatui introduxisset, cum ipse *Woldemarus* Marchio, quem iste tenebrio se esse mentiebatur, jam dudum ad plures abjisset. Respondit Cæsar se nequaquam levitate aut malevolentiâ eum locum alteri concessisse, sed *Othonem* archiepiscopum Magdeburgensem, *Rudolphum* Ducem Saxoniæ, *Albertum* Megapolensem & Anhaltinum jurejurando affirmasse, esse eum, quem se diceret, atq; ità credulitate inductum. Reposuit ad ea omnium nomine rex Woldemarus, se paratos certiore jurejurando eos perjurij accessere, ideoque a Cæsareâ majestate petere, ut edicta super eo promulgata immutare atque irrita habere vellet. Cæsar his acceptis, proclamare *Romulum* verum Marchionatus Brandeburgici hæredem ac dominum curavit. Estq; neglectus exinde subornatus iste Marchio, vel ut aliis placet, abditus apud Anhaltinum Dasoviæ inter fortunæ ludibria, & urbis, ut sic dicam, mendicabula egens animam exhalavit. Transcripsit per eosdem dies Dux Saxoniæ *Ericus* regi Woldemaro urbis Lubecensis certum tributum **Stuergelde** vocitatum, quod ille quotannis accipere ab iis erat solitus nomine Ludovici Marchionis, qui id ab imperatore Ludovico parente suo acceptum ipsi pignori concesserat. Super hoc Budisini cessionis tabulæ aliaq; syngrapha confecta, quæ rata firmaq; se habere *Carolus* Cæsar eodem tum tempore ac loco, datis codicillis, testatus fuit. In literis autem Cæsareis nulla Ducis Saxoniæ sed tantum *Ludovici* Marchionis nominatim fit mentio, quomodo ex diplomatibus ejusdem Cæsaris liquere potest, quorum alterum ad ipsum regem Woldemarum est; altero, quod secundo hîc loco est positum, Lubecenses Cæsar affatur, ejusmodi formulis:

„ Nos Carolus Dei gratia Romanorum rex semper Augustus, Bohemiæ &c rex, notum facimus vigore præsentium, quod nos deliberato animo & consilio illustrissimi principis *Ludovici* Marchionis Brandeburgensis & Lusatiæ & Ruperti Palatini Rheni Ducum Bavariæ, & electorum & aliorum principum nostrorum & sacri Romani imperij fidorum illustrissimo principi Domino Woldemaro regi Daniæ nostro singulari & dilecto amico propter servitia quę nobis impendit & adhuc impendere vult & potest, futuris temporibus sedecim millia marcarum argenti puri monetæ Coloniensis concessimus & concedimus de spe-

WOLDEMARUS III. Rex. *A.C.*

,, de speciali gratiâ nostra & de eadem summâ volumus eum securum reddere, quemadmodum conveniens & justum est, & propterea oppignoramus supradicto Daniæ regi & ipsius hæredibus pro justo pignore annuam Stevir & Gulte, quam nos & Romanum imperium habemus, ex urbe Lubecensi & ipse ipsius hæredes supradictam Steur & Gulte habere debent & debebunt sine diminutione & damno, cum omni jure usq; ad tempus quo nos aut successores nostri in imperio eidem aut illius successoribus regibus Danorum supradicta sedecim millia marcarum argenti ad plenum & integre satisfaciant in eâ urbe, in quâ eadem pecunia illi addicta fuit, hac conditione ut omnes literæ, quæ prius per piæ memoriæ prædecessores nostros ex regno vel ex parte regni & nostri quoque specialiter Ludovici Marchionis Brandeburgensis, qui easdem literas ex parte nostræ regiæ dignitatis signavit, cum bonâ voluntate & proposito aliorum, qui prænominati sunt, datæ vel concessæ sunt, annullentur & nullam penitus vim habeant. Sic quod hæ literæ, quas prænominatus rex Daniæ ad eadem habet, vim & potestem nunc penitus teneant cum testimonio harum literarum sigillatarum nostro regio sigillo. Quæ datæ sunt in Budissin post Christi nativitatem MCCCL. anno proximo die veneris post festum Valentini anno regni nostri quarto.

,, Nos Carolus Dei gratia Romanorum Cæsar, semper Augustus Bohemiæ rex mandamus Burgimagistris & consilio & civibus communiter civitatis Lubecensis nostris & sacri Romani imperij fidelibus, gratiam nostram & favorem. Ex quo nos illustrissimo Woldemaro regi Daniæ nostro speciali & dilecto amico annuam Steuram, quam vos nobis ex imperio ex parte civitatis Lubecensis singulis annis dare debetis cum omni jure, utilitate & voluntate loco veri pignoris oppignoravimus pro sedecim millibus marcarum argenti puri, quemadmodum in alterâ nostra literâ, quam super illis habet, plenariè continetur. Ideo præcipimus fidelitatibus vestris seriò & firmiter ex nostra & subditorum imperij parte, ut vos supra dicto regi Danorum & ipsius hæredibus in eadem *Steura*, per solvendâ obedientes & subjecti sitis, & eandem *Steuram* eidem, hæredibus suis vel illis quos pro eidem recipienda mittet cum eorum literis citra obloqnutionem & repugnantiam & citra omne damnum singulis annis totaliter persolvatis & tribuatis. Quare nos vobis & successoribus vestris civibus Lubecensibus ipsique civitati modò vos eandem *Steuram* ipsi regi, hæredibus ipsius & nunciis illorum tribuatis & persolvatis, remittimus, vosque quitamus & totaliter liberos dicimus in regiâ nostrâ potestate & vigore & robore harum literarum sigillatarum nostro *regio* sigillo, quæ datæ sunt Pragæ post Christi nativitatem MCCCL feriâ tertiâ post festum Matthiæ Apostoli anno quarto regni nostri.

Cessionis vero *Ludovici* Marchionis literæ, quibus eadem pensio regi Woldemaro permissa est, ita habet:

,, Noverint universi tenorem præsentium inspecturi, quod nos Ludovicus Dei gratia Brandeburgensis & Lusatiæ Marchio, Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ & Carinthiæ sacrique Romani imperij archicamerarius & excellenti & magnifico principi D. Woldemaro regi Danorum suagero nostro sincerè charissimo & suis hæredibus ob singularis amicitiæ & dilectionis, quas apud ipsos ex debito gerimus consideratione & sincero amore resignavimus pensionem civitatis Lubecensis annuam, quam ab invictissimo principe domino Ludovico Romanorum imperatore domino & progenitore nostro charissimo felicis recordationis hactenus secundum literarum suarum nobis super eadem pensione datarum continentiam pacificè tenuimus & possidemus & præsentibus voluntariè duximus resignandam, renunciantes etiam benevolè pro nobis & hæredibus nostris omnibus juribus, nobis in eadem compensione comprehendentibus cum literis & privilegiis nostris desuper ut præmittitur confectis. Sic quod inantea prædicta pensio singulis annis prænotati nostri sugeri & suorum hæredum usibus sine nostri & hæredum nostrorum impedimento quolibet debeat pertinere. In cujus testimonium præsentibus sigillum nostrum duximus appendendum. Datum in Budissin anno Domini 153 feria tertia ante dominicam, qua cantaur, *reminiscere*.

Cum vero in Daniam Woldemarus reditum jam pararet, præcipuè curæ habuit, ut non tantum æquam cum vicinis principibus pacem ipse coleret, sed & illi inter se ut idem agerent allaboravit. Itaq; diem ei rei Lubecæ constituit. Quo advenère præter cæteros *Ludovicus* Romulus Marchio Brandeburgicus, *Wilhelmus* Luneburgensis, *Rudolphus* Saxoniæ, *Ericus* Saxo Louenburgensis, *Casimirus* Stetinensis, *Wartislaus* Wolgastensis, *Albertus* Megapolensis, *Woldemarus* Slesvicensis, *Canutus* Hallandensis Duces. *Henricus* & *Nicolaus* Holsatiæ

Holsatiæ Comites unà cum *Adolpho* Scovenburgensi. Quibus & alij accessêre ordinis equestris viri nobilesq; magnô numero. Ibi pôstquam omnia præsertim, quæ ad publicam singulorum concordiam ac tranquillitatem spectarent, essent amicè transacta, reliquum tempus choreis, hastiludijs alijsque militaribus exercitijs absumptum est. Agitata tum etiam aliquandiu controversia fuerat de territorio & opido Bartensi inter *Albertum* Megapolensem & Duces Pomeraniæ Bugislaum, *Barnimum* & *Vartislaum*. Ea regi Woldemaro in totum permissa, ut, quod ille pronunciaret, ratum firmumque haberetur. Est & Lubecæ eadem occasione tractatum de nuptijs *Henrici* Megapolensis *Alberti* Ducis filij, cum *Ingeburgâ* Woldemari regis filiâ, tum adhuc ætate admodum tenerâ, utpote quam natam superius circa annum 1347 ostendimus: sublatum simul quicquid inter regem & Megapolensem litis supererat: Statutumque ut Megapolensis à Daniæ regno veluti præfecturam acciperet urbem & ditionem Rostochiensium. De pactis vero dotalibus ità conventum, ut rex filię suę *Ingeburgæ* sex millium marcarum argenti dotem daret: Ipsa dum ad annos nubiles adolesceret, in gynęceo & apud matrem *Henrici* Megapolensis sponsi sui educaretur, ubi verò consummatæ essent nuptiæ, ei quoad viveret assignarentur Gnopenhusa, Ribenitza & Thisinum cum præfecturis & emolumentis omnibus. Huic actioni interfuisse, præter *Ericum* Saxoniæ Ducem & *Othonem* Furstenbergæ Comitem, viros etiam equestres *Benedictum* ab Alefelt, *Nicolaum* de Iure, *Boocalum* Falck unà cum *Iohanne* de Pless, *Corvinoq*; Barnekovio, literæ, quæ Lubecæ pridie ascensionis Dominicæ sunt datæ, testificantur. Voldemarus Rex anno eodem stabilem ac firmam cum rege Polonorum *Cazimiro* amicitiam ac fœderationem pepigit. Estque pollicitus *Cazimirus* se cum lancearijs centum, ubi sex septimanis ante esset præmonitus, ei adversus quoscunque auxilia præstiturum, exceptis Romanorum rege *Carolo*, Ungariæ *Ludovico*, Marchione item Brandeburgico *Ludovico*, tum & *Bloda* Siduitzio, *Vladislao* Dobritzio, *Boleslao* Plocensi, *Sancovio* & *Cazimiro*, Versoviensi & Zarensi, *Bugislao* Stetinensi, & *Ludovico* Romulo Brandeburgensi. Parem *Cazimiro* opem adstipulatus vicissim est Rex Woldemarus; idemque fœdus anno exinde millesimo trecentesimo sexagesimo tertio esse renovatum authores domestici volunt. Estque deinde die Simonis & Iudæ Torneburgi resumta transactio super sponsalibus *Henrici* Megapolensis & *Ingeburgæ* Woldemari regis filię, pollicitique sunt invicem mutua adversus quoscunq; auxilia, præterquam si esset in Bohemiâ adversus *Carolum* Romanorum imperatorem, aut ultra saltum, qui Thuringwald dicitur, bellum gerendum. Qui copias auxiliares acciperet idem de commeatu militi provideret. Acta hæc loco & die jam dicto, pręsentibus *Iohanne* Plessio, *Eggardo* Bilovio, *Frederico* Berkovio equitibus auratis, tum & *Simone*, qui regi erat à sacris. Hinc in Daniam, rebus omnibus feliciter transactis, reversus est Rex: nec multò post, cum ei paulò ante filius esset natus *Woldemarus*, cum exercitu in Fioniam atque inde in Iutiam trajecit. E vitâ autem eodem circiter tempore migrarunt *Haquinus* & *Canutus* Canuti Porsij Ducis olim Hallandiæ filij, itemque Roschildensis episcopus *Iacobus* Pauli, qui successorem est sortitus, suffragijs omnium electum, *Henricum* Geretsonium. Insequenti anno nescio quid inter regem & *Nicolaum* Limbekium Mareschallum odij subortum, quod eo regem adegit, ut arcem ejus Dorningam obsidione circumcinxerit. Progressi etiam eousque Holsati nobilesque borealis Iutiæ, ut regi fidem & obsequium negaverint, libertatum suarum ac veterum privilegiorum imminutionem tum & regis sævitiam obtendentes. Holsatis accedebant civitates maritimæ, quæ similiter immunitatibus suis derogatū aliquid querebantur. Quod ubi Woldemaro suboluit, arces circumquaq; communiri ac horreis commeatum inferendum curavit: Duci vero Slesvicensium *Woldemaro* transmisso cohortium aliquot subsidio, ipse facto procinctu in Germaniam abijt. Verum Dux *Woldemarus* cum regis hostibus se conjunxisset, auxilia regia domum redierunt. Apud Sueones *Magnus* rex violatâ matrimonii lege, cum se vagis libidinibus trādere insimularetur, Sueci exosum eum habere cœperunt; & ut solent homines turbidi ac rebus novis studentes, ad solem orientem conversi, relicto patre, filium ejus *Ericum* ad regni habenas accipiendas sollicitarunt. Idque videns *Magnus* confestim Helsingburgum Scaniæ proceres convocavit, habitoque cum illis consilio quid sibi eo casu agendum esset, deliberationem instituit; clam etiam Woldemari regis amicitiam atque opem exposcens hoc ab eo responsi accepit, nolle se ulli bello, nisi restitutâ prius Scaniâ, immisceri. Ipse deinde Woldemarus sub festum Simonis & Iudę Rostochium ac mox Stralesundam profectus, ipso die, qui Emundo sacer est, in regnum redijt; Cum interea tres Daniæ regni præsules ac Sueonū totidem Lundæ apud

WOLDEMARUS III. Rex. A.C.

MCCCLI.

WOLDEMARUS III. Rex, *A.C.*

apud archiepiscopum convenissent, de pace inter utrumq; regnum constituendâ tractaturi. Rex enim Woldemarus Scaniam tum temporis reposcens, demonstraverat non potuisse Comites Holsatię divendere quod ipsorum non esset. In eo tum etiam rex erat, ut revocatis ab Holsatorum fœdere subditis suis nobilitatem ad se blandis affatibus pertraheret. Et advenerat jam Callumburgum, præter cæteros, Dominus *Bugæus* ut cum rege omnium nomine pacisceretur; sed re infectâ utrimq; discessum est. Quin & *Bugæus* cæterique quamprimum in Iutiam rediêre, fœdus cum Holsatis renovarunt, & castra quæ ibi adhuc regis erant, oppugnare aggressi sunt. Die deinde Galli & Lucæ confessorum *Henricus* & *Nicolaus* Holsatiæ ac Stormariæ Comites apocham *Iohanni* Limbekio tradiderunt, quâ se accepisse à Domino *Stigoto* Andreæ 500 argenti marcas profitentur, quibus idem *Stigotus*, nomine amicorum *Nicolai* Ebbonis, de nece parentis ipsorum eos pacasset: ideoque & *Limbekium* & *Stigotium*, quod ad eam reconciliationem indemnes ac liberos pronunciarent, tantum ut Stigotus domino Limbekio eandem pecuniæ summam refundat. Stralesundæ autem Dux *Bugislaus*, *Barnimus* & *Wartislaus* Stetini Duces, Vandaliæ, Cassubiæ ac Rugiæ principes regem Woldemarum à pronunciatione litis inter se & Ducem Megapolensem exemptum & solutum declararunt, præsentibus *Iohanne* episcopo Caminensi, Duce Saxoniæ *Erico*, domino *Alberto* Hakelbornensi, *Bernardo* præposito Caminensi, *Ludolpho* Nieukirck seniori, *Bernardo* Kalve, *Widikindo* Bugenhagio Baronibus. Rex anno insequenti causam litemque, quæ erat inter ipsum & Comites Holsatiæ *Henricum* & *Nicolaum* exorta, quæque motuum novorum occasionem tum dederat, totam in manus ac potestatem tradidit *Iohannis* Holsati, ut is velut arbiter inter diffidentes pronunciaret. Verum cum serius aut tardiusculè deproperarentur à parte regis, quas inferri ac tradi Comiti *Iohanni* oportebat, accusationes, res successum non adeò facilem habuit. Multis hoc tempore reditibus ac beneficiis monasteriū Hovedoense ordinis Cisterciensis affecit domina *Ingeburga*, Sueciæ atq; Hallandiæ Ducissa. Eamq; donationē filius ejus primogenitus, rex Suecorum *Magnus*, ratam firmamque habuit, datis signatisq; Warbergæ super re tota codicillis. Interea Slaglosæ copias aliquot rex Woldemarus collegerat, eratq; in eo jam totus, ut, habito delectu, primâ occasione cum iisdem in Fioniam trajiceret. Sed vento vehementiore impetum ejus nonnihil remorante, regi Sueonum *Magno* circa pontem Orebroensem diem dixit, eoq; convento, ac mox in Zelandiam regressus denuò exercitum coëgit, factoque procinctu Othoniam advenit. Ubi eum ex ordine equestri totâq; nobilitate perplures salutatum accessêre. Ipse cum Duce Megapolensi in pagum Othoniæ proximum concessit, ac principes de controversiâ ac lite, quæ inter se & ipsos agitabatur, certiores reddidit. Suntq; continuò nominati medij atque arbitri, quibus & arces municipiaque rex permisit, ut eo celerius de lite jam contestatâ sententia pronunciaretur. Habebatur per idem fere tempus Helsingburgi Sueonum conventus, quò, præter cęteros etiam Megapolenses Duces evocati, qui eò regiis impensis per Zelandiam deducti. Et ipse haud multò post rex Lykoviam profectus, ubi regum uterq; Danię & Suecię, seclusis quicunque minus ipsis volebant, amicè inter sese convenêre. Exercere tum quoq; piraticam cæperant ex aulicis regiis nonnulli, qui maximis damnis affecere Lubecenses: ideoq; ex suis quosdam in Iutiam rex transmisit. Sed ij à *Nicolao* Limbekio Molsæ, in captivitatem abducti: Fuerat ijsdem diebus etiam Wordingburgi panegyris habita, in quâ, præter cætera, celebratæ *Nicolai* Clementsonij nuptiæ. Callumburgum vero convenêre rex Woldemarus, Episcopus Arhusiensis *Sueno*, Ripensis *Petrus*, *Andreas* Borglumensis, *Henricus* Roschildensis, Domini *Nicolai* Buggæus & Limbekius, aliique Iutensium. Sed ad compositionem ne tum quidem deducta res fuit. Celebrata deinde Coagij, & mox in opido Stegæ hastiludia. Sub anni finem rex Woldemarus cum exercitu in Germaniam transmisit, opem laturus Megapolensi adversus Stetini Duces. Curam interea regni mandavit Episcopo Roschildensi *Henrico*, *Boocalo* Falck, *Stigota* Andreę, *Palladio* Laurentij, *Iacobo* Basso. Hi, rege absente, incolis tributum imperarunt, die circiter, quem omnium sanctorum nominant. Rex verò dum ibi cum copiis adest Megapolensem cum Pomerano ac Stetinensibus reconciliavit. At ipse in Slavos & Werlæ dynastas excandescens, eorum circumquaque ditiones ferro ac flammis vastavit, sacra prophanaque eodem loco ducens. Nonnulli bello capti auribus ac naso mutilati, detestantibus eam atrocitatem perpluribus. Ipse tandem sub festum dominicæ nativitatis, peracto ex sententia bello, domum reversus Christi natalem VVordingburgi celebravit.

MCCCLII.

Insignem

WOLDEMARUS III. Rex. A. C. MCCCLXIII.

Insignem reddidit anni consequentis ingressum *Margaretæ*, quæ trium postea borealium horum regnorum regina memorabitur, natalis ut inopinatus, ità mirabilior conceptus. Nam rex Woldemarus cum *Hedewigam* reginam, conjugem suam, delatorum falsis suggestibus pudicitiæ suspectam haberet, (utpote quam referrent *Valquardo* Laugmanno quam regi familiariorem) eam Seburgi includi custodiæ nil tale opinantem curaverat. Et factum forte fortunâ, cum de via aut venationibus fessus Seburgum aliquando capiendæ quietis rex deflecteret, ut ignaro ac decumbenti, arte ac astu *Annæ* nutricis, adducta sit conjux *Hedewiga*. Quæ, expletâ cum conjuge nocte; se confestim ante diluculi tempus in conclave sibi destinatum recipit, uteri penetralibus *Margaretam*, è fortuito isto mariti congressu conceptam, secum ferens. Alij qui in arce Helsingburgensi non Seburgi conclusam tradunt, eorum aut mnemonicum hoc peccatum habendum aut secutos authores parum certos dicendum; cum Helsingburgum id temporis à Sueco adhuc teneretur. Nos præter id Erasmum etiam Lætum habemus, Seburgum hic agnoscentem, authorem & poëtam post Grammaticum Saxonem inter Danos florentissimum, utpote qui res nonnullas primorum ac sequentium regum versibus haud inconcinnis, licet strictim, sit persecutus. Interjecto nonnihil tempore, quæ inter regem & *Iohannem* Holsatum nec non *Henricum*, *Nicolaum* & *Adolphum* Holsatiæ item Comites controversia hucusque hæserant, amicâ transactione in eum ferè modum composita, ut permitterent omnibusque placeret, Ducem Saxoniæ *Ericum* juniorem, & Comitem *Gerhardum* ab Hojâ, acceptis ac ventilatis utrimque singulorum postulatis responsisque, ex æquo ac bono de toto negotio pronunciare; & quod illi statuissent, id ratum se firmumque habituros. Estque decretum simul, ut si quis interea diripere incendereque aliorum ditiones pergeret, de eo secundum regni jura arbitros jam dictos sententiam laturos, omniaque post septimanas quatuor Neoburgi decisuros. Idque sanctè & absque dolo malo polliciti Holsatię Comitum nomine equites subscripti *Marquardus* Brocdorpius *Lago* Plesse, *Iohannes* Limbekius, *Iohannes* Meinstorpius, *Hartwigus* Rantzovius, *Hartwigus* Metzken, *Lotharius* ab Ebe, prędter nobiles armigerosque, inter quos numerantur *Lydekenus* Schinckelius, *Cothagerus*, Lydekenus Schinckelius Bredhals Laticollus, *Ditlevius* Wintzinus, *Marquardus* Wilschius, *Hennekenus* Witkoppius, *Pollparus* Quenus, *Godeschalcus* Wiltbergius, *Eilerus* Segenus. Codicilli hac de re dati die Martis post dominicam quasi modo geniti, in arce Neoburgensi. Per idem tempus variæ cum Holsatis tractationes initæ: Inter cæteras authore ac sequestro Comite *Henrico*, ita inter regem & *Iohannem* Comitem transactum, ut rex Pilwerderam à Duce Saxoniæ redemptam intra festum nativitatis dominicæ Comiti traderet, solutis Duce duabus millibus argenti marcis, aut earum loco, si hoc mallet, Comiti *Iohanni* ejusve filio *Adolpho*, è Fioniæ territoriis reditus dictæ summæ assignaret, quos vicissim post triennij tempus redimere regi liceret. Bonis interim maternis, quæ intra Daniæ regnum idem Comes sita haberet, regi cederet, exceptis, quæ Comitis Iohannis parens *Gerhardo* Comiti apud Fionos jam olim vendidisset. Tractatum præterea de Hummersbyteliâ, Tralaviâ, Crummezeâ, ut & de Fimbriæ Insulâ, statutumque ea omnia, prout ante de jis pronunciatum fuerat, mansura. Eodem circiter temporis tractu postridie Divi Iacobi ad amnem Windingæ literas suas *Henrico* & *Nicolao* Holsatis rex dedit, quibus, ob Fioniæ dimidiam partem concessam remissasque 1500 argenti marcas, eos eorumque hæredes immunes ac solutos declaravit, liberos simul dimittens quoscunque proximo bello captivos eorum haberet. Est tum etiam inter regem, Comites ac Ducem Australis Iutiæ, quæ aliquandiu tenuerat controversia, amicè, ut erat multorum opinio, composita. Sed eadem haud multò post resumta. Die verò Papæ Clementis Comes Holsatiæ *Iohannes* omnia illa, de quibus jam modò injecta mentio, materna sua hæredia, quæ intra Daniam erant sita, regi transcripsit, exceptis in Fioniâ Lingby, Stegâ, Staverby, Affelby, quæ *Gerhardo* Comiti fuerant divendita: Eoque rescissum ac irritum esset, quicquid huc usque in Daniam sibi juris vendicasset: Literas etiam omniaque chirographa cum vetera tum nova expuncta hoc ipso ac nulla declaravit, exceptis, quos in Fionia positos vicos jam indicavimus. Ad eundem hunc annum referendum chronologi volunt, quod Sueonum Rex *Magnus* Benedictum *Algothum*, ordinis equestris aulicum suum, Scaniæ Hallandiæque Ducem proclamarit. Iohannes Gothus non Ducem solum, sed dominum totius regni constitutum ait; edictoque à *Magno* præceptum ut filius *Ericus* Dux,

WOLDEMARUS III. Rex. *A. C.*

ipse rex vocaretur. Insignia ejus in æde Sorensi, parieti inscripta, adhuc nuper conspecta intelligo, Leonem præferentia. Idem ut *Magno* charus ità populo invisus erat exosusque. Adeò ut jure dubitari posset, quod & magnus olim author Cor. Tacitus tradidit, fatone & sorte nascendi, ut cætera ferè, ità principum inclinatio in hos, offensio in illos; an verò aliquid etiam hac parte in nostris consiliis fiet; liceatque inter abruptam contumaciam ac deforme obsequium pergere iter ambitione & periculis vacuum.

MCCCLIV. Woldemarus verò insequente statim anno in Frisios duxit, multâque pecuniariâ affectis seditiosis, obsides ab ijsdem accepit. Mox habitis Neoburgi comitiis, præsente, præter regni episcopos, Duce Slesvicensi, secum in gratiam subditos revocavit. Estque in hanc ferme sententiam per Episcopum Ripensem publicè tum reconciliatio proclamata, regnum Daniæ liberè & ubivis uteretur jure & immunitatibus regis Woldemari aliorumque Daniæ principum, vetera statuta ac consuetudines omnes, cujusmodi illæ antiquitus latæ observatæque fuissent, inviolatæ rætæque haberentur. Quo præterea cessaret omnis incolarum divastatio deprædatioque, tum & alia ab hostibus quotidie imminentia pericula, omnium quoque delictorum à rege sancita amnestia, remissâ singulis culpâ, etiam si vitæ ac corporis pœnam incurrissent, ita tamen, ut quibus injuria esset illata, cum jis unusquisque secundum regni jura pacisceretur ac componeret; nemo teneatur hospitio sive clericum sive laicum excipere, nisi ipso volente fiat, nemo assumat sibi bona sacerdotum, aut clericorum ejusmodi, qui sine hæredibus certis morerentur; comitia quotannis Neoburgi celebrentur circa festum divi Iohannis. Hæc aliaq; tum decreta, quorum tamen nihil, quamvis summâ cum moderatione concepta proponerentur, servatum id temporis fuit. Est deinde & Helsingburgi institutus conventus, cui ex Daniæ episcopis terni ac totidem Sueci interfuêre: Rex enim Woldemarus proponi Suecis curavit, Comitem Holsatiæ *Iohannem* haud quaquam potuisse à Daniæ regno abalienare Scaniam, cum eam oppignoratam solummodo teneret: atque ideo nec inaugurationem, quâ Scaniæ proceres *Magnum* Sueciæ regem affecissent, locum habere: De Hallandia item Boreali & Australi ut ageretur mandatum, cum utræque dominæ Ingeburgæ ut regni præfecturæ permissæ, nec unquam Holsatis obæratæ fuissent. Demum & ipse rex postquam Wordingburgi in gratiam recepisset ex Holsatis quosdam, & varios hinc inde à Sueco nuncios acciperet, Roschildiâ Helsingburgum profectus, ipsum ibi *Magnum* regem convenit. Missique mox è Zelandiâ in Germaniam viri matronæque nobiles, quæ Wismariâ filiam ejus domum solemniter reducerent. Defuncto autem per idem tempus episcopo Borglumensi *Andreâ*, est in locum ejus à rege surrogatus *Magnus* Roschildensis Canonicus, quem & secum aliquandiu rex retinuit, ejus ut plurimum consilio utens. Lubecæ verò ipso die liberorum insontium conventus erat indictus; quò & rex, præmisso commeatu, venire destinaverat, nisi Lubecenses certum numerum, quo accederet, ei præscripsissent. Mutatâ idcirco sententiâ paucos ex senatoribus eodem ablegavit. Reperio in actis salutavisse eum per eundem hunc annum Avenione Papam *Vrbanum* V, qui & ipsum honorifice exceptum ac rosâ candidâ donatum magnâ cum solemnitate à se domum dimiserit. Lubecensium autem illo, de quo dictum, conventu quid actitatum inter cetera fuerit ex Crantzij Saxoniâ potest colligi, qui hoc circiter tempore mercatores orientales, ut tum vocabant, Brugis Dordracum commigrasse refert, atque eodem haud multo post, operâ ac studio Flandrensium, qui Lubecam hoc nomine oratores miserant, esse reductos. Ità enim verba ejus habent: *Hoc est illud tempus, quo tristis ubique regnabat Erynnis. Nam & mercatores Orientales Brugis in Flandria residere consueti propter quasdam tunc exortas inter se, & oppidanos causas populariter emigrarunt, in Dordracum Hollandiæ se conferentes: Sed Flandri in urbem Lubecam misère oratores, & causa ad plenum liquidata complanataque, per quosdam in Flandriam remissos, de Lubica de Turriano Prussiæ urbe totius nationis oratore in Flandriam sunt reducti mercatores.*

MCCCLV. Postridie deinde trium regum anni millesimi trecentesimi quinquagesimi quinti, publice in concionibus forensibus apud Zelandos recitatæ regiæ literæ, quibus adesse pedites omnes equitesque levioris armaturæ Ripis jubebantur, ibique regem præstolari. Sed ij, adverso spirante vento, aliquandiu circa trajectus detenti. Rex interea apud Cimbros juri dicendo coram assistens, plurium avaritiam repressit, effecitque ut pauperioribus quodcunque aut vi aut aliàs esset ademptum, hæredi ac possessori legitimo redderetur. Erat eodem circiter tempore eques auratus *Nicolaus* Randius, qui de rege malè existimans

existimans eum in familiaribus colloquiis contumeliose passim traducere erat solitus. Hunc ad se venire per satellites suos rex mandavit, sed venire recusans seque apparitoribus opponens ab ijsdem contrucidatus est. Hinc denuo Helsingburgum in Scaniam circa festum divi Iohannis trajiciens regem Suecorum *Magnum* obvium eodem loci habuit: decretæque tum inter utraque regna induciæ. Habitus similiter Vrangstorpij conventus, in quo, præter cætera, pœnæ pecuniariæ, quæ regi debebantur, duplo exauctæ fuerunt. Roschildiæ haud multò post hastiludium celebratum, cum interea capitales inter Ducem Slesvicensem & Benedictum ab Anefeld exortæ simultates. Nam *Benedictus* adjutus regiis copiis Trauekeram obsedit, direptâ insuper vastatâque, quæ ad Ducem spectabat, Langelandiæ Insulâ. Quo intellecto, cum classe aliquot navium eo profectus Dux *Benedictum* loco pepulit. Sed *Benedictus* novo regiorum militum supplemento mox auctus, tum & accurrens rex ipse Ducem eo adegit, ut totum ipsi Ducatum tradere cogeretur. Sed re per sequestros compositâ, Ducatus est redditus, & pax utrimque sancita. Defunctus est hoc circiter temporis tractu Lundensis archiepiscopus *Petrus* Luckius. Cujus hodiéque epicedium in æde divi Laurentij Lundæ legere est ejusmodi: Hic situs est Petrus Dei gratia Lundensis ec- „ clesiæ quondam archiepiscopus, Sueciæ primas, qui obijt Calend. Mai 17. anno 1355 „ &c. Ei est surrogatus *Iacobus* Nicolai. Qui dum Avenione in Galliis agit ibique à pontifice vocationis suæ confirmationem postulat, universæ Lundensis diœceseos bona à Duce *Benedicto*, quem, ut meminimus, rex Sueciæ *Magnus* constituerat cujus & nomine pessimè idem audiebat, invasa direptaque sunt. Per idem propemodum tempus Rex Woldemarus varios ex nobilitate illustres viros ad principes Germaniæ aliosque transmisit. Pontifice etiam ipso per legatum Avenione honorificè salutato, benignum ad postulata sua responsum ab eodem accepit. Ad ipsum verò Woldemarum à rege Galliarum *Iohanne* magnifica simul transmissa tum legatio, quâ, præter cætera, de contrahendis inter utriusque liberos illustribus nuptiis agi *Iohannes* mandarat. Et rex vicissim Woldemarus, interjecto nonnihil tempore, ad eundem suos dimisit, qui ab eo honorificentissimè excepti dimissique fuerunt. Ea tamen legatio, quæque tum acta decretaque utrimque sunt, finem optatum haud acceperunt ob regis Galliarum, qui ab Anglo haud multò post inter præliandum est captus, diuturniorem in custodiâ detentionem. Sub diem deinde Simonis & Iudæ iterum Wrangdorpij comitia habita, ubi inter alia & quæ colonorum subditorumque privata officia spectabant, de re quoque monetariâ decretum factum publicatumque. Ac mox in Iutiam trangressus Woldemarus militem è Zelandia ad se transmitti, sub imperio ac ductu Boocali Falkij mandavit. Proximo deinde anno, postquam comitiis Chilonij interfuisset, Roschildensi episcopo *Henrico* aliisque præterea duodecim tum equestris tum sacri ordinis viris spectatis curam imposuit circumspiciendi ne quid uspiam res publica detrimenti caperet. Inter cætera molarum etiam inspectionem ipsis commendavit. Hę enim ad excludendum coërcendumque inundantium aquarum vim passim tum erant exædificatæ. Apud Suecos verò, quod è nobis jam ante est memoratum, evexerat ad Ducis & principis dignitatem *Benedictum* Algothum rex *Magnus*, traditis ei non modò regni nonnullis insulis, sed & continentis quoque præfecturis aliquot. Unde haud levis inter patrem & *Ericum* filium simultas nata, cum sibi potius Ericus, utpote regis legitimo hæredi, quàm terræ isti filio eos honores ac beneficia competere existimaret. Profectus itaque in Daniam *Ericus* ad affinem suum regem Woldemarum, apud ipsum aliquantisper substitit, ac domum mox rediturus non sine muneribus ab eo dimissus est. Nec longè post exortum inter utrosque patrem filiumque bellum, quod cum aliquamdiu non sine clade utriusque esset gestum, conventus tandem Enekopiæ est indictus, quò accessere præter alios Megapolensis Dux *Albertus*, qui *Magni* regis sororem Euphemiam duxerat, & Comes Holsatiæ *Henricus*, cui *Magni* ejusdem sororis filia erat denupta. Illis medijs sequestrisque ita statutum, omnia inter patrem filiumque amica placataque essent: Principi Erico Scania, Blekingia, Hallandia australis (borealis enim ab aviâ ipsius possidebatur) tum & Smalandia, Calmaria, Ostregothia unà cum diœcesi Aboensi cederent; *Magnus* rex retineret Stocholmiam, Oplandiam, Olandiam, Gotlandiam, Westergothiam, Vermelandiam cum Dalecarlijs & Hallandiâ Boreali, ubi è vitâ mater ejus migraret. Literæ, quibus Sueco Scania erat permissa, penes quatuor è regio senatu depositæ servarentur. Hinc *Ericus* obsessâ Warbergâ, ac fuso fugatoque *Benedicto*, eum postremò è Scania universâ profligavit.

Ss ij Boocalus

WOLDEMARUS III. Rex. A. C.

MCCCLVI.

WOLDEMARUS III. Rex D. A. C.

Boocalus *Falkius*, qui navi eòdem pergebat, ut de rebus non levis momenti cum parente Ducis, nomine heri ac regis ſui Woldemari ageret, à Suecis interceptus cuſtodiæque mancipatus eſt. Miſitque extemplo Woldemarus, qui militem ſtipendiarium conſcriberent, ſed anni hieme impediti intra regni oras ſubſiſtere coacti fuerunt. Tradit Iohannes Gothus, primò non è Schoningâ ſed è Sueciâ in Schoningiam ſecedere *Benedictum* ab *Erico* coactum. Et matrem Erici *Blancam* reginam adeò gravi animo eam ejectionem tuliſſe, ut ſuperos & acheronta pro ejus in priſtinum ſtatum reductione flectere non dubitarit: Nam & Woldemarum Danorum regem adiiſſe, eiq; pollicitam, ſi in integrum eum reſtitueret, ſe curaturam ut protinus Schoningia & quidem ſine armis ad Daniæ coronam reduceretur: Et Woldemarus quidem nihil non pro reducendâ ad regni laciniam Scaniâ acturus, dum in eo eſt ut reginæ ſatisfaceret, Ducem interea adulterinum ab *Erico* ſecundò impugnatum occubuiſſe: Tumque reginam dolore in dolum verſo, vocatum ad ſe *Ericum* filium, perinde ac ſi de regni negotijs agendum foret, toxico ad id præparato è medio ſuſtuliſſe. Narrat ferè ita Gothus, addens tutius fuiſſe ad tigres & immanes feras, quam ad ejuſmodi parentes diverti. Sed hæc poſtea accidiſſe & ad annum 1359 referenda oſtendent ſequentia. Per idem hoc tempus paſſim per Holſatiam infeſtæ à quibuſdam è nobilitate habebantur viæ publicæ, nec tuti ferè uſpiam erant a prædatione eorum negotiatores, adeò ut *Carolus* Romanorum imperator, acceptis eâ de re vicinorum querimoniis, ducentos in eos equites immiſerit, qui unà cum peditibus aliquot, quos ſuffecerant Lubecenſes & Hamburgenſes, totum undiquaque Comitatum pervolarunt. *Magnus* præterea Sueonum rex, eo tempore Holſatorum non modo ſocius, atque amicus erat, ſed ipſe quoque *Henricus* Comes neptem ejus in conjugem tenebat: ideoque in gratiam eorum permiſit ab iis ſpoliari ac capi civitatum incolas, ſi quos uſpiam in Scaniâ piſcationi vacare deprehenderent. Et hi viciſſim eruptione in Scaniam factâ ac manu tumultuariâ ſuorum adjuti, Suecos ubicunque dabatur Holſatoſque ſine diſcrimine cædebant inque vincula abducebant. Iutæ tum quoque ſe denuò Woldemaro immorigeros præbentes concurrere quaſi ad arma cœperunt. Quocirca commeatu ac præſidiis circumquaque communitis caſtellis, Neoburgum profectus rex obvios ex iis præcipuos habuit: cæteri enim Othoniæ ſubſtiterant. Cum illis hunc in modum agere inſtituit, ut die dictâ Callemburgi adeſſent, ibique jurgiis omnibus finis imponeretur. Comes poſt hæc Holſatiæ Iohannes, anni ſequentis die, qui divo Iohanni ſacer erat, regem Woldemarum ejuſque hæredes ab omnibus obligationibus ac ſyngraphis quæ vel ipſe vel anteceſſores ejus ipſi dediſſent, immunem ac ſolutum pronunciavit, exceptâ præfecturâ Femerenſi ſibi commiſsâ, tum & contractu poſtremum inito; quæ utrimque valere ac vim ſuam retinere volebat. Ipſo deinde annunciationis Mariæ die procerum conventus Callenburgi eſt habitus, præſentibus præter regem etiam regni epiſcopis, quos inter erant Othonienſis *Nicolaus*, Roſchildenſis *Henricus*, Ripenſis *Petrus*, itemque Wiburgenſis *Petrus* & *Paulus* Arhuſienſis unà cum *Magno* Borglumenſi. Statutum ibi decreta ea, quæ jam ante Neoburgi ſuper gravaminibus plebis ac colonorum promulgata fuerant, in poſterum ſeverius ac ſtrictius ſervanda. Hinc poſtridie feſti paſchatis convenire regni ſenatum Roſchildiam rex juſſit, egitque, præſente eodem, cum epiſcopo loci ut quaſcunque haberet in Odiſherrenſi territorio poſſeſſiones, eæ ad ditionem Callenburgenſem referrentur. Quibus ex ſententiâ tranſactis, in Iutiam trajecit ac varia ſingulis, nullo dignitatum aut graduum habito reſpectu, onera ac collationes imperavit. Apud Sleſvicenſem, Holſatiæ Comites cæteroſque cherſoneſi incolas peſſimam eo nomine gratiam injit, adeò ut mox in Zelandiam, ubi erat regreſſurus, collatis capitibus, apertum ei bellum denunciare in animum propemodum induxiſſent. Haud multò poſt id Chilenſes, captis ex *Hinnikeni* Limbekij famulitio duobus, eos ut publicos graſſatores capite mulctarunt. Quapropter *Hinnikenus* à ſe ipſo vindictam petens, præteritis Holſatiæ Comitibus, Iohanne & Adolpho Chilenſium, quoſdam ad forum Eckelfortenſe pergentes captivos ſecum abduxit, quoſdam vitâ privavit. Id cum indigniſſimè ferrent Holſatiæ Comites *Iohannes* & *Adolphus*, Cunigunda vidua Ducis Sleſvicenſis *Erici*, qui Woldemari Ducis parens fuit, *Hinnikeni* patrocinium ſuſcepit. Eâque occaſione Comes *Adolphus*, aſſumpto ſibi, præter alios, auxiliari *Nicolao* Comite, Tonderam & Haderſlebiam obſidione cinctas ſuæ fecit poteſtatis. Woldemarus autem rex minimè è re fore arbitratus eas civitates à Sleſvicenſi Ducatu ſeparari ad ferendas *Cunigundæ* ſuppetias procinctum moverat, ſed nobili-

MCCCLVII.

nobilitate Cimbricâ cum Holſatis fœderatâ, parum aut nihil promovit. Nam & Randerſhuſio capto ipſoque cum copiis fugato in Fioniam Iutæ cum Holſatis trajecerunt, ejectoque ex opido Othoniæ regio præſidio, ingens opidanis tributum imperarunt. Quo ferè eodem tempore Gamburgum quoque, quod Holſatię chronologi Bambergam vocant, totis viribus obſidere ijdem cœperunt. Rex accepto hoc nuncio, confeſtim apprehendi *Petrum* Laurentij mandavit cum fratre ejus *Iohanne*, nec non domino *Iacobo* Oluffſonio ejuſque fratre Olao aliiſque quos ſuſpectos habebat. Verum hi datis vadibus ac magnâ pecuniæ ſummâ promiſsâ carcerem evaſerunt. Priores autem quatuor in vinculis retenti ac bona eorum regni fiſco adjudicata: præfecturę, quas habuerant, in alios tranſlatæ. Inde circa feſtum Martini tranſmiſit in Fioniam, ut obſeſſis à Comite *Nicolao* in arce Gamburgenſi ſuppetias ferret: Quàm primum hoſtem advertit, aliquot ex ſuis equitum auratorum titulo ac dignitate affecit, ac mox equeſtri pedeſtrique militiâ, facto in hoſtem impetu, omnes adverſariorum phalanges profligavit: in quibus ex primoribus multi ceciderunt, plurimique capti ſunt. Ipſe Comes *Nicolaus* ex equo dejectus & à milite Dano prehenſus eidem clypeum ſuum atque arma tradidit, amiſſo altero lumine: ſed ab Holſato mox agnitus in tutum ab eodem deductus eſt. Inter cæſos numeratus Comes Iohannes Comitum Henrici & Nicolai frater germanus unà cum Holſatis ducentis. Ipſum inter hæc munimentum obſidione liberatum ac poſtmodùm dirutum ſolóque æquatum eſt. Habito prælio, fundamenta arcis inſpici ac prædam dividi curavit. Eſtque in medium tum progreſſus, qui Comitis *Nicolai* ſcutum & arma acceperat; & a rege qui ea agnoſcebat, interrogatus; ubi eorum poſſeſſor ac dominus eſſet; intellectoque evaſiſſe, talem alitem retinendum, nec è manibus amittendam fuiſſe prædam reſpondit: Poſt hæc in Comitum Holſatiæ ditiones motis caſtris, eas igne ferroque quà potuit, vaſtâvit, magnâque ditatus prædâ rediit in Zelandiam. Compertoque per idem ferè tempus inſtare uxoris *Benedicti* ab Alefeld, qui Hintzgavelæ præſidebat, ducendum funus, magnoque ad eas exequias confluxuros numero Holſatiæ nobiles, eos circa ædis cœmiterium inopinato ac capto tempore oppreſſit, plurimóſque è præcipuis, qui Fioniam tum incolebant ſecum abduxit. Hinc arcium præfectis, quos ſciebat ſubditis graves perque fas ac nefas tributa ab ijſdem exigere, vel pecuniâ multatis aut loco motis, miſſisque in eorum præfecturas aliis, Callenburgum profectus, ibi natalem Domini celebravit. Inſequenti anno cum paſſim fama vagaretur bellum illi vel à Sueco vel à Duce Megapolenſi inſtare, copias ſuorum omnes adeſſe Roſchildiæ ſub diem converſionis Pauli imperavit; curavítque interea arces municipiáque ſua per omnes regni diſtrictus vallo ac foſſis communiri; ac mox circa quadrageſimam Slagoſæ delectum militum ſe habiturum ſignificavit. Nec omiſit inter iſta commeatum, & quicquid eſui uſpiam eſſet, intra munitiones ſuas transferri, ut ſi in terram fortaſſe excenſionē hoſtis faceret, omni circumquaq; annonâ ac frumentatione deſtitutus receptui canere cogeretur. Tranſactâ deinde quadrigeſimâ habitoq; ſuorum delectu poſtridie paſchatis eoſdem, ut erant armati, redire juſſit: Deportatóq; exinde in naves commeatu, cum jam dicta dies mileſq; adveniſſet, Neoburgum cum toto exercitu profectus novum ibi militum ſupplementum egit, datiſq; mox vento velis Langelandiam inexſpectatus intravit, ac ſtatim obſeſsâ Tranekierâ, univerſam haud multò poſt inſulam unà cum municipiis omnibus ſuam in poteſtatem redegit. Inde iterum ingreſſus mare, Hintzgavelam cum claſſe appulit. Cumq; a recto curſu navium nonnullæ ob cœlum nubilum ac nebuloſum aberraſſent, omiſsâ arcis obſidendę curâ direptiſque circumquaque inſulis opidiſque in Zelandiam reverſus eſt. Ibiq; facto iterum delectu auctiſque copiis, cum & militum navaliumque impenſas ſubminiſtrato ſalario nonnihil relevaſſet, denuò cum claſſe egreſſus ad inſulam Alſę pervenit, miſitque extemplo, qui munitionem, quæ à parte inſulę boreali erat, Neoburgum dictam, circumdarent: Quæ & triduo poſt haud magno negotio eſt expugnata. Ipſe verò cum reliquo exercitu Sonderburgum, quod auſtrale ejuſdem inſulę latus claudit, profectus, illud obſidione circumcinxit. Cœperatque balliſtis, arietibus aliiſque belli machinis arcem oppugnare, cum ecce Woldemari Ducis, ipſo abſente, conjux *Regitza* Erici Saxonum Ducis ſoror, de arce cum virginum ancillarumque choro progreſſa blandiſq; affatibus, ut erat ſingulari prudentiâ & amabili quadam facundiâ fœmina, regem compellans ejus iram lenire inſtituit. Rex matronali modeſtiâ ac moribus captus, tum & fratris *Erici* potius quam mariti ipſius amicitiæ memor, animi impetum nonnihil poſuit. Vocatúſque ab ipſâ ad epulas & menſæ ſacra, haud annuere prius voluit, quàm accepto ab in-

WOLDEMARUS III. Rex. *A. C.*

MCCCLVIII.

S ſ iij

WOLDEMARUS III. Rex. A. C.

ab incolis, quod imperaverat stipendio, totam sibi terram fecisset tributariam. Eoque peracto Duci *Rigitzæ* insula ipsumque municipium redditum, eâ tamen lege, ut nulli ex regiis hostibus aut regni extorribus, locus ibi aut profugium relinqueretur, nec Duci quoque Woldemaro, durante bello, majore quàm viginti personarum comitatu intrandi arcem aut in eâ ultra biduum aut triduum subsistendi facultas esset. His de rebus codicilli facti, quibus additis sigillis subscripserant *Canutus Friis* eques, *Ravenus* Aleseke, *Ripa* Rutzenus, *Carlevisius* Fixen, *Stureus* Ratendorpius, *Petrus* Balsus, *Tycho* Lilleus, aliiq;. Hinc regem Dux ipse cum aliquot ex Danicâ nobilitate salutatum accessit, ut simul de rebus suis, datâ oportunitate, conferret; nec caruisset successu negotium, nisi interventu senatorum regis, turbatum fuisset. Post hæc Sliam prævectus, multatisque Angelboensibus ad Femeræ insulam devenit. Ibi cum esse in armis omnes, idque agere videret, ut à litore adventantem arcerent, factâ per vim exscensione in terram progressus est. Ac mox profligatis, qui se magno numero opponebant, insulanorum manipulis, reliqui se regi dediderunt, persolutis insuper 4000 argenti Lubecani marcis. Præfectus arcis Glambecæ ubi tanta cum classe tantoque apparatu regem accessisse animadvertisset, assumtâ conjuge, & si quæ raptim efferri poterant, ex insulâ facessit. Per eosdem dies nonnulli ex regiis classiariis cum myoparonibus suis in hostium littus sub ipsam Wismariam prædatum egressi, cum ventum forte fortuna adversum experientur nec redire in altum seq; in tutum cum prædâ recipere possent, à Wismariensibus iterum iterumque impetiti, se aliquandiu fortissimè defenderunt. Videntesque Wismarienses pugnando haud multum profici ad technas versi, & oppletis aliquot navibus stipula stramentisque tum & igne addito eas secundo cum vento in classem Danorum adegerunt. Dani cum sibi non modo cum hoste, sed ipsis cum elementis pugnandum animadverterent; sese dediderunt, captivique Wismariam abducti sunt. Horum navarchus fuisse memoratur *Petrus* Ferreobarbus, *Iernskeg* vulgo dictus, regi Woldemaro ob multa belli experimenta charus, acceptusque. Rex haud multò post Flensburgum Borneburgumque cum copiis digressus, ubique pecunias, commeatum navesque sibi tradi imperavit, multatis severiter, qui imperata renuerent. Sub diem deinde annunciationis Mariæ postquam in Zelandiam esset regressus, omniaque pacata reperisset, fama increbuit ingentes cogere copias Ducem Megapolensem minitarique Zelandiæ. Nec vana rumor afferebat. Nam mox ubi relatum Duci, cum classe & viris ad excipiendum eum adesse paratum regem, mutatâ sententiâ, *Barniminum* Ducem Stetinensem ad regem misit, ut ea ageret, quę ad suam Holsatorumque reconciliationem spectarent. Estque tum dictus Stralezundiæ dies, ubi Duces Comitesque perplures adfuère, cunctique facto jurejurando æquam se cum rege pacem culturos, dimissis utrimque captivis, promisère. Decretum quoque præter alia, ut Cimbri Neoburgum regi occurrerent, atque ibi de lite controversiisque omnibus, quæ inter ipsos ac regem hucusque hæserant, componendis seriò satagerent. Sed rex, insuper habito Neoburgo, recta in Zelandiam trajecit. Neoburgum nihilominus misso cum aliquot regni senatoribus filio, agi rem ibi, ut erat statutum, curavit, sed ità ut omnia ad suum arbitrium referenda caperet. Unde Iutarum nonnulli, accepto regis ac filij ejus tum & nobilium quorundam salvo conductu, episcopos *Nicolaum* Othoniensem & *Petrum* Ripensem comitantes Slagosam venerunt, ut ibi regis adventum præstolarentur. Qui ubi advenisset, eas conditiones proposuit, quę ipsis nequaquam arriderent, adeò ut inimiciores quam dudum decesserint. Pactæ interim aliquot dierum induciæ, ut ijs elapsis causa de integro resumeretur. Rex deinde Roschildiam advenit, ut inde Hafniam pergeret, ibi cum rege Sueonum *Magno* ejusque reginâ *Blancâ* natalem Domini celebraturus. Verùm cum neutrum adfuturum intelligeret, Roschildiæ substitit. Per eosdem dies soluto, ut diximus, Neoburgi conventu, trucidati circa Middelfurtum in reditu dominus *Buggæus*, *Vffo*, *Stigotus* eques & *Petrus* Andreæ, nec defuère qui eâ de re clam regem suspectarint, faciente etiam ejus rei indicium næniâ, quæ in necem *Buggæi* tum decantata, hodieque est in manibus. Captus tum etiam à Duce *Erico* archiepiscopus Lundensis Iacobus cum equitatu & suppellectile, quam ad manus habet, universâ; causam ejus facti annotatam apud chronologos necdum repperi. Ornati hinc

MCCCLIX. anno, qui istum excepit, à rege Woldemaro Pomeraniæ Duces, Barniminus & Wartislaus fratres clientelari Rugiæ pręfecturâ. Qui vicissim, datis regi codicillis, polliciti sunt, se ei obsequio auxilioq; adversus quoscunq; ac semper adfuturos, tum & operam navaturos, ut omni curâ ac fide, quam accepissent Rugię clientelam ipsi approbarent. His sigilla

sua

sua adjecêre, qui præsentes fuerunt *Iohannes* Gudscoviæ Comes, *Nicolaus* Colnerus, *Angelus* Mandivel, *Henningius* Penseus equites aliique ex nobilitate. Ex quibus conjicere est, non totam in universum Rugiam, sed eam tantùm partem, quæ Pomeraniç erat contermina, fuisse temporibus Christophori regis à regno abalienatam. Hoc circiter tempore rex Sueonum *Magnus*, quod anno superiori facere decreverat, reginaque ejus *Blanca* Valesici apud Gallos stemmatis, unà cum filio sui *Haquino* Norvagiæ rege, Woldemarum Haffniam visum venerunt. Ubi & publicè sibi despondit *Haquinus* regis Woldemari filiam *Margaretam*, annos tum circiter septem natam, traditâ pro more arrhâ aliisque donariis sponsalitiis. Woldemarus quoque id temporis *Magnum* inter alia duabus paræciis donatum honestavit circa Hisingam, quę & hodieq; ad Sueciam spectant. Hæc dum fiunt, invaluit, quæ erat inter patrem *Magnum* & filium *Ericum* exorta simultas, quod *Ericum*, qui Scaniam tenebat, à subditis suis coli, se negligi *Magnus* videret. Itaque Woldemari opem adversus *Ericum* implorat, promittens si auxilio adesset, Helsingburgum se unà cum Scaniâ ei redditurum. Itaq; Woldemarus magnâ cum manu Scaniam ingressus Sollitzburgum aliasque munitiones vi aut deditione cepit, præfectos novos in locum priorum substituit, inque verba *Magni* adegit. Ac mox, deficiente paulatim commeatu, cum jam redire in Zelandiam pararet, ne vacuus recederet, *Petrum* Daa, *Magni* regis clientem secum captivum abduxit. Idque ubi intelligeret *Magnus*, metueretque ne pluribus idem obveniret, omisit, quod laudabiliter constituerat, Helsingburgum ac Scaniam veteri ac vero domino restituere. Interea Dux *Ericus*, accepto rediisse domum Woldemarum universâ cum nobilium ac rusticorum multitudine (qui tum exercitus **Knubbeheer** dictus) in Scaniam movit, atque ibi si quid forte à Danico milite esset relictum, id omne cum pulvisculo absumpsit, ac devoravit. Tandem verò inter eum parentemque ità convenit, ut inita cum Woldemaro pacta, & præsertim illud de Scaniâ deq; matrimonio inter *Haquinum* & *Margaretam*, irritum nullumque esset. Cæptumq; exinde de contrahendo inter *Elisabetham* Comitum Holsatiæ sororem & *Haquinum* connubio agitari. Estque id ipsum his legibus ac conditione decretum approbatumque, ut si forte Holsatiæ Comites sororem suam *Haquino* permittere nollent, tum Calmariâ, quam pignori tenebat Comes *Henricus*, ad Sueciam rediret; & ipse præterea *Henricus* sexaginta auri pondo Sueco numeraret; At verò si *Magnus* promisso non staret, connubiumque rescinderet, tum subditi à præstito ipsi sacramento liberi immunesque haberentur. Post hæc cum indies magis magisque se immorigerum *Ericus* filius præberet sibique omnia vindicare videretur, & homines etiam vivos intra Ecclesiam intraque sacrarium, ut sibi consulerent, fugientes unà cum mystico, quod ibi servatur, sacro exureret, tandem & ipse cum conjuge & liberis extinctus periit. Iohannes Gothus, quod supra est memoratum, necis occasionem aliam adducit, & ab ipsâ matre *Blancâ*, ob ejectum è Scaniâ superatumque Ducem fictitium *Benedictum* potionatum disertè scribit, tigridum generi ac feris animantibus eam comparando: utpote quæ in proprios affectus ultra humanum modum sævierit. Reperio evulgatum id temporis apud Suecos versiculum, qui in vivis fuisse tum adhuc Ducem ipsum *Benedictum* videatur innuere, istum scilicet:

Flet pro morte ejus non multum Dux Benedictus.

Sueciæ proceres, sublato *Erico*, ad *Haquinum* ejusdem *Magni* filium respicere cæperunt, videbanturque res eo tendere ut utraque regna Sueciæ Norvagiæq; in unum conjungerentur. De nece verò domini *Nicolai* Buggei, cujus modò meminimus, cum suspectus haberetur à filio præsertim Buggei *Canuto* rex Woldemarus, asseveravit sanctissimè rex, se neque consilio neque facto neq; permissu aut instigatione ejus facinoris authorem aut conscium fuisse, hostiumq; loco habiturum percussores, *Canutum* verò ut filium perpetuò amplexurum. Quod ipsum & filius regis *Christophorus* testatus fidam cum eo fraternamq; amicitiam pepigit, pollicitusque vicissim est Canutus, se apud amicos agnatosq; omnem domi operam navaturum, ut ad pacis consilia Cimbri respicerent. At Stigotus Andreæ cædem filij cum Buggeo occisi lugens dolensque tum & aliis de causis Woldemaro offensior commotos Iutarum animos suspensosque retinuit. Unde & bona ejus prædiaque apud Zelandos, quæcunq; habebantur, coronæ subdita, quæ verò apud Iutas erant, à *Petro* Nicolai invasa occupatáque. Per idem fere tempus Dux Megapolensis *Albertus* cum affinibus suis Holsatiæ Comitibus, classe collectâ Fimbriæ insulam adnavigavit, eamque universam cum arce Glambecensi sibi subjecit, direptis passim vicis ac captis abductisq;, præter naves aliquot regias, ex insulanis etiam haud paucis. *Petrus* verò Ferrobarbus, regis

WOLDEMARUS III. Rex. *A. C.*

Woldemari navarcha, quem à Wismariensibus captum asservatumque diximus, mira tunc simul felicitate evasit, dum custodibus inebriatis ac potu quasi sepultis, ipse sociorum suorum unum collo injecit, atque eum ut potum nec sui potentem ad littus & navem deferre simulat, ac multis insuper maledictis incessit, quod sibi sobrio hoc inutile pondus imponeretur: Alij aliter referunt, & divorum ac sancti sanguinis invocationi liberationem ejus tribuunt. Fervebat adhuc bellum ac lis cum Iutis, & licet ij aurem paci commodare haud detrectarent, erant nihilominus penes regem, qui aliò traherent: Tum & Iutæ exemplo vicinorum docti, quorum jugum & conditio dura videbatur, quidvis pati mallebant quam eam etiam sibi imponi. Itaq; rex suorum aliquot in Iutiam missis, Randershusium arietibus, ballistis aliisq; belli machinis oppugnationi destinatis circumquaq; cæpit incingere. Sed obsessi, priusquam reliqua manus accederet, eruptione tentatâ, profligarunt obsidentes. Qui exinde Cattenbergæ admotis tormentis & accurrente mox rege ipso, non illud modò sed & Essendorpij castellum solo æquarunt, ceperuntque Clausholmum. Eaq; dum fiunt, defectio nunciata Erlandi Vitellij, vulgò **Calff** dicti, qui arci Ripensi præsidens ejus loco Mogeltonderam & Gramam defendendas ab Holsatis recepit. Rege Zelandiam mox repetente, iterum rebellionem Iutæ movent arcesq; amissas suæ potestatis faciunt. Dumque rex navigat, exortâ de subito tempestate, naufragium propemodum adiisset. Nam & navium suarum unam amisit cum milite & nobilibus aliquot, præter suppellectilem & chirophilacium, in quo prǽter alia, annulus ejus asservabatur signatorius. Pauci, arreptis forte fortuna ex naufragio tabulis, enatarunt. Sed & hi licet mare Neptunique imperium evasissent, non tamen effugere potuerunt arcis Biornholmensis præsidiarios, à quibus capti spoliatique præterea fuêre. Hanc regis regiorumq; fortunam loquitur versiculus eo ævo celebratus:

Tum mare Woldemarum spolians, ditaverat Vrsum.

Vrsus enim Danis *Biorn* notat: à *Biorn* autem arx *Biornholmium* dicta: Reperio eodem hoc tempore illustrem militiâ ac celebratissimum fuisse *Balduinum* Danum. Qui apud regem Galliarum *Iohannem* stipendia merens in eo bello, quod adversus *Eduardum* Anglorum regem sævissimum gerebatur, magister ballistariorum Quintini Fanum defendendum susceperat, attestante Annalium Flandricorum scriptore Mejero.

MCCCLIX. Proximo abhinc anno, qui fuit millesimus trecentesimus sexagesimus, *Christophorum* Lalandiæ Ducem rex proclamari curavit. Talique tùm idem privilegio Ecclesiasticos eodem loci ornavit:

,, Christophorus Dei gratiâ, Dux Lalandiæ, Danorum Slavorumque regni verus herus
,, universis prǽsentes literas inspecturis salutem in Domino salvatore. Dignum Deo & ho-
,, minibus gratiosum esse credimus, ut quos Dei pietas Ecclesiæ suæ ministros & domus suę
,, sanctæ dispensatores ordinaverat gratiâ speciali persequamur & favore: Hinc est quod
,, nos ex instantiâ & consensu venerabilis patris domini Nicolai ejusdem gratia Othonien-
,, sis Episcopi, nec non communis consilij nostri voluntate exhibitores præsentium domi-
,, nos sacerdotes omnes & singulos terram nostram Lalandiam inhabitantes, sub Dei & nostrâ
,, pace & protectione recipimus specialiter defendendos, dimittentes ipsorum unicuique
,, unam curiam, cum suis attinentiis universis, in fundo ecclesiæ sitam, in quâ elegerint re-
,, sidentiam personalem, ab omnibus oneribus exactoriis seu petitionibus quibuscunque
,, videlicet impositis vel imponendis, ad jus nostrum spectantibus, liberam penitus & e-
,, xemptam sicuti per patentes patris dilecti literas liberius habere vel habuisse dignoscun-
,, tur, volentes etiam ut familia ipsorum dominorum in proprio pane suo existens ad judi-
,, cium seculare non citetur. Nec inquilini eorum & Ecclesiæ ad aliqua vectigalia nostra,
,, quæ **Rechskpt** dicuntur, per officiales nostros coarctentur, nisi per voluntatem ipsorum
,, dominorum sacerdotum ad vehendum requirantur, aut de causis trium marcarum, ubi-
,, cunq; emerserint, nulli nisi iis debeat respondere admittimus. Insuper, quod ipsi domi-
,, ni vel eorum famuli in expeditionem nostram & edictum extra terram seu oppressionem
,, alicujus castri, per nos vel officiales nostros minimè evocentur. Item volumus quod nul-
,, lus sacerdotum in placito nostro seculare se obligat alicui finaliter responsurum contra re-
,, gulam juris Ecclesiastici, quod si fecerit, ratum non tenetur. Nec pro quibuscunq; causis
,, per leges quæ dicuntur **Tingstockistowe**/ ibibem convincantur. Concedimus etiam
,, ut si quis ipsorum dominorum vocante domino moriendo decesserit, authoritatem ha-
,, beat liberam bona sua conferendi legandiq; quocunq; vel cuicunq; sibi placuerit, in suæ
,, animæ remedium ac salutem. Et quod reditus Ecclesiarum cum aliis bonis eorundem à
die

die obitus sui, usque ad annum integrum hæredibus suis vel testamentariis suis, quos ipsi ultimâ voluntate constituerint, integraliter cedere debeant, pacifice & quietè pro testamento & aliis eorum debitis exsolvendis: Unde ob talem gratiam eis à nobis concessam, volumus ut quilibet ipsorum sacerdotum *Moseherret*, & *Fugelseherret*, *Sarkobingen*, *Sonderherret*, *Nordherret*, inhabitantium *Nachikouwe* bis in anno memoriam parentum nostrorum videlicet in vigiliis & missis animarum habeant defunctorum. Quare districtius sub obtentu gratiæ nostræ, & firmiter inhibemus, ne quis advocatorum nostrorum seu eorundem officialium, sive quisquam alius cujuscunque conditionis existat, ipsos dominos dilectos sacerdotes nostros; vel eorum familiam supradictam, seu monasteria contra hanc libertatis nostræ gratiam, sibi à nobis indultam, audeat aliqualiter de cætero molestare, vel per hospitalitates vel talitiones hujusmodi; quomodolibet præsumat infestare, prout indignationem dei & ultionem nostram duxerint evitandam; ne officia divina & sacramentorum administrationes fidelibus subtrahantur, & divino cultui derogentur, per suorum carentia servitorum transgressores & contemtores præsentis nostræ inhibitionis per dominum Episcopum & advocatos nostros præcipimus acriter puniri & districtius coërceri. In cujus rei testimonium sigillum nostrum; unà cum sigillo venerabilis patris domini Othoniensis memorati, præsentibus duximus apponendum. Actum & datum in castro nostro **Kalcholm** sub anno Domini 1360 in Vigilia Ephiphaniç Domini. WOLDEMARUS III. Rex. *A.C.*

Rex verò eodem tempore quàm maximo conscripto exercitu assumtoq; filio Christophoro Duce, in Scaniam trajecit obseditque Helsingburgum. Ei obviam factus rex *Magnus* cum se viribus imparem videret, nec solvere obsidionem posset, arcem opidumque Woldemaro permisit, pactis variè firmatis, inter quæ pollicebatur Rex se in omnem eventum ei fidum ac veluti fratrem fore; cumq; auxilium suum expeteretur, pro virili adfuturum, cæptum inter *Haquinum* & Margaretam utriusq; liberos connubium firmè ratumq; mansurum. Inde vi summâ munitiones prædiaque passim nobilium agressus, sibi cuncta subjecit. Lintholmium partim minis, partim pecuniâ ad obsequium reduxit. Moxque inter ipsum filiumq; ejus *Christophorum* tum & civitates dynastasq; Megapolenses induciæ pactæ. Dictus etiam dies, quo adessent Neoburgi, qui cum rege nondum composuerant. *Erlandus* verò Vitellius, **Calff** populariter dictus, qui ut memoratum, anno superiore à rege defecerat proditâ Ripensium arce, hoc tempore cum eodem in gratiam rediit, reductis in fidem ejus, præter castellum oppidumque Ripense, Mogeltonderâ insuper Gramaque. Unde jocus in eum regis vernaculâ linguâ vulgò jactatus est, **Kalff er ein god ko / i fior gick hand bort som en kalff, nu er han som en ko/ kommen igien met to.** quod brevi epigrammate expressum hunc ferè sensum, verbotenus propemodum è Danicis Latinè redditum, habet:

Fugisti vitulus, rediens nunc vacca, Vitelli,
Et vacca, allatis rite duobus, ades.

Post hæc dominicâ trinitatis conventus, de quo injecta superius mentio, Callunburgi celebratus est. Ei, præter cæteros, interfuit Dux Slesvicensis unà cum delegatis Iuticæ nobilitatis. Estq; reconciliatio ibi inter regem subditosque hisce præcipuè pactis & conditionibus inita, ut jura statutaq; majorum, prout ea jam olim a Woldemari legislatoris temporibus observata fuerant, inviolata deinceps rataque haberentur; utque Dux Woldemarus ejusque filius hæredesque immunitatibus ac jure, quo prædecessores ipsorum usi fuissent, liberè ac tutò fruerentur, & idem quoque subditis permitteretur: Episcoporum similiter privilegia ac jurisdictiones, ut & monasticorum omnium sartæ tectæque haberentur: Et si quis è Daniæ episcopis, qui præsens non esset, iisdem regni statutis uti ac frui velit, id subsignatione eorundem coram rege testaretur: Eadem eorum populorum ac ditionum ratio esset, qui regni Danici coronæ in posterum subjicerentur: Equitibus nobilibusq; tum & cæteris regni indigenis ac incolis ut & negotiatoribus hospitibusque cujuscunq; status ac ordinis sua singulis jura integra firmáque manerent: nemo in vincula conjiceretur, nisi ipso in facto deprehensus; ac jure convictus: Comitia regni ab isto tempore continuo triennio Callunburgi haberentur; Eóque elapso Neoburgi quotannis celebrarentur, die divi Iohannis Baptistæ, prout antea obtinuerat: Si quis statutis hisce ac legibus regni obniti seque opponere præsumat, is ut legum violator damnandus omniumq; calculo secundum regni jura mulctandus pronunciaretur. Quç similiaq; tum decreta subscriptaq; ab ipso primum rege Woldemaro ejusq; filio *Christophoro* Lalandiç Duce,

tum

tum & *Woldemaro Henricoque* Iutlandiæ Ducibus nec non episcopis regni *Nicolao* Othoniensi, *Petro* Wiburgensi, *Petro* Ripensi, *Henrico* Roschildensi, *Paulo* Arhusiensi, *Magno* Borglomensi; inter equites præcipue nominantur *Stigothus* Andreę, *Nicolaus* Limbekius *Henningius* Podebusk, *Benedictus* Anefeld senior, *Baocalus* Falck, *Everardus* Molteke, *Petrus* Grubbe, *Iacobus* & *Petrus* Begerus, *Andreas* Froftius, *Eschillus* Brockius, *Iohannes* Humersbytel, *Heinsius* Cabholt, *Benedictus* Anefelt junior, *Otho* ab Hojâ, *Arnoldus* Molteke, *Christianus* Killeus, *Lotharius* Limbekius, *Erlandus Vitellus* vulgo **Kalff**/ *Petrus* Munckius, *Nicolaus* Globus, *Yffo* Stegus, *Petrus* Windius: Nobilium annotati, pręter cæteros *Nicolaus* Erici Lindius, *Nicolaus* Krebdebekius, *Canutus* Buggæus, *Paulus* Globus, *Woldemarus* Sappeus, *Nicolaus* Caasius, *Boocalus* Hoeg, *Christianus* Caasius, *Olaus* Nytorpius, *Olaus* Longius, *Matheus* Falster junior, *Petrus* Vidus, *Canutus* Heringius, *Olaus* à Vaaben. Per idem circiter tempus hac prærogativâ Lundenses ac Malmogianos rex ornavit, ut ipsis per Daniæ universum regnum negotia sua exercere ab omni telonio ac pensione immunibus liceret. Recepitque haud multò post, volente atque assentiente rege Sueonum Magno, quæ intacta adhuc supererant, Scaniæ Blekingiæque munitiones ac castra: Similiter & literas idem Magnus Woldemaro traditas assignavit, quibus Iohannes Holsatiæ Comes Scaniam sibi oppignoratam Suecis vendiderat, tum & eas, quibus Scaniæ proceres regem Sueonum, ut principem suum inaugurarant. Sueci hoc nomine *Magnum* detestati, eum cognomento *Smeech* per convitium vocitarunt, quod se deliniri & blandis persuasionibus ad

MCCCLXI. iniquias & turpes conditiones induci permisisset. Obiit sub initium anni insequentis in arce Hamershusiâ archiepiscopus Lundensis Iacobus delatumque exinde Lundam in ædem divi Laurentij ejus funus, ubi & juxta altare humo mandatum. Ei omnium suffragiis successor datus *Nicolaus* Ionæ ejusdem Ecclesiæ Canonicus. Mox denuo inimicitię ac dissensus inter Daniæ ac Sueonum regnum exorti ob varia, quæ utrimque promissa pactaq; fuerant, sed necdum adimpleta. Horum, præter alia, etiam matrimonium inter Haquinum & Margaretam habebatur, pactum quidem sed tum adhuc dilatum. Notant Suecorum memoriæ, Magnum Godlandiæ insulanis & præsertim Wisbuensibus, qui tum nimiâ fortuna ebrij potentesque, Magnum flocci videbantur facere, minus æquum, egisse cum Woldemaro, ut eos invaderet ac desolaret. Quod & factum ab eo, vastatâ primum Olandiâ, ubi incolarum quingenti ad internecionem deleti sunt. Inde Gotlandos adnavigans, uno die ter cum illis conflixit superiorque fuit. Ex indigenis mille octingentos periisse chronologi testantur. Ad urbis mænia ubi venisset, portis patefactis excipere eum cives parabant. Sed ingredi eas nolens muri partem dirui fecit, per quam toto cum exercitu, veluti in aciem composito, urbem intravit. Hîc ingenti prædâ maximisque opibus, quod Wisbuy id temporis emporium totius propemodum Europæ celeberrimum haberetur, potitus, domum reversus est. Una navium ipsius sub insula Carlsæ, pretiosissimis, præter ædium sacrarum aurea argenteaque ornamenta, mercimoniis onerata vi fluctuum abrepta naufragium adijt. Ante decessum ex insulâ (nisi ad repetitam in insulam navigationem referre libet) cum Wisbuensibus fœdus ac pactum injisse reperio firmasseq; immunitates ac privilegia ipsorum omnia, quæ olim Cæsar Lotharius variis emporiis impertierat, & nepos exinde ejus Henricus Leo Bavariæ Saxoniæque Dux, regesque postremo Suecorum etiam apud Wisbuenses esse rata firmaque sanxierant: Woldemarus insuper eandem, quam subditi sui intra Daniam fruerentur, emendi commerciaque sua distrahendi libertatem indulsit, tum & permisit cudendæ monetę jus, quemadmodum id jam ante usurpaverant. Acta hæc die quinto post festum Olai, in opido Wisbuensi, pręsentibus pręter regem Woldemarum ejusque filium Ducem *Christophorum*, Saxonię Duce *Erico*, domino *Nicolao* Limbekio, domino *Henningio* Podesbusk, ac domino *Woldemaro* Sappeo, equitibus auratis: Commoveruntque haud leviter ea Germanię circumquaque maritimas urbes, quas ferè Hansaticas tum vulgo vocabant. Hæ enim per manus injectionem sive, ut vocant, arrestum, bonis mercimoniisque Danorum, tum & navibus, quæ appellebant, retentis, ubiq; infestos habere Danos cęperunt. Nec minus quam Hansaticę urbes commoti etiam Suecię incolę, ac Magno offensi diras ei imprecabantur ob avulsam à Sueciâ Scaniam, permissamque in manus Woldemari Godlandiam aliaque ut inconsultò, ita stultè perpetrata. Sed *Magnus* memor injuriarum sibi à filio Erico illatarum, tum & regni proceres, qui in se irritatum filium secuti fuerant, aversatus, statuit de iis pænas sumere. Itaque viginti eorum quatuor, qui familiam quasi ducebant, regno pepulit, interq; eos *Nicolaum* Lincopensem episcopum, dominum *Nicolaum* Sture, regni Satrapam, Boocalum item

WOLDEMARUS III. Rex. A. C.

item ſatrapam, dominum *Carolum* Antra, dominum *Carolum* ab Ulſtaa, dominum *Ericum* Caroli alioſque. Hi in Gotlandiam primò, atq; inde ad Ducem Megapolenſem Albertum delati, ejus aliquandiu hoſpitio ac benignitate uſi fuerunt. Sueciæ interim proceres, qui domi erant, adeo ægrè ac graviter res actioneſq; Magni tulerunt, ut regem tandem Norvagiæ *Haquinum* permoverint parentem ſuum *Magnum* in arce Calmarienſi cuſtodiæ mandare. Quæ dum fiunt, fœdus inter ſe feriunt Lubecenſes cæteræque Hanſaticorum ad mare Balthicum civitates, quas urebat rem à Woldemaro adeo feliciter geſtam. Tracti in eorum ſocietatem rex *Haquinus*, Comes Holſatiæ Henricus ab animi & corporis robore ferreus appellatus, Dux item Megapolenſium *Henricus* aliiq; principes. Ductor omnium declaratus Comes *Henricus*, cui è Lubecenſium conſulibus adjunctus Iohannes Wittenborgius. Primá excurſione, datis vento velis, Haffniam petieruut, ubi occupatâ in ipſo ingreſſu arce, urbem diripuerunt vaſtaruntque. Hinc in Scaniam, facto procinctu, Helſingburgum diu noctuque oppugnarunt, admotis caſtelli mœnibus ſedecim arietibus baliſtiſque, At Woldemarus, capto tempore, dum militum plerique, factâ in terram exſcenſione circa Helſingburgi obſidionem ſatagunt, claſſem ac naves Lubecenſium in freto Oreſundæ adortus, ſex earum cepit, quaſdam, igne injecto, exuſſit: ſicque ſoluta Helſingburgenſium obſidio. Conſul Wittenburgius, quàm primum domum rediit, carceri mancipatus ac, latâ mox Senatus ſententiâ, capite plexus eſt: quam multi ſententiam, ſi præſertim Conſulis ſpectetur pro patria ſua animus devotus & in hoſtem cuncta agens, duriorem Rhadamantheâ dicant, niſi & alia fortaſſis intercurrerint chronologis non annotata. Tradit Crantzius in illo navali conflictu ictum tormento ac lapide *Chriſtophorum* Ducem, Woldemari filium, ex vulnere haud multo poſt diem obiiſſe. Danici annales nihil ejus meminerunt, ſed Haffniæ biennio poſt inter gaudia ac tædas nuptiarum ſororis ſuæ phreneſi extinctum tradunt. Obſidione tum etiam cinctum Wardiuburgum: Qui arci præſidebat, auctis ex inopinato, quas ſecum habebat, copiis, ac factâ mox eruptione repellit obſidentes, pluresque abducit captivos. Unde poſtremum inter utroſque ita convenit: ut, receptis captivis, obſidionem ſolverent. Dumque hoc agunt recenti milite ſuppletur non modò exercitus, ſed & ſubſiſtere jubentur & perurgere obſidionem. Quod cùm accepiſſet arcis præfectus minus ex fide egiſſe eos judicabat. Itaq; ut artem arte deluderet, ſimulat haud multò pòſt ſibi ſtatutum arcem dedere, mandatque accedere ex præcipuis, quibus archiva & claves arcis committat. Hi ubi veniſſent, claves eis tradit, addens ſe quidem, ſed ipſos promiſſis non ſtetiſſe: ideoque circumcingi ac capi omnes jubet. Atque ita ſoluta etiam ea obſidio. Eodem circiter tempore de dote Ingeburgæ, quæ erat 1000 argenti marcarum, cum Duce Megapolenſi *Alberto* ejuſq; filiis *Henrico*, *Alberto* & *Magno* tractatio habita. Expunxitque id quicquid debiti fuit rex Woldemarus. Tum quoque idem Borringholmiam Lundenſi Diœceſi, ad quam ſpectabat, ſed à ſe belli tempore cùm nimirum Scani ſe Suecis dediſſent, occupatam, certa ſub conditione ac legibus, quas ſe inviolatè ſervaturum archiepiſcopus *Nicolaus* unà cum toto Capitulo teſtatus fuit, reſtitui curavit. Eò autem directæ præcipuè eæ conditiones, ut Scanis epiſcopoque à Daniæ regno reſiliendi occaſio omnis præcideretur, dum ſcilicet ſtipulabatur rex, ut nihil moliretur archiepiſcopus in regni detrimentum, utque arcem & inſulam, quandocunque id flagitaret, ſibi reſtitueret. Signatæ hæ literæ anno milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſecundo. Quo etiam tempore anni unius induciæ pactæ inter regem & urbes ad Balthicum mare ſitas, Lubecam putà, Roſtochium, Stralefundam, Gripſwaldam cæteraſque, quibus & Hamburgenſes ſe junxerant. His durantibus permiſſum omnes & ſingulos urbium jam indicatarum ad Danos, Danoſque viciſſim ad ipſos commeare ſuaque exercere negotia libere ac tutò: Actum etiam de captivis utriuſque partis, aliaque addita ſpecialia, & quæ ad ſingulos ſeorſim pertinebant. *Haquinus* porrò, qui, ut ante memoratum, ſibi deſponſatam habebat regis Woldemari filiam *Margaretam*, capto jam patre, à regni proceribus, quibus diſplicebant cum *Margaretâ* nuptiæ, incitatur ut, acceptâ ex Holſatia conjuge, quod jam dudum omnes voverant, ſe adverſus hoſtium inſidias illuſtri ea affinitate præmuniret. Itaque miſſus ſub hoc tempus in Holſatiam eques auratus *Hermannus* de Witze, qui ſponſam *Eliſabetham* Henrici Comitis ſororem in Sueciam deduceret. Is priuſquam iter ingrederetur, Eliſabetha *Haquino* in arce Plone, conſiſtens inter fratrem Henricum & fratruelem Adolphum, ſub perſona dicti equitis conjux eſt declarata reginaq; Norvagię conſalutata. Ac mox magnifico ac rege digno apparatu inſtructa ex amne Travę navigio ſolvens Sueciam petiit. Sed vento ac tempeſtate, brumâ

WOLDEMARUS III. Rex. A. C.

brumâ jam imminente, adversantibus, in littora Daniæ delata, benignè à rege Woldemaro excepta asservataque est: dum interea cum *Haquino Magnoque* Woldemarus agit ut facta pactaque inter filium ejus & Margaretam sponsalia non modò firma rataque essent, sed & suum sortirentur effectum. Et vero, quod Gothus tradit, dum isti mandatam provinciam apud Holsatos exsequuntur, solvit è vinculis captum patrem *Haquinus* liberumque quo vellet, abire permittit.

Dissidebant hoc tempore interq; sese contentionis funem aliquandiu duxerant Holsatiæ Comites & urbs Hamburgensium. Eique transigendæ controversiæ nominatus est ab Imperatore *Carolo* Dux Megapolensium *Albertus*; qui ex æquo & bono litem dirimeret. Is igitur Cæsareo mandatu Lubecam profectus, ibi inspectis ac ventilatis propius omnibus, adjudicavit hanc causam Holsatiæ dynastis; Eis scilicet competere in eam civitatem plenum dominij jus, spectareq; ad eosdem inaugurationem, jurisdictionem, monetam, telonea, trapezas, vectigalia, molendina, aliaq; ejusmodi, quę huc usq; Hamburgenses Holsatiæ Comitibus denegassent. Hamburgenses ex adverso id sibi ante omnia indulgendum flagitabant, ut lis universa amicè transigeretur, atque inde ut causa tota ad Cæsarem devolveretur: quod nimirum Dux *Albertus* judex haberetur suspectus, quòdq; Hamburgensibus minus esset amicus, & denique quòd *Adolphi*, Holsatiæ Comitis, soror, ipsi in matrimonium esset collocata. Postremò cum jam ad dicendam sententiam procederetur, eam suo abitu declinarunt Hamburgenses. Quamvis, ipsis absentibus, ob contumaciam lata nihilominus in eos sententia fuit, cujus hoc exemplum est:

Audiens idem dominus Albertus Dux motiva prudentum ibidem astantium militum,
,, vasallorum & jurisperitorum, juxta eorum consilia & edicta & illius patriæ consuetudi-
,, nem, ut videbatur, hactenus observatam, pronunciavit, declaravit & decrevit, per suam
,, definitivam sententiam, ipsos Proconsules, Consules & universitatem civitatis Hamburg/
,, & eorum quemlibet conjunctim & divisim, à jure suo, si quod haberent in ipsa civitate
,, Hamburg/ exigente justitia, meritò cecidisse, & cadere debere, & jam ceciderunt, &
,, eos & eorum quemlibet quod ad præmissa, convictos judicavit, & omnia & singula peti-
,, ta in libello predicto ipsius domini Adolphi, Comitis prędicti Holsatiæ eidem adjudica-
,, vit, condemnationem expensarum omittens ex caussa. Inita est anno etiam eodem po-

MCCCLXIII.

stridie festi divi Michaëlis cum urbibus Vandalicis firmâ rataque pax, factis eà de re codicillis in hanc propemodo sententiam:

,, Nos Consules, senatores populusque universus urbium Lubecę, Rostochij, Stralesun-
,, dę, Bremę, Hamburgi, Kilonij, Vismarię, Gripsvaldię, Anclami, Stetini, novæ Stergar-
,, dię & Heiligebergę, publice ac palam hisce codicillis profitemur atque attestamur, nos
,, unanimi consensu ac voluntate, pacem inijsse firmam ac perpetuam cum illustri, gene-
,, roso ac potenti domino, domino Valdemaro Danię, Vandalorum ac Gothorum rege, e-
,, jusque hæredibus ac successoribus, omnibusque dynastis ac principibus, equitibus, mili-
,, tibus, civibus, negotiatoribus ac populo universo idē regnum incolente, additis etiam iis,
,, qui huc eorum nomine referri aut suspectari possunt, statuentes hac tractatione amnestiā
,, omnium litium, controversiarum ac bellorum dissidiorumq; quę huc usq; inter nos ipsosq;
,, tenuerunt. Nec quidquam ista pacificatio oberit, aut ullum impedimentum aut moram
,, inferet ei diei ac conventui, qui inter dictum regem Valdemarum & nos status jam ante
,, fuit, quo minus omnia ac singula hæc capita sarta tecta atque inviolata serventur, absq; do-
,, lo malo. Unde & urbium singularum jam prænominatarum sigilla his impressa appensaq;
,, sunt. Actum Lubecę ut supra.

Hinc celebrata confestim Haffniæ dominicâ, quæ paschatis festum secuta, ingenti ac regiâ plane magnificentia inter regem Norvagiæ *Haquinum* & *Margaretham* Woldemari filiam nuptiarum solemnia. Interfuêre illis, præter cæteros, *Blanca* regina Haquini mater, tum & *Christophorus* Hallandiæ Lalandiæque Dux. Quorum uterq;, versâ in feralem facem nuptiali festivitate, ex hac vitâ Haffniæ migravit. Ductum magnifice Blancæ reginę funus; sicuti & Christophoro Duci; qui Roschildiæ, inter regia mausolęa depositus, sepulturam accepit. Census per idem tempus universus propemodum regni populus ingensque tributum ac collationes imperari rex Valdemarus curavit. Eaque exactio nec pauperiores aut quemquam eximium habuit.

Sueciæ interea proceres indignissimè ferebant cum *Margaretâ* Haquini nuptias, sed & consilia sua, illudque cum Holsatâ institutum connubium, successu caruisse eos quam maximè urebat. *Henricus* quoque, animi generosi princeps, deludi à Suecis nolens, ipsis significa-

ſignificabat, ut ſibi, quæ promiſiſſent, præſtarent, niſi perfidiæ apud omnes rei agi cuperent. Hoc nuncio accepto, Sueci dominum *Carolum* Toſtenum Mareſchallum, *Nicolaum* Satrapam, & *Ericum* Caroli Camerarium, equeſtri dignitate viros in Holſatiam ablegant, regnumque Sueciæ *Henrico* Comiti ex pactis deferunt. Sed ille humaniter ſe excuſans ætatem ingraveſcentem, tum & valetudinem obtendendo, eos ad ducem Megapolenſem *Albertum* uxoris ſuæ parentem demiſit. Illi cum tres eſſent ex ſorore *Magni* Sueonum regis *Euphemiâ* nati filii *Henricus, Albertus* & *Magnus*, ſibi medium eligendum legati exiſtimarunt, adnitentibus in id quoque haud leviter, quos e Sueciâ ad Ducem *Albertum* extorres confugiſſe jam ſupra memoravimus. *Elizabetha* vero, conſummatis cum *Margaretâ* Haquini nuptiis, cœnobium Vaſtenenſe divæ Brigittæ apud Sueones ſacrum ingreſſa, ibi conſenuit. Gothus quod addit, *Albertum* Ducem Megapolenſem legatos Suecorum ſponſamque *Eliſabetham*, apud Woldemarum dum hæret, immiſsâ in Daniæ inſulas claſſe, cum precibus nihil obtinuiſſet, è manibus Woldemari liberaſſe, cum in actis Danicis non occurrat, in medio relinquimus. VALDEMARUS III. Rex. A. C.

Poſtquam verò eligi in regem *Albertum* placuiſſet, ipſe *Albertus* ſenior maximo procerum Sueciæ comitatu filium cum claſſe in Sueciam deduxit, quod *Magnus* multa adhuc ibi loca præſidio teneret. Indictaque haud multo poſt Stocholmiæ comitia, in quibus unanimi omnium acclamatione amotus à regni ſceptro *Magnus*, eique *Albertus* ſororis ipſius filius eſt ſurrogatus, die, qui Andreæ ſacer fuit. Inter cauſas rejecti *Magni* poſtquam vocatus ad ſe defendendum non comparuiſſet, publicè recitatæ, quod vita eſſet ac moribus perditis & flagitioſis, quod eccleſiæ authoritate excommunicatus inſuper habuiſſet; quod Olandiam Gotlandiamq; regni Suetici clientelares præfecturas hoſtibus in prædam permiſiſſet; quod inuſitatis tributis atque oneribus populum exhauſiſſet; quod Scaniam Hallandiamque impenſo pretio emptam à Sueciæ corpore ſejungi pulchrum egregiumque duxiſſet; quod leges ac tribunalia regni perfundediſſet; quod ſacramenta ſanctè præſtita multoties violaſſet, ac regni denique ſenatum penitus evertere ac conculcare in animum induxiſſet. Hiſce de cauſis ſemoto à regni adminiſtratione *Magno*, ſororis ejus, ut indicavimus, filium *Albertum*, ne in alienam familiam regia dignitas tranſlata videretur, regio in ſolio collocarunt. *Haquinum* vero *Magni* filium, Norvagiæ regem, quod idem cum patre *Magno* facere exiſtimaretur, prætereundum ſibi putarunt.

Memorat hoc tempore, & annum etiam ponit ſuperius nobis notatum MCCCLXIII, Jacobus Mejerus rerum Flandricarum ſcriptor accuratus adveniſſe Gandavum Daniæ regem, & eodem tum ſimul acceſſiſſe *Petrum Luſinianum* Cypri Regem petitum auxilium adverſus Saracenos. Valdemari acceſſus cauſam non addit, nec eam Mercantio quoque idem notanti compertam video, qui interim ſalutatum à rege *Ludovicum* Flandriæ Comitem ait, hominem regio prodigoque apparatu & magnâ erga exteros præſertim principes munificentiâ, in vicinos ſupercilio. Valdemari iſtam ad exteros profectionem in actis domeſticis non reperio ad hunc annum relatam, ſed ad proximum potius, quo eum Pragæ conveniſſe Imperatorem Carolum IV, atq; ibidem quoque adfuiſſe Cypri regem *Petrum Luſinianum* referemus inferius, ut veriſimile ſit Pragam iturum regem Valdemarum ita iter ordinaſſe, ut urbe Gandenſium Flandroque prius ſalutato inde Germaniam verſus reflexerit. Incidit in eundem hunc annum exceſſus *Iohannis* Holſatiæ ac Vagriæ Comitis, *Iohannis*, cui *Beningo* ſive Largo cognomentum fuit, filius. Dominicâ ante lætare, quæ fuit anni inſequentis milleſimi trecenteſimi ſexageſimi quarti, Fimbriæ MCCCLXIV. clientelarem præfecturam *Adolpho* Holſato conditione & legibus, cujuſmodi eandem inſulam tenuiſſet jam olim parens ejus Comes *Iohannes*, utendam fruendamque permiſit Valdemarus. Præter alia, quæ jure clientelæ regi præſtare Comes tenebatur, adſtipulatus eſt rex, ut de eo, quod tum inter Holſatos ac regem Sueciæ *Magnum* ejusque filium Norvagiæ regem *Haquinum* ob nuptias cum filiâ ſuâ *Margareta* controvertebatur, non niſi amicè ageret, nihilque eo nomine negotii ſibi aut illis crearet. Si quid præterea inimicum aut hoſtile exoriretur inter ipſum & Saxoniæ Ducem *Ericum* Stetinique ac Megapolenſem, tum & epiſcopum Caminenſem, id veluti ſequeſter decideret rex Valdemarus: Sicuti viciſſim ad eoſdem veluti arbitros referretur quodcunque exſurgere fortaſſe inter ſe Comitemq; poſſet controverſum: Inde circa feſtum divi *Iohannis* Stralefundæ induciæ denuò cum urbibus Vandalicis initæ; ſed breves eæ temporis fuère. Nam urbium earum, quæ Balthico mari ſunt appoſitæ, numero ſeptem, cæteras, quæ tum ejuſdem fœderis intra Germaniæ diſtrictum habebantur, cum ad ipſas quoque pertinerent detrimentra Wiſboenſibus

VALDEMARUS III. Rex.
A. C.

boensibus illata, Coloniam Agrippinam convocant, ibiq; aut ipsę aut delegati earum fœdus inter se feriunt, ad immunitates veteraq; sua jura sarte tectęq; servanda. Hęc urbium septuaginta septem, quę postmodum fœderatę sive Hansaticę sunt dictę, prima fuêre initia. Quarum omnium indiculus est iste: Vandalicę erant Lubeca, Hamburgum, Rostochium, Wismaria, Stralesunda, Luneburgum; Pomeranicę Stetinū, Anclamum, Solnovia, Gripswalda, Colberga, Stargarda, Stolpa, Rigerwolda; Borussicæ Colmaria, Torna, Elbinga, Dantiscū, Coningsberga, Brunsberga: Liflandicę Riga, Torpatum, Revalia, Pernovia: Saxonicæ Magdeburgum, Brunsviga, Gosleria, Embeca, Gottinga, Hildensheimū, Hannovera, Ulsa, Buxtehuda, Stada, Brema, Hamelia, Minda: Westphalicæ Monasterium, Osenbruga, Dortmunda, Susatum, Herverda, Paderborna, Lemgovia, Bilevelda, Lippia, Cosvelda; Clivenses & Marchicę Colonia, Vezalia, Diusburgū, Emberica, Verberga, Onna, Ham: Gelricæ Neomagum, Zutphania, Ruremunda, Arnhemum, Venloa, Hardervicū, Elburga: Transisulanicæ Daventria, Campi, Zwolla: Frisicæ Groninga, Stavera, Bolswarda: quibus accedebant Stendalia, Stolvedela, Berlinum, Brandeburgum, Francofurtum ad Oderam, Vratislavia, Cracovia, Halla, Askerlova, Quedelenburgum, Halberstada, Hellemstadium, Kyllonium, Nordheim, quæ & omnes anno MDLV unà cum Brunsvicensibus fœderi isti conjunctim renunciarunt. Hæc sane potens admodum id temporis fœderatio non tantum suffecerit ad jura sua ac privilegia retinenda, sed ipsis quoq; regibus principibusq; formidabilis, veluti officina fuerit, ad extorquendum ab iis quodcunq; colhibitum foret. Hodie internis partim discordiis, partim principum vicinorū armis fracta interruptaque eas, quas olim, vires haudquaquā habet. Nec esse diuturna ac concors inter plures concordia potest, præsertim cū non omnes eodem respiciant, sed sibi quisq; studeat. Cum primū urbes istæ LXXVII regi Valdemaro per fecialem quasi bellū denunciatēr, nec ille, quid sibi hoc vellet, satis initio perciperet, tandē respondisse ferunt idiomate, quo uti consueruot eæ civitates:

Seven vnd seventig Hense
Vnd seven vnd seventig Gense;
Biten mir nicht de Gense/
Frag ich nicht eine schit nae die Hense.

Quasi diceret (alludendo rhythmicè ad *Hansas* & *Gansas*, quod posterius *anseres* notat)

Septem & septuaginta Hansæ
Totidemque anseres sive Gansæ;
Si me non mordeant Gansæ,
Nec flocci apud me erunt Hansæ.

Harum civitatum primo quę erant in Germania quàm longissimè Austrum versus sitę, post habitum, de quo indicatum, Coloniæ Agrippinæ conventum, ex oppido Campensi, quod alveum Rheni borealem in oceanum Germanicum per Flevum emittit, classem in oras Danię miserunt, secutiq; mox Vandalici. Qui ubi monerentur se cōtra pacta fœdusq; jam ante percussum agere, responsum dedêre, se ab Hansà jam pridem institutà separari haud posse. Itaq; Rex Valdemarus, ne malum invalesceret, confestim per Ducem Stetini *Barnimum* agi tractariq; cum Vandalicis præsertim urbibus curavit: utpote quæ primam dissidio occasionem dederant. Factæq; haud multò post inducię, eæq; literis, quarum fere hæc erat sententia, obsignatæ: Ducem scilicet Stetini Rugiæq; principem *Barnimum*, serenissimi Danorum, Gothorum Vandalorumq; Regis Valdemari nomine, cum delegatis urbium Lubecæ, Vismariæ, Rostochii, Stralesundæ, Gripswaldæ, Colbergę, Stetini, Anclami & Kilonii inducias pactum, quarum initiū à festo divi Johannis anni currentis sumeretur, finis verò in diem purificationis Mariæ, elapso circiter triennio, incideret. Permissumq; durantibus induciis, ut libera utrimq; essent commercia: halecum aliæq; piscationes loco & tempore, ut ante consuêverat, exercerentur: præfectos sive judices quisque ex urbibus maritimis suo in districtu apud Scanos constitueret; deq; omnibus sententiam ii ferrent, exceptis delictis gravioribus, & quæ vulgo capitalia vocant. Actum præterea de captivis utrimq; dimittendis: Estq; & illud decretum, ut si forte, stantibus induciis, harum civitatum aliquæ aut earū dynastæ, regi hostilia atq; inimicitias indicerent, tum eis civitatibus, quod principibus suis sacramenti lege præstare tenerentur, exequi fas esset, absq; tamen vitio aut interruptione induciarum. Elapsis vero induciis neuter alteri obstrictus ulterius haberetur, ac suum cuiq; jus integrum maneret: comprehensos postremum hoc contractu civitates etiam voluêre Romanorum Imp. *Carolum* IV, *Magnum* & *Haquinum* reges Sueciæ Norva-

VALDEMARUS III. Rex. A. C.

Norvagiæque, *Barnimum* Stetini Ducem seniorem; *Bugislaum*, *Barnimum* & *Vratislaum* Stetinensis Ducatus hæredes; Episcopum Caminensem; Ducem Saxoniæ *Albertum*, & Megapolensem quoque *Albertum* unà cum filiis ejus, tum & Slesvicensium Duces Comitesq; Holsatiæ *Henricum* & *Nicolaum*, *Adolphum* item Holsatiæ & nominis ejusdem Scouvenburgensem cum Episcopo *Giselberto* dynastaque Bronchorstio. Qui & iidem regi Valdemaro placuerunt nominatique; tantum quod suo seorsim nomine adjunxerit *Hartwigum* Cleinovium *Ditlevumque* Gadendorpium, armigeros. Acta hæc Stralesundæ præsentibus, præter civitatum legatos, *Barnimo* Stetini Duce ac Principe Rugiæ juniore, ejusque clientibus *Wedeko* Bugenhavio Mareschalco, *Angelo* Mandevilio Camerario, equitibus auratis. A rege Valdemaro missi accesserunt *Fikius* Moltekenus, *Gielekerus* Scaniensis, *Christianus* Culeus, præfectus Aleholmensis, *Sigowardus* Nicolai, *Olaus* Biornonis, *Benedictus* Ancfeldius, equestris omnes dignitatis. His, secundum Ducem Stetini *Barnimum*, plenam atque absolutam potestatem Rex concesserat vel pacem vel inducias cum civitatibus ineundi. Ipse interea evocatus ab Imperatore Carolo Pragam abierat, ut ibi, inter cæteros, Cæsaris ipsius atque *Elisabethæ Bugislai* Pomeraniæ Ducis filiæ nuptiis interesset. Accesserant eodem præter Daniæ Valdemarum, Poloniæ *Casimirum*, Ungariæ insuper ac Cypri Reges *Ludovicus* & *Petrus*. Valdemarum, transito tum Belgio in Germaniam profectum, ex iis, quæ ad anni præcedentis finem diximus, verisimile videatur. Invenioq; defuncto per id tempus *Rudolpho* Austriæ Duce, Noricum, quod Alpibus, Oeno & Atheli amnibus est cinctum, infestatum tunc à Bavaris Vindelici populis; eosdemque, prædâ ingenti abactâ, ad Stirios usque penetrasse, castellisq; aliquot vi in deditionem acceptis, diem, quo cum hoste totis viribus confligerent, constituisse, sed regem Valdemarum, qui expeditioni intererat, appellente prælii die, ne manus consererentur, suâ intercessione effecisse, referente rerum Boicarum scriptore perdiligente *Iohanne* Aventino, qui Valdemarum intelligens, Regem Cimbrorum vocat. Nuptias vero, de quibus diximus, Imp. Caroli, refert non ad hunc sed annum præcedentem Chronicon Carionis aitq; Cracoviæ celebratas. Valdemari autem per idem tempus absentia occasionem Vandalorum Holsatięq; chronologis dedisse videtur, ut ab iis tum regno pulsum literis tradere haud dubitarint. Sed illud quam vanum quamq; falsum fuerit, ostendunt præterea Imperatoris literę datę circa Paschatis festum in arce Pragensi; quibus se Imperator profitetur Regi potentissimo Valdemaro sibiq; dilectissimo, pręsentibus *Ludovico* & Romulo *Ludovico* Brandeburgicis, *Ruperto* Palatino Duce Bavarię ac sacri imperii Electore, ob varia ejusdem Valdemari merita imperiò olim pręstita inq; posterum pręstanda, sedecim mille argenti puri marcas singulari ac regiâ benignitate donasse: ejusq; summę vicem dum in plenum persoluta fuerit, oppignoratam ei posterisq; ejus permittere urbis suę imperialis Lubecensium collationem annuam: quomodo eam *Ericus* Saxonię Dux olim à *Ludovico* Brandenburgico pignori sibi traditam regi eidem Valdemaro sub annum MCCCL in plenum transcripserat; seq; cupere ac mandare ut eadem transactio rata firmaq; habeatur. Rex deinde Valdemarus postquã approbasset, quę annis superioribus cum maritimis civitatibus interventu Ducis *Barnimi* acta decretaq; super immunitatibus ac privilegiis earundem fuissent, simul etiã Holsatiæ dynastę *Henricus* & *Nicolaus* fratres cum eodem ex aulâ Cęsareâ jam reverso, in eum ferè modũ transegêre: Primum regi Valdemaro suo suorumq; nomine sanctissimę pollicebantur se neq; ipsi aut arcibus hæredibusve ejus vel aliis quæ intra Danię regnum aut Comitatum Holsatię pignori haberet, ditionibus ullo pacto futuros oneri aut detrimento: Quodque post reconciliationem Chilonii initam commissum peccatumq; foret, id duobus à parte ipsorum ac totidem regis nomine arbitris dijudicandum permitteretur. Holsatorum nomine id agerent, *Nicolaus* Crommedikius, dictus Meseke, & *Sigowardus* Dolenredius; regis vero *Nicolaus* Limbekius regni satrapa & *Valdemarus* Sappeus. Si pręterea contingeret ex Holsatię subditis aliquem cum regis clientibus aut vice versâ hos cum illis contendere, hi, alii in alium nequaquam ferro aut flammis grassarentur, sed causam suam legitimo regni aut Comitatus foro cognoscendam permitterent. Si etiam regis vasalli ac fiduciarii possessiones intra Fioniam Comitibus oppignoratas haberent, promittunt iidem Comites cessuros iis quodcunq; fas æquumq; statuerit. Hæc ut certa rataq; haberentur utrimq; compromissores dati magno numero equites nobilesque. A Comitum parte, pręter cęteros, erant *Nicolaus* Crommedickius, dictus Meseke, *Iohannes* Grommedickius alias Angelus dictus, *Borchardus* Itzehude, *Iohannes* Seftedius, *Iohannes* Siggenius, *Otho* Lumbequius equites, *Ludekenus* Schinckelius Lancollus, *Henricus* Gliffingius, *Wolffgangus* Paawilck, *Sigowar-*

Dosenrodius, *Hartwigus* Porsveldius, *Ditlevus* Walsdorpius, *Otho* Rantzovius, *Albertus* Wiskius, *Arnoldus* Wiskius aliique. Regis nomine compromiserant *Nicolaus* Archiepiscopus Lundensis, *Magnus* Episcopus Vendelboensis, dominus *Nicolaus* Limbekius regni Satrapa, dominus *Hemmingus* Podebuschius, *Thuo* Galleus regni Mareschalcus, *Stigothus* Andreæ, *Fickius* Molteke, *Fischillus* Brokius, *Erlandus* Vitellius Calff, *Christianus* Culeus, *Petrus* Grubbeus, *Christianus* Caasius, *Iacobus* Urneus, *Steno* Bassus, *Olaus* Longius, *Ericus* Soburgius, *Eilerus* Porsveldius equites: *Paulus* Globus, *Petrus* Scioldenessus armigeri. Hi codicilli signati in arce Coldingensi die Lunæ ante festum divi *Canuti* regis ac martyris, anno à

MCCCLXV. Christo in terris nato millesimo trecentesimo sexagesimo quinto. *Alberto* autem ut memoravimus regni Suetici diademate insignito, tenebat adhuc alteram regni portionem *Magnus*, nec desinebat, ut est imperium omne impatiens consortis, modo ab *Haquino* Norvagiæ, modo à Danis Suecisque militem colligere; collectoque quantum sufficere videbatur, ipse filiusque ejus *Haquinus* recta in *Albertum* contendunt, præfati se aut totam recuperaturos Sueciam aut totâ carituros: Nec Sueones, qui a parte *Alberti* erant, officii sui immemores, contractis similiter copiis, quosque habebat ad manus *Albertus* Theutones, venienti *Magno* circa pontem Osteni non longè ab opido Enecopensi occurrunt: fitque atrox & cruenta pugna, diuque incerta ac dubia stetit, dum tandem victoria ad partes *Alberti* se flexit, superato captoque in mediâ acie *Magno*. *Haquinus*, parente in vincula conjecto, rem deploratam videns, abrumpensque post tergus pontem, se ad Norvagos recepit. *Magnus* verò Stocholmiam deductus, integro ibi septennio, dum tandem à filio eodem *Haquino* liberaretur, detentus hæsit, ut suo exinde dicetur loco. Rex interea *Albertus*, licet omnia ageret modò obsidione cingendo, modò vi & machinis oppugnando quas Sueci pro *Magno* tenebant munitiones, eas tamen nec deditione, nec expugnatione ulla suum ad obsequium traducere potuit. Invenio præterea præter approbationem eorum, quæ cum urbibus Hansaticis, ut meminimus, regis Valdemari nomine Stetini Dux *Barnimus* amice transegerat, etiam regem ipsum hoc anno MCCCLXV pridie diei, qui Papæ *Clementi* sacer habetur, Nicopiæ in Falstriâ cum urbibus iisdem Vandalicis Lubecâ, Rostochio, Stralesundâ, Bremâ, Hamburgo, Chilonio, Wismariâ, Gripswaldiâ, Stetino, Stargardâ, Colbergâ firmam ac duraturam pacem pepigisse, semotis, quicunque hucusque eàm interrupissent, bellis ac discordiis; reductisque in veterem suum usum privilegiis antiquis aliisque, quas usurpassent jam olim eædem civitates, immunitatibus regio sigillo ac subscriptione firmatis. Quibus ut testes etiam vadesq; interfuère suaque sigilla subjecère *Henricus* Holsatiæ Comes, *Nicolaus* Archiepiscopus Lundensis Sueciæ primas, *Magnus* Episcopus Ripensis, *Paulus* Episcopus Arhusiensis, *Iohannes* Episcopus Vendelensis: *Nicolaus* Limbekius regni satrapa, *Tuno* Marschalcus, *Henrichus* Podebuschius, *Stigothus* Andreæ, *Ericus* Molteke aliique ex ordine equestri, nobilesque perplures. In ipso autem instrumento, cujus apographum in archivis urbis Hardervicenæ servatur, *Henricus* non Comes Holsatiæ, sed Dux nuncupatur Slesvicensium.

MCCCLXVI. Anno dehinc proximo die Martis post eum, qui Jacobo Apostolo est sacer, evulgatæ regis Suecorum *Alberti* itemque *Henrici* & *Magni* Ducum Megapelensium literæ, quibus profitebantur se cum rege Valdemaro certis conditionibus pactos, ut quicunque post diem superiorem Pentecostes, durante adhuc inter Danos & Suecos bello, capti fuissent, liberi utrimque dimitterentur. Tum etiam senior *Albertus* Dux ut & filii ejus *Henricus* & *Magnus* Megapolenses, datis codicillis regi Valdemaro sunt adstipulati, literas eas, quas Rex *Albertus* & ipsi de induciis cum *Haquino* Norvagiæ & Sueciæ *Alberto* rege pangendis fecissent, sicuti & eas quæ captivos utriusque regni Daniæ & Sueciæ post diem Pentecostes proximè elapsum spectabant; nec non & illas, quæ dotem [illegible] argenti marcarum attinebant, & alias insuper *Frici* Ducis pignorales, eas universas intra tempus præsens & diem purificationis Mariæ obsignatas eidem traditurum regem Suecorum *Albertum*. Nec id modò, sed idem præterea Rex Sueonum *Albertus*, metuens scilicet auxilia quæ genero suo *Haquino* in omnem eventum Valdemarus erat præstiturus, per idem tempus Alcholmiæ, consentientibus regni proceribus, Valdemaro regi Daniæque regno perpetuas atque hæreditarias concessit Gotlandiam urbemque Wisboensem, Verendiam, Windovidiam, Kindam, Markiamque, tum arcem Elburgensem cum alterâ parte Helsingiæ ac toto Elsenburgensi territorio, exceptâ Loddehusia: Has inquam ditiones universas castellaque, prout ea superiori adhuc Pentecoste jure tutorio Valdemarus possederat, ipsi ejusque successoribus atque hæredibus, cum omni tam urbana civiliq; quam ecclesiastica jurisdictione, cujusmodi

VALDEMARUS III. Rex. A. C.

cujusmodi jam olim ea Sueciæ reges tenuerunt, in perpetuum haberi Daniæque regno adnecti permisit cum patris, fratrum ac regii senatus universi voluntate assensuque. Rex interea Sueonum *Albertus*, exceptis jam dictis ditionibus, toto Sueciæ regno frueretur. Ejus parens Dux Mēgapolensis *Albertus* fratresque *Henricus* & *Magnus* eorumque hæredes posterique totum Megapolensem Ducatum Comitatumque Suerinensium cum dynastia Rostochiensi illibatos sibi retinerent. Similiter iisdem in literis obstrinxêre se Rex jam dictus Ducesque pater & filii regi Valdemaro ejusq; hæredibus, Daniæ regno Hallandiæque adnexam perpetuo mansuram Warbergam: Deque his regi regnoq; Daniæ nullam molestiam nullumque negotium creatum iri, sicuti vicissim Rostochiensium territorium Ducibus jam dictis eorumq; hæredibus ac posteris totum integrumq; cederet, nihilq; super iis obstaculi remoræq; Valdemarus ipsis injiceret, exceptis officiis, quę jure clientelæ præstari ipsi tenebantur. Polliciti insuper Rex *Albertus* ejusq; parens fratresq; se *Magnum* Regem haud unquam è custodia dimissuros nisi eâ cautione ac conditionibus, quod ad ditiones superius memoratas, quibus satisfactum sibi Valdemarus existimavit: Eodem etiam pacto promittebant se cum *Haquino* Norvagiæ rege pacem nullam facturos, nisi & ipse super ditionibus jam modò enumeratis ejusmodi sponsiones produceret, quæ regi Valdemaro perplacerent: Si vero is intra biennium aut triennium ejusmodi cautiones Valdemaro denegaret, eoq; nomine inter eum & regem *Albertum* bellum exsurgeret, tum Rex Valdemarus totis viribus *Alberto* suppetias veniret, donec conditiones jam indicatæ adimplerentur. Obstrinxit se quoq; Rex *Albertus* totumq; Sueciæ regnum cum ditionibus, quas adjicere eidē posset, ad æquam perpetuamq; cum rege Valdemaro ejusq; hæredibusq; ac regno pacem colendam: si tamen aliquæ interea inter utraq; regna controversię exorirentur, eæ regni utriusq; æquis arbitris componendæ permitterentur, pace nihilominus utrimq; integrâ. Promittebant postremò procerum Sueticorum quadrumviri, qui has literas sigillis appensis obsignarunt, easdem conditiones super jam dictis ditionibus regi Valdemaro ejusque hæredibus inviolatas servaturum, quicunq; in posterum successurus Alberto esset. Ac deniq; eosdem hos codicillos orati cum ipsis obsignare regni archiepiscopus episcopique cum capitulis, prælatis ac toto regni Suecici senatu, 50 equites ac decem ex regni ejusdem præcipuis emporiis cives. Acta hæc loco & tempore supra positis. Memorabile est quod in eundem hunc annum rejiciunt chronologi, tantum quod Crantzius in Saxoniâ suâ *Gregorio* pontifici tribuat, quod *Vrbano* V, utpote tum adhuc superstiti, debetur, Episcopum nimirum, cujus nomen reticetur, insuper habitâ ecclesiæ suæ curâ, aulam, ut plurimum, Papalem insequentem ob id increpitum à pontifice, dedisse responsum, eandem esse suam cum pontifice causam, quod ipse suam, Pontifex Romanam deseruisset ecclesiam: Pontificemq; responso isto in animum propius dimisso, Avenione relictâ Romam rediisse. Dum verò apud Sueones carcere tenetur *Magnus* omnem ejus filius *Haquinus* lapidem movit, cum adversus Regem *Albertum* popularium animos concitando, tum copias conscribendo, ut è custodiâ aliquando pater liberaretur: Quis itaq; hoc & anno continuò insequenti, qui fuit Christi MCCCLXVII, rerū ac regni apud Suecos status MCCCLXVII. fuerit, intelligi ex literis potest, quas id temporis ad Ostrogothos ac Vestrogothos miserunt Oplandiani. His, inter cætera, declarabant se injuriam, vim ac calamitatem, quam fuissent ab eo tempore quo ipsis impositus esset Dux Megapolensis & ejus præsertim filius *Albertus*, qui nomine & munere regio fungeretur, perpessi à Theutonis, ad Deum Jesum Christū ejusq; matrem Mariā, item Petrum, Paulum, Laurentium, Ericum, Sigefridū, Henricum & Eschillum, divos omnes ac patronos Suetici regni ceterosq; sanctos ac principes Christianâ pietate præditos, ut justos vindices referre: postquam ab *Alberto*, quem regem esse voluerunt, licet sæpius hoc questi, neq; à senatoribus ullam opem vel solatium sensissent, esseq; *Albertum* perjurum, senatores regni proditores. Sibi itaq; constitutū sub Christi Jesu ejusq; matris &, quos nominassent, Suetici regni tutelarium quasi divorum, tum & optimi Regis *Magni*, licet captivi, ductu auxilioque adversus vim atque injurias Theutonum militare omnesque pro amicis ducere, quibus idem animus sit, optareque se cum illis vivere ac mori. Proximo dehinc anno *Carolus* IV Imp. Angermundi codicillos promulgari MCCCLXVIII. curavit, quibus ex sententia Ducis *Alberti* mandavit voluitque ut Hamburgenses veris ac legitimis suis dominis Holsatię ac Stormarię Comitibus dicto audientes essent, ac debito eosdem obsequio prosequerentur, sin minus se auxilio adfuturum Comitibus daturumque operam, ut jure suo ac legibus uti frui possent. Nec multo post denuo nobilitas præsertim Jutica aliique ex subditis regis Valdemari, in partes scissi ab eo ad Holsatos inimicos

VALDEMARUS III. Rex. A. C.

ejus secessionem fecêre, quiritantes quod bellis continuis aliisque oneribus plus nimio fatigarentur. Holsati accessione tantâ aucti, concitatis extemplo maritimis Vandalorum civitatibus, easdem quoque eodem traxêre. Fœdus, quod inter eos *Henricum* inquam & *Nicolaum* Comites Cimbrosque *Stigothum* Andreæ, *Nicolaum* Limbekjum, *Christianum* Caasium pluresque equestris ordinis viros, tum & *Paulum* Globum, *Godeschalcum* Scarpenbergium, *Hartwicum* Paawisck, *Nicolaum* Stobum aliosque armigeros percussum tum est, hujus propemodum sententiæ fuit; Primo se totis viribus auxilio futuros *Henrico* australis Jutiæ Duci ejusque fœderatis, ad defendenda propugnandaque jura, immunitates veteraque sua privilegia, nec se unquam cum rege Valdemaro absque Ducis jam dicti ejusque subditorum consensu ac voluntate pacem facturos: Comites vicissim Nobilitati promiserant omni se ope allaboraturos, ut ipsis privilegia atque immunitates tum & leges, quas olim rex Valdemarus tulisset, sartæ tectæque servarentur, seq; absque eo nullam cum rege reconciliationem inituros. Horum exinde in societatem ferè omnes ubique regni hostes concessêre. Nam & Sueciæ rex *Albertus* Ducesque Megapolenses cum urbibus, quas diximus, Vandalicis, motis jam Cimbris Holsatisque, arma quoque ab eâ parte ostendere Valdemaro cœperunt. Et quidem Dux Megapolensis *Albertus* senior, quod cum illis percusserat, fœdere, inter cætera, continebatur, ipsum filiosq; ipsius *Henricum* & *Magnum* ob varias, quas à rege Danorum Valdemaro pacis tempore, injurias identidem accepissent, pactum iniisse cum *Henrico* & *Nicolao* Holsatiæ Comitibus, ut & viris honestissimis *Stigoto* Andreæ, *Nicolao* Limbekio, *Benedicto* Anefeldio, aliisque Jutiæ equitibus ac nobilibus adversus regem Valdemarum ejusquê generum Norvagiæ regem *Haquinum* eorumque socios, quo promittebant id firmum atque immotum perpetuo mansurum, neque unquam cum eodem Danorum aut Norvagiæ regibus pacem facturos, nisi volentibus atque assentientibus fœderatis jam modo nominatis; curaturosque se ut ante diem divi *Iohannis* Baptistæ eidem quoque fœderi esset associatus rex Suecorum *Albertus*. Nec diu ille moratus continuo se eodem nexu illis obstrinxit, pactusque, præter alia, est ut inter urbes ditionesque, quas singuli, durante bello occuparent, seorsim quæcunque in Scania Gotlandiaque vincerentur, sibi cederent; Selandicæ, Falstriæ cæteræque in vicino insulæ ad Ducem Megapolensem referrentur; uti & ea quæ Cimbricæ Chersonesi essent, cum proximè adjacentibus Fioniâ, Langelandiâ cæterisque ad Comites spectarent: hac lege tamen ac conditionibus, ut victi suo ubiq; jure ac modo vivere permitterentur. Similiter & urbes Vandalicæ Comitesque Holsatiæ se cum *Hartwigo* Hummerbitelio Ravensdorpio conjunxêre, hac nimirum ratione, ut, stante inter regem Danorum Valdemarum Sueciæque *Albertum* ejusque fœderatos bello, ipse conquiesceret, nullumque Comitibus detrimentum inferret: ipse interim ejusque subditi liberè ac tuto commeare suaque exercere commercia, ubicunque vellent, permitterentur. His peractis, urbes maritimæ ingenti cum classe in mare proximum atque insulas Daniæ prorupêre. Rex *Albertus* Scaniam ingressus Ufstadium, Falsterboam, Scanoram & Somershavam occupavit, omnia agens ut totum illud territorium ad Sueciam reduceretur. Holsati etiam & qui cum illis Dani sive Gutæ erant Scanderburgum, aliasque in Jutiâ boreali regias arces obsidione cinxêre. Dumque triplici hoc modo aut pluribus hostibus Valdemarus impeteretur, & ad se defendendum consilia circumspicit, Rex Suecorum *Albertus* varias Hansaticis urbibus, quique cum illis fœderati erant, immunitates privilegiaque in Daniæ regno concedit; deque re etiam monetariâ leges proponit, ac teloniorum postremo vectigaliumque curam suscipit, & præsertim quæ ad Halecariam capturam naviumque, quæ Oresundæ freto enavigarent, pensionem pertinerent; voluitque navium unamquamque (excepto halecis, quæ immunis esset, ipso onere) undecim schillingos grandiores persolvere; lastam interim halecis, quæ à loco, circa quem capta fuit, eveheretur, denarios viginti; carnis tonnam denarios duos, & sic de ceteris. Reperio tum etiam Amsterodamensibus immunitates indulsisse, præsertim iis, qui ad Scaniam & eas oras commerciorum gratia navigiis appellerent. Sed hæc taliaque tum constituta literisque ac sigillis ab *Alberto* rege in eam spem promulgata obsignataque fuerunt, ut si forte etiam Daniæ regno potiri ipsi daretur. Nam & sigillum, quod literis appendebatur, trium coronarum effigiem præferebat, primusque regum omnium Sueciæ fuisse perhibetur, qui tali sigillo usus fuerit, cum antea Suecorum insignia Leonem prætulerint tres lacus transmittentē Vennerum, Vetterum, & Mellerum scilicet, quamvis aliter de eo hodie Sueci statuant, velintque três coronas esse insignia Sueciæ, lacus vero istos ad Gothos pertinere esseque eorum gentilitias imagines.

Obiit

VALDEMARUS III. Rex. *A. C.* MCCCLXIX.

Obiit sub finem anni Dux Stetini *Barnimus*, multis illustribus factis passim famigerabilis, relictis post se *Cazimiro* tertio, *Suanteboo* secundo & *Bugislao* tertio. Rex autem Valdemarus sub annum proximum regno excedens Romanum pontificem salutatum abiit, idque, ut nomen præberi fecerat, religionis ergo: sed verior causa habebatur vis, quæ illi undiquaque hinc à Danis ipsis Holsatisque, inde à Sueco urbibusque Vandalicis inferebatur, cum ob damna in insulâ & urbe Wisbuensium multifariam illatâ, tum & violatas, quas olim illæ apud Scanos & alibi obtinuissent, immunitates; præterquam quod idem ferè domi Gutæ & Holsati super Langelandiâ sibi ereptâ quiritarentur. Interea priusquam Rex peregrè abiret, proceribus regni in mandatis reliquerat, ut si, absente se, æquis conditionibus pacisci cum hoste daretur, occasionem haud quaquam negligerent. Dumque inter hæc classis Vandalicarum civitatum ad insulas Falstriæ, Selandiæque identidem appellit, inque iis præter Nicopiam etiam Haffniensium urbem & munimentum una cum Amagâ, Huenâ, Helsingorâ, Scanorâ, & si quæ sunt aliæ in vicino arces locaque invadit ac diripit, cæpit cum urbibus agere *Henningus* Podebuschius aulæ Mareschalcus ac, Rege peregre agente, regni totius præfectus: Estque dies Stralesundæ dictus, ad quem omnes omnium civitatum delegati convenirent: iique ubi advenissent; inter eos Daniæque regni senatores pactio confestim inita, quæ, datis in hunc fere modum codicillis, signata fuit:

Nos Consules ac Senatores civitatum Vandaliæ ac Borussicarum Lubecæ, Rostochii, Stralesundæ, Wismariæ, Gripswaldæ, Stetini, Colbergæ, Nystargardæ, Coloniæ Agrippinæ, Hamburgi ac Bremæ; tum & Livonicarum Rigæ, Torpati, Revaliæ, Parnoviæ; nec non & earum, quæ ad mare Austrini sinus inque Hollandiâ Zelandiâque sunt sitæ Campi, Daventria, Ultrajectum, Zwolla, Hasseltum, Groninga, Zutphania, Briela, Middelburgum, Armuda, Harderwicum, Ziriczea, Elburgum, Stavera, Dordracum, Amsterdamum; profitemur ac publico hoc instrumento testamur inter nos & regni Daniæ Senatores virumque honoratum dominum *Henningum* Podebuskium regni præfectum, itemque *Nicolaum* archiepiscopum Lundensem, *Ericum* Episcopum Othoniensem, *Nicolaum* Roschildensem aliosque equites ac regni nobiles armigerosque amicè esse conventum, dissidiaque illa ac bella omnia, quæ hactenus inter serenissimum regem Valdemarum ejusque subditos ac nos nostrarumque civitatum indigenas atque incolas agitata fuêre, utrimque composita placideque placata esse, ita scilicet ut Rex jam dictus hanc inter nos reconciliationem suo sigillo ac manu obsignatam sub proximum festum Michaëlis anno circiter ab hinc integro nobis sit exhibiturus. Ipsis autem reconciliationis literis hoc præcipuè cautum erat, ut urbium Vandalicarum indigenæ ac cives Helsingburgum, Malmogiam, Schanoram & Falsterboam, id est, totam propemodum Scaniam veluti pignus & loco illati à Rege Valdemaro detrimenti annos quindecim retinerent, usum fructum sibi servarent, præfectos judicesque suo modo & more ipsi haberent: Atq; annis istis elapsis territorium idem immune ac nullis gravatum oneribus, quomodo ipsum acceperant, regni regnoque restituerent: Danis interea omnibusque regni incolis urbes atque emporia Hansatica liberè accedere suaque ibi exercere negotia, quemadmodum ante bellum fueverant, fas liberumque esset. Hæc acta dataque Stralesundæ postridiè ascensionis dominicæ anno à Christo nato post millesimum trecentesimum septuagesimo. MCCCLXX.

Quæ dum ibi fiunt nihil non apud Noortvagos Rex *Haquinus* egit, ut patrem *Magnum* è vinculis liberaret. Præter cætera, nonnullis ex regni sui senatoribus facultatem concessit eâ de re cum Suecis in plenum transigendi. Factaque procuratio, quâ testabatur se domino *Jonæ* Hautorsio, *Erico* Ketelsonio, ac *Jonæ* Hiernæ equitibus, nec non *Laurentio* Biornoni, *Haquino* Jonę, *Henrico* Milckeldorpio, *Colbiorno* Ketelsonio & *Vffoni* Jonę senatoribus ac consiliariis suis dilectis, absolutam tribuisse potestatem cum regni Suecici proceribus de pace inter utrumque regnum redintegrandâ, deque clarissimi domini ac parentis sui *Magni* liberatione agere, ac tractare, sibique constitutum quodcunque ex suo mandato ac mente illi peregerint, firmum ac ratum habere. Obsignaverant has literas in rei majorem fidem regni senatores, & Episcopi *Botulferus* Stavangriensis, *Halduarderus* Ansloensis, *Magnus* Hammerensis, pręter *Omundum* Findsonium, *Nervam*, *Jugwaldum* equites, aliosque ex nobilitate: datę vero fuerant Bahusię die Veneris post festum divi *Canuti*. Eodem circiter tempore idem *Haquinus*, *Suenoni* Basso aquâ atque igni interdicto, non eum modo sed & omnes, qui eum hospitio exciperent, extorres pronunciavit, licet causam interdicti apud chronologos non inveniam. Servatur in archivis Hardervicenę civitatis li-

Valdemarus III. Rex. *A. C.*

terarum, insuper *Haquini* regis hoc ipso anno datarum apographum, quibus Hansicę similiter societatis urbes in suum se recipere favorem postliminio profitetur, sopitis atque amotis, quę eousque tenuerant, dissidiis ac remoris. Conceditque ut liberè ac more consueto oras ac portus sui regni adeant ac frequentent, commerciaque invicem exerceant, soluto ubivis, quod debeatur, teloneo. In his memorantur civitates etiam nonnullę Austrini sinus. Quarum ad Gelriam ac Transisulanos spectantes recensentur Zutphania, Hardervicum, Elburgum, Daventria & Campi: Hollandiæ Dordracum, Amstelodamum, Enchusa, Wiringa, Briela: Zelandiæ Ziriczea, Middelburgum, Armuda: Frisiæ, præter ceteras, Hindelopa. Delegati harum qui omnium nomine præsentes fuère, nominantur viri spectatissimi *Everardus* Bosen proconsul Campensis & *Iohannes* Menardus Consul Amstelodamæus.

Rex interim Valdemarus peregrè agens, præter alia, apud Cæsarem demonstrando, quàm sæpenumero ex suis subditis perplures, qui rebus novis studerent, modò Holsatos modò Vandalos aliosque in se, & olim etiam in parentem suum laudatæ memoriæ *Christophorum*, concitassent, ab ejus idcircò majestate impetratum volebat, ut eos publicâ imperii authoritate ac proscriptione notaret, sperans scilicet hoc pacto obtentâ exinde Imperatoris executione ac ope, seditiosos se dicto audientes redditurum. Literæ, quas eum in finem conscriptas ab Imperatore Carolo IV accepit, directę fuerunt ad *Fredericum* Balthasarem & *Wilhelmum* marchiones Misniæ avunculos Cęsaris dilectos, tum & *Bugislaum* Stetini Ducem, affinem ejusdem, ut & *Adolphum* Holsatię Comitem, ipsius & regni principes clientesque. His significabat Cęsar, potentissimum ac serenissimum Valdemarum Danię Regem, fratrem suum dilectum exposuisse sibi tam intra quam extra regnum ejus agere, qui licet sacramento ac jure clientelę obstricti ipsi essent, tamen vero ac legitimo suo domino immorigeros ac perjuros bella ac seditiones machinari: idque cum esse sibi cordi ac curę debeat, velitque succursum fratri suo dilecto, eos authoritate Cæsareâ monitos habere, ut Valdemaro jam dicto ejusque procuratoribus, ubicunque daretur adesse, eumq; atque illos juvare ac promovere non desinant. Et quos esse ex regiis clientibus reos ac sontes deprehendant, in eos jure aut proscriptione sua imperiali agant. Pontifici vero Romano *Gregorio* XI non ipse coram, sed misso ad eum ex senatoribus viro nobili, cui *Iohanni* Rud nomen fuit, variis cum muneribus, inter quę fuisse Falcones reperio, equosque tolutarios, qui Tioldones sive gradarii vulgò dicti, pellesque pretiosas, deferri per eum causam suam curavit, obnixè à summo Pontifice petens, ut sanctitas ejus compescere anathemate seditiosam nobilitatem ac subditos regni sui vellet. Verum excusabat se Pontifex, datis vicissim ad eum per eundem Rudium literis, quibus subinnuebat haud fieri id commodè posse, nisi alterâ etiam parte auditâ. Eâdem in epistolâ Pontifex, ut singularem suum erga Regem affectum declararet, eum monebat, se certâ signaturâ (contra signum vulgo vocant) usurum, si quando serio quid à rege impetratum vellet, eamque nunc mittere, ac petere ut idem rex faciat, quo de voluntate ejus supremâ certo sibi constare posset. Agebatur quoq; iisdem in literis de *Vrbani* V apotheosi sive canonizatione, seq; de eo Regem certiorem redditurũ significabat, ut, quem vivum religiosè observâsset, etiã defuncto extremum hoc officium vel ipse vel per legatos præstare in tempore posset. Verum regni nobiles, prę sertim regi adversitantes, his acceptis similiter ad Imperatorem Pontificemq; Romanum delegatos misère, qui, suscepta dominorum suorum defensione, de vi ac violentia regis deque immunitatibus ac jure suo, quod imminuisset, Pontificem atque Imperatorem edocebant. Motusque istis Pontifex literas per eosdem deproperat, quibus Regem modestię commonefaciens eum à vi & irâ ad moderationem revocare studebat, &, nisi parère locumque dare melioribus consiliis vellet, anathema & excommunicationem minitabatur. Eâque occasione respondisse in hæc verba pontifici memoratur:

" *Valdemarus Rex &c. Romano Pontifici salutem; vitam habemus à Deo, regnum ab*
" *incolis, divitias à parentibus, fidem verò à tuis prædecessoribus, quam si nobis*
" *non faves, remittimus per præsentes. vale.*

Unde admodum etiam naturâ fuisse irritabilem liquere potest, neque ęstimasse magnopere tradita à Pontificibus Romanis sacra deserere potius, quam animo non obsequi, nisi eum, prę ter alia, publicus etiam pudor inhibuisset. Sed & prę ter istud Romanorum Pontificum minus fuisse reverentem verisimile hinc est, utpote qui in aulâ Imperatoris *Ludovici* Bavari, ut est superius indicatum, à teneris educatus, illud in eam sedem, quæ ut perpetui

perpetuò isti Imperatori negotium facessiit, ità ille vicissim eam, dum vixit, exagitavit, odium jam olim conceperit. Et referunt, Romanum Pontificem, accepto hoc regis rescripto, respondisse, cum allusione ad ejusdem nomen, *valde id esse amarum* dictitando.

Eàdem propemodum tempestate evulgari Scotorum Rex *David*, adminiculante Norvagiæ Rege *Haquino*, diploma curavit, quo omnibus ac singulis regni sui incolis seriò ac severè, idque sub capitis pœnâ mandavit, ne quis Orcadum insulas, nisi negotiationis causâ, frequentarent, quod scilicet per eos dies adeò infestarentur eæ insulæ Scotorum piraticâ, ut pœne pessundatæ & veluti solitudo prædonibus tantum atque harpiis ejusmodi paterent. Proximo hinc anno cum domum jam rediisset Valdemarus, quæ pa- MCCCLXXI. cta conventaque inter delegatos ejus ac urbes maritimas Stralesundæ superius memoravimus, ea sigillo suo majori, quomodo stipulati fuerant, obsignata ipsis tradidit; Indulsit præterea & alias per idem tempus civitatibus immunitates in terra Scaniâ; Quarum omnium nomine andapocales literæ ab iisdem datæ, quibus profitebantur se acceptis atque usurpatis per annos quindecim, quorum initium esset anni MCCCLXX dies post ascensionem Domini, territoriis Helsingburgensi, Malmogiensi, Schanorâ, Falsterboâ cum adjacentibus, quod ad partes duas, relictâ regi ac regno parte tertia, se inquam ea omnia post elapsos annos illos quindecim regi regnoque, aut qui regis tum nomine præsideret, sarta tectaque reddituros. Subscripserant his rataque ea fore sanctè polliciti urbium dictarum deputati unà cum iis qui Stralesundæ tractationi interfuerant aliisque regni Daniæ senatoribus. Similes literæ confectæ à Revaliensibus, Elbingensibus, Tornensibus, Dantiscanis, Coningsbergensibus, Brunsbergensibus aliisque districtus Prutenici. Et præter eas omnium in universum nomine datæ regi ejusdem exempli aliæ, quibus comprehensæ etiam fuêre, quæ ad sinum Austrini maris inque Hollandia Zelandiaque sitæ urbes, Campi, Daventria, Ultrajectum, Zwolla, Hasseltum, Groninga, Ziriczea, Briela, Middelburgum, Armuda, Harderwicum, Zutphania, Elburgum, Stavera, Dordracum, Amsterodamum. Signatæ omnes eodem hoc anno millesimo trecentesimo septuagesimo primo Stralesundæ sub vesperam Simonis & Judæ. Quo eodem propemodum tempore Rex Norvagiæ *Haquinus* collecto, quam maximè potuit, milite, cui & suum addidisse Valdemarus putatur, in Sueciam movit. Ibique auctis indies, quas adduxerat copiis, tam validus illi ac numerosus, accedente etiam Aboensi episcopo, excrevit exercitus, ut ipsam qua parens tenebatur, Stocholmiensem arcem atque urbem obsidione quàm arctissimâ non tantum circumcinxerit, sed & munimentum ex adverso objecerit, quod in rupe proximâ versus Boream positum, Coningsbergam vulgo vocitabant. Tandemque res eò deducta, ut *Magnus*, solutis duodecim mille argenti marcis Coloniensibus, ac traditis ex nobilitate Norvagicâ vadibus sexaginta, qui fidejuberent, donec summa esset expuncta, è carcere dimitteretur, cederetque præterea *Alberto* totum Sueciæ regnum immune ac liberum, cumque omni, quod sibi ullo tempore in Scanos vindicasset, jure. Videbatur enim *Albertus* ei adhuc ditioni postliminio imminere, præsertim cum se etiam tum Sueciæ Gothorumque Regem ac Scaniæ Dominum ferret. *Magnus* interim ad vitam retineret diœcesin Scharensem, absque tamen nobilibus ceteràque servitute atque obsequiis, quæ ad Regem *Albertum* spectarent. Eodem vel insequenti hinc anno Marchio MCCCLXXII. Brandeburgicus *Otho*, interponente se Duce Bavariæ *Stephano* ejusque filiis, bonorum sive pecuniarum, quas per manus injectionem, nomine regis Valdemari detineri Odersbergæ curaverat, suspensionem sive arrestum, ut vocant, remisit. Estque lis ea omnis in *Fredericum* Misniæ Marchionem translata, ut is de toto negotio pronunciando ostenderet an eæ pecuniæ sive bona publicata inque fisci jus redacta essent nec ne. Proximo mox anno, qui fuit millesimus trecentesimus septuagesimus tertius, obiit Romæ circa x. Cal. Augusti MCCCLXXIII. *Brigitta* Suedica. Cujus exinde ossa translata in cœnobium natalis soli Wastense, ac ipsa postmodum, habitâ solenniter ab *Urbano* VI Pontifice Romano apotheosi, inter divas relata est. Alii obitum ipsius in annum præcedentem rejiciunt, & ejus præcipue suasu hortatuque rediisse Avenione Romam *Gregorium* XI volunt, idque opinione ac famâ, quæ de eâ vulgo spargebatur, sanctitatis. Volaterranus octo eam liberos ac omnes sanctos habuisse memorat, mares quatuor ac totidem fœminas; addens, viduam factam Romà Hierosolymam esse profectam, ac mox reversam, datis ad *Gregorium* Pontificem literis, eum monuisse; Dei hanc esse voluntatem, ut Romam rediret; Nec cunctatum exinde Pontificem quin iter quantocyus accelerarit. Valdemarus vero anno insequenti facto in Fri- MCCCLXXIV. siam, quam minorem vocari alibi diximus, Danici juris districtum, procinctu, imperatoque

Valdemarus III. Rex. *A. C.* MCCCLXXV.

quæcunque haberent, privilegiorum atque immunitatum documentis, quod nimirum annis totis quatuordecim, quas debuerant collationes, nullas solvissent. Interjecto hinc tempore apud Norvagos Rex *Magnus*, quem e custodiâ Stocholmiensi magnâ pecuniâ redemptum modo meminimus, forte fortuna dum fretum, *Blomsiord* dictum, juxta Lingholmum, navigio transmittit, eodem submersus interiit, vitâ in eum modum, quam agere jam multos annos probrose cœperat, cum probro finitâ. Qui eum excepit annus, cum pestilentiâ ac fame gravis haberetur, tum & piscationes aliaque commercia viderentur deficere, moti indigenæ, qui Salingsysselam inhabitabant, ab ecclesiasticis etiam sine dubio persuasi, causam ejus in iram numinis conjecere, quod scilicet clerum debito honore ac jure haud affecissent; eum itaque omnesque ecclesiæ operantes se reverenter habituros, & quod jure ac more majorum ipsis deberetur, omni officio ac devotione reddituros, confectis eâ de re codicillis, sanctè promiserunt. Sub idem fere tempus Carolus IV Imperator cupidine videndi ea loca, quæ olim incoluissent antiqui Vandaliæ populi ipso die undecim millium virginum Lubecam venit, cum ingenti Ducum ac procerum comitatu: nam eum præter conjugem reginam *Elizabetham* secutos reperio Archiepiscopum Coloniensem, Megapolensem & Luneburgensem Duces; tum & Marchiones Brandeburgensem, Misniensem ac Moraviæ; exceptis Holsatiæ Comitibus aliarumque ditionum Baronibus ordinisque equestris viris nobilibus aliisque propemodum absque numero. Imperator à Lubecensibus maximâ honoris significatione, nec minore apparatuum epularumque sumptuoso impendio honestatus ærarium eorum haud leviter exhausit. Referunt ista ad annum insequentem incerti authoris Chronica Slavica, in quibus hæc legas: *Eodem* MCCCLXXVI *anno Imperator Carolus IV die* XI *millium virginum intravit cum co*[illegible]*thora*[illegible] *sua imperatrice civitatem Lubecensem cum magna comitativa principum, cum Archiepiscopo Colonien*[illegible]*, Duce Megapolensi, Duce Luneburgensi, Marchione Brandeburgensi, Wilhelmo Marchione Misnen*[illegible] *Io*[illegible]*o Marchione Moraviæ, Comitibus Holsatiæ ac pluribus aliis Baronibus, militibus & militatibus*, [illegible] *maximâ solemnitate receptus est, & mansit ibi per decem dies, & hospitium cepit in domo angula*[illegible] *beati Iohannis, quæ est dominorum de Dartzou dictorum, & deducti sunt ibi dies illi in lætitiâ mag*[illegible] *& solemnitate mirabili.* Alii anno, ut posuimus, præcedenti adscribunt.

Inter quę Valdemarus adversâ valetudine conflictatus, die, qui Crispino sacer est, mense anni, quem superius posuimus, decimo, in arce, cujus adhuc prope Hellingora in Zelandiâ rudera ostenduntur, Gurrea dicta, rebus humanis excessit, postquam imperio præfuisset annos triginta quatuor & quod excurrit, sumto initio ab eo tempore, quo ex aulâ Cæsareâ domum est reversus, annum circiter MCCCXL. Statim in regnum regressus tentari doloribus podagricis cœpit, estque variis in id malum usus remediis & maximè puteis aquæ frigidæ aliisque, cujusmodi sæpenumero magis irritabatur quam lenimentum acciperet ægritudo. Volunt nonnulli, cum jam extremum ægrotaret, usum operâ medici, qui postquam propinasset alexipharmacum videretque prolectum sudorem, & ipsum & cæteros sospitatem regi ominantes excedere omnes conclavi ac regem capere quietem mandasse; sed cum sudorem mortis prænuncium fuisse declaratum eventu: nam ubi rediissent, regem exspirasse & vitæ fabulam complesse, deprehensum. Verum hoc errore aut lapsu memoriæ Valdemaro huic ultimo, quod primo debetur, tributum existimo. De primo enim *Valdemaro*, cui *Magno* cognomentum fuit, verum id esse, teste Grammatico Saxone, qui tum adhuc superstes egit, in rebus illius retulimus. Fuit verò, de quo jam diximus, Rex ejus nominis tertius Valdemarus vir in omni virtutum genere eximius, & à Deo Opt. Max. unice quasi excitatus, qui dissipatos tamque varie distractos regni artus in unum recolligeret: Quique tot undique difficultatibus domi militiæque sæpenumero irretitus plura semper consilio quam vi peregit, quod sibi olim inter præcipua elogia apud maximum authorum Tacitum *Tiberius* adscripsit. Tradunt alii tenacem & ad severitatem ingenio propensum fuisse, ideoque *durum* & *malum* sive *improbum* cognominatum: sed incidere tempora, & ea fuisse, quibus vixit, ut vitia virtutibus mixta requirantur, fatendum vicissim. Coluisse familiaritatem cum Rugianâ quâpiam *Tovilla* nomine, & liberos quoque ex eâ tulisse memorant: atque ob id vilipendisse *Hedevigam* reginam, utpote quam impudicitiæ postremo etiam insimulatam custodiæ mandârit, quemadmodum à nobis jam ante est memoratum. Obiit ea (*Hedevigam* dico) ante excessum ipsius, condita in cœmiterio Seburgensi, ubi aliquandiu super tumulo ejus lignum quadratum in modum saxi sepulchralis conspectum fuisse tradunt, incisam gerens reginæ effigiem capite coronam gestantis, cum stolâ ad pedes dimissâ; ut erat eorum temporum, præ quam hodie

die, memorabilis ſimplicitas. Breviter, in Valdemaro, præter egregias undiquaque dotes, quæ induſtriam, vigilantiam, atque animi ejus adverſus tot incidentes caſus invictum robur declararunt, etiam vitia hæſiſſe, nec quicquam ab omni parte beatum perfectumque dari concedendum habemus. Funeris ſolemnia Vordingburgi primum celebrata, poſtea volente filiâ reginâ *Margaretâ*, tranſlatum id in ædem cœnobii Sorani, ubi hodieque Latinum Epicedium, brevem vitæ ac rerum ejus indiculum complectens, ejuſmodi eſt legere:

VALDEMARUS III. Rex. A. C.

Valdemarus regum non ultima gloria Danûm,
Quem tenet exſtinctum conſtructa ex marmore tumba,
Ejectus regno, magnâ virtute regreſſum
Obtinuit, pulſo forti de finibus hoſte
Holſato, patrias arces terramque redemit
Expoſitam precio. ſenſerunt Principis arma
Invicti, gentes ponto terrâque diremptæ,
Vandalicæque urbes, opibus faſtuque ſuperbæ
O nimium! Tandem vitæ pertæſus obivit
Gurræ, tranſlatum recubat poſt funera corpus
Hoc tumulo Soræ, ſed mens petit ardua cæli:
Fama ſolo remanet ſtudiis celebranda nepotum.

OLAVUS eius nominis V.
REX LXXXVIII.

VALDEMARO vitâ functo, cum proceres frequentes Othoniæ apud Fionios præſto eſſent, una cum *Henningo* Podebuſchio, equite ac regni Satrapâ, ut de novo creando rege in mediũ conſuleretur, non omnium una de eo ſententia fuit. Alii enim Olavum nominarunt *Haquini* Norvagiæ regis & *Margaretæ* filium, utpote, qui matris aſpectu non modo regni proximus eſſet, ſed qui aliquando etiam utraque Daniæ ac Norvagiæ ſceptra hæredii ac ſucceſſionis jure conjungere atque unire feliciter poſſet. Alii aliter & ſeorſim ſtatuerunt. Videbantur enim eo nonnulli ire, ut è medio nobilitatis, quique natus intra regnum eſſet, cum regum proſapia, quod ad maſculam prolem, jam defeciſſet, rebus admoveretur:. nec decore ſatis exiſtimabant Daniæ regnum, quod jure electionis Regem ſumebat, quodque per ſe Regi ſuſtentando ſufficeret, Norvagiæ ſubmitti, regno non libero, aut ſuæ poteſtatis, ſed hæreditario. Nec deerant, qui aſſerebant *Albertum* Megapolenſem, junioris *Henrici* Ducis ex ſorore *Margaretæ Ingeburgâ* filium, non minus quam Olavum ad regni ſucceſſionem pertinere. His talibusque altercationibus finita tum Comitia, neque in iis magnopere quidquam peractum, niſi quod inter cætera, *Ceciliæ*, viri nobilis *Petri* Vidi relictæ viduæ, Magaarda aliæque poſſeſſiones, quas ei *Valdemarus* præter æquum ademiſſe credebatur, reſtitutæ, ne ſcilicet *Ceciliæ* nomine anima *Valdemari* (ita adjicitur) ullo aut cruciatu aut pœnâ afficeretur. Poſtremò tamen ſingulorum de regis electione ſententiis propius ad animum revocatis, Cimbricæ Cherſoneſi, quæ Jutia appellatur, populus nobilitasque eo præcipuè abierunt, ut eligendum unanimi conſenſu principem Olavum, *Haquini* regis filium, cuncti judicarint. Idque ubi allatum ad Scanienſes eſſet, haud quaquam illi ab eorum ſententiâ ſibi diſcedendum putarunt, ſed in eam, univerſi pedibus euntes, miſſis ad eos literis, ſuum quoque animum ac vota conſentientia declararunt: Earum literarum exemplum, cujuſmodi ad manus noſtras devenit, formâ ac phraſi ſervatis, adjiciendum hoc loco putavi:

Nicolaus, Dei gratia Archiepiſcopus Lundenſis, Sueciæ primas, totumque Capitulum Lundenſe, Abbas Monaſterii omnium ſanctorum prope Lundis, Prior Dalbyenſis, Thuo Gallen, Hollingerus Gregoriſſon, Andreas Jacobſon Lunge, & Petrus Nielſon de Blekingiâ, milites! Torchillus Nickelſon, Henricus Joſepſon, capitaneus caſtri Lindholm, Boſſe Pariis, capitaneus caſtri Warbierg, & Petrus Brock armigeri, reverendis in Chriſto Patribus ac Dominis, Dominis Epiſcopis, militibus militaribus & armigeris civitatenſibus totique communitati terræ Jutiæ ſalutem in Domino charitativam. Innotuit nobis per Dominum Jacobum Oluffſon militem, quod vos unanimiter & concorditer decreviſtis & intenditis domicellum Olavum, filium illuſtris Regis domini Haquini in noſtrum principem

omnia inter regni indigenas sopiantur. Nemo in vincula conjiciatur nisi ipso in facto deprehensus aut legibus convictus. Regis *Valdemari* (cujus anima Deo gaudeat) statuta ac leges inviolatæ serventur, exceptis si quæ forte privilegiis aliis aut novis decretis sint emendata. Agricolæ non teneantur reparare regia prædia, molendina aut arces, nisi regio senatu adsentiente. Novis oneribus nuper impositis, ut decimarum tributo, aliisque coloni, qui propria habent latifundia, non graventur, dum interea quod Regi debetur, persolvant. Nemo ullam ob causam bonis aut latifundiis suis excidat, nisi de crimine læsæ majestatis deque armis in patriam sumtis convictus. Negotiatores civesque intra Daniam habitantes commerciis suis utantur fruanturque absque teloneo & onere, nisi à Rege idque optimatum consensu, ac re exigente, statutum aliter fuerit. Comitia more majorum celebrentur quotannis sub diem S. Iohannis Baptistæ. Nemo extra ditionem, in quâ agit, in jus vocetur. Nemo potentiorum, cujuscunque is status fuerit, ulli ex laicis aut clero se minori comminetur; qui faxit, is Regi, si in laicum deliquerit; aut Episcopo, si ex clero cuiquam sint minæ intentatæ, mulctam pendat.

His Olavus Rex aliisque immunitatibus ac statutis, quæcunque unquam Daniæ Reges ejusque prædecessores civibus aut clero concessissent, se subscribere professus est: idemque & nomine ipsius Rex Norvagiæ *Haquinus*, *Margaretaque* Regina, parentes ejus, publice sunt attestati pollicitique. Subscripserant insuper sigillaque sua adjecerant reverendi viri *Nicolaus* Archiepiscopus Lundensis ac Sueciæ primas, *Nicolaus* Ripensis, *Olaus* Arhusiensis, *Nicolaus* Roschildensis, *Iacobus* Wiburgensis, *Sueno* Borglumensis, *Valdemarus* Podebuschius Othoniensis, Episcopi; itemque *Hemingus* Podebuschius regni satrapa, *Everardus* Moltekenus Mareschalcus, *Thuo* Gallen Ghilker, *Petrus* Munckius, *Petrus* Grubbe, *Christiernus* Vendelbous, *Iohannes* Andreæ, *Iohannes* Nicolai, *Andreas* Uffonis, *Iacobus* Olai, *Olaus* Biornonis, *Andreas* Jacobi equites; nec non *Conradus* Moltekenus, *Ericus* Horingholmius, *Torbernus* Nicolai, & *Andreas* Suanholmius, armigeri. Acta hæc Slagosæ die & anno supra indicatis. Eodem circiter tempore Regibus Daniæ *Olavo*; Norvagiæ ac Sueciæ *Haquino* Reginæque *Margaretæ* Stetini Pomeraniæque Dux *Bugislavus*, Rugiç Princeps, pollicitus est, quascunque haberet vires, ipsis subsidio venturas, quandocunque postularentur, nec sibi negotii quicquam cum iis, qui Daniç Regi adversarentur, fore: Promisit prçterea addixitque se quamcunque ex jure clientelç, ob Rugiç insulç principatum, quam ut prçfecturam à Daniç regno acceperat, operam atque obedientiam Regi debebat, eam omnem promptè ac fideliter præstiturum. His Aleholmiæ datis subscripserant præter *Iohannem* Comitem Gudskoviæ, equites armigerique aliquot: Idem quoque haud multò post Roschildiæ polliciti Dux *Wartislaus* fratresque ac nepotes Ducis *Bugislai*, *Barnimi* Ducis filii: eâ tamen lege, ut si copiæ ipsorum in Daniam transfretarentur, id Regis impendio fieret: si vero Daniæ ac Norvagiæ Regum auxilia Ducibus in Germaniam subsidio accederent, sumptibus Ducum sustentarentur.

Quæ dum ibi aguntur, bello se adversus Danos accingere videbatur Dux Megapolensium *Albertus* senior, quod persuasum haberet nepotem suum Ducem *Albertum*, *Henrici* Ducis atque *Ingeburgæ*, quæ soror erat Reginæ *Margaretæ*, filium, non minus quam Olavum ad Daniæ regni successionem quam proximè pertinere, cum uterque in pari propinquitatis gradu consisteret, & *Albertus* insuper ex filiâ *Valdemari* natu, quam erat *Margareta*, majori progenitus esset. Itaque milite ac classe paratâ in oras Daniæ procinctum movere cœpit; nec omiserat monere *Albertum* filium, Succorum Regem, ut suppetias accederet, haud perpendens secum Regem Olavum magis electionem, & quod ad regnum, consentientibus procerum suffragiis, esset vocatus, quàm quod natus ad idem foret, obtendere. Moxque in altum progressus *Albertus*, cum ortâ undique fœdâ tempestate maxima detrimenta classis milesque incurrissent, versis velis, omittere tandem expeditionem instituit. Causa verò, utriusque partis assensu, arbitris permissa; Hi de ea in hunc fere modum pronunciarunt; ut scilicet Princeps Olavus ejusque mater Regina *Margareta* jure suo intra Daniam fruerentur; & *Albertus* quoque *Henrici* Megapolensium Ducis filius, similiter suo uteretur, hærediaque omnia ac prædia, arces territoriaque avi sui *Valdemari*, quæ intra Daniæ districtum collocata ad ipsum jure hæreditatis serenissimus princeps Misniæ Marchio *Fredericus* spectare judicaturus erat, in solidū acciperet: Dani interim omnesq; Daniæ incolæ liberâ suâ electione

OLAVUS V. Rex. *A. C.* ac prærogativis gauderent: Electioque in Olavum facta Duci *Alberto* in præjudicium aut damnum haud cederet, jus nihilominus titulusque ad eundem Olavum delata, firma immotaque haberentur. Quibus transactis obiit haud multò post uterq; Ducum *Albertus* nepos avusque: atque ita liticula ea controversiaque omnis finem habuit.

Circa idem fere tempus *Margareta* Regina hierothecam auro gemmisque ornatam donarii vice inferri Ecclesiæ Lundensi curavit. Vandalicæque urbes, quam cum Rege *Valdemaro* pacem pactaque super Scaniæ districtu in annos quindecim jam ante inierant, ea omnia firma rataque se habere etiam Regi Olavo declararunt: civitates quoq; ad sinum Austrini maris sitæ Campi, Daventria, Zwolla, Hardervicum, Amstelodamum, datis de eodem ad Olavum Regem codicillis, anno sequenti, qui fuit millesimus trecentesimus se-MCCCLXXVII. ptuagesimus septimus, idem testatæ professæq; fuerunt, cum antea scilicet, anno superiorem antecedente, ipse Rex Olavus, datis Corsoræ codicillis omnibus Vandaliæ Prussiæq; urbibus, ut & Coloniæ Agrippinæ ac sinus Austrini Zelandiæque civitatibus (quas inter nominatim recensentur *Campi, Daventria, Vltrajectum Zwollo, Hasselunna, Groninga, Ztriczea, Briela, Middelburgum, Arremuda, Hardervicum, Zutphania, Elburgum, Stavera, Dordracum, Amstelodamum* ac cæteræ iisdem fœdere ac sacramento obstrictæ) vetera jura omniaque ab avo *Valdemaro* laudatæ memoriæ, concessa privilegia se renovasse ac stabiliisse esset protestatus, appenso literis iisdem regio suo sigillo, ac testibus adhibitis, qui idem firmarunt, *Henrico* Podebuschio regio ac regni satrapa, *Nicolao* Archiepiscopo Lundensi, *Nicolao* præsule Roschildensi regis ac Regni Cancellario, *Iohanne* Ripensi, *Olao* Arhusiensi, *Iacobo* Wiburgensi Episcopis; ut & *Everardo* Molteke, regis ac regni Mareschallo, aliisque equestris ordinis ac nobilitate primariâ illustribus viris. Hinc, octiduum circiter post diem divo Johanni Baptistæ sacrum, habita Neoburgi procerum Comitia, præsentibus, præter Regem Reginamque *Margaretam, Nicolao* Archiepiscopo Lundensi, *Iohanne* Ripensi, *Iacobo* Viburgensi, *Olao* Arhusiensi, *Nicolao* Roschildensi, *Suenone* Burglaviensi, *Valdemaro* Othoniensi Episcopis, *Henningo* Podebusck aulæ magistro, *Everardo* Molteke dapifero, *Thuone* Gallen, præfecto Scaniæ, *Petro* Munck aliisque ex ordine equestri ac nobilitate perpluribus, inter quos, præter cæteros, nominantur *Bojocalus* Hœgus, *Christiernus* Vendelbous, *Christiernus* Kaas, *Nicolaus* Lycke, *Erlandus* Vitellius Kalff, *Petrus* Grubbe, *Odulphus* Lunge, *Bojocalus* Diure, *Iohannes* Staverskou, *Nicolaus* Sture, *Iohannes* à Belderinge equites: *Iohannes* Rud, *Ivarus* Lycke, *Iohannes* Glob, *Petrus* Glob, *Andreas* Glob, *Timæus* Limbeck, *Christianus* Kaas, *Eschillus* Frost, *Lago* Duss, *Iohannes* Friis, *Nicolaus* Erici ab Avensberg, *Petrus* Huass, *Nicolaus* Slet, *Conradus* Molteke, *Petrus* Basse, *Ericus* Pilemund, *Nicolaus* Hack, *Nicolaus* Gagge, *Besso* Pariis, *Ericus* Geed, *Petrus* à Scioldeness, *Iosephus* Falster, *Rickmannus* Lanchoven, *Oggo* Star, *Petrus* Axilli dictus *Rebbingius*, armigeri. Hoc conventu Rex Reginaque mater non modò se legum atque immunitatum regni defensores fore professi sunt, sed & nobilitatem totumque equestrem ordinem ad idem profitendum adegêre, polliciti que universi fuêre, se & tutaturos eas & viribus quoque totis adversaturos, si qui infringere easdem tentarent. Mox publico instrumento hoc ipsum conceptum omniumque subscriptione ac sigillis communitum signatumque. Eodem quoque tempore Rex Olavus Lundensi Archiepiscopo *Nicolao* quartam signatæ ibidem monetæ partem, quomodo & olim obtinuerat, reddendam adjudicavit, testibus, præter cæteros, *Nicolao* Thurseno Drage, *Thuone* Gallen Gilkere, *Andrea* Pep, equitibus, nec non *Eschillo* Brock, *Iacobo* Axillo, aliisque armigeris. Proximus, qui superiorem excepit annus insignis MCCCLXXVIII fuit obitu Romani Pontificis *Gregorii XI.* Miserat is paucis antequam excederet diebus ad Scaniæ Archiepiscopum literas, severè eum ac seriò commonefaciens adhortansque ut anathemate feriret, sive ii nobiles sive plebei essent, quicunque bona Ecclesiasticis eriperent aut sacra etiam loca prophanarent: Idque eâ præcipue occasione ab eo factum, quod Scaniæ nobilitas bellis assiduis exercita ferocior jam esset, & tota in raptus atque avaritiam ferri videretur. Si quid ea è reditibus Ecclesiæ Lundensis ad se pertinere judicabat, id non jure aut legibus, sed vi sibi ipsi adquirebat, haud aliam litis disceptandæ rationem præstolandam existimans. Inter Reginam tum quoque *Margaretam*, quæ Lindeholmiæ, nunc vastatæ ac desertæ, ut plurimum agere erat solita, canonicosque Lundenses controversum nonnihil intercedebat, quod ejus scilicet præfecti emungendis colonis qui ad Lundense Capitulum Ecclesiamque spectabant, incumberent, eisque graves essent; sed hoc quicquid erat, anno sequenti amice compositum, promisitque Regina se ordini ipsorum imposterum propitiorem fore, neq; commissuram

ut præter

ut præter fas aut æquum gravarentur diœceseos ejusdem homines. Vitam hoc anno Pragę finiit *Carolus* Imperaror author conditorque bullæ quam auream vocant. Comprehendit hæc leges ritusque servandos in electione Imperatoris. Quod operum ejus præcipuum ac laudatissimum fuit. Hac enim constitutione nixa erexit se postliminio ac communivit majestas imperii, dum ea contentionum ac dissensionum in electione occasiones tolleret, & principes atque Imperatorem ad eum modum inter se uniret, ut in reipublicæ, patriæ, Imperatoris vicinorumque detrimentum aut perniciem nemini movere molirive quicquam impunè liceret. Idem conjuges plures habuit. Prima, quam duxit, ex domo Regum Galliarum *Valesia Blanca* dicta non modò cognominis, sed & cognata fuit ei *Blancæ*, quam supra Sueonum Regi *Magno* nuptam indicavimus. Ex tertiâ Bulconis Suidnici Ducis filiâ *Annâ*, natus est *Wenceslaus*, qui patri successit, sed patri dissimillimus filius: utpote in quo præter speciem nihil ferè hominis fuerit, quanquam & ea, ut tradunt, distorta deformisque Thersiten potius quam principem referret.

Sequens annus qui fuit millesimus trecentesimus septuagesimus nonus, præter compositam, quæ inter Reginæ *Margaretæ* præfectos & diœcesin Lundensem erat, liticulam, de qua jam injecimus, illud insuper habet, quod in eum obitus inciderit Archiepiscopi Lundensis *Nicolai*. Defunctus enim is in arce Hamershusâ Boringholmiæ insulæ, postridie diei qui Cęciliæ sacer est. Funus Lundam translatum depositumque in æde cathedrali divi Laurentii. Ei præter auctas ampliatasq; diœceseos opes reditusque literarum quoq; amorem tribuunt, quodq; in gratiam posteritatis concinnarit Chronologiam Archiepiscoporum Lundensium, in quâ præter cætera sub præsulum unoquoque tria vel plura (ita titulum loqui intelligo) notabilia haberentur. Successor ei communibus votis datus *Magnus* Fionensis, qui & postmodum Romæ confirmationem obtinuit. Paucis ante mensibus sub Barnabæ circiter festum, quod III est idum Junii, venerunt ad Regem Norvagiæ *Haquinum Gulielmus* Dalhiel, *Mallitius* Sparre & *Alexander* à Rode, missi ab *Henrico* de S. Claro Orcadum Comite, cum reciproca, ut vocant, cautione super insulis Orcadum, quâ se eas, permittente *Haquino*, in formam clientelaris præfecturæ tenere profitebatur. Sed eæ literæ, cum à Comitibus & Baronibus Scoticis, quomodo Malstrandæ condictum fuerat, obsignatæ non essent, accipere eas *Haquinus* renuit. Se idcirco iidem *Henrici* Comitis mandatarii *Gulielmus* Millitius & *Alexander* jam dicti Tonsbergæ substituros, datâ syngraphâ, Regi *Haquino* addixêre, donec allata essent, quibus sibi ex præscripto eorum, quæ Malstrandæ pacta conventaque erant, satisfactum judicaret. Promiserunt præterea iidem numeraturos se ei centum octuaginta semiaureos (nobiles vulgo dictos) qui ratione contractus ex summâ mille semiaureorum ipsi etiamnum debebantur. MCCCLXXIX.

Lundam anno deinde insequenti Româ reversus est Archiepiscopus *Magnus*. Ei se passim Scaniæ nobiles obstrinxêre pollicitique sunt, defensuros se Ecclesias ac pacem cum ipso totâque diœcesi æquam culturos. Referunt ad idem hoc tempus Chronologi pulveris Pyrii æneorumque tormentorum inventionem à *Bartholdo* Nigro proditam, & utraque in bello, quod cum Genuensibus à Venetis hoc anno est gestum, ad fossam Clodiam primitus usurpata. At quatuor integris lustris anterius & bombardarum & pulveris ejusmodi Lubecæ confecti mentionem facit Chronicon Slavicum ab *Erpoldo* Lindeburgico evulgatum, cujus verba ita habent: *anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo consistorium urbis Lubecensis in toto combustum est per negligentiam eorum, qui pulveres pro bombardis parabant.* Qui sanè Chronici Slavici locus, atque inde suggestio illustris ac summi viri Christiani Friis, magni Daniæ Cancellarii, qui admonuit etiam ante id tempus pulveris ac machinæ ejus à Danis usurpatæ mentionem apud authores fieri, me ut propius hoc idem inspicerem, excitavit: Et verò inter primos Munsterus occurrit, qui disertè Cosmographiæ suæ libro III se ab Achille Gassaro, diligentissimo Historico, commonitum refert bombardarum ac pulveris pyrii usum anno Christi MCCCLIV habuisse in mari Balthico Regis Danorum classiarios. Et præter eum Hieronymus quoque Zieglerus in illustrium Germaniæ virorum Historiâ eodem illo anno MCCCLIV machinæ istius fabricam excogitatam refert. ut omittam, quod habet in Chronico suo Aubertus Miræus, Lovanienses biennio post, anno nimirum MCCCLVI, primum bombardis uti cepisse, & triginta duas publico ære tum emtas, ac vulgo **Donderbussen** ab horrendo fragore vocitatas, idque in suis Rerum Lovaniensium libris, quos se MSS. adservare Miræus ait, commemorare ex archivis publicis Divæum. Johannes verò Mariana, quod laudem pro- MCCCLXXXI.

pemodum ac fidem hujus inventi derogare Theutoniæ possit, commemorat, Algizirâ ab Hispanis anno MCCCXLIII obsessâ, cum tormentis tela lapidesque ab Hispanis excuterentur, Mauros ex urbe contra ferreos globos cum igne & fragore pulvereque tormentario fuisse ejaculatos, magno Hispanorum damno. additque tormenti ejus mentionem tunc primum in Historiâ à se observatam. ne addam, quod memorant longinquæ nostrorum aliorumque navigationes, non æmea tantum tormenta conflandi, sed & literas imaginesque, subditis prælo typis, excudendi artificium, vetustissimo jam olim usu, obtinuisse apud Chinenses. Sed à diverticulo in viam.

Eodem deinde anno MCCCLXXX ipsis calendis Mai, è vita migravit Rex Norvagię *Haquinus* relinquens hæreditariam regni possessionem Olavo filio Danię Regi. Et agi continuò cùm Reginâ *Margaretâ* regnique Norvagici proceribus tum cæptum, ut ipsi in gratiam Danorum, qui Olavum ipsorum etiam suasu ad regni Danici diadema promovissent, id vicissim operam darent ut Dania Norvagiaque in perpetuum conjunctę uno sub Rege haberentur: Quod ipsum, Olavo quoque mox defuncto, repetitum multoque illustrius transactum, ubi Sueciam etiam sui juris *Margareta* fecisset, collectis tribus his Boreę regnis unoque sub sceptro ac monarchâ constitutis, ut suo exinde loco dicetur. Sub anni mox finem exundasse pręter solitum oceanum ac magnam vicinę Holsatis Frisię, perruptis passim aggerum objicibus, cladem intulisse annalium monumenta testes sunt.

MCCCLXXXI. Qui secutus est, anni millesimi trecentesimi octuagesimi primi maximam partem apud Norvagos Olavus transegit, dum ibi ingenti cum solemnitate parentis exequias celebrat, & ipse, accepto mox regni diademate, faustis omnium acclamationibus Rex salutatur. Absentibus autem ipso Reginaque *Margaretâ*, dum Scanos identidem lacessit Sueonum Rex *Albertus*, inducias cum eo Archiepiscopus Lundensis aliique eiusdem ditionis pręfecti in annum ac menses tres his propemodum lege ac conditionibus fecère, ut inter Succiæ regnum omnesque qui ab Oresundæ freto ortum versus agunt, æqua ac rata per annum ac trimestre pax esset, utque grassatores, prædones similesque æruscatores & qui pacificatione ista comprehendi nolebant, neque à Suecis neque à Scanis hospitio aut ædibus uspiam exciperentur, sed ut comprehendi inque vincula dari possent omnis utrimque opera navaretur: Commercia similiter libera utrobique forent, liceretque tam clero quam aliis ultro citroque negotia exercere invicemque visere. His subscripserant Sueonum cunctorum nomine *Boocalus* Jonæ regni satrapa, *Steno* Benedictus Mareschalcus, *Porsius* Get, equites; itemque *Henricus* Canpruchius, *Gerardus* Snackenburgius, *Arnoldus* Caronius, aliique armigeri: qui & datâ dextrâ polliciti sunt Archiepiscopo Lundensi *Magno*, nec non *Thuoni* Gallen Gilkere, *Holgero* Gregorii ac *Petro* Nicolai equitibus, ut & *Torchillo* Nicolai, *Axillo* Ketelio, *Trugotto* Hasso, ac *Petro* Munckio armigeris rata hæc firmaque mansura. Meretur his addi quod annotatum apud chronologos repperi, eam hoc tempore annonæ vilitatem fuisse, ut vervex quatuor albis væniret, vacca Schillingis Lubecensibus tribus, ova quindecim nummulo uno; frumenti modius nummis undecim; cerevisiæ tonna Danicis Schillingis quatuor; butyri pondo nummis duobus.

MCCCLXXXII. Anno insequenti amissa sive erepta potius *Thuoni* Gallen Scaniæ præfecto Thystrupsea, castrum haud procul Nesbyholmiâ situm: occubuitque dum illud vi capitur frater ejus uterinus *Petrus* Holgeri. Sed quis author moti belli Suecus, an alius quispiam per seditionem turbas dederit, additum in annalibus non legi. Interim *Albertus* Sueonum Rex ela-
MCCCLXXXIII psis, de quibus memoravimus, induciis, sub annum proximum numeroso cum exercitu in Scaniam movit, oppugnatamq; Lauholmiæ arcem vi cepit. Nec mora, Regina *Margareta* Regisque Olavi Mareschalcus expeditâ cum manu ei in occursum prodière. Verum *Albertus* præstolari adventantes haud ausus, se in Sueciam ac tutum recepit. Apud Norvagos
MCCCLXXXIV sequenti anno Rex Olavus usus consilio senatorum suorum *Iacobi* Bergensium Episcopi, *Arvidi* Vindii satrapæ, *Olavi* Haraldi aliorumque proclamari fecit sanxiitque, ut Finmarkenses & Helgelandii negotia sua commerciaque cum Vagensibus exercerent, Numedalii cum Nidrosiensibus, Romsdalii cum Vedeoensibus, Sundmorii cum Bergensibus, ipsi Bergenses forum Vagensium frequentarent; serioq; inhibuit ne Finmarkenses aut Helgelandii alio, quam indicatum, suas merces bonaque venum deferrent, cum præsertim accepisset Moschos Careleosque, quam cum subditis Norvagiæ coluissent, paci renunciasse. Istis diebus haud quaquam tam ampla negotiatoribus Theutonicis Bergæ fuisse privilegia immunitatesque, cujusmodi postmodum ipsis indulta, inde constare potest, quod anno primum MCCLXXV urbibus Vandalicis negotiandi Bergæ potestas sit

facta

OLAVUS V. Rex. A. C.

facta à Rege *Magno* Calmariæ; eaque ita circumscripta ut ulterius enavigare ipsis haud fas esset: tum & merces emere tantum à civibus, nec morari nisi certo tempore, id est à tertio Mai usque ad XIV Septembris, vulgo S. Crucis festa inventionis atque exaltationis vocant, permittebatur. Si quis ulterius subsistere atque negotiari comperiretur, is civium onera ac collationes quoque tenebatur subire. Eædem Norvagis vicissim in urbibus Vandalicis concessæ prærogativæ: Magni regis diploma ratum postea habuêre ejus filii *Ericus* & *Magnus*.

MCCCLXXXV. In Scaniam deinde cum matre *Margaretâ* regnique proceribus Rex Olavus advenit, sub annum Christi millesimum trecentesimum octuagesimum quintum, ingressusque primò, idque cum animi debitâ devotione, ædem divi Laurentii donaria aliasque oblationes regias in loco deposuit. Inde Scaniæ nobilitatem totiusque ditionis proceres obvios sibi habuit circa Luderfhoyam: atque ibi in pleno omnium conventu æquam se cum omnibus pacem culturum; privilegia atque immunitates habiturum sancta rataque promisit. Scanienses ei vicissim in æde divi Laurentii, die dominicâ post festum S. Urbani, sacramentum frequentes dixêre. Hæc inauguratio ob id præcipue hoc tempore habita, quod anni illi quindecim, quibus Scaniam tenere Theutonicę civitatibus ex pacto erat concessum, jam finem haberent. Eodem tempore firma esse ac rata haberi voluit jura omnia atque immunitates ecclesię ejusdem cathedralis Lundensium, datis eâ de re amplissimis codicillis. Hisce in literis se verum ac legitimum Suecię hæredem profitetur. Similiter & Othonię apud Fionenses urbis & oppidanorum leges & pręrogativas veteres, ut & monasterii fraternitatis Canutianę, promulgato diplomate, communiri ac redintegrari curavit. Et mox Slesvicum profectus ibi quoque stabiliri capituli libertates ac privilegia fecit.

MCCCLXXXVI. Post hęc, cum anno proximo in fata concessisset Dux Slesvicensium *Henricus*, Valdemari quondam Ducis filius, nec liberos ex *Cunigundâ* uxore suâ susceptos haberet, desiit in ipso Ducum illa stirps. Itaque Rex Olavus annuente matre *Margaretâ*, in publicis regni Comitiis Neoburgi sub festum divi Johannis, præsentibus regnorum suorum Episcopis aliquot, quorum Archiepiscopi duo aderant Lundensis *Magnus* & Nidrosiensis *Vinaldus*, ceteri fuêre Episcopus Ripensis *Johannes*, *Sueno* Slesvicensis aliique præsulum ac procerum regni plures; his præsentibus, *Gerhardo*, *Henrici* Ferrei defuncti Holsatiæ Comitis filio, Ducatum eundem detulit, eâ scilicet lege, ut regis ac regni Daniæ beneficium agnosceret: eoque præstito promissaque fide, vexillum illi de manu in manum pro more rex tradidit, ipseque Dux ac regni cliens declaratus est, universis, qui aderant, bonum factum acclamantibus. Fratres interim ejus *Albertus* & *Henricus* Comitum Holsatiæ titulum retinuêre, nec ad Ducum dignitatem tum evecti, quamvis postmodum, cum sibi *Gerardi* penultimi liberi hoc, ut feudum hæreditarium, præter morem majorum apud Danos receptum, vindicare cuperent, quænam tum ortæ difficultates sint, suo memorabitur loco. Iisdem præterea Neoburgensibus Comitiis, Archiepiscopi Lundensis & Nidrosiensis, itemque Episcopus Ripensis *Johannes*, *Sueno* Borglaviensis, *Iacobus* Viburgensis, *Johannes* Slesvicensis una cum præsule Gronlandię *Henrico* Garderensi pluribus ecclesiis cœnobiisque veniales largitiones impertiêre, præsertim si quæ ad ædificationem novorum monasteriorum ecclesiarumque in medium aliquid conferrent: Indixêre & supplicationes pro Danici regni regisque ac reginæ incolumitate, prosperisque successibus. Ipsaque regina *Margareta* liberali indultu arcem Thustrupseæ, quam sibi à *Thuone* Gallen dato pretio, comparaverat, esse diœcesis Lundensis, se defunctâ, in perpetuum voluit; hac additâ cautione, ut, si filio suo regi Olavo è re videretur arcem solo æquari, id penes ipsum staret; lapides interea, tignaq; structuræ totius cæteraq; arci adjacentia ad diœcesin jam dictam in solidum pertinerent. Hanc matris suæ donationem ratam postea habuit rex filius, attestantibus reginæ nomine *Everardo* Molteke, capituli vice *Petro* Valckendorpio, *Nicolao* Corvitio aliisque. Tum quoque Lundensis Archiepiscopus *Magnus* synodalia nonnulla super ceremoniis decreta evulgari curavit: in quibus, præter cętera, hoc statutum, ne quis vicariatus munere fungeretur, aut Choro pręsideret, nisi doctrinę studiis imbutus & moribus quoque ac famâ commendatus.

MCCCLXXXVII. Anno vero proxime subsequente magnâ clade colonorum aliquot affecit præfectus Bydelbachius, qui Byritzholmiam nomine regis gubernabat; & simul mox alios mulctavit præses Stoterflottæ *Henricus* Snackenbergius natione Germanus. Quarum cædium initia an ab agricolis mota, sive quid aliud occasionem prębuerit, chronologi parum li-

Vv iij quido

OLAVUS V. Rex. *A. C.*

quido adjiciunt. Per id quoque tempus in vicinâ Pomerania Anclami, postquam promulgari senatus urbis statuta quędam piscatoribus servanda curasset, piscesque post habitam proclamationem in foro vænum non exponerentur, populares desubito exorti motus; quos ubi compescere senatus studet, occupat curiam incondita civium multitudo; qui, trucidatis senatòribus, novos eorum loco creant, inque verba sua adigunt, accepto ab iis sacramento, ut si quid in contrarium moliretur princeps, se unum acturos. Quod sanè peratrox facinus haud quaquam inultùm habendum *Bugislavus* existimans, convocatâ extemplo cum fratre *Wartislavo* totâ provinciâ, agitabat de urbe obsidione cingendâ. Sed capita factionis, re intellectâ, se clanculum urbe subduxère. Indeque admissus in opidum cum equitibus trecentis princeps novum illum senatum munere suo dimovit, suffecto in ejus locum alio. Ex seditiosis verò, qui supererant, eos, prout meruerant, ignitis forficibus discerpi ac dissecari, alios aliam, pro delicti modo, subire pœnam imperavit; cumque ex consiliariis ejus nonnulli connivendum ad minus nocentes dicerent, ne locus in totum opidanis evacuaretur, respondit, malle se in bufonum cloacam converti civitatem, quàm ut eam nefaria ejusmodi colluvies inhabitaret; deditque porro operam, ut coryphæi, qui effugerant, retracti, se quoque dignum supplicium subirent, expunctique de cœtu opidanorum liberi eorum posterique, ac simul decretum ne ad ulla unquam civilia munera aditus ipsis eorumque prosapiæ pateret.

Coincidit in eundem hunc annum illustrissimi ac serenissimi Olavi regis excessus, defuncti apud Falsterboenses, postquam annos circiter undecim cum matre præfuisset, Prognatus ex omnium, quorum tum memoria habebatur, antiquissimâ, sive paternum sive maternum genus videamus, regum prosapiâ: ultimusque virilis prosapiæ fuit, qui eam gloriam sustineret, cum in ipso ac matre ejus, ut est humanarum omnium rerum periodus, primorum etiam atque aboriginum Daniæ regum familia defecerit. Qui enim sequuti *Ericus* & *Christophorus* ex eâdem quidem familiâ, sed è sorore & nepte *Margaretæ* progeniti fuère: Eos alia mox domus, Oldenburgica nimirum, quæ sceptrum hodieque feliciter tenet, excepit. Viscera Olavi Lundæ in æde divi Laurentii deposita, corpus in Soræ cœnobium translatum atque ibi magnificè funeratum, additis Epicediis, quæ hodieque eodem loci prosâ ac versâ oratione legere est ejusmodi:

OLAVUS illustrissimæ trium regnorum borealium Reginæ MARGARETAE filius, ex HAQUINO Norvagorum Rege genitus, qui primum Norvagiæ regnum jure hæreditario ex morte Patris obtinuit regnante Matre. Cum vero defuncto avo materno VALDEMARO, & Mater in Daniam ob heroicas animi dotes revocata esset ad imperium, præstantissimæ Dominæ Reginæ beneficio, Danorum Rex in adolescentiâ, accepto à proceribus regni juramento, designatur & declaratur: quo facto, ubi GERHARDUM Holsatiæ Comitem ex voluntate & consilio Matris ac procerum regni Ducem regnique Danici vasallum solemni ritu creasset, paulo post immaturâ morte ex hac vitâ evocatus, Hic Soræ inter materni proavi & avi tumbam sepultus est, dignissimæ dominæ matri Reginæ utriusque regni jus & imperium relinquens Anno Domini CIϽ CCC LXXXVII.

DANICA *Norvago genuit me Margaris illa,*
Quæ fuit Haquino tradita connubio.
Et jus Norvagum, sed Danum gratia regem
Signat, ubi fatis cum patre cedit avus.
Sed mihi regna negat mors immatura deinceps,
Norvagia ut Dano pareat imperio.
Ni matris tantâ regnantis laude triumphus
In Suecos toto notior orbe foret.
Inter avum & proavum nunc Soræ corpore condor
OLAVUS, *cæli lumine mente tegor.*

At qui

At qui me ob similes vultus se finxit eundem,
Nutricis ludens arte doloque meæ,
Falsterbodensi cineres commisit arenæ,
Supplicium in ficto corpore ut ignis agat.

ALIUD.

Hoc cubat Olavi parvo sub marmore corpus
Margaridâ regis matre potente sati ;
Hæres regnorum fuerat princepsque duorum:
Hæredem at fecit mors properata poli.

Eosque versus non nisi adulto jam Margaretæ imperio conscriptos inde colligere est, quod de excessu Olavi variatum per id tempus, nec defuisse qui vivere eum fingerent crederentque, undecimus prioris epigrammatis versus injiciat : nam in annum demum *Margaretæ* decimum quintum, id est, à nato Christo MCCCCII, id incurrisse suo inferius referemus loco.

LECTORI.

COMMONSTRATA *est superius pag. 356, idque schemate genealogico, progenies universa* Christophori *ejus nominis primi Danorum regis : Et simul ostensum ibidem ex* Valdemaro III *filio* Christophori II *(qui primi* Christophori *ex* Erico *Glipping nepos fuit) superstites tantum fuisse liberorum eius omnium filias duas* Ingeburgam *&* Margaretam *: Et hanc quidem matrem* Olavi *Daniæ & Norvagiæ regis, cuius iam modò res & brevem vitæ periodum explicuimus : illam vero nuptam Duci Megapolensi* Henrico. *Quorum deinde filius* Albertus, *de quo ad ann. Christ. 1376. superius est indicatum, quonam cognationis iure vel iniuriâ post obitum Regis* Valdemari *ad Daniæ regnum adspirarit, nunc similiter ob oculos ponendum : Et item, mortuâ reginâ* Margareta *eiusque filio rege Olavo sine liberis, quomodo ex nepte eiusdem* Margaretæ, *filiâ* Ingeburgæ *&* Henrici *Megapolensis,* Mariâ *enati exinde sint Reges Daniæ, qui veteris regiæ prosapiæ postremi fuêre,* Ericus *Pomeranus &* Christophorus *Bavarus. de quo utroque post enarratas Reginæ* Margaretæ *res, quàm proximè hinc libris sequentibus dicetur.*

WENCESLAUS IMP.

STEMMA
DUCUM MEGAPOLENSIUM

ab ALBERTO I adusque ALBERTUM III, qui natus est ex INGEBURGA, sorore MARGARETAE Danorum reginæ, ut & MARIA, ex quâ filius ERICUS & nepos CHRISTOPHORUS, Daniæ ex vetustissimâ prosapiâ postremi reges

ALBERTUS I *Dux* MEGAPOLENSIS *obiit an. Ch.* 1380. *Uxor* EUPHEMIA (*cuius proavia magna fuit* RICHESA, *filia regis Daniæ* VALDEMARI *primi*) *filia* MAGNI *Sueciæ ac Norvagiæ regis. Ex hac ei nati*

Magnus, *stemmatis propagator. vide Reusnerum.*	ALBERTUS II *Dux Megapol. Electus Sueciæ Rex post* Magnum *avunculum; à* Margaretâ *Reginâ Daniæ captus unà cum filio* Erico, *liberatus obiit Gadebuschi an. C.* 1394. *sepultus Wittenburgi in Comitatu Suerinensi. liberos tres habuit ex* Richesâ *filia Othonis Comitis Suerini*	Henricus *Dux Megapolensis, ex* Ingeburgâ *filiâ* Valdemari III, *regis Daniæ, sorore* Margaretæ *progenuit*	* N. Ingeburga *aliis, nuptui tradita* Henrico Ferreo *Holsatiæ Comiti. vide Cranziū lib. 9. cap. 32. Saxoniæ, ubi perperā* filia Henrici Megapol. *prò* filia Alberti I Ducis Megap. *legitur, varieq; inde proseminati errores.*	Anna *consors* Adolphi VII *Comitis Holsatiæ & Vagriæ; Crantzius lib. 9. ca. 32. Saxoniæ,* ἄπαις.	Ingeburga *nupta* Ludovico *Romano Electori Brandeburgico.*

Albertus II *ex* Richesâ *filia Othonis Comitis Suerini* : Helenâ *Ducis Brunsvicensis filia.*

Ericum.	Richardum.	Albertū *Megapolensem. in cujus connubio vixit* Margareta *Burggravia Norenburgensis. Ex qua tamen nihil liberorum tulit.*

Henricus *ex* Ingeburgâ *progenuit*:

Mariam, *aliis est* Anna, *uxorem* Vartislavi VII, *Ducis Pomeraniæ.*	Albertum III, *Ducem Megapolensem. obiit* ἄπαις. *Hic est, qui ad regnum adspiravit post obitum* Valdemari III. *Vide supra ad an.* 1376.

Maria:

ERICUS *Pomeranus Rex Daniæ, Norvagiæ & Sueciæ. obiit improlis.*	Catharina, *aliis est* Sophia, *collocata Duci Bavariæ* Johanni *Neoburgico, qui Palatinatum superiorem in Norico possedit, filius* Ruperti *Imp. Ducis Bavariæ.*

CHRISTOPHORUS III *Rex Daniæ. obiit improlis, relictâ viduâ* Dorotheâ *Brandeburgicâ, quam unà cum regno sibi thori sociam assumsit* CHRISTIANUS I, *Oldenburgicus, ex eâ familiâ Daniæ regum primus,* Christophoro *proximè succedens. De quo suo seorsim loco.*

* Hic notandum etiam *Henrico Ferreo*, Holsatiæ Comiti, nuptam filiam Alberti I Ducis Megapolensis. Nam habet Crantzius lib. 9. cap. 32. Saxoniæ : *Duxit Henricus Ferreus Comes Holsatiæ filiam Henrici Ducis Megapolensis; cuius germanam sororem Adolphus itidem Comes in Holsatiâ, sed Vagriam possidens, uxorem accepit. Anna fœminæ nomen, quæ Adolpho nupsit, in sterilitate permansit &c.* Ubi manifeste patet perperam legi in Crantzio, *Henrici Ducis Megapolensis*, pro, *Alberti Ducis Megapolensis*, cum *Adolphus*, Holsatiæ Comes, duxisse germanam sororem memoretur ejus, quam *Henricus Ferreus* duxerat. At verò *Adolphum* VII, Holsatiæ Comitem, duxisse *Alberti* I Ducis Megapolensis filiam ex tabellâ genealogicâ superiori patet; tum ex verbis Crantzii, quæ superiora sequuntur, hisce nimirum : *Utraque soror Alberti fuit, postea regis Sueciæ. Albertum* autem eum, quis nescit filium fuisse *Alberti* I Ducis Megapolensis, quemadmodum in schemate quoque genealogice superius expressimus ?



RERVM DANICARVM HISTORIÆ LIBER IX.

MARGARETA REGINA I.

In ordine Regum LXXXIX.

CUM jam, erepto humanis *Olavo*, Magni Smechi Regis nepote, *Haquini* & Margaretæ filio, defeciſſet apud Suecos Norvagoſque regia virilis ſexus proſapia, eſſetque inſolitum nec apud Danos Norvagosque uſitatum antea fœminarum regimen, Margareta nihilominus, cum ſola ex veteri regum ſtirpe ſupereſſet, & ejus benignitatem ſedatumque regimen Dani jam cognitum haberent, eam regni gubernaculis admovendam proceres populusque curarunt. Erat ei ex filiâ ſororis *Ingeburgæ*, quam nupſiſſe *Henrico* Megapolitano antea meminimus, abnepos *Ericus*, patre *Vartiſlao*, Pomeraniæ Duce, natus, hunc ſibi filii loco habitum, poſtea quoque in regni conſortem adoptavit: ſpemque Danis fecit, ſe ita cum Norvagis acturam, ut & illi, non niſi ſe & ipſis volentibus, regno principem aſſumerent. Nec diu cunctati Scani codicillos ei inaugurales miſêre, in quibus profeſſi ſunt, ſe eam Daniæ Reginam agnoſcere, nec regem absque ejus nutu aſſenſuque electuros. Datæ hæ literæ in eccleſiâ Lundenſi die S. Laurentii præſentibus Archiepiſcopo, Epiſcopis, equitibus Daniæque nobilibus permultis. Hos inter omnium primo recenſetur non *Magnus*, qui tamen Lundenſem Archiepiſcopatum tum tenebat, ſed Nidroſienſis Archiepiſcopus *Vinoldus* & præſul Arhuſiæ *Petrus*; & ab his deinde proxime nominati *Henningus* Podebuſch, regni Daniæ ſatrapa, *Iohannes* Anderſſon, *Benedictus* Byg, *Henricus* Parauv, *Reymerus* Breide, *Folmerus* Jepſſon equites; *Otho* Jenſſon, *Hennekenus* Oluffſſon, *Conradus* Molteke junior, *Iacobus* Mulius, *Stigothus* Petri & *Albertus* Vindius. Similiter & Selandi, habito ditionis ſuæ conventu, tum & publicè Ringſtadii in æde divi Canuti eandem illuſtriſſimam principem Margaretam Dominam ac Reginam ſuam proclamarunt, annuentibus una cum Epiſcopo Roſchildenſi, *Henningo* Podebuſchio regni ſatrapâ, *Iohanne* Trudone Selandiæ ſupremo judice, *Benedicto* Bygio à Gunderſhoffholm, *Iohanne* Rud Vordingburgi præfecto, equitibus Danis, aliisque ex nobilitate; quorum inter cæteros recenſetur *Iohannes* Uffo Finkenovius ab Egede,

MARGARETA Regina *A. C.*

MARGARETA Regina A. C.

ab Egede, itemque *Hardwigus* Bruske. Literarum, quas Fionenses super eâdem electione Latinas & ejus seculi phrasi evulgarunt, hoc exemplum est:

Omnibus præsens scriptum cernentibus Hennekinus Oluffson de Nyborg, Bernekinus Scinckel de Hingsgaffvel, & Henningus Berg de Kirstruppe castrorum Capitanei, Otho Schinckel, rector placiti generalis Fioniæ, Otlio Strangesson de Tange, Thuvo Nickelson, Borquardus Schinckel de Rolstede, & Borquardus Limbeke armigeri, salutem in Domino sempiternam. Universis præsentibus & futuris in verbo veritatis publice protestamur, nos anno Domini MCCCLXXXVII Sabbatho proximo ante diem beatorum Simonis & Judæ Apostolorum, Othoniæ primo in Ecclesia beati Canuti Regis & martyris, deinde in placito generali Fioniæ, præsentes fuisse, vidisse, veraciter audivisse, & infra scripta simul fecisse, sic videntes & audientes, quod in iisdem die, loco & placito hora Placiti consueta ac debita constitui personaliter ecclesiarum secularium & regularium Prælati & specialiter vices Episcopi Othoniensis gerentes milites, militares, Bundones, villani & de villis forensibus nec non communitates terræ Fioniæ prædictæ verumetiam de terris Langelandiæ & Thoslandiæ ac etiam de pluribus regni Daciæ partibus, in multitudine copiosâ unanimi consensu & voce consonanti nullo revera in contrarium dante vocem dominam illustrissimam dominam Margaretam, Norvagiæ & Sueciæ Reginam, filiam domini Regis Valdemari, & matrem domini Regis Olavi, ipsorum & regni Daciæ dominorum & regum bonæ memoriæ ultimorum, pro largis ipsius dominæ Reginæ prædictæ favoris sinceri, bonæ voluntatis & multiplicium beneficiorum meritis exigentibus, quæ omnes illi, se ab ea fatebantur permultis modis accepisse & expertos fuisse, ac etiam propter generis propinquitatem, quoniam duxerunt nullum hominum linea notionis de illo sanguine ipsâ esse propinquiorem, in veram suorum dominam, principem & plenipotentem totius regni Daciæ tutricem videlicet formyndersfte benevole recolligerunt, & acceptabant videlicet unanimiter & concorditer eligerunt & placabant, videlicet hyldede, fide jubentes & promittentes, se nullum Dominum, nullum Principem, & nullum alium hominem in Regem vel in dominum recepturos, & nullum hominem in Daciam introducturos, qui ipsi Dominæ Margaretæ Reginæ prædictæ adversatur, vel fuerit contrarius, modo aliquali, & planè nullum hominem, nisi cum ipsius dominæ Reginæ voluntate plenâ, rogatu & consilio, sed sibi videlicet Dominæ Margaratæ Reginæ prędictę, firmiter & inseparabiliter quocunque prosperitatis & adversitatis eventu, adhęsuros & fideliter servituros, prout bonos homines oportet suę Dominę, suo vero Regi & suo vero Domino, cum fidelitate famulari & nunquam ab ipsius Dominę Margaretę Reginę prędictę servitio & juvamine separari, nisi ipsa Domina Regina Margareta prædicta ipsos omnes bonâ voluntate à se ad aliquem Regem miserit, quem illi cum consilio velle & rogatu Dominę Margaretę Reginę sępe dictę elegerint singulatim consensu consonante. Hæc omnia prędicta & tam prędictorum quodlibet singuli prædicti Ecclesiarum secularium & regularium pręlati tam vices Episcopi prędicti gerentes, quam alii, ac milites, militares, Bundones, Villani de villis forensibus & communitas supradicta, de terris Fionię, Langelandię & Toslandię, in prędictis die & loco erectis ad sancta manibus unanimibus & juramento super præmissorum singula sibi pręstito, concorditer promiserunt rata & firma inviolabiliter observanda, aliquâ exceptione vel occasione non obstante. Hæc omnia & singula prædicta cum hominibus prædictis promiseramus & feceramus Dominæ Margaretæ Reginæ antedictæ, omnibus modis, ut superius est expressum. In cujus rei testimonium sigilla nostra præsentibus sunt appensa. Datum die, anno & loco supra dictis. His quoque similes promulgarunt eodem circiter tempestate Cimbricæ Chersonesi Episcopi nobilitasque.

MCCCLXXXVIII Et anno statim proximo, qui fuit millesimus trecentesimus octuagesimus octavus, tractatio cum Norvagis instituta, ut & ipsi Reginam Margaretam in locum mariti & filii jam defunctorum admitterent, tum quod Sueci, electo *Alberto* Megapolensi, se à verâ ac virili propagine, quæ ad *Haquinum* & *Olavum* Reges pertinebat, seclusissent abiissentque ad lineam fœmininam, & collateralem; tum quoq; quod ipse *Albertus* ejusque frater *Henricus*, qui duxerat sororem Reginæ Margaretæ *Ingeburgam*, variis bellis non modò Reges *Haquinum* & *Olavum*, sed & Daniæ Norvagiæque Regna infestassent: Ideoque &, volente Reginâ Margaretâ, pronunciatum, excidisse *Henricum* omni jure successionis, quod ad regna eadem: ut eo simul modo Suecorum Regi *Alberto* jus & occasio in totum prærepta ostenderetur adjutandi fratrem *Henricum*. Quin & eodem conventu Regina Margareta

MARGARETÆ Regina A. C.

reta, habitâ cum regni proceribus deliberatione, exquiri ab omnibus, qui concilio intererant, fecit, ecqui legitimi ac veri Norvagici regni post se hæredes forent, responsumque *Vartislavi* septimi Pomeraniæ Ducis liberi, nati ex *Mariâ* Reginæ nepte, filia *Ingeburgæ*, ac Ducis *Henrici* Megapolensis, tanquam ex lineâ descendente. Unde porro in id Regina incubuit, ut ordinum suffragia in liberos ejusdem *Mariæ*, & quem eorum ipsa eligendum judicaret, inclinata sint; literæque Aggerhusæ confectæ atque obsignatæ, quibus hoc ipsum unanimes unâque voce declararunt ac pronunciarunt *Vinoldus* Dei gratia Episcopus Nidrosiensis, *Augustinus* Asloensis, *Olavus* Stavangriensis, *Sivardus* Hammerensis, & *Holgerus* postulatus ejusdem loci Episcopus; *Henricus* Præpositus Alloensis, *Haquinus* Jonę, *Gautho* Erici, *Henricus* Nicolai Torp, *Ionas* Martini, *Alphredus* Haraldi, *Benedictus* Nicolai, *Amundus* Bolt, *Ionas* Darre, *Haquinus* Stumpe, *Petrus* Nicolai, *Simon* Torgonis, *Nicolaus* Galle, aliique ex regni consiliariis. Hinc idem negotium ulterius actitatum, declaratumque *Vartislavi* jam indicati filium *Ericum* tum adhuc infantem, proximum regni Norvagici hæredem habendum: tabulęque super eo Latinę conscriptę signatęque, quarum hoc exemplum est:

Vinoldus Dei, & apostolicæ sedis gratiâ Archiepiscopus Nidrosiensis, Henricus de S. Claro, Comes Orcadensis, nec non Jacobus Bergensis, Augustinus Alloensis, & Olavus Stavangriensis eâdem gratiâ ecclesiarum Episcopi; Haquinus Jonę, Otho Romer, Erlandus Philippi, Gauto Erici, Benedictus Nicolai, Amundus Bolt, Johannes Darre, Nicolaus Galle, Petrus Nicolai, Finno Giordi, Haraldus Sivardi, Gutbrandus Ellingus, Herlogus Alphi, & Swalo Rommer armigeri, omnibus præsens scriptum cernentibus salutem in domino sempiternam: Palam universis præsentibus & futuris recognoscimus & publice protestamur nos legisteria nostra, videlicet libros legum nostrarum & regni Norvagiæ & quam plures regni ejusdem constitutiones sufficienter examinasse, articulatim inspexisse, ac ipsis inquisitione diligenti perlectis veraciter invenisse; quod illustrissimus Princeps & Dominus noster dilectus, Dominus Ericus Rex Norvagiæ, filius Domini Vartislavi Ducis Pomeraniensis secundum certam & totalem Norvagicarum legum expressionem verus est hæres regni, ac debet esse, in ipso regno Norvagię antedicto, ac ipsum idem regnum retinere, dominari, uti & cum omni plenipotentia, jure & authoritate Regis convenit, prout & quantis Reges Norvagię ante ipsum perusi fuerant in dicto regno, sicuti etiam verum Norvagię Regem oportuerit ac decuerit omnibus modis possidere. Hoc etiam prævisо, quod quando Dominum nostrum dilectum, Dominum Ericum Regem prędictum, ab hoc mundi vitâ decedere contigerit, extunc filius dicti Domini nostri Erici Regis, post eum tunc superviveus, aut frater hujus Domini Erici Regis, filio ejus non viveute, sive frater patris ejusdem Domini Erici Regis, prædicto filio dicti Regis Erici & fratre Regis ejusdem non existentibus vivis, horum quilibet videlicet unus qui post alterum sic (ut dictum est) supervixerir, dictum regnum Norvagię cum omni modo, jure regali, hęreditate & debito succedere teneatur; Verum etiam si nullus istorum videlicet filius Regis Erici prędicti aut frater Regis hujus vel frater patris ipsius Domini nostri Regis Erici, post ejusdem Regis obitum foret vivus, ex tunc memorati Domini nostri Erici cognatus, post illos prędictos, filium dicti Domini Regis Erici fratrem ejus & fratrem patris Domini Regis Erici sępe dicti de istius generis linea ab hoc Domino nostro Erico Rege inceptive numerando proximus dictum regnum Norvagię cum omni veri successoris & Regis jure & authoritate tanquam Rex hęreditabit in suam generationem successivam possidendum, dummodo horum nemo videlicet filius Domini Regis Erici sæpedicti vel frater suus, aut frater patris Regis Erici ejusdem, post mortem hujus Regis, ut supra scriptum est, sit superstes.

Omnia igitur & singula superscripta, & ipsorum articulos quoscunque; Nos Archiepiscopus, Comes & Episcopi & armigeri supradicti, ex parte omnium nostrorum, & ex parte totius regni Norvagiæ, & ex parte omnium hujus regni incolarum & intraneorum ratificamus & consentimus totâ fide & vere, memoratum Dominum nostrum dilectum, Dominum Ericum Norvagiæ Regem, ac suos veros hęredes, ad quem etiam & quos pro veris nostris & totius regni Norvagiæ Regibus habendos, & debito retinendos certum Noricæ legis documeutum nos induxit, in verum & veros Reges nostrorum omnium & totius regni Norvagiæ & regni hujus inhabitatorum voce consonante tam hujus regni, quàm nostrorum singulorum, recolligimus & acceptamus videlicet unum post alium, vicibus (ut præfertur) successuris, cum singulis juribus supradictis, dicto regno Norvagiæ toto

MARGARETA Regina A. C.

totó tenus futuros, aliqua juris vel legum exceptione contra ulla præmissorum non obstante; unde veró in cautelam & recognitionem firmiorem, quod omnia & singula suprascripta omni modo, prout articulatim expressa & scripta sunt fideliter, absque omni excusatione observentur. Nos Vinoldus Archiepiscopus Nidrosiensis, Nicolaus Comes Orcadensis, Jacobus Bergensis, Augustinus Asloensis & Olaus Stavangriensis Episcopi; Haquinus Joensson, Otho Romer, Erlandus Philipsson, Gautho Ericksson, Benedictus Nielsson, Amundus Bolt, Johannes Darre, Nicolaus Galle, Petrus Nielsson, Finno Giordsson, Haraldus Sivordsson, Gutbrandus Ellingsson, Herlogus Alfsson, & Suale Romer, sigilla nostra scitu & voluntate bonâ, præsentibus duximus appendenda. Datum anno Domini MCCCLXXXVIII.

Agebat per eosdem dies apud Norvagos *Haquinus* satrapa, natus regio Norvagorum, ut existimabatur, genere, vir ut nobilis itâ prædiis ac possessionibus etiam apud Suecos locuples. Huic plerique quod stirpe masculâ esset, jus aliquod in regnum competere existimabant. Verùm cum neque potentiâ neque authoritate valeret, præventus aut aliter persuasus jure suo, quodcunque habere videbatur, volens cessit, testantibus hoc, quos subjecimus in eum tum finem Latine quidem, sed seculi ejus stilo, conscriptis codicillis:

Nos Vinoldus Dei gratia Archiepiscopus Nidrosiensis, Olavus Stavangriensis, Sigvardus Hammerensis eâdem gratia ecclesiarum Episcopi, Gauto Ericksson, Benedictus Nielsson, Haquinus Stampe, Johannes Darre, Simon Torgeti, & Finno Giordsson palam omnibus præsens scriptum cernentibus recognoscimus in verbo veritatis & publice protestamur: Nos sub anno Domini MCCCLXXXVIII feria tertia proxima post dominicam primam Quadragesimæ, qua cantatur officium Invocavit, in castro Aggershus, præsentes fuisse, vidisse & veraciter audivisse, quod tunc temporis in eisdem, feriâ tertiâ, castro Aggershus prædictis coram illustri dominâ nostra, Dominâ Margaretâ Dei gratia Norvagiæ & Sueciæ Reginâ ac verâ hærede ac Principe Regni Daciæ ac coram nobis ac coram aliis regni Norvagię consiliariis vir discretus Haquinus Iohannis personaliter constitutus manu suâ super librum positâ, juramentum præstitit ac rogavit Deum omnipotentem & sanctam Mariam matrem ejus & omnes sanctos coelorum adjutores sic ei propitios, quod nunquam institit pro hoc, quod voluit Rex fieri in Norvagiæ regno, fatebaturque se nihil juris & proprietatis ad ipsum regnum habere modo aliquali & nunquam instare ad hoc voluit, & nunquam ad hoc se ingerere ullo modo: Sed juravit & arbitratus est non compulsus, sed verè, sponte, quod nunquam Rex fieri voluit aliquo tempore dierum suæ vitæ in Norvagiâ antedictâ: & prout nos Dominum Haquinum Iohannis sic juratum & arbitratum esse omnimodo (ut dictum) vidimus & audivimus, hoc testamur. In quorum omnium præmissorum per ipsum Haquinum sic factorum & per nos visorum & auditorum evidentiam sigilla nostrorum omnium præscriptorum, præsentibus duximus voluntarie & scienter apponenda. Data & acta hæc sunt anno die & loco supradictis.

Postquam igitur Danici regni sceptrum Reginæ Margaretæ permissum esset, electusque imperii utriusque Danici Norvagicique consors Princeps Pomeraniæ *Ericus*, prætérito *Henrici* Megapolensis ex sorore Margaretæ *Ingeburgâ* filio *Alberto*, exortum haud tralaticium inter regna Danię Norvagięque ab unâ, & Regem Suecię *Albertum* ac Duces Megapolenses eorumque agnatos ab alterâ parte bellum. Cumque per id tempus Margareta Regina sibi quoque Sueciæ titulum adscriberet, etiam *Albertus* Suecus se Danię Norvagięque Regem in publicis codicillis professus fuit, eoque fastus ejus processit, ut immutatis Suecici regni insignibus, quæ olim leonem tres lacus transmittentem pręferebant: eorum loco tres coronas imaginibus suis intulerit, quo trium horum regnorum jus sibi competere demonstraret. Quamvis Sueci, quod etiam supra meminisse nos puto, leonem cum lacubus esse Ostrogothię & Westergothię insignia velint; coronas verò ad Suecię propriè regnum Oplandiamque pertinere. Margaretam pręterea *Albertus* vario scommatum genere aspergens, eam, quod foemina esset, absque braccâ Reginam per ludibrium vocitabat; Danice id strictus elegantiusque prolatum, **Droning brogeløs** sonat: Evulgari etiam ac jaci passim fecit se haud ante usurum pileo, cujusmodi tum erat moris, quàm Danię regnum Suecię conjunxisset. Erant hæc veluti fomenta & occasiones ad bellum gerendum; quamvis & alia etiam accederent de limitum divisionibus, & quod arces castraque nonnulla regnorum alterutrius terminis propius essent imposita. Hinc

WENCESLAUS IMP.

Hinc ad bellum uterque accingitur impositaque limitibus præsidia, & commeatus castelli invecti. *Albertoque* per Megapolim proximamque Germaniam cogendo militi intento, Margareta quoque haud destitit vicinos & sibi fœderatos Pomeraniæ Duces de mittendis subsidiis sollicitare. Ac mox *Albertus* per risum & jocum, oblongam ei cotem transmisit, ut eâ acus & forfices gynæcei sui exacueret. Quæ hodieque in æde cathedrali Roschildiæ ferreâ catenâ ad posterorum memoriam parieti appensa visitur. Verba etiam in eam jecit parum honora, appellans eam dicterio vernaculo, **Margarete munckedepe**, quod clero & ordini sacro addictior præcipue Abbatem Soranum, qui illi à confessionibus erat, impensius observare videretur. Cujus etiam nomine suspectatam volunt. Belli interea consilia serio utrimque agitata. Et habebat apud Suecos Regina Margareta sibi haud paucos faventes; præsertim ex iis, qui in maritum ipsius laudatæ memoriæ *Haquinum* propensiores electionem *Alberti* improbaverant. Displicere prætérea Suecis ipsius *Alberti* actiones cœperunt, cum vulgo, contemtis indigenis, negotia publica castraque ac loca munitiora extraneis ac rerum Sueticarum parum gnaris traderentur, nihilque fere per regni Senatores exequi ipse sineret. Et virgines quoque nobilissimas viduasque matronas in peregrinorum sæpenumero conjugia consentire faceret, eos consanguineos suos appellando, ut digni scilicet haberentur illustribus nuptiis, qui comperti postmodum cerdonum aut terræ, quod dicitur, filii esse. Accedebant & detrimenta assidua, quibus afficiebantur regni incolæ, dum eos pendendis tributis belloque, quod adversus Danos identidem lacessebat, perpetuò fatigaret: ac tandem cum opibus ærarium civesque exhausti essent, convocati ad publica comitia Pontifices ac regni primates omnesque, qui in agris prædia possidebant, ab his tertia quælibet villa ad regios sumptus sustentandos postulata, ac simul sine consensu possessorum occupata etiam. Quæ cum fieri quotidie dolerent ac quererentur Episcopi ordoque equestris, Regem suppliciter orabant, ne jura atque immunitates, quas huc usque inviolatas usurpassent, ire imminutum vellet: addebantque modò sibi commodare aurem in animum induceret, ac missos faceret, quibus regnum gravabatur, extraneos, facile provinciarum reditus sumptibus suffecturos: seque ita consilia ejus moderaturos, ut, redemptis castellis ac prædiis, quæ Theutonibus ob non soluta stipendia pignori erant tradita, ipse & regnum ab oneribus omnibus immune agens, pristinum in statum restitueretur. Sed Rex *Albertus* salubriter monentes parum attendere, tum & Theutones dimittere haud quaquam volens, instabat identidem, quod erat postulatum, de tertiâ quâque villâ cedendâ, pertinacius urgere, adeo ut alio postremum respicientes Sueci auxilia adversus vim manifestam à Reginâ Margaretâ postularent; potius habentes pro patriâ & libertate honeste mori, quàm turpi servitutis jugo colla submittere.

Margareta, his acceptis, se haud defuturam ipsis, sed jura ac regni antiqua privilegia lubenter asserturam defensuramque respondit, modo in regni Principem, & quomodo maritus ejus verus Sueciæ hæres ante obitum fuerat declaratus, ita & ipsa assumeretur. Quod responsum licet haud leviter plerosque Sueciæ procerum perculsos redderet, reperti tamen, qui passuri quidvis potius quam statum præsentem laturi videbantur. Atque ita in verba Reginæ juratum: Primo quidem ab *Algotho* Magni: Qui literis simul Eckholmiæ datis binas arces Obersteinam & Oresteinam cum ditionibus Marcanâ & Cyndâ in manus ac potestatem Reginæ transcripsit, professusque est se vicissim à Regina Margaretâ, utpote Norvagiæ ac Sueciæ Principe ac vero hærede Daniæque Reginâ, easdem arces ut præfecturas accepisse, ac easdem quamdiu teneret in bonum ac commodum Reginæ retenturum, defensurumque: Quæ & eidem Reginæ aut ejus delegatis, quandocunque hoc ipsis videretur, paterent cederenturque. Hæc manu suâ signata pollicitus dictus *Algothus*, ejusque hęredes unà cum *Jacobo* Mosio, *Stantone* Schoningio, *Abrahamo* Broderionio, *Suenone* Pug, *Simone* & *Suenone* Sture fratribus *Magnoque* Gycke. Similiter & alii, qui partes Margaretę, & pręsertim vivente adhuc marito ejus *Haquino*, à Rege *Alberto* alieniores *Haquinum* animo & votis secuti fuerant, se hoc tempore publice declararunt, regnumque Sueciæ & quæ tenebant præsidiaria loca territoriaque ipsi unanimes detulere. Inter hos præcipuus & princeps fere habebatur regni satrapa *Haquinus* Ionæ: Itemque *Byrgerus* Ulfonis, *Steno* Benedicti, *Arngislus* Nicolai, *Viso* Jonæ, *Steno* Stenonis, *Steno* Boocalus, *Thuro* Benedicti & *Arvidus* Benedicti equites; præter *Canutum* Caroli,

Margareta Regina. A. C.

Carolum Magni aliosque armigeros. Hi enim Margaretam Sueciæ Reginam Dominamque suam agnoscentes *Albertique* detestati imperium uno omnes ore affirmarunt ac, datis consignatisque codicillis, pronunciarunt, nihil sibi cum eo rei aut negotii deinceps futurum, nec ullas cum eo pactiones inituros, nisi assentiente volenteque Reginâ Margaretâ: tum & eum solum, quem ipsi Regiuaque Margareta ac Sueciæ regnum, ipsâ sive superstite sive defunctâ, Regem eligendum judicarent, sibi Regem electuros. Cum iis ad manus Reginæ variæ accessere arces castellaque ac ditiones cum juribus ac jurisdictione omni, ut sunt Aboa, Tavasta, Razeburgum, Castelholmum, Crytzeburgum, totaque Helsingia una cum æreis aliquot ferreisque Dalecarlorum fodinis; ut & Ostergothia; & quæ in eâ sunt oppida ac munitiones universæ. Tenebant verò per id tempus ærearum fodinarum partem Holsati nomine stipendii, quod regno adversus Moschos fecerat *Henricus* Ferreus: Cumque Reginam jam sequerentur ipsi Dalecarlii, permisit plenamque potestatem Reginæ tradidit, qui à partibus Reginæ erat, regni senatus, ut cum Holsatis super eisdem fodinis, prout ipsi videbatur, ageret. Quo & ita Holsatiæ Comes *Gerhardus* ab *Alberto* ad partes Reginæ facilius traduceretur. Dataeque de eo procerum literæ manu omnium signatæ dominicâ Palmarum. Erant verò eæ in hanc propemodo sententiam conscriptæ:

Omnibus has literas visuris aut lecturis salutem adnunciamus nos Burgerus Ulffsson, Steno Benedicti, Erngiselus Nicolai, Ulpho Jonæ, Steno Stenonis, Steno Bosonis, Thuro Benedicti & Arvidus Benedicti equites, Canutus Bosonis Cantor Liugcopiensis, Carolus Magni, Tordo Bodonis, Gregorius Benedicti, simulq; profitemur, ac omnibus constare hisce literis volumus, nos nostro omniumque amicorum atque adjutorum, regnique ipsius Sueciæ nomine illustrissimam ac dignissimam Dominam nostram, Dominam Margaretam, Norvagiæ ac Sueciæ Reginam ac veram hæredem Principemque regni Daniæ, pleuâ donasse potestate atque authorasse in sequentibus: Primò, facultas ipsi erit omnium nostrorum ac regni ipsius Sueciæ nomine agere ac disponere de fodinarum ærearum reditibus, qui hucusque penes Holsatiæ dynastas fuêre: plenamque habebit potestatem nostrâ singulorum & regni quoque Sueciæ vice tractare cum Domino Vikeno à Vitzen & nobis, omnibusq; amicis nostris; Et ipsa quodcunq; inter Vikenum & nos regnumque Sueciæ prædictum omnesq; amicos nostros pronunciarit, id ratum firmumque habebitur. Facultatem præterea nostro amicorumque nostrorum ac regni Sueciæ nomine habebit confirmandi urbibus ac mercatoribus Balthici maris immunitates ac privilegia quæcunque ipsis intra Sueciæ regnum fuêre. Hæc singula capita, & quidquid insuper dilecta Domina nostra Regina aget ac pronunciabit, id nos nostrique amici nomine regni Suecici firmum ratumque habebimus, dolo omni malo penitus excluso. In rei majorem certitudinem his literis sigilla nostra appendi fecimus. Datæ millesimo trecentesimo octuagesimo octavo dominica Palmarum.

Nec multò post *Ericus* Ketelius Suetici regni Marescalcus se quoque Reginæ dedidit, unà cum munitionibus ac territoriis, quæ regni nomine tenebat; seque ratum habere ac sua voluntate factum profitebatur, quidquid cum Reginâ Margaretâ contractasset Suecici regni senatus. idque literis Daleburgi signatis die Lunæ post dominicam Palmarum, hujus fere sententiæ:

Ego Ericus Ketelsson, eques ac Mareschallus, publice hisce literis contestor, quidquid Dominus Byrgerus Ulffsonius, Steno Benedicti, Erngiselus Nicolai, Ulpho Ionæ, Steno Stenonis, Steno Bosonis, Thuro Benedicti, Arvidus Benedicti equites; Canutus Bosonis *Cantor* Lincopiensis & Carolus Magni; Thordo Bondonis, & Gregorius Benedicti milites, cum serenissima ac dilecta mea Domina, Domina Margareta, Norvagiæ ac Sueciæ Reginâ ac verà hærede Principeque regni Daniæ transegerunt ac contractarunt, id omne factum ac contractatum ex voluntate & consilio meo: Cumque in vivis adhuc existens Boetius Ionæ me unum ex testamentariis suis constitueret, tum simul obligationes ac codicillos Reginæ Margaretæ modo datos consignavi, eaque singula esse rata firmaque cupio. Inque majorem hujus certitudinem hisce literis sigillum meum adjeci. Dabantur in arce nostra Daleburgo.

Hinc quarto post pentecosten die, ipse Suetici regni senatus literas ad Reginam Nicopiâ transmisit, quibus significabat ad se reversos *Byrgerum* Ulfonis & *Stenonem* Benedicti eosque declarasse, quibus pactis ac conditionibus cum ipsâ transegissent; Eaque

Eaque apud se rata firmaque mansura. Hisce literis Margaretam Sueciæ Norvagięque Reginam ac veram hęredem Principemque Danici regni appellabant. Nomina Senatorum pręscripta erant, *Arngisli* Nicolai, *Vlfonis* Iung, *Stephani* Ulffonis, *Magni* Haquini, *Stenonis* Boocali, *Ragnoldi* Philippi, *Tauronis* Benedicti, & *Gotschalci* Mathię equitum: *Thordi* Bondonis, *Caroli* Magni, *Folconis* Nicolai, *Ivari* Nicolai, *Ragnvaldi* Magni, *Haquini* Halsteni, *Ioannis* Eschilli, *Ioannis* Benedicti, *Vlffonis* Benedicti, *Nicolai* Laurentii, *Andreæ* Finduidi, *Haraldi* Baggei & *Erici* Erici armigerorum.

Albertus vero cum non modo indigenâ milite, sed & opibus sibi esse opus videret ad conscribendas extra regnum copias, viginti dublonum millia ab ordine Crucigerorum apud Prutenos mutuo accepit, traditâ eorum loco pignori Gotlandiæ insulâ: Alii accepisse eum has pecunias à *Conrado* Iungingamo Prussię magistro volunt, oppignoratâ, quam diximus, Gotlandiâ: ac tenuisse aliquandiu insulę pręfecturam *Conradi* nomine virum apud Suecos nobilem *Magnum* Store dictum, quem *Ioannes* Gothus fuisse atavum suum memorat. Hoc igitur accepto subsidio Rex *Albertus* maximum jam exercitum non modo e Megapolensi Ducatu, sed ex Holsatis quoque ac Saxonibus comparaverat: aderantque magno numero, pręter gregarium militem, Barones, Comitesque & inter hos Rupensium, vel, ut alii scribunt, Repini Comes *Otho*, Holsatię *Gerhardus* ac Dux Stargardiæ *Bugislavus*: Margareta licet animo virili fœmina, tamen consilio magis quam vi agendum rata, copiarum suarum Duces, viros militiæ gnaros ac diu bellis exercitos, elegerat equestri dignitate claros *Ivarum* Lucknum, Echolmiæ Dominum, *Henricum* Parovium, *Vikenum* Norbyum unà cum *Lothario* Cabolt. Hi undecimo Calend. Octobris, qui dies Mathęo Apostolo sacer fuit, circa pagum Vestergothiæ (Faloniam vocant) obvium sibi habuêre numerosum Regis *Alberti* agmen: certatumque est diu atque acriter, concurrentibus utrimque peditum equitumque instructissimis copiis, donec victoria, primum anceps ac dubia, Reginam tandem respexerit, capto cum filio *Erico* Rege ipso, ac multis ex nobilitate: Viarum enim angustię & palus intermedia vix locum effugio relinquebant. Inter Principes viros numeratus affinis ipsius Regis Comes Rupensis *Otho*, *Gerhardus* Holsatus ac præsul Scarensis *Rudolphus*. Clara & antiquis victoriis par eâ die laus Danis parta. Quippe, exceptis captivis, cæsi, præter gregarium militem equitum torquatorum novendecim. A parte Reginæ desiderati ex eodem ordine octo, & in his Ducum haud infimus *Henricus* Parovius. Rex captivus in arcem primo Bahusiæ, quæ est inter Vestergothos & Norvagianos limitanea, ad Reginam cum filio deductus, mox Lintholmiam Scaniæ munimentum pro custodiâ accepit. Ibique unà cum filio integrum circiter septennium carceri mancipatus desedit. Ceteri captivorum Duces Principesque Callenburgum alioque deportati. Pugna hæc pugnata die, ut dixi, Mathei Apostoli & Euangelistæ, qui fuit vigesimus primus Septembris, non verò, quod plures fefellit, die Mathæi, cujus in Quadragasimam festum incidit.

Capto in hunc modum inque vincula conjecto *Alberto*, Suecones inter se de eligendo Rege dissentientes non unum cuncti statuerunt. Prævaluit tamen eorum sententia, qui minus honestum existimarunt, Regi captivo, & cujus causa necdum esset satis discussa, successorem assumere. Itaque dilata pro tempore Margaretæ Reginæ inauguratio. Interim serram altercationis cum Suecis reciprocantibus Theutonis palamque dictantibus spectare ad Sueonum fidem liberare e custodiâ vinctum Regem; atque illis vicissim reponentibus se nec consilium, nec consensum suscipiendi belli præbuisse, ideoque ad ipsos hoc potius pertinere, utpote primos mali ac cladis universæ authores; se totamque nobilitatem Suecicam quæstorum exactionibus ac tributis ita exhaustam, ut libertati suæ consulere parum posset. Eaque agitantibus utrimque illis, Megapolenses una cum urbibus Rostochio Vismariaque aperto bello Margaretam petere cœperunt, præsertim cum adhuc à partibus *Alberti* Regis, præter alia Stocholmium staret. Præcipue autem, movente se & classem in Balthicum mare emittente *Iohanne* Megapolensi Duce, tria hæc boreæ regna veluti prædæ omnibus data. Et licet primo quidem egressu classis ejus vi tempestatum, ut plurimum, disjecta parum promovisset, iterum tamen reparata eadem, rectâ Stocholmium petiit, liberatoque, qua tum cingebatur, tumultuaria obsidione, opido, importari, qui sufficere ad tempus est visus, rerum omnium commeatum curavit, ac miles, factâ in terram excursione, vicos opidaque & quicquid obvium erat cædibus, incendio ac direptionibus complevit.

MARGARETA Regina: A. C.

MARGARETA Regina. A. C. Cumque per idem tempus rusticanorum ingens turba occurrere illis circa pagum Tillingæ pararet, incondita multitudo & ſine Duce fortius quam prudentius agens, circumventa ab hoſtibus occubuit propemodum univerſa. Eſtque ab ea clade nomen loco inditum ut *Mons ruſticorum* usque in præſentem diem nominetur. Nec ſatis hæc tunc, niſi & iidem Megapolenſes aperto quaſi piratis mari, publice Roſtochii promulgari feciſſent, liberum fore omnibus quicunque ſuo periculo Danos, Suecos, Norvagosque mari aut terrâ aggrederentur ac diſpoliarent, urbium ſuarum portas frequentare, atque ibi, quæ prædæ accepiſſent, divendere ac commutare. Qua proclamatione invitatis hominibus prædarum avidis mare paſſim vicinum piratis apertum completumque eſt, ac tribus his regnis ingentia illata detrimenta. Inter cętera Gotlandiam ſuę poteſtatis fecerunt, & eâ veluti ſtatione piraticæ ſuæ conſtituta, totum circumquaque mare infeſtum habuêre, dum nulli uſpiam tutus tranſitus relinqueretur, ac paſſim eorum claſſes per freta mariaque volitarent. Hi prædones voce vernaculâ **Fetalybrodre** Danis vulgo dicti, quod in illo mari paſſim de commeatu ſibi ipſi proſpicerent, *Vitalianos* Crantzius vocat.

Eodem circiter temporis tractu Dux Gelrię *Gulielmus* in uſum atque auxilium ordinis Theutonici claſſem paraſſe adverſus Polonum memoratur: Et ipſe more ac habitu eorum, qui religionis ergo iter faciunt, Boruſſiam terrâ petiit, eâ mente ut claſſis quam collegiſſe diximus, per Balthicum mare ſubſequeretur; At re detectâ, Pomeranię Dux *Vartiſlavus* detineri eum Slagoę juſſit, quod abſque ſalvo conductu ſuas oras intraſſet: Dimiſſus tamen haud multo poſt, factâ promiſſione ſe nihil adverſus Poloniæ Regem ac Duces Pomeranię clam palamve molituruni.

MCCCLXXXIX Regina Margareta anno ſtatim proximo cum Calmarienſibus cœpit agere; Qui & ſtatim ſe ipſi dedidêre, datis obſequii ac fidei literis, quas nomine totius ſenatus civiumque omnium conſules ac ſenatores præcipui ſigillo urbis obſignatas in manus Reginę tradiderunt. Earum exemplum hujuſce propemodum ſententię fuit:

„ Nos Henricus Remeſter, Johannes Behr, Johannes Breel, Johannes Kraſke Conſules Calmariæ: itemque Henricus Schiele, Siggo Suitz, Johannes Coning, Tidemannus Durus, Albertus Segebade, Herbertus Witte, Lambertus à Borg, Henricus Brekemand, Bernardus Witte, Gerhardus à Cleie, Nicolaus Tuſſe, Johannes Parcken, Godeſchalcus Hulds, Rorckenus Rehorſt, Jonas Hultung, Olaus Kuſe, Olaus Bennemar, Toro Raſter, Nicolaus Bagge, Torchillus Suder, Nicolaus Heding, Bertoldus Hobe, Johannes Strabruck, Iohannes à Werne, Tudekenus Trappelmannus, Iohannes Blome, & Vickenus Varlovius Senatores, cives omnesque incolę urbis Calmarienſis palam hiſce literis proteſtamur, poſtquam Nicolaus à Butzen nosque totamque civitatem Calmarienſem, ex noſtro conſenſu atque arbitrio, reconciliaverit cum ſereniſſimâ ac generoſiſſimâ Principe, Dominâ noſtrâ dilectâ Margaretâ, Reginâ Norvagię ac Suecię, ac verâ hærede ac Principe regni Daniæ, nos viciſſim Conſules, Senatores, cives, incolasque ac totum cœtum Calmarienſem, unanimi omnes conſilio, ac ſponte noſtrâ inauguraſſe ac juraſſe, fidemque noſtram dediſſe Reginę Margaretę prędictę ejusque veris hæredibus, eique nos fideli perpetuoque obſequio adhęſuros, adeò ut nos Conſules, Senatores, cives, omnesque incolæ opidi Calmarienſis, omnesque noſtri hæredes ac poſteri neceſſitate id poſtulante, velimus ac teneamur, re & conſilio fidelique operâ prædictam Reginam Margaretam ejusque hęredes, ut fidos decet ſubditos, juvare, eique ſervire atque obſequi. Atque ideo ex manibus pręnominatę Reginę Margaretę urbis claves periculo honoris ac fidei noſtrę acceptavimus pollicitique ſumus noſtro & poſterorum nomine hęc præmiſſa ſanctè perpetuoque nos ſervaturos, promittimusque hoc ipſum junctis manibus & absque omni dolo. Cujus quoque in certitudinem ac majus teſtimonium hiſce codicillis urbis Calmarię ſigillum ſubjici fecimus, idque ex arbitrio ac voluntate omnium.

Per idem circiter tempus *Bugiſlavus* octavus Stetinenſium Dux ac Princeps Rugiæ una cum hæredibus ac ſubditis ſuis pollicitus Reginæ Margaretæ matri ſuæ fidem atque opem adverſus quoſcunque ipſi regnisque Daniæ, Sueciæ, Norvagiæque viſum foret, perpetuam: Statutumque ut duo a parte Reginæ ac totidem Ducis nomine de ſalario ac penſione ei aſſignanda decernerent, ea lege ac conditionibus, ut nec ipſe aut ejus ſubditi ulli alii quàm Reginæ Danorum aut ejus hæredibus ſtipendia facerent; niſi volente id fieret

ĥeret Regina regnisque jam dictis. Acta hæc Falsterboæ, die Veneris, qui festum Jacobi Apostoli præcedit, sub sigillo *Bugislavi* jam dicti præsentibus ac veluti testibus ad id vocatis, *Vedekeno* Bugenhagio equite, *Alberto* à Stolpe, *Henrico* Clotzovio, *Tidekeno* à Borre, *Reimero* Nieukircke, *Nicolao* Emeren, *Martino* Stedinck, *Lydekeno* Gotzovio & *Michaele* Bere. *Bugislavus* hic, quem vulgo octavum faciunt, patruus fuit *Erici* Pomerani, Daniæ Regis, nati ex nepte Reginæ Margaretæ, de quo suo loco dicemus. MARGARETA Regina: A: C.

Post hæc denuò Regina convocari apud Norvagos regni senatum curavit, diserteque cunctos intelligere voluit ecquem designandum juxta se Regem ac jure hæredii ac successionis proximum Norvagiæ sceptro judicaret: esse scilicet eum Pomeraniæ Principem *Ericum*, *Wartislavi* Ducis ac neptis suæ ex sorore natæ *Mariæ* filium: haud verita, quod multos terret, orientem potius quàm occidentem solem à plerisque adorari. Sed erat id temporis tenellâ adhuc ætate *Ericus*, & id præcipue operam dabat Margareta ut suæ prosapiæ consuleretur, eaque tria hæc regna, se defunctâ, retineret. Literæ quæ tum eâ de re confectæ, ejusdem fere cum superioribus anno antecedente super eodem datis exempli fuêre. Subscripserantque & suo & regni nomine sigillaque sua appendi fecerant *Vinoldus* Dei gratia Archiepiscopus Nidrosiensis, *Henricus* Senckler, Orcadum Comes; *Iacobus* Bergensis, *Augustinus* Opsloensis, *Olavus* Stavangriensis eadem gratiâ Episcopi: Dominus *Nicolaus* Sparre eques, *Haquinus* Jonæ, *Otho* Romerus, *Erlandus* Philippi, *Gauto* Erici, *Benedictus* Michaëlis, *Ammundus* Bolt, *Ionas* Darre, *Nicolaus* Galle, *Petrus* Nicolai, *Findus* Giordsson, *Torrildus* Sivardi, *Gulbrandus* Erlingi, *Rollekenus* Axilli ac *Suale* Romer.

Eâdem circiter tempestate naucleri nonnulli aliique negotiatores *Gronlandiam* classe petierant contra morem ac præter edicta regia id temporis longâ consuetudine servata. Iis etenim diebus Islandia, Westenora, Helgelandia, Feroa, Findmarckia Regis Reginæque propriæ erant, nec aliorum nisi Regis solius classibus frequentari solebant. Eaque de causâ dies dicta negotiatoribus jam nominatis. Qui cum declarassent ac vero ostendissent se nullo studio, sed solâ necessitate ac vi ventorum molibusque glacierum aquis innatantium compulsos id fecisse, indemnes ac liberi pronunciati sunt. Liquetque per ea tempora Gronlandicam navigationem minus fuisse periculosam, cum nondum coacervata esset ex *Trollebottis* glacierum ea copia, quæ nunc impedita ea omnia ac difficilia reddit; adeò ut vix nisi à parte insulæ, quâ Libonotum Borealem spectat, terram hodie, quamvis & id subinde difficulter, detur contingere.

Apud Sueones verò, dum ad nutum & vota Reginę Margaretę jam fluere cuncta videbantur, Stocholmię etiam metuere sibi Germani cœperunt, ne à Suecis proditi urbem hosti dedere cogerentur. Hos vulgus **Hettebrodre**, Latinè *cucullatos fratres* Gothus nominat. Erantque initio haud multi, sed crevit paulatim numerus ultra mille quingentos. Quorum præcipuum erat studium in Sueones convitia spargere, quibus irritati illi ad odia capitalia & cædes tandem mutuas devenerunt. Et licet blandis subinde promissis à Theutonibus lactati se jam in gratiam cum eis rediisse existimarent, haud tamen diuturnum id fuit. Nam ex civibus nobilioribus aliquot in arcem tandem Stocholmensem tracti atque ibi exquisitissimis tormentorum generibus ac ligneis serris ab iisdem quasi proditionis rei vexati mactatique fuêrunt: Alii magno numero sub noctis silentium in proximam insulam Cheplingam deportati; ibi ludibrio primum affecti, deinde torti, post remum vivi intra domum quampiam conclusi, igne injecto exusti sunt.

Hunc qui excepit annus millesimus trecentesimus nonagesimus duorum præcipuè funeribus insignis fuit *Adolphi* scilicet Holsatię Comitis & Archiepiscopi Lundensis *Magni*. MCCCXCI. Quorum *Adolphus* improlis obiit, eaque occasione Vagria ad Holsatos rediit. Comitibus Schouwenburgicis, qui aliquid etiam sibi cognationis jure in eam vindicabant, tradita est pecuniæ certa summa unà cum præfecturis tribus Penneburgo, Hattesburgo ac Bremstedâ. Atque ita universa Vagria Holsatis cessit: Archiepiscopi fatum miserabile fuit, Is enim arcis Arhusiæ sublicio ponte dejectus, confracta cervice, exspiraverat: habuitque successorem virum venerabilem *Petrum* nomine. Qui postquam immunitates ac privilegia totius diœceseos sibi esse cordi ostendit, eaque egregiè tutari atque indies adaugere curę haberet, præter multorum vota atque exspectationem humanis ereptus est Helsingburgi sub finem anni sequentis, qui fuit millesimus trecentesimus nonagesimus primus: MCCCXCI. habuitque successorem *Iacobum* Gerhardi cognomento Grubbe.

Quo etiam tempore Imperator Wenceslaus captus à suis & in tetro carcere, ob neglectam

WENCESLAUS IMP.

MARGARETA Regina. A. C.

ctam imperii curam, alii connivisse ad Hussiticam doctrinam volunt, aliquandiu Pragæ custoditus, operâ demum balneatricis, transmisso, quod Pragam interlabitur, flumine in tutum evasit. Ac mox solio redditus, ubi ad ingenium rediret, & memoriâ carceris vindictæque cupidine atrocius quàm prius in suos sæviret, frater ejus *Sigismundus* præpropere ingressus Bohemiam ac regno occupato, eum abduxit tradiditque custodiendum *Alberto* Austriaco. Quod cum indignè ferrent *Johannes* frater & *Procopius* patruelis Duxque Pomeraniæ *Suanteborus*, comparatis copiis, ad illum liberandum irruperunt in Bohemiam. Sed illo frustra quæsito, cum traductum esse Viennam cognovissent, retrocesserunt. Evasit nihilominus *Wenceslaus* adjutus operâ & consilio piscatoris cujusdam reversusque Pragam mendici habitu receptâque arce, mox etiam regnum recuperavit. In gratiam fideliter pro se liberando navatæ operæ *Iohannem* & *Procopium* Marchionem Moraviæ, nec non Ducem Pomeraniæ multis provinciis, quas ademit adversariis, remuneravit. Præter cætera Pomeraniæ ac Stetini Duces Botzeburgum, Etzedingam ac Strasburgum ab ipso tunc temporis possidenda acceperunt. Eratque eâ tempestate tota propemodum Marchia Pomeranorum tutelæ ac potestatis. Acceperatque & reliquam ditionem Brandeburgensem *Procopius* sibique tenuit, donec ingruentibus aliis bellis eam *Wilhelmo* Misniæ Marchioni oppignoratam permitteret. Hoc eodem tempore diva *Brigitta*, quæ octennio jam ante vitam cum morte commutaverat Romæ, cujus & alibi meminimus, in censum ac numerum divarum à Bonifacio Papâ circa Nonas Octobris solenniter est relata.

Margareta Regina totum hoc fere tempus apud Suecos Norvagosque transegit, ideoque & parcius res ejus hoc loco attinguntur, quas tamen varias multasque peregisse, & in uniendis regnis animisque subditorum conciliandis, tum & armis, quæ *Alberti* nomine erant excitata, componendis totam fuisse vero est simile; licet acta ipsa incuriâ majorum interciderint. Authores exteros habeo ex quibus liquere potest per id adhuc tempus admodum celebrem fuisse peregrinorum frequentiâ piscationem halecariam apud Scanienses. Reperioque inter cætera *Albertum* Bojum, Hollandiæ Comitem, senatui populoque Amstelodamensi indulto tum privilegio concessisse jus præfectum judicemque constituendi quotannis in eo Scaniæ tractu, quem ibi cives ipsorum possiderent, aut in posterum à Daniæ Rege obtinentes essent possessuri. Diploma ipsum vernacule conceptum Latinè propemodum hunc sensum habet:

» Nos Albertus Dei gratia Comes Palatinus Dux Bavariæ, Comes Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Frisiæque Dominus omnibus notum facimus nos dilectis ac fidelibus nostris Scabinis ac Senatoribus urbis nostræ Amstelodamensis donasse istoque chirographo, quod ad nos & posteros nostros, donare ac concedere, ut quotannis, idque in perpetuum præfectum constituant, terrasque quas in Scaniâ possident, aut postmodum à Rege Daniæ obtinentes possessuri sint, secundum leges, ac jura sua componant gubernentque. Hoc signatum sub æram anni MCCCXCI.

MCCCXCII. Eum insequente, regressa in Daniam Margareta perpetuam cum Holsatiæ Comitibus Duceque Slesvicensium *Gerhardo* pacem iniit. Estque renovata feudi Ducalis Slesvicensium ratio; cautumque ut ille Ducatus solius esset Ducis nec ullam ejus Holsatiæve curam sibi arrogaret Regina, sicut nec illi vicissim Danici regni negotia sibi assumerent, excepto obsequio & jure clientelæ, quo Dux *Gerhardus* ratione accepti Ducatus, regno reginæque obstringebatur. Hæc acta Vordingburgi, obsignataque Reginæ ac Comitum sigillis, die, qui Veneris fuit, post *Canuti* Regis ac Martyris, præsentibus *Petro* Viburgensi, *Suenone* Borglumensi, *Petro* Arhusiensi, *Eschillo* Ripensi, Episcopis; nec non ex ordine equestri viris magnificis Domino *Ivaro* Lucke, Domino *Iacobo* Musjo, Domino *Valdemaro* Iacobi; tum & armigeris *Iohanne* Due, *Iohanne* Thomæ, *Ionâ* Jacobi, Reginæ à consiliis: præter senatores ac consiliarios Ducis *Gerhardi* ac Comitum; quos inter fuêre *Benedictus* ab Alefeld, *Henricus* à Siggen, Holsatiæ Marescalcus, *Iohannes* à Thynen satrapa, *Nicolaus* Kierle, *Henningus* Kietelborg, *Theodorus* Hoecken, *Wolfgangus* Paawisck, *Sivardus* Dosenrode, *Henricus* ab Alefeld equites; Itemque *Hardvigus* Paawisck, armiger. Circa diem XX Aprilis in locum defuncti Archiepiscopi Lundensis *Petri*, cujus modo meminimus, est surrogatus *Iacobus* Gerhardi ex nobili Grubbeorum prosapiâ oriundus; cum paulo ante mense nimirum eodem ex hàc vitâ decessisset *Valdemarus* Podebusch, qui jam plures annos præsulatum Othoniæ haud sine laude administraverat, sepulturæ mandatus Neostadii. Ei successit ejusdem prosapiæ vir nobilis *Matheus* Podebusch.

Per

MARGARETA Regina. A. C.

Per idem tempus, quos diximus, piratæ Vitaliani animadvertentes hoc agi ut reſtitutâ publicâ pace, è cuſtodia aliquando dimitteretur una cum filio *Erico* Rex *Albertus*, veritique ob id piraticæ ſuæ finem, ſe confeſtim è Balthico mari in occiduum profudêre, atque ibi direpto Norvagiæ clariſſimo emporio Berga magnam circumquaque incolis cladem intulêre. Regina tamen expugnatâ navium ipſorum unâ, viros, qui in eâ reperti circiter octuaginta, capite omnes plexos multavit. Cæteri exinde diviſi inter ſe ac diverſa ſecuti conſilia, pars ignota ſeptentrionis ac orientis littora adiêre, variiſque jactati caſibus, pauci ad ſuos rediêre: pars opportunitatem ſpeculati in Friſiæ vicinos portus cum navibus ſe recepêre. Ex iis nonnulli cum ſe confugia ibi hyemis ac omnis fortunæ nactos viderent, ſtatim longe lateque occidentem verſus prædarum cauſâ navigare cœperunt, Belgium, Galliam, Britanniam, Hiſpaniam appetiverunt, apertis circumquaque compluribus ad commercia portubus.

Eâdem circiter tempeſtate Princeps Rugiæ *Vartiſlavus* octavus, itemque Pomeraniæ Dux *Vartiſlavus* ſeptimus, facto procinctu, iter Hieroſolymam iuſtituerunt. Eſtque per viam ægritudine correptus Bizantzii *Vartiſlavus* ſeptimus, ac mox delatus Zenderinum vitam cum morte commutavit. Rugiæ verò princeps abſolutâ, quam inſtituerat Hieroſolymam, peregrinatione, ac domum deinde rediturus de viâ Romam perrexit; ibique honorifice ab *Vrbano* ſexto Romanorum Pontifice exceptus donatusque præter alia, roſâ aureâ, ſalvus ad ſuos reverſus eſt. Poſt id *Bugiſlaus* octavus, poſtulatus Camiuenſium Epiſcopus, ducta in conjugem *Procopii* Marchionis Moraviæ filiâ, præſulatu excidit. *Iohannes* Dux Opeloenſis, quem obtrudere diœceſi in ejus locum Papa ſtuduit, rejectus eſt à capitulo, electusque *Nicolaus* Buddeus Canonicus Caminenſis. Danorum verò antiſtites Vordingburgi in publicis regni Comitiis indulgentias largiti omnibus, qui ad exſtructionem ſacrarum ædium ſe munificos declarabant. Habuitque eundem hunc annum ſibi ſupremum Othonienſis Epiſcopus *Valdemarus* Podebuſck, ſepulturâ honoratus in æde cœnobii Franciſcanorum apud Lalandos Neoſtadii, vir præparcus ac rerum ſuarum ſatagens. Ei ex eâdem proſapia ſurrogatus *Theſo* Podebuſck vulgo **Theus** ſive *Mattheus* dictus, ut & modò meminimus.

Qui ſecutus eſt annus milleſimus trecenteſimus nonageſimus tertius id præcipuè memorabile habuit, quod alteram arcis ac præfecturę Viburgenſis partem prę́ſuli ejuſdem loci *Iacobo* ad uſum Eccleſiæ, quæ ibi eſt cathedralis, Regina reſignarit, eâ lege, ut preces ac Miſſę unę, ut tum obtinebat, pro animâ ſuorum majorum, ſuo autem nomine anniverſiariæ haberentur. Eâdem tempeſtate Harburgum, quod Dux Brunſvicenſis *Magnus* ſuo nomine adverſus Saxoniæ ac Luneburgi Ducem *Albertum* vi ſummâ defenſitabat, in poteſtatem ſuam *Albertus* traduxit, ope atque auxilio vitrici ſui Holſatiæ Comitis *Nicolai*, qui, pręter ceteros, mille Vilſtermarſorum ſubſidium adduxerat. MCCCXCIII.

Anno inſequente Regina Margareta privilegia atque immunitates diœceſeos Lundenſis firma eſſe rataque voluit, datis de eo codicillis, in quibus ſe Suecię Norvagięque Reginam, veramque hęredem ac Principem Danię profitebatur. Eodem circiter tempore convenêre apud Scanienſes Helſingburgi *Iacobus* Archiepiſcopus Lundenſis, *Petrus* Arhuſienſis, *Matheus* Podebuſck Othouienſis, *Eſchillus* Ripenſis, *Tordo* Strengeneſſenſis, *Auguſtinus* Anſloenſis, *Henningus* Vexioenſis, *Henricus* Orcadenſis, *Vigletus* Feroenſis & *Iohannes* Chriſtianopolitanus Epiſcopi. Qui, ut videtur, in id Helſingburgum frequentes acceſſerant, ut Scanienſes quoque ad ædium ſacrarum exſtructiones, promulgatis, cujuſmodi jam ante Zelandis impertierant, indulgentiis, prę́ſentes quaſi animarent. Nam & Othonienſi Epiſcopo vicarius aderat, qui templa altariaque ſolemni dedicatione conſecrabat, dictus *Iacobus* Dei gratiâ Epiſcopus Conſtantienſis. Aderat circa idem quoque tempus Regina Margareta Helſingburgi. Quo cum oratores etiam ſuos urbes Vandalicę deſtinaſſent, ut cum ipſâ de liberatione *Alberti* Regis agerent, accidit, ut exortâ forte tortuna per tumultum unius ex oratoribus cæde, reliqui domum feſtinarint. MCCCXCIV.

Indeque cum jam extremâ inediâ premerentur Stocholmienſes, & aliquo quidem commeatu, induſtriâ ac virtute navarchi Viſmarienſium *Hugonis*, fuiſſent ſublevati, urbes tamen ipſeque Megapolenſis Dux *Iohannes* pacis conſilia bello præferenda ſatius ducentes, anno, qui proximè ſecutus, milleſimo trecenteſimo nonageſimo quinto, Reginam Lindholmiæ, ut Crantzius habet, frequentes adierunt. Urbium nomine legatos miſerant Lubecenſes, Sundenſes, Gripſwaldenſes, Turriaueuſes, Elbingenſes, Gedanenſes ac Revalienſes. Alii his opidis ſeptem à Crantzio enumeratis Viſmariam, Roſtochium ipſumq; MCCCXCV.

MARGARETA Regina *A. C.*

Stocholmium etiam adjiciunt. Ac tandem post multa ac varia in utramque ibi partem ultro citroque agitata, in hanc postremò sententiam conventum fuit; ut tradito in potestatem civitatum *Alberto* Rege unà cum filio ejus *Erico*, Rex vicissim intra triennium Reginæ persolveret sexaginta marcarum argenti puri millia: aut vice earum Stocholmium Reginæ cederet, ac juri suo, quod ad Sueciæ regnum in totum renunciaret. Civitates verò pro summâ jam dicta fidem suam obstringerent; ac ipsis vicissim per Regem *Albertum* pignoris loco traderetur una cum arce urbs Stocholmia; ea scilicet lege, ut nisi intra triennium pactis conditionibus satisfieret, ipsi arcem cum urbe Reginæ permitterent. Urbes itaque *Hermannum* ab Hal, militiæ præfectum, accepto ab illo fidei sacramento, arci oppidoque Stocholmiensi cum præsidio imposuêre. Atque inde cum jam in manus delegatorum civitatum Rex *Albertus* una cum filio *Erico* è carcere Lingholmiensi dimissus Helsingburgi traderetur, testati ex adverso illi, dato chirographo, se conditione ac legibus jam modò memoratis Regem è custodiâ recipere, easque, ut fuerant promissæ, sartas tectasque præstituros. Datæ hæ literæ dominicâ ante festum Michaëlis Helsingburgi, suisque sigillis ac manu easdem communière non tantum urbium septem, quas Crantzius ponit, verum etiam Rostochii, Vismariæque delegati. Quibus & Dux Stetini Princepsque Pomeraniæ & Cassubiæ *Barnimus* ejusque satrapa *Iohannes* Sconefeldiis una cum aliis ex senatoribus ac nobilitate suas quoque symbolas sigillaque adjecêre. Similiter quoque Dux ipse Megapolensis *Iohannes* ejusque filius haud absimiles literas Lindholmiæ datas Reginæ reddiderunt, quibus ipsi totaque propemodum nobilitas se pro Rege *Alberto* sponsorem interposuit: seorsim autem iisdem codicillis promissum, ut durantibus triennii induciis nullæ uspiam arces aut nova munimenta excitarentur, vetera & quæ posita jam ante forent, solummodo reparari fas esset. Gotlandia ut possidebatur ab utrisque ante festum divi Georgii, ita utrimque possideretur: Si quid tamen post diem dictum à Rege *Alberto* ejusve milite esset occupatum, id Reginæ confestim redderetur: post verò elapsum triennii tempus, si quid alter in alterum prætendere, quod ad insulam dictam, id anno denunciaretur; idque annuum tempus, non minus ac triennales induciæ, immotum haberetur firmumque.

Hic *Albertus* extraneorum Regum, quos Suecia habuit, primus perhibetur; natus *Euphemiâ*, sorore Regis *Magni*, cui Smechi cognomentum fuit, *Erici* Ducis filiâ. Estq; memorabile potissimam ejusdem *Erici* prosapiâ exitu minus prospero defunctam. Rex enim *Valdemarus*, *Erici* patruus, *Byrgeri* Comitis filius in carcere spiritum efflavit, postquam regno eum devolvisset frater ipsius germanus. Similiter & *Magnus* Ladislaus, *Bygeri* filius, perpetuæ custodiæ mancipatus in eâdem exspiravit. Et filius ejusdem *Byrgerus*, postquam fratres inediâ extinxisset, ipsemet regno extorris vitam miserè finiit; ut & filius ipsius *Magnus*, qui Rex electus ob patris demerita, capite plexus interiit; nec usus meliore fortuna Rex *Magnus* Smechus, qui à filiis bis captus, eorum alterum veneno tandē sustulit, ac ipse mox, die qui Mathiæ sacer est, captus primo à nepote hoc suo *Alberto*, atq; inde regno ab eodem exutus, dum lacum Norvagicū transire navigio studet, submergitur. Et ipse deinde *Albertus* eodem Mathiæ die, quo avunculum illum suum *Magnum* captivum olim ceperat, in vincula quoque à Reginâ Margaretâ deductus, ac totum fere septennium intra pedorem carceris obtorpens, luit, quod in alium perpetraverat. Nam uti avunculo *Magno* regnum extorserat, ità vicissim armis ac subditis volentibus, Reginæ illud Margaretæ permittere coactus fuit. Quæ esse documento omnibus & præsertim in eminenti constitutis possunt, ut habere reverenter fortunam eique moderari blandienti sciant, gnari vitream esse, & tum præcipuè, cum splendet, frangi. Quamvis *Albertum* præter ista etiam hoc pessum dedit, quod è Megapoli suâ ad regium Suecorum fastigium vocatus, posthabitis aut contemptis regni indigenis, tum & gentis statuta legesque parum pensi habens, muneribus ferè omnibus populares suos præficeret. Unde non tantum, ut extraneum sed populi quoque moribus adversum, ab illis ipsis, quos contempserat, contemtum rejectumque ad suos regredi post annorum septem captivitatem necessitas adegit.

Funestum annum habuit obitus Roschildensis præsulis *Nicolai* Jacobi, fundatoris ac conditoris Capellæ, quam divi Laurentii vocant. Ei est surrogatus *Petrus* Iohannis Ferreobarbus, Jernskeg vulgò dictus. Regina Margareta ut novum Episcopum suâ munificentiâ honestaret, arcem & præfecturam Solte, emptam ab *Ernesto* Glicensi Comite, Episcopatui adjecit, additâ lege, ut preces ac Missæ diebus certis pro animabus majorum suorum

tum haberentur. Nec stetit hoc fine ejus liberalitas, sed & onera insuper sustulit, quibus MARGARETA gravabantur ex veteri instituto pagani sacerdotes, cum ad eos præsertim Episcopus vi- Regina. sum veniret: Erantque ejusmodi Cathedraticum dictum, itemque hospitalitas, aliaque. A. C. Regina itaque eorum loco Episcopo Fionensi ejusque diœcesi Keltruppam & hoslingiamque, Roschildensi vero Draxholmiam accedere voluit, excepto territorio, quod ad arcem tum Callenburgensem pertinebat.

Hinc anno insequenti cum jam in Sueciam unà cum nepote suo *Erico* digressa esset MCCCXCVI. Regina Margareta omniumque suffragiis regio diademate honestata, suasu consilioque ejusdem, vergente paulatim in senium ipsius ætate, electus Moraltenii Sueciæ Princeps *Ericus*, annorum tum circiter quatuordecim adolescens, die 22. Julii. Atq; inde conversâ ad res regni ordinandas Margaretâ, Nicopiæ præsentibus Archiepiscopo Upsalensi *Henrico* cæterisque Episcopis omnibus, ac regni Senatoribus, statutum, inter cætera, ut prædia omnia aliaque Sueciæ regni territoria, quæ Regis *Alberti* tempore abalienata à regno fuerant, coronæ redderentur; nova munimenta, bello durante, excitata solo æquarentur: omnesque qui Suetici regni jure ac immunitatibus uti fruique vellent, intra hebdomades sex sacramentum Regi Reginæque dicerent: quæcunq; in usum belli ac regni commodum a Reginæ clientibus aut milite essent usurpata, ea remissa eisque condonata forent: Interim singulis in regnis nobilitati sua restituerentur: Reginæ quoque Principique *Erico*, quandocunque placeret & locus diesque indiceretur, præsto adessent regni proceres de uno, eoque *Erico* Principe ac Rege, Regnis tribus præficiendo acturi. Statutum præterea, ut æreæ fodinæ omnes, exceptis quæ Episcopi Westerosensis essent, coronæ cederent. Insuper & illud decretum, ut, *Erico* Rege designato, Reginæ dotalitia sua cum jure ac jurisdictione regali universa integra sartaque ad vitam remanerent, cujusmodi erant Ostergothia cum arce Rumelburgo: Itemque Ienecopia ejusque præfectura; tum & Vestergothia, Kindum, Markia, Dalum, nec non & Vermelandia ditioque tota **Moeherret** dicta, oppidaque atque arces aliaque in iisdem sita: Solverentur quoque eidem ex bonis regni decem millia marcarum argenti, quæ cum primum Sudercopiam advenisset, à regni senatu promissa fuerant. Actum denique de regni quibusdam possessionibus ac bonis quæ pignori nobilibus concessa fuerant; horum, inter cætera, quædam *Abrahamo* Brodero prorogata, alia, dato pretio, coronę reddita. Postremum Regina, presente Rege electo, paratam se obtulit æs nomenque expungere, si quod debere alicui demonstraretur: pronunciatumque ac publice testati Episcopi proceresque universi, non esse qui ab eâ quicquam, exigeret, omnibusque plenè ac benefice satisfactum, sequo ac ceteris ei grates gratias reddere semperque reddituros. Acta hęc in castro Sueonum Nicopię vigilia beati Matthei Apostoli & Euangelistę. Interfuerant his omnibus subscripserantque præter *Henricum* divinâ gratiâ Archiepiscopum Upsalensem, itemque eâdem gratiâ Episcopos Lincopiensem *Canutum*, Scharensem *Torstenum*, Strengenessensem *Tordonem*, Westerasensem *Nicolaum*, Aboensem *Biornonem*, atque Henningum *Vexiosensem*; Præpositosque *Andream* Upsalię, & Scharę *Brynolphum*, pręterque regni consiliarios ceteros *Carolum* a Toffte, *Stenonem* Benedicti, *Erngislum* Nicolai, *Stenonem* Boetii, *Carolum* Magni, *Amundum* Ionę, *Arvidum* Benedicti, *Tordonem* Bonde, *Ivarum* Nicolai, *Algotum* Magni, *Canutum* Hat, *Ericum* Erlandi, *Erlandum* Canuti equites; *Carolum* Caroli, & *Ionam* Andreæ armigeros, alii pręterea regni nobiles ac Suecię indigenę atque incolę, & in his Dominus *Magnus* Haquini, Dominus *Nicolaus* Magni, Dominus *Nicolaus* Giedde, D. *Ericus* Nicolai, D. *Magnus* Sture, D. *Gustavus* Mathię, D. *Henricus* Snackenbergius, D. *Vikenus* de Vitzen, D. *Tookildus* Haraldi, D. *Magnus* Trottesonius, D. *Nicolaus* Boetius, D. *Canutus* Ulfonis, D. *Wolphius* Benedicti, D. *Ericus* Venerius, D. *Laurentius* Wolphius, D. *Nicolaus* Platte, D. *Iohannes* Magni, D. *Nicolaus* Olavi, D. *Gregorius* Benedicti, D. *Tordo* Petri, D. *Christianus* Nicolai, D. *Nicolaus* Erngiselus, D. *Carolus* Baat, D. *Nicolaus* Flemmingius, & D. *Thomas* à Vitzen, equites: *Philippus* Caroli, *Steno* Laurentii, *Ionas* Eschilli, *Carolus* Iacobi, *Andreas* Mathię, *Ionas* Petri, *Carolus* Benedicti, *Arvidus* Stenonis, *Haquinus* Torvonis, *Ingemundus* Ionæ, *Nicolaus* Erici, *Olaus* Haraldi, *Nicolaus* Arvidi, *Canutus* Nicolai, *Nicolaus* Gustavi, *Canutus* Benedicti, *Mathias* Andreæ Finckenovius, *Ionas* Ambiorni, *Andreas* Byrgeus, *Magnus* Ionæ, *Carolus* Erici, *Nicolaus* Dymning, *Martinus* Caroli, *Laurentius* Burgeus, *Laurentius* Suenonis, *Nicolaus* Abildgaard, *Nicolaus* Ionæ, *Sueno* Pich, *Laurentius* Bryncke, *Petrus* Ulphonis, *Esbernus* Blaapande, & *Arvidus* Benedictus, Armigeri.

Moris

MARGARETA Regina A. C.

Moris autem antiquitus fuit, ut peractâ hujusmodi regum designatione, & annus & dies inaugurationis nomenque Regis lapidi, qui **Morasteen** vulgo dictus, cujus & modo meminimus, incideretur ad perennem rei memoriam. Estque notatu hoc loco dignum id in Regis, de quo agimus, *Erici* Pomeraniæ Ducis inauguratione similiter factitatum, ostendente hoc ipsum Notarii publici Upsalensis instrumento, quod hujus ergo, attestante Ioh. Messenio Suecone, ejusmodi factum reperio:

„ In nomine Domini Amen; Anno a nativitate ejusdem MCDXXXIII. Indictione XII, die mensis Maii, hora vesperarum vel quasi, Pontificatus sanctissimi in Christo patris ac Domini, D. Eugenii Papæ IV anno IV in nova domo capitulari ante valvas Ecclesiæ Upsalensis sita, in mei Notarii publici, testiumq; subscriptorum præsentia, personaliter constitutus venerabilis D. Petrus Archiep. ecclesiæ Upsalensis nomine & ex parte Capituli dictę ecclesię Upsal. ibidem tunc congregati, me Notarium subscriptum requisivit, ut assumptis iisdem testibus accederem ad lapidem, vulgariter dictum **Morasteen**, in quo & super quem Reges Sueciæ de novo electi, statim post eorum electionem consueverunt ab antiquissimis temporibus sublimari & intronizari, investigaturus ibidem annum electionis in Regem Sueciæ, illustrissimi Principis Domini Erici Regis moderni: Ego memoratus Notarius infra scriptus, unà cum testibus subscriptis, statim ad dictum lapidem **Morasteen** extra civitatem Upsalensem, ad unum milliare in plano campo situm accessi, & honorabilem virum D. Iohannem Matthiæ Curatum ecclesiæ Danmarck, quæ dicto lapidi vicina est ecclesia, in testem assumpsi, & sculpturam cujusdam lapidis dicto antiquo lapidi **Morasteen** superpositi, diligenter inspexi, & per testes infrascriptos inspici feci, sicque præcise, ut sequitur, in eodem lapide sculptum inveni: ANNO DOMINI MCCCXCVI, ELECTUS EST IN REGEM SUECIAE IN HOC LOCO, ILLUSTRIS REX DOMINUS ERICUS, CALENDARUM AUGUSTI. Locus autem pro numero Calendarum vacuus erat: Ab omnibus tamen communiter dicitur & scribitur, quod electio ista facta fuit in die B. Mariæ Magdalenæ, quæ cadit in XI Augusti. Super quibus omnibus & singulis, præfatus Petrus Archidiaconus Upsalensis nomine quo supra, me Notarium publicum infra scriptum requisivit, ut unum vel plura, publicum vel publica, super præmissis conficerem instrumentum vel instrumenta. Acta sunt hæc anno, indictione, Pontificatu, die, mense, horâ & locis suprascriptis, &c.

Hactenus Notarius. Quod autem is in diem undecimum Augusti hanc *Erici* Regis inaugurationem rejicere videatur, hallucinatio est. Inauguratio enim illa celebrata anni MCCCXCVI die Iulii vigesimo secundo; ut modo notatum. Estque probe numeri injecta mentio, sed omissus ipse numerus Calendarum Augusti in lapide **Morasteen**. Scribi quippe vel addi debuit numerus Calendarum, qui fuit, XI CALENDARUM AUGUSTI. Undecimus enim Calendarum Augusti est dies Julii vigesimus secundus, supra notatus. At si, ut hariolatur Notarius, inauguratio hæc facta fuisset die undecimo Augusti, Calendæ non ad mensem Augustum, sed sequentem, qui September est, fuissent relatæ: aut Idus potius ipsius mensis notatæ. Ordine itaque & recte lapis jam dictus habuit CALENDARUM AUGUSTI, qui scilicet, ut jam innui, undecimus Calendarum *Augusti* fuit, id est, dies vigesimus secundus mensis Iulii, ut meminimus.

Interjecto hinc tempore, relictâ Sueciâ, Danię regnum cęterasq; ditiones suas unà cum *Erico* Principe, jus ubiq; summâ cum æquitate dicendo obire Regina cœpit, tulitq; tum super regni præfecturis decretum sive constitutionem potius, ex quâ haud levis pecuniæ vis brevi collecta regnum locupletavit. Apud Cimbros Boreales, edito Viburgi diplomate, promulgari fecit, ut regni extorres se juri sisterent, ut asyla nuspiam aut nova munimenta excitarentur, utque territoria omnia aliæque possessiones, quæ olim Coronæ fuissent, eidem restituerentur; Qui electo Regi Erico sacramentum nondum dixissent, intra dies quatuordecim id præstarent; extorribus nemo hospitium commodaret; regni causæ omnium primæ in dicasteriis ventilandæ assumerentur: operaque daretur ne quid usquam regni reditibus decederet. Prohibiti præterea portus omnes, præter eos, qui frequentari circa emporia jam olim consuevissent: telonia non nisi locis consuetis solverentur: nautis quoque omnibus ac negotiatoribus vicinarum regionum ubique promovendis indigenæ studerent, nec quidpiam sive mari sive terrâ, præter jus atque æquum eisdem imponeretur. Si incurrere eos naufragium contingeret, suppetias ferrent resque naufragorum atque ipsos pro virili eximere periculo allaborarent, merces pro rebus servatis secundum privilegia redderetur; ex regiis verò navibus si quæ naufragæ fierent,

fierent, nullæ ex iis tabulæ bonave collectoribus cederent. Hinc de jure ac justitiâ administrandâ latæ leges, aut potius, quæ bello interciderant, in usum revocatæ. Abrogata quoque *Vitalianorum* pyratica; severeque mandatum ut apprehensi in morem prædonum supplicio afficereutur. Reginæ autem dum ad ætatem pleniorem *Ericus* Princeps assurgeret, omnium consensu regnorum cura commissa: quæ & præsidem suo nomine boreali Iutiæ, itemque judicem totius districtus summum constituit.

Apud Sueones ex decreto quod jam ante Rex electus regnique senatus tulisset, præsentibus ex nobilitate Domino *Gustavo* Magni, D. *Carolo* Baat equitibus; *Stephano* Gustavi, *Torsteno* Simonis, *Nicolao* Dicker ac *Lindormo* Iohannis; una cum sex ex popularibus sive colonis, qui fuere *Carolus* in Hellingâ, *Byrgerus* in Bruwensby, *Torbiornus* Sueonis, & *Amundus* in Fietme, pronunciatum in foro Lodissæ ac demonstratum bona, quæ, ut libera, aliquandiu possederant *Thordus* in pago Luckedorp, *Trollius* in Skindingardâ, *Hemmingus* in Ramstorp, *Sueno* in Noerâ territorii **Allerherret** dicti: itemque *Petrus* Harius in ditione **Berkenherret**, *Benedictus* Gasius in tractu Huitenensi, *Benedictus* Suenonis, *Mathias* Blydemester, *Iessens* Verckmesterus, *Biorno* Schytte, *Christianus* in odenesso; nec non in **Collantherret** diœcesi *Ericus* Petri, *Thomas* Diaconus, *Ragvaldus* Diaconus, *Benedictus* Pick aliique, ea haud quaquam libera aut immunia esse, sed regio censui jam olim fuisse obnoxia, ideoque ad veterem morem reducenda, nisi aliter Rex Reginaque pronunciandum judicarent.

Sub idem tempus evocari Margareta Rexque *Ericus* Holsatiæ Comites *Nicolaum* ejusque fratrueles, *Henrici* filios, Assenacum curavit, offerens illis Slesvicensem Ducatum modo ac conditione, quâ eum concedere regnum solebat, uti nimirum Daniæ Regi regnoque se jure clientelari obnoxios profiterentur. Sed illi non accepto, quod offerebatur, operam suam addicere regno stipendiariam maluerunt. Eâque de re codicilli facti datique eodem loci, præsentibus ac rem ita se habere publicè testantibus D. *Petro* divinâ gratiâ Archiepiscopo Lundensi nec non *Iohanne* eâdem gratiâ Slesvicensium præsule, *Iolmero* Iacobi, *Andrea* Iacobi, *Nicolao* Ivari, *Iohanne* Olai, *Predebiorno* Podebusck, *Berneckeno* Schinckel equitibus: Hi, inquam, palam testabantur, postquam anno MCCCXCVI clementissimus suus Dominus, Dominus *Ericus* Dei gratiâ Daniæ, Sueciæ ac Norvagiæ Rex, Dux Pomeraniæ & Comes Holsatiæ *Nicolaus*, ejusque fratris *Henrici* Comitis filii tres Assenaci fuissent, ut de feudo Ducatus Slesvicensis se etiam præsentibus tractaretur, tum accepisse se, prædictis *Henrici* Comitis filiis multoties oblatum beneficium Ducatus Slesvicensis: idque impensè voluisse Regem *Ericum*, ut nimirum Comitis *Henrici* filii tres prædictum Ducatum Slesvicensem à se in feudum ac præfecturam accepissent, ac sibi eo nomine obnoxii fuissent redditi; verum Comitem *Nicolaum*, ac fratris ipsius Comitis *Henrici*, filios jam dictos tres, in feudum id accipere ab *Erico* Rege, Domino suo prædicto, nec ejus esse vasallos voluisse: sed præoptasse certum salarium sibi tribui & ejus sponsores dari &c.

Hinc Bornovedæ, sub festum divi Johannis Baptistæ anno millesimo trecentesimo nonagesimo septimo, *Gerbardus* Holsatus Slesvicensium ante annos undecim ab *Olavo* Rege Reginaque Margaretâ sub fide tantum clientelæ, ut supra ostensum, Dux declaratus, cum fratribus *Alberto* & *Henrico* Comitibus coram Holsatiæ universâ nobilitate in eum modum divisionem instituit, ut Holsatiâ, Stormariâ, Femerâque insulâ tres in partes distributis, Plona ditioque Oldenburgensis, tum & oppida Ludkeburgum & Helgehava Femeraque insula cum Glambecâ, Hanrovâ, ac diœcesibus Hedemarschia, Schonevelda & Hesseldorpio, *Gerhardo* Duci cederent; *Alberti* Comitis esset Chilonium cum Neomonasteriensi territorio, itemque arx Trittavia, Oldensloa oppidum totaque Stormariæ ditio cum Itzhoa & Osterhovia: *Henricus* sortiretur Segebergam, quæ parentis ipsorum *Henrici* Ferrei laudatæ memoriæ fuerat, nec non Neostadii urbem ditionesque Seletenam, Gickoviam, Crempam, Grottenbrodam, Rendersburgam & Tyleburgum. Cætera, quæ seorsim cuique obtigerant alius fuêre generis. Statutumque tum quoque ut Wolstemarchia & Crempemarschia trifariam dividerentur: ecclesiasticæ vero aliæque jurisdictiones, quas in Lubecenses, Hamburgenses urbemque Uthinum antiquitus Holsati usurpassent, indivisæ manerent. Additæque & aliæ conditiones deque Slesvicensi Ducatu pronunciatum, ut is integrum novennium penes *Gerbardum* Ducem esset, post id ex arbitrio Holsaticæ nobilitatis de eo statueretur. Quæ omnia inconsultis non modo dominis, Rege Reginaque Danorum Margaretâ, sed errore præ- MCCCXCVII.

tereæ

MARGARETA Regina A. C.

terea atque interpretatione ſiniſtra fuêre tranſacta, cum feudum iſtius Ducatus nunquam hęreditarium aut reale, ut vocant, ſed perſonale tantum fuerit, & ſoli de eo Daniæ Reges diſponere perpetuò conſuevissent. Margareta interea Calmariam cum electo Rege *Erico* nepote ſuo conceſſerat, omnibus jam regnis deſtinato. Eodemque ſingulorum regnorum trium ſenatores convocari fecerat. Ac ſimul inauguratus ibi Danię, Suecię, Norvagięque Rex *Ericus* ipſâ dominicâ trinitatis. Eâque de re, ſub diem, qui Veneri dictus poſt feſtum S. Canuti Regis ac martyris, conſcriptę ſignatęque tabulę, in quibus *Jacobus* & *Ericus* Archiepiſcopi Lundenſis & Upſalenſis, præſentibus Epiſcopis regnorum ceteris ac ſenatoribus magno numero, Regem ſuum declararunt, ac pronunciarunt *Ericum*, Margaretę Reginę nepotem, eiq; ſacramentum ſolemni ritu dixêre, creatique tum ſimul ex tribus his regnis equites aurati centum triginta ſex.

Hinc ipſo die Margaretę virginis, quo ita *Ericus* Rex poſtea que ejus validiori præſidio munirentur, fœderatio ibidem regnorum trium celebrata, decretumq; unanimi omnium procerum voce, ut uno ſub Rege unoque Domino in perpetuum eſſent ac gerentque. De eo literæ in membranis datæ loco ac die jam indicatis; ſtatutumque inter cetera, ut tria hæc regna unum eumque, dum viveret, *Ericum* Regem agnoſcerent: ac eo defuncto, unum ſimiliter non plures deinceps Regem haberent. Nec fas eſſet regnorum uni Regem aſſumere eligereve, niſi unanimi regnorum ſingulorum ſuffragio: Regi *Erico* ſi filius aut filii naſcerentur, eorum unus tantum non plures regnis omnibus cum imperio præeſſet; ceteris ditiones ac territoria regnorum certa mandarentur. Filiabus ex ritu & more veteri regniſque uſitato providerentur. Si verò ſine liberis defungi Regem contingeret, tum eum communibus, ut dictum, ſuffragiis ſumerent, quem æquo ac bono [illegible] regniſque quam maxime fore utilem, quaſi Deo coram, judicarent. De bellis quoque ſimilibusque, quæ ingruere poſſent, incommodis decretum, ut quod uni obveniret, id obveniret ſingulis, mutuaſque invicem operas ſubſidiaque præſtarent. Regnum unumquodque ſecundum leges ac jura ſua adminiſtraretur: nec in Dania Norvagicæ Sueticæ, nec in Suetia Danicæ Norvagicæque conſuetudines, quæ cuique regnorum peculiares eſſent, locum haberent, Eſſentque hac unione [illegible] omnes, veteraque regnorum atque indigenarum odia ſublata ſopitaque, nec unquam regnorum alterum in alterum inſurgeret aut bello occaſiones præberet. Hæc fere præcipua fuere, quæ ſtatuta per id tempus, Regis ac Reginæ procerumque omnium, qui e regnis ſingulis frequentes aderant, nec non & civitatum ſigillis ſolemniter communita firmataque: adjicientibus ſuum quoque ſigillatim calculum *Jacobo Henr coqu* divinâ gratia Lundenſi, atque Upſalenſi Epiſcopis, *Petro* & *Canuto* eodem favore Roſchildenſi ac Lincopienſi præſulibus, unà cùm pluribus ex ordine equeſtri viris ſpectatis aliis. Quorum præcipue fuêre *Canutus* Tolſſte, *Jonas* Andreæ, *Steno* Benedicti, *Johannes* Rud, *Thuro* Benedicti, *Folmerus* Jacobi, *Erngiſelus* Nicolai, *Petrus* Nicolai ab Angaard, & *Algotus* Magni equites; *Arnoldus* Præpoſitus Upſalenſis, *Amundus* Bolt, *Albertus* Haraldi & *Gustavo* Erici equites.

Hæc fœderatio, paci atque unitati inter regna ſtabiliendæ comparata, diſſidiorum tamen ac belli inter Danos Suecoſque geſti occaſio identidem exſtitit. Cum enim Daniæ poſtmodum Rex *Chriſtianus I*, & qui eum ſecuti adusque *Fredericum I* ſuum in commodum hanc unionem interpretarentur, objiciebant viciſſim Sueci pacto haud ſtetiſſe eos in eligendo *Chriſtophoro III*, quem ſeſe inconſultis Regem adſcivìſſent; quamvis & ipſos in ejus quoque electionem conſenſiſſe exinde conſtet; quod in tempore & ſuo loco dicetur. Alii quod adferunt, eodem fœdere comprehenſum, ut in electione Regum alternis vicibus Daniæ Sueciæque primum ſuffragandi jus eſſet, id literis ſuperioribus expreſſum haud memini: Unanime interim ac conſentiens ſingulorum ſuffragium [illegible]; requiſita, id literis indicari ſuperiora ſatis oſtendunt. Factum inſuper, ſive repetitum potius fuerat [illegible] Idus Februarii, qui fuit Lunæ dies poſt S. Scholaſticam in [illegible], quod Repſtading Sueci vocabant, decretum ſuper colonis omnibus regio cenſui obnoxiis, quibus ſive volentibus ſive vi, bona ſua eſſent ablata, ut ea intra id tempus & paſchalis feſtum reciperent: ædibus interim iiſdem in bonis aut prope collocatis nullum detrimentum inferretur; aliaque in eam rem [illegible] ſignataque ſubſcriptione judicûm Veſtergothiæ Epiſcopique Scarienſis *Tord*, utriuſque venerabilis Domini *Brynolphi* Præpoſiti, atque Archidiaconi ejuſdem loci *Hajonis*, nec non aliorum aliquot ex nobilitate Sueonum. Quos inter erant *Guſtavus* Magni, & *Carolus* Baat equites; *Stephanus* Guſtavi, *Tidemannus* Simonis, *Nicolaus* Dickert, ac *Laurentius* Iohannis milites.


Sub

Sub finem anni exorta inter Regem *Ericum Stenonemque* Sture haud levis simultas, cujus tamen causam atque occasionem non produnt chronologi: id tantum innuentes *Stenonem* promisso, quo se obstrinxerat, ut Regi nimirum intra hebdomadas duodecim, ubicunque foret, præsentem se sisteret, haud stetisse: ideoque codicillos ab Archiepiscopo Lundensi ac præsule Roschildensi aliisque ex nobilitate ac ordine equestri subscriptos Regem accepisse, quibus id ità se habere testatum faciebant. Dati hi erant in castro Zelandiæ *Gurrâ* dicto, feriâ quintâ post festum Michaelis. Clauserat circa idem fere tempus supremum vitæ diem filius Regis *Alberti* Ericus, mortuâ jam ante, quam sibi connubio *Albertus* junxerat, *Rigitzâ*, matre ejusdem *Erici*, *Othonis* ultimi Suerinensium Comitis filiâ. Eoque filii præsertim inopinato casu de novo consternatus *Albertus*, spem omnem recuperandæ aliquando Sueciæ cœpit deponere, scribique extemplo Stocholmiam Suecis obsidibusque fecit, qui pro summâ superius dictâ spospònderant, ut se Margaretæ Reginæ traderent, collaudatâ prius eorũ fide, quam ad extremũ usq; constanter servassent. Atq; ita non solutis sex millibus marcarũ argenti, Stocholmia aliçq; munitiones, quç *Alberti* adhuc signa secutæ fuerant, Reginæ Margaretæ in solidum permissæ. Reusnerus lutrum ipsum solutum ait, conferentibus illud mulieribus. Eâque de causa in ditione Megapolensi feuda fœminis quoque esse concessa. Et vero depensum id *Alberto* fuisse, sed eum, lutro sibi reservato, Stocholmiam ejus loco tradidisse, atque illud rebus suis oportunius judicasse, vero videatur, quod & alii existimant, consentaneum. MARGARETA Regina. *A. C.*

Proximo hinc anno allatæ ad Archiepiscopum Lundensem Romani Pontificis literæ, quibus ratam se habere demonstravit donationem, quam fecerat *Ida*, *Iohannis* Snackenburgi equitis aurati relicta vidua, fundatâ consecratâq; in monialium cœnobiũ Gladsaxiâ. MCCCXCVIII.

Bugislaus interea ejus nominis, ut habent vulgo sextus, *Wartislavi* itidem sexti frater germanus, eâdem hac circiter tempestate, in eo jam totus erat idque agebat, ut Dartzoviæ, ubi non incommodus haberi videbatur portus naviumque statio, ut inquam ibidem loci oppidum conderetur. Sed ejus se molitionibus acriter opponentes Rostochienses, illud haud ullo pacto admissuri videbantur. Obiitque mox eodem hoc anno idem *Bugislaus*. Eoque id quidquid fuit operis abruptum inque fumos abiit. Alii ejus obitum triennio anterius incidisse videntur tradere. quamvis id certum habetur ejusdem *Bugislavi* neptis *Elisabethæ*, quæ consors fuit Imperatoris *Caroli IV*, filia *Bugislavi V*, soror *Erici* Pomerani, Daniæ postmodo Regis, ad annum etiam hunc excessum referendum: Eique sepulturæ solemnia Pragæ habita. Sed horum Pomeraniæ Ducum, & præsertim *Bugislavorum*, cum intricatior sit genealogię series, exque hisce Margaretę Reginę agnatus *Ericus*, quem in regni consortem ac Principem trium borealium regnorum Danię, Suecię Norvagięque, ut est relatum, atque inde etiamnum dicetur, ipsa constituit, à parte patris lineâque masculinâ profectus sit, non abs re fuerit eorum hoc loco stemma subjicere, in modum ut vulgo proditur, initio sumto à *Bugislao* ejus nominis quarto, ut sequitur:

SERIES GENEALOGICA
Ducum POMERANIÆ adusque ERICUM Danię, Suecię Norvagięque postmodò Regem.



MARGARETA Regina A. C.

A

Vartislaus VI *Dux Pomeraniæ factâ divisione cum fratre accepit principatus Rugiæ & Vsdumi. uxor* Anna *F.* Johannis II *Ducis Megapolensis*

BUGISLAUS VI *Dux Pomeraniæ Wolgastensis. cuius hæreditas, cum improlis obiisset, ad fratrem* Vartislaum *rediit. Vxores ei duæ fuêre* Judita *F.* Erici I *Ducis Saxoniæ &* Agnes *F. Ducis Brunsvigii.*

Barnimus VI *Dux Pomeraniæ Wolgastensis.*

Sophia *uxor* Henrici *Ducis Brunsvigii & Luneburgi.*

Vartislaus VIII *Dux Pomeraniæ ex itinere Hierosolymitano reversus, Romæ ab* Urbano VI *Pontifice aureâ donatus est rosâ. uxor Agnes filia* Erici III *Ducis Saxoniæ.*

Vartislaus IX. *obiit 1456.*

Barnimus VII. *obiit improlis 1446.*

Vartislaus X. — Adelheida.

Suantiborus. — Erthmarus.

BUGISLAUS XI *ἄπαις.* — Otho. — Casimirus VII.

Ericus II. *uxor* Sophia *F.* Bugislavi IX. *mater facta septem liberorum. Quorum*

BUGISLAUS X Magnus *cognominatus.*

Suantiborus *obiit improlis 1446.*

Barnimus VIII *uxor* Anna *F.* Henrici *Vindsdorpiani.*

Agnes *nupta* Frederico *Pingui Marchioni Brandeburgico & Tangermundano.*

B

Elizabetha, *consors* Caroli IV *Imp.*

Casimirus V. *Dux Pomeraniæ. Vxor* Solomea *Massoviæ principissa. obiit ἄπαις.*

Barnimus V. *obiit improlis.*

BUGISLAUS VIII. *uxor* Sophia *F.* Procopii *Marchionis Moraviæ.*

Vartislaus VII. *decessit in itinere Hierosolymitano. vide supra anno 1392. Ex* Maria *filiâ* Henrici *Megapol. nepte* Margaretæ *reginæ ei nati,*

Sophia *uxor principis Henetorum* Gulielmi.

BUGISLAVS IX. *Hunc sibi successorem cupiit, ut inde patebit,* Ericus *Daniæ &c. Rex. Ei nata ex* Maria *F. Ducis Massoviæ*

Sophia, *nupta* Erico II *Pomeraniæ Duci.*

Sophia *nupta Duci Bavariæ Iohanni*

CHRISTOPHORVS *Daniæ Rex.*

ERICVS *Dux Pomeraniæ. Daniæ, Sueciæ & Norvagiæ Rex designatus.*

Quæ Pomeraniæ Ducum genealogia, ut hactenus à genealogicis, & in his ab ipso præsertim Reusnero est proposita, id vel maxime vitii habet, quod *Bugislavorum* unus omissus sit. Idque inde natum, quod filium Vartislavi primi, *Bugislavum* nomine, primum *Bugislaum* faciant, cum is esse secundus debeat, & primus *Bugislaus* is, qui *Vartislavi* ejusdem frater fuit, ut schemate sequenti patebit: ubi & re nonnihil altius, sed breviter & schematice, repetita, etiam ii, qui, ante quartum, *Bugislavi* fuerunt, commemorantur, in modum ut subjicitur:

SUANTI-



Tenebant id temporis Gotlandiam partim Vitaliani piratæ, quos ſecutos *Alberti* partes ſupra memoravimus, pars Reginæ Margaretæ præſidiis deſendebatur. Verum piratæ cum nulli parcerent, Trosque illis Tyriusque ſimili diſcrimine haberetur, omnium in ipſos concitatis odiis, ipſæ paſſim Vandalorum urbes, à quibus auctorati primo frequentare mare cœperant, arma in eos claſſemque vertêrunt. Horum primi memorantur Lubecenſes, Dantiſcani, Torenſes & Elbingenſes: ſed ineunte ſtatim anno cum ordinis Theutonici apud Boruſſos ſocietas, in quâ tum *Conradus* ab Ingrigen cum imperio præſidebat, imminere etiam inſulæ cœpiſſet, ea occaſione præſidia ſua circumquaque diſponere & ſibi quaſi ſolis vindicare inſulam prædones videbantur. Sed ea facile *Conradus*, miſſis in eam, præter equitum manum, quatuor millibus peditum, diſſipavit ipſoſque Vitalianos in totum inſulâ pepulit. Dux *Albertus* Megapolenſis redditus de hac expeditione Magiſtri Ordinis certior, in Boruſſiam receſſiſſe memoratur; eâ mente ut repeteret ab eo inſulam: At Magiſter inſulam cedere recuſans opponebat non ab ipſo accepiſſe ſe eam, ſed piratis extortam ſuam feciſſe: nec præterea quidquam in adverſum tentaſſe Megapolenſem, innuit Boruſſiæ chronicon. Crantzius venditam ab *Alberto* Theutonicorum domui videtur innuere.

Hinc ex Suetica nobilitate *Sueno* Sture aliique ſe arceſque cum ditionibus, quas nomine *Alberti* ſibi concreditas ſuæ adhuc poteſtatis habebant, in manus ac fidem *Erici* Regis Reginæque tradiderunt. In his cenſebatur munimentum Faxholmia, cum totâ Helſingiâ dimidiâq; parte Medelpadæ: itemq; Crytzberga, arx munitiſſima cum Norrebottâ, & quæ eo referebantur ditiones territoriaque. Literæ eâ de re conſignatæ, quas Regi exhibue-

MARGARETA Regina A. C.

exhibuêrunt, datæ erant in castro Almerstegâ, una cum *Suenonis* Sture, *Algothi* Magni, *Nicolai* Magni, *Canuti* Othonis, *Henrici* Thun, *Arnoldi* Stycke, *Andreæ* Thomæ, *Othonis* Setzsomer, *Stenonis* Caroli, *Torchilli* Brade, *Axilli* Brade, *Arvidi* Stenonis, *Esborni* Baad, *Suenonis* Baad equitum armigerorumque sigillis ac subscriptione. Quorum *Sueno* Sture, *Stenonis*, cujus modò meminimus, Sture filius fuerit. Estque verisimile litis inter ipsum & Regem *Ericum* occasionem hinc natam, quod & ipse regni præfecturas ab *Alberto* acceptas, quemadmodum filius, sibi pertinacius retineret. Traditâque tum quoque, ut supra memoratum, regni ipsius acropoli Stocholmiâ, nihil jam reliquum erat quod ea parte *Erico* Reginæque negotium facesseret. Supererat interim Gotlandiæ insula, quam ut suæ potestatis *Ericus* faceret, in eam sub imperio *Algothi* Magni nec non *Abrahami* Broderi justum propemodo exercitum traduxit. Hi, obsessâ Visbuensium urbe excitatisque circumquaque munimentis, premere opidum atque urgere deditionem cœperunt. Sed ordinis Theutonici miles valido præsidio, quod ad manus erat, opidum insulamque defendens eousque conatus cuniculosque ipsorum repressit, obstititque, dum tandem Imperator *Wenceslaus*, se medium interponendo Helsingburgi per delegatos inter Regem atque ordinis magistrum hunc in modum pronunciarit, ut insula opidumque Visbuensium *Erico* Regi cederet; eâ tamen lege, ut Rex Teuthonici Ordinis Magistro pro belli impendiis novies mille Noblios Anglicanos adnumeraret. Quæ pecunia cum haud ita parata inque promptu tum esset, insula exinde in potestate aliquandiu Theutonum remansit. Estque interea Haffniæ die, qui Ægidio dicatus fuit, cum Ordinis Magistro *Conrado* ita pactus Rex ut, nomine veteris illius amicitiæ, quæ semper inter tria ipsius regna Ordinemque Theutonicum culta fuisset, denuò ipsius posterorumque nomine firmum amicumque cum eodem fœdus esset, addito his decreto, ut alter alterius commodo studeret, mala averteret; bello oriente pacatè uterque ageret; Borussi Livonesque sua in regnis Daniæ, Sueciæ, Norvagiæ, & hi vicissim apud ipsos commercia liberè exercerent. Iisdem ipsi, quibus urbes Hansaticæ, quæque antiquitus obtinuissent, immunitatibus privilegiisque gauderent. Subscripserant his unà cum Rege trium regnorum Senatores *Iacobus* Lundensis, *Henricus* Upsaliensis, Archiepiscopi; *Petrus* Roschildensis, *Conradus* Strangenessensis, *Augustinus* Asloensis, *Castinus* Scharensis, *Olavus* Stavangriensis, *Boecalus* Arhusiensis, *Biorno* Aboensis, *Lago* Viburgensis, Episcopi: itemque Præpositi *Ambiornus* Bergensis & Asldensis *Andornus*: tum & *Henricus* Podebusck, *Carolus* à Toffte, *Iohannes* Andreæ, *Steno* Benedicti, *Iohannes* Rud, *Volmerus* Jacobi, *Andreas* Jacobi, *Iacobus* Axlaus, *Thordus* Bondo, *Iohannes* Olavi, *Algothus* Magnus, *Iohannes* Due, *Carolus* Nicolai, *Predebornus* Podebusck, *Ericus* Erlandi, *Petrus* Nicolai, *Nicolaus* Niger Schoningus, *Abrahamus* Broderus, *Stygeus* Petri, *Iohannes* Podebusck, *Arvidus* Benedicti, *Petrus* Valckendorpius, *Magnus* Haquinus, *Iohannes* Laurentii, *Iohannes* Snacbenburgius, *Magnus* Trottenj, *Magnus* Munck, *Biorno* Olavi, *Iohannes* Falck, *Godeschalcus* Benedicti, *Olavus* Petri, & *Sigevardus* Venonis.

MCCCXCIX. Anni insequentis millesimi trecentesimi nonagesimi noni tam asperam hyemem fuisse memoriæ proditum est à scriptoribus, ut è Pomeraniâ reliquoque Germaniæ vicinæ littore recta in Daniam pedites per glaciem mare transmitterent. Eâque occasione usus *Albertus* Holsatiæ Comes, *Gerhardi* Slesvicensium Ducis frater, qui *Erici* Saxoniæ Ducis filiam duxerat, Transeidoranam Frisiam bello vexatam, ad extremam vastationem redimendam, 16000 marcarum argenti tributum sibi solvere coëgit.

Interjecto nonnihil temporis apud Falstrios Nicopiæ, præsentibus *Frederico* Vandalo Torensi, *Iohanne* Degardo Marienburgensi, *Petro* Forstenavio Dantiscano, Ordinis Theutonici Senatoribus: itemque *Iohanne* Andreæ, *Valdemaro* Jacobi Lunge, *Iohanne* Ivaro, *Andrea* Jacobeo, *Bernekeno* Schinckel ab Ivernesâ equitibus auratis Regique à consiliis, amice inter Reginam Margaretam à parte unâ & Rostochienses Vismariosque ab alterâ convenit de bello, quod eorum instigatu ad liberandum è carcere *Albertum* à Vitalianis erat gestum, dum eorum classes instruendo ac portus suos patefaciendo piraticam exercendi passim per Balthicum mare licentiam fovissent: Aderantque & urbium Vandalicarum delegati *Henricus* Westhovius & *Iordanus* Plescovius Lubecenses; *Henningus* Ratibberius Hamburgensis, *Castinus* Mollerus & *Iohannes* Hoierus Stralesundensis aliiq;. Præter autem sancitam ob bellum piraticum amnestiam, excepto promisso, quo obstringebantur Reginæ Megapolenses *Alberti* Regis nomine, decretum insuper ut liber-

libertatibus suis ac privilegiis vetustis, cujusmodi olim usurpassent, intra regna singula denuò cuncti fruerentur. Hæc pactio nihil aliis inter ipsos Reginamque ac Regem *Albertum* aliquando initis officeret. MARGARETA Regina. *A. C.*

Qui est proxime secutus, anno novi seculi quadringentesimo adeo de cœlo densi imbres Ostergothiam Sueciæ oppleverunt, ut molendina omnia pontesque sublicii, aquis abrepti, fluitarent: videbaturque Deucalionis alterum imminere ævum, dum cuncti colles locaque exstantia ad se servandos conscenderent ibique rupibus quasi infixi adhærerent. MCCCC. Quâ eadem tempestate cum Imperator *Vencestlaus* ob desidiam ac luxum, quibus veluti obrutus erat, solio suo esset depositus, Electores Popardiæ summam rerum detulerunt collegæ suo *Ruperto*, Bavariæ Duci atque Electori Palatino ad Rhenum, viro ingenio acri, corpore parvo, sed animo ingenti, majestatis imperii atque rerum publicarum perquàm amanti ac studioso, opinione justitiæ atque integritatis celebri, bellis exercito. Eum Aquisgrahum inaugurationis gratiâ deductum, cum Aquenses, prætextu juramenti, quo adhuc obstricti *Venceslao* videri volebant, in urbem non admisissent, Coloniensis reductum Coloniam, ibi diademate cinxit.

Per idem propemodum tempus Regina *Margareta* oppignoratam tradidit Episcopo Ripensi Trojeburgum cum ditione Lyherret dictâ. Quæ omnia Regina, dato pretio, sibi comparaverat à *Nicolao* Lymbekio. Ab episcopo eorum vicem accepit argenti puri marcarum quinque millia. Summa hæc pignusque insolutum mansit adusque *Christianum* tertium, cum diœceseos istius bona in usum regni traducerentur. Conditum eodem circiter temporis tractu Gabnoense cœnobium. Quam insulam Gabnoo dictam cum Regina venditione accepisset à *Valdemaro* Blydelbochio, ejus vicem alias ei ex diœcesi Roschildensi possessiones ac prædia reddidit. Fundatoque cœnobio, divæ *Agnetæ* illud dicavit, adnitente Roschildensi Episcopo *Petro* Ferreobarbo, vulgo ut memoratum *Jeruskeg* dicto. Traduxit quoque eodem Regina moniales è cœnobio Gladsaxiæ, postquam illud emptum ab *Idâ* Snackenburgitâ suum fecisset. Pontifex Romanus *Bonifacius* IX, intellectâ Reginæ voluntate, ut in unum commutaretur utrumque, suum assensum transmisit. Qui & anno hoc ipso jubilæum, ut vocant, celebravit, ex more partim Ethnicis olim, partim judæis usitato, quamvis diverso ab utrisque fine. Illi enim seculares ludos institutos habebant, veluti monumentum annorum ab urbe conditâ, nec alius fere quam temporum observatio judæis celebrandi ejus scopus fuit, cum pontificii ut partem divini cultus censeant, & accommodatum præcipuè elargiendis, quas vocant indulgentiis, quæ sunt pœnarum canonicarum relaxationes. Has enim profitentur dare hoc maxime tempore pontificem uberrimas. Eas nœnias cùm aliàs tùm ista præsertim tempestate, convellere viri docti atque oppugnare cœperunt, & antecessit cæteros ingenii ac pietatis famâ *Johannes Hussus* Bohemiâ oriundus, ostendens inter alia certissimam delictorum remissionem esse, quæ accipiatur præconio vocis Euangelii & fide quocunque tempore; jubilæum autem in animis piorum esse assiduum; nec intermittere eorum gaudium fundatum innocentiâ, & in filium Dei unigenitum certâ fiduciâ. Hoc se postquam exerere ac tenebroso seculo terrigenisq; lucere illustre os *Hussi* lumenque cœpisset unà cum *Hieronymo* Pragensi, de quo & inde dicetur, è cœlo quoque sidus crinitum flammam extulit, quæ & ante & post quadragesimam eodem hoc tractu temporis conspicua apparuit, paucis serio advertentibus temerarium id haud esse,

Nec cœlis unquam spectatum impune COMETAM,

Ut ait poëta. *Bonifacius* autem divulgatis Romæ generalibus indulgentiis, seorsim omnibus remissiones pollicitus fuit, qui die Ostensionis reliquiarum cathedralem divi Laurentii ecclesiam Lundæ frequentaret. Fuit is dies julii undecimus anni, qui superiorem excepit post millesimum, primi & quadringentesimi. MCCCCI.

Quo eodem tempore prædones è Balthico mari submoti variè huc illuc, ut ante ostensum, dispersi longè lateque maria pervolitabant. In his primas facile tenebant *Wichmannus*, *Wichboldus*, *Godefridus* Michaelius, & ante alios apud posteros celebris *Nicolaus* Stortebekerus. Hi compluribus navibus armatis Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ, Britanniæ, Norvagiæ, Daniæ littora portusque infestos reddebant, nec quicquam tuti navigantibus relinquebant: quas prædas ceperunt, eas æquâ sorte inter se partiebantur: quàque illas arte paraverant, ita vicissim decoquebant: nullos vero infestius post Danos ac Norvagos veteres hostes, quam Saxones, qui se mari Balthico ejecerant, persequebantur, hosque

MARGARETA Regina. A. C.

hostes suos nuncupabant. Ex his *Nicolaus* Wichmannusque Albis ostium ad Saxonum insulas cum classe suâ forte servabant, ut commeantes ex Anglia atque aliunde mercatorum naves interciperent. Quo per indicium accepto, Hamburgenses etiam ipsi naves suas, quas jam ante publicè in piraticam exercentes armatas habebant, quarumque e numero erat, quam versicolorem Vaccam **de bonte Koe** vulgo nuncupabant, celerrimè expediunt, tormenta, arma, militem imponunt, mixtasque onerariis civium navibus secundo Albi descendere, hostemque prædæ intentum oportunè invadere jubent. Cum in conspectum mutuum esset ventum, prædones solas onerarias has esse rati, præsentisque prædæ spe læti, ad invadendas eas se pararunt. Sed ab armatis contra spem excepti, commisso acerrimo prælio ac promptissimis suorum quadraginta amissis, qui reliqui erant LXX cum ipsis ducibus Stortebekero *Wichmannoque*, multitudine circumventi, sese Hamburgensibus permisêre, victores cum spoliis & captivis ovantes Hamburgum reversi, ibi captiva capita omnia carnificis gladio subjecta pinnisque in terrorem & spectaculum navigantibus ad Albim longâ serie imposita. Nec multò post cum *Godefredo* quoque & *Wichboldo*, qui in sociorum vindictam contra victores exarserant, simili eventu, majoribus etiam viribus ab Hamburgensibus dimicatum: capti præfecti ipsi cum manipulariis ad octuaginta. Omnes gladio percussi, capitaque in maris littore tignis præfixa. Hamburgenses purgati à prædonibus oceani egregium nomen meruerunt. Dania quoque & totum quod appellamus Germanicum Cimbricumque mare, tam nefariis ac gravibus hostibus liberatum, omnium ubique commerciis quasi apertum exinde patuit. Hæc alii non ad annum, quem posuimus, sed proximè sequentem referunt.

MCCCCII. Quo uno omnes consensu tradunt chronologi exstitisse Prutenum, qui se Margaretæ Reginæ filium *Olavum* ferret, multa adducens, de quibus nemini nisi uni seorsim Reginæ constare poterat. Sed eum nutrice *Olavi* natum, ex quâ multa secretiora hauserat, postea innotuit. Nam inter cætera indicia, quibus verum *Olavum* deprehendere erat, asserebat Regina eum veluti è nevo agnoscendum, verruculamque habuisse intra humeri utrumque armum. Eaque non deprehensa dolum prodidit, cum *Olavum* præter id fato suo functum ac corpus sepulturæ apud Sorenses honestatum luce clarius haberetur. Hoc itaque pacto aperti mendacii convictum monstrum intra Scanoram & Falsterboam flammis exustulandum publicâ authoritate est traditum; meritas pœnas tam infrunitæ temeritatis atque impudentiæ luens.

De *Algotho* Magno & *Abrahamo* Brodero in Gotlandiam cum exercitu ab *Erico* Principe missis, quod ad annum supra millesimum trecentesimum nonagesimum octavum meminimus, rejiciunt annales Sueonum ad hunc, qui superiorem proximè excepit, millesimum

MCCCCIII. quadringentesimum tertium. Quem tamen calculum vel Imperatoris *Wenceslai*, qui biennio ante Imperatoriâ dignitate erat destitutus, ad componendum id belli per delegatos, ut memoravimus, interventus, vitii videatur arguere. Nec certior est æra, quâ traditur nata inter Dithmarsos & Ducem Saxoniæ *Ericum* simultas, quæ in apertum postremo bellum erupit. Crantzius initium ejus conjicit in seculi hujus quarti primum exordium ac tractam in hoc usque tempus, quo *Ericus* Saxo, post cladem, quam incurrisse apud eos generum ejus *Albertum*, supra notatum, ex improviso illos, mediam transgressus Holsatiam, invasit, & agros ac prædia eorum extremè divastans magnam secum opum ac captivorum vim domum abduxit. Hanc injuriam sibi ab externo Principe illatam detulerunt ad vicinos dynastas atque opida Dithmarsi, quod *Erico* scilicet Duci per suas ditiones atque oras adversus jura ac pactiones jam olim initas, transitum permisissent. Illi, & inter cæteros *Gerhardus* Slesvicensium Dux, acceptâ eorum querimoniâ, fratrem *Albertum* Erici generum eo nomine increpans, responsum ab eo accepit, se omnino ignaro id quicquid esset, perpetratum fuisse: Eoque responso excitatus Dux, sibi fidem atque integritatem, præcipuam à majoribus hæreditatem relictam memorabat, & se quoque eas verbo ac factis ad extremum usque inviolatas servaturum testatus, rescribi confestim Dithmarsis imperavit, eos objurgans, ac temeritatem accusationis notans, quod honori suo per ipsos apud Principes vicinos detractum esset, postulabatque satisfactionem se dignam. Dithmarsi excusatione Ducum ac Comitum intellectâ, se compositioni paratos referebant. Lubecenses quoque & Hamburgenses eodem spectantes, omnia per oratores agebant, ut res amice transigeretur: Sed incassum hæc omnia. Itaque bellum cæptum. Cujus Holsati, Dux *Gerhardus*, ejusque frater Comes *Albertus*, excitato ad opidum Meldorpum circa Delbrugam munimento, auspicium fecêre. Hoc cum frustra oppugnarent Dithmarsi,

marsi, opidum postremò Holsatis cessit. Qui & alia loca tenebant, quæ licet strenuè sæpenumero à Dithmarsis impeterentur, penes Holsatos tamen mansère. Ac tandem post varios conflictus cum in Northammum *Albertus* duceret, ac multâ ditatus prædâ reditum pararet, occurrère cum expeditis copiis Dithmarsi, à quibus cæsi haud dubio cuncti fuissent, nisi inundans desubitò Eidora angustam elabeudi semitam ipsis reliquisset. *Albertus* interim dum equum calcaribus incitat atque agmen cogit, equus in humum cum sessore collapsus ità armatum suo pondere pressit, ut spiritum haud multò post domi efflarit, tumulatus inter monumenta majorum suorum Itshoæ. Eo improle è vivis sublato Comitatus ille in fratrem *Gerhardum* recidit. Quem identidem exinde Dithmarsi per suos ac Lubecensium Hamburgensiumque delegatos benignè adière, obsecrantes ut rem amicè componi pateretur. Obtulerant denique ingentem pecuniæ summam modò paci auscultare in animum induceret. Respuit omnia *Gerhardus*, præter pensionem annuam ac fidem præstandam sibi in perpetuum; prætendens majorum quoque suorum jura ac pactiones, quibus antiquitus se Dithmarsi obstrinxissent. Sed illi conditionem eam morte duriorem rati ad arma ac sui defensionem recurrère. Primus impetus in castrum Delbrugæ factus, sed evanidus, quod id firmo Holsatorum præsidio defenderetur: tum & præter repulsam multi ex Dithmarsis capti, abducta jumenta, boves, oves, equi Holsatis in prædam abière. *Gerhardus* Dux hoc successu animosior redditus, & vi, quod verbis non dabatur, se assecuturum sperans, toto in hostem agmine ferebatur. Sub ejus signis, præter cæteros, viri nobiles & summis familiis nati militabant. Sagittariorum agmen unum ducebat *Henricus* ab Alevelt, eques auratus, & aliud ejus frater *Nicolaus*, quod primarium vocitabant. Dux ipse, cum cohortibus cæteris, ingressus viarum circa locum, cui Suderhamæ nomen, servabat. Prælium commissum die Osvaldi, ipsis nonis Augusti, anno supra millesimum quadringentesimo quarto. Sed antequam iniretur, prædæ atque incendiis villarum quam Duci intenti magis Holsati, multa quidem Dithmarsis damna dedère: Sed ea dum fiunt, in unum coeuntes Dithmarsi obseptoque viarum exitu ducem ipsum cum copiis signisque omnibus cædunt funduntque. Occubuère cum eo Comes Vunstruppæ ac milites duodecim, militares utriusque ditionis Holsatiæ ac Slesvicensis Ducatus trecenti: nobiles ac dignatione apud ipsum *Gerhardum* præcipuâ trucidati memorantur *Henricus* Limbekius, pluribus inter Danos adoreis clarus; *Vlffo* Paagwisck cognomento *Bonus*, *Henricus* & *Nicolaus* ab Alefelde, *Gerhardus* Sculterus ex diœcesi Bremensi eques, *Henricus* à Siggen mareschalcus, aliique. Die sequente è ruinis cadaverum servati *Rantzovius* & cum eo *Paagwisck* dictus. Pro quorum redemptione id obtinuère, ut castrum Delbrugæ ex templo dejiceretur. Militarium signorum nonnulla in opidum Mildorpum, alia Oldewardæ illata, columnis ac summis templorum tectis in modum trophæorum affixa. Aurum argentumque, & si quid ejusmodi occurrit, viritim divisum. Hæc altera insignis est clades, quam perpessi à Dithmarsis Holsati: dignumque memoratu archegum utrobique fuisse *Gerhardum*. Nam prior strages, cujus supra suo loco ad annum 1322. meminimus, profligato *Gerhardo* Comite, dynastarum insuper ac principum virorum duodecim, præter duo gregariorum militum millia, ut ista Ducem ipsum, cum toto exercitu ac nobilitate, Holsatis abstulit. MCCCCIV.

Prælio cladeque nunciatâ, luxit Holsatia ereptum sibi Ducem, *Elisabetha* maritum, omnisque populus patriæ patrem ac defensorem. Imprimis *Elisabetha*, Ducum Brunsvicensium germana soror, cum tribus filiis ac filiabus duabus, mæstè agens, belli nomen omnemque Martis aleam detestata, factis induciis, ita cum Dithmarsis transegit, ut renovatis antiquis fœderibus intra Holsatiam Storę atque Eidorę fluenta ab omnibus illi vectigalibus immunes haberentur, & eodem vicissim jure apud Dithmarsos Holsati gauderent. Si quid controversum exsurgeret, id ditionis utriusque arbitri ex ęquo & bono dirimerent, arma facesserent. Cui recedere à fœdere in animo esset, sex ante septimanis parti alteri id declararet. Hęc, obsignatis codicillis, tam à dominâ vidua, quàm Dithmarsis approbata roborataque. Sed ut erat tam tristi tempore perculsa haud immerito ac animo fracto princeps *Elisabetha*, ita vicissim in nobilium quorundam conjugibus eluxit ac deprehensa est illa veterum Cimbrorum virtus ac fortitudo. Estque pręcipue celebranda matrona vere magnanima *Paagwiskja*. Hęc cum amisisset in eâdem expeditione filios octo, ac salvum redire maritum nunciaretur, recipere eum noluit, antequam vulneratum quoque esse certò cognovisset. Nec minor aliarum fuit pietas: quę maritos cæsos & sepulturâ à Dithmarsis prohibitos sub habitu monialium quęsitos repertosque humo

MARGARETA Regina. A. C. mandarunt; præstito officio, quo nurus illas Thebanas, quæ maritos suos è rogo captæ urbis humeris deportarunt, vel æquasse, aut superasse potius dicendæ, cum illæ id officii vivis, hæ etiam mortuis persolverint.

Filiorum, quos Dux idemque Comes *Gerhardus* reliquit, trium maximus *Henricus* annum circiter septimum agebat, *Adolphus* tertium, *Gerhardus* in utero matris patri posthumus fuit. Filiarum priorem *Ingeburgam* nomine, Regina Margareta Sueonum cœnobio Vastenensi, ob Divam Brigittam imprimis tum celebri, dicatam tradidit. Altera quæ *Hedeviga* dicta, in matrimonium data *Balthasari Megapolitano*. Quo sine liberis defuncto, nupsit *Theodorico* Oldenburgensium Comiti, ex quo suscepit peperitq; *Christianum*, *Mauritiumque* & *Gerhardum* filios: Quorum primus rex exinde trium Aquilonis regnorum, hodiernam Daniæ Regum ac Ducum Holsatiæ stirpem propagavit. *Henricum* præterea, quem maximum natu filiorum Gerhardi diximus, regina, additis è nobilitate tribus moderatoribus, educandum in Daniâ ablegavit: *Adolphus* Henrico patruo præ ceteris charus ab eodem Nurebergam in aulas dynastarum Germaniæ, ut ibi honestis ac principe dignis artibus adolesceret, dimissus fuit. Estque memorabile, quod *Crantzius* memorat, eundem *Adolphum* adhuc puerulum, cum Regina *Margaretâ* ejus inter ceteros piliolo baccatum monile testandæ benevolentiæ assui curasset, eo insigni ornatum pileum recusasse, moxque manicæ intextum manu rejecisse, ac denique tergo thoracis additum, tergo parieti applicito, confregisse: Tumque Reginam de eo minus bene ominatam dixisse, eum, ubi ad justam ætatem venisset, sibi suisque hostem naturn.

Horum filiorum Dux *Gerhardus* in omnem eventum tutores constituerat *Ericum* Crummedikium, *Sigefridum* Sestedensem, *Laurentium* Hæstenum, equestris ordinis viros: Sed patruus liberorum *Henricus*, electus Osnaburgensis, extincto *Gerhardo*, eos aspernatus, ad sese, jure successionis, administrationem Ducatus nomine nepotum suorum pertinere existimavit. Unde varii animorum motus ac bellum postremo enatum. Nam & *Henrico* erant, qui traditis ei Segebergâ & Rendersburgo, eum amplexi sequebantur; Regina quoq; *Margareta* occasionem haud negligens & gnara matrem liberorum *Elisabetham* ære indigere, ab eâ arces aliquot Holsatiæ numeratâ pecuniâ pignori acceptas, suam in potestatem redegit. *Nicolaus* quoque Comes filiam reliquerat *Elisabetham*, cui arx Openrada, ipso defuncto, cesserat; Eam puellam Saxoniæ Duci *Erico* regina despondit; Procuratâque de suo dote arcem sibi vindicavit. Similiter & Grodebusam, destructis munitionibus, Ecclesiæ Slesvicensi in suam suorumque majorum memoriam permisit. Sicque ad nutum suum cuncta tum ibi administrare regina instituit. Sunt qui addunt, Ducissam *Elisabetham*, commotis in hunc modum rebus, unà cum tutoribus aliisque ex ordine senatorio, *Ericum* Regem ut dominum feudi sibi defensorem Ducatus elegisse, præstito ei pro more obsequii ac fidelitatis sacramento: Et *Ericum* vicissim Ducissæ, tutoribus ac consiliariis, *Erico* nimirum Crummedikio, *Eilero* Ronnovio, *Othoni* Hæsteno aliisque Holsatiæ præcipuas præfecturas tradidisse, adpromisso insuper annuo salario, sed minus ad vota ipsorum, ut postea referetur, reddito. Estque per idem tempus publicè Flensburgi inter Daniam Ducatumq; Slesvicensem pax promulgata: Neque sibi Reginæque de toto Ducatu, nisi obsequii ac clientelæ jus, more majorum debitum, adscribi rex voluit.

Regina interea non desiit arces aliaque apud Suecos municipia coronæ adjicere: quorum inter cætera Schindelburgum memoratur, emptum à *Nicolao* Limbekio. Similiter & apud Suecos Rimstêdam & Rimstedholmum pertinere eódem in publico Nicopiensi conventu ipsa præsens declarari effecit. Eadem à filio *Margaretæ* Due Canuto Boetio accepisse se, soluto pretio, Gripsholmum, sub testibus ac sigillis Ditlevi Bylovij aliorumque demonstravit. Volunt annales sub idem hoc tempus supremum clausisse in insulâ Rugiâ diem fœminam quampiam, *Gulitzam* nomine: Eamque omnium, quibus in usu fuerat idioma Vandalicum, extitisse ultimam.

MCCCCV. Proximo hinc anno, feriâ statim quintâ post purificationis, de Axelwaldæ arce præfecturâque inter Regem Reginamque, nec non *Hennekenum* Beckmannum & *Nicolaum* Guttorni diaconum dictum ità transactum, ut eam cum præfecturâ arcem Regi Reginæque servarent; Si quid illis, Regi inquam Reginæque, accideret, traderent eas *Catharinæ* heri sui sorori. Si & eam defungi contingeret, cederet utraque regni Suetici coronæ, aut regi, cui permitti regnum contingeret. Hinc die, qui *Mathæo* Apostolo sub quartum ac vigesimum Februarii sacer habetur, præsente Reginâ, piacularis instituta reconciliatio inter *Iohannem* Nicolai ab Avensberg & *Iohannem* Andreæ ab

ab Aſſendorp equitem, ejusque agnatos amicosque ob necem *Iohannis* à Clauſholm & filii ejus ac parentis utriusque. MARGARETA Regin. A. C.

Quæ ſecuta eſt ejus anni æſtas autumnusque aſſiduas ferè & ſine miſſione pluvias habuit, adusque propemodum Decembris initium: Excepitque cœlum admodum grave ac peſtilens, quod mortalium fere decimum quemque abſumſit. Evulgari autem Rex *Albertus* duos codicillos curavit, Flenſburgi XXV Novembris datos, die Catharinæ ſacro: Quorum altero ſe unà cum hæredibus volentem ac deliberato conſilio deſignaſſe profitebatur, quicquid in Daniæ, Norvagiæ ac Sueciæ regna prætendere, aut ſibi competere juris in aliquem ea regna incolentem poſſet: ſimiliter & alteris ſeorſim ac ſanctè teſtatus eſt, ſe in Regem *Ericum* ejusque hæredes arma haud unquam moturum, manſuramque in poſterum, traditâ jam in manus Reginæ Margaretæ Stocholmiâ, inter ipſam regnaque hæc tria & ſuum Ducatum Megapolenſem territoriaque, pacem integram perpetuamque: quin & operam ſe cum hæredibus ſuis daturum, ut regnis jam dictis, ſicuti & Sleſvicenſium Ducatui, ubicunque daretur, commodaret; nullum verò detrimentum inferret. Appenſum his ſigillum ipſius Regis *Alberti*; ſubſcripſerantque in rei teſtimonium cum *Alberti* tum regnorum trium nomine, Regisq; *Erici* ac Margaretæ conſiliarii ac ſenatores aliquot. In quibus memorantur, D. *Otho* Veeregge, D. *Wickenus* Belouv, D. *Henningus* Podebuſck, D. *Mathias* Naſcou equites, & *Henricus* Quitzouv, armiger; itemque Epiſcopus *Eſchillus* Ripenſis, D. *Nicolaus* Ivari, D. *Predebiornus* Podebuſch, D. *Petrus* Nicolai ab Aagaard, D. *Iohannes* Olai, D. *Iohannes* Scarpenberg, D. *Iohannes* Thomæ, D. *Guſtavus* Caroli, D. *Nicolaus* Thomæ, D. *Bernekenus* Schinckel, *Predebiornus* Præpoſitus Othonienſis, Dom. *Henricus* Weſthoff Conſul, Dominus *Reinerus* à Calen Senator Lubecenſis, *Iohannes* ab Aa Roſtochienſis, *Hermannus* Meier Viſmarienſis, *Meinardus* Buxtehude Hamburgenſis, *Wolphius* Vulflauv Sundenſis, Conſules.

Eodem circiter tempore *Ingeburga* Reginæ Margaretæ ſororis filia, quæ Reuſnero aliisque genealogicis vulgo omiſſa, cœnobii Ribbeniſſenſis antiſtita, argenti marcas trecentas à Reginâ Margaretâ materterâ ſuâ accepit, quibus bona nonnulla à Ribbeniſſenſibus hac lege emit, ut ea in uſus pios verterentur, cederentque virginibus, ſi quas ei Regina Margareta commendaret. De cœlo per idem fere tempus tantæ molis grando circa Wolgaſtum prolapſa, ut ovi magnitudinem æquans pecudes ac ſata proſtrarit. Supremum hunc annum habuit *Iohannes* Pauli, vir optimus, deque Eccleſiâ Roſchildenſi ſupra modum benemeritus. Eſtque poſtremò excommunicatus per id tempus, operâ Canonicorum Ripenſium *Iohannes* Scharpenbergius: Cauſæ prætendebantur injuria & vis illata *Suenoni* Abbati cœnobioque Holmenſi. Quod autem dixi, omiſſam vulgò, nec plene redditam genealogiam eorum, qui ex ſorore Margaretæ *Ingeburgâ* Duci Megapolenſi *Henrico* prognati ſunt; Et nos quoque ſuperius, pag. 512 (ubi STEMMA DUCUM MEGAPOLENSIUM, ut vulgo fere editur, eſt poſitum) *Ingeburgam*, quæ hic antiſtita eſt Ribniſſenſis, filiam ejuſdem *Ingeburgæ*, poſt *Mariam* neptem alteram Reginæ Margaretæ, non tam incuriâ, quam aliud ibi demonſtraturi, omiſerimus, ideo hoc loco propius & velut poſtliminio, quod eam præcipue rem ſpectet, ob oculos proponemus; Eſt verò id ſchema ejuſmodi:

ALBERTUS I Dux Megapolenſis.

Uxor Euphemia *ſoror* Magni *Smechi*, *Sueciæ ac Norvagiæ Regis*,

Magnus *ſtemmatis propagator.*	Albertus II *Dux Megapolenſis, electus Sueciæ Rex.*	Henricus *Dux Megapolenſis. uxor* Ingeburga *filia Valdemari* III, *ſoror Reginæ* Margaretæ.	*N. nuptui tradita* Henrico *Ferreo.*	Anna *conſors* Adolphi VII *Comitis Holſatiæ.*	Ingeburga *nupta* Ludovico *Romano Electori Brandeburgico.*

Children of Henricus:

Maria, *uxor* Vartiſlavi VII *Ducis Pomeraniæ*	Albertus III *Dux Megapolenſis.*	Ingeburga *antiſtita Ribniſſenſis.*

A
:

Ericus

RUPERTUS IMP.

MARGARETA Regina. A. C.

A

Ericus Pomeranus, Rex Daniæ, Norvagiæ & Sueciæ, ductâ Philippâ, *Anglorum Regis filiâ, obiit improlis. vide inferius.*

Sophia, *aliis est* Catharina *consors* Johannis *Neoburgici, Ducis Bavariæ, filii* Ruperti *Imp.*

Christophorus III *Rex Daniæ, Sueciæ ac Norvagiæ; de quo postea.*

Quæ genealogiæ series etiam hoc amplius & à superiori, quæ posita est pag. 512 Megapolensium Ducum, diversum habet, ut *Euphemia*, à quâ veluti lineâ maternâ descendunt Megapolitani Duces, non filia *Magni*, Sueciæ ac Norvagiæ Regis, ut fere omnes, Crantzium sequuti, perperam tradiderunt, sed *Magni*, qui *Smechus* est dictus, soror fuisse memoretur. Fuit enim *Euphemia* filia *Erici* Ducis, qui à Rege Suecorum *Byrgero*, fratre germano, inediâ, ut ante est demonstratum, enectus interiit.

MCCCCVI. Hinc Rex *Albertus*, Dux Megapolensis, anno proxime insequenti testatus est recepisse se ab equitibus infra scriptis *Nicolao* Ivari, *Bredeborno* Podebusck, *Petro* ab Aagaard, *Iohanne* Claufson, *Iohanne* Scherpenbergio, *Wernero* Schenckelio, *Iohanne* Thomæ, *Ionâ* Avestono, *Gustavo* Lekindo, marcas Lubecenses bis mille: Easque per *Iohannem* Magni Canonicum Arhusiensem, *Iohannem* Bondonem consulem ibidem, tum & Cancellarium suum *Iohannem* à Bentlage sibi esse recte redditas. De marcis verò trecentis, quas modò memoravimus, antistitæ Ribbenecensi à Regina Margareta, ut piis usibus impenderentur, transmissas, ità hoc anno per eandem statutum, ut quatuor ex iis insumerentur comparando lychno pensili, qui diu noctuque sanctorum corporibus illuceret; ex iisdem triginta quinque antistitæ dispositioni relinquerentur: Eâ defunctâ, quotannis per proxime succedentem Abbatissam divisio ex iis ac sportula conferretur in sacerdotes ac virgines ejusdem Abbatiæ. Defunctâ autem Reginâ Margaretâ vigiliæ ac supplicationes pro animâ ipsius majorumque ejus, cujusmodi pro Ducibus Megapolitanis fiebant, statis diebus haberentur.

Insignis præterea hic annus est nuptiis, quas Lundæ celebravit 25 Octob. *Ericus* trium regnorũ electus Rex cum *Philippâ* Reginâ, *Henrici* quarti Anglorum Regis filiâ. Nata ea ex conjuge *Henrici* priore *Mariâ*, Herfordiæ & Essexiæ Comitis filiâ. Sponsam ex Angliâ in Daniam ingenti magnificentiâ, veluti paranymphi, deduxerant *Thuro* Benedicti, ordinum Sueciæ nomine, & equites Daniæ duo. Suecorum annales immensi æris dotem secum detulisse ad sponsum memorant. Eodem tum tempore arcem Toruppæ emptam à *Stigoto* Andreæ, coronæ adjecit Margareta.

MCCCCVII. Promulgavit exinde sub annum, qui fuit millesimus quadringentesimus septimus, Episcopus Fionensis *Iohannes* indulgentias omnibus, quicunq; aliquid ad ædificationem ecclesiarum Horsdorpiæ, Sollingæ & Bregensdorpiæ de suo contulissent: qui & easdem anno quoque sequente repetitas continuavit. Hiems tum fuisse asperrima memoratur, igneque vago exustum magnâ sui parte Stocholmiæ opidum. Apud Sundenses Pomeraniæ exortæ per idem fere tempus leves quædam discordiæ, sed quæ urbi postremo haud exiguum detrimentum attulêre. Cum enim magistratus pecuniolam cudi fecisset deteriorem priori, renuebat loci pastor *Conradus* Bonovius unà cum symmiste suo hujusmodi nummulos novos altari illatos accipere, quod eos veteribus multò diceret viliores, adjiciens eripi sibi jus suum, nec alios ecclesiastis reditus esse. Quæ cum dixisset, ipse urbe excedens hostilia minitari videbatur. Nec diu cunctatus ipse cum equitibus, (quis à parochio id exspectasset?) trecentis regressus suburbana fere omnia flammis involvit ac vastavit, armenta & opidanos, qui extra urbem deprehensi, captivos abduxit. Iisque commoti cives, presbyteros clerumque reliquum adusque centenos in unum convocatum ac certæ domui inclusum, igne injecto, absumpsissent universum, nisi facinus inhibuisset urbis senatus. Interea ex grege toto tres selecti, qui, cum incensa arderent suburbana prædia, seque flamma attolleret, dixisse memorantur, eos esse cereos pro civium animabus ab ecclesiasticis accensos. Hi in forum, quod novum vocabant, abducti ac rogo impositi in cinerem versi sunt. *Conrado* deinde Bonovio loci, ut diximus, pastore causam totam ad Romani Pontificis tribunal deferente, & suam quoque eandem litem faciente Episcopo Suerinensium, sacris interdicti Stralesundenses, manseruntque ab Ecclesiâ secluſi septen-

nium

nium circiter. Tandem res ita composita, ut ob malam cleri tractationem inchoatum templi Suerinensis fornicem [illegible] & ad colophonem perduci opus curarunt.

Eodem hoc tempore Emdenses pressi a vicinis ac popularibus, primi omnium ejus gentis, quod quidem constat, auxilii causa cum Hamburgensibus & Lubecensibus, quorum tum maritimis in rebus permagna erat potentia, quique classes expeditas habebant, inière societatem; Eorumque milite ac tormentis & cetero apparatu instructi, non solum jam pares sed etiam metuendos se hostibus præstitêre. Proximo hinc anno redempta resumtaque è manibus ordinis Theutonici Gotlandiæ insula, numeratis, de quibus supra ad annum MCCCXCVIII memoravimus, novem millibus nobliis Anglicanis. Hujus transactionis tabulæ sub sigillo Magistri ordinis *Ulrichi* ab Jungengen Marienburgi obsignatæ, attestantibus urbis Torinensis, Dantiscanæ, Elbingensis, aliisque consulibus ac ordinis ejusdem consiliariis. Qui omnes Calmariæ præsentes aderant, & in his *Iohannes* van der Dolle, *Albertus* Rodius Consul Torinensis & *Conradus* Catzecovius Consul Dantiscanus. Decretum quoque ac literis eisdem expressum, ut abolitis post id, quæcunque ad urbem ac insulam Godlandiæ exortæ fuissent, controversiis, perpetua atque æqua cum Ordinis Magistro pax coleretur, & eam vicissim ordinis subditi in tribus *Erici* Regis regnis Daniâ, Sueciâ, Norvagiâque experirentur. Exacti per id tempus urbe Lubecensi consules quatuor factaque novi senatus per populum electio. Nec stetit ibi malum, sed longius serpens etiam Vismarienses & Rostochienses vicinos involvit. Qui similiter posituri Magistratui suo modum sexaginta utrobique viros nominarunt, qui rebus gerendis senatuiq; interessent. Causam motuum plerique fuisse tradunt impositiones novas, quæ populo, dum aliis oneribus gravaretur, minus tempestive fuissent imperatæ. MCCCCVIII.

Apud Holsatos anno proxime sequenti, postquam multa utrimque damna, dum fluctuat sine capite Slesvicensis Ducatus, hinc Dani, inde Holsati tulissent, die, qui Dionysio sacer est, Rex *Ericus* Comite *Henrico*, qui se pro liberis *Gerhardi* tutorem gerebat, Coldingam evocato, atque inde eodem in Fioniam Regem secuto, ita cum eo transegit, ut damnis, quæ Daniæ regnum ab Holsatis accepisset, circiter undecim aureorum millia æstimatis, eorum loco opidum Flensburgense veluti pignus una cum Niehusiâ sibi traderetur. Eaque summa si intra annum non solveretur, res in commissum, ut loquuntur, recideret, nec redimi eximde opidum daretur. Damnâ verò, quibus Dani Holsatos affecissent, si liquido demonstrari possent, factâ æstimatione compensarentur. Ita fere in Saxoniâ suâ refert Crantzius. Alii *Elisabetham Gerhardi* viduam, nomine liberorum suorum, assentiente patruo *Henrico* Osnabrugensi oppignoraffe utrumque opidum Regi simpliciter memorant. Et addunt, Reginam Margaretam, ut se veluti mediam Regi Comitique interponeret, cum *Elisabethâ* eum in modum convenisse, ut, tradito sibi Godtorpio, id ad tempus possidendum retineret, quo scilicet Comes *Henricus* animadvertens Ducatum non ab *Elisabethâ*, ad quam regimen nullum pertineret, sed à se, utpote feudi Dominâ, gubernari, quietius ageret, & ipsa quoque eodem hoc pacto benigniore uteretur; Matremque exinde parvulorum *Elisabetham* Reginæ dicto audientem, ut accederet arcemque susciperet, permisisse; Et mox Reginam, ubi ingressa arcem esset, paululumque consedisset, à famulis commonitam, haberi turrim milite stipatam; atque ita confestim exsurrexisse, abeuntemque torvo vultu in *Elisabetham*, quæ aderat, verso, dixisse; hæccine est illa fides, quam pollicita es? Crantzius ait speciem oblatam oculis observantium quasi magna inclusa fuisset armatorum manus, cum præter solitum præsidium nulli adfuerint. Sed id utcunque se habeat, saltem diffidentia hinc nata, quæ Reginam respicere & sibi ut consuleret admonuit. Sed *Ericus* Rex postquam Flensburgum, ut diximus, sibi traditum accepisset, id vallo aliisq; munitionibus ità firmavit, ut & collem, qui proxime est adsitus arcemq; impositam habet, fossâ cingeret. Unde Holsati non tantum Ducatui Slesvicensi, sed toti Holsatiæ imminere Regem in animum inducentes, ei diffidere cœperunt. Et addit Crantzius, quod tamen apud nostros non reperio, cum *Henricus* Osnabrugensis summam promissam offerret, ut, recepto Flensburgo, pignus liberaret, *Ericum* Regem moras nectentem aliud semper ex alio causatum. Et auxit denique suspicionem, quod etiam Regina, ut supra memoratum, præter Tonderam aliaque loca, Openradæ quoque arcem suæ potestatis fecisset. Holsati idcirco, & qui Regi Reginæque à consiliis ante fuerant, eisq;, ut modo indicatum, fidem ac sacramentum dixerant, *Ericus* inquam Crommedikius, *Timæus* Ronnovius, *Elerus* Ronnovius, *Otho* Hoestenus Holsatici equites, posthabito utroque, se Comiti *Henrico* Osnabrugensi Episcopo *Adolphoque* Schouwenburgensi denuò

MARGARETA Regina. A. C. denuò adjunxère, eorumque & Holsatorum secuti partes obtendebant, nisi id fieret temporique circumspicerent, periculum imminere ne totus Slesvicensium Ducatus e manibus filiorum *Gerhardi* elabatur. Quapropter & *Elisabetha*, liberorum mater, secuta eorundem consilium, evocatis ad se Flensburgensium consulibus, eos cousque custodiâ contineri mandavit, dum se reddituros in manus Holsatorum Flensburgum pollicerentur. Sicque eorum nomine nonnulli Flensburgum una cum consulibus digressi, opidum ab iisdem receperunt, insuperhabito, quod *Erico* Regi præstiterant, fidei sacramento. Nec eo contenti, arcem etiam Episcopi Slesvicensis *Iohannis*, præfecti ac senatoris Regii, Suavestadum & Stubbam sui fecerunt juris. Et arce præterea solo æquatâ, supellectilem omnem Episcopi, qui ipse absens Capellanum suum ibi reliquerat, militi in prædam dedère. Iactaque hæc omnia, durante adhuc, de quâ supra memoratum, pacificatione. Sed re intellecta, Rex Alsam insulam itemque Arram ingressus Sunderburgum & Noreburgum obsedit, deditoque Noreburgo, Sunderburgum, additis circum circa munitionibus, inedia ad deditionem urgere statuit. Verum insulæ utræque Regem agnoscentes ei sacramentum dixère, ut & Sundevidum. Hæc, licet indignantibus Holsatis, eâ tamen mente ab *Erico* Rege tum peracta, quod utramque ditionem ad regnum pertinere & ab Holsatis injuste possideri existimaret.

Idem annus fœderationis meminit, quæ die Margaretæ dicato, instituta sit inter Regem *Ericum* præfectosque ac consiliarios Dithmarsorum, ut nimirum auxilio illis Rex accurreret, si quando eos injuriâ afficere quispiam, aut invadere eorum ditiones pararet. Et ipsi vicissim si vel Regem regnaque ejus similibus exponi periculis contingeret, ei cum copiis auxiliaribus præsto adessent; Privilegia atque immunitates universæ, cujusmodi eas antiquitus usurpassent, Rex Reginaque inviolatas atque integras ipsis permitteret. Hæc unà cum Rege subscripserant obsignarantque Episcopus Roschildensis *Petrus*, Arhusiensis *Boëtius*, Dominus *Petrus* Lucke electus ac confirmatus præsul Ripensis, *Iohannes* Due aulæ Magister, *Andreas* Lunge, *Magnus* Munck, *Iohannes* Scharpenbergius, aliique, equites ac regiâ consiliis. Crantzius de eâdem Dithmarsorum fœderatione paulò sequius loqui, nec in eam consensisse omnino eos videtur innuere: addens nihilominus evocatos a Rege ex præcipuis nonnullos, atque eos honore ac donis, quibus emolliri humanæ mentes solent, largiter ab ipso affectos, ac suum postremò eousque assensum præbuisse, ut cum Rex Holsatiam sui juris fecisset, ipsi Hanroviæ arcem expugnandam susciperent: nisi alio & ad sequentia hoc tempora spectet. Rejiciunt in eundem hunc annum chronologi, supplicium *Abrahami* Broderi, natione Sueci ex Ordine equestri aliisque dignitatibus clari viri. Est is extra Sunderburgi arcem securi subjectus capiteque plexus, & quod mirabantur perplures, invitâ Reginâ Margaretâ: utpote cui ob multas causas, tum res pro ipsâ regnisque feliciter administratas, quarum & mentio superiùs facta, singulariter charus amatusque fuerat. Ei dabantur crimini præter libidines variaque adulteria, vis imperiumque supra fas & æquum in Hallandos exercitum. Author alias ac fundator exstitit Præbendæ, quæ Roschildiæ habetur, collatis in eam tribus cum dimidiâ frumenti lastis. Instituit similiter & vicariatum Ecclesiæ Lundensis, proventibus amplum, qui *Abrahæ* Broderi dicitur, hodie Malmogiensis Scholæ reditibus additus. Insignia ejus fuisse perhibent tauri caput.

MCCCCX. Lugenda clades est, cujus mentionem faciunt annales domestici ad annum millesimum, quadringentesimum decimum, superiori proximum. Miserat per id tempus Rex cum exercitu *Magnum* Munckium, *Iohannem* Scharpenbergium, *Nicolaum* Thuonem, *Henricum* Cabolt viros omnes equestri dignitate militiæque veteres, ut Frisios, Eidoræ accolas, Tonderæque ditionem invaderent. Fuisse præter equitatum octo circiter peditum millia volunt. Hos circa Bredstedæ ac Husæ municipia, collectâ ingenti prædâ, ubi receptui signum daretur, aggressus est ex inopinato prope Soltorpium *Adolphus* Schouwenburgensis Comes, cæsis ex iis circiter mille quadringentis, trecentis quinquaginta captis. Inter cæsos primus ducum memoratur *Magnus* Munck una cum *Nicolao* Thuone. Scarpenbergius in hostium potestatem vivus venerat, redemptus postea decem millibus argenti marcis. Reliqui captivorum confecto lutro sexaginta millium marcarum, domum dimissi. Hæc strages edita pridie iduum Augusti, die qui Claræ virgini sacer. Estque Regi *Erico* expeditio tota bis centies marcarum millibus æstimata. Crantzius ab istis nonnihil dissidens Danorum ait manum fuisse mille quingentorum equitum expeditorum, nullâ peditatus mentione additâ: Schouwenburgensem verò duxisse militem ex

Ducatu Luneburgensi, diœcesi Bremensi & Westphaliâ collectum circiter octingentos, propositumq; ejus fuisse, ut Ducatum Slesvicensem *Gerhardi* liberis vindicaret: Danos verò non Eidoram modò sed omnem intra Albim & Rhenum provinciam sibi subjicere constituisse. Et addit idem, tum demum ex insidiis *Ericum* Crummedikium Flensburgi opidum recepisse, sed arcem colli impositam regios adhuc servasse: atque inde à mari classem opido admotam per regios, verùm ab Holsatis feliciter defensum mansisse in potestate Ducum juniorum. Et rem exinde non armis sed tractatibus agi cœptam; sed ii cum irriti demum redderentur, Regem validâ cum manu ex arce eruptione factâ opidum recepisse, nonnullis ex civium præcipuis, qui sacramentum rupissent, gladio castigatis.

Post hæc *Ericus* Rex & viduâ *Gerhardi Elizabetha* causam universam arbitris disceptandam permiserunt. Horum à parte Regis nominati Margareta Regina, Dux Stetinensis *Vartislavus*, *Balthasar* Vandalorum Princeps: qui, constitutis vicissim sequestris *Bernardo* & *Henrico* Brunsvicæ & Luneburgi Ducibus, *Iohanne* & *Magno* Megapolensibus, permitterent iisdem, si convenire inter se haud possent eligere superiorem & veluti medium liti dirimendæ. Dies conventui dicta XIV, quæ festum Michaëlis præcedit. Rex interea *Ericus* agnato suo Duci *Vartislavo* Alsam & Arram traderet, *Elizabeta* vero & Comes *Henricus* Brunsvicensium Duci Suavestedam & Stubbam permitterent, donec de iis pronunciatum esset, & suum cuique arbitri jam dicti adjudicassent. Quodcunque autem penes eos statueretur, id firmum maneret. Captivi, datis sponsoribus, dimitterentur. Duces Principesque jam dicti *Erico* Regi Ducique *Vartislavo* nec non *Balthasari* Vandalorum Principi hæc ita fore polliciti.

Invenio iisdem his diebus Episcopum Lundensem *Iacobum* convertisse in suum ac mensæ suæ usum Nesbyholmiæ prædium, numerato ejus nomine certo pretio, cujus jam ante fuerat, domino *Thuonu* Gallen, unà cum possessionibus ac villis aliquot ad Borrebyam spectantibus. Tum quoque præsul idem oppignoravit Elleholmellotam domino *Axillo* Petri ab Herluffgaard, quæ Lilloa nunc dicitur, vice marcarum millium Sterlingensium. Hanc exinde arcem, elapsis circiter annis viginti, reddito pretio, redemit *Petrus* Lucke eques.

Eodem propemodo temporis tractu *Erici* Regis soror *Sophia* (nobilissimus Vitfeldius felicis memoriæ *Catharinam* nominat) solemniter desponsata *Ruperti* Imperatoris filio *Iohanni*, superioris Bavariæ ac Neoburgensi Duci, præsentibus magnificis atque illustribus dominis *Hadamario* à Laber, *Iohanne* Turckisio à Paldisheim, nec non *Conrado* à Niemarck. Nuptiæ sub diem assumptionis Ripis celebratæ. Deque dote ità statutum, ut ea florenorum quadraginta millium esset, aut loco eorum argentum aurumve non signatum. Ipsa vicissim ab Imperatore Romano ejusque filio, si marito supravivere eam contingeret, haud minore summæ reditus, quos vocant, ad vitam reciperet. Qui & statim post factas nuptias hebdomade quartâ designarentur, sicuti & dos, quam ipsa conferret, jam indicata.

Ericus interea, licet maximis cum Reginâ matertera regnorum suorum negotiis distineretur, piarum tamen rerum curam haudquaquam intermisit, constituto ad partem australiorem municipii Sebuensis, quod postea Landskronæ urbis ad eodem conditæ appellationem accepit, insigni cœnobio; Cui ex ordine Carmelitarum præfecit viros monasticos, pietate & aliis, quæ tū spectabantur, dotibus commendabiles. Hos è vicinâ Germaniâ evocari, magnaque solemnitate ipsemet in locum jam dictum introduci præsens curavit. Arcem præterea munitionibus ac fossis adversus vim imminentem, quasi inexpugnabilem è solo eduxit, atque opido Visbuensi, quod in insula Godlandiæ est, proximè adjecit. Fatalem annum habuit circa XIV Cal. Maj Archiepiscopus Roschildensis *Iacobus*, cum paulo ante Nesbyholmia aliisq; aliquot in Borrebyensi districtu possessionibus à *Thuone* Gallen pretio emptis, diœcesin adauxisset, & arcem insuper Eleholmiæ, loco mille marcarum argenti oppignoratam, ut ante meminimus, tradidisset *Axillo* ab Herluffgard, nunc Lillo vocant. Hanc summam refudit ac bona jam dicta post annos viginti, de quo & ante dicere cæperam, ad diœcesin reduxit Archiepisc. *Petrus* Lycke, qui *Petro* Cruse in locum *Iacobi* jam memorati surrogato, proximè successit. E vitâ quoq; sub idem fere tempus migravit *Rupertus* Palatinus Imp. cum decennium Germaniam rexisset. Successitque *Sigismundus* Ungariæ Bohemiæque Rex familiæ Lucelburgensis, *Caroli IV* Imp. filius. Is initio statim imperii sui Marchiam Brandeburgensem, redemptam à *Wilhelmo* Thuringiæ Lantgravio, cui eam patruelis *Iodocus* Moraviæ Marchio oppignorarat, vendidit *Frederico* Burgravio Noribergensi, spectatæ prudentiæ, fidei atq; authoritatis Principi, quadringentis

MARGARETA Regina. A. C. aureorum millibus: additâ conditione, ut si filius sibi nasceretur, huic fas esset, eam, soluto pretio repetere: quanquam in hac venditione non tam spectatum pretium, quàm remuneratio virtutis ac meritorum *Frederici*, qui pro *Sigismundo* contra Ungaros & Bohemos sapienter plurima consuluerat, & magna sæpenumero pericula adierat.

Dux Saxoniæ *Ericus*, ejusque conjux *Elizabetha*, *Nicolai* Comitis filia, superius nobis ad
MCCCCXI. annum MCCCCIV memorata, anno exinde, qui fuit à Christo nato quadringentesimus undecimus supra millesimum, oppignoratam tradidêre Reginæ Margaretæ, vice trium millium marcarum Lubecensium, Obenradæ arcem atque opidum, una cum Aslovâ, Sedorpio, Varmsâ, binisque parochiis in tractu Anglorum Quarnâ & Steenbecâ dictis, & si quæ præterea ad arcem eandem municipia, pagi reditusq; referrentur; idq; in tempus quinquennii: Intra quod si liberare pignus iidem vellent hoc semestri ante significandum foret: si verò redimi intra id temporis non contingeret, Reginam eo uti fruique fas esset, dum summa expensa redderetur. Additæ & aliæ conditiones de novis munimentis, si quæ forte exstruerentur, ea Reginæ, non Ducis *Erici* aut *Elizabethæ* impensis, exstructum iri. Per vim quoq; aut dolum si intercipi eandem arcem bonaque è manu Reginæ eripi ex improviso accideret, de eo nulla ipsis in Reginam aut ejus hæredes actio relinqueretur. His tabulis utriusque sigilla, Reginæ ac Ducis appensa: additaque & approbatio postea *Erici* Regis. Nec destitit *Elizabetha* Saxonici Ducis conjux epistolâ ad Obenradenses datâ declarare, esse hanc animi ac voluntatis suæ sententiam. Datæ hæ literæ omnes Nienhusæ die S. Fabiani & Sebastiani, qui fuit XIII. Cal. Februarii. Et licet res Holsaticæ, de quibus cum Daniæ Rege ac Reginâ Margaretâ controvertebatur, rejectæ essent ac permissę, ut modò memoratum, Germaniæ principibus aliquot velut arbitris, variæ nihilominus eruptiones aliaque interea tentata, quæ pactis conventis fraudi fuêre. Holsati & inter eos præcipue *Ericus* Crummedikius, *Timæus* Rannovius, *Eilerus* Ronnavius & *Otho* Sestadius imminere arcibus ac munimentis, quæ Daniæ Rex apud Holsatos tenebat, vix unquam intermittebant. Eâque occasione rerum suarum satagere Rex cœpit, existimabatque Holsatos, cum sibi sacramento obstricti essent, eâ perfidiâ, tum damnis, quæ passim Daniæ intulissent, excidisse in totum feudo Ducatus. Et referunt ad idem hoc tempus annales domestici, quod ex Crantzio de Flensburgi opido ab Holsatis occupato, & arce à Danis defensâ, deque eodem vicissim ab iis, qui arcem tenebant, recepto ac gladio exinde punitis senatoribus, ut fœderis ac jurejurandi violatoribus, allatum superius. Quibus & additur, dysenteriâ inter Holsatos ortâ destitisse eos urgere Flensburgensem obsidionem, sed & regios summâ vi de monte in eosdem incubuisse, atque ità, fugatis omnibus, urbem recepisse.

Institutus est post ista Coldingæ conventus, in quo de iisdem ferè modis ac pacificandi mediis, quemadmodum jam antea, actitatum fuit: ut nimirum *Ericus* Rex Reginaq; Margareta Flensburgum, Niehusam, & quæ eodem spectant ditiones territoriaque, cum jure ac jurisdictionibus universis à die proximo S. Johannis in annos usq; consequentes quinque sibi retinerent: Tonderæ quoque arx ac præfectura iisdem cederet: Suavestadum ac Strubbæ municipium Episcopo redderetur: Alsam, Erram, Sondvedam Holsati reciperent: quicunque has aut illas partes fuissent secuti, iis sua restituerentur: hæc pactio aliis ante hac initis nihil officeret: actum præterea de captivis, deque conventu Neoburgi celebrando, induciisque quinquennalibus solidè sanciendis. Hoc decretum factum, assentientibus Rege *Erico*, *Elizabethâ Gerhardi* Ducis viduâ, Comite *Henrico*, Electo Osnaburgensi, nec non hæredibus eorundem ac consiliariis. De hisce autem quinquennalibus induciis prolixæ tum quoque inter principes confectæ tabulæ, easq; signarunt ipsi, cum suo tum hæredũ suorum nomine; inviolatasq; toto illo quinquennio haberi ubivis voluerunt. Huic panegyri interfuêre à parte utraq; Danorum Holsatiæq; compromissores magno numero. Regis jam dicti nomine compromiserant Archiepiscopus Lundensis *Petrus* Crusse, *Petrus* Roschildensis, *Petrus* Ripensis, *Boetius* Arhusiensis, *Iohannes* Slesvicensis, *Iohannes* Othoniensis, *Lago* Viburgensis, *Petrus* Burglomensis, Episcopi: *Iohannes* Due, *Thuvo* Benedicti, *Algothus* Magnus, *Vikenus* à Vitzen, *Thomas* à Vitzen, *Ericus* Vimmerius, *Nicolaus* Bossonis, *Benedictus* Steno, *Iohannes* Scarpenbergius, *Canutus* Baad, *Nicolaus* Crabbe, *Otho* Meinstorpius, *Ionas* Litle, *Laurentius* Huass, *Christianus* Schram, *Trudo* Hassus, *Iohannes* Schram, *Sueno* Bossonis, *Stigothus* Munck, *Nicolaus* Brock, *Ionas* Buggæus, *Lotharius* Cabolt, *Bernekenus* Schinckel, *Valdemarus* Budesbachius, *Christianus* Friis, *Nicolaus* à Tange equites: *Nicolaus* Limbekius, *Canutus* Benedicti, *Hermannus*

mannus à Vitzen, *Lotharius* Limbekius, *Olaus* Haquinus armigeri. Inter Holsatos *Elizabethæ* ejusque liberorum ac Comitis *Henrici* vicem compromissores fuere, *Iohannes* Episcopus Lubecensis, *Ericus* Crummedikius, *Otho* Sestadius, *Lotharius* Storm, *Wolffgangus* Paawisck junior, *Otho* à Knope, *Timæus* Ronnavius, *Sigismundus* Sestadius, *Hartwigus* Hoestenus, *Iohannes* Ronnavius, *Otho* Viltbergius, *Nicolaus* à Bugwolt, *Hartwigus* Stacke, *Marquardus* à Siggen, *Ditlevus* Richsdorpius, *Stacke* Rantzovius, *Paulus* Breide, *Nicolaus* Suave, *Iohannes* Stacke, *Ditlevus* ab Alefeld equites: *Hennechinus* Tralow, *Bertramus* Sabellus, *Ludekenus* à Bockvold, *Henricus* Brocdorpius, *Marquardus* à Qualen, *Cajus* Rantzovius junior, *Ericus* Ratlow, *Luderus* Langelow, *Seldorpius*, *Borkardus* Crummedikius, *Henricus* Rantzovius, *Nicolaus* Raven, *Ditlevus* Valsdorpius, *Nicolaus* Aschebergius, *Henricus* Dosenrodius armigeri. MARGARETA Regina. A. C.

Sub festum Martini *Vlrichus* Dux Megapolensis, facto Vordinburgi *Erico* Regi Reginæque Margaretæ tribusque his regnis sacramento, operam ipsis suam pollicitus est stipendiariam, sive terrâ sive mari bellum ingrueret. Ejus quandocunque expeteretur auxilium sex ante septimanis à Rege commonitus ac missis Stralesundam navibus ac commeatu, centum vicissim armatos ei remissurum se addicebat. Horum nomine singulis trimestribus quingentæ ipsi argenti Lubecensis marcæ adnumerarentur, Unicuiq; armato equus adjiceretur: si ipsum Ducem unà adesse Rex cuperet, se adfuturum spondebat, eâ tamen lege ut damna impensæq; itus ac reditus sumptibus regiis fierent: ex subditis ejus nulli adversus regna jam dicta militarent: qui verò intra regna jam dicta facere stipendium vellet, id liberum cuiq; foret: ipse quoq; Dux hostibus Regis, regnorumq; ejus se hostem declararet ac commodis semper eorundum studeret. His subscripserant unà cum ipso Duce equestris ordinis viri *Iohannes* ab Illefeldt, *Otho* Patlhakel, *Angelus* ab Helpede, *Nicolaus* Skielle. Eadem quoque lege ac conditionibus *Iohannes* junior Megapolensis item Dux, se nomenq; suum regiæ militiæ stipendioque per idem tempus obstrinxit.

Inde Sultzbachii sequentis anni die qui Lunæ erat, post pentecosten Dux Bavariæ *Ioh.* Palatinus, traditâ apochâ, sibi satisfecisse Regem *Ericum* professus fuit, quod ad dotem, quæ ipsi conjugis suæ nomine promissa fuerat, quadraginta florenorum millium. Sunt & literæ haud multo post *Vlrici* Megapolensis Ducis promulgatæ, quibus velut latâ sententiâ, de lite & controversia pronunciat, inter Regem *Henricum*, Reginam & eorum hæredes, ut & Ducem Brunsvicensem *Henricum* & ejus sororem *Elizabetham* liberosque ejusdem: ut nimirum, præter cætera, Flensburgum lege ac jure pignoris Reginæ Margaretæ permitteretur: de castello juxta eandem urbem colli imposito idem *Vlrichus*, acceptis utriusque Reginæ & *Elizabethæ* postulatis responsisque, dijudicaret: Essetque ac coleretur inter regna hæc tria Ducatumque pax æqua ac firma, dum in totum sub diem Iohannis Baptistæ, ex compromisso de omnibus semel certoque statutum foret. MCCCCXII.

Mox ipsa Regina Margareta, feriâ sextâ post beati Francisci confessoris, nomine *Erici* Regis *Vlrico* Megapolensi Duci in arce juxta Flensburgum se stitit obtulitque cum *Henrico* Brunsvicensi jure velle de omnibus agere, quæ in eam, nomine sororis suæ *Elizabethæ*, adferre esset paratus. Eâque de re literas, Ducis jam dicti, sibi dari postulavit. Nec diu exinde senatus consulesque urbis Flensburgensis *Erico* Regi Daniæque regno fidem obsequiumque polliciti fuêre, confectis super hoc tabulis, quæ datæ ibidem feriâ proximâ ante festum Apostolorum Simonis & Iudæ. Agebat per ea tempora Roschildiæ præsulem *Petrus* Iacobæus Ferreobarbus, qui præter alia, quibus se erga Ecclesiam munem atque prolixum declaravit, insulam Suinoæ cœnobio Gabnoensi liberali donatione transcripsit, confirmante hanc ejus munificentiam Pontifice Romanorum *Iohanne* vigesimo tertio: adjecerant & suum calculum ejusdem diœceseos Canonici, quorum tum ad posteros sua nomina transmiserunt *Laurentius* Iohannes Decanus, *Christianus* Hemmingius, *Nicolaus* Bille Archidiaconus, *Gerhardus* Henricus, *Nicolaus* Boëtius, *Andreas* Gerechinus, *Nicolaus* Lagonis, *Petrus* Clementis, *Laurentius* Nicolai, *Iohannes* Gerechinus, *Gerhardus* Petri, *Iohannes* Laxemand.

Obiit per eosdem circiter dies *Wolffgangus* Wolfflavius, vir ordinis senatorii ac opibus apud Sundenses Pomeraniæ peramplis, Principibus & præsertim Danorum Regi *Erico* gratissimus. Hujus conjux decoctis deinde, quibus abundaverat superstite marito, bonis omnibus, solum argenteum scyphum ex tantâ fortunâ retinuit, nec eum sibi eripi passa, eo ad stipes emendicandas est usa, in memoriam scilicet felicitatis ac divitiarum, quibus olim floruerat.

MARGARETA Regina. *A. C.*

Supremum etiam hunc annum habuit in ipsâ vigiliâ Simonis & Judæ v. Cal. Novembris ex Holsatiâ in Daniam navigatura Regina Margareta. Cujus tum casus eo tristior regnis accidit, quod inopinanti, & jam compositis Slesvicensium rebus, alioque conversâ mentis acie, & quod mirandum trium regnorum totque terrarum Dominâ, quasi terra defuisset, in ipsâ navi, quâ transfretare in Daniam è sinu Flensburgensi constituerat, vitæ filum fata præciderint. Alii tam subitum ejus excessum contagioni pestiferæ, alii, ut est præsertim isti sexui halituum subtilior sensus, marino fœtori attribuunt, qui, ut esse plerumque circa littora & aquas restagnantes gravior solet, ità facillimè lipothymiam, & ex eâ subinde horam fatalem causari queat. Priusquam Flensburgo solveret, mortem quasi meditans ac præsentiens, monasterio, quod ibi in propinquo est, Campensi dicto, triginta argenti marcas, ut sacra pro se in perpetuũ fierent, testamento reliquit. Ibi an primò quoq; funus depositum disertè non reperio: Constat interim in cœnobio Zelandiæ Sorensi aliquandiu servatum, dum ab Episcopo *Petro* Ferreobarbo Roschildiam delatum, ibi ex candido marmore mausoleum, quod hodieq; eodem loci visitur, curante *Erico* Rege, magnificè elaboratum acceperit. Quàm verò ipsa sapienter moderatèq; unà cum filio *Olavo*, ætate admodum adhuc tenero, atq; inde seorsim, adscito sibi *Erico* nepote, annos circiter duos & triginta regnis his tribus præfuerit, ex supra memoratis intelligi potuit. Quorum Daniam Norvagiamque bellis atque ære alieno pœne pessundatas pristino nitori restituit, & illis postremò etiam Sueciam, armis superatam, adjecit, princeps opibus omnibusq; animi dotibus cumulatissima interq; paucas memoranda. Holsaticæ & Sueonum præsertim memoriæ haud æquè eam ut nostrates, laudibus vehunt, quamvis solertiâ sapientiâq; eminuisse non negent. Sueci præter alia vitio ei vertunt, quasi oneribus ac novis tributis ipsos gravarit, &, inter cętera, censum commenta sit, qui **Rumpeschatt** dictus, ex qualibet jumenti caudâ certam pecunię summam extorserit. Addunt, in dedecus quoque gentis suę & veluti socordiam exprobando viris, eâ parte, quam in fœminis natura tectam vult, nummum signasse. Sed hęc, ut quęque natio sibimet ac suis applaudit, alienigenis minus est ęqua, ita in eam quoq; quod Dana non Sueo esset, fuisse conficta, ęquiores facile concedent. Nam de nummo quod adferunt, casu non studio factum; ut solet subinde in exprimendis nummorum ectypis per negligentiam aut aliàs rudiculę fortuitâ positione, aut usu longiore attritę aberrari; & facile id fuisse in nummo isto, liquere hinc potest, quod ut altera pars effigiem fœmineam cum parte criniũ hinc in nodos collectâ, illinc solutâ exhibuit, ità altera characterem O, qui Danis cum virgulâ transmissâ usurpatur loco dipthongi, expressam habuit. At hoc nihil obscœni aut probrosum sed Orebro designabatur, qui locus, sive opidum fuit, monetæ id temporis jus habens, juxta insuper Daniæ, Sueciæ ac Norvagiæ regnorum concursũ propemodo collocatur, ut ita nihil eo indicatum sit aliud, quàm nummum eum ubivis valuisse, & omnibus Daniæ, Sueciæ Norvagięque districtibus fuisse communem: Sicut & ille capillorum comptus, hinc strictus, inde solutus, à parte ejusdem nummi alterâ, indicio fuerit celeritatem ubivis & in omni personâ locum habere plurimumque posse, si publica præsertim res agatur. Unde etiam Assyriorum Regina Semiramis, cum ei circa cultum capitis sui occupatæ nunciatum esset, Babylonem defecisse, alterâ parte crinium adhuc solutâ protinus ad eam expugnandam cucurrit: Nec prius decorem capillorum in ordinem, quàm tantam urbem in potestatem suam redegit. Quocirca statua ejus Babylone posita est illo habitu, quo ad recuperandam eam civitatem celeritate præcipiti tetendit; ut ità illo quoque nummo, & eodem habitu veluti æreo trophæo, etiam ista nostra Semiramis Margareta expressa fuerit. Interim aliquibus ex nobilitate præsertim Danicâ, minus æqua duriorq; est visa; idq; hinc accidit, quod ii parenti ipsius laudatæ memoriæ *Valdemaro* negotium facesserint; unde, ut tradunt, dicere solita, se *pomum* concussuram, *torrentem* stituram ac disrupturam *Scyphum*, tres indicans illustres per id tempus regni Danici familias, *Abilgaarde*, *Limbeke*, & *Beggere*: quarum prima *pomarii*, altera *torrentis*, tertia *Scyphi* significationem gerebat: has nimirum depressuram se innuens, quod & præstitit: Aliàs omnibus modis commendanda extollandaq; ab industriâ, prudentiâ, pietate, tum & animi pari moderatione ac magnitudine, aliisq; ejusmodi præclaris dotibus, quæ exornare laudabilemq; reddere principem ac principatum consuevêre. Et solitum quoq; parentem ejus *Valdemarum* referre memoriæ est proditum, aberrasse in eâ producendâ naturam, & fœminam edidisse, cum gignere marem instituisset. Jactitent suam Assyrii *Semiramidem*, *Boudiceam* Britanni, *Amalasuentham* Gothi, *Elizabetham* Anglia aliiq; si quæ sint alias, habet ecce Dania, quæ opponi his omnibus possit, MARGARETAM.

STEMMA

SIGISMUNDUS IMP.

STEMMA
REGVM SVECIÆ
Usque ad Reginam MARGARETAM.

S. ERICUS *Iadvardi nobilissimi viri F. à Suecis anno Christi 1150 Rex declaratus, ab H[illegible]o Scatlero trucidatus A. C. 1160. Vxor* Christina *F. Ingonis Regis Suecorum*

CANUTUS, *Carolo Suercheri F. Rege occiso, regnum recepit A. C. 1168.*	Ingeburga, *de hac vide Genealogiam sequentem.*

ERICUS *ab exilio revocatus, Suerchero Caroli F. à suis interempto regnum paternum recuperavit A. C. 1210. uxor* Richesa *Valdemari* I *Regis Danorum F.*

ERICUS Blæsus. *Rex Sueciæ A. C. 1222.*	Helena *uxor Ducis* Canuti *F. Folchonis.*	Ingeburga, *uxor* Byrgeri, *qui A. C. 1249. magno dissidio Rex Sueciæ creatus regio titulo abstinuit*	Mereta *uxor* Nicolai *de Tosta equitis aurati.*

VALDEMARUS *Rex Sueciæ 125. Vxor* Sophia *Regis Daniæ divi* Erici *F.*	MAGNUS *cognomento* Ladelaus *Rex Sueciæ; obiit A. C. 12[illegible]0. uxor Hedevigis F.* Gerhardi *Comitis Holsatiæ.*	Ericus *Dux Sueciæ.*	Benedictus *Episcopus Lincopiensis.*	Richesa *uxor* Haquini *Norvagi.*

Children of Valdemarus:

Ericus *decollatus.*	Richesa.	Marina. *vide Ericum Olai, Sueciæ Historicum.*

Children of Magnus:

BYRGERUS *Rex. uxor* Margareta *F.* Erici VI *Glipping dicti Daniæ Regis*	Ericus *Dux a Rege Byrgero fratre germano inedia enectus. uxor* Ingeburga *Regis Norvagiæ Haquini F. perperam* Richesa *Ducis Vandaliæ F. Reusnero.*	Valdemarus *Dux una cum fratre* Erico *perfidiâ fratris* Byrgeri *Regis absumptus.*	Ingeburga *nupta* Erico VII *Daniæ regi Mendvid dicto.*

Son of Byrgerus: Magnus *capite plexus A. C. 1362.*

Children of Ericus Dux:

Haquinus *Rex Norvagiæ.*	MAGNUS Smechus *Sueciæ & Norvagiæ Rex. Vxor* Blanca *Valesia.*	Euphemia *uxor Alberti* I *Ducis Megapolensis. A. Ch. 1336.*

Children of Magnus Smechus:

Filiæ tres. *vide Vitfeldium.*	Ericus *Dux, uxor Beatrix Brandeburgica. à matre* Blanca *potionatus interiit.*	Haquinus *Rex Norvagiæ obiit A. C. 137[illegible] uxor* MARGARETA *Daniæ, Sueciæ ac Norvagiæ Regina.*

Son of Euphemia: ALBERTUS *Dux Megapol. Rex Sueciæ 1363. à Margaretâ reginâ Daniæ victus captusque A. C. 1387.*

SERIES
REGVM DANIÆ, SVECIÆ
ac NORVAGIÆ adusque *Ericum* ac *Christophorum*, Reges ex hac prosapiâ ultimos.

Divus ERICUS, *Rex Sueciæ* MCL

CANUTUS *Rex Suecorum & Gothorum A. C.* MCLXVIII. — Ingeburgis, *consors divi Canuti, Ducis Selsviceusis.*

ERICUS *Suecorum Rex consors* Richesa Valdemari I *Daniæ Regis F. vid. supra*

Valdemarus I, *Rex Daniæ obiit 1128.* — Christina, *conjux Magni Caci, Regis Norvagiæ.*

Canutus VI *Rex Daniæ obiit A. C. 1202.* — Richesa *uxor Erici* X *Regis Suecorum.* — Valdemarus II *Rex Daniæ*. — Ingeburga *consors Philippi Regis Francorum.* — Valburgis *conjux Bugislavi Ducis Pomeraniæ.*

Ericus V *Rex Daniæ obiit A. Ch. 1250.* — Christophorus I *Daniæ Rex.* — Abel *Rex Danorum cæsus à Dithmarsis A. C. 1252.*

Sophia *uxor Valdemari Regis Sueciæ.* Christophorus. Canutus. — Juditha. Agneta. Ingeburga. Margareta *vide supra pag. 355.*

Ericus VI. *Rex Daniæ obiit 1286.*

Ericus *Dux Slesvicensis.*

Valdemarus *Dux Slesvicensis.*

Hedevigis, *consors* Valdemari III *Regis Danorum, mater* MARGARETÆ, *quæ trium postea regnorum Daniæ, Sueciæ ac Norvagiæ Regina fuit, ut est jam modo ordine memoratum.*

Ericus VII *Rex Daniæ* — Margareta *consors* BYRGERI *regis Sueciæ obiit 1341.* — Christophorus II *Rex Daniæ obiit 1336.*

Valdemarus III *Rex Daniæ 1334. obiit.* — Metilda *uxor Marchionis Brandeburgici. cetera vide supra pag. 356.*

MARGARETA *Daniæ, Sueciæ ac Norvagiæ Regina.* — Ingeburgis

Maria *uxor* Vartislavi VII *Ducis Pomeraniæ.*

ERICUS VIII *Rex Daniæ, Sueciæ & Norvagiæ. vide proxime sequentia.* — Sophia, *consors Iohannis Comitis Palatini ac Ducis Bavariæ.*

CHRISTOPHORUS *Rex Daniæ, Sueciæ & Norvagiæ. Vide Historiæ hujus Librum decimum proxime sequentem.*

ERICUS

ERICUS VIII POMERANUS. REX DANIÆ XC.

HUMANIS, ut memoravimus, ereptâ Reginâ *Margaretâ*, jam annum circiter decimum sextum unà cum ipsâ rebus, quæ ad regna pertinebant, curare cœperat Ericus, electione procerum omnium ad id destinatus, utpote nepte ipsius Margaretæ apud Pomeranos ac Duce ejus gentis, ut indicatum, progenitus. Et statim anno, qui superiorem, quo obiit Regina excepit, decimo tertio supra millesimum quadringentesimum regni Sueciæ MCCCCXIII. primates, Episcopi equitesque ac cætera nobilitas apud eum institit ut regni universi comitia indicerentur, facto promisso se ad omnia quæ regni leges præscriberent, fore paratos suamque ei operam libenter commodaturos. Horum præcipui fuère *Johannes* Upsalensis Archiepiscopus, *Canutus* Lincopiensis, *Brunolphus* Scarensis, *Petrus* Westeralensis, *Eschillus* Vexiensis Episcopi, præter equestris ordinis viros nobilissimos *Thuronem* Benedictum, *Algothum* Magnum, *Nicolaum* Boëtium aliosque.

Per idem tempus Landscronense opidum, quod Sebyæ tum nomen gerebat, adjunctum sibi habens Carmelitanum cœnobium, & nomen primo Landscronæ, & urbis privilegia atque immunitates à Rege Erico accepit, factis eâ de re codicillis, qui Stocholmiæ feriâ secundâ proxime ante festum, annuntiationis Mariæ fuère signati. In his eadem illis jura tribuuntur, quibus hucusque gavisi fuerant Malmogienses ac Lundæ civitas. Flensburgi verò Dux Pomeraniæ *Wartislaus* Stetinensis inter Ericum Regem & Ducem Brunsvicensem ac Luneburgi *Henricum* fratrem Elizabetæ nomine liberorum ejusdem *Elizabetæ*, *Gerhardi* Holsati Slesvicensium Ducis relictæ viduæ, ejusmodi compositionē instituit, ut Holsati quoscunq; à parte Erici Regis captivos cepissent post factā ab *Vlderico* Megapolensium Duce pacificationem, hi liberi dimitterentur, & Rex vicissim ipsis suos redderet: Conventusq; inter Regem ac Ducem eundem *Henricum* sub festum Catharinę Flensburgi haberetur, in quo de eisdem captivis, exceptis si qui ob pacem violatam tenerentur, plenior iniretur tractatio, ità tamen, ut nihil ea prioribus derogaret. Hinc Ericus, qui jam ante Holsatis litem intenderat, causam suam non tantum jure & rationibus tueri, sed vi & armis quoque agere in animum inducebat, præsertim cum sibi clientes essent & arma in se regnumque movissent, tum & neglexissent intra anni spacium, quomodo debuerant, Ducatus præfecturam à morte *Gerhardi* vacuum sibi de novo postulare: *Gerhardo* præterea quod erat concessum clientelæ jus, solum *Gerhardum* respicere nec ad hæredes ejus aut alios transferendum ex indole & naturâ feudi, quod semper apud Danos obtinuerat, intelligendum significabat: Et ideo Ducatus Slesvicensis cum Regis ac regni esset beneficium, ipseque Dominus, illi verò clientes ac vasalli, & qui ad se de jure provocare suumque tribunal agnoscere deberent, citari per principes viros *Elizabetham* Slesvicensium Ducissam curavit ejusque fratrem *Henricum* Brunsvigæ & Luneburgi Ducem unà cum ejusdem *Elizabethæ* liberis, Holsatiæ Comitibus *Henrico*, *Adolpho* & *Gerhardo*, ut se regni Cancellario totique senatui sisterent. Estque tum lata sententia, quâ excidisse eos Ducatu Slesvicensi promulgatum fuit. Acta hæc in plenis regni Comitiis Neoburgi apud Fionios, præsentibus non tantum Lundensium archiepiscopo cæterisque regni prælatibus totoque equestri ordine ac nobilitate, sed e vicinâ quoque Germaniâ illustribus Principibus ac Dominis, Domino *Bugislao* Pomerano, *Vldarico* Megapolensi, *Vartislao* Stetinensi & *Iohanne* Saxoniæ Ducibus. Cumque Luneburgensium Dux *Henricus*, qui se sororis suæ *Elizabethæ* nepotumque, Holsatiæ Comitum, tutorem gerebat, exposuisset tum omnibus, *Gerhardum*, nepotum jam indicatorum parentem, fuisse, quod ad Slesvicensem Ducatum, Regis regnique Daniæ clientem, & locum eundem idemque beneficium exoptare filios: Responsum extemplo ad ea Regis nomine fuit, illustrissimæ memoriæ Reginam *Margaretam* Gerhardo quidem Slesvicensem Ducatum Assenaci olim in feudum obtulisse sed ab eo tum illud beneficium fuisse recusatum: Idque negante *Henrico*, pluribus probari posse Rex asseruit, & posse vel eo liquere, quod *Gerhardus* ejusque fratres certo stipendio, si quando bellum ingrueret, merere Regi regnoque mallent, quam dictum Ducatum eo modo, qui offerebatur regnoque ac regibus semper fuerat usurpatus, in feudum recipere. Hinc tabulæ eâ de re contectæ aliaque eodem spectantia in medium prolata. Quibus cum Dux *Henricus* quod opponeret non inveniret, id agere instituit ut res compo-

Zz iiij sitioni

tioni permitteretur nominavitque a parte suâ arbitros aliquot, &, inter cetera, pacificationis quoque ab *Vlrico* Megapolensi institutæ mentionem injecit. Eaque à Rege, ut formulę contractus ac tabellarum minus respondentia, rejecta cuncta fuerunt. Inde à regni Cancellario Roschildensium Episcopo *Petro*, justitiæ supremo præside, per Ducem *Bugislaum* (cui ut testes adjuncti *Vlricus* Megapolensis, *Vartislaus* Stetinensis, & *Iohannes* Saxoniæ Duces) peremptorie citati nepotum tutor *Henricus* Luneburgensis ipsaque cum liberis *Elizabetha Henrici* soror, ut & complices eorum ac consiliarii *Ericus* Crommedikius, *Otho* Sestedius, *Otho* Knophius, *Thunno* & *Eilerus* Ronnavii, equestris ordinis apud Holsatos, aliique ditionum Ducatus jam dicti insessores ac detentores injusti. Rexque Ericus, sub diem citationis, ubi se coram judice ac Cancellario pro tribunali sedente stitisset, omnium, quos citatos diximus, sive præsentium absentiumve contumaciam incusavit; Ostenditque se matremque suam illustrissimam, piæ memoriæ *Margaretam*, statim à cæde *Gerhardi* Holsati, qui se pro Duce Slesvicensium gesserat, ab *Erico* Crommedikio, *Othone* Sestedio, *Othone* Knophio, *Thunone* Ronnavio, *Eilero* Ronnavio itemque *Laurentio* Hesteno aliisque ex optimatibus Holsatici Comitatus ad dicti Ducatus ipsiusque Dominæ *Elizabethæ* ac filiorum ejus tutelam fuisse vocatam; & eam quoque a se salvo feudi jure, quod sibi matrique in eundem Ducatum competebat, esse acceptatam. Eâque de re constitutâ per eundem Ducatum Holsatiamque pace, adjutam suis opibus *Elizabetham*, *Gerhardi* viduam ejusque liberos, & suo insuper præsidio communitum Gottorpium ac Flensburgum; receptosque inter clientes suos salarioque annuo ornatos Krummedikium, Sestedium, Hestenum aliosque: Et tandem fidei ac sacramenti oblitos eosdem, seclusisse postmodum ex arce Gottorpio Reginam *Margaretam*; captosque per dolum proconsulem consulesque Flensburgensium in vincula conjecisse, aliaque sibi regnoque multiplicia intulisse damna, quorum denique nomine Flensburgi opidum aliaque loca oppignorare ipsos oportuit; eaque à se quidem accepta, sed ità, ut integrum perpetuo esse sibi voluerit, quod in ea prætenderet hæreditatis ac feudi jus: Addebatque postremo Rex, ea ipsa promissa pignora ab ipsis minus sincere præstita, dum ea aut eripere vicissim regno aut varie eludere studuissent, adeò ut damna ab ipsis Daniæ regno illata, excedere diceret marcarum Lubecensium ducenta millia. Et alia multò adhuc majora secuta detrimenta, cum, ruptâ pace, quæ fuerat Coldingæ inter se & ipsos constituta ad bellum quasi apertum res deductæ fuissent. Itaque sub extremum Rex conversus ad reverendum patrem, judicem ac Cancellarium *Petrum* Roschildensem ab eo humanissimè petiit, ut sensum suum super allatis secundum leges ac jura Danici regni coram omnibus declararet. Ac simul acceptis propiusque inspectis singulis Roschildensium præsul, præter cetera, eum præcipue locum premere cœpit, qui in legibus regni ità propemodum concipitur; Quicunque regno excedens junctusque extraneis in idem regrediendo prædas ac vastationes agat, is bonis suis sive mobilibus sive immobilibus, ut vocant, universis excidit; habeturque id facti pro crimine læsæ majestatis, voce vernaculâ **Affuindskiold** vocant. Quapropter ex authoritate, quâ pollebat, & legum, quæ id dictabant, vigore declaravit ac pronuntiavit memoratus jam præsul Roschildensis, Dominam *Elizabetham* nec non *Henricum* Ducem Luneburgensem, tutorem dictæ *Elizabethæ* sororis ac nepotum suorum illegitimum, ut & Comitem Holsatiæ *Henricum* eorumque consiliarios *Ericum* Krummedikium, *Laurentium* Hestenum, *Othonem* Sestedium, *Thunonem* & *Eilerum* Ronnavios, *Othonem* Knophium personatos dicti Ducatus Slesvicensis milites, nullâ investiturâ aut justo titulo suffultos, serenissimum Principem ac Dominum, Dominum Ericum Dei gratiâ regnorum Daniæ, Sueciæ, Norvagiæque Regem, cujus heredium sit Ducatus jam dictus, & à quo, ut feudum, in alios proficisci debeat, maligne atque hostiliter invasisse; eidemque ut Domino feudi obsequium ac fidem præter fas atque æquum negasse, ideoque eosdem Ducatu jam sæpius memorato amovendos omnique ejus jure ac beneficio spoliandos ac spoliatos: Et denique teneri ad restitutionem omnium, quascunque eorum nomine Rex regnumque fecisset impensarum ac sumptuum. Sed hæc cuncta cum Latinè concepta habeamus, phrasi & verbis eo seculo usitatis, ea his ordine subjicere visum fuit. Sunt verò ejusmodi

» IN NOMINE DEI Amen. Anno nativitatis ejusdem MCCCCXIII. Indictione sexta,
» XXVI die Julii, horâ nonâ, vel quasi, in in platea castri Nyborg, in orientali parte, Othoni-
» ensis diœceseos, Pontificatus sanctissimi in Christo patris & Domini nostri, Domini Jo-
» hannis, divinâ providentiâ papæ XXIII, Anno IV in nostrorum notariorum, tanquam per-
sonarum

sonarum auctenticarum præsentia, personaliter constitutus Serenissimus Princeps & Dominus, Ericus Daciæ, Sueciæ, Norvagiæ, Slavorum Gotthorumque Rex &c. ex unâ; nec non illustris Ptinceps & Dominus, Dominus Henricus, Dux Luneburgensis ex alterâ parte, præsentibus ibidem & adstantibus Reverendis in Christo Patribus ac Dominis, Petro Archiepiscopo Lundensi, Petro Roschildensi, Iohanne Slesvicensi, Iohanne Othoniensi, Petro Ripensi, Boetio Arhusiensi, & Lagone Viburgensi, Ecclesiarum Episcopis, ac illustribus Principibus ac Dominis, Domino Bugislao Pomerensi, Vldarico Magnopolensi, Vartislao Stetinensi, & Iohanne Saxoniæ Ducibus, dictus Dominus Dux Luneburgensis, gerens se pro tutore sororis suæ, Generosæ Dominæ, Dn. Elizabethæ, relictæ Domini Gerhardi Ducis Slesvicensis, & nepotum suorum, ut asseruit, nomine dictæ tutelæ, proposuit & dixit, quomodo dictus Dominus Gerhardus, pater nepotum suorum, fuisset homo ligius & homagialis, dicti Domini Regis & regni Daciæ, de dicto Ducatu Slesvicensi, ità desiderarent esse filii. Ad quę pro parte dicti Domini Regis fuit responsum, qnod Ducatus Slesvicensis per Dominam Margaretam Reginam claræ memoriæ, fuisset exhibitus dicto Domino Gerhardo in opido Assnes in feudum, coram consiliariis Regalibus & Ducalibus, in magno numero, quem pro tunc in feudum recipere recusavit. Dicto Domino Duce Henrico hoc negante, ipse Dominus Rex asseruit, se istud sufficienter probaturum, & addit istud ex eo clarescere, quia dictus Dominus Gerhardus, maluit pro unâ certâ pecuniarum summâ, ipsis serenitatibus regalibus in eorum Guerris servire, quàm dictum Ducatum in feudum recipere, prout receptum erat, Juxta literas ex parte utraque desuper confectas, satisfacere satagens, sex judices pro sua parte & regni sui Daciæ, super discordiis inter eos exortis, sedandis, secundum dictarum literarum tenorem, pro tribunali sessuros, in judicialibus sedibus sedere fecit, ipsasque literas, quoad articulos præsentem materiam & diætam concernentes, per prædictos quatuor Principes & Duces, ad dictum Ducem Henricum Luneburgensem, ad audiendum & percipiendum dictos articulos, per dictam sororem suam, cum ipse per se tutelam puerorum suorum ageret, cum suis literis confirmatos una cum plurimorum potentum, procerum, & Nobilium, Militum, & Militarium, sigillis sigillatos, transmisit & legi fecit, super quibus dicta Diæta etiam per Dominum Henricum Luneburgensem recepta fuerat, ut præfertur, quorum articulorum tenor sequitur in hæc verba:

ERICUS VIII. Rex. A. C.

Ydt schal disser bref vnde frede/ nenen briffen scheilick sin / edder tho voorfang kamen / averst de articklen / so de Breffe inneholden / de tho Coldinge geschreffen was / dat men nicht vffrichten scholde ehe/ de fiff Jahr vmme waren / als de Breff vthwiesen / dat schal man nu richten op disse voorschreffen Johannis **dach.**

Tenor secundi articuli, secundarum literarum sequitur in hæc verba: **Wann averst disse fiff Jahren vmmekamen sind/ so schal ehrer ener dem anderm fryndtlick recht plegen/ vmme alle thosprake/ de ehrer ener tho den andern hefft/ an beden siden / in disse wyse als hier voorgeschreffen stehet/ als wann disse fiff Jahren vmme sind / welcker dem andern thoseggen wil / he schal em tho erste thoseggen/ edder thoseggen laten/ 9 weken tho vorn/ wenn de 9 weken vmme sind/ da schollense van stunden an als men dit tho allererste abfahren kan / sonder wegerung/ vnde sunder arg/ vnde enen fryndlicken dach holden an beiden siden tho Nyborg in Fynen / doch so: Wol dem andern thoseggen wil / he segge em tho twischen Paasken vnde S. Michels dach/ so tydtlick tho vorn/ dat ydt moge geholden werden/ vor S. Michels dach/ vnde op dem dach vnde stede / schollense den kesen/ sees an bede siden / ehres Rades vth Dannemarck vnde in sonder Jutland / de twolff schollen den volkamen macht hebben/ se tho vorscheden mit recht/ nach luth des Denischen Rechtes / nach thosprocken vnde nach antwerdt / vnde wat de twolff den endrechtlicken vor recht seggen nach Denischen recht / dat schollen se an beyden siden holden: Were ydt overst dat de twolff dit Rechts nicht ens wurden / so schollen de voorgenanten twolff / sechs an beden siden / enen Heren kesen / vnde mit welcken siten van deni twolffen / de twe van den Herrn endrachtlicken thofallen / de richtigst gesegget hebben nach Dennischen Recht/ dat schollense an beden siden holden; Werę ydt overst dat de tween Heren dit Rechts nicht ens werden: Da schal men klage / antwerdt vnde Recht / de darup gesegget sindt/ bringen vor den Romischen Koning/ vnde wenn den de Romische**

Ericus VIII. Rex. A. C.

Romische Koning denen seght/ edder seggen lest / dat he richtigst gesecht hefft nach Dennische Rechte. Dat schollen se tho beden siden also holden vnd thuen/ vnde sick daran genogen lathen an beden siden.

,, Et perlectis sibi dictis literis, quoad dictos articulos, requisiverunt dictum Dominum
,, Henricum Ducem Luneburgensem, ut iisdem literis & præsenti Diætæ placiti, satisface-
,, ret, ut nomine tutelæ suæ teneretur, & suos judices idoneos juxta dictarum literarum con-
,, tinentiam, ordinaret, à quo quidem Domino Duce Luneburgensi, quatuor Domini Duces,
,, nullum aliud responsum habere potuerunt, ut asseruerant, nisi quod dictus Dux Lunebur-
,, gensis, libenter deputare vellet sex ad amicabiliter tractandum stando, sed non judicialiter
,, sedendo, quos nominavit, qui tamen per Dominum Regem, omnino fuerunt inhabiles ad
,, hujusmodi actum reputati, quia nec erant de Dacia, nec de Suderjutia, prout esse debe-
,, bant, juxta literarum formam. Et adjecit Dominus Dux Luneburgensis, quod nullos
,, alios vellet deputare, asserens, quod juxta tractatus Domini Vldarici Ducis Magnopolen-
,, sis vellet tenere Diætam præsentis placiti: & quod nihil sibi constaret de literis coram
,, eo productis, per dictam sororem suam, & Comitem Henricum Holsatiæ, & aliorum
,, Nobilium sigillis sigillatis. Tunc replicatum fuit per dictum Dominum Regem, quod
,, ipse Dux Luneburgensis in propriis tractatibus pro hujusmodi Diæta servanda in dictis
,, literis consensisset, & addidit, quòd in dictis articulis sibi lectis expressè continetur, quòd
,, posterior litera, se ad priorem referet, & ad eundem effectum tenderent, & indissolubili-
,, ter una sine alia, servari non posset, obtulitque se dictus dominus Rex, ad standum diffini-
,, tioni dictorum quatuor Principum, & Ducum super hac. Et quo dictus Dux Luneburgen-
,, sis se de tutela dictorum sororis & nepotum intromitteret, utrum teneretur tenere lite-
,, ras dictæ sororis suæ, cum sigillo Comitis Henrici patrui suorum nepotum, & aliorum
,, Nobilium suorum consiliariorum, per eandem sigillatas, dum ipsa tutela prædicta funge-
,, retur, vel an ipse Dominus Rex super his ipsam sigillationem impetere debet, cui diffini-
,, tioni stare dictus Dominus Dux Luneburgensis penitus denegavit, Tunc protestabatur,
,, quod ipse dominus Henricus Dux Luneburg. sine satisfactione ipsius Diætæ & placiti,
,, de dictarum literarum observantia, super quibus dicta Diæta per eundem recepta fuerat,
,, diversis delusoriis evasionibus, studuit evadere de facto, licet de jure non potuit. Ipse
,, dominus Rex volens in omnibus satisfacere legibus prædictis, & Diætæ præsentis placiti,
,, assumpsit dictas literas in manibus suis, & una cum dictis Principibus, Episcopis & aliis
,, spiritualibus, ut temporalibus circumstantibus, ad judices suos in Cathedra judicialiter
,, tunc sedentes, pro hujusmodi discordiarum decisione deputatos, se sponte obtulit, stare
,, jur. definitioni, & decisioni eorundem, juxta Diætam receptam, Et si hoc facere debeant
,, stando vel sedendo, super hæc remisit eos ad leges regni sui Daciæ, & rogavit omnes &
,, singulos præmissos adstantes, ut eum informarent, si in aliquo dictus dominus Rex, pro
,, regno suo Daciæ, se ultra offerre deberet, quam se obtulerit, ad satisfaciendum hujus-
,, modi Diætæ, pro discordiarum discisione confectarum. Deinde dominus Rex, protesta-
,, batur in hæc verba, vel saltem consimilia, Quod libenter vidisset, quod omnes contro-
,, versiæ inter eos exortæ, fuissent sedatæ ac discussæ, secundum literas prædictas, super qui-
,, bus inter eos præsens Diæta fuit recepta. Sed quia nec dictus Dux Luneburgensis, tutor
,, dictæ sororis suæ, & nepotum suorum, nec ipsa soror, nec nepotes sui, hujusmodi literis
,, seu tractationibus satisfacere curaverunt neque curent, & per dictum dominum Ducem
,, tutorem, dictarum literarum observantia, per ipsam sororem & patruum suorum nepo-
,, tum, super præmissis sigillatarum penitus denegaretur: Quapropter ne dictus dominus
,, Rex negligens in persecutione jurium regni sui Daciæ inveniretur, ipse dominus Rex à
,, Judice & executore justiciæ, domino Petro Episcopo Roschildensi, Cancellario regni
,, Daciæ, per generale Parlamentum & placitum Danorum specialiter deputato, cum debita
,, juris instantia recitari petiit, & postulavit, dictum Ducem Henricum Luneburgensem,
,, tanquam præsentem tutorem sororis & nepotum suorum, ac ipsam sororem & nepotes, &
,, omnes alios & singulos, quorum interest seu interesse poterit, nec non occupatores & de-
,, tentores bonorum dicti Ducatus Slesvicensis, in feudum, ut præmittitur, à dicto domino
,, Rege descendente, in fraudem servitiorum ipsi domino feudi inde debitorum, ad standum
,, juri coram dicto judice regni, & toto parlamento Regali, juxta leges municipales regni
,, Daciæ. Super hujusmodi injuriis, & aliis enormibus, infra describendis, hujusmodi peti-
,, tioni, prædictus Reverendus pater & dominus, dominus Petrus Episcopus Roschildensis,
,, consiliarius dicti regni Daciæ, judex ad infra scripta, cupiens parêre Illustri Principi ac
domino,

Ericus VIII. Rex. A. C.

domino, domino Bugislao Duci Pomeranensi, executionem hujusmodi citationum in debita forma injunxit ac commisit exsequendam. Moxque & in continenti, dictus dominus Dux Bugislaus, assumpsit secum pro testibus, alios tres Duces, videlicet, Uldaricum Megapolensem, Vartislaum Stetinensem, & Johannem Saxoniæ prænominatos, accessitque ad personalem præsentiam dicti domini Henrici, Ducis Luneburgensis, citavitque eundem dominum Henricum Ducem, tanquam se gerentem pro tutore sororis suæ prædictæ, & nepotum præscriptorum, dictamque sororem & nepotes, ac alios quoscunque, quorum interest seu interesse poterit, occasione præmissorum, nec non occupatores, detentores, depilatores bonorum dicti Ducatus, in fraudem servitiorum dicti domini Regis feudatorii, & complices & consiliarios, nec non auxiliarios eorundem, videlicet Ericum Crummedige, Otthonem Seftede, Otthonem de Knoph, Thonnonem Ronnau, & Ericum Ronnau, milites, & generaliter omnes & singulos, ipsis in hac parte adhærentes, consiliarios, & auxiliarios eorundem, terras, possessiones, & bona hæreditaria in dicto Ducatu possidentes & habentes, alta & intelligibili voce, proxima die juridica, in dicto parlamento Danorum, coram dicto domino Cancellario, generali judice regni Daciæ in castro Nyborg, super præmissis & aliis objiciendis iis, à dicto domino Rege, secundum leges regni Daciæ compareant, in dicto generali parlamento legitime responsuri. Quo quidem termino adveniente, qui fuit XXIX mensis ejusdem, dictus serenissimus dominus Rex, dominus Ericus comparuit coram dicto domino Petro, judice & Cancellario, pro tribunali sedente, ut supra in majore Sala Regali, dicti Castri Nyborg, dictorum citatorum, & cujuslibet eorum non comparentium contumaciam accusavit, adjiciens, dictum Ducem Henricum, contra & adversus dictarum literarum tenorem, contumaciter recessisse, petens omnes & singulos sic citatos, non comparentes, contumaces per dictum Judicem reputari: Qui quidem judex de executione dictæ citationis certificatus, dictos citatos sufficienter expectatos, non comparentes contumaces reputavit, prout erant. Demum, in eorum contumaciam, dictus dominus Rex, coram dicto domino Cancellario regni, & Iudice ordinario, in hac parte proposuit & dixit, contra & adversus Ducē Henricū Luneburgensem, tanquam tutorem intrusum sororis suæ dominæ Elizabethæ, & nepotum suorum, nec non contra ipsam dominam Elizabetham, & ejus filios, & cæteros, infra & supra scriptos in hunc modum: Venerabilis domine Iudex ad infra & supra scripta, & Cancellario regni nostri Daciæ, coram vobis & Archiepiscopali, & Episcopalibus dignitatibus, Regali & generali parlamento, dicti regni nostri Daciæ, nos Ericus, Dei gratia, Danorum, Suecorum, Noricorum, Sclavorum, Gotthorumpue Rex, Dux Pomerensis, contra & adversus Dominum Henricum Ducem Luneburgensem, intrusum tutorem dominæ Elizabethæ sororis suæ & nepotum suorum, in Ducatu nostro Slesvicensi, contra omnes & singulos, eorundem complices & auxiliarios & consiliarios, supra nominatos, videlicet, Ericum Krummedige, Otthonem Seftede, Otthonem de Knoph, Thunnonem Ronnau, Eilerum Ronnau, & Laurentium Heften, milites prætensos, seu quoscunque alios eorum adhærentes, quos hoc præsens negotium concernit, seu quorum interest, seu interesse poterit in futurum, & quoscunque in dicto Ducatu possessiones habentes, Nobis & regno nostro Daciæ in hac parte contrarios, dicimus & proponimus in hunc modum, Quod interfecto in Dithmarsia domino Gerhardo, qui se gessit pro Duce Slesvicensi, per utrumque statum dicti Ducatus, Ecclesiasticum & temporalem, & per præstantiores milites & militares, Comitatus Holsatiæ, præsertim per dictos Ericum Crummedige, Otthonem Seftede, Otthonem de Knoph, Thunnonem Ronnau, Eilerum Ronnau, & Laurentium Heften, & eorum in hac parte adhærentes, domina Regina Margareta, mater nostra claræ memoriæ, & nos fuissemus concorditer electi in tutelam dicti Ducatus, & ipsius dominæ Elizabethæ, relictæ dicti domini Gerhardi, & puerorum suorum, quam etiam tutelam acceptavimus, præ omnibus, salvo tamen jure nostro materno, & feudali, in dicto Ducatu nobis debito, & ex tunc, ante omnia, de concordi consensu præmissorum, fecimus generalem & perpetuam pacem, per regna nostra, & dictos Ducatum & Comitatum, quæ etiam per præmissos milites & militares, dictorum Ducatus & Comitatus, & per nostros subditos, fuit promissa bona fide debere servari: & tandem consiliis & auxiliis, & nostris paratis pecuniis, juvimus dictam relictam, cum pueris suis, ut ipsi, & Ducatus non periret, quia alias simul fuissent destructi penitus, & quidem dictæ dominæ Margaretæ Reginę super hujusmodi tutela, Castrum Gotthorum, et Oppidum Flensborg pręservabantur, et valentiores milites et militares, dictorum Ducatus et Comitatus, et pręsertim dicti Ericus Crummedige;

dige, Ottho Sestede, Ottho de Knoph, Thonno & Eilerus Ronnau, Sigfridus Dosenrod, Laurentius Hesten, & Borquardus Krummedige, & quam plures alii facti sunt servitores dictæ dominæ Margaretæ Reginæ & nostri. Et super hujusmodi servitio, receperunt stipendia nostra bene larga. Omnibus verò bene ordinatis, vigore dictę tutelę, pro bono statu dictorum, relictæ, puerorum, & Ducatus, per dictam dominam Margaretam Reginam, ipsaque Regina ad alia facta regnorum nostrorum retrocedente, dicta domina Elizabetha, & dicti complices, Ericus Crummedige, Ottho Sestede, Sigfridus Dosenrode, Laurentius Hesten, Ottho de Knoph, Thonno & Eilerus Ronnau, dictorum beneficiorum, & pręmissę nostrę pacis, & pręmissorum servitiorum, & receptorum stipendiorum, & dictę tutelę ac debitę fidelitatis & fidei castrensis immemores, pro bono malum reddentes, ipsam dominam Margaretam Reginam, de dicto Castro Gotthorum excluserunt, contra dictum fidelitatis debitum, & fidei castrensis, & contra dictam pacem & tutelam, & eorum fidem; multa alia enormia mala intentaverunt. Nam Proconsulem & Consules Flensburgenses, traditione captivarunt, & tot & tanta damna nobis & regno nostro Daciæ intulerunt, quod oportuit ejus pro hujusmodi damnis recompensandis, impignorare Oppidum Flensburg & Castrum Nyhuss, ut in literis desuper confectis, clarius continetur: Magna tamen parte dictorum damnorum, ut indulta, quę pignora acceptavimus, salvo tamen jure nostro hæreditario, & feudali, in iisdem, ut præfertur, in quibus tamen pignoribus, contra eorum literas & sigilla, nos impediverunt, & obsederunt: Eodem, in hoc denuo, ad tantos sumptus & tantas impensas, nos adegerunt, quod nos & regnum nostrum Daciæ, damno affecti & gravati fuimus ex his, ad summam 2[illegible] millium marcarum Lubecensium, & tandem in eadem pace Episcopum Slesvicensem, consiliarium nostrum, proditorie captivarunt, exactionaverunt, spoliaverunt, & castra Ecclesiæ suæ Stubbe primo, & tandem Suavested, in possessione dictæ dominæ Reginæ ad manus fideles dicti domini Episcopi, ipso in negotiis regnorum dictæ dominæ Reginæ occupato, existente, proditorie ceperunt, damnificantes nos & dictam Ecclesiam, & ipsum dominum Episcopum, ac Dominum Andream Jacobi, Capellanum nostrum, ad summam quatuor millium florenorum Rhenensium. Item Capitaneos captivos nostros in nostra absentia, tales malitias ac sacrilegia coercere curantes, prout de jure tenebantur, captivaverunt, interfecerunt, & damnificaverunt, ad summam ducentarum millium marcarum Lubecensium. Item dum nos Rex Ericus cum magno exercitu, ad faciendum justiciam hujusmodi traditionibus supervenıremus, infra scripti principes interposuerant se, videlicet Vartzlaus Dux Stetinensis, Henricus Dux Luneburgensis, Iohannes Dux Magnopolensis, & Baltazar dominus terræ Sclaviæ, & tractaverunt de novo, inter nos perpetuam pacem, pro qua servanda promiserunt nobis, dictus dominus Henricus Dux Luneburg. & Dn. Iohannes Dux Magnopolensis, quod tamen promissum nobis & regno nostro Daciæ, minimè exstitit servatum: Quinimo per Othonem Sestede, & Thononem Ronnau, innocentes subditi nostri, nobis in contemptum, fuerunt suspensi, & nonnullis guttura incisa, nec non sumptuosæ nostræ machinæ, per eosdem maliciosè combustæ. Nicolaus Limbeck, & Petrus Uke, servitores nostri, & nonnulli alii nostri familiares & subditi fuerunt capti. Demum per dictam dominam Margaretam Reginam, alia placita facta fuerunt, in castro Coldinge, cum dicta domina Elizabetha, & domino Henrico Comite Holsatiæ, & dicto domino Baltazaro, & eorum consiliariis, & in dictis placitis concorditer concordatum fuit, ex utraque parte, inprimis quod ad corrigendum dictæ pacis transgressores deberent deputari arbitri ex utraque parte, prout in literis desuper confectis, clarè patet, quod pro nostra parte extitit adimpletum, & pro alia parte penitus defecit. Secundo, quod prædicta domina Margareta, deberet dominę Elizabethę relictę prędictę, restituere terras Alse & Arrhe, & ipsa domina Elizabetha & sui, vice versa deberent restituere domino Episcopo Slesvicensi, castra suæ Ecclesię, traditoriè eidem ablata, videlicet, Suavested, Stubbe, quod pro parte dictę dominę Margaretę impletum fuit, realiter, omni effectu, & pro parte alia, nulliter & collusorie cum defectu. Item, quod cautum fuit in iisdem literis, quod quilibet spoliatus bonis suis hęreditariis, tempore hujusmodi guerrę, sive Ecclesiasticus sive temporalis, ad eadem bona sua, cum effectu ex utraque parte recuperanda, pręveniret, sed tamen in altera parte defecit, ut apparet in Episcopo Slesvicensi, Ivaro Iull etc. et in militaribus in Alsia morantibus, quibus eorum bona hodie non sunt restituta. In eâdem pace proditoriè intraverunt oppidum Flensburgum prędictum, contra eorum proprias literas et sigilla, deprędantes et damnificantes in eodem incolas et conventum fratrum, ad summam

4[illegible]

SIGISMUNDUS IMP.

40000. Marcarum Lubecensium, & ipsum Episcopum Slesuicensem, ad summam 4000. marcarum Lubecensium: Et coëgerunt nos, ac dictam dominam Margaretam Reginam matrem nostram, ad damna, expensas, sumptus, & ad reformandum & corrigendum, prædictam summam, 200000. marcarum Lubecensium. Item, dicta domina Margareta ex una parte, & dictus dominus Dux Luneburg. ex altera parte, arbitrati sunt super hujusmodi traditione & pacis fractione, in dominum Vldaricum Ducem Megapolensem, Ipse dominus Vldaricus pronunciavit, Flensburg restituendum, & pacem prædictam servandam, quæ non longè post rupta fuit in Advocatia Sunderborg, homicidiis, spoliis & captivitatibus servitorum nostrorum, damnificantes iterum nos, videlicet ad summã 10000 marcarum Lubecensium, & ipse Dux Henricus, fecit Episcopum Slesuicensem ad statim, post hoc, spoliari in villa sua Rodenisse, 180. bobus & vaccis, & per advocatos suos fecit eundem Episcopum spoliari in decimis, jurisdictionibus, & terragiis suis, usque ad summam 6000. marcarum Lubecensium. Postmodum vero dictus Dominus Dux Stetinensis, venerunt ad nos in Vordingborg, & ibidem promisit nobis dictus Dux Henricus, vel sororem suam prædictam, cum nepotibus suis, castris & terris ad tutelam nostram præsentare, & quod nos pro eorundem debitis persolvendis, pecuniam accommodaremus vel, si Holzati hoc impedirent, ipse dominus Henricus Dux, vellet stare juri in parlamento Nyborg celebrando, juxta tenorem literarum, desuper confectarum, dummodo hoc protraheretur usque ad festum S. Iacobi tunc proxime futurum, promittens ex tunc de cætero, dicto domino Regi, nunquam contra ire, Et supra hoc posuit fidejussores, quos ut fefellit, & de præmissis nihil tenuit, sicut pro nunc contumaciter recessit. Ex quibus omnibus & singulis, tanquam notoriis publicis & manifestis, taliter quod nulla valeant nec possint tergiversatione celari, colligitur, quod licet dictus Ducatus Slesuicensis, materna successione juxta leges municipales regni nostri Daciæ, hæreditario jure ad nos spectet, Nihilominus per subditos dictæ dominæ Elizabethæ, illicitè detentorũ prædictorum temerariorum & violentorum detentorum dicti Ducatus castrorum, terrarum, ejusdem sine quacunque investitura debita, & absque justo titulo, qui tamen à nobis in feudum descendit, hostiles invasiones, contra nos dominum dicti feudi, ex Ducatu, contra debitum fidelitatis militantes, & servitiorum nobis inde debitorum, & dicti debiti fidelitatis fraudationem, nec non eorundem traditorias fælonias, contra nos dicti feudi dominum, & dictum fidelitatis debitum machinatos, quæ crimen sapiunt læsæ Majestatis, dictus Ducatus ad nos de jure feudali, secundum dictas leges municipales regni Daciæ, existit devolutus, & ad nos dignoscitur pertinere, & maximè cum dicta detentrix, ac dicti detentores, necnon eorum literas & sigilla, nec fidem, nec pacta, nec fidejussorum cautiones, nec promissam ore & manu pacem, servent, nec nobis servaverunt usque modo. Quare nos Reverendum patrem, judicem & Cancellarium (ut supra) petimus & requirimus, quatenus authoritate, qua fungimini in hac parte, de consilio dictorum assessorum, & consensu, & totius nostri Regalis & generalis parlamenti, declaretis, dictas leges municipales, & alia jura nostri regni declaretis, pronuncietis, definiatis, dictum Ducatum (salvo quod materna successione, jure hæreditario ad nos spectare noscitur) occasione præmissorum, etiam jure feudali ad nos & nostrũ regnum, & hæredes & successores nostros, fore legitime devolutum, ipsamque præmissam illicitam detentricem, & illicitos detentores, & occupatores dicti Ducatus, & intrusos detentores, in dictum Ducatum, amovendam, & amovendos fore de eodem, declarantes dictum Ducatum, usque in præsens eandem & eosdem, detinuisse & detinere, Et ex eodem nobis & regno nostro Daciæ, contra fidelitatem exinde nobis debitam, injustas & indebitas guerras movisse, nobisque & dicto nostro regno Daciæ, eosdem teneri ad restitutionem omnium fructuum inde perceptorum, nec non ad restitutionem omniũ damnorum, per nos & adhærentes nostros, Ecclesiasticos & Temporales passorum, spoliis, rapinis, incendiis, homicidiis, captivitatibus, captivorum redemptionibus, castrorum & fundorum præfati Episcopi Slesuicensis traditionibus, prædictas eorum injustas guerras, nobis & aliis illatas, illicite & iniquè, & ad restitutionem sumptuum & expensarum, ad quos & ad quas faciendum, nos & dictos nostros adhærentes nequiter arctaverunt.

Nos verò Petrus Episcopus Roschildensis, Cancellarius dicti regni Daciæ, & judex præfatus, hujusmodi requisitionem & petitionem, reputantes fore justas, & rationi consonas, Et quia omnia præmissa sunt publica & notoria, taliter quod nulla valeant tergiversatione celari, Dei nomine invocato, pro tribunali sedentes, ac solum Deum ac justiciam præ oculis habentes, venerabilium assessorum nostrorum jurisperitorum, & totius Regalis parlamenti

Ericus VIII. Rex. *A. C.*

parlamenti freti consiliis, & consensu, cognitis & præfatis hujusmodi causæ, & causarum
„ meritis & circumstantijs, perlectisque & intellectis, capitulis legum municipalium reg-
„ ni Daciæ, hanc materiam immediaté concernentibus, & præsertim capituli, cujus tenor
„ in Danica lingua, de verbo ab verbum, sequitur in hæc verba,
„ **Det skal mand oc vide / at sin egen Jord maa mand met andet intet forgiore/**
„ **uden hand farer uden Riget / oc far met uden Rigens Hær / ind paa sit eget Ri-**
„ **ge / oc hærer paa det / da haffuer hand forgiort huer den Penning hand eyer**
„ **inden Riget / boode Jord / oc andre Koste til Kongen / fordi det kalder mand Af-**
„ **fuindsſkiold / at fore paa Riget /** quod sic sonat in Latino.
„ Quicunque exiverit regnum, & cum extraneis revertitur in regnum & in eodem præ-
„ das & vastationes contra regnum exercuerit, privatus est omnibus bonis suis, mobilibus
„ & immobilibus, Quia tale factum fore reputatur pro crimine læsæ Majestatis. Quare
„ authoritate, qua fungimur in hac parte, & vigore hujusmodi legis municipalis, dicti
„ regni Daciæ, & aliorum jurium dicti regni, decernimus, declaramus, pronunciamus,
„ diffinimus, in his scriptis, non licere, nec licuisse, non decere, nec decuisse, ipsam do-
„ minam Elizabetham, nec non dominum Henricum Ducem Luneburgensem, intrusum
„ tutorem dictæ dominæ Elizabethæ sororis suæ, & nepotum suorum, dominum Henri-
„ cum Comitem Holsatiæ, nec Ericum Krummedige, Laurentium Hesten, Otthonem
„ de Knoph, Thunnonem & Eilerum Ronnau, prætensos milites, dicti Ducatus Slesui-
„ censis, nulla investitura, nec justo titulo suffultos, Serenissimum principem ac domi-
„ num Ericum Dei gratia, regnorum Daniæ, Sueciæ, Norvegiæ &c. Regem, cujus di-
„ ctus Ducatus Slesuicensis successione materna hæreditas vera extitit, & nihilominus
„ ab eodem, & ejus regno Daciæ in feudum descendit, omnis rationis & juris feudalis, or-
„ dine prætermisso; palam publicè & notoriè hostiliter, invasisse, & invadere, & eundem
„ dominum Ericum Regem, dominum feudi, dicta Ducatus suis servitiis debitis eidem, de
„ dicto Ducatu, & debito fidelitatis defraudavisse, & defraudare, atque proditorias atque
„ fraudatorias felonias multipliciter intulisse, inferre contra dictum debitum fidelitatis, &
„ dicto domino Regi, & regno ejus Daciæ literas per eosdem, eidem datas & sigillatas, pacta,
„ promissam ore & manu pacem, & fide jussorias cautiones, minimè servavisse, sed per hoc si
„ quid juris eisdem, vel alicui eorum, in dicto Ducatu competivisset, vel competere, perdi-
„ disse, decernentes eosdem, castra & terras, dicti Ducatus illicitè & injustè detinuisse, & de-
„ tinere. Quia absque investitura debita, & sine justo titulo, eundem violenter & de facto,
„ occuparunt, ipsumque Ducatum, etiam jure feudali, occasione præmissorum & juxta leges
„ municipales, & alia jura regni Daciæ, ad ipsum dominum feudi, & regnū Daciæ fore, & esse
„ legitimè devolutum, & ad ipsum dominum Ericum Regem, & regnum ejus Daciæ, & ad
„ nullū alium pertinere, quem etiam dictis Regi & regno adiudicamus, in his scriptis, ipsam-
„ que dominam Elizabetham, & filios suos, de dicto Ducatu, & dominum Henricum Ducem
„ Luneburgens. à dicta tutela, ad quam se intrusit, & alios omnes, & singulos, supra nomina-
„ tos, amovendam, & amovendos fore, tanquam illicitam & illicitos, detentricem & deten-
„ tores, dicti Ducatus, Quam & quos nos sic amovemus, à Ducatu antefato, Decernentes in-
„ super illicitam detentricem, & injustam & illicitos detentores, & injustos dicti Ducatus
„ dicto domino Regi & ejus regno Daciæ, ad restitutionem fructuum, de dicto Ducatu per-
„ ceptorum, nec non omnium & singulorum damnorum, per ipsum dominum Regem, &
„ regnum Daciæ, & per adhærentes eorundem, Ecclesiasticos & temporales, passorum spoliis,
„ rapinis, incendiis, injuriis, captivitatibus, captivorum redemptionibus, castrorum & fundo-
„ rum Episcopi Ecclesiæ Slesuicenses traditionibus, bonorum mobilium & immobilium ab-
„ lationibus, per dictas injustas guerras, dicto domino Regi & regno, & ejus adhærentibus,
„ illatis, illicitè & iniquè, tenerique eosdem, ad restitutionem sumptuum & expensarum,
„ ad quos & ad quas faciendas, dicti Rex & regnum, & eorum adhærentes, per eosdem
„ injustos gubernatores, nequiter sunt arctati, cum debita & condigna satisfactione præ-
„ missorum, injuriarum realium & verbalium, per dictos injuriatores præmissos, injuria-
„ tis principibus, & eis adhærentibus, Ecclesiasticis & temporalibus præfatis, nequiter
„ illatis, In quorum omnium fidem & testimonium præmissorum, præsentes literas fieri,
„ & per notarios infra dictos, subscribi & publicari mandavimus, sigillique nostri jussimus
„ & fecimus appensione communiri. Datum & Actum, Anno Indictione, mense, die, ho-
„ ra, loco, & pontificatu, quibus supra, præsentibus ex tunc, reverendis in Christo patribus
„ ac dominis, DD. Petro Archiepiscopo Lundensi, Iohanne Slesuicensi, Boëtio Arhusiensi,

Johanne

Johanne Otthonienſi, Petro Ripenſi, Canuto Lincopenſi, Jacobo Aſloënſi, Eccleſiarum Epiſcopis, nec non Illuſtribus principibus & dominis, Bugiſlauo Pomerenſi, Vartiſlao Stetinenſi, Johanne Saxoniæ Ducibus, aliiſque quam pluribus proceribus, militibus & militaribus, proconſulibus & conſulibus, plurimorum nobilium & inſignium civitatum & communitatum, infra regna dicti domini Regis, & extra in terris & patriis partim in remotis, & partim in vicino dictis regnis, conſtitutis, teſtibus ad præmiſſa vocatis & ſpecialiter & rogatis.

Ejuſmodi in Holſatos prolatâ ſententiâ, regem adijt filiorum *Gerhardi* natu maximus, *Henricus* nomine, ſubmiſsè efflagitans ut ſibi Sleſvicenſis Ducatus feudum permitteretur, ac ſimul obſequium ſuum officiaque prolixè commendans ei ſe ad omnia paratum fore pollicebatur. Verum Rex univerſum prius Ducatum omneſque arces opidaque reſtitui ſibi poſtulavit, atque indè, quid tribui vellet ſuo arbitrio ac favori relinquendum cenſuit. Idque ob cauſam eam, quod nec ipſe aut ejus nomine quiſpiam hoc jam antea efflagitaſſet. Verum modus iſte conferendi feuda pluribus in Germania principibus diſplicere videbatur, præſertim cum genium atque indolem Danici feudi ignorarent. Quapropter condolere Holſatis illiſque adhærere nonnulli cœperunt. Hujus, præter cæteros, claſſis fuêre Megapolitanus *Albertus*, Sueciæ olim Rex, ut aliquo ſcilicet modo ſe adverſus Ericum qui in imperio Suetico ſucceſſor ei obtigerat, ulciſceretur, tum Vandaliæ dynaſta *Balthaſar* itemque Duces Luneburgenſes Holſatiæ Comitum avunculi ac tutores. Sicque factum ut rumperentur paulatim, quas pepigerat jam ante inducias, Regina *Margareta*. Cujus funus archiepiſcopus Lundenſis *Petrus* Cruſeus, poſt peracta ſuperiora comitia, è Soræ cœnobio transferri Roſchildiam curavit, invitis licet ejuſdem cœnobij fratribus. Eidorenſes circa hæc tempora variè inter Danica & Holſatica arma jactati, tandem in bellum quoque ob vicinos Dithmarſos inciderunt. Dithmarſi indignantes, captos quoſdam ſuæ gentis ac ſcelerum convictos à Transeidoranis laqueo fuiſſe necatos, agmine ob id infeſto Eidorâ flumine ſuperato, primò cladem ab hoſtibus accepêre, quingentis ſuorum amiſſis: Deinde, inſtaurato exercitu, ità eoſdem terruêre, ut ad iniquiſſimas conditiones accipiendas deſcenderent, triginta marcarum millia multæ nomine polliciti; & in cauſis controverſis hoc ratum habituri quod viginti MCCCCXIV.
Dithmarſi ab Eidoranis delecti, uno ſuæ gentis addito, judicaſſent. Quæ cum ibi fierent, annus jam erat à Chriſto nato milleſimus quadringenteſimus decimus quartus. Quo tempore *Conſtantiam* à rege Erico miſſi præſules *Petrus* Luckius Ripenſis & Sleſvicenſis *Johannes* Schonlevius, ut ibi, quod ad Michaelis celebrandum inſtabat, Concilio intereſſent. Cujus initio *Gregorius* duodecimus ſedi, quam occupaverat, renuntiavit. *Benedicto* verò decimo tertio & *Johanni* vigeſimo tertio poteſtas abrogata. Atque inde Cardinales viginti quinque ingreſſi conclave *Othonem* Columnam elegerunt, qui, quod ipſo feſto Martini eſſet creatus, *Martini* quinti nomen aſſumpſit. Aderat & ipſe Imperator Sigiſmundus aliique totius Europæ principum perplures: interque ceteros *Caſimirus* ac *Vartiſlaus* Stetinenſium Duces: Quorum hic illud præcipuè agebat ut ab imperatore, nomine nepotum ſuorum Wolgaſti principum inveſtituram reciperet. Domi verò per idem fere tempus ex Holſatiæ nobilitate illi ipſi, in quos ſuperior etiam ſententia erat vibrata, relictis *Eliſabetâ* ejuſque liberis, qui Sleſvicenſem Ducatum ſibi vindicabant, ſe regi Erico conjunxêre. Nomina eorum fuêre *Ericus* Krummedikius, *Otho* Knophius, *Thunno* & *Eilerus* Ronnavij equites: *Marquardus* & *Nicolaus* van der Wisch & N. Seſtedius: Rex inſignibus eos præfecturis ornavit, *Erico* præterea Krummedikio in ordinem ſenatorium allecto. Hæc defectio quantopere *Eliſabetham* ceteroſque Holſatiæ principes adfecerit, æſtimare per ſe quivis poteſt.

Proximo ſtatim anno Cæſar Sigiſmundus literas ad Ericum regem, fratrem & avunculum ſuum chariſſimum, ſuper Lubecenſibus dedit, quibus ipſi ut urbi eorum vicino principi mandabat, Lubecenſem ſenatum, qui anno 1408 per ſeditionem loco fuerat motus, dignitati ſuæ priſtinæ reſtitueret. Eamque provinciam poſtquam Rex Imperatoris nomine ſuſcepiſſet, ſcripſit de re totâ ad Lubecenſes. Sed ij cum parum commoveri tum viderentur, in aliud id tempus differendum ſtatuit. MCCCCXV.

Conſtantiæ interea de quo dictum Concilium agitabatur, in quo, præter cetera, cum eſſet haud perperam, ut Platina teſtatur, decretum generale concilium legitimè convocatum eſſe ſupra Papam & habere poteſtatem à capite eccleſiæ, qui eſt Chriſtus, tamen in

Ericus VIII. Rex. *A. C.*

devium lapsi patres, nec ferre euangelij salem assuefacti, *Iohannem Hussum* & *Hieronymum Pragensem* hisce diebus rogo adjudicarunt, licet salvo, ut vocant, conductu *Sigismundi* Imp. communitos. Causa tam sævi supplicij hæresis Viclevi prætexebatur, quam illi quasi novo paxillo affixam reducere & animis mortaliũ inserere fategissent; cum verius seculi atque ecclesiæ luxum, qui ad summa jam venerat, castigare, & ejusdem, quod ad ceremonias & doctrinam, exerrationes ad sua & Christi atque apostolorum primæva instituta revocare elaborarint. Nec aliud erat, quod eodem in concilio illustris ille Parisiensium Cancellarius *Iohannes Gerso* agere instituerat, cum acceptâ à patribus loquendi potestate, de corruptis similiter ecclesiæ moribus, publice ac libere per idẽ circiter tempus dissereret.

Dum verò Constantiæ aut in propinquo substitit Imperator, Rex Ericus per literas & legatum salutari eum curaverat, assensum ac confirmationem ejus exposcens super sententiâ, quam Neoburgi adversus Holsatiæ principes, eorumque consiliarios, regni Danici senatus jam pridem pronunciaverat. Quam & hoc circiter tempore per literas Constantiæ XIV. Junij datas ei transmisit, in hanc propemodum formam: ut, postquam modos, quibus excidere quispiam feudo suo possit, ostendisset, & eorum ferè omnium rei essent Holsatiæ principes, dum nimirum intra annum & diem investituram à domino feudi petere supersedissent, & contra fidei atque obsequij sacramenta in herum quoque insurrexissent aliaque commisissent, quæ crimine perduellionis ac læsæ majestatis intelliguntur, declararit ac statuerit, rectè & ordine in eos judicium factum, tenerique regi Erico, fratri atque avunculo suo dilecto, utpote feudi vero domino per omnia satisfacere deque singulis ad jus idem spectantibus ei in totum respondere. Sed ipsas Cæsareas literas, eâdem, quâ tum temporis scriptæ fuêre, lexi ac formulâ, his proximè subjicere haud abs re existimem. Sunt verò ejusmodi:

,, SIGISMUNDUS Dei gratia, Romanorum Rex, semper Augustus, ac Hungariæ Dal-
,, matiæ, Croatiæ, Rassiæ, Serviæ, Palliciæ, Lodomeriæ, Cumaniç, Bulgariæque Rex,
,, Marchioque Brandeburgensis, nec non Bohemiæ & Luzeburgensis hæres, Notum faci-
,, mus tenore præsentium, quibus expedit universis, ad perpetuam rei memoriam. Post
,, mundi machinam, divinâ providentia firmatam, & primordialem materiam, naturæ me-
,, lioris conditionis officio, in rerum effigies distributam, qui facienda præviderat, facta
,, considerans, & considerata commendans à globo circuli Lunaris inferius, hominemq́ue
,, creaturarum dignissimam creaturam, ad imaginem propriam effigiemq; formatum, quem
,, paulo minus minuerat ab Angelis, consilio perpenso, disposuit præponere cæteris creatu-
,, ris, quem de limo terrç transsumptum vivificavit in spiritu, ac eidem honoris & gloriæ di-
,, ademate coronato, uxorem, & sociam partem sui corporis aggregavit, eosq́ue tanto præ-
,, rogatiuæ munere decoravit, ut ambo efficerentur primitus immortales, ipsosq́ue, verunta-
,, men sub quadam lege præcepti constituit, quam quia servare tenaciter contempserunt,
,, transgressores eosdem pœna damnatos, ab ea, quam ipsis ante contulerat, immortalitate,
,, proscripsit. Ne tamen in totum quod ante formaverat, tam ruinose, tam subito divina cle-
,, mentia deformaret, & ne hominis forma destructa, sequeretur per consequens destructio
,, cæterorum, dum carerent subjecto prçposito, & ipsarum commoditas ullis usibus non
,, serviret, ex amborum semine terram mortalibus fœcundavit, ipsamq́ue subjecit eisdem,
,, qui paterni discriminis non ignari, sed in ipsos à patribus transgressionis vicio propagato,
,, inter se invicem, sæva odia conceperunt, rerumq́ue dominia jure naturali communia, di-
,, stinxerunt, & homo, quem Deus rectum & simplicem procreavit, immittere se questioni-
,, bus non ambegit, sicque ipsarum rerum necessitate cogente, nec minus divinæ provisionis
,, instinctu, principes gentium sunt creati, per quos possit licentia scelerum coërceri, qui vi-
,, tæ necisq́ue arbitri, gentibus, qualem quisq́ue fortunam, statumq́ue haberet, velut execu-
,, tores, quodammodo divinæ sententiæ stabilirent, de quorum manibus ut villicationis si-
,, bi commissæ & perfectæ valerent reddere rationem, pacem quoque populis, eisdem paci-
,, ficatis justiciam ministrando, quæ velut dominæ sorores se invicem amplectantur & pro
,, posse conservent. Nos itaque qui ad Romani Imperij fastigia, & aliorum regnorum insi-
,, gnia, sola divinæ potentiæ dextera, insufficientibus licet meritis sublimavit, volentes du-
,, plicata talenta nobis credita reddere Deo vivo, in reuerentiam Jesu Christi, à quo cuncta
,, bona procedunt, colendo justitiam, & jura tuendo præcessorum nostrorum, divorum Im-
,, peratorum, & Regum Romanorum, laudabilibus vestigijs inhærere cupientes, & declara-
,, tione nostra, guerrarum dispendia & anfractus questionum mactare cupientes, claritatem
justiciç

Ericus VIII. Rex. A. C.

justiciæ providemus, publicè denotandam, Dudum equidem nonnulli Divi Imperatores Romani, circumſpectione provida, & providentia circumſpecta, certis caſibus exprimendo, ſalubriter decreverunt & ſtatuerunt, in quibus feudum amittitur; inter quos ſpecialiter tanguntur, caſus infra ſcripti, videlicet, Si Vaſallus alienet totum feudum ſuum, vel majorem partem domino inſcio & irrequiſito, quo ad illam partem alienatam, cadit à jure feudali, & perdit feudum, & dominus feudi poteſt de jure, & debet illud a quolibet poſſeſſore ſeu detentore illicito repetere, & revocare, & tanquam ſuum proprium apprehendere & tenere. Item, Si Vaſallus infra annum & diem, inveſtituram feudi à domino, vel ab hæredibus ejuſdem domini feudi, non petierit, vel domino feudi requirente, ab hujuſmodi Vaſallo juramentum fidelitatis, & tertio commonitus illud non præſtiterit, aut aliquam feloniam contra tenorem juramenti fidelitatis fecerit, perdit feudum, & revertitur ad dominum, & præſertim, ſi Vaſallus contra dominum feudi commiſerit Crimen læſæ Majeſtatis, Amiſſo igitur feudo per Vaſallum in caſibus ſupradictis, aut aliquo eorundem, boniſq; feudalibus, juxta dicta decreta & ſtatuta, ad dominum feudi reverſis, incolæ & inhabitatores terrarum, Vaſalli, & bonorum feudalium prædictorum, de jure & dictamine rectæ rationis, & æquitate ſuadentibus, tenentur & debent omni timore depoſito, ſalvoque honore poſſunt ipſi domino feudi, in omnibus parere, intendere & obedire. Cum itaque pro parte Sereniſſimi principis, Erici regnorum Daciæ, Sueciæ, Norvegiæ, Sclavorum, Gottorumque Regis, & Ducis Pomeraniæ, fratris & avunculi noſtri chariſſimi, coram Celſitudine noſtra propoſitum extiterit, in publica audientia, & manifeſtè deductum ſit, Quod Ducatus Sleſuicenſis, ab eodem fratre & avunculo noſtro, ratione prædicti regni Daciæ, in feudum dependeat, Quodque illiciti detentores prædicti Ducatus, ipſum dominum feudi, ſervitiis prætextus dicti Ducatus, & Vaſallatus debitis penitus defraudarint, Majoremque partem dicti Ducatus, omni proſecutione juris poſtpoſita, alienaverint, Ac inſuper regnum ſuum Daciæ, contra debitum fidelitatis, ſpoliis & rapinis, hoſtiliter invaſerint, multaſque alias felonias, contra hujuſmodi fidelitatis debitum, nec non fidefragia, & traditiones, ipſi domino feudi, pro felici gubernatione aliorum ſuorum regnorum prædictorum, in remotis agendi, contra ipſum perperam & iniquè commiſerint, in dedecus prædicti ſui Regni, & Crimen læſæ Majeſtatis ſuæ, Volens igitur præfatus Sereniſſimus princeps, frater & avunculus noſter chariſſimus, ut dominus feudi prædicti Ducatus, non de facto ſed via juris & regia, juxta leges municipales prædicti regni ſui Daciæ, quæ etiam ſtatutis imperialibus ſupradictis, ſunt conformes, contra illicitos detentores prædicti Ducatus Sleſuicenſis procedere, vocatis ad hoc vocandis, & ſervatis de jure ſervandis, idem Ducatus Sleſuicenſis ſæpedicto Sereniſſimo principi, fratri & avunculo noſtro chariſſimo ex præmiſſis juſtis & rationalibus cauſis, exitit judicialiter adiudicatus, prout in literis & inſtrumentis publicis, deſuper confectis, & coram Celſitudine noſtra productis, plenius eſt expreſſum. Nos igitur in ſolio throni Cæſarei plenitudine poteſtatis aſſumpta, tum laudabiliter ea utimur, cum inſpectis diligenter circumſtantiis variis, perſonarum, rerum, locorum, & temporum, emergentibus oportunitatis articulis utiliter providemus, legibus profecto & obſervantiis municipalibus prædictis, juſtis & æquis, rationalibus & honeſtis potiſſimum ſtatutis, & decretis autenticis, divorum Imperatorum Romanorum, ſuperius expreſſis & denotatis, clarè concrepantibus, favere cupientes, & earundem effectum promovere, præſentis ſcripti noſtri Epigrammate, & ſanctione, in quantum dignè poſſumus, ac juris & rectæ rationis dictant ordo & auctoritas, ſignificamus declarando, declaramus ſignificando, quibus expedit, Quod univerſi & ſinguli incolæ, & inhabitatores dicti Ducatus Sleſvicenſis, ſic ut præfertur adjudicati, virtute adjudicationis præmiſſæ, eatenus quatenus ritè proceſſum cenſetur, præfato Regi, ut prælibatur, tenentur & debent, ut domino feudi de jure & ratione juſticiæ adminiſtrare, intendere, per omnia, & parère, honore ipſorum ſemper ſalvo in præmiſſis, perinde ſicut antea Vaſallo, quia jure ſuo cecidiſſe dignoſcitur, & feudum perdidiſſe, paruiſſe & obtemperaſſe noſcuntur & debeant, Eidemque Regi, domino feudi de omnibus juribus feudalibus, ad ipſum propterea ritè tranſfuſis, & reverſis, actualiter reſpondere. Nec propterea abjectio aliqua & nota, in judiciis vel extra judicia poſſit contra ipſos aliquatenus aſſumi, per quempiam legitimè dici, allegari, aut impingi, ſeu imputari, Salvis tamen in præmiſſis ſemper juribus alienis. Præſenti ſub noſtræ Majeſtatis ſigilli appenſione teſtimonio literarum, Datum Conſtantiæ, Provintiæ Maguntiæ, Anno Domini 1415. die 14. Iunij, regnorum noſtrorum, Anno Hungariæ 29. Romanorum electionis 5. Coronationis vero 1.

SIGISMUNDUS IMP.

Tonderam copias, motis Gottorpio castris, in Frisios impetum vertunt, ut gente eâ in fidem Regis sacramento adactâ agros simul perduellium ferro flammisque vastarent. Verum *Henricus* de adventu regis certior redditus propius Eidoram movet castraque cis ripam fluminis locat. Interea subigendis Frisiis intenti Dani, dum armis acrem gentem lacessunt, nonnullam ab eâ stragem incurrêre, ac videns Rex nihil tum effici ultra posse, firmatis circumquaque præsidiis, exercitum domum reduxit. Erat eadem tempestate sub ditione adhuc Regis Fimbria insula. Quam recipere ac suæ facere potestatis omni vi annisi Holsati in eam ante diluculum movent. Duces eorum fuêre *Henricus* Brunsvicensis & Osnaburgensis, ille avunculus, hic Comitum Holsatiæ patruus. Fimbriæ incolæ exortâ luce, cum adesse Holsatos cognoscerent, pulsari confestim campanas imperant, sed impares se esse adversus vim armatam inermes animadvertentes, mittunt opidi Burgensis sacerdotem, qui cum Holsatis omnium nomine pacisceretur. Præfectus interea Regis *Ivarus* Bruskeus, qui arcem Glambecæ tenebat commeatum & quidquid armorum nancisci poterat ex opido in arcem comportari fecerat, se ad excipiendam oppugnationem omnibus modis comparans. Factisque insultibus aliquot, cum expugnari munimentum armis vix posse Dux & Comes uterque *Henricus* viderent, decreverunt inopiâ ac fame ad deditionem obsessos compellere. Et jam octo propemodum septimanis duraverat obsidio, cum nihil interea è Daniâ subsidii mitteretur, undè præfectus forte fortunâ navem nactus, quæ eo appulerat, commendatâ suis castelli defensione, in Daniam navigat, ac mox commeatu armisque instructâ cum classe regressus cum undique ab Holsatis ingressu arceretur, tandem deditionem facere coacti præsidiarii, ac vitam pacti, decesserunt. Indigenæ sacramentum Holsatis dicere, & sex insuper marcarum argenti millia tributi nomine persolvere adacti sunt. Quod supra de marchiâ & marchione Brandeburgico *Frederico*, ex Burgravio Noribergensi ad eam dignitatem evecto, est memoratum, id ad hoc ferè tempus referunt chronologi delatumque eum à Cæsare honorem *Friderico* Constantiæ, dum ibi adhuc isti concessui vacat. Obiit sub anni extremum *Petrus* Ferreobarbus, *Iernskeg* vulgo dictus, Roschildensium Episcopus, eique ex fratre nepos *Iohannes* Andreæ quam proximè est surrogatus. Est quoque in locum suum ac pristinam dignitatem hoc circiter tempore repositus, quem supra retulimus à Lubecensibus intestinâ seditione ejectum, urbanus magistratus: Idque ope & auctoritate præsertim Erici Regis, à quo id Cæsar summis precibus, ut supra meminimus, efflagitaverat.

Proximâ æstate qui fuit annus decimus septimus supra millesimum quadringentesimum maximis instructus copijs terrâ marique Rex se aliquandiu, priusquam in terram descenderet, mari & intra foros continuit, undè lutræ ei nomen à quibusdam est inditum, quasi aquis gaudenti. Verum ille studio hoc agens, non ignorabat magno ære ab Holsatis conscriptum militem, eumque diu merentem alere difficile illis fore. Sed Holsatiæ Principes subodorantes quid ageret *Ericus*, militem suum Australi Jutiæ immittunt, ut ibi rapinis & prædâ vivat. Igitur in terram egressus Rex, exercitu altero Gottorpium, altero Slesvicum obsedit, cum ad manus in universum ei essent virorum centies millia. Slesvicum sub diem divisionis Apostolorum, qui fuit Julij xv suæ fecit potestatis. Intra urbem se continuerat Dux Megapolensis, *Albertus* Sueciæ quondam Rex. Itaque impositis urbi præsidijs, urgere nonnihil obsidionem Gottorpiensem pergebat. Cum *Alberto* verò ità transactum, ut is, facto promisso, se haud unquam regi ejusve regnis aut ditionibus futurum adversarium, sed amicitiam cum eo culturum perpetuò, liber decederet. Eoque sub diem omnium Apostolorum præstito dataque fine dolo malo coram rege regnorumque senatoribus fide, & addito insuper se cum suis regi auxilio adfuturum, idem ad rei uberiorem testificationem, obsignatis codicillis, sunt adstipulati cum *Albertus*, tum & ii, qui cũ eo aderant *Vlricus* Pentzius, *Vipertus* Lutzovius, *Casparus* Halverstadius, *Henricus* Splitus, *Iohannes* Bulovius. Capti & plures tum ibi, interque ceteros *Nicolaus* & *Ivarus* Powisckij, Holsatiæ nobiles, qui datis fidejussoribus, se in posterum regi, ejusve regnis aut territorijs haud adversaturos polliciti, domum redierunt. Per eosdem dies in prædam Holsatis cessit archiepiscopi Lundensis navium una, quam subsequi regiam classem jusserat, ornamentis episcopalibus aliaque suppellectile pretiosa instructam. Idque cum innotuisset Holsatis, qui egressi cum myoparonibus suis Chilonio occasionem haud negligendam existimarunt. Dum verò obsiderentur Gottorpium Slesvicumque, *Henricus* Osnaburgensis, asceusâ rhedâ, Hamburgum excurrit, orans obsecransq; ne deesse popularibus suis vellent. Ac simul declarabat, quid ipsos, regem adeò vicinum habituros, maneret. Posse

MCCCCXVII.

Aaa iiij adhuc,

Ericus VIII. Rex. A. C.

adhuc, priuſquam Gottorpio Sleſvicoq; potiatur, obſiſti ejus viribus: Illud modò alacres agerent. Hamburgenſes ubi pecuniam ſe aliquam confecturos, non verò copias pollicerentur, minus id placere *Henrico* videbatur, qui pleno in foro ex eſſedo mobilem plebem affatus, id poſtremum obtinuit, ut miſſis ad regem clarigationis litteris, militem expedierint. Dumque adhuc ibi hæret, adfertur deditum regi Sleſvicum. Sed ille Gottorpio ac novis auxiliis fiſus Rendesburgum abijt: ibique certiorem de Hamburgenſibus reddens *Elizabetham* ejuſque filium *Henricum*, bono eos eſſe animo jubet. Cumque allatæ mox regi eſſent, quas diximus, Hamburgenſiium literæ, fama ut ſolet omnia in majus tollens, adfore jam jam ingenti cum exercitu etiam Holſatos Dithmarſoſque nunciat. Unde trans Sliam motis caſtris, ipſe haud multo poſt Rex Daniam repetiit. Holſati intereà, collectâ undique popularium multitudine, tum & aliunde auxilia nacti, pedites circiter mille triginta præter equitum turmas, ſub ſignis habuêre. Eàque manu Hatterſburgum aggreſſi vi illud ceperunt, trucidatis, qui inerant, præſidiarijs. Invaſum ſimiliter Sleſvicum, præſidijsq; nudatum. Cives, qui regi ſacramentum dixerant, id inſuperhabere, poſtquam urgere vis major cæpit. Obſeſſum tum quoque ab iiſdem Koningſburgum ad Sliæ exitum; ac diſturbatum, quod epiſcopi erat, Stubbæ municipium penituſque deſtructum.

Quæ dum ibi fiunt, haud deſtitit domi archiepiſcopus Lundenſis *Petrus* Cruſens ſacrorum negotium agere, acceptiſque regijs codicillis, & acto per capita cenſu, nummum ab unoquoque, qui annum ætatis decimum octavum ſuperaſſet, exigi ad ædificationem cænobij divæ Brigittæ, quod *Marieboam* nunc vocant, per ſingula regna curavit. Soli dominium jam ante ſuo ære comparaverat regina *Margareta*, & quod agere nunc epiſcopus inſtitit, ipſa tum fortè animo conceperat. Eo autem tempore Schieningia loco nomen fuit.

Deceſſerat jam Imperator *Sigiſmundus* Conſtantiâ, relicto, quod illic agebatur, Concilio, duorum præcipuè Bohemiæ martyrum *Iohannis* Huſſi & *Hieronymi* Pragenſis, quorum ſuperius meminimus, ſupplicijs non tam celebre quam infame. Ubi & ipſo hoc anno CIƆ CCCC XVII. interdictum Pontificis incurrit Dux Pomeraniæ *Bogiſlaus* ejuſque conjux *Sophia* inſtigatu maximè Caminenſis epiſcopi Magni nomine. Nam & Huſſi doctrina etiam ad Boreæ has oras per id tempus delata, ita Straleſundenſes ceperat, ut eam publicè profiterentur; dum tandem apud Synodum Conſtantinenſem tantum effecerint adverſarij, ut eâ in totum ſublatâ etiam ex præconibus unus *Iohannes Bucholtius*, haud meliore quàm ipſe *Huſſus* Conſtantiæ fato uſus, ibi apud ſuos Straleſundæ in dedecus ejuſdem ſinedrij publice exuſtus fuerit.

Flagrante adhuc inter Holſatos & Daniam bello, Lubecenſium Epiſcopus *Iohannes* Dulmannus ſive *Dulman*, ut eum appellat Slavicum Chronicon, Dulmerum alij ſcribunt, circa feſtum divi Martini mandato Romani Pontificis in Daniam venit, ut cum rege & Holſatis de pace firmandâ ac ſopiendo bello ageret. Quo etiam nomine Ericum regem præſens affatus, eum haud abhorrentem à pacis conſilijs deprehendit. Actumq; per idem tempus de inducijs; eæque inter regem ejuſque regna ac ditiones, ut & *Henricum* Oſnaburgenſem, Stormariæ principem, Holſatiæ & Sconvenburgi Comitem ejuſque hæredes ac belli ſocios, ad feſtum uſque Michaelis eum in modum ſancitæ, ut interea ſub diem divi Johannis Baptiſtæ Gottorpium aut Sleſvicum conveniretur, ibique controverſia, quæ agitabatur de Sleſvicenſi Ducatu, duobus Germaniæ principibus & quatuor Hanſaticarũ urbium ad hoc delegatis pronuncianda permitteretur. Hi ſi inter ſe convenire haud poſſent, quiſque nihilominus ſuam ſuper Ducatu jam dicto ſententiam recitaret; Eaque ad Duces Brunvicenſem *Bernardum* ac Pomeraniæ *Bugiſlaum* tranſmiſſâ, ij quod dicerent, id ratum haberetur. Durantibus verò inducijs, hoſtilia cuncta ceſſarent, munitiones nuſpiam excitarentur, agricultura civiumq; commercia utrimque eſſent libera. Voluitque inducijs quoque iſtis includi Saxoniæ Angriæque ac Veſtphalorum Dux *Ericus*.

MCCCCXVIII. dicta dies anni ſequentis ubi advenit, uno die quàm erat ſtatutum, ſerius comparuêre Danorum delegati: eoque nec ſiſtere ſe Holſati voluerunt. Atq; ita Lubecenſium epiſcopi opera, ut & Pontificis maximi laudabile ad promovendam pacem ſtudium fruſtraneum tum fuit. Teſtatique ſunt, datis hac de re ad Ericum regem codicillis, Dux Saxoniæ Angriæque *Ericus*, nec non *Otho* Stetinenſium princeps, ut & *Albertus* Everſteinij Comes, ſe poſtquam dicto conventus die Sleſvicum adveniſſent, à regiæ majeſtatis legatis ac conſiliarijs *Iohanne* Due, *Erico* Crommedikio, *Nicolao* Strangeo, equitibus, itemque à *Wickio* à Witzẽ armigero & *Iohanne* Iacobæo, regio cancellario, qui omnes poſtridie divĩ Johannis eodem

eodem accesserant, rogatos in templum convenisse ibiq; exposuisse urbium legatos, quod intellexissent Holsatiæ principes se excusare, utpote qui dicerent se dicto die Gottorpium venisse, nec ibi regios legatos deprehendisse, ideoque existimare pacto convento à se esse satisfactum, velle nihilominus postero adhuc die subsistere si forte amicâ compositione deduci res eò posset, ut ditiones ipsis suæ ac territoria relinquantur, id se expectaturos nec in ulteriorem juris actionem consensuros. Tuncque datum à regiis legatis ejusmodi responsum, se quod serius accessissent, non sibi aut regiæ majestati aut ulli malevolentiæ, sed cœlo ac ventis imputandum, esseque ob id paratos luere, quodcunque arbitri se commeritos judicarent, rogareque urbium legatos, vellent id suo nomine Holsatiæ principibus significare: Idque ab urbium consiliariis postquam Gottorpij Holsatis esset declaratum, ab iis responsum redditum sibi cum Ducibus aut Comite, uti nec cum regiis senatoribus, qui Slesvici aderant, negotij quidquam esse, sed cum rege ipso, quem abesse intelligerent, se itaque promissum complesse nec morari ulterius cupere. Eoque accepto, repositum à regiis senatoribus ac Cancellario, si nihil sibi esse cum ipsis negotij vellent, se hoc præstare non posse: sed scire eos debere se ibi regiæ majestatis nomine adesse cum plenâ potestate agendi omnia, quæ ad præsens negotium pertinerent: adesse etiam principes viros delegatosque urbium Lubecæ, Stralesundæ, Gripsvaldiæ, ac Vismariæ, ut medios atque arbitros: Sicque identidem amicè Holsatos invitatos, sed frustra hæc cuncta fuisse testati literis Albuæ apud Lalandos undecimo Julij datis principes ac dynastæ superius memorati. Interjecto nonnihil tempore Frisij, qui Eidoram accolunt, Holsatis juvantibus, glaciem transgressi episcopo Slesvicensum *Iohanni*, qui cum rege faciebat, eripere per insidias Suavestadium conati sunt, sed eventu minus favente.

Agere jam ante per legatum ac literas apud Romanum pontificem *Martinum* Quintum Rex cœperat de publico Gymnasio sive Academiâ intra Daniam constituendâ, loco, qui præsulum utrique Lundensi ac Roschildensi videretur quam commodissimus. Eâque de re allatum hoc circiter tempore Pontificis diploma, signatum Florentiæ VII cal. Junij, quo ei potestatem facit condendi Universitatem iisdem privilegiis atque immunitatibus, quas haberent academiæ aliæ & præsertim Parisina, excepto, quod Theologiam doceri haud permitteret, quod ea scilicet Romæ & ex Italiâ esset petenda. Sed Ericus bellis ac seditionibus domesticis innexus, Marti magis quam Musis litandum habuit. Quapropter nonnisi annis sequentibus, regnante Christiano primo, ultima demum manus ei rei imposita, ut suo dicetur loco. Codicillos interim ipsos sive diploma pontificis jam dicti, per idem hoc tempus hac de re constitutum, cujusmodi illud in archivis servatur, his subnectere operæ pretium credidi. Est enim ejusmodi:

MARTINUS Episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, Archiepiscopo Lundensi, & Episcopo Roschildensi, Salutem & Apostolicam benedictionem. A supremo Patre familias, in domo Domini, superna dirigente providentia, insufficientibus quanquam meritis, dispensatores effecti, inter curas innumeras, quibus rerum negotiorumque occurrentium varietatibus obsidemur, fluctusque nostræ mentis, navi jugiter illidentes, pastoralis officii debito, solicitudine perurgemur exacta, ut ad domum ipsam, qua mansiones plures sunt, per sapientiæ doctrinæque ministeriũ, gregem nobis creditum salubriter evocemus, votis illis gratiosum efferentes auditum, per quem, ad irrigandum scaturienter de hujusmodi sapientiæ fontibus sterilis climatis alveũ, singulis quærendi ipsius alimenta sapientiæ, literarum studia peculiares pollicentur eventus, è quibus messis Dominicæ cultoribus insitis, sublimi speculatores indagine contemplantur, altæ militantis bases muniuntur Ecclesiæ, & justitiæ sarculis jurgiorum succisis involucris, omnisque conditionis humanæ prosperitate, distenta, pacis & tranquillitatis amænitas intẽditur ubique propagata. Cum itaque sicuti pro parte charissimi in Christo filii, ERICI Daniæ, Sueciæ & Norvegiæ Regis Illustris, nobis nuper exhibita petitio continebat, ipse ejusdem sapientiæ dono radianti veluti in cœli firmamento luminari suæ nedum ditioni subditas, sed & illis contiguas partes, terrasque illustrari, ac ipsarum habitatores & incolas, in mandatorum semita dirigi, tenacius concupiscens, apud aliquam cathedralem, secularem vel regularem infra suorum Regnorum limites consistentem Ecclesiam, in loco ad id accommodato pariter & idoneo, generale studium Apostolicæ sedis auctoritate fieri, ordinarique desideret, eventu desiderato salubri, quod inibi pluvido quasi rore, hujusmodi sapientiæ spiritus, carismate fuso, veri scientia, moribusque procedant limpidè redimiti, superstionum elisis

Ericus VIII. Rex. A. C.

facibus, judicij concrescat ratio, ac perstringendo singula cum illis pariter bona venient
,, universa attendensque Rex ipse, quod inter cætera virtutum opera, quæ tanquam ac-
,, cepta summo rerum auctori, sacrificium ei per per manus offeruntur humanas, illa diuinæ
,, Majestati grata plurimum, nullatenus ambiguntur, per quæ ad suscipiendũ singulare vir-
,, tutum diadema, illis qui scientiarum earundem sitiunt acquirere Margaritam, oportunis
,, remediis & auxiliaribus commodis subventionis præsidium efficaciter impartitur, Et ut
,, hujusmodi sui desiderii exitum reportet optatum, si studium ipsum apud regularem
,, Ecclesiam ordinetur eandem, quod illis qui tunc inibi sub regulari castimonia Domino
,, fuerint mancipati, ad alia sui ordinis, infra hujusmodi regna consistentia, regularia loca,
,, ubi voluntarios invenerint receptores translatis vel pro eis qui superstites apud dictam Ec-
,, clesiam remanere acceptaverint, super communibus ipsius Ecclesiæ prouentibus, sicuti
,, hactenus fieri consueuit, congruis portionibus assignatis, dotandisqus nonnullis Canoni-
,, catibus, & præbendis, dignitatibus, personatibus, officiis, aliisque beneficiis, cum cura
,, & sine cura, pro personis secularibus ibidem pro tempore Domino collegialiter seruitu-
,, ris, fructus, redditus proventus, atque facultates religiosorum, ibidem usui aliâs cedere,
,, soliti, perpetuò applicentur, Quod dicta aliâs regularis Ecclesia, personarum diuinis in ip-
,, sa pro tempore deditarum numero, alteri & vicinæ Cathedrali Ecclesiæ coæquari, ac
,, hujusmodi erectiones & dotationes, de dictis Canonicatibus & præbendis, dignitatibus,
,, personatibus, officiis, aliisque beneficiis Ecclesiasticis fieri, Quodque tunc & etiam si hu-
,, jusmodi studium apud dictam secularem Ecclesiam constituatur domus, ac habitationes,
,, cum necessariis officinis, pro Magistris, Doctoribus, & aliis pro tempore legentibus, do-
,, centibusque ibidem fundari & construi, ac dotis ope competentis fulciri, nec non pro con-
,, decentibus Magistrorum, Doctorum, & legentium eorundem stipendiis, salariisq; certi
,, & convenientes annui reditus, deputari & assignari cougruè poterunt, tot de bonis sibi de-
,, super creditis impendere ac consignare, Quodque omnes & singuli qui hujusmodi causa
,, studii in illo resederint, sive de ejus extiterint suppositis, pro tempore privilegiis, liberta-
,, tibus, immunitatibus & exemptionibus quibusvis, aliorum generalium studiorum, uti &
,, gaudere debeant, quantum in eo fuerit efficere, Rex ipse offerat se paratum. Nos igitur
,, hujusmodi pium ejusdem Regis desiderium, paternis contemplantes affectibus, & ad ex-
,, imiam fidei devotionisque sinceritatem, qua Rex ipse erga nos & Romanam Ecclesiam
,, splendere dignoscitur, attente reflectentes considerationis intuitum, ejus in hac parte
,, supplicationis inclinati, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si
,, apud Ecclesiam eandem quam præfatus Rex pro hujusmodi directione studii eligere de-
,, creverit, ad id, locum aptum & idoneum fore conspexeritis, si illa regularis extiterit, ut
,, præfertur, postquam dictus Rex de hujusmodi suis bonis, ut præmittitur, pro Canonica-
,, tuum & præbendarum ac dignitatum, personatuum, officiorum & beneficiorum erectio-
,, nibus, & dotationibus, nec non habitationum, & domorum, cum officinis ac illorum
,, dote competenti, fundationibus & constructionibus, stipendiornm quoque & salariorum
,, prædictorum, pro Magistris, Doctoribus & legentibus eisdem deputationibus & assigna-
,, tionibus faciendis, etiam illis quæ hujusmodi eorundem religiosorum usui, ut præfertur,
,, cedere consueverunt adiunctis, facultates & redditus impenderit & deliberaverit conde-
,, centes, ex religiosis supradictis, eos qui in hoc consenserint, ad alia loca hujusmodi in qui-
,, bus voluntarios receptores, ut præmittitur, invenerint, auctoritate Apostolica transfe-
,, rendi, singulis verò qui inibi remanere voluerint congruis pro eorum sustentatione immi-
,, nentibus pro tempore perferendis oneribus, de hujusmodi solitis proventibus, quoad vix-
,, erint, portionibus reservatis & eis aliquo ad id habili & honesto, quo sub hujusmodi Ca-
,, stimonia sua vota Domino reddere queant, apud dictam eligendam Ecclesiam, loco de-
,, putato, illam in secularem, eâdem auctoritate erigendi, ac hujusmodi si & pro ut reser-
,, ventur portionibus detractis, aliàs de præmissis facultatibus, reditibus & bonis in dicta
,, eligendi Ecclesia, Canonicatus & præbendas, nec noc dignitates, personatus, & officia,
,, ac alia beneficia supradicta, prout congruentius fieri poterit, etiam ills, de quibus vobis
,, videbitur, honores, qualitates, & onera adjiciendo, pro prædictis secularibus personis,
,, veluti ejusdem eligendæ Ecclesiæ ministris, creandi & dotandi, ac illorum singula, post-
,, quam creata & dotata fuerunt, ut præfertur, hac vice singulis personis idoneis, de qui-
,, bus vobis videbitur, etiam duo, tria, seu plura alia beneficia Ecclesiastica, similia & dissi-
,, milia, obtinentibus & expectantibus auctoritate prædicta conferendi, & de illis etiam
,, providendi, inducendi quoque per vos, vel alium seu alios, personas quibus hujusmodi
beneficia

beneficia conferetis, vel procuratores suos earum nominibus in corporalem possessionem Canonicatuum & præbendarum, dignitatum, personatuum, officiorum, & aliorum beneficiorum eis conferendorum, iuriumque & pertinentiarum prædictorum, & defendendi inductas, amotis quibuslibet detentoribus, ab eisdem ac faciendi personas, vel pro eis procuratores hujusmodi, ad Canonicatus & præbendas, nec non dignitates, personatus, officia & alia beneficia præfata eis conferenda, ut est moris, admitti, ipsisque personis de singulorum Canonicatuum & præbendarum, dignitatum, personatuum & officiorum aliorumque beneficiorum, ipsis ut Præfertur conferendorum, eorundem fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus universis integrè responderi. Contradictores quoque per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendi, & tunc vel si præfatus Rex apud eandem secularem Ecclesiam hujusmodi studium fieri, & ordinari elegerit, quamprimum ipse cura habitationum & domorum cum officinis ac illorum dote competenti, fundationes & constructiones, nec non stipendiorum & salariorum prædictorum deputationes & assignationes faciendas hujusmodi ac aliâs congruæ suæ oblationi, ut præfertur satisfecerit antedictæ, ad Dei gloriam & laudem rei quoque publicæ felix incrementum, auctoritate præfata statuendi & ordinandi, quod apud dictam, per eundem Regem ut præmittitur, eligendam Ecclesiam, in qualibet facultate licita, præterquam Theologiæ generale sit studium, illudque perpetuis futuris temporibus, vigeat & præservetur ibidem, Quodque omnes & singuli Doctores, legentes & audientes, inibi libertatibus, immunitatibus, & indulgentiis, quibusvis Doctoribus, Magistris legentibus, & scholaribus, de Universitate studii Parisiensis existentibus, per sedem ipsam, & alias qualitercunque, generaliter concessis, gaudeant in omnibus pariter & utantur. Singuli verò qui cursu feliciter consumato, in ea facultate qua hujusmodi inhærendo studio, bravium obtinere meruerint, sibique etiam pro aliorum erudimento, docendi licentiam, & Doctoratus sive Magistratus honorem petierint elargiri, per ipsorum inibi Doctores sive Magistros, illi quem ipsius studij per vos ordinandi, Cancellarium fore perpetuò decreveritis, sive alteri ab eo deputando præsententur, ab illo quoque cui præsentati fuerint, si servatis consuetudine & modis, super talibus in aliis studiis præmissis observari solitis, ad hoc extiterint idonei sufficientesque reperti, licentiam & honorem fortiantur & reportent antedictos, & quibus adeptis, illi absque veterioribus de eis habendis examine, & approbatione, in ipsa facultate, qua licentiam & honorem attigerint, eosdem legere & docere poterunt, etiam in aliis quibuslibet studiis memoratis. Omnia præterea alia & singula, quæ in præmissis & circa ea necessaria fuerint, aut quomodolibet oportuna faciendi, disponendi, & exequendi, plenam & liberam vobis concedimus, tenore præsentium facultatem, non obstantibus constitutionibus Apostolicis, nec non statutis, & consuetudinibus eligendæ Ecclesiæ prædictæ, & illius forsitan ordinis iuramẽto, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate, roboratis, cæterisque contrariis quibuscunque, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis, de Canonicatibus & præbendis, ac dignitatibus, personatibus, officiis seu aliis beneficiis Ecclesiasticis, in illis partibus speciales vel generales, dictæ sedis vel Legatorum ejus literas impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel aliâs quomodolibet sit processum, quas quidem literas & processus, etiam per eas pro tempore habitos, ad Canonicatus & præbendas, dignitates, personatus, officia & alia beneficia, per vos forsitan conferenda, hujusmodi volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quod assequutionem Canonicatuũ & præbendarum, dignitatum, personatuum, vel officiorum aut beneficiorum aliorum præjudicium, generari, seu si aliquibus communiter vel divisim, à dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet privilegiis, indulgentiis ac literis Apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcunque tenorum existent, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat, quomodolibet vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus, de verbo ad verbum, habenda sit in nostris literis mentio specialis. Volumus autem quod singulæ personæ præfatæ, quam primùm singula Canonicatus & præbendas, dignitates, personatus, officia & alia beneficia eis forsan conferenda, hujusmodi vigore præsentiũ fuerint pacificè assequutæ, beneficia Ecclesiastica cum eisdem assequutis, incompatibilia, quæ tunc forsitan obtinebunt, & quæ ex tunc vacare decernimus, omnino dimittere teneantur, Quodque gratiæ, per quas alia beneficia, cum hujusmodi

Ericus VIII. Rex. A. C.

modi assequutis ut præmittitur, incompatibilia forsitan tunc expectabunt, & quæcunque ,, inde sequuta, quoad ipsa incommenti, & insuper ex tunc irritum decernimus, & inane, si ,, secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attem- ,, tari. Volumus præterea, quod de nominibus & cognominibus personarũ, quibus Canonica- ,, tus & præbendas, dignitates, personatus officia & alia beneficia hujusmodi conferetis, ut ,, præfertur, nec non diebus collationũ, hujusmodi gentes Cameræ Apostolicæ, seu collecto- ,, res vel subcollectores fructuum & proventuũ, eidem Cameræ debitorum, in illis partibus ,, deputatos, pro tempore quantotius certificare curetis;. Quodque hac prima vice detra- ,, cta, deinceps illi vel illis, seu quibus eorundem Canonicatuum & præbendarum, dignita- ,, tum, personatuum, officiorum ac aliorum beneficiorum collatio, provisio, seu alia dis- ,, positio, de jure cedere debeant, circa ipsas præmissorum occasione, nullum generetur præ- ,, judiciũ, sed cujuslibet eorũ interesse, salvũ maneat pariter ac illæsum, & ne humano refri- ,, gescente motu, hujusmodi directio studij diutinè suspendatur, nisi oblationis præmissæ in- ,, fra biennium à dato præsentium computandum, legitimo impedimento cessante, debitus ,, habeatur effectus, ex tunc præsentes literæ nullius existant roboris vel momenti, Datum ,, Florentiæ, 7. Calend. Junij, Pontificatus nostri Anno secundo, Anno Domini 1418.

Supremum diem eodem hoc anno clausit archiepiscopus Lundensis *Petrus* Cruseus, qui ut artium liberalium negotium non parum promoverat, ità excessu ejusdem haud leviter id ipsum retardatum. Ei successor datus Ripensium præsul, *Petrus* etiam nomine, clarâ Lukeorum oriundus prosapiâ.

MCCCCXIX. Anno qui proximè secutus decimo nono supra millesimum quadringentesimum Rex Ericus videns obfirmatos nec ad pacem, ut memoravimus, propendentes Holsatos, expeditis cum copiis ingredi Fimbriæ insulam constituit, sed Holsatorum auxiliis sisi indigenæ ingressum ei negavêre. Quapropter rectà Helgehavam cum classe profectus Oldeburgum & Volstadium aliaque in vicino municipia ferro ac flammis devastavit, abactâ quam potuit maximâ armentorum ac rerum aliarum prædâ. Hinc iterum navibus conscensis secundò Fimbrienses petiit. Sed & tum priore successu ferociores redditi posticas ei corporis partes obvertendo aliaque dictu ac visu fæda petulanter ostentando exscendere eum prohibuerunt, dum tandem repetito tertium impetu terram tenuit, amissis ex suis mille quingentis. Quam id temporis acrem vindicem egerit omniaque deplorata ibi fuerint, ostendit, præter cetera, Slavicum Chronicon ad eundem hunc annum, commemorans sacra prophanaque nullo discrimine habita, quidquid esset virilis sexus, unà propemodum strage sublatum, nec parcitum matronis virginibusque & has præcipuè vel abductas aut stupro contaminatas, adeo ut ipse Rex, quod Crantzius addit, illachrimare sit solitus, quotiescunque illius diei ac cladis recordaretur. Reducta tum in potestatem regis arx Glambekensis ac firmo ejusdem præsidio communita, capto, qui erat ab Holsatis impositus, *Hennechino* Ratlovio. Traditi quoque obsides viginti, qui nomine tributi, quod erat imperatum, marcarum argenti puri viginti millium spoponderant. Lubecenses interea & Hamburgenses equitibus octingentis ac peditum duobus millibus, obsesso Bergerdorpio & arce & opido potiti sunt. Similiter & Ratzeburgum ab iisdem coronâ cinctum coactusque Saxoniæ Dux *Ericus* se ad nutum eorum componere. Cum *Vladislao* Poloniæ rege ac magno Lithuaniæ Duce *Vitoldo* præsentibus utriusque consiliariis Rex Ericus perpetuam pacem ac fœdus per idem hoc tempus in castris sanxit, cum contra alios utriusque partis hostes, tum nominatim contra Cruciferos: eâ lege, ut etiamsi principum aliquis ab eo fædere vellet discedere, subditi tamen ejus eo nihilominus tenerentur: ne tamen quisquam altero inscio, Cruciferis vel cuiquam bellum omnino intentaret. Excepti sunt à *Vladislao* & *Vitoldo* Sigismundus Cæsar & *Venceslaus* Rex Bohemiæ. Ità ferè habent Polonorum historiæ. Danica monumenta Cruciferorum nomen non exprimunt; indicantque jam antea regem Ericum propè Matzeburgum de fædere cum rege Polonorum iciendo injecisse, idque hoc tempore Haffniæ ictum, statutumque, præter cetera, ut urbes quæcunque caperentur, ejus essent, ad quem antea earum jurisdictio pertinuisset; aliàs prædæ manubiæque omnes communes forent. Qui in auxilium vocaretur, is suis impensis ac periculo mereret militemque traduceret, adjiciuntque idem hoc fædus de paganis quoque capiendum, ut nimirum de victis eorum ditionibus, Christiana pietas latius hoc pacto propagaretur: eâ tamen conditione, ut si bellum ejusmodi gerendum esset, de eo alter alterum prius commonefaceret, ut communicatis consiliis id geri posset; ac deniq; ut alter in commodum alterius perpetuò incumberet. Si è vita migrare reges aut

aut *Vitoldum* contingeret, horum nihilominus regna ditionesque fœdere ac legibus jam latis tenerentur. Hæc Poloniæ Rex Duxque Lithuaniæ suo heredumque ac successorum nomine factis eâ de re codicillis est adstipulatus. Cum Erico rege iisdem tabulis sua adjecerunt sigilla archiepiscopus Lundensis ceterique ecclesiastici ordinis præsules, unà cum Comite Everstenij ac Pickburgij *Iohanne*; exceptis, qui magno numero recensentur ex ordine equestri ac nobilitate viri illustres, *Predebornus* Podebuschius Seburgi præfectus, *Andreas* Lunge Callenburgensis, Tranckerensis & Langelandiæ præses, *Iwarus* Bruske Falstriæ præfectus, *Valdemarus* Sappæ præfectus Stegensis & Monæ, *Steno* Bassus ab Imburgo, & *Absalon* Brahe aliique. Postquam adolescerent jam indies liberi *Gerhardi* Ducis & essent ætate provectiore, Comes *Henricus* Osnaburgensis, qui tutelam eorum susceperat omniaque pupillorum nomine strenuè peregerat, de abdicandâ eâdem tutelâ agere seque & reliquum quod esset ætatis Deo & quieti consecrare instituit. Quocirca relictis sub hoc tempus seculi rebus cœnobium ingressus est, quod Borsholmense vocant, ut ibi solis divinis vacaret. Auxit tum quoque ejusdem monasterij reditus, addito Lopensi municipio. Comitem præterea *Alphenum*, nepotem suum, revocatum ex aulâ Marchionis Norebergensis, Sebergâ & Penderſburgo donavit. Atque inde biennio circiter post, quod inferius dicetur, vitam cum morte commutavit, sepulturâ honestatus inter monumenta majorum Itzhoæ. Primus ille Holsatorum memoratur, qui se Stormariæ dominum inscribi voluit. Fatalis quoque annus fuit Lubecensium episcopo viro claro ac reverendo pacisque amanti *Iohanni* Dulman, de quo superius memoratum. In ejus locum est surrogatus *Iohannes* Schelius, vir ut claris natalibus, ita magnæ industriæ, & qui *Sigismundo* Imperatori à secretis olim fuerat.

Sub initium statim anni, qui superiorem excepit, ex hac etiam vitâ decessit reverendus vir *Iohannes* Avonis Fioniensium præsul, conditus in æde Canutianâ Othoniæ. MCCCCXX. Ei successor datus *Navius* nomine. Estque per idem hoc tempus igne fortuito exustum Nascoviæ opidum, unà cum templo quod S. Spiritûs appellabant. Regina verò *Philippa* pridie Calend. Julij evulgari codicillos fecit, quibus profitebatur serenissimum maritum suum Ericum Daniæ, Sueciæ, Norvegie &c. regem sibi beneficè, quæ erant ad vitam attributa, ad suos usus transtulisse ac multis parasangis luculentiora eorum loco reposuisse. Et quidem loco Nesbuhoviæ feudorumque Fioniensium itemque Romerigæ & si quæ eodem apud Norvagos sita pertinerent, sibi ad usum fructum concessisse omnia, quæ in Zelandiâ ad Coronam spectarent, ut erant arces, opida, prædia, piscationes cum jurisdictionibus eodem pertinentibus universis, eo usque dum patrui ejus filius Dux *Bugislaus*, aut si è vitâ migrare eum contingeret, qui ex eâdem prosapiâ proximus esset, hisce tribus regnis à senatoribus præficeretur aliaque territoria apud Sueones eorum vice, de quibus regis literas haberet, sibi redderentur. Ut facile ex iis liquere possit id tum agere cæpisse Ericum regem, voluisseque, si quid sibi improli accidisset, ut regnorum successio à se in patrui filios, ac eam Pomeraniæ domum, quàm proxime traduceretur. Quod illi malorum, ut postea dicetur, initium fuit.

Sub idem ferè tempus, legati ad eum missi venère è Findemarckia, qui obsignatis literis, querebantur, se à Moschis vicinis ità quotidie infestari, ut nec hiberno neque æstatis tempore uspiam tuti essent; idque totos agere ut depopulando territoria sua fæminas cum liberis atque infantibus vel furtim aut palam abducant, nullâ pacis cum rege jam antè pactæ ratione habitâ: petere itaque opem auxiliaq; adversus eos regis: Questi præterea de Anglorum duabus onerariis navibus, qui anno superiori a ditâ Helgelandiâ, ibi mercimonia exercuissent, ac se anno proximo totidem navibus redituros dixissent. Idque cum antea factum non esset, & regio quoque fisco multum detrimenti adferat, præter incommoda, quæ inde ad indigenas promanent, rogare majestatem ejus ut ei etiam rei provideri oportune curet. Inter Holsatos haud multò post Danosque tumultuario ac levi prælio conflictatum propè Immersvadam, in quo tamen, præter gregarios milites ipsumque *Antonium* Ronnovium, etiam vexillarius *Petrus* Hogeschildius dimicando occubuit, adeò ut inter Danos hoc dictum tum vulgo percrebuerit, **Hos Immerbad/ der sick Dannemarck ith landis bad/** quasi dicas, *apud Immersvadam infernali multata infortunio Dania.* Vergente jam ad finem anni æstate, ipso die, qui Catharinæ sacer erat; Flensburgi breves inter regem Ericum ejusque regna ac ditiones principemque Holsatiæ *Henricum* seniorem ac fratres ejusdem conciliatæ induciæ: quarum exemplaria

Ericus VIII. Rex. A. C. MCCCCXXI.

plaria singulis transmissa. Sponsores fuêre Comes *Alphenus* Schouwenburgius & *Balthasar* Verlensis, polliciti que perpetuas eas ac firmas fore. Acta hæc die divi Nicolai, qui fuit VIII Idus Decembris.

Hinc anno statim proximo operam Rex dedit, ut veluti arbitri ac judices inter se & *Henricum* Holsatum ejusque fratres assumerentur *Iohannes* Megapolitanus, *Vartislaus* Stetinensis Duces, unà cum Comite Everstenio *Alberto*, litemq; super Slesvicensi Ducatu ex æquo & bono dirimerent. Cumque ad id opus esset testimoniis ac documentis, quibus demonstraretur eum Ducatum antiquitus Daniæ regno fuisse subjectum ac clientelarem perpetuo, extitêre inter primos Selandi, qui quarto nonas Julij in pleno territorij sui foro, præsentibus *Iohanne* Roschildensi episcopo ejusque diœceseos capitulo, nec non Abbatibus *Nicolao* Sorano & *Iacobo* Scouvencloſtrensi, tum & *Ivaro* Bruske & *Georgio* Rud equitibus, *Iohanne* Hallosio, *Iohanne* Schuttio, *Hermanno* ab Ortz, *Nicolao* Grubbe, *Saxone* à Gortzhoa, *Benedicto* Musio & *Iohanne* Fossio à Kragerup unà cum civibus duodecim & totidem colonis, testificati omnes sunt antiquissimis seculis ac semper Daniæ clientelarem fuisse. Subscripserat *Ericus* diaconus, ut fori præses ac justitiarius. Hos secuti archiepiscopus Lundensis totaque Schaniæ nobilitas idem adstipulantes. Et mox in foro quoque Viburgensi episcopus Slesvicensis *Iohannes*, *Christianus* Ripensis, *Boetius* Arhusiensis, *Lago* Viburgensis & *Petrus* Borglumensis antistites singulaque diœcesium earundem capitula, Abbates ac Præpositi, omnisque propemodum Jutiæ australis ac borealis nobilitas, urbiumque Ripæ, Flensburgi, Haderslevię, Abenredæ, Viburgi, Arhusiæ, Aelburgi, Randershusiæ, Horsenę, Vardę, Coldingę senatores ac consules prolixâ cum declaratione professi fuerunt Gottorpium in Jutiâ Australi situm; eamque arcem Holsatos per vim sibi retinuisse cum Daniæ regni sit propria; Idque indè liquere quod Jutię Australis populus jure ac legibus semper sit usus Danicis: Quod privilegia atque immunitates, quibus fruuntur capitula & sacræ ædes Slesvici, Ripis, Haderslevięæ à Daniæ regibus promanarint, ut & illę, quibus ibidem gaudent civitates. Addebant & limites hodieque ostendi, quibus Dania ab Holsatis dirimatur, esseque Jutlandię Australis idioma Danicum: nec permissum cuiquam eam possidere ditionem nisi volentibus Daniæ regibus, utque obsequio ac jure clientelæ iisdem obstringatur: Primumque fuisse regem *Valdemarum* III, qui cum Holsatis hac de re in certamen descenderit: & eo defuncto, cum capite destitueretur regnum, plurimum vi usos Holsatos, donec filia *Voldemari* Margareta suscepisset *Olavi* filij sui tutelam: nec locum hîc habere jus aut consuetudinem imperij ac Saxonum, qui feuda hæreditaria largiuntur, Daniæ feuda ad vitam modò & gratiam concedi, ita ut rege, qui feudum indulsit, defuncto, quisque id ipsum de novo à rege proximo, facta obsequij ac clientelæ fide, repetere teneatur. Acta hæc Ripis die lunæ, qui festum sancti Laurentij præcessit. Pauculisque diebus interjectis feriâ nimirum sextâ post Bartholomæi, sub mensis Augusti finem, renovari rex Ericus constitutionem fecit, quâ latum jam pridem fuerat, ne quis Norvegiam commerciorum gratiâ frequentaret, nisi qui marcas argenti quindecim possideret, additumque ut negotiatorum unusquisque literas præfecti exhiberet, quibus sua esse, quæ circumferret, demonstraret.

Inde sub Michaelis suo patrocinio defendendum rex suscepit Osiliæ episcopum ejusque diœceses, cum ex jure, quod usurpassent jam olim prędecessores ipsius Danię reges, tum ob mandatum summi pontificis, qui id efflagitasset. Obiit sub idem hoc tempus Slesvicensium antistes *Iohannes* Schonlovius, eique suffragiis omnium successor nominatus *Henricus* Stormarię princeps, patruus Comitum Holsatię, quem supra monasticam vitam auspicatum memoravimus. Sed ille ad novum hunc honorem suscipiendum postquam esset postulatus, paucis interjectis diebus ex hac vita migravit. Rex interea Ericus classem sic satis armatam ad depopulandam Alsę insulam dimisit, sub ducatu *Ivari* Brusche. Sed Holsatus, dispositis circumquaque pręsidiis, in terram eos egredi inhibuit. Tum & ipse classis pręfectus *Ivarus*, dum ibi in anchoris subsistit, obortâ valetudine, vitâ excessit, sepultura postmodum honestatus in Schoncloſtrensi cænobio, quod hodie *Herlesisholmiam* vocant. Sed & classis quoque ipsa tempestatibus variè disiecta vix in tutum recepta est. Tradit Crantzius Vandalię urbes Lubecam Vismariamque cum Rostochiensibus instructam quoque classem subsidio misisse negotiatoribus suis, qui piscationi

piſcationi halecarię apud Scanienſes operam navabant, hancque regem invadere conſtituiſſe, impletis Hollandorum navibus, quæ ibi in anchoris ſtabant, milite, ſed pręventum à civitatum navarchis, qui Hollandicis navibus partim gubernacula partim vela ademerant, quod decreverat, perficere nequiſſe. Eaque dum ibi in Balthico ſinu ad ortum fiunt, Hamburgenſes per Albim in occiduum mare navibus duodecim egreſſi littus ac latus illud Borealis Jutiæ pulſantes identidem in terram exſcenſionem fecerunt, raptis ant incenſis, quæcunque ſe obviam dedêre. In eos præſidiarias aliquot rex armavit, cum quibus congreſſi Hamburgenſes, tres illarum ſuæ fecerunt poteſtatis, eaſque perforatas in fundum egeruut, milite ac navalibus Hamburgum avectis, ut ibi ſe pecuniâ redimerent.

Vergebat jam ad finem annus, cum XIII. Calend. Decembris ſubitâ tempeſtatum vi de nocte concitatus oceanus univerſam eam, quæ eſt à Cimbricâ Cherſoneſo, maritimam oram ad Flandros uſque, graviſſimè afflixerit: disjecti aggeres, fluctus agris infuſi; greges, armentaque cum ſtabulis hauſta; magna mortalium copia abſorpta. Verum gravius nuſquam clades incubuit, quam illi, quę eſt ad auſtrum Hollandię, declivi oræ, ubi ſpes etiam reparandorum agrorum incolis adempta. Nam & pulcherrimus ille & fæcundiſſimus ager, Dordracum inter & Gertrudis montem porrectus, vicisque quondam diſtinctus ut volunt LXXII, invaleſcente maris vi, abſorptus paulatim & in æſtuarium verſus eſt: multi è re lautâ ad incitas redacti. Crantzius Saxoniæ ſuæ undecimo, parochias haud ultra ſedecim cum populo & jumentis eâ eluvione periiſſe commemorat. Et id Mollerum quoque in Rheni deſcriptione ſecutum reperio. Nec abludat maris, quod hodie relictum videmus, ſpacium, quod ad quatuor circiter noſtratia milliaria longitudinem vix habet, latitudinem duorum tantum, ut ità vicos iſtos ſeptuaginta duos, contiguas hinc inde domos viciniaſque, non parochias aut pagos fuiſſe, vero haud abſimile habeam.

Anno inſequenti, qui fuit MCCCCXXII, dominicâ ſtatim ſeptuageſimâ Haffnienſibus Rex conſtitutiones quaſdam de civium opificiis deque jure civitatis ac collegiorum utiliſſimas tulit: cautumque voluit ne ex iis qui artem manuariam excercent ullus ad conſulatus aut ſenatoriam dignitatem eveheretur: nec uſpiam civium multitudini jus faſve eſſet abdicandi aliquem magiſtratu, niſi coram ſe & ordine ſenatorio demonſtrari poſſet, ejuſmodi neque regi neque civitati aut regno eſſe uſui. Poſt hæc Tonderanæ arcis obſidionem, quæ jam ante minus ſucceſſerat, urgere Dani de conſilio *Erici* Crummedikij &, ſcalis quoque muro applicatis, ad oppugnationem cæperunt progredi, cum præſertim obſeſſi negligentius ſua agere viderentur, ſed illi intra mænia ſe quietos continentes id operam dabant ut repletâ militibus muri exterioris foſsâ, magnâ mole trabibus de ſummo provolutis, omnis, quæ erat inferius, multitudo protereretur. Quod & factum non modò, ſed fugientes quoque baliſtis ac bombardis ita ſunt inſecuti, ut ex iis quadringenti circiter ceciderint. In his erat *Antonius* Ronnovius, qui inter primipilos occubuit. Dorningam quoque eodem tempore obſeſſam Dani tenebant; Sed ei poſtquam de commeatu per Ducem Brunſvicenſem *Henricum* eſſet proviſum, Danique receſſiſſent, Dux Haderslebiæ opido, quod nullis munitionibus defendebatur, marcarum aliquot millium tributum imperavit.

Rex domi interea Orcadum pręſuli *Thomæ* eorundem Orcadum Comitatum, veluti præfecturam ac feudum, adminiſtrandum concredidit. Eſtque profeſſus *Thomas* jam dictus, literis eâ de re VI. Idus Julij prolixè datis, ſe à rege Erico, Kirckevogię arcem ac munitionem unà cum Orcadum univerſo Comitatu, non ut pignus aut debiti æris vice, ſed ex fide & more, quo tradi à Domino & accipi à cliente arces ac profecturę ſolent, accepiſſe ac tenere, promittereque ſe eandem arcem ſartè tecteque conſervaturum, & populum incolaſque omnes pacificè & ſecundum leges ac jura pro virili moderaturum, nec ullâ, quantum in ſe eſſet, affici eos injuriâ vel à ſe aut aliis permiſſurum. Polliceri inſuper ſe eandem arcem ac territorium regi ac domino ſuo Erico, quandocunque id poſtulaverit, promptè redditurum: Si vero, quod Deus avertat, mori majeſtatem ejus, antequam à ſe repetere arcem ac Comitatum jam dictum poſſet, contingat, tum eum in manus ac poteſtatem reginæ *Philippæ* nomine ac vice nepotis ſui *Bugiſlavi* Pomeraniæ Ducis traditurum, quamprimum de eo compellatus fuerit. Si verò & illud accidat, quod tamen prohibeat Deus, regem ac reginam, antequam arx ditioque jam dicta repetantur, è vitâ migrare, tum eas ſe regis Erici ex

Ericus VIII. Rex. *A. C.* patruo nepoti, jam nominato Pomeranię Duci *Bugiſlao*, aut ſi & ipſum mori accidat, coronę ac regni Norvagici nomine agnato ejus quam proximo, cujus inſignia tridentem prę ferunt, quique omnium procerum ſuffragiis tribus hiſce regnis Daniæ, Suecię ac Norvagię pręficiendus ex iis cenſebitur, eas poſtulanti ſe permiſſurum, additis & aliis inſuper conditionibus de filio aut filiis, ſi qui interea ipſi regi obvenirent, tum & iſtâ, ut omnia ære alieno libera, & quomodo ea accepiſſet, integra & ſine morâ ac dolo malo reſtituerentur. His ſigilla ſua cum epiſcopo adjecerant *Nicolaus* Tolacus & *Iohannes* Follertonius armigeri.

Haffnienſibus deinde, interjecto nonnihil tempore, præter eas quarum ſuperius mentionem injecimus, conſtitutiones ſenatui ac civibus conceſſas, privilegia inſuper atque immunitates aliæ favore ac benignitate regiâ indultę, cujuſmodi & alij civium fruerentur apud Scanienſes, Falſterbodios, Malmogios aliiſque in locis, ubi halecum piſciumque aliorum captura celebris haberetur: Tum ut eſſent in emporiis regni omnibus ac mercatibus à vectigalium onere immunes, exceptis mercatibus iis, ubi piſcatura exerceretur. Quibus & alia multa adjecta de hoſpitum & hoſpitiorum jure deque negotiatoribus indigenis ac peregrinis, ut & ſingulorum prærogativis ac conſuetudinibus. Quæ acta omnia ſignataque Haraldsburgi die Simonis & Judæ, qui in 28 Octobris incurrit.

MCCCCXXIII. Hinc ineunte Martio anni ſequentis marmoreum illud, quod hodieque in æde cathedrali Roſchildenſium viſitur, mauſoleum erigi reginę *Margaretæ* ac tumulo ejus imponi rex fecit. Epiſcopique Roſchildenſis *Iohannes* & Othonienſis *Navius*, unà cum archiepiſcopo Lundenſi *Petro* Luckio & *Olavo* apud Aroſios in Sueonibus prę ſule, conventum Altorpij egerunt, conceſſis, inter cetera, eidem eccleſię, certis ceremoniarum ritibus aliiſque donativis Pontificiis. Haffnię verò fœdus haud multò poſt ictum inter regem urbeſque Vandalicas de mutuis prę ſtandis invicem auxiliis, in eam ferè ſententiam, ut etiam poſteros & hęredes ſuos eo comprehenſos voluerint. Erant autem urbium hę, Lubeca, Roſtochium, Viſmaria, Straleſunda, Luneburgum, Gripſwalda, Anclamum. Quę tamen ita pacto teneri cupiebant, ut nihilominus unaquęque hero ac principi ſuo, quę debebat, officia ac fidem perſolveret. Si quis tria hęc regna armis oppugnare, aut regi, quod eſſet æquum, negare inſiſteret, ei opem urbes non ferrent, ſed regi pro viribus adeſſent. Quicunque ſive dynaſta ſive princeps, Rex aut reſpublica, regem injuriâ aut bello peteret, de eo rex ad urbium unam referret, quę deinceps, ceteris in conſilium adhibitis, ecquid facto opus foret ſtatueret. Alter alteri mille armatos, plures paucioreſve, prout opus videretur, intra menſes tres de eo commonitus ſufficeret. Qui auxilia mitteret, menſem totum ſubſidia atque impenſas ſuppeditaret. Si quis verò æquis rationibus averti à belli conſiliis poſſet, cum eo jure experiundum, ita tamen ut intra menſes ſex res decideretur. Si verò ſexcenti tantum aut pauciores auxilio venirent, is, qui eos ſufficeret, ſedecim ſeptimanis eoſdem impenſis ſuis aleret. Quæcunque iſtis ſubſidiis caſtella, opida aut ditiones ſuperarentur, ejus eſſent, qui auxiliis uteretur: cæterę manubię ac prædę ex more militię diſtribuerentur. Damna detrimentaque ſua unuſquiſque prę ſtaret. Si contendere fortaſſis partem aliquam cum altera ob lata ſubſidia contingeret tum ceteri eam haudquaquam defererent, aut parti alicui ſe jungerent, niſi & omnes eidem includerentur. Urbium etiam unaquęque domino ac principi ſuo, quibus teneretur, obſequia prę ſtaret; Si tamen ex iis in Daniam quiſpiam arma moliretur, tum urbium illa, quæ principem eum agnoſceret, quietè ageret, ceteris, quod eſſet promiſſum, fideliter exſequentibus. De hiſce omnibus quamvis Flensburgi primum agi cęptum, per regem tamen dilata res, dum ei tandem ab urbibus ipſis fœderis totius formula exhiberetur. Eſtque actum poſtremò conventumque Haffniæ, in modum ut ſupra commemoratum, ſubſcribentibus unà cum rege urbium omnium delegatis ſigillaque ſua ſeorſim appendentibus. Et ut major pacto vis eſſet, veluti teſtes ſuum quoque calculum ac manum adjecère *Petrus* Luckius & *Iohannes* Haquinus Dei gratiâ Apoſtolicę ſedis, ità titulus habet, Lundę & Opſalæ archiepiſcopi: *Iohannes* Roſchildenſis, regni Danię ſupremus Cancellarius; *Canutus* Lincopienſis, *Boetius* Arhuſienſis; *Navius* Othonienſis, *Chriſtianus* Ripenſis, *Lago* Viburgenſis; *Brinolphus* Scharenſis; *Arnoldus* Strengeneſſenſis; *Iohannes* Ansloenſis, *Ambiornius* Hammerenſis; *Thomas* Orcadienſis; Epiſcopi: Itemque *Iohannes* Neugardiæ Comes, præfectus Gripſwaldie; *Andreas* Jacobeus,

Jacobeus, aulæ magiſter, præfectus Tranekerenſis; *Predebiornus* Podebuſchius aliique equites aurati omnes nobileſque magno numero. Dati hi codicilli ipſo die confeſſorum Viti & Modeſti, qui fuit Junij decimus quintus. Cum initio ſtatim menſis proximi Rex Ericus Orcadum præfecturam, quam modò memoravimus demandatam ab eodem fuiſſe epiſcopo earumdem inſularum *Thomæ* Tholaco, adminiſtrandam commiſit *Davidi* Meinero, homini Scoto, remoto, ut videtur, aut ita potius conſentiente epiſcopo. Nam in tabulis, quas eâ de re confecit ſeque regi reginæque, tum & hæredibus regis eiuſque ſucceſſoribus David jam dictus obſtringit, etiam præſul ipſe, præter ceteros, memoratur, de fide officiiſque Davidis ſponſionem interpoſuiſſe. Sed ille, quod poſtmodum patuit, minus laudatè eam provinciam adminiſtravit. Nam & avaritiæ non tantum, ſed & fraudum injuriarumque multarum ab incolis reus actus de præfecturâ ſuâ remotus ei muneri inhabilis declaratus eſt.

Ericus VIII. Rex. A. C.

Poſtquam jam diu tenuiſſet inter regem & Holſatos ſuper Sleſvicenſium Ducatu controverſia, & ex eâ enatum bellum, quod magnis utrimque damnis nec ullo ferè alterutrius emolumento geſtum fuerat, ſcribi Rex fecit pontifici Romanorum maximo, Imperatori viciniſque principibus ac dynaſtis ut & Dithmarſis, apud eos agens conquerenſque de injuria, quâ ſibi adverſus fas & æquum Sleſvicenſium Ducatum, Daniæ regni proprium, Holſati retinerent: Offerebatque ſe illud coram omnibus re ipſâ commonſtraturum. Effecitque hoc pacto ut ei ex principibus multi, ex civitatibus quoque pleræque, exceptis Hamburgenſibus, ſuum calculum favoremque accommodarent. Præter ceteros, Luneburgici, publico edicto, inhibuerunt ne quiſquam Holſatis adverſus regem ſtipendia faceret, niſi excidere jure, quod civitatis vocamus, cuperet. Lubecenſes quoque nomine regis, habito cum Holſatis in æde Utinienſi conventu, palam per *Iordanum* Pleſcovium verba fieri edicique eorum, qui aderant, ſenatoribus curarunt, ſe Holſatis ſignificare potentiſſimum Daniæ regem Ericum, Dominum ſuum clementiſſimum, datis ad ſe literis declaraſſe, ipſos hucuſque injuſtè poſſidere Sleſvicenſem Ducatum, velleque ut eum Daniæ regno reſtituerent aut de eo coram Cæſare ad cauſam dicendam ſe ſiſterent: Se verò omnium Hanſaticarum urbium nomine ipſis declarare, cum nihil, niſi quod æquum juſque dictat, rex efflagitet, ipſi verò nec æquo aut bono ſe ſubmittere, neque reſtituere, quod injuriâ tenent, in animum inducant, conſtituiſſe ſe adeſſe illi, quem juri atque æquo auſcultantem comperiant, cum præſertim bellum, tot jam annos terrâ marique geſtum, averſentur nec ferre ulterius queant. His acceptis, Holſatorum omnium nomine *Schackenus* Rantzovius eques reſponſum reddidit, ſibi certo conſtare dominos ſuos jure tenere Sleſvicenſem Ducatum, utpote morte parentis ad ipſos devolutum; ideoque nec teneri de eo, quod jure hæredij poſſident, ſe Imperatori ſiſtere. Contrà verò Dithmarſi, rogatu regis, datis ad Holſatos literis, eos commonebant, ut Sleſvicenſem Ducatum & arcem Gottorpienſem, quæ utraque præter fas & æquum ſibi vindicarent, Erico regi redderent, ſe aliàs in cauſâ juſtâ denegare opem regi haud poſſe. De donis aureis argenteiſque, quibus demeruiſſe Dithmarſorum favorem ac ſocietatem rex traditur & Crantzius quoque alibi meminit, an ad præſens tempus referri debeat, parum adhuc reperi. Holſati interim, miſſo ad eoſdem Dithmarſos viro gravi ac prudenti, ab eis petebant ne temerè adverſæ parti aſſenſum ſuum commodarent, ſe etiam niſi quod æquum eſſet poſtulare, & idem Ducatus, quem parens ipſorum clientelari jure hæreditarium reliquiſſet, ſi quando ſibi traderetur, ſe ulterius nihil efflagitare. Dithmarſis deinde reponentibus, equum mutuo acceptum reddi, non verò ut proprium ſervari debere, reſponſum ab Holſatis, aliud eſſe ſecundum leges ac morem omnium gentium accipere aut dare mutuo equum, & tradere alicui jure clientelæ Ducatum, ſeque de eo ipſos Dithmarſos judices ſtatuere. Poſt id Holſati quoque ipſi, urbes principeſque conterminos de innocentiâ ſuâ cauſæque æquitate certiores reddiderunt, expetentes ut eſſe inter ſe & regiam majeſtatem arbitri vellent. Dithmarſi verò Holſatorum ad ſe literas, quæque invicem eſſent tranſacta regi Erico cuncta miſerunt, adjicientes ſe in eos nihil ſtatuere hoſtile poſſe cum animadverterent æquè eos ac regem ad leges & jura provocare. Nec deſiit prædeceſſoris ſui exemplo novus epiſcopus Lubecenſis *Iohannes* Schelius, qui, ut meminimus, Imperatori quondam à ſecretis fuerat, eandem hanc cauſam coram rege Hafniæ agere; idque eo fidentius quod mandatum quoque in id Romani pontificis, ad quem, ut diximus, regis quoque literæ tranſmiſſæ fuerant, exhiberet. Sed ille cum

ERICUS VIII. Rex. A. C.

undique principes viros, qui ut arbitri litis essent, studiosè convocari fecisset, inter se convenire partes nequierunt. Quocirca ne nihil egisse, sed ecclesiæ ac pontificis jussa exsecutus videretur, sub pœnâ anathematis denunciari curavit, ut quicunque ecclesiæ bona in usus prophanos commutassent, ea ecclesiæ ac vero suo usui redderent. Quod adeò regem offendit, ut scribi extemplo Lubecensibus jusserit, revocarent episcopum suum, ne & ipsi eidem controversiæ involverentur. Imperator quoque ipse ne officio suo, per regias similiter literas amicè compellatus, ullo pacto deesset, *Rumpoldum* Silesiæ Ducem rebus componendis transmisit. Is Lubecæ primum, atque indè Flensburgi amicè honorificeque exceptus, vix ibi diem substiterat, cum postera statim luce subsecutus est *Henricus* Holsatus cum Duce Brunsvicensi *Wilhelmo*, & Comite Scouenburgico *Adolpho*, qui occupatis disiectisque opidi portis, eas armati irruerunt. Sed eis extemplo Cæsareus legatus inermis propè portam obviam procedens, *Henrico* Duci, benignâ usus oratione, declarabat, missum se ab Imperatore pacis sequestrum, esse antè omnia ipsum regem conveniendum, nec dubitare de felici successu. principibus quoque qui aderant, gravibus verbis adhortator authorque fuit, ut quæ pacis essent, sequerentur, eaque Holsatiæ etiam principibus ætate adhuc minoribus ut suggererent placerentque, quantum in ipsis foret, operam navarent. Persuasitque vir ut morum gravitate, ità pari quoque verborum comitate spectabilis. Estque exinde ad regem profectus, comitem secum ducens, quem modò nominavimus, Lubecensium episcopum *Iohannem* Schelium. Obtinuitque primo accessu, ut Rex sedatiore in *Henricum* Holsatum animo, eum ad colloquium admitteret, & donis quoq; unà cum urbium oratoribus benignè honoratum à se dimitteret. Sed res perquam feliciter cœpta ne ad exitum optatum deduceretur, fatum invidit. Obiit enim epidemicâ valetudine correptus Silesiæ Dux, cum prius, misso nuncio, regem Holsatosque orasset, ut viis ac rationibus ad pacem ac concordiam indicatis auscultarent, ac rem totam arbitrio Cæsaris & principum aliquot imperij dijudicandam permitterent. Quod non modò *Henricus* Holsatus sed & rex pollicitus, diu tristis hæsit ob mortem inopinatam laudatissimi principis; quem non modò ingentibus donis cumulatum dimittere, sed affinitate insuper suâ, destinatâ ei in matrimonium Pomeraniæ Ducissâ nepte suâ, sibi conjunctiorem reddere constituerat. Verum omnia ista mors invertit, relictis solum supremis exequiarum officiis, quæ ei funerando Haderslebiæ prolixissimè rex impendit, constituto in æde cathedrali monumento & se & ipso & imperatore à quo missus fuerat, digno. Interjecto hinc tempore misit in Daniam Imperator virum juris peritissimum, qui acceptis inspectisque partis utriusque documentis, ad aulam Cæsaream instructior regrederetur. Unde cum ei, quæ habebat universa, rex describi atque exhiberi prolixè curasset, negaverunt hoc ipsum Holsatiæ principes. Quo nomine coram rege protestatione factâ in ipsos culpam relapsuram idem declaravit. Cæperantque eodem circiter temporis tractu Holsati ad arcem Doringæ, quam rex tenebat, obsidione ducere, sed causâ compositioni permissâ, soluta obsidio est.

Agebatur jam annus Christi vigesimus quartus supra millesimum quadringentesimum cum Rex Ericus è Daniâ in Pomeraniam vicinam, natale sibi solum, facto procinctu, ibi aliquandiu rebus curandis moram traxisset: Moxq; dispositis, quæ eum tenuerant, nonnullos ex comitatu suo domum remisit, Hierosolyma profectionem meditans. Itaque acceptis, præter ceteros, levis armaturæ equitum manipulis aliquot Budam primo inferioris Pannoniæ urbem, à Cæsare vocatus, abiit, citato quoque eodem *Henrico* Duce cum fratribus, ut Crantzius memorat. Alij unà profectum *Henricum* ipsum videntur innuere. Sed propius vero sit, quod tradunt scriptores domestici, consultationem de profectione eâ Bornhovedæ ab Holsatis institutam, authoremque fuisse *Henrico* Lubecensium episcopum *Iohannem* Schelium, ut iter susciperet, multum id dehortante ac refragante ex consiliariis ejus viro gravi ac prudenti, qui negabat teneri Germaniæ principem extra Germaniam vocanti Cæsari parere; præsertim cum ipse etiam Cæsar, ut Regi Erico affinis ac favens, haberi pro judice suspecto debeat, præstareq; idcirco à Cæsare ad summum pontificem provocationem instituere: Sed, ejus consilio insuper habito, *Henricum* nihilominus ex promisso jam ante *Rumpoldo* Silesiæ Duci facto obsecutum episcopo se Budæ stitisse. Ibique Imperatorem Sigismundum latâ adversus Holsatos sententiâ, Slesvicensium Ducatum regi regnoque adjudicasse. Hujus sententiæ ab Imperatore Sigismundo pronunciatæ apographum, cui & regis Erici ut & Holsatorum codicilli actaque cum Duce Silesiæ *Rumpoldo* verbotenus sunt inserta, his proxime subjeci. Est autem ejusmodi:

MCCCCXXIV.

In

SIGISMUNDUS IMP.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Amen.

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum Rex, ſemper Auguſtus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ Rex. Notum facimus tenore præſentium, quod nos Sigiſmundus Rex præfatus, arbiter & ſupremus judex electus ex compromiſſo, per Illuſtriſſimum principem & dominum, Dn. Ericum Dei gratia, Daciæ, Sueciæ, Norvegiæ, Sclavorum, Gothorumque Regem, & Ducem Pomeraniæ &c. fratrem noſtrum, ex una parte, & illuſtres Henricum, Adolphum & Gerhardum, Comites Holſatiæ avunculos noſtros, parte ex altera, ut per literas dicti compromiſſi in nos facti in Theutonico deſcriptas, datas per dictas partes hinc inde, ac etiam per literas bonæ memoriæ Henrici dicti Rumpoldt, Ducis in Slezia, & domini majoris Glogoviæ &c. quem propterea tranſmiſimus ad partes illas, ipſarum partium ſigillis, ut prima facie, ex armis & literis circumferentialibus munitas nobiſque exhibitas conſtat, quarum literarum compromiſſi tenores, de Theutonico ad Latinum reducti & fideliter translati, tales ſunt:

Nos Ericus Dei gratia, regnorum Daciæ, Sueciæ, Norvegiæ, Sclavorum, Gothorumque Rex, Dux Pomeraniæ, &c. recognoſcimus publicè cum præſenti litera, omnibus eam videntibus, & legi audientibus, quemadmodum Sereniſſimus princeps & dominus, Dn. Sigiſmundus, Romanorum Rex, ſemper Auguſtus, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatię, Croatiæ Rex, noſter dilectus frater & avunculus, generoſum principem, Dn. Henricum dictum Rumpold, Ducem majoris Glagoviæ, ad nos ex una, & ad generoſos principes, dominos Henricum, Adolphum & Gerhardum fratres, Comites in Holſten, Stormarn & Skovenburg, ex alia parte, miſit & deſtinavit ob tales guerras & diſplicentias, diſcordias & actiones, quas nos ab utraque parte invicem habemus, propter pacem & concordiam inter nos componendam: Sic nos totius noſtri juris & actionis, quas nos invicem habemus, in præfatum noſtrum fratrem & dilectum avunculum, Romanorum Regem, ſicuti in unum ſupremum judicem, & plenæ poteſtatis arbitrum, ex parte noſtra & coronæ regni Daciæ devenimus & remanſimus ac devenimus, & remanemus in vim præſentis literæ, nos cum juſticia propterea componere in omni modo, ſicuti ipſius præſcripti Ducis Henrici nominati Rumpold, litera compromiſſi, ſuper hoc data, propriè declarat, quæ de verbo ad verbum taliter ſonat: Nos Henricus dictus Rumpold, Dei gratia, Dux Sileſiæ & dominus majoris Glogoviæ, gubernator terrarum & civitatum Budeſin, Gorlitz & Zittau &c. recognoſcimus & notum facimus, publicè cum præſenti litera, omnibus eam videntibus aut legi audientibus, quod Sereniſſimus princeps & dominus, Dn. Sigiſmundus, Romanorum Rex, ſemper Auguſtus, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Rex noſter gratioſiſſimus, dilectus dominus, ob talem diſcordiam, diſplicentiam & guerram, quæ inter Sereniſſimum principem & dominum Ericum, Daciæ, Sueciæ, Norvegie, Slavorum, Gothorumque regem, Ducem Pomeraniæ, noſtrum dictum dominum ex una, & Generoſos principes dominos, Henricum, Adolphum & Gerhardum, Duces in Sleſuig, & Comites in Holſten, Stormarn & Skovenborg, ex alia parte, exortę ſunt, Nos in plenæ poteſtatis nunciatione cum plena authoritate, ad præfatos dominos, propter pacem & concordiam pronunciandam, tractandam, concordandam, & faciendam, ex ſui & ſacri imperij parte, in ſe cepit & ponderavit, Quod tales guerræ non ſolum eorum terris & hominibus, notabilia damna & deſtructiones important, ſed etiam toti Chriſtianitati, ſecundum talem diſpoſitionem, ſicut ſe negotia pro nunc diſponunt, Et ab hoc præfatos dominos ad diem placiti & ad invicem convocavimus, & nos cum eis fatigavimus, & propter pacem, concordiam, & compoſitionem tractavimus, ſic ipſi ab utraque parte, noſtro gratioſo domino Romanorum regi & ſacri imperij, ad honorem & ſervitium, omnium ſuarum cauſarum, guerrarum, diſcordiarum, diſplicentiarum, defectuum & actionum, quas ipſi invicem habent, ſecundum eorum querelas, actiones, cauſationes, & reſponſiones, quas ipſi ſibi invicem ſub eorum ſigillis literatoriè daturi erant & dare debebunt, In nos Ducem Henricum dictum Rumpold, ſicut in unum plenæ poteſtatis judicem & arbitrum, omnium prænominatarum cauſarum, faciendum jus ipſos propterea componendi & pronunciandi devenerunt, & remanſerunt. Sic nos noſtro domino Romanorum regi & ſacri Imperij, ad honorem & ſervitium, & pauperibus hominibus ad pacem & meliorationem, prænominatos noſtros dominos regem Daciæ, & Duces de Sleſvig, juxta eorum petitionem & reſponſionem, ſicuti ſupraſcriptum eſt, ipſos, ſecundum jus componendi nos acceptavimus & acceptamus in vim præſentis literæ, Et reſervamus nobis nohilominus ple-

Ericus VIII. Rex. A. C.

nam poteſtatem, quod nos omnia hujuſmodi jura, diſplicentias, & actiones, quas ſupra nominati domini contra ſe invicem dabunt, ſtatuent & literatoriè prę ſentabunt, ad noſtrum dominum Romanorum regem, ad ſuos principes, electores, principes, dominos, milites, et Clientes, quos ad hoc acceptaverit, ſicut in unum ſupremum judicem, & plenæ poteſtatis arbitrum, ipſos ſuper hoc ſecundum jus componendi, portare & deducere poſſimus. Tale jus noſter dominus Romanorum rex, expedire & permutare poterit in ſui perſona, aut per ſuas literas, aut per ſuum plenæ poteſtatis Ambaſiatorem, quem ad hoc miſerit infra præſentem annum, ſecundum tenorem, & datum præſentis literæ. Si autem nos Henricus nominatus Rumpold, hujuſmodi jus, perſonaliter expediverimus & pronunciaverimus ex parte noſtri Romanorum regis, hoc debemus & volumus nos etiam pronunciare & finire, in præſenti anno, ſicut ſupra ſcriptum eſt, per nos aut per noſtras literas. Si autem contigerit, quod noſtro domino Romanorum regi, aut nobis ex parte ſui, ipſum jus expediendi & pronunciandi, infra præſentem annum, propter notabilem cauſam, tempus nimis breve fuerit, tunc poſſit noſter dominus Romanorum rex, aut nos ex parte ſui, tale tempus ad medium annum prolongare, Sic tamen, quod talis juris pronunciatio, utique infra præſentem annum cum dimidio, pronuncietur in omni eo modo, ſicuti ipſum hic de jure pronunciare debuiſſemus. Et quandocunque noſter dominus Romanorum rex, ipſam pronunciationem, aut nos, ex parte ſui expedire & pronunciare voluerimus, tunc erit noſter dominus Romanorum rex aut nos, ex parte ſui ad ipſam pronunciationem, noſtro domino regi Dacię, & Ducibus de Sleſvig, diem & locum ſtatuere & præfigere taliter, Quod noſter dominus Romanorum rex, aut nos, ex parte ſui, aut quem noſter dominus cum ſuo plenę poteſtatis ambaſiatore, aut nos cũ noſtris literis tale jus expediendi & pronunciandi deſtinabit & mittet, & ambabus partibus, in eorum domiciliis, aut diem pronunciationis intimare, facere debebit tale tempus & locum, & ipſis hoc denunciare ad tres integros menſes ante, ad quod, ipſi ex tunc ab utraque parte perſonaliter aut eorum plenę poteſtatis nunciatione, ad ipſam pronunciationem audiendam & acceptandam, venire aut mittere debebunt, ſine omni dolo & fraude. Et quicquid ipſis extunc, eo modo à domino noſtro Ròmanorum regè, aut à nobis, ſui ex parte ſententiatum ſeu pronunciatum fuerit, in hoc debebunt ipſi ex utraque parte ſtare contenti, & debebunt hoc inviolabiliter ſine ommi contradictione & ſine protelatione tenere, abſque omni dolo & fraude, ſicuti ipſi, ex utraque parte, ſibi invicem literatoriè & oretenus, proſcripſerunt & promiſerunt; Quicquid eis eo modo pro jure ſententiatum fuerit, illud firmiter & inviolabiliter tenere, ſicut hoc eorum literę propriæ demonſtrant. Et debebunt etiam noſtrum gratioſum dominum Romanorum regem & nos, ex ſui parte, ſine omni oblocutione & ſiniſtra cogitatione, tenere & dimitttere, ſicut ipſi hoc noſtro gratioſo domino Romanorum regi & nobis ex ſui parte, in ipſorum literis & etiam oretenus dixerunt & promiſerunt. Etiam ſtatuimus & facimus ex parte noſtri gratioſi domini Romanorum regis, & ex parte noſtri, prætextu talis poteſtatis, ſicut ipſi ipſorum juris in noſtrum gratioſum dominum Romanorum regem, & in nos ex ſui parte, plenariè devenerunt & remanſerunt, taliter, quod noſter dominus Rex Dacię, & Duces de Sleſvig, ſuper talis juris pronunciatione, ſicut ſuperius ſcriptum eſt, inter ipſorum terras & homines, Epiſcopos, Nobiles, dominos, milites & Clientes, cives & ruſticos, & omnes ſupranominatorum dominorum, terrarum, caſtrorum, & civitatum incolas, ſpirituales, aut temporales, quos ipſi ab utraque parte, in ipſorum defenſione habent, unam rectam pacem & concordiam tenere debebunt, ita plenariè, ac ſi nunc ipſa pronunciatio, à noſtro domino Romanorum rege, aut à nobis ex ſui parte jam acta, expedita, & pronunciata eſſet, & talis pax & concordia debebit pronunc intrari & teneri inter ambos dominos & eorum ſubditos, prout ſupraſcriptum eſt. Taliter tamen, quod talis ſententia juris, prout ſupra ſcriptum eſt, firmiter & integrè ab utraque parte æquè benè teneatur. Etiam debebunt, & poſſint ſupraſcriptorum dominorum homines, & civitates, cives & ruſtici, ſpirituales & ſeculares, & omnes ambarum partium inhabitatores, invicem in ſtratis & viis, ambulare, ducere, equitare, & ire, & eorum merces & negotia, libere & ſecurè ducere, & portare, prout hoc ad rectam pacem & concordiam ſpectat. Etiam debebit quælibet pars, tales villas & bona, cum omnibus utilitatibus, quæ ad hoc aliàs pertinuerunt, tenere & uti in omni modo & manere, prout ipſi ab antea, & ab antiquo ad caſtra, quę quælibet pars pro nunc tenet, pertinuerunt, & in ſua defenſione tenet, ita ulterius tenebit, & uti debebit, & poterit tam diu, quoad talis ſententia juris pronuncietur & expediatur. Et ſi contigerit, quod in tali concordia,

concordia, per ſupra nominatorum dominorum, homines & civitates, cives & ruſticos, & omnes ſupradictorum dominorum, terrarum, caſtrorum, & civitatum inhabitatores, ſpirituales vel temporales, in aliquo violatum fuerit, contra juris & præſentem pacem & concordiam, in hoc debebit ſe quælibet pars, à tali violatione aut tali parti, cui talis violatio facta fuerit fideliter exhibere ſine dolo, ſupra hoc unam emendam diſponere & ordinare, Etiam debebunt caſtrum Dorningen, & munitiones quę ante ipſum ædificatę ſunt, contra ſe invicem taliter ſtare & remanere, uſque ad ipſius juris pronunciationem, Et debebunt ab utraque parte ſecundum talem pacem & concordiam ita diſcrete teneri, prout hoc in vera pace & concordia reſpicitur. Et debebunt etiam in utraque parte liberas Vias habere, ab & ad ducendi & portandi quicquid eis neceſſe fuerit. Et poterunt etiam in caſtro & munitionibus ædificare quicquid eis neceſſe fuerit, taliter tamen, quod ipſis cum nulliusmodi munitione magis ultra occupando, non conſtruant nec fodient, ſed in tali modo & ſtatu manere debebunt, uſque ad pronunciationem prænominatam. Etiam ſtuduimus et facimus ex parte noſtri gratioſi domini Romanorum regis, etiam ſecundum talem poteſtatem, quam nos ex ſui parte habemus ex parte noſtra, pro ut ipſi ab utraque parte noſtra in nos devenerunt & remanſerunt, Etiam quod omnes captivi ab utraque parte inducias habeant, ſine dolo & fraude, tam diu, quod tale jus & ſententia expediatur & pronuncietur. In cujus veram recognitionem & majorem firmitatem, Nos noſtri principatus ſecretum, ad præſentem literam fecimus appendi, quæ data eſt in Flensborg, in die Circumciſionis Domini, Anni à nato Chriſto, 1423.

Omnia ſupraſcripta verba, puncta et articulos, promittimus nos præfatus Ericus rex Daciæ &c. firmiter & integrè tenere, Et quomodocunque nos Sereniſſimus princeps, & dominus, Dn. Sigiſmundus Romanorum rex, & Dux Henricus Rumpold nominatus, ſecundum rectum arbitrium, & inter nos ſecundum jus arbitraturus & pronunciaturus erit, hoc firmiter ratum & inviolabiliter, per noſtram regiam fidem & verbum, tenere volumus, ſine dolo & omni contradictione & protelatione. Et promittimus eis etiam, quicquid ipſi inter nos, eo modo ſecundum jus pronunciabunt, quod nos ipſos propterea abſque ſiniſtra cogitatione, & omni oblocutione, dimittemus & tenebimus, Et promittimus etiam generoſis dominis, Henrico, Adolpho & Gerhardo fratribus, Comitibus in Holſten, quicquid nobis hoc modo ſecundum jus ſententiatum fuerit, hoc volumus fideliter erga eos tenere & continuare, prout etiam hoc oretenus & mediantibus noſtris literis, quas nos ſinguli nobis invicem dedimus, ratificamus & confirmavimus, promiſimus & diximus. In cujus veram recognitionem & majorem firmitatem, nos ſupranominatus Rex Ericus, noſtrum ſecretum ſigillum ad præſentem literam fecimus appendi cum vera ſcientia. Datum Anno 1423. Circumciſionis Domini.

Tenor alterius literæ.

NOs Henricus, Adolphus, & Gerhardus, fratres, Dei gratia, Duces in Sleſuig, & Comites in Holſten, Stormarn, & Skovenborg, recognoſcimus publicè cum præſenti litera, omnibus eam videntibus aut legi audientibus, Quemadmodum Sereniſſimus princeps & dominus, Dn. Sigiſmundus, Romanorum rex, ſemper Auguſtus, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatię, Croatiæ rex &c. noſter gratioſiſſimus dilectus dominus, generoſum principem, dominum Henricum dictum Rumpold, Ducem & dominum majoris Glogovię &c. ad Sereniſſimum principem & dominum, Dn. Ericum Dacię, Suecię, Norvegię, Sclavorum, Gothorumque regem, noſtrum gratioſum dominum, ex una, & ad nos prænominatos Duces, ex altera parte, deſtinavit & miſit, ob tales guerras, diſplicentias, diſcordias & actiones, quas nos ab utraque parte invicem habemus, propter pacem & concordiam inter nos tractandam, Sic nos totius juris & actionis, quas nos invicem habemus, in ſupradictum noſtrum Illuſtriſſimum gratioſiſſimum dominum regem, ſicut in unum ſupremum judicem & plenæ poteſtatis Arbitrum, ex parte noſtra devenimus & remanſimus, devenimus & remanemus, in vim præſentis literæ, Nos, cum jure ſuper his componendi in omni modo, prout ipſius præfati Ducis domini Henrici Rumpold dicti, litera compromiſſi, ſuper hoc dati, propriè declarat, quæ de verbo in verbum ſonat in hunc modum:

Nos Henricus dictus Rumpold, Dei gratia, Dux Sileſiæ & dominus majoris Glogoviæ, & gubernator civitatum & terrarum Budeſin, Gorlitz, & Zittau, recognoſcimus & no-

tum

ERICUS VIII. Rex. A. C.

tum facimus, publicè cum præsenti litera, omnibus eam videntibus & legi audientibus, Quoniam Serenissimus princeps & dominus, Dn. Sigismundus, Romanorum rex, semper Augustus, Hungariç, Bohemiç, Dalmatiç, & Croatiç rex, noster gratiosissimus dilectus dominus, ob talem discordiam, displicentiam, & guerram, qua inter Serenissimum principem & dominum, Dn. Ericum Daciç, Sueciç, Norvegiç, Sclavorum, Gothorumque regem, Ducem Pomeranie, nostrum dilectum dominum, ex una, Et generosos principes, dominos Henricum, Adolphum & Gerhardum, Duces in Slesvig, & Comites in Holsten, Stormarn, & Skovenborg, ex altera parte exortæ sunt, nos in plenæ potestatis nunciatione, cum plena autoritate, ad præfatos dominos, propter pacem & concordiam pronunciandam, tractandam, concordandam, & faciendam, ex sui & sancti Imperij parte, in se cepit & ponderavit, quod tales guerræ, non solum eorum terris & hominibus, notabilia damna & destructiones important, sed etiam toti Christianitati secundum talem dispositionem sicut se negotia pronunc disponunt, & ob hoc, præfatos dominos ad diem Placiti, & ad invicem convocavimus, & nos cum eis fatigavimus, & propter pacem, concordiam & compositionem, tractavimus, Sic ipsi ab utraque parte, nostro gratioso domino, Romanorum regi & sacri Imperij, ad honorem & servitium, omnium suarum causarum, guerrarum, discordiarum, displicentiarum, defectuum & actionum, quas ipsi invicem habent, secundum eorum querelas, actiones, causationes & responsiones, quas sibi invicem sub eorum sigillis literatoriè daturi erunt, & dare debebunt, in nos Ducem Henricum dictum Rumpold, sicut in unum plenę potestatis judicem & arbitrum omnium prænominatarum causarum secundum jus, ipsos propterea componendi & pronunciandi, devenerunt & remanserunt, Sic nos nostro domino Romanorum regi, & sacri Imperij ad honorem & servitium, & pauperibus hominibus ad pacem & meliorationem, prænominatos nostros dominos, regem Daciæ, & Duces de Slesvig, supra eorum petitionem & responsionem, sicuti suprascriptum est, ipsos secundum jus componendi in nos acceptavimus & acceptamus, in vim præsentis literæ, Et reservamus nobis nihilominus plenam potestatem, Quod nos omnia hujusmodi jura, displicentias & actiones, quas supranominati domini contra se invicem dabunt, statuant & literatoriè præsentabunt, ad nostrum dominum Romanorum regem, ad suos principes Electores, principes, dominos, milites, clientes, quos ad hoc acceptaverit, sicut in unum supremum judicem, & plenæ potestatis arbitrum, ipsos super hoc secundum jus componendi, portare & deducere possimus, tale jus noster dominus Romanorum rex expedire & pronunciate poterit, in sui persona, aut per suas literas, aut per suum plenę potestatis Ambasiatorem, quem ad hoc miserit infra præsentem annum, secundum tenorem & datum præsentis literæ. Si autem nos Henricus nominatus Rumpold, hujusmodi jus personaliter expediverimus & pronunciaverimus ex parte nostri domini Romanorum regis, hoc debebimus & volumus nos etiam pronunciare & finire in præsenti anno, sicut suprascriptum est, per nos aut nostras literas. Si autem contigerit, quod nostro domino Romanorum regi, aut nobis ex parte sui, ipsum jus expediendi & pronunciandi infra præsentem annum, propter notabilem occasionem si tempus nimis breve fuerit, tunc possit dominus noster Romanorum rex, aut nos ex parte sui, tale tempus ad medium annum prolongare, Sic tamen, quod talis juris pronunciatio utique infra præsentem annum cum dimidio pronuncietur, in omni eo modo, sicut ipsum hic de jure pronunciare debuissemus. Et quandocunque noster dominus Romanorum rex, ipsam pronunciationem aut nos ex parte sui, expedire & pronunciare voluerimus, tunc erit noster dominus Romanorum rex, aut nos ex parte sui, ad ipsam pronunciationem nostro domino regi Daciæ, & Ducibus de Slesvig, diem & locum statuere & præfigere taliter, Quod noster dominus Romanorum rex, aut nos ex parte sui, aut quem noster dominus cum suo plenę potestatis Ambasiatore, aut nos cum nostris literis tale jus expediendi & pronunciandi destinavit & mittet, & ambabus partibus in eorum domicilium, ante diem pronuciationis intimare, facere debebit, tale tempus & locum, & ipsis hoc denunciare ad tres integros menses ante, ad quod ipsi extunc ab utraque parte personaliter, aut eorum plenæ potestatis nunciatione ad ipsam pronunciationem, audiendam & acceptandam venire aut mittere debebunt, sine omni dolo & fraude. Et quicquid ipsis ex tunc eo modo, à nostro domino Romanorum rege, aut à nobis sui ex parte sententiatum seu pronunciatum fuerit pro jure, in hoc debebunt ipsi ex utraq; parte stare contenti, Et debebunt hoc inviolabiliter sine omni contradictione & protelatione tenere, absque omni dolo & fraude, sicut ipsi ex utraque parte, sibi invicem literatoriè

Ericus VIII. Rex. A. C.

literatoriè & oretenus præscripserunt & promiserunt. Quicquid eis, eo modo pro jure sententiatum fuerit, illud firmiter & inviolabiliter tenere, sicut hoc eorum literę propriè demonstrant. Et debebunt etiam nostrum gratiosum dominum Romanorum regem, & suos, ex sui parte sine omni oblocutione & sinistra cogitatione tenere & dimittere, sicut ipse hoc gratioso nostro domino Romanorum regi, & nobis ex sui parte literatoriè & oretenus etiam dixerunt & promiserunt. Etiam studuimus & facimus ex parte nostri gratiosi domini Romanorum regis, et ex parte nostri, prætextu talis potestatis, sicut ipsi ipsorum jure in nostrum gratiosum dominum Romanorum regem, & in nos ex sui parte plenariè devenerunt & remanserunt, taliter, quod noster dominus rex Daciæ, & Duces de Slesvig, super talis juris pronunciatione, sicut superius scriptum est, inter ipsorum terras & homines, Episcopos, nobiles, dominos, milites & clientes, cives & rusticos, & omnes supra nominatorum dominorum, terrarum, castrorum & civitatum, incolas spirituales aut temporales, quos ipsi ab utraque parte in ipsorum defensione habent, unam veram pacem & concordiam tenere debebunt, ita plenariè, ac si nunc ipsa pronunciatio à nostro domino Romanorum rege, aut à nobis ex sui parte, jam acta, expedita & pronunciata esset, & talis pax & concordia debebit pro nunc intrare & teneri inter ambos dominos & eorum subditos, prout supra scriptum est, taliter tamen, quod talis sententia juris prout supra scriptum est, firmiter & integrè, ab utraque parte æquè benè teneatur. Etiam debebunt & possint suprascriptorum dominorum homines & civitates, cives, rustici, spirituales & seculares & omnium ambarum partium inhabitatores, invicem in stratis & viis ambulare, ducere, equitare, ire, & eorum mercantias & negotia invicem liberè & securè stare & portare, prout hoc ad veram pacem & concordiam spectat. Etiam debebit quælibet pars, tales villas & bona cum omnibus utilitatibus, quę ad hoc aliàs pertinuerunt, tenere & uti, in omni modo & manerie, prout ipsi ab antea & antiquo, ad castra, quę quælibet, pars pronunc tenet pertinuerunt, & in sua defensione tenet, ita ulterius tenebit & uti debebit & poterit, tam diu, quod talis sententia juris pronuncietur & sententietur. Et si contigerit, quod in tali concordia per supra nominatorum dominorum homines & civitates, cives & rusticos, & omnes supradictorum dominiorum, terrarum, castrorum & civitatum inhabitatores, spirituales vel temporales, in aliquo violati fuerint, contra jus & pręsentem pacem & concordiam, in hoc debebit se quęlibet pars in tali violatione alteri parti cui talis violatio facta fuerit, fideliter exhibere, & sine dolo super hoc unam emendandam disponere & ordinare. Etiam debebit castrum Dorningen, & munitiones, ante ipsum ædificatę contra se invicem taliter stare & manere usque ad ipsus juris pronunciationem, Et debebunt ab utraque parte, secundum talem pacem & concordiam ita præcisè tenere, prout hoc in vera pace & concordia requiritur. Et debebunt etiam in utraque parte liberas vias habere ab & ad ducendi & portandi, quicquid eis necesse fuerit. Et poterunt etiam in castro & munitionibus ædificare quicquid eis necesse fuerit, taliter tamen, quod ipsi cum nulliusmodi munitione magis ultra occupando non construant nec fodiant, sed in tali modo & statu manere debebunt, usque ad pronunciationem prænominatam. Etiam statuimus & facimus, ex parte nostri gratiosi domini Romanorum regis, etiam secundum talem potestatem, quam nos ex sui parte habemus ex parte nostra prout ipsi ab utraque parte in nos devenerunt & remanserunt, Etiam quod omnes captivi ab utraque parte, inducias habeant sine dolo & fraude, tam diu, quod tale jus & sententia expediatur & pronuncietur. In cujus veram recognitionem & majorem firmitatem, Nos nostri principatus secretum sigillum ad præsentem literam fecimus appendi, quæ data est in Flensborg, die Circumcisionis Domini, Anno 1423. Omnia ista suprascripta verba, puncta, promittimus nos supradicti Henricus, Adolphus & Gerrardus fratres, Duces in Slesvig, Comites in Holsten &c. firmiter & integrè tenere, Et quomodocunque Illustrissimus princeps & dominus, Dn. Sigismundus Romanorum rex, aut Dux Henricus dictus Rumpold, secundum jus arbitraturus & inter nos pronunciaturus est, illud firmum, ratum & inviolabile per nostram principalem fidem & verbum tenere volumus, sine dolo & omni contradictione & protelatione. Et promittimus eis etiam, quicquid ipsi inter nos in eo modo, secundum jus pronunciabunt, quod nos ipsos propterea absque sinistra cogitatione & omni oblocutione dimittemus & tenebimus. Et promittimus etiam Illustrissimo principi ac domino, Dn. Erico Daciæ regi, nostro gratioso domino, quicquid nobis hoc modo secundum jus sententiatum fuerit, hoc volumus fideliter erga eum tenere & continuare, prout etiam hoc oretenus, & per nostras literas, quas nos singuli, nobis invicem

Ericus VIII. Rex. A. C.

invicem dedimus, ratificavimus & confirmavimus, diximus & promisimus. In cujus veriorem recognitionem & majorem firmitatem, Nos nostrum sigillum ad præsentem literam fecimus appendi, cum vera scientia, Datum Flensborg, Circumcisionis Domini, Anno 1423. Habentes de infrascriptis Ballivam & potestatem ex forma & tenore dictarum literarum, in causa & causis, quæ coram nobis vertebantur, inter partes prædictas seu earum procuratores, de & super Iutia australi, in qua sita sunt Slesvig & Gottorp, aliisque ad ipsam Iutiam pertinentibus una cum sylva Danica, Insula Alse, & provincia Friseheiden vulgariter nominata, cum omnibus juribus & pertinentiis, limitibus, grentiis suis, & nonnullis aliis & eorum occasione & causa, ac de & super discordiis, displicentiis & guerris, inter dictas partes exinde exortis, diligenter, datisque hinc inde petitionibus & querelis, per ipsas partes, ac responsionibus commissarioque nostro ad partes regni Daciæ, pro diligenti informatione jurium, partium prædictarum, tam per testes quam per literas aut alias habenda, transmisso per nos cum plena potestate & commissione qui de eisdem juribus & aliis supra, sibi per nos commisso, diligenti facta inquisitione, & examinatis testibus, & receptis juribus nobis relationem tribuit fide dignam, ac per nos juribus & aliis hic receptis, processoque ad alios actus plurimos, partibusque illis super formam & tenorem, ipsarum compromissi literarum, ad nostram audiendam sententiam & arbitrium proferendam, & prolatorum videndum legitime citatis, ut ad certum diem & hunc locum coram nobis propterea comparere deberent, ex rectis & rationabilibus causis, de consensu procuratis dicti regis Erici, & Comitis Henrici sæpedicti, diem ipsum prolongavimus ad diem præsentem, quo die, circa horam 3. Ericus Krummedige miles, procurator & procuratorio nomine Illustrissimi dn. regis Daciæ præfati, præsente etiam & intelligente Venerabili viro, Nicolao, procuratore dicti Henrici Comitis, accusata & continuata prçfatorum, Adolphi & Gerhardi fratrum, Comitum prædictorum, coram nobis, ad ipsam audiendam sententiam, minime comparentium, & in ipsis causa & causis, tandem pro parte dicti domini regis concluso, ac etiam per nos petiit instanter coram nobis pro se dicto nomine, & ejus parte & contra partem adversam, diffinitivam per nos fieri & promulgari sententiam & arbitrium, ut hæc & alia latius in actis & registro causę hujusmodi, coram nobis habito plenius & latius continentur, Unde nos Sigismundus rex præfatus, arbiter & judex prædictus, sedens pro tribunali, in loco infra scripto, quem nobis pro idoneo ad hoc elegimus, prius visis, auditis, consideratis & lectis ac intellectis, per nos ac Prælatos & Doctores nostros, ad hoc specialiter deputatos, literis prædictis compromissi hinc inde datis, & earum continentiis petitionibus partium & querelis, probationibus, de partibus reportatis, citationibus, exhibitationibus, instrumentorum & literarum partium prædictarum, ac omnibus & singulis, quę dictę partes dicere, producere & allegare voluerunt, coram nobis, quælibet ipsarum ad defensionem juris sui, tam in scriptis, verbo & viva voce, aliisque omnibus & singulis diligenter visis, auditis, consideratis, & examinatis quę videnda, audienda, consideranda & examinanda fuerunt, maturaque & diligenti deliberatione præhabita, ad nostram diffinitivam sententiam & arbitrium, supra his processimus, prout & quemadmodum in schedula infra scripti tenoris continetur, quam per Organon Venerabilis domini Francisci præpositi Strigoniensis, vice Cancellarij nostri, legi fecimus & mandavimus, in hæc verba, scilicet CHRISTI NOMINE INVOCATO, In causa & causis, quę vertuntur coram nobis, inter Illustrissimum principem & dominum, Dn. Ericum, Dacię &c. Regem, ex una, Et illustres, Henricum, Adolphum & Gerhardum Comites Holsatię, ex altera parte, super Ducatu Slesvicensi, & aliis querelis, hinc inde petitis, visis, productis & allegatis, per partes prædictas, & habita matura deliberatione ac diligenti cum consilio cum Prælatis, Baronibus, Nobilibus, doctoribus, Iurisperitis, & aliis, Nos Sigismundus Rex præfatus, arbiter prædictus inter partes electus, vigore compromissi in nos facti, dicimus, decernimus, laudamus & arbitramur, & in his scriptis pronunciamus, totam Iutiam australem, in qua situata sunt Slesvig & Gottorp, & alia loca ad ipsam Iutiam pertinentia, unà cum sylva Danica, & insula Alse, & provincia Friseheiden vulgariter nuncupata, cum omnibus juribus & pertinentibus suis, pertinuisse & pertinere ac pertinere debere, jure directi & utilis dominij, ad Regem & regnum Dacię, ipsumque inducendum fore & induci debere, in possessionem Ducatus prędicti, & terrarum cum suis ut supra prænominatarum, Et dictis Henrico, Adolpho & Gerhardo, Comitibus præfatis, in & super dicto Ducatu & terris cum suis pertinentiis ut supra, nullum jus ratione feudi competiisse nec competere, & ita per hanc nostram arbitralem sen-

Ericus VIII. Rex. A. C.

lem sententiam, secundum allegata & probata in his scriptis, definimus & arbitramur pro jure dictis partibus, super aliis hinc inde petitis ex causis animum nostrum moventibus, utriq; parti actionem reservantes. In quorum omnium & singulorum præscriptorum fidem & testimonium, præsentes nostras literas, hoc publicum instrumentum pronunciationis dictæ sententia in se continens fieri, & per Antonium infra scriptum scribi & subscribi fecimus, Sigillique nostræ Majestatis appensione muniri. Data, lecta & lata est præsens sententia & arbitrium Budę Westprunensis Diœceseos, in Stuffa magna intra castrum Regium, præsentibus ibidem reverendissimis in Christo patribus egregiis, venerabilibus & magnificis dominis, Dn. Ferdinando D. G. Lucens. Episcopo & nuncio Apostolico, Ludovico Dive de Deck Aquilegiensis Ecclesiæ Patriarcha, Gunthero Archiepiscopo Magdeburgensi, Georgio Archiepiscopo Strigonensi, Nicolao Vatiensi, Petro de Rosgon Wesprunensi Episcopis, Johanne Rosgon, summo Regis Hungarię Thesaurario, Pippone Spano, Nicolao de Gaza, Magno Comite regni Hungariæ, Benedicto præposito Albensi protonotario sedis Apostolicæ, Johanne præposito Budensi, Francisco præposito Strigoniensi, vice Cancellario Imp. Petro Paulo de Justinopoli V. I. Zimborio de Padua milite & legum, Nicolao Geselmester sacri pallatij auditore decretorum, Ludovico de Cataneis de Verona legum, Iohanne Delmelavensi Decretorum Doctoribus, consiliariis, dicti Serenissimi domini Dn. Regis & aliis in multitudine copiosa testibus ad pręmissa vocatis, specialiter rogatis, die Mercurij 28 Iunij, Indictione secunda, Anno Domini 1424. Anno Hungariæ 38. Romanorum 9. & Bohemiæ 4. Et ego Antonius de Pisis, publicus Apostolica & Imp. authoritate Notarius & judex ordinarius, ac Curiæ & Cancellariæ protonotarius, dictæque causę coram serenissimo domino nostro Romanorum rege præfato, Notarius & scriba, quia prædictis, pronunciationi dictæ sententiæ & arbitrij, & promulgationi ac aliis omnibus & singulis suprascriptis, dum sic ut præmittitur, agerentur & fierent, unà cum prænominatis dominis testibus, præsens, fui, Eaque sic fieri vidi, audivi, & in notam suscepi, Registravi hæc in literas, hoc instrumentum pronunciationis sententiæ in se continens, alterius manu de mei licentia, me aliis occupato negotiis, hic scriptas concepi, & ideo de mândato ejusdem domini nostri Regis, ea publicavi & per me subscripsi, Et unà cum appensione sigilli Majestatis suę, signum meum & nomen apposui consueta, in fidem & testimonium eorundem etiam rogatus & requisitus. Ad mandatum domini Regis.

FRANCISCUS pp. *Strigon.*

Rr. HENRICUS FYE.

Habent Holsatiæ annâles Cæsarem, promulgatâ super dicto jam Ducatu sententiâ, operam dedisse reconciliandis cum rege Holsatis, & nomine quidem regis Lalandiæ insulam unà cum trecentis marcarum millibus loco Ducatus eis obtulisse, sed conditionem ab ipsis rejectam. Priusquam verò in Pannoniam Rex adveniret, reperio apud authores rerum Bohemicarum, ipsum & infantem *Petrum*, regis Portugalliæ *Iohannis* primi filium, *Eduardi* germanum fratrem, *Iacobi* Cardinalis sancti Eustathij excellentis & clari viri patrem, salutasse in Bohemiâ Imperatorem, ambos rei militaris peritissimos, Cæsarisq; exercitum, qui tum ad oppidum Moraviæ Lutempergam, Hussitarum præsidio communitum, castra moliebatur, & copiis auxiliisq; suis luculentum supplementum adjecisse: atq; inde obsidionem tribus mensibus loco jam memorato ductam. Hunc *Petrum* Lusitaniæ regum Genealogię Ducem Conimbricensem vocant, virum bello & pace celebratissimum, ut qui multas Europæ, Asiæ & Africæ loca regionesq; viderit; Quarum inter ceteras, etiam hujus expeditionis, quâ Sigismundo adversus Bohemos adfuit, mentionem injiciunt; fuisseque non solum militari disciplinâ excellentem, sed artium quoq; multarum callentem ac scriptis denique tàm prosâ quàm vorsâ oratione editis clarum.

Rex autem Ericus dum apud Cæsarem ac Pannones agit, accidit ut circa idem tempus *Sophiæ* reginæ, quam sibi paulò antè quartis nuptiis junxerat Rex Poloniæ *Vladislaus*, solenni ritu diadema imponeretur. Eam celebritatem, præter Polonos & Lithuanos proceres, Sigismundus Cæsar cum *Barbarâ* uxore: Ericus Danorum Rex, dilato nonnihil, quod Hierosolyma instituerat, itinere, *Brando* Cardinalis, cognomento Placentinus, legatus Pontificius; *Iulianus* Cæsarinus, Cameræ Apostolicæ auditor, qui postea Cardinalis fuit; *Ludovicus* Bavarorum alijque principes ac Duces suâ præsentiâ cohonestarunt. Tentatum est in illo conventu à principibus de *Hedeviga* Regis *Vladislai* filia *Bugislao*

ERICUS VIII. Rex. *A. C.*

Pomeraniæ Duci in matrimonium collocandâ, cum *Vladislaus* non obscure se à *Frederico* Marchione, cujus filio ea desponsa erat, alieniorem demonstraret. Sed nihil tamen eâ de re impetratum est, dissuadentibus apud regem eas nuptias proceribus, fidemque rebus omnibus habendam potiorem commonstrantibus. Inde post diem decimumquintum Reges & principes liberaliter & magnifice à Polono habiti, suas quisque domos repetivêre. Ericus cum Cęsare in Ungariam ubi esset regressus destinatum Hierosolymam iter voti ergo accelerare institit, comitem secum, præter alios, ducens *Barnimum* Volgasti Ducem. Erat in aulâ Cæsaris homo ejus coeli, qui trium regnorum regem eum non ignoraret; Is omnibus lineamentis efformatam penicillo ipsius imaginem amico cuidam suo in Syriam & eas oras, quę *Soldano* parebant, transmittit: eâque rex, ubi eòdem advenisset, licet habitum religionis ergò peregrinantis præferret, agnitus tamen & captus ingenti summâ, ne nomen & tituli ejus *Soldano* proderentur, redimere se coactus fuit. Fatalem atque ultimum hunc annum habuit episcopus Arhusiensis *Boetius*, è stemmate Vidorum aut Porsiorum oriundus. Estque in ejus locum proximè surrogatus *Vlricus* Stigeus: inter quem & reginam *Philippam* ob rationes ditionesque, quas præsul *Boetius* tutorio nomine à rege regnoque administrandas habuerat, liticula orta. Sed ea anno proximo, qui fuit supra mil-

MCCCCXXV. lesimum quadringentesimum vigesimo quinto, ità composita, ut juxta leges ecclesiæ, quod cleri esset, permitteretur clero; cetera secundum statuta ac jus municipale dijudicarentur: Rationes etiam si quas sibi à prædecessore suo *Boetio* Ulricus relictas haberet, de iis quatenus eæ ad regnum pertinerent, rege absente *Philippæ* reginæ ut satisfaceret, opera navaretur. Holsati acceptâ, quam tulerat adversus eos Imperator, sententiâ, licet de provocatione ulteriore compromisissent, queri nihilominus & aliò respicere cæperunt. Missusque fuit ad Pontificem Romanum *Martinum* quintum *Nicolaus* Schackovius, qui id saltem obtinuit, ut ab episcopo Coloniensi *Theodorico* & uno insuper cardinalium causa de novo vel cognosceretur, vel, si id posset, amicè exq; æquo decidenda iisdem committeretur.

Redierat jam è Palæstinâ rex Ericus, cum sponte suâ ipse Holsatique amicè consenserunt de conventu Flensburgum indicendo, ad quem utrique parti fas esset convocare ecclesiasticos principes duos ac totidem laicos. Qui octo operam simul darent, ut, lite in universum sublatâ, dissidium componeretur. Arbitri essent Prussiæ magnus magister unà cum delegatis Lubecensium, Rostochiensium & urbium insuper Stralesundę Wismariæque. Consenserant in hoc Lubecę regis nomine *Ericus* Crommedikius & *Steno* Bassus. Sed ad rem ubi ventum, nihil peractum operæpretij: Cum Rex Ducatus Slesvicensis feudum ad gratiam, prout à Cæsare erat pronunciatum & semper quoque obtinuerat, non ut hæreditarium, quod Holsati urgebant, concedendum declararet. Estque paulo ante feriâ nimirum quintâ post festum *Canuti* regis & Martyris, Hafniç synodus habita: cui præter ceteros, interfuit, aut prçfuit potius, archiepiscopus Lundensis *Petrus* Luckius unà cum episcopis Viburgensi, Burglaviensi, Roschildensi, Othoniensi, Ripensi & Arhusiensi. Aderant & prælati alij, abbates, Decani, Præpositi, omniumque dioecesium archidiaconi, cantores, Priores ceterique ecclesiarum ac cleri rectores. In eâ multa, quæ à prioribus & prædecessore præsertim archiepiscopi jam antè statuta fuerant, novo decreto resumpta ac confirmata: Et addita denique iisdem perplura, sed omnia ejusmodi, quę ceremonias ecclesiæ & mores cleri, non fidei aut dogmata pietatis spectarint. Statutumquẽ antè omnia ut preces pro rege & reginâ, Erico & *Philippa*, proque statu totius regni tranquillo cottidie in ecclesiis fierent, ut & iis; qui ecclesias fundarant, earumque ædificationes promovissent: Quorum in censu primo loco nominata serenissima *Valdemari* III filia, laudatæ memorię *Margareta*, trium horum regnorum quondam regina. Indeque super vitâ & vestitu cleri decreta lata, ut ij se ità gererent ne in delicta tantum, sed ne in suspicionem quidem delictorum incurrerent præsertim crapulam & ebrietatem; luxum & libidinem fugerent; concubinas domesticas procul amandarent; monialium claustra non ingrederentur; diversoria nulla aut cauponas frequentarent; arma, nisi iter facientes, non gestarent; vestes & habitus eorum omnis honestatem prçferret; manicas ad cubitum propendentes non haberent; vestes pellibus suffultę, exceptis pileis, fimbrias haud explicarent; nullis institis aut limbis oræ earundem ornarentur. Moniales non nisi cum veniâ coenobio suo excederent: Episcopi neminem ex clero alterius dioeceseos ordinarent aut suæ ecclesię prçficerent, nisi consciis ac commendantibus iis, quorum interesset: Idemque præsbyteris imperatum: Quibus concessum esset celebrare divina officia in iis sacellis, quæ ad publicas vias peregrinantibus erant posita, vetabantur id ta-

Ericus VIII. Rex. A. C.

id tamen facere cælo tempestuoso & locis minus tutis aut honestis. De homicidis quoque decretum, ut certo quidem tempore ab ecclesiâ essent semoti, sed seriâ tandem ac verâ pænitentiâ demonstratâ in eandem reciperentur. Addita demum & alia, de decimis, de hærediis ac bonis cleri, deque iis, qui pacem regis ac regni, ut & libertatem ecclesię Danicæ violarent, quique ditiones ejus ac jurisdictionem invaderent, aut officerent immunitatibus, eos similesque omnes ab ecclesiæ communione procul habendos. Quorum præter alia, illud de homicidiis, ut exorbitantis libertatis vitium, ætas posterior salubriter correxit, estque cædium licentia capitali pænâ per leges repressa. Verum ne quid à nobis omissum videatur, ipsius hujus, de qua loquimur, Constitutionis, cujusmodi ea concepta verbotenus fuit, exemplum subjeci:

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, Filij & Spiritus sancti, Amen.

PETRUS Dei gratia, Archiepiscopus, omnibus & singulis, Prælatis, Abbatibus, Decanis, Prępositis, Archidiaconis, Cantoribus, Prioribus, Capitulis, Conventibus, Plebanis, Ecclesiarum Rectoribus, Clero & clericis, ac aliis Christi fidelibus, tam Religiosis, quam secularibus universis, per Lundensem civitatem, diœceseos, & provinciam constitutis, Salutem in omnium salvatore. Pastoralis cura regiminis, illo est jugo solicitudinis onerata, ut in commissa vinea Domini concurrentibus excessibus, reformatis moribus, placitatisque virtutibus, per vigilantiam provisionisque sarculum, vitia studeat extirpare. Nos itaque unà cum venerabilibus fratribus nostris, dominis, Laugone Viburgensi, Petro Burglaviensi, Johanne Roschildensi, Nafnone Othoniensi, Christierno Ripensi, & Ulrico Arhusiensi, eâdem gratiâ Ecclesiarum Episcopis, suffraganeis & assessoribus nostris, præsentibus ex parte domini Henrici Slesvicensis Episcopi, Hermanno Dene, Canonico, & Johanne Selle, perpetuo Vicario Ecclesiæ Slesvicensis, ejusdem Episcopi valetudinem, senium & legitimum impedimentum prętendentibus (licet nulla ex parte domini Rivalliensis hic in pręsentiarum comparente) sacro, cui nunc (licet immeriti) pręsidemus, approbante Concilio, infra scriptos per fælicis memorię dominum Petrum, quondam Lundensem Archiepiscopum prædecessorem nostrum, in Concilio provinciali Helsingborg celebrato, articulos innovamus. Primo, ut si quis in hoc sacrilegij genus irrepserit, quando aliquem Episcopum Daciaię provincię hostiliter fuerit insequutus, vel percusserit, aut ceperit, seu banniverit, sive socius fuerit facientis, aut fieri mandaverit, vel factum ratum habuerit, sive consilium dederit, aut favorem, seu postea receptaverit, vel defensaverit scienter eundem, sive etiam extorquere præsumpserit ab ipsis Episcopis, aut suis consanguineis, affinibus vel amicis, per minas aut cruciatus corporis, seu alio quocunq; modo literas promissionis, cautionis, aut aliûs obligationis, sub quacunque forma verborum, etiamsi beneplacitum continere videantur, concedentes de excusando, vel quittando eas pro captione, violentia & injuriis ipsis Episcopis factis, Quas cautiones tanquam per vim & metum extortas, authoritate pręsentis concilij, decernimus esse irritas & inanes, sicut & reus læsę Majestatis, perpetuo sit infamis, & perpetuo Anathematis mucrone percussus, Itaque & ipsius filij per lineam masculinam descendentes, usq; àd secundam generationem, reddantur ipso facto inhabiles, ad Ecclesiastica beneficia, per totam Lundensem provinciam, in omnibus Diœcesibus, & civitatibus obtinenda: nec non sint inhabiles ad exactiones, Jurisdictiones, administrationes spirituales, & temporales, castra, villas, & oppida seu quascunq; alias possessiones Ecclesię, quocunq; nomine censeantur, ad dies suos, vel tempus aliquod determinatũ, sub annuo censu, vel in consessu, seu alio quocunq; titulo, vel colore alieno acquisito, aliqualiter obtinendi. Terra quoq; ipsius, si quam habeat propriam, vel titulo pignoris, seu quocunq; alio modo acquisitam, nec non locus seu loca alia, in quibus Episcopus captus detinebitur, seu ipse capiens transierit, quam diu ibi moram fecerit, & post ejus recessum inde, per triduum, quam diu ipsa detentio duraverit, authoritate pręsentis Concilij, Ecclesiastico subjaceant interdicto. Clerici vero, qui hujusmodi durantibus captionibus, in locis sic interdictis divina sciẽter celebrare, imo potius prophanare pręsumserint, pręter excõmunicationis sententiã, quã ipsos incurrere volumus, omnibus & singulis suis beneficiis Ecclesiasticis, ipso facto authoritate quâ supra sint privati, & inhabiles, ad quęcunq; alia beneficia. Itẽ ut quicunq; Diabolo instigante, aliquẽ Pręlatũ vel Canonicum, cujuscnq; Cathedralis, vel Collegiatę Ecclesię, nostrę provincię,

seu aliquam personam dignitatem Ecclesiasticam habentem, regularem & secularem, per Laicos seu alios, absque loci ordinarij justo mandato, capi seu interfici, vulnerari, membro mutilari, vel alias scandalosè tractari contigerit, & de hoc constiterit manifestè, usque ad liberationem personæ captæ, ac satisfactionem debitam & emendam, eo ipso per totam illam Diœcesin, in qua captus detinebitur, seu hujusmodi facinus sit commissum, sileatur generaliter, à divinis, & denuncietur hujusmodi malefactor, cum suis malefactoribus & fautoribus, & complicibus, de quibus constiterit manifestè, excommunicatus, per totam nostram provinciam Daciæ, Interdictum sub pænis inferius annotatis. Si verò regulares vel seculares, clerici vel monachi, nostræ provinciæ, injuriose capiantur, mutilentur, seu trucidentur, dum de hoc constiterit manifestè, tunc in tota provincia, ubi hujusmodi captus detinetur, usque ad ipsius inde liberationem, nec non ubi hujusmodi malefactores domicilia habuerint, morentur vel transitum fecerint, & per triduum post eorum inde recessum sileatur similiter à divinis, Et hujusmodi malefactores per totam hujusmodi Diœcesin, usque ad satisfactionem debitam, excommunicati denuncientur nominatim, de quibus constiterit manifestè. Insuper, ut omnes & singuli, qui bona Ecclesiastica, reditus, clericos & Ecclesiasticas personas, provincię nostrę, rebus suis aut meliori parte earundem spoliaverint, vel bona decedentium clericorum rapuerint, seu tallias, collectas, vel onera clericis vel eorum familiis vel colonis, sine prælatorum, capitulorum licentia, consensu & voluntate imposuerint, seu clericos vel eorum familias, vel colonos, injurios à hospitalitate gravaverint, aut reditus Ecclesiasticos, seu decimas Ecclesiasticas, sibi usurpaverint violenter, seu homines ad Ecclesias confugientes, vel infra loca immunitatis constitutos, ceperint vel extraxerint, seu capi vel extrahi mandaverint (nisi in casibus præmissis) vel per subtractionem cibi & potus, ipsos exire compulerint, loca sacra, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, Et per provincię Ecclesias, excommunicati denuncientur, de quibus constiterit manifestè: A nullo nisi à Diœcesano, præsertim in mortis articulo, facta prius condigna satisfactione absolvendi, Et aliàs in morte, Ecclesiastica careant sepultura. Item, Ut clerici beneficiati, in sacris ordinibus constituti, qui jurisdictiones vel advocacias temporales, à Laicis sibi commissas; sive committendas exercere præsumpserint, nisi infra mensem à præsentis constitutionis noticia, maturando eas demittere curaverint, cum effectu, administratione ordinum, eo ipso suspensi, & à beneficiis Ecclesiasticis quę occupant, sint privati, Et si postea indurati, nisi infra 15. dies, post lapsum mensem supradictum, advocatias, Iurisdictiones, & exactiones prædictas non demiserint, penitus cum effectu, ex tunc excommunicationis sententiam incurrant Ipso facto. Item, Ut in causis matrimonialibus, nullus alius, quam Episcopus, si præsens fuerit & commodè poterit, sententiam proferre præsumat, vel Iurisperitus vice sua, cui is hujusmodi causam committendam duxerit. Ad hæc autem innovamus quosdam fælicis recordationis domini Magni, quondam Archiepiscopi Lundensis, prædecessoris nostri, in provinciali Concilio statutos articulos, qui sequuntur. Excommunicamus omnes & singulos, qui Ecclesias causa lucri, odij, vel favoris alicujus, aut alia quacunque de causa, jure suo privare præsumunt, etiam illos, qui bona clericorum decedentium injustè rapiant, & sibi imbursant. Illos qui homines in Ecclesiis, vel turres ecclesiarum, vel alia sacra loca incastellant, & munitiones & fortalitia inde faciunt, sine locorum ordinariorum inquisitione, & consensu. Etiam illos qui cœmiteria violant, vel violari mandant. Etiam illos, qui per minas vel cruciatus corporis, compellunt aliquos se excusare vel quittare, pro damnis & injuriis, Episcopis, Ecclesiis, Ecclesiasticis, vel Sacerdotibus, clericis, vel eorum familiis, vel colonis illatis. Etiam illos, qui Ecclesias incendunt, vel infringunt, vel libertates earum infringere, aut perturbare contendunt. Item, Excommunicamus clericos divina celebrantes scienter, præsentibus hujusmodi malefactoribus, quas etiam sic celebrantes irregulares esse declaramus, per præsentes. Item, Excommunicamus illos qui hujusmodi malefactoribus, concilium, auxilium, vel consensum, in suis maleficiis administrant, nec non & illos qui eadem faciunt, vel fieri mandant, aut procurant. Nec aliquis prædictorum nisi per Episcopum Diœceseos, facta prius satisfactione competenti, super damnis & injuriis, à dictis sententiis possit absolvi. Personas quoque omnes quacunque dignitate & status prȩeminentia præfulgentes, universitates, civitatum vel locorum aut consules eorundem, qui, ut nullus conqueratur coram judice ecclesiastico prohibent, vel statuta condunt contra clerum & ecclesiasticam libertatē, hoc edicto tali pœna volumus puniri scilicet, quod personæ talia de cętero committentes modo quolibet, excommunicationis universi-

univerſitatis ſententias ſubjacent ipſo facto. Nos igitur Petrus Dei gratia, Lundenſis Archiepiſcopus præfatus, præmiſſis articulis dominorum noſtrorum prædeceſſorum, in ſuo vigore & robore duraturis, ſacro cui nunc præſidemus, approbante Concilio, articulos addicimus infra ſcriptos, ſtatuentes, quod omnes clerici, tàm ſeculares quàm religioſi, Metropolitico & Diœceſano nobis jure ſubjecti, Quod pro Sereniſſimo domino, Erico Dei gratia Daciæ, Sueciæ Norvagiæque Rege, Duce Pomeraniæ, & Illuſtri conthorali ſua, domina Philippa Regina, nec non pro iis qui tempore fuerunt Daciæ Regibus & Reginis, nec non pro ſtatu pacifico Eccleſiaſtico & temporali, in miſſis & quotidianis orationibus, ſuis fundant preces ad Dominum devotas, ut in præſenti vias eorum dirigat, per ſuorum ſemitas mandatorum, & in futuro præmium eis tribuat beatorum. Item, omnes & ſingulas perſonas Eccleſiaſticas, tàm religioſas quàm ſeculares noſtræ provinciæ, hortamur & in Domino monemus, ipſiſque authoritate qua ſupra, firmiter præcipiendo mandamus, Quod pro Eccleſiarum, monaſteriorum, clauſtrorum, & aliorum locorum quorumcunque in quibus degunt, fundatoribus, inſtitutoribus, dotatoribus, patronis, aliiſque quibuſvis benefactoribus, vivis, & defunctis: Etiam, quod pro Sereniſſima domina Woldemari filia, Margareta bonæ memoriæ, iſtorum regnorum quondam Regina, & Eccleſiæ Dacianæ directrice ſpeciali, ad Dominum Deum continuas fundant preces, humiles & devotas. Item, Ut univerſi clerici, vitam & mores reforment in melius, ut ea quę ad ipſorum ſtatum & honeſtatem pertinent, cum magna cautela cuſtodiant, non ſolum, ſed etiam ab omni ſpecie mali ſe ſtudeant cohibere, à crapula & ebrietate, quę ſunt libidinis incentiva. Publicas etiam in ſuis domibus, ſub pœna Canonis, non habeant concubinas; Tabernas non viſent; Arma non portent, niſi propter neceſſitatem & viarum pericula, in itinere conſtituti. Manicas ad cubitum pendentes, cum magna ſuperfluitate, non habeant, Veſtibus etiam à retro, vel à lateribus fiſſis, exceptis veſtibus pro via neceſſariis, ſub pœna Concilij Conſtantini, non utantur, quæ eſt, ut talibus utentes veſtibus, à perceptione fructuum ſuorum beneficiorum, per menſem ſint privati. Clauſuras monaſteriorum & monialium, ſub pœna excommunicationis terna monitione præmiſſa, abſque rationabili & manifeſta cauſa, & ſine ſuperiorum ſuorum licentia, ingredi haud præſumant. Ipſiſque monialibus, ubicunque infra noſtram provinciam degentibus, ſub pœna excommunicationis ſtrictò præcipiendo mandamus, ne ſepta monaſteriorum ſuorum de cætero exeant, ſine rationabili, neceſſaria & urgente cauſa, nec niſi ſuperiorum ſuorum prius petita licentia & obtenta. Plebani itaq; Euchariſtiam, reliquias & ornamenta Eccleſiarum, præcipuè ad uſum altariũ ſpectantia, in ſtatu decenti & mundo diligenter cuſtodiant & obſervent: Si quis verò ea incaute reliquerit, tribus mẽſibus ab officio ſuſpendatur. Cæteraq; cum diligenti cura obſervent, quę obſervari pręcipiunt ſacrorum canonum ſanctiones. Aliud, Si quis in præmiſſis, vel aliquo præmiſſorum exceſſerint, contra eos locorũ ordinarij, per cenſura Eccleſiaſticam, monitione præmiſſa canonica, tandem vero ad beneficiorũ privationem, unà cum aliis pœnis, quę hujuſmodi à Canonibus infliguntur, procedere nõ omittant. Itẽ Epiſcopus qui ſciens ordinaverit clericum alienę Diæceſeos, ſine commendatitiis illius, cui intereſt eas dare, per annum à collatione ordinũ eſſe ſuſpenſum: Taliter verò ordinatũ ab executione ordinis ſic ſuſcepti, ſuſpenſum eſſe declaramus, donec ſecum per ordinarium ſuum fuerit diſpenſatum. Item, ſtatuimus, ut nullus Præsbyter, in Eccleſia, ignotum ſeu peregrinum clericum, ad celebrationem divinorum, in publico præſumat admittere, niſi literas ſuæ ordinationis, ſeu literas Diœceſeos Epiſcopi, vel ipſius Vicarij, plenam de hoc fidem facientes exhibeat: Contrarium faciens in ſex groſſos pro admiſſione qualibet puniatur, in utilitatẽ fabricæ Cathedralis Eccleſię convertendos. Item, Ut nullus Epiſcopus recepter, colligat, vel admittat ſine literis demiſſorialibus Epiſcopi originarij, præsbyterum Diœceſis alienæ. Item, ut gloria eorũ ab intus ſit. In fimbriis præcipimus, ne quis clericorum pelles foderaturæ ſuę, ultra capucia, vel oras veſtimentorum faciat explicari: Nec quiſquam clericorũ deinceps portet veſtes, taliter extrinſecus foderatas, alioquin per ſuperiores ſuos, ſine ſpe reſtitutionis ſe noverint ſpoliandos. Item, Si cui conceditur, quod in altari viatico, divina officia poſſit celebrare non in loco ventoſo, ſeu alias periculoſo; vel inhoneſto hæc fieri debere intelligimus. Unde ſi quis Præsbyterorum, occaſione conceſſionis hujuſmodi, contra præmiſſa, divina celebrare pręſũpſerit, eo ipſo per unũ menſem, à Miſſę officio prędentis ſtatuti vigore, ſe noverit ſuſpenſum. Item, nullus præsbyterorum, alienũ proximorũ, ad confeſſionem, vel communionẽ corporis præſumat admittere ſine licentia proprij ſacerdotis. Extranei verò

per statuta provincialia ac synodalia promulgatis, seu à pæna & culpa qualicunque absolvere præsumpserint, excommunicationis sententiam ipso facto incurrisse denunciamus, per sedem duntaxat Apostolicam absolvendos. Item, Statuimus ex præsentis authoritate concilij decernentes, ut quarumcunque Ecclesiarum hospitalium, seu Monasteriorum nostræ provinciæ, seu aliorum piorum locorum administratores, cujuscunque status ac conditionis exstiterint, bona mobilia, sine consensu Diœcesano Episcopi, donationis, impignorationis, venditionis, permutationis seu infeudationis, vel ad formam dimissionis titulo, in posterum minimè alienent, obligent vel dimittant. Quod si contrarium factum fuerit, nullus ipso facto, & invalidus sit contractus, ipsique administratores, per suos seniores, administrationis officio perpetuo spolientur. Insuper hujusmodi administratores, Abbates, Priores, Præpositi, præceptores, & hospitalium prævisores, ut eorum loca exempti authoritate Apostolica, sed non exempti authoritate ordinaria, ad reformandam mores status, & regulas eorundem, nec non ad reddenda ratiocinia, de quibuscunque levatis & erogatis super quibus ordinariorum conscentias oneramus, per ipsos ordinarios, quoties expediens opportunum fuerit, visitentur. Monasteria verò, hospitalia, seu alia pia loca, & Ecclesias quascunque Episcopis locorum ordinariis, etiam quoad institutiones, & destitutiones administratorum, in iisdem declaramus esse subjectas, nisi per evidentia privilegia probaverint tenere se exempta. Item, excommunicamus omnes illos, qui pacem Regis & Regni perturbare, ac ecclesiasticas libertates Ecclesiæ Dacianæ infringere, aut possessiones Ecclesiarum invadere, aut ad eorum bona manus impias extendere, præsumpserint, seu approbatas & longævas locorum consuetudines, penes jura parochialia, in decimationibus, oblationibus, obventionibus, cum suis accessoriis, diminuere contendunt, in præjudicium ecclesiasticæ libertatis: Etiam, illos, qui in beneficia ecclesiastica se intrudunt, & eos qui per Laicalem potentiâm, seu aliam violentiam ea detinent occupata, Omnes autem incendiarios, Ecclesiarum fractores, veneficos & veneficas, cum magicis incantationibus utentes, sacrilegosque, & hoc fieri procurantes, excommunicationis sententiam incurrere decernimus ipso facto. Excommunicamus insuper omnes illos, qui odio vel lucri causa, aliquibus crimina falsa imponunt, pro quibus mors vel exilium, aut membrorum mutilatio, vel exhæredatio, bonorum spoliatio, seu famæ denigratio sequi debeat, si judicialiter convincantur. Qui vero ad diffamationem alterius quid proponat, quod mores sugillat, nisi hoc approbare potuerit, canonicè puniatur, & nimirum passo pro modo culpæ satisfacere compellatur. Item, qui animo injuriandi quempiam clericorum, enormiter lædens, mutilans vel occidens, præter pænas superius expressas, immunitate Ecclesiastica non gaudebit. Item, qui in criminibus Ecclesiasticis delinquentes, per sacramentalem confessionem, & absolutionem, fuerint unioni Ecclesiasticæ reconciliati, extunc, ab aliquo eos captivari, detineri, seu bona eorum confiscari, nisi super his per eorum judicem Ecclesiasticum prius pronunciatum fuerit, sub excommunicationis pœna latæ, serverè prohibemus. Item, non citentur clerici ad placitum seculare, vel coram judice seculari, sed coram suo judice ecclesiastico, in quacunque causa citentur, & ibidem legitimè convincantur. Quia verò exigentibus culpis nostris fructus humanis necessitatibus cœlesti miseratione prævisos, frequenter absorbet repentina calamitas tempestatum, orationum suffragia, & Christus & Maria piis precibus imploranda, ideoque singuli præsbyteri, cum aëris intemperiem viderint imminentem, non expectato ordinariorum mandato, protinus ad processionem, & humiles orationes devotionem excitent subditorum. Item, statuimus ut Laici, advocati, consules, judices, seu jurisdictiones quascunque seculares habentes, pænas pecuniarias, seu mulctas sub pæna excommunicationis latæ, sive in causis ecclesiasticis levare, vel exigere non præsumant, nec personas ipsas ecclesiasticas, in hujusmodi jure suo impediant quovis modo. Item, excommunicatos à Canone, denunciamus, etiam exemptos, qui casibus non permissis, defunctos sepeliunt in Cæmiteriis, vel Ecclesiis, tempore interdicti, vel qui scienter sepeliunt excommunicatos, publicos nominatim interdictos, seu etiam usurarios manifestos, qui quidem sepelientes, si non absoluti celebraverint, irregularitatem (à qua non nisi per summum Pontificem absolvantur) se noverint incurrisse. Item, statuimus, quod festum sanctæ Annæ matris, genitricis Dei beatæ Mariæ, quolibet anno in crastino conceptionis ejusdem beatæ Mariæ virginis, per totam nostram provinciam, profesto terræ & populi, in posterum celebre habeatur. Item, statuimus, prout ab antiquo est constitutum, ut in qualibet Ecclesia cathedrali nostræ provinciæ bis in anno celebretur Diœcesana synodus

generalis, in qua, præmissa statuta, coram Clero & Laico vulgariter exponantur, Ne quisquam de prædictorum ignorantia, se valeat quomodolibet excusare. In quorum omnium & singulorum præmissorum evidentiam, nostrum secretum unà cum Secretis venerabilium fratrum, Episcoporum & suffraganeorum nostrorum prædictorum, præsentibus est appensum. Datum & actum Hafniæ Anno 1425. feria quinta post festum Beati Canuti Regis & Martyris.

Curaverat eodem hoc anno Rex monetam cudi cupream, levidensem admodum ac vilem. Quo etiam nomine malè apud omnes ferè audire cæpit. Variisq; in id conficti libelli carminaque, parum ei decora. Quod cum ægre esset reginæ *Philippæ*, memoratur eodem sub typo, rege ignaro, aliam ac meliorem fieri curasse. Inhibitum per idem quoque tempus, Germanos aliosque exteros, quibus jus civitatis atque incolatus apud Norvagos non erat, illas ceterasque boreę oras navigiis petere ac frequentare.

Inter quæ nec desiit rex cæptum urgere de subjiciendo sibi Slesvicensium Ducatu, innitens scilicet, quam etiam Cæsar nuperrimè tulerat, sententiâ. In id domi forisque conscriptæ ad obsidendum Gottorpium Slesvicumque quàm maximæ copiæ. Sed Holsati jam antè, non ignari hæc primum impetiturum regem, imposito firmissimo præsidio, pręter vallum fossasq; Slesvico circumductas, accuratè communiri utrumq; fecerant. Tum & juris specie colorem aliquem suæ causæ conciliare studuerant, quod scilicet *Nicolaum* Schackovium, de quo diximus, Romam ad pontificem misissent, obtinuissentque ut præsul Coloniensium *Theodoricus* litem de novo inspiceret cognosceretque. Similiter & urbes Vandalicæ ab iisdem compellatę, earumque in causâ, ut existimabant, justâ auxilia postulata: quod novum sibi videri referrent Cæsarem, posthabito more apud Germanos ubivis usitato, ut filij feuda paterna suscipiant, juxta Danorum consuetudinem sententiam pronuntiasse statuisseque hoc feudum personale tantum. Sed & Hamburgenses, qui cum Holsatis faciebant, in id quoque enisos apud easdem urbes clanculum constat, ut se, rege relicto, Holsatis conjungerent, quod nimirum Holsatiam Daniâ viciniorem haberent; quodque multa Holsatorum beneficia expertæ fuissent; & denique quod eo pacto celerior bello finis imponeretur. Atque ità Vandalorum civitates, quas præter id belli tædebat, insuper habito, quod cum rege firmissimum pepigisse superius memoravimus, fædere, Holsatorum sunt partes secutæ. Nec multo post Rostochij conventum habuêre, ubi omnium fuit sententia, ut missis ad regem legatis, eum pacis commonefacerent, ac demonstrarent, quantis ex eo bello implicarentur difficultatibus. Sed regem ubi convenissent, à pace alienum deprehenderunt, potiusque paratum ex Cæsaris sententiâ jus suum persequi; Undè à rege discedentes ex sociis hostes redditi.

Concessit eodem hoc anno rex Helsingorensibus urbis privilegia, ità ut quicunque habitatum eo concederent, ædesq; ligneas exstruerent, annis decem, qui verò lapideas exędificarent, viginti annis ab omnibus collationibus essent immunes, ac liberâ fruerentur in silvâ inferiori lignatione, exceptis quercu, fago & virgultis, nec ulli nisi ipsi respondere tenerentur. Primus præfectorum *Petrus* Oxe arcem *Orekraagæ*, nunc *Croneburgum* ibi positum, tenuisse memoratur, cum antea versus boream munimentum haberetur, quod *Flundersburgum* vocitabant. Diplomatis hujus literę datę Flensburgi Dominicâ infra octavam corporis Christi.

Proximo hinc anno, qui fuit millesimus quadringentesimus vigesimus sextus, cum exercitu multorum millium Gottorpium Slesvicumque progressus rex, fossam quamprimum duci latissimam curavit, à colle, quem Caballinum vocant, in Sliam usque. Eaque haud leviter regiis copiis munimento fuit. Accesserant & Holsati, qui castra sua ab alterâ Sliæ parte locata habebant. Eis subsidio missi ab Hamburgensibus gregariorum militum sexcenti. Erantque in id toti Holsati ut Sliæ ingressu Slesmundâ dicto, depressis aliquot navibus oppleto, regiis castris commeatum, qui mari advehebatur, intercluderent. Sed Dani summis viribus, quæ esse impedimento poterant, sublatis, eum sibi aditum patefecerunt liberumque retinuerunt. Dumque hoc pacto duplici obsidione destineretur Rex optimaque speraret, adferuntur ei urbium Vandalicarum literę, quibus significabant, durante cum Holsatis bello, plurima sibi detrimenta mari illata, & pacis quoque tempore erepta sua bona à Regiis navibus, tum & commonitum ipsum, ut quę pacis essent, sectaretur; sed frustra omnia fuisse, se idcirco coactos sequi hostium partes. Quibus acceptis, tum & intellecto urbium earundem nonnullo ad bellum apparatu, obsidionem solvit. Dumque discedunt, levia hinc inde commissa prælia, captis utrimque ac cæsis eorum

MCCCCXXVI.

aliquot

ERICUS VIII. Rex. A. C.

aliquot, qui agmen extremum ducebant. Erat ad manum prætereа Holſatiæ Comitum juniori *Gerhardo* claſſis, cui & ſuam conjunxerant civitates Vandalicæ. Hac infeſtare abeuntes circa Femeræſundam, quà iter agebant regiæ naves, totis viribus decreverant. Sed bruma imminens & exorientes cottidie tempeſtates ventorumque adverſitas hoc eorum conſilium eluſit. Ducenti interim pedeſtri militià ingreſſi Femerę inſulam arcem Glambecenſem, quæ regio præſidio defendebatur, deditione receperunt, excitato clamore, ac nomen præbentes quaſi urbium auxilia præſto adeſſent; Cuſtodes vera rati, quę audiebant, cum ſe tantæ multitudini impares ſcirent, nec copias auxiliares ſub brumam expectandas haberent, arcem Holſatis tradiderunt. Re tranſactà deceptos ſe, ſed ſerò viderunt. Eàdem hieme Dux *Henricus* Wiltſpangæ munimentum, quod paulò antè firmiſſimum exædificari rex fecerat, poſitum loco percommodo ac vià quæ Flensburgum ducebat, undè multa Holſatis detrimenta Dani intulerant, vi cepit, non ſine ſanguine ac ſtrage multorum. Captà arce deprehenſi in vivis etiam viri ſexaginta cum equis quadraginta, qui in prædam omnes abducti.

Rex accepta urbium, de quà diximus, clarigatione, literas ad cives atque incolas earundem miſit, demonſtrans ſe nec cauſam nec occaſionem diſſidio ac ſimultati dediſſe; ipſi idcirco ſe ab omni navigatione omnibuſque commerciis abſtinerent, domi & intra mænia ſua intraque lares, ut intra teſtam cochleæ, remanerent, cauſam omnem penes magiſtratus ipſorum hærere, qui, pacto ſecum fœdere, ab eo præter fas & æquum reſiliiſſent. Hac ſcriptione commotis civium animis, ſenatorum multi in urbibus contrucidati, alij loco moti deſerere ſtationem coacti ſunt. Eâque durante inteſtinâ ſeditione ſocietas nihilominus inter urbes culta, & bellum demum poſt annos decem vix ægreque compoſitione, ut infra dicetur, finitum.

Sub idem ferè tempus cum rege Scotorum *Iacobo*, ejus nominis primo, fœdera omnia antiqua inter Scotos & Norvagos renovata. Quorum antiquiſſimum habebatur, quod inter *Alexandrum* tertium & *Magnum* olim pactum fuerat ſuper Æbudis inſulis, ut & penſione certà, quam, retentis Mannà & Sudorà, Norvagiæ regi ſoluturum ſe per annos aliquot *Alexander* receperat; exceptis centum argenti marcis, quas in annos ſingulos numerare ob Orcadas idem ejuſque ſucceſſores tenebantur. Cujus cenſus, diu per bella aliaq; incommoda intermiſſi, gratiam rex Scoto fecit.

Hoc & ſuperioribus annis exſtitiſſe inclytæ per id tempus proſapiæ matrona memoratur, cui maritus fuerat *Axillus* Broderus. Qui poſtquam, nullà relictà ſobole, eſſet defunctus, ſimulavit ipſa ſe à morte mariti prægnantem. Idque ut ità habere demonſtraret, acceptis pulvinis protuberare ventrem in modum gravidarum curavit; ac mox decumbenti ad manum fuère virgines aliquot, quæ natum ei puellum teſtabantur, eumque per baptiſma Chriſto initiatum vixiſſe, ac mortuum poſtea ſepulturà eſſe honoratum. Sicque ipſa mariti bonà, quæ à patre ad puerum hæreditate erant devoluta, poſſedit. Sed cum increbeſcere & ſuſpectari res cæpta eſt, agnati affineſque *Axilli* id obtinuère, ut puer è tumulo erutus, non puer ſed eſſe ſacciperium ſit deprehenſus, arenâ ſic farctum ut lineamenta omnia ac partes hominis expreſſerit. Cui exinde equitis *Sandi* ſive *Arenacei* nomen inditum. Eſtque de ipſâ omnibuſque conſciis lata capitalis ſententia. Sed cauſa poſtmodum, ut inter amicos & conſanguineos, compoſitioni permiſſa Othonię, prę̨ſentibus ipſo rege, archiepiſcopo & epiſcopis, pluribuſque ex ordine equeſtri ac nobilitate.

Nihil interea à parte regis omiſſum, ut non modò inter ſe committerentur urbes, ſed & diffidentes invicem ſuas in partes traheret. Undè Martio ſtatim menſe anni ſupra milleſimum quadringenteſimum vigeſimi ſeptimi *Caſimirus*, *Vartiſlaus* & *Barius* Pomeranię Duces, vocatis in Curiam conſulibus & ſenatoribus urbis Straleſundenſium, cum iis egerunt, ut ad fœdus cum rege pactum redirent, aut ſaltem ſeceſſus cauſam aperirent, ſibi à rege poteſtatem datam ſignificantes, ut inſpecto propius negotio, ad ſolita ipſos commercia ac navigationes vocarent. Ad quę cum reſpondiſſent Straleſundenſes, ſe cum urbibus ceteris eo modo fœderatis, ut illis inconſultis nihil poſſent, ac repoſuiſſent Duces, ſibi cum ceteris negotij nihil eſſe, tandem, delegatis quibuſdam, declaratum à Straleſundianis præter vim & injuriam ſibi & ſuis à regià claſſe non ſemel illatam nihil ſe cauſę habere: De quo cum relaturum ſe ad regiam majeſtatem promiſiſſet *Caſimirus*, & iter quoque in Daniam hoc nomine mox inſtituiſſet, remanſère interea domi ceteri. MCCCCXXVII

Hinc vere appetente, maritimæ Vandalorum civitates immiſsâ Balthico mari inſtructâ claſſe, cui præerat *Gerbardus* Holſatus, inſulas circumquaque Danicas infeſtas habuère ac prædas,

ERICUS VIII. Rex. *A. C.*

prædas, quà poterant, egerunt quam maximas. *Henricus* verò terrâ rem urgens opidoque Flensburgensi, quod id bello cum mari tum terrâ gerendo admodum oportunum videret; occupando intentus, etiam classem eodem appellere fecit. Eratque oppugnationi dies dicta, quamprimum allata essent, quę exspectabantur, grandiora tormenta. Interea Frisij fossis ac vallo faciendo destinebantur, cum forte fortuna ex urbium castris tela ignita in hostem sunt missa, aliaq; ad exprobrandam quasi Holsatis ignaviam, tentata. Eaque conspicatus *Henricus* Dux, ne solus cessare videretur, dum sepi admotas scalas inscendit, ut quid hostis ageret, rimaretur, à milite, adactâ per sepem lanceâ, vulneratus haud multo post animam efflavit. Adstitisse in scalas conscendenti *Henricum* Alefeldium, virum nobilem ac strenuum, memorat Crautzius, monitumque ab eo Ducem, ne se in periculum daret, quod in ipso rei summa verteretur: atque eâ voce excitatum militem Danum, qui intra sepem latebat, ictum inflixisse. Ereptusque hoc pacto Holsatis Dux *Henricus* dolorem omnibus ac lachrymas excivit, utpote qui laudatus ab omnibus amatusque se militem manu, Ducem exemplo præbuerat. Desponsa jam ante eidem fuerat Brunsvicensium principis filia, cujus nomen annalibus insertum non repperi, nisi quod memorent ab obitu sponsi virginem egisse ac cælibem quoad vixerit. Duci funus Itshoæ pro more gentis magnificè ductum. *Adolphus* verò orbatus *Henrico* fratre, quamvis apud militem omnia ageret seque fratris vices, utpotè ætate proximus, subiturum sponderet, non tamen sufflaminare abiturientes potuit. Nam non Lubecenses modò, sed & Hamburgenses quoque, licet totis animis ac viribus bello jam antè incubuissent, suas quique domos repetivêre. *Iohannes* Bantscherius consul, præfectus cohortium, quas miserant Hamburgenses, & cujus primum ausu, Holsato inconsulto, hostis lacessitus credebatur, ubi ad lares rediit in vincula conjectus, ac anno statim post capite plexus temeritatis suæ pænas persolvit. Confecerant tum simul classem urbes maritimę, quę ad fretum Oresundę collocata auxilio esset adversus Danum omnibus, qui vel ab occiduâ vel orientis plagâ suis onerariis eas maris fauces transeundas haberent. Verum Ericus Rex non ignarus hujusce Concilij, prætorias confestim aliquot eidem objecit, & bis habito navali conflictu, cum anceps aliquandiu pugna hæsisset, omnes postremò aut vicit aut fugavit. Hamburgensium ferè cuncti Haffniam captivi abducti, quod à Lubecensium duce, qui primo profligatus, deserti aut, ut quidam tradunt, vado adhærescentes, nullibi suppetias invenirent. Vix abjerant illi, cum Lubecensium paucis post horis adnavigant mercatorum corbitæ, Bajanam classem ab occiduo venientem Crantzius vocat, cujus vel maximè adventui ac securitati suas eo pætorias destinaverant Vandaliæ civitates. Hæc classis navibus constabat triginta ac primo aditu à regiis impetita, licet omnia ad sui defensionem moliretur seque fortissimè gereret, tamen, instantibus animosè Danis, sub noctem postremò superata maximi pretij mercimoniis regem regnumque ditavit. Stragem interim haud exiguam utrimque factam ex Crantzio liquet, qui ultra millenos desiderasse etiam victorem ipsum memorat: Lubecensium navarchus neci adjudicatus, sed apud senatum exoratus ab episcopo eorundem *Iohanne* Schelio, ædes proprias pro custodiâ accepit. Hamburgensis præfectus *Henricus* Hoyerus se ære suo redimere coactus, ut & ceteri quos Hafniam abductos memoravi.

Rex minus ex animi sui sententiâ in istud cum urbibus descendisse certamen existimabatur, licet fortunam initio haud adversam expertus sit; Tum & satis sibi persuasum habuisse est visus, facilem cum Holsatis rem fore, modò eos desererent civitates. Eamque ob causam, ut & supra injecimus, evulgari identidem codicillos apud eos curavit, quibus insimulabat temeritatis ipsorum consules, quod fædus secum percussum, præter fas & æquum, rupissent: & eos idcirco non cædium modò & sanguinis, qui indies profunderetur, innocui occasionem dedisse, sed in causâ quoq; esse ut ea, quâ hucusque in Daniæ ac Norvegię regnis feliciter usi ipsorum cives negotiatione fortunâque fuissent, ipsis jam prę-repta ad exteros & Hollandos præsertim vultum verteret. Hinc undique animorum in urbibus motus exciti. Pręter cęteros Vismarienses in consules ac consulares suos *Henricum* Harenum & *Iohannem* Bantzkovium, publico in foro animadverti gladio fecerunt. Apud Rostochienses quoque exacti opido consules quatuor & totus una nocte Stralesundę depositus ac trucidatus per seditonem senatus. Alij conspiratum à cerevisiariis in magistratus universi necem tradunt, ac sex eorum in vincula conjectos capiteque plexos.

Memoratum jam ante de Orcadum præfectura, quam, prius concessam Episcopo earundem insularum *Thomæ* Tholaco, impetraverat à rege *David* Meinerus, homo Scotus, qui

qui eâ minus cum laude functus, haud multò post coactus provinciam deserverit: Eam hoc circiter tempore redditam Episcopo annales notant, additâ lege ac conditionibus superius potissimum expressis. Ericus VIII. Rex. A. C.

Allatæ per idem fere tempus Sigismundi Imperatoris ad Lubecenses, Hamburgenses, Vismarienses, Sundenses & Rostochienses ceterosque Hansatici fœderis literæ, quibus declarabat, missum ante annum à Romano pontifice Noribergam Cardinalem *Vrsinum*, ut bono ecclesiæ expeditio in perduelles ac hæresi infectos Bohemos susciperetur, indicatosque sibi reges ac respublicas, quæ operam eodem suam conferrent, cujusmodi præter ceteros habebatur Danorum Rex Ericus, frater suus dilectissimus, Ordoque Pruthenicus aliique: Et se quoq; eum in finem fratri suo jam dicto Erico Danorum regi transmisisse non ita pridem nobilissimum *Michaelem* Honningerum cubicularium suum, sed eũ quomodo excepissent non se latere; sicuti nec ignorare, quàm præter omne fas & æquum, imò adversus sententiam à se & imperio latam bellum unà cum Holsatis adversus eundem Serenissimum regem lacessant, idq; non in detrimentũ modò regnorum ipsius, qui se jure agere coram se, pontifice imperiiq; principibus paratum ostendit, sed in maximam quoq; hæreseos ejusdem promotionem idem cedere: se idcirco eos, ut imperij clientes identidem commonefacere sub pœnâ, quæ usurpari ab imperio in minus obsequentes solet, ut, positis armis, cum rege Danorum in gratiam redeant: His ad civitates Vandaliæ missis codicillis, significavit similiter Imperator Regi Erico, redditas sibi quas ad se dedisset literas, & intellexisse præterea ex cubiculario suo *Michaele* Honningero bellum adversus ipsum terrâ marique iniquissime, ac se planè inconsulto invitoque gerere urbes Hansaticas, esseque hoc pacto subductum sibi, quod ab utroque expectandum haberet, in Bohemos necessarium subsidium: ideoque, datis ad urbes literis, seriò eos adhortatum, ut bello posthabito, aures æquitati commodarent, seque earum literarum exemplum præsentibus addere: Et mittere insuper ad easdem civitates cum amplâ agendi potestate *Nicolaum* Stochium jurisconsultum ac sibi à consiliis, ut de æquissimis conditionibus ac lite in universum sopiendâ, cum eis agere instituat. At Vandalorum interea civitates, nominatimque Vismarienses, inimicitiæ plenas literas ad regem dederant, bellum tantum minasque spirantes, quod injuriis multoties affecti, indies adhuc majoribus ab eodem afficerentur, nec ullus apud eum immunitatibus ac privilegiis locus videretur relictus. Sed advenerat jam Lubecam *Stochius* qui confestim in Curiam admissus, publicè, quæ habebat à Cæsare mandata, exposuit, significans quàm esset à bellis ac controversiis omnibus abhorrens imperatoris animus & maximè ab eo bello, quod suscepissent adversus fratrem & affinem ipsius Ericum Danorum regem: quantumque ex eo detrimentum & remora accederet rei Christianæ, & ei præsertim expeditioni, quæ ipsi erat adversus Hussitas demandata: nec ignorare se, habere eos atq; agnoscere Cæsarem pro rege ac domino suo, & ideo magis magisque in admirationem rapi, quod ipso totoque imperio inconsulto tum & fœdere, quod cum ipso pepigissent, insuperhabito, ac neglectis constitutionibus omnibus, quibus sancitum habetur, neminem suæ litis judicem esse posse: in bellum tam atrox consensissent, præsertim cum rex Danorum Ericus se suaque juri submittere paratum declaret: Mirari adhæc imperatorem referebat, quod Holsatis auxilio accessissent, qui contra fas & æquum contraq; promissa sua sententiam ab ipso latam rejecissent: Si tamen iidem Holsati aliquod sibi in regem Danorum competere jus existiment, id submittere regem orbis Christiani utrique judici Romano pontifici ac Cæsari. Quibus expositis, de classe militeque in regem conscripto revocandis deq; induciis sexennalibus decernendis, utque interea lis universa tolleretur, verba cæpit facere, simul adhortans omnes, ne majestatem Imperatoris vilipenderent, sed ei perpetuò dicto audientes essent: adjiciens postremò habere similiter se ad regem Danorum & Holsatiæ principes mandata. Ad quæ omnia dilatum aliquandiu responsum. Inde Reinfeldiæ cænobium petiit, ubi Holsatiæ dynastas præsens affatus, eis, quæ sibi ab imperatoriâ majestate essent demandata, significabat. Sed illi conventus sibi cum rege Danorum nullos esse nec fore respondebant, nisi quæ jure hæredij paterni sibi debebantur, concederet, & sua insuper jura atque immunitates negotiatoribus permitteret integra. Sed hæc responsi loco se accipere negabat *Stochius*. Lubecenses haud multo post, præsente episcopo totoque senatu, se obsequium polliceri declararunt, iret modò salutatum Daniæ regem exploratumque, an & ipse se dicto audientem præberet, se exinde ad omnia & vota ipsius responsum reddituros. Ab Holsatis, præter, quod est memoratum, obtinere responsi nihil potuit.

Proximo

urbium classiarios ingentem cuparum ac salis copiam secum assumsisse ad boves tergoraq; animantium, quæ prædę erant obventura, salienda, buculam tignis opidani imposuerunt, ad prædam ut venirent, per ludibrium incusantes: Atq; ità cum diu sed frustra cum Danis manum conseruissent, tandem, sublatis velis, domum abierunt, maximis conatibus impendiisq; nullum non modò operæpretium, sed dedecus ac risum pro gloriâ reportantes. Interim, qui aderant Vitaliani suo periculo ac fortunâ militantes, præternavigata Daniâ, ac cursu Norvegiam versus instituto, sed prius direptâ incensaque Landskronâ, celebre Bergarum emporium petierunt. Eoq; cum appropinquassent, mercatorum, quę ibi in anchoris stabant, ex Angliâ & aliunde onerariæ, existimantes totum Holsatorum urbiumq; Vandalicarum agmen adnavigare, quæ poterant in naves comportatis, sibi fugâ consulere instituerunt; Quas & secutus loci episcopus in altum similiter abiit, relictâ unà cum sacris prophanisq; omnibus prædatorum libidini tota civitate. Erat archegus horum *Bartholomæus* cognomento **Voet** Vismariensis, qui hominum ex ultimo Boreâ eodem appellentium pisces pellesque aliaque mercimonia sine pretio ac commutatione mercatus, ubi suos quàm diligentissimè saburrasset myoparones, Vismariam repetiit.

Eaque dum mari agerentur, Holsatiæ princeps *Adolphus*, quique se ei junxerat Brunsvicensium Dux *Vilhelmus* immissis in Jutiam borealem terrestribus copiis totam eam oram ferro atq; igne pervagati, jumenta circiter 3000 abigi, prẹter manubias aliaq; id genus spolia, curarunt. Celebravit exinde festum Pentecostes Haffnię regina *Philippa*, ubi non modo controversiæ, quæ inter *Magnum* Goe & *Martinum*, viros primarios, invaluerat componendæ incubuit, sed & militem præterea ac juventutem Haffniensem, quæ suum ipsi adversus Holsatos Vandalosque studium ac fidem egregiè probaverat, in arce urbis convivali festivitate liberaliter excepit, pollicita insuper se ipsis gratiâ ac favore suo apud regiam majestatem adfore, atque elaboraturam ut operæ suæ fecisse pretium intelligerent. Eodem propemodum temporis spacio Lubecenses Slucopij indicto conventu coram episcopo Ratzeburgensi *Iohanne* palam sunt testificati, se haud quaquam cum rege Danorum Erico ob Hussi, ut divulgatum intellexerant, doctrinam, sed ob privilegia sua atque immunitates, quas imminuisse sæpiusculè atque imminuere regem quererentur, bellum gerere: paratos quoq; ordinum Borussiæ magistro, quò & rex provocaverat, causam suam submittere; nec se, sed regem, quo minus id factum sit, in culpâ esse, qui eò legatos mittere supersederit, profiteri similiter se pontificis, imperatoris atque Electorum adversus hęresin Bohemorum mandatis dicto semper audientes fuisse, & expeditionem, quæ in eos per Cardinalem Florentinum fuerat destinata, suis quàm maximis impendiis stetisse; sicuti & eam, quæ eodem nomine per *Vrsinum* Cardinalem jam ante procurata fuerat, dum erectâ cruce ac positis passim intra ecclesias suas gazophylaciis, pecuniæ haud levem summam in usus ejusdem belli collegissent, & essent seorsim quoque cives suæ urbis, rogatu cardinalis Anglici, de subsidiis similiter faciendis compellati nec detrectare etiamnum fortunas ac vitam suam eidem hæresi exstirpandæ impendere: Quod ad *Michaelem* Honingerum, eum non à se captum, quomodo Cæsari erat significatum, sed à piratis, se insciis, detentum declarabant, & missum exinde in Daniam, omniaque ei præstitisse, quæ potuerunt, officia. Similiter & *Stochio* ejusque, quę habebat à cæsare, mandatis se perlibenter obtemperaturos ajebant, sive ut sopiretur, quod erat cæptatum, bellum sive ut longæ fierent induciæ, modò & rex in idem consentiret; Falsterboam autem ut erat destinatum, non venisse ob ventos & tempestatem adversam: ideoque rogare ne ipsos Cæsar proscriptione suâ aut simili pænâ feriat: Cæsarem postremò, cum regi Danorum affinitate conjungeretur, non posse judicem agere, in eâ præsertim causâ, quæ inter se & regem controversa haberetur, affirmabant: Atque ideo ut alium quempiam ex imperij principibus judicem imperator pronuntiaret, cui se libenter erant submissuri, orabant. Hæc ità coram episcopo à se deposita esse, ut manu suâ episcopus testaretur, die, qui erat Veneris, post dominicam vocem jucunditatis, petiverunt.

Sed Cæsar interea, evulgato diplomate, se gravatum querebatur, quod Papa Romanus ad suum quasi forum ac dicasterium eam super Slesvicensi Ducatu Holsatorum controversiam vocasset, cum non divini sed humani juris negotium esset, & uterq; ad se quoq; super eodem provocasset. Addebatque se neq; pontificem Romanum, neq; alium quemquam in rebus civilibus superiorem seagnoscere, ideoq; mandare seriò ne ecclesiastcorum quispiam sibi hìc judiciũ sumeret; ac rogare electorem Brandeburgicum nec non Saxoniæ ac

Ericus VIII. Rex. *A. C.* MCCCCXXIX.

Luneburgi principes ut Regi Erico adessent, & latam ab imperio sententiam exequerentur, modò ascultare æquo ac bono Holsati nollent. Quibus exinde motus pontifex literas, quas hac de re dederat ad archiepiscopum Coloniensem revocari ac irritas haberi curavit: Conventus verò, qui erat Nicopiæ apud Falsterboenses indictus, anno demum proximo, qui fuit vigesimus nonus supra millesimum quadringentesimum, ibidem loci est habitus. Sed in eo cum variè de re totâ esset disceptatum, injectumq; de imperij principibus quatuor, qui de lite statuerent, conveniri postremò super arbitro ac sequestro haud potuit, cum Daniç regis delegati Cæsarem, Holsati ac civitates pontificem eligendum cuperent. Verum regij Deputati præter Cæsatem agnoscendum hic neminem interebant, nec ullo pacto referri causam ad pontificem posse, quod humani non divini juris res esset. Atque itâ re infectâ inde discessum. Exstant de his acta sive literę episcopi Osiliensis *Christierni* nomine, qui unà cum *Iohanne* Bumetzkeno, nec non *Burchardo* Guntersbergio, Prutenici Ordinis delegatis, conventui isti vocatus interfuit. In iis, præter jam dicta, reperio, regios consiliarios Holsatis ac civitatibus permisisse, ut finerent Brunsvicensium Ducem *Vilhelmum*, qui à parte Holsatorum conventui præerat, pronunciare an jure possit Imperator excludi ab isto negotio, & in alium sententię ferendę potestas transferri; cum Imperator legum omnium civilium veluti terminus atq; finis sit habitus semper, hodieque habeatur. Tum & indulsisse ac liberum illis reliquisse protrahere conventum, quo rem interea ad dominos ac principes suos referrent; Sed frustra hæc cuncta fuisse; Itaq;, bello manente, perarmavit suis auspiciis virorum mille quadringentorum classem regina *Philippa*, excitata ut videtur, prosperorum, quę circa Hafniam gesta fuerant, successu. Hæc classis Sundenses primo statim impetu petiit, sed pede parum felici, quod re jam divulgatâ, opidani Stralesundenses naves in adversū paratas haberent; quibus aggressi Danos circiter trecentos in suam potestatem vivos egerunt, quorū capite sunt plexi quadraginta; ceteri aut cæsi aut aquis mersi, qui fugâ sibi consuluerūt, perpauci habiti, iiq; laceras reliquias domū trahentes.

Inciderunt per idem tempus piratę Vitaliani in regis quoq; onerariam; quę è Sueciâ veniens annuas regni collationes, ære & argento potissimum constantes, in Daniam deportabat. Ei præsidium inerat quadringentorū circiter classiariorum; qui se magnis viribus defendentes, tandem numero & celeritate superati, manus dederunt; Hac prædâ mirum in modum lætati Rostochienses & Vismariani, plures ad simile tentandum excitarunt. Rex vero Ericus ob istam reginæ *Philippæ* minus prosperè ac se inconsulto tentatam navalē expeditionem, ei quàm gravissimè succensuisse memoratur; & ipsam tum forte fortunâ gravidam ab ipso quoq; inclementius exceptam; Idq; cęssisse eidem perincommodè. Nam statim cum hujus ergo, tum quod interitus tot mortaliū causâ exstitisset, Vastense ingressam cænobium, & anno proximo ineunte, ipsis Januarij nonis exspirasse ibidem constat, ac tumulatam intra delubri summi penetralia ejusdem cænobij. Estque fato suo functa voce passim omnium defleta celebrataque, ut princeps optima, & cui robur animi aliæq; supra sexum dotes obtigissent. Nullos ex Erico marito liberos habuit, fuitq; matrimoniū ipsorum prorsus sterile, quamvis uterum gessisse, cum indignationem regis incurreret, ex opinione quorundam traditum jam innui. Celebratis exequiis, rex sacella aliaq; ædificia sacra in ejus memoriam excitari maximis impensis curavit. Cænobiiq; Vastensis antistiti mille centumq; noblios legavit, ut emptis prædiis ac possessionibus ex annuis earum reditibus alerentur, qui sacra ac missę officia pro defunctâ quotidiè facerent; adjecto insuper sacerdotali instrumento ac vestium pretiosarū ornamentis quę regni insigne rubeam crucem in campo flavo inscriptum exhiberent. Et idem quoq, Calmarię ut fieret, summo studio elaboravit, additis ecclesię ejus urbis canonicatibus tredecim, ac facto decreto ut eadem ecclesia inter collegiatas haberetur. Idq; se facere, ut habent eâ de re conscripti codicilli, in animę suę solatiū, ac memoriā charissimę sibi conjugis reginę *Philippæ* nec non regum ac reginarū ceterarum illustrium majorum suorum, iisdē in codicillis prolixius repetit.

His domi curatis, inter urbes ac fæderatos Vandaliæ primi Rostochienses ac Stralesundenses fuêre, qui tædio belli â fædere reliquorum discessêre, initâ cum rege pacificatione, quam firmam atque inviolabilem haberi voluerunt. Rex collaudato eorum studio, & additis, qui domum honorificè deducerent, per urbes ubique ac portus suos promulgari extemplo mandavit, pacem inter se & Sundenses ac Rostochienses initam liberaq; utrimq; commercia in posterū futura: quamvis Sundenses cunctati aliquandiu domi se continuêre, quod recens adhuc esset supplicij, quo reginæ *Philippæ* classiarios quadraginta affecerant, cujus & modo meminimus, memoria. Estq; eodem circiter tempore cum civitatum ceterarum

terarum delegatis conventus itidem Nicopię habitus de pace ac commerciis ſimiliter reſtaurandis, ac multa tum ibi agitata utrimq;, ſed definiri poſtremum ſolidi nihil potuit, cum rex inter alia, ſibi ac Daniæ regno ob illatas multifariam injurias recompenſationem fieri debere judicaret, aut ſi id non poſſet, operam ſaltem apud pontificem Romanum atq; Imperatorem darent, ut ea omnia interceſſione ipſorum condonaret. Suntq; codicilli ſuper omnibus, quæ ad pacem reſarciendam pertinere ſunt viſa, ibidem id temporis confecti atque exhibiti civitatum delegatis, quibus & reſponſa ſua ore aut ſcriptis coram inferre permittebatur. Et ipſe tum Rex ut oſtenderet, quàm ſemper componendæ diſcordiæ ſtuduiſſet inpalam relegi atq; inſpici de novo curavit omnia, quæ eâ de re diverſis temporibus in acta fuiſſent relata, & primo quidem loco tranſactionem inter ſe & urbes Vandalicas de mutuis auxiliis invicem præſtandis aliaque eodem prolixè ſpectantia ſcriptoque ac teſtibus obſignata Hafniæ anno 1423, die, qui Vito & Modeſto ſacer eſt habitus, recitari de plano fecit, ſicuti & ea, quæ anno eòdem per Ducem Sileſiæ *Henricum* Rumpoldum legatum Cæſareum interjecto nonnihil tempore Flensburgi fuerant actitata: Eaq; in ſummum verſa omnia cum haud multò poſt anno ſcilicet 1426 eædem civitates, quarum circa Sleſvicum & Gottorpium auxilia exſpectaverat, ad Holſatos inopinato tranſgreſſæ, ſibi bellum denunciarent. Similiter & alia replicata, quæ ad fretum Oreſundę, quęq; exinde per Cæſaris conſiliarū *Stochium* ſingulari cum curâ ac ſollicitudine tam Hafniæ quam Lubecæ peracta fuiſſent: Atque indè civitatum, quam feciſſent anno 1428 coram epiſcopo Ratzeburgenſi, quæ & ſuperius poſita, proteſtatio lecta: Oſtenſumq; de privilegiis atq; immunitatibus à rege violatis quod epiſcopo coram intulerant, id haud unquam ſe coram ab ipſis, niſi jam hoſtibus, factum fuiſſe; quemadmodum & illud quod de Ordinum magiſtro & ad eum provocatione dicerent, à vero ſimiliter recedere, cum ad jura potius vetuſta atq; immunitates ſuas provocarint: nec omnia ab eis dici cum ſe conſilario Cæſaris *Stochio* ipſiq; Cæſaerę majeſtati libenter obtemperaturos dicant, omittiq; claſſem eo ipſo tempore in oras Daniæ violenter immiſſam, quæ à cædibus ac divaſtatione inhiberi per ſerias ejusdem legati Cæſarei comminationes vix potuerit. Et deniq; de affinitate, quæ inter Cæſarem & regem eſſet, quod eam ſibi præjudicare exiſtimarent, id nihili eſſe, cum ad Cæſarem jam antè utrimque ſit facta provocatio, ut rerum earum ac litium talium ſupremum arbitrum ac proprium judicem: Rex nihilominus utcunq; hoc habeat ſe perpetuò quod jus atq; æquum permittat, exequi paratum referebat. Eſt deinde urbium nomine ſollicitatus *Conradus* Epiſcopius, proconſul Stralesundenſis, authoritate & gratiâ apud regem prępollens, ut ſuam vicem apud regiam majeſtatem, quæ pacis eſſent, peragenda ſuſciperet. Quod cum ille, ut regi jam antè reconciliatus & gratus, ſedulo curatum dediſſet, indicta mox ſub finem anni, qui fuit decimus quartus Decemb. Helſingburgi comitia, quibus Rex unà cum archiepiſcopo Lundenſi *Petro*, *Iohanne* Ansloenſi, *Iohanne* Roſchildenſi ac *Thoma* Strengeneſſenſi præſulibus, nec nō Stetinenſium Dux *Suanteborius* ac Comes Everſtenij *Iohannes* ſenior, præſentes interfuêre, ut & urbium delegati *Henricus* Rappenſilverius, *Iohannes* Berius, *Iohannes* Callemannus Lubecenſium conſules, & Viſmarienſes *Iohannes* Creſſius & *Henricus* Pelleus, iiſq; adjuncti *Ditmarus* Dukelius & *Henricus* Heiermannus Luneburgenſiū ſenatores, præter *Reinoldum* Rappenſilverium & *Eberhardum* Druſelhagium conſules, qui ut medij à Stralesundenſibus ſubmiſſi acceſſerant. Hîc poſtquā eſſet pauca præfatus rex, exoptans ſcilicet à ſummo numinę ut tempore auſpicato ad eum conventū progreſſi, poſſent aliquando funeſtum illud ac diuturnum bellum vel tollere penitus vel ſaltē in longas ferias portrahere. Et ſe eo fine convocaſſe ipſos ac ſemet præſentem ſtitiſſe; Exorſus eſt declarare cetera *Benedictus* Paawiskins illâ tēpeſtate inter aulicos regios ac nobilitatē prępeminens, & cui eas dicendi partes rex mandaverat. Oſtenditq; *Conradum* Epiſcopiū & Rappenſilverum, cum Lundę poſtremum adeſſent, locutos de modo & mediis, quę à rege fuiſſent, ad pacem ducentibus, Nicopię commonſtrata, ea viſa parum civitatibus decora fore, ſi præſertim injuriarum atq; illatorum damnorum ſatisfactione tenerentur. Ideoq; civitatum earum nomine petiiſſe, ut regia majeſtatas, quæcunq; optatæ reconciliationi impedimento eſſe poſſent, tolleret aut mitigaret. Eaq; cum eſſent inter cetera à *Paawiſcio* in coronâ legatorū depoſita, rogatus eſt regius Cancellarius, ut quas ad Lubecenſes ceteroſque urbium fæderatos prolixè exinde rex literas dediſſet, propalam & ità recitaret ut intelligerent cuncti nullam penes regem pertinaciam, ſed animum ſemper ejus ad pacem & ejuſmodi conſilia propenſum fuiſſe, quę & ſtatui & regnis ipſius eſſe detrimento haud poſſent. Illiſq; lectis, iterum *Paawiſcius* ad cætum converſus, ſatis liquere ex iis demonſtrabat

ERICUS VIII. Rex
A. C.

SIGISMUNDUS IPM.

quanta esset erga publicam suorum regnorum totiusque Christianę rei tranquillitatem regis propensio, seq; sperare etiam ipsos eo fini congregatos, ut pacis consilia amplexarentur. Indè paulisper, ut inter sese deliberarent, secedentibus urbiū fœderatis, ac statim vicissim retrogressis, omnium nomine *Henricus* Rappensilverus, actis primum pro regio erga se favore atque admissione gratiis, dicere orsus se suosq; parum de iis sollicitos referebat, quę essent à rege Nicopiæ ad pacificationem proposita, cum præcipuè regiam majestatem ad omnia benignius interpretanda paratam viderent, sed illud agi, ut etiam jus, quod sibi rex regnumq; in Holsatos vindicaret, insuper haberetur. Cui respondens *Paawiscius*, cum nihil de eo jam antè motum, & iis solum, quæ fuerant Nicopiæ injecta, quæq; urbium porrò compositionem spectarent, concionem eam destinatam referret, secessêre denuo civitatum legati. *Conradus* verò Episcopius rectà regem adiit eiq; persuadere etiam conatus est, ut de suspensione juris regij adversus Holsatos articulum admitteret: Verum *Paawiscius* admirari se dicebat sermonē de eo injici, cujus antea mentio nulla facta fuisset: Estq; hoc ipso Episcopius professus, se quidem nullam ejus apud regem mentionem prius fecisse, sed aliis ex regio senatu & prę sertim *Iohanni* Cropelino de eo locutum: At illi id haudquaquam inficiari se referebant sed ita verba fecisse Episcopium ut id regi referendū mandaret id verò negabant. His variè utrimq; ventilatis, post tridui deliberationem regressi in conventum urbium delegati, omnino etiam de suspensione juris adversus Holsatos agendū injiciebant, & aliàs tractari cetera frustraneo. Tum ex iis quærere *Paawiscius* cæpit, si aliquandiu suspendi illud jus expeterent, quot annos id suspensum cuperent. Responderunt illi, quamvis de octennio aliàs injecissent, sed animadverso, id minus placere, expeti saltē quinquennium. Ad ea regis nomine repositū, licet diversa esset Holsatorum & civitatum ratio, permittere nihilominus regem, ut de iis quoq; agatur. Atq; ità seorsim de Holsatis actitatum sed definiri postremo aliud haud potuit, quàm ut, annuis concessis induciis suā interea causam agerent aut compositioni amicè permitterent. Inde per Cancellarium suum *Nicolaum* Crummedigium legi exemplar literarum rex curavit, ad consules urbiumq; senatores: Omniaq; egit ut ab Holsatis separati illi secum agerent ac litē in totum finirent. Sed id cum obtineri tū nequiit, in trienniū ferias clementer indulsit, ut eo elapso, cuncta, quę esse adhuc controversa poterant, ad finē tandē optatū perducerentur. His peractis *Henricus* Rappensilverus ad regem conversus, satis se existimare significabat perspectū esse regię majestati sibi suisq; haudquaquā in mandatis fuisse ut suam hoc tempore jure aut bono causam terminarent, nec eà quoq, spe aut mente ad conventum accessisse, se nihilominus maximas regiæ majestati gratias meminisse; quod Holsatos in annum & dies inducias benignè permisisset: ac se de eo relaturos ad senatum consulesq; civitatum omnium, & absq; ulteriori morà de sententià ac mente ipsorum per literas reddituros majestatem ejus certiorem.

Erat eodem hoc anno non modo Bohemia, sed ea quoque Germaniæ pars, quæ Balthicum mare attingit, adeò ab Hussitis commota, ut ij peragratà Neomarkià oram omnem Stetinensium ditionis usq; Collebatzam ferro atque igne devastarint: Eique haud levem occasionem præbuerat Stetinensium Dux *Cazimirus*, quod Cæsari pecunià & equitatu adversus eosdem subsidia misisset. MCCCCXXXI. Initium anni sequentis insigne fuit, obitu Romani pontificis *Martini* V. ut & Roschildensis episcopi *Iohannis* Andreę, nec non clade Hamburgensis consulis, cui *Martino* Suartekop nomen erat. Eum ad ceteras urbes ablegaverant Hamburgenses oratum ut auxilia adversus regem Ericum tempori submitterent, dum verò iter facit, inopinato agressi eum Dithmarsi, cædunt. Mari tum quoque feliciter pro rege rem gerens *Broderus* Sueno, nobilis Suecus, tres Lubecensium onerarias Rigà adventantes magnique pretij mercibus probe saburratas suam in potestatem redegit.

Advenêre per idem ferè tempus honorifice salutatum Ericum *Henrici* sexti Anglorum regis legati *Gulielmus* Sprenius jurisconsultus & *Iohannes* Germersbyus eques. His in mandatis *Henricus* dederat, ut cum Erico Danię, Suecię & Norvagorum rege, absoluta potestate, suo regnorumq; suorum ac subditorum nomine, agerent, omniaq; ad pacem, concordiā mutuaq; cōmercia, quę antiquitus semperq; inter utrosq; fuissent, pertinentia constituerēt; se ea cuncta sedulò exequuturum. Habebant & specialia quędam mandata de damnis, quę, ut referebant, Norvagi quibusdam ex Anglicis negotiatoribus intulissent. His ut quamprimum satisfieret, petebant. Rex istis acceptis amicè rescripsit, gratias primo Anglorum regi agens pro insigni, quā se invisere dignatus fuerat, legatione. Inde placere sibi significabat, pacis studium ac veteris amicitię, quā regię semper Anglorum Danorumque familiæ ac populi conjuncti fuerant, memoriam: Eamq; per reginæ *Philippæ* conjugis suæ, felicis

felicis memoriæ illustres nuptias ad se usque continuatam. De damnis verò, quibus affecissent Norvagi Anglos, ità referebat, se cum in eo esset, ut, convocatis regni sui Norvagici senatoribus, causa ea propius inspiceretur, allatum sibi, ex iisdem senatoribus tres tantum Haffniam accessisse, ceteros, qui unà erant ablegati, in mari ab Anglis captos retentosque: Eos autem, qui præsentes essent, auditis Anglorum postulatis, reposuisse vicissim ac graviter questos, quod Angli suis navibus commerciisque frequentarent Norvagiæ insulas, Islandiam, Groenlandiam, Feroam, Hetlandiam, Orcades aliasque, ipsis omnibusque exteris adiri semper vetitas, exceptis Bergis,[4] publico regni emporio ac rerum earum omnium, quas Boreas producit, communi foro ac stapulà. Hoc autem factitatum ab ipsis contra fas & æquum cum ingenti incolarum detrimento jam annos circiter viginti. Nec illud modò, sed & portus sæpenumero Norvagiæ hostiliter ingressos, ferro flammâque municipia vastasse, naves diripuisse ipsosque naucleros profundo mersisse: Esseque speciatim annotatum quid in Hellegelandià & Findemarckià, quid iis navibus, quę Bergis Islandiam quotannis petunt, & iis quoque, quæ Hetlandiam, Orcades aliasque in vicino insulas adeunt, per annos illos viginti damni dederint: & nomina etiam non eorum modò, qui detrimentum essent passi, sed eorum quoque, qui intulissent, scripto pro parte signata haberi.

Ericus VIII. Rex.
A. C.

Holsati interea, postquam inter ipsos & regem conveniri non poterat, omnem moverunt lapidem, ut opido Flensburgensi, sibi terrâ mariq percommodo, potirentur. Et factum operâ civis cujusdam, quem urbe exegerat magistratus, ut die Palmarum, cum sacro interesset civium multitudo, portis introducti opidum ceperint. Ac mox in forum effusi ac signis explicatis consistentes impedimento fuerunt, quo minus convenire cives armaq; sumere possent. Unde in cœnobia nonnulli, alij in arcem se receperunt, qui remansère, coacti sunt sacramentum Holsato dicere; in arcem qui abierant, affluxu quotidiano viribus aucti, se defendere non dubitarunt. Et licet fossam circumquaq; Holsati circumduxissent, addito Frisiorum Eidorensium octingentorum præsidio, qui aditus exitusque præcluderent, tamen è Danià, qui navibus haud multo post advectus est commeatus, quominus arci inferretur impedire nequierunt, quamvis postremum ingruente anni hieme & accedentibus urbium auxiliariis, eo adacti inediæ, ut præter equos & canes, nihil quo vitam sustentarent, superesset. Quapropter factâ sub æquis conditionibus deditione sibi consuluêre. Dumque hoc bellum inter Holsatos urbesque Vandalicas & regem tenet, paulatim Hollandi aliæque in occiduis partibus gentes orientale mare frequentius adire, & illa cum Borussis, Livonis, Moschis excercere mercimonia cæperunt. Idq; animadvertentes Vandalici pacem, quam toties aspernati fuerant, ambire postremum ipsi, sed serius, in animum induxerunt, assuefactis jam inque locum ipsorum promotis exteris.

Eodem hoc anno die septima Septembris inchoata Basiliensis synodus, decreta quidem per *Martinum* V. pontificem, de quo supra memoratum, verum habita sub *Eugenio* IV. successore ejus, tunc primo electo. Fuerunt eò invitati & adhibiti, præter ceteros, Bohemi quoque & inter eos Hussiticę doctrinę *Gulielmus* Costo, *Iohannes* Rochesana, Procopius: Qui interrogati, in quibus à Romanà ecclesià dissentirent, sententiam suam libere & sine fuco aut ambagibus declararunt. Sed videns *Eugenius* multa ibi liberius disputari, ac metuens ne synodi plus paulatim authoritatis sibi sumerent, præcepit transferi conventum Bononiam, quod graviter tulit Sigismundus Imp. Synodus itaque loco se moveri non ferens auctoritate suà adversus *Eugenium* usa, illum pontificatu dejecit, surrogato in ejus locum *Felice* V. Sabaudiæ Duce. Qui tamen factione impeditus, Romanam sedem, quam Petri cathedram vocant, conscendere haud unquam potuit. Undè annis novem exortum schisma duravit, ac multę passim seditiones fuêre, dum alij *Felici*, alij *Eugenio* obtemperant, plerisque interim subjici concilio pontificem debere asserentibus.

Insequenti statim anno, qui fuit, supra mille quadringentos, trigesimus secundus, post levia aliquot inter urbium ac regias naves habita prælia, captumq; in freto Oresundę *Broderum* Sueonem, equitum Suecum, injêre cum rege mense Augusto inducias Vandalici in annos quinq;, eà lege ac conditionibus, ut de pace interea æquâ ac perpetuo colendâ ageretur: Et primo quidem anno proximo in eum finē sub Philippi & Jacobi conventus Suinoburgi haberetur: Atq; ibi, si terminari omnia nec in solidum coire pax posset, inducię nihilominus in quinquennium ratæ essent; Eisque durantibus, civitatum incolę terrâ marique pro more ac consuetudine veteri commerciis atque immunitatibus suis in regnis, ditionibus, opidis, portubus ac territoriis Erici Regis, ac Regis vicissim subditi in urbibus MCCCCXXXII.

prædictis

ERICUS VIII. Rex. *A. C.*

prædictis jure ac prærogativis suis liberè & absque dolo malo fruerentur: similiter & naves utrimque prætoriç hoc ipso Augusto mense domum revocarentur; si verò intra jam dictum mensem & proximum Martini festum, ab iis, quæ revocari interea nequierint, damnum quispiam acciperet, id cujusque periculo haberetur. Si præterea infringi à quoquam inducias, intra diem Suinoburgi indictum, contingeret, de eo dictâ jam die, ac simul quo pacto tractandi in posterum fædifragi forent pronunciaretur. Hæc Horsenæ decreta die jam supra nominato, comprehensique eâdem pacificatione quicunque alterutri parti fautores adjutoresque fuissent. Interjectis diebus aliquot, *Nicolaus* Crommedigius eques ac regius senator habitâ eodem loco brevi actorum omnium anacephaleosi, urbium delegatos identidem de conventu Suinoburgum indicto commonuit, indulsitque regio nomine, ut si conveniri in totum nec tum posset, ut proximo exinde aut alio conventu, assumptis dynastis, principibus aliisque, quos vellent amicis, ad pacis tractationem se sisterent. Et Rex quoque, postquam finisset Crommedigius, *Henricum* Rappensilverum consulem, ejusque collegas seorsim affatus, eodem propemodum sermonem convertit, & an pactis conventis stare decrevissent, interrogavit. Iisq; firmiter annuentibus, interjecit Rex, varia inter se & urbes conventa inita, sed ea quo pacto ab ipsis servata sint, constare, atque ideo denuò *Rapensilverum* ac ceteros compellans seriò efflagitavit, ut si quid iis, quæ pacta conventaque jam essent, fraudis aut technarum subesse scirent, id retegerent atque aperirent. Illis cum jurejurando negantibus, addidit postremò rex, suum erga illos favorem & gratiam multò quam antea firmiorem fore, modò quæ dicta decretaque essent, integra ac sine vitio haberentur. Atque ita finitus etiam iste consessus.

Hinc proximo octobri Callendburgum convenerunt *Henrici* Anglorum & Erici Danorum regis nomine *Robbertus* Schotbrochus eques, & *Vilhelmus* Sprenius juris utriusq; consultus, *Iohannes* episcopus Roschildensis, *Thomas* Strengenessensis, *Arnoldus* Clemens confirmatus Bergensis, *Axillus* Petri, *Arvidus* Sturo, & *Eschildus* Brock equites, ad componenda, quç inter utrosq; reges, eorumq; subditos inciderant, controversia. Estq; superiis utrimque, modò & regibus ità videretur, statutū in hunc ferè modum: Primò, quod ad injuriam contumeliamque, quâ affecti essent regiç majestatis consiliarij *Anduornus* episcopus Stavangriensis itemque *Endretus* Erlandus, regni Norvagici senatores, cum anno superiori, ut ante relatum, Haffniam ablegati, ut de commodis utriusque regni, Angliæ Norvagiæque cum rege despicerent, ab Anglis caperentur, de eo polliceatur Anglorum Rex se inquisiturum ex quonam isti Angli portu solverint, daturumque operam ut dictis Norvagiæ senatoribus, cum ob detrimenta, tum dedecus illatum satisfiat & simul constet, nullum in eo regis fuisse beneplacitum, sed mutuam ejus esse fraternamque erga Daniæ regem affectionem ac voluntatem. Quod verò ad ea damna ac raptus attinet, quibus Islandiam, Hellegelandiam, Finmarckiam aliaque prohibita loca ad portus iidem infestassent, quorum præcipuè nomine anno superiore Haffniam ad regem missi fuerunt *Sprenius* prædictus & *Iohannes* Gremersbyus, de eo rex inquiri faciat; atque ità in authores animadvertat, ut indè cognosci fraternus ejus animus posset, & simul intelligi quid regnorum quies ac mutua amicitia efflagitet, & denique ut exemplo ac terrori sit aliis. Si qui etiam ab iisdem Anglis ex Islandiâ, Findemarckiâ, Hellegelandiâ in Angliam traducti fuerint, eos ubicunq; intra regnū suum deprehenderit Anglorum rex reduci curet efficiatq; ut accepta pro operâ suâ mercede liberè & absq; impensis suis domum redeant. Quicumq; etiam ab Anglis Norvagi vel Angli à Norvagis cæsi intelligentur, operam uterq; regum det, ut hæredibus eorum satisfiat ac multa pendatur. Si quid præterea ab Anglo prędatus convincatur Norvagus, in id rex senatusq; Norvagiæ incumbat, ut cum eo, qui damnum accepit, ex æquo ac bonō transigatur. Ipse postremū Daniæ rex, si quam redituum ac vectigalium suorum ex eadē occasione injuriam ac detrimentū incurrerit, de eo cum rege Anglorum, utpote fratre suo, amicè per literas agat. Hęc sanctè & sine vitio servaturos regum utrosque, legati jam dicti se obstringebant: Et illud insuper, mansurum Angliæ regem Daniæ regi perpetuò amicum non bello aut detrimento ullo affecturum, sed nec permissurum ut ejus subditi stipendia adversus ipsum aut regnū ejusq; hæredes faciant: Quin & significaturum ei, si quid in detrimentum ejus tentari cognoverit: Et idem quoque facturum per omnia Daniç regem; ita tamen ut liberū illi sit, suis copiis adesse pontifici Romanęq; ecclesiæ, necnon Romanorum, Ungariæ ac Poloniæ regibus, ut & Ordini Teuthonico eorumque posteris: Et Anglo vicissim permissum juvare pontificē, ecclesiam, Hispaniæ & Portugalliæ reges eorumque posteros. Concedebatur pręterea ut regis utriusq; subditi frequen-

frequentarent portus ac ditiones quæcunque inhibitæ non essent, modò portoria & quę more majorum debentur, penderent. Quæ autem inhibita, ut Islandia, Findemarchia, Hillegelandia aliaque loca atque introitus, hi sub pœnâ captis ac bonorum adiri vetabantur: Similiter & Daniæ regis subditi abstinerent ab iis Anglici regni portubus, quos prohibitos constaret, nisi necessitas ac vis ventorum aliud cogeret; Quos tamen eâ occasione negotiari ibi sub pœnâ eâdem interdictum volebant: In hanc pacem ac formulam si quos utriusque regis subditos delinquere contingeret, immota nihilominus ac firma inter reges pax esset: Penes eum interim, qui commonitus, in delinquentem, quod jus atque æquum postularet, statuere negligeret, culpa remaneret.

Nuptias per idem ferè tempus contraxerat *Adolphi* Holsatiæ Comitis frater *Gerhardus*, cum virgine honestissimâ Annâ, è domo Badensi: Alij Agnetem vocant; Hæc initio statim nuptiarum facta è marito suo gravida, cum eodem paulò post in Holsatiam concessit, ubi septimo exinde mense filium ei & filiam gemellos peperit. Hi maturo partu, & quomodo edi subinde septimestres fœtus solent, nati sermones nihilominus matri crearunt, quasi ij non ex *Gerhardo*, sed alio concepti jam ante fuissent. Præcipuè verò Comes *Adolphus*, pudicitam ejus suspectam habens, de eo summoperè dubitare cæpit. Consultique medici & obstetrices, qui liberis ac re totâ propius inspectâ responderunt omnes naturali modo id fieri. *Adolphus* tamen susurronum potius delationibus, quàm veritati, aurem commodans eò usque suspicioni suæ fræna laxavit, ut eam in patriam redire fecerit. *Gerhardus* abeuntem secutus, ubi Embricam ad Rhenum pervenisset, ibi sive animi sive corporis ægritudine obiit. Liberos *Adolphus* reservaverat, quorum masculus haud multò post infans exspiravit, puella monialium asciterio est tradita. Obitum puelli luxisse summopere *Adolphum* tradunt, postquam, accepta in conjugem insigni virgine è domo Mansfeldicâ, nunquam ex eâ liberos suscepit, justâ scilicet Nemesi qui suos fatri inviderat.

Proximo hinc anno, qui fuit millesimus quadringentesimus trigesimus tertius, die Philippi & Jacobi, qui in ipsas Mai calendas incidit, conventus, de quo anno superiori decretum Horsenæ fuerat, Suinoburgi est habitus. MCCCCXXXIII Ei interfuerunt Episcopi Fioniensis *Navius*, Arhusiensis *Vlricus*, *Iohannes* Roschildensis, *Sigo* Scarensis, *Nicolaus* Vexoniensis, *Nicolaus* Volfgangi Slesvicensis. Accesserat præterea Dux ipse Slesvicensium *Adolphus*, qui defuncto, cujus meminimus, *Gerhardo* fratre, sibi clarissimas è familiâ Mansfeldiorum per id tempus nuptias conciliaverat. Eodem se quoq; Lubecensium delegati contulerant. Verum nihil tum ibi operæpretij factum, quod animis inter se diffidentibus, ægrè esset Danis, quod urbes sua quoq; ad capiendam Flensburgi arcem auxilia Holsato submisissent. Ne tamen nihil actum videretur, res in alium diem, sub festum scilicet Pentecostes anni proximi, dilata. Sundenses interim missis Haffniam sub quintum Augusti delegatis ex contractu, qui antè triennium circiter cum rege erat initus, libera in oras atque insulas ejus commercia sibi permitti expetebant. Horum præcipuus erat, cujus & supra meminimus, *Conradus* Episcopius, *Everardus* Dreveshagius, *Nicolaus* Cracovius aliique. Sed ipsis suo nomine postquam responderi per *Ericum* Crommedigium equitem, ac repeti ferè omnia, quę acta fuissent, rex curasset, tandem instantibus eis, significari per eundem Crommedigium fecit, nihil esse sibi antiquius, quàm ut ad pacem diu optatam reduci cuncta possent, non interim ignorare eos debere, esse ab ipsis quadraginta seorsim Danicæ gentis capite plexos, quorum adhuc amici agnatique intra regnum superessent, idque haud parum causæ ac petitioni ipsorum obesse: se nihilominus refragari haudquaquam, quominus suo quisque periculo, instituere in oras jam dictas negotia ac navigationes suas posset.

Per idem ferè tempus levis apud Suecos motus concitatus, majorum regi malorum initium fecit. Cum enim diu ibi Dani Theutonesque præfecturas imperiumque à rege acceptum impotentius in subditos exercerent, nec juri aut æquitati apud multos, absente, ut plurimum, rege superesse locus videretur, tum & querelę, quas ad regem ipsum in Daniam Suevi deferebant, præcipuè in *Iessonem* quendam Ericsenum ab Asdal, qui inter præfectos regios veluti coryphæus eminebat, dirigerentur, itá semper ille conatibus eorum, datis ad regem in contrarium literis, occurrit, ut parum accusatoribus fidei relinqueretur. Inter eos *Engelbertus* memoratur, vir Sueticæ gentis, animo quam corpore major: Is popularium suorum, & præsertim Dalecarnorum, nemine, facto in Daniam procinctu, regiam majestatem coram affatus omnem accusationis suæ molem in *Iessonem* effudit, pignori caput suum opponens, si falsa narrasse deprehensus foret. Qui tamen hoc solum id temporis obtinuit, ut literæ regis ad regni senatores sint datæ, quibus eos commonebat, ut in

SIGISMUNDUS IMP.

ERICUS VIII. Rex A. C. ut in Dalecarnos digreſſi de ſtatu & querelis eorum ad ſe delatis cognoſcerent, ac ſibi quid rei eſſet ſignificaret, *Ieſſone* interim in loco ac dignitate ſuâ relicto. Senatores ex mente ac præſcripto regis profecti in Dalecarnos, rem, ut erat, cognoſcunt: atque inde præfectorum avaritiam, injurias ac vim per literas regi aperiunt. Easque literas *Engelbertus* ſibi à ſenatu traditas regiæ majeſtati coram exhibuit, efflagitans ut in *Ieſſonem*, quod jus & æquum diceret, pro ſuâ auctoritate vellet ſtatuere; idque eâ libertate ut rex ſuccenſens decedere eum, nec in conſpectum ſuum redire juſſerit. Sed *Engelbertus*, ut erat nobilitate non quidem inter primos, at mentis perquam excelſæ, abiens ac ſecum ſubmuſſitans, *imo & revartar quandoque*, inquit. Cum igitur animadverterent Dalecarni, libera ac læta bello gens, nec literis apud regem nec nuntiis locum eſſe, potius judicarunt honeſtè oppetendum, quam exhauriri perpetuò & tanquam mancipia haberi. Itaque viribus ac viris in unum collectis, ſalutatoque *Engelberto* Duce, in Veſteroſiam irrumpunt. Ibi ex regni ſenatu præcipuos ſibi obvios habuêre, qui ſe medios profeſſi, eum tum animorum ac popularium motum ſuâ prudentiâ componere omni ope annisi fuerunt: Et annuerunt eatenus Dalecarni, ut ſe interea nullum ex eo die *Ieſſoni* tributum aut obſequium reddituros, uno omnes ore dictarent.

MCCCCXXXIV Anno, qui eſt inſecutus ſupra mille quadringentos, trigeſimo quarto *Iohannes* Schelius Lubecenſium epiſcopus, olim Imperatori Sigiſmundo à ſecretis, tum verò ab intimis conſiliis, diploma ab eodem Baſileæ accepit, quo mandabatur, ut Holſatiæ Comites ab ipſo feuda ſuſciperent, nec de iis niſi ipſo vel imperatore conſcio quidquam abalienarent, ſtatutâ marcarum centum in delinquentem mulctâ, diplomate eodem expreſſâ. Tum quoque *Schelius* idem, acceptis à Cæſare feudis, quæ vocant ſecularia, ſe eidem clientelæ ac fidei ſacramento obſtrinxit. Nidroſienſis verò præſul *Aslachius* unà cum diœceſeos ejuſdem capitulo, datâ apochâ, profeſſus fuit ſibi ab Erico rege trecentos noblios adnumeratos, his legibus ac conditione, ut ipſe poſterique ejus pſalterium in æde divi Olao cani atque ibidem haberi vigiliarum ac Miſſarum, ut vocant, ſolemnia curarent: Eaque ſi intermitti horis ſuetis contingeret, de eo in jus vocati ſe coram epiſcopis ac clero Norvagiæ ad cauſam dicendam ſiſterent. Tum quoque Baſileæ in ſynodo, quæ ibi id temporis habebatur, ſententia adverſus *Bugiſlaum* ac matrem ejus Sophiam lata, ope ac ſtudio *Sigefridi* Camienſis epiſcopi, qui *Magno* ſucceſſerat, de quo ad annum 1417 ſupra meminimus: Sed Erico Rege, utpote ejuſdem diœceſeos beneficiario ſe medium interponente, res ad compoſitionem deducta eſt. Horum pleraq; ad anni ſtatim initium referunt chronologi: Inde Junio & Julio menſibus, quod ſupra decretum diximus, celebrata Vardinburgi regni comitia, præſentibus archiepiſcopo Lundenſi *Petro*, *Aslacho* Nidroſienſi, *Navio* Othonienſi, *Iohanne* Roſchildenſi, *Iohanne* Werdenſi, *Paridone* Ratzeburgenſi, *Sigone* Scarenſi, *Petro* Hammerenſi, *Auduorno* Stavangrienſi, *Iohanne* Anſloenſi, *Hermanno* Viburgenſi, *Thoma* Strangeneſſenſi, *Gerhardo* Borglavienſi ac *Severino* Feroenſi præſulibus. Convocaverat eodem quoq; rex Bavariæ Ducem *Chriſtophorum*, Pomeraniæ *Bugiſlaum*, Stetinum *Barnimum*, itemque Megapolenſem & Saxonem, qui una cum epiſcopo Hildeshemenſi præſentes cuncti adfuêre; ut & Lubecenſium, Hamburgenſium, Luneburgenſium ac Viſmarienſium delegati, de pace ſcilicet cum rege regnoque ſemel ac firmiter ſanciendâ acturi. Quamvis ea nec tum obtineri potuit, quod cauſa longa ac ſinuoſa plus otij ac temporis poſtularet. Eſtque idcirco in proximum feſtum divi Johannis dilata, ut inſpecta propius, & arbitris quoque ac ſequeſtris adhibitis ex præſcripto conventus Horſenenſis finiri aliquando in plenum poſſet. Eodem anno, die Laurentij ſacrâ, qui in decimum Auguſti incurrit, Rex Ericus *Gulielmum* de S. Claro, vulgo *Sinclerum* vocant, nobilem Scotum, additis, quæ eò ſpectant, ſolemnibus, Orcadum Comitem renunciavit. Ipſe viciſſim regi ejuſque poſteris fidelitatis atque obſequij ſacramentum dixit, lege ac conditionibus ut ſequitur: Se nimirum, quandocunque poſtularetur, centenis armatis peregre militaturum in commodum & uſum regis, modò menſibus tribus apud Orcades antea præmoneatur. Ubi autem advenissent illi de alimoniâ aliiſq; neceſſariis proſpici ipſis rex curaret: Se etiam, ſi qui forte invadere hoſtiliter Orcades Hetlandiamque tentaverint, omnibus viribus ac manu ex inſulanis collectâ, inhibiturum eos ac ſua defenſurum territoria: Bonâ quoq; fide pollicebatur, nullas ſe arces aut munitiones excitaturum, niſi conſciâ ac conſentiente regiâ majeſtate; ditiones quoque eaſdem atque incolas, clerum, laicos, dites & pauperes intra juris ac legum fræna retenturum: Inſulam verò & arcem *Kirckewagam*, ſe defuncto, redituram ad regem ejuſque hæredes ac regnum Norvagiæ, ſine oblocutione. Neque ſe etiam

Ericus VIII. Rex. A. C.

etiam eundem Comitatum ditionesque prædictas, & quam in eas, Dei & regis beneficio, jurisdictionem tenet, aversurum ullo modo aut oppignoraturum sine consensu ac voluntate domini ac regis sui jam dicti. Hæc ferè præcipua sunt, quibus se feudi & clientelę jure regi ac regno Norvagiæ obligatum Comes agnoscit: Quibus & aliâ nonnulla accedunt de dissidiis intra Comitatum dictum non excitandis, deque rege ut judice agnoscendo; idque secundum leges & jura Norvagię: ac denique de ecclesiasticis Episcopoq; tuendo, quæ aliaque, ut specialiora, præterivimus. Inter testes verò & compromissores Comitis nominantur *Henricus* Aberdonus, *Columba* Apraniensis, *Robertus* Cathaviensis divina gratia episcopi: Itemque *Archibaldus*, *Duglassus*, *Gulielmus* Augusius, *Georgius* Mehius, Comites: *Gulielmus* Corck, *Alexander* Ramseus equites: *Iohannes* de S. Claro, *Andreas* Critus armigeri: Obsidum etiam loco, cujusmodi olim proavus hujus Comitis *Henricus* Orcadum Comes regi Norvagorum *Haquino* exhibuit, eorum inquam loco se codicillis capitibusq; supra scriptis subditurum spondet sigilla *Thomæ* Sincleri, *Davidis* Mundtovij, *Olävi* Getonis, *Alexandri* Prounij, *Roberti* Berionis & *Iohannis* Harilsonij armigerorum: Promittit præterea easdem literas eo modo, ut dictum, obsignatas transmissurum venerandis in domino patribus *Aslacho* divinâ gratiâ archiepiscopo Nidrosiensi, *Thomæ* Orcadensium, *Iohanni* Ansloensi, *Anduorno* Stavangriensi, *Petro* Hammerensi, *Olao* Bergensi episcopis: ut & *Erlando Erlandi* cæterisque ex ordine equestri ac senatorio regni Norvagici. Cumque sæpiusculè etiam Erico regi avunculo suo, nomine Orcadum & Comitis dicti, literas misisset serenissimus Scotorum Rex *Iacobus*, adstipulatus similiter est Comes idem, operam se daturum ut tabulæ, quibus capita superius expressa continebantur, regis ejusdem illustrissimi sigillo instructæ ad regiam majestatem pervenirent. Acta hæc Haffniæ die & anno superius positis.

Apud Suecos verò, postquam Dalecarnij, ut memoravimus, positis armis domum redjissent, cæperat jam *Iesso* Erici, Vesterosiæ præfectus, tributum singulis imperitare. Unde iterum novi motus. Sed denuò interveniente regni senatu, statutum, ut *Iessone* abdicato, ipsi, quod peterent, secundum leges & jura obtinerent; Arx verò & præfectura, quam *Iesso* tenuerat, traderetur *Iohanni* Everstenio Comiti. Eoque facto, cum expectarent mitiorem regis animum, atque id frustraneum videretur, quod rumor passim successuros prioribus peiores spargeret, iterum assumpto classico, primo *Borgenessam*, inde *Copinghusæ* arcem sunt demoliti, evadente præfecto *Iohanne* Walle, qui *Stekeburgum* se recepit. Ac mox *Engelbertus* popularium suorum dux electus cum Vestermannis egit, ut causam sociarent ac patriam externorum jugo liberatum unà irent. Quod cum illi haud illubentes promisissent, numerosâ cum manu *Vesterosiæ* munitionem petierunt; cui tum *Melchiorem* Geurtzium Everstenius Comes imposuerat. Eoque excedere jusso, arcem *Engelbertus* Nicolao *Gustavo*, Erici *Puckij* parenti, defendendam commisit, adhortatus simul ditionis illius universos, ut operâ collatâ immitium præfectorum dominationi patriam eriperent, adpromissâ ex sententia quoque senatorum regni, tributorum non quidem immunitate, sed ejus patris, quam regij præfecti invexerant, remissione. Eo tempore *Ericus* Puckius Carelsholmiæ agens eam arcē nomine parentis sui *Nicolai* Gustavi tenebat. Eratq; *Ericus* idem clarus per ea tempora atq; animi admodum heroici, ut memorant præsertim vernaculi Suecorum annales. Ei *Engelbertus* literas mittit, petens ut se virum ac Suecum demonstret, operamq; boreo illo tractu indigenis navet, ac regnum intestinis oppressionibus liberare secū satagat. Nec ille provinciam eam refragatus, sed oblatā ambabus amplectens continuo Nortlandos in verba sua adigit. Adjutusq; ab Helsingiis flammas injici Saxholmiæ ac funditus deleri arcem imperavit ac mox in Aalandiam missis copiis, Castelholmum obsidione circumcinxit. Ejus præfecturam à rege acceptam administrabat *Ida* Gladsexia matrona nobilis, quæ loco defendendo imposuerat *Othonem* Pawiskium Holsatum, hominem ostentatorem, qui confestim, ubi tentata vix esset obsidio, arcem dedidit. Atque istis eum in modum boreali eo tractu peractis *Engelberto* se Puchius junxit. Ac simul Recbornij, dum illa fiunt, petitâ Gripsholmiâ, arcis præfectum itâ terruerunt, ut iis quæ habebat præcipua in naves congestis, ac igni castello cæterisque injecto Stockholmiam se receperit. Durum ille in subditos exactorem egerat, atque ideo sustinere rusticanorum adventum metuit. Inde *Engelbertus* toto cum exercitu Stocholmiam versus facto procinctu in ipso, qui exadverso urbis est, colle **Brunckeberch** dicto, castra locavit. Quò & arcis præsidem *Iohannem* Kropelinum, virum inter regios pręfectos honestum ac summæ semper moderationis habitum, ad se evocatum, ubi de urbe & arce

arce tradendis compellasset, id ab eo responsi accepit, minus honestum fore si à se urbs atque arx regis dominique sui levi de causa dederetur. Postremum tamen in id conventum ut differrentur omnia ad festum usque Martini. Atque ità *Engelbertus*, motis inde castris, Orebroæ obsidionem admovit, quam cum arcem Ketelburgius defensitabar, qui dediturum se eam si intra hebdomadas sex suppetiæ nullæ ferrentur, addixit. Inde ad Nicopienses properatum: Eis *Albertus* Styggeus præsidebat, qui idem quod Ketelburgius responsi dedit. Ac mox Ringstadholmum aggressus, cum verbis minus benignis ab arcis præfecto, cui *Henrico* Styggeo nomen erat, esset exceptus, compingi ex tignis machinam fecit, per quam ad oppugnanda mœnia procederetur. Et dum in eo est *Engelbertus*, adfertur ei nuncius, advenisse à rege Vastenum convocatos regni senatores *Canutum* Lincopiensem, *Sigonem* Scarensem, *Thomam* Strangenessensem episcopos, aliosque equestris ordinis. Unde relicto maximam partem ad obsidionem jam dictâ exercitu ipse quoq; eodem properavit. Habitisque cum iis sermonibus referebat inter cetera decretum sibi liberare regnum patriamque suam, quo jam diu oppressum esset, servitutis jugo. Præfuisse enim à temporibus regis *Magni* Suecorum regno non reges sed tyrannos, qui ut eorum sunt mores, non in regni civiumque commodum, ut solent, quibus fas & fides est cordi, evigilarunt, sed ad evertendos eos subruendosq; omnem suam contulerunt operam; dum exactionibus ac tributis, quam par esset, aut Sueciæ leges veteraque regni statuta sinerent, gravioribus eosdem onerarint, ac sibi, non regno studuerint. His similibusque usus verbis *Engelbertus*, universos ac singulos procerum est adhortatus, ut vices desolatæ patriæ, ut innocentium calamitates postliminiò respicerent, & ad libertatem tam diu amissam seriò restituendam manum animumque secum converterent. Verum senatores cum dicerent sibi nec integrum nec decorum esse, recedere hoc pacto à rege, cui fidei atque obsequij sacramento obstricti haberentur: Reposuit denuo *Engelbertus*, multa ipsis sacramenta promissaque fecisse regem, sed nullo eorum stetisse, ideoque nec ipsos fide vicissim aut promissis teneri. Fidem enim eorum & quod fecissent sacramentum, inniti eo, ut ipse præcipuè Rex secundum leges & jura Sueonum regnum administraret regniq; munitionibus atque arcibus præficeret non peregrinos, sed indigenas: hoc sacramento regio subditorum sacramentum esse fundatum, Rex si suum insuperhabeat nec subditos suo, utpote quod regio est innexum, ullo modo teneri. Quibus aliisque rationibus senatum ad defectionem concitare *Engelbertus* studebat. Sed ille constanter renuens, fide datâ nihil antiquius habendum judicabat, nec secedendum continuo à domino ac rege suo respondebat, si fortasse delinquere eum in quibusdam contingat; aliàs imperium durabile haud ullum esse: Cum principum ac regum vix ullus inveniatur, qui non quandoque impingat: Nec etiam convenire cuivis, imo nec posse quemvis de rege abdicando statuere, aut de ejus commissis sententiam pronunciare: adjiciens neque consistere humanam societatem posse, si ignoscere subinde alij aliis recusaremus: Et id inter pares & familiares si locum habet, quanto magis erga regem ac superiorem obtinere debere? Omninoque fatendum ubicunque stabile aliquod imperium expetitur, tolerandum aliquando tyrannum unum, ut evitentur plures. Ubi autem imperium nullum est, ibi, ut plurimum, confusio, & loco unius multorum exsurgere dominatum: Præstare itaque senatus existimabat ferre injuriam & pœnas dare vero suo domino, quam jugo subjici multorum. Hæc ferè *Engelberto* reponebat regni senatus, qui ità liberari servitutis onere renuebat, ut oblitus honestatis videretur: Idq; ubi animadverteret *Engelbertus*, nec dimoveri facile à sententiâ proceres posse, aliam occinere cantilenam cœpit, dictitans aut renunciaturos eos fidei ac juramento suo, aut pari cum oppressoribus, quibus adhærescendum potius quam patriæ suaderent, modo ac multâ plectendos. Et jam invasurus eos cum manu armatorum videbatur, cum vi majore adacti se voluntati ejus obtemperaturos dicerent: Et simul confectæ sine morâ tabulæ, quibus regi significabant se fidem atque obsequij sacramentum ipsi præstitum renunciare, nec posse liberandæ patriæ negotio deesse, nisi velint cum ejus majestate incassum & sine fructu adversus torrentem luctari, & regnum ad extremum usque deducere periculum. Eoque facto Ringstadholmum *Engelbertus* rediit, ac suæ potestatis quamprimum id fecit, quod sibi municipij præfectus *Henricus* Styggeus à machinâ istâ ex tignis jam ante, ut diximus, factâ metueret. Hinc obsessum Steckeburgum, ac deditione haud multò post acceptum, id in manus tradidit *Canuti* Lincopiensium præsulis. Atque inde convocatis Sudercopiam Ostergothis, obsidio admota Stegelholmo; Hoc *Lago* Rudus, nobilis Danus, pro viribus defendebat. Itaque cum illud post hebdomadarum sex obsidium

Ericus VIII. Rex. A. C.

obsidium capere haud possent, dilata res ad festum usque divi Martini. Estque pars eorundem Ostrogothorum, quibus præerat *Hermannus* Bermand, Suemlaburgum traducta. Hanc arcem tenebat *Otho* Snapius, qui cum dedere se nollet, igni admoto castellum desubito incensum vix Snapio consulendi sibi tempus reliquit. Evasit tamen ille. *Hermannus* vero Trulleburgum movens illud ab *Henningo* Lanckem deditione confestim accipit, sicuti & Pickisburgum: Quod utrumque flammis injectis similiter exustum. Ipse interea *Orebroam* cum reliquo exercitu *Engelbertus* abierat. Hoc ille munimentum eâ lege in suam potestatem redegit, ut arcis præsidi Ketelburgio marcarum argenti millia adnumerarentur. Impetus post id in Axelvaldam factus, cui præerat *Andreas* Nicolai Danus: eâq; expugnatâ præfecturam eam *Erico* Puchio cõmisit. Ac mox datis ad Vermelandos literis, eos commonuit, ut se ad patriæ defensionem pararent, tradito ipsis præfecto *Petro* Ulphone nobili Sueco. Cujus ductu Edsholmum, Agaholmum unà cum Daleburgo ceperunt, ejectis ubique Danorum præsidiis. Ipse verò *Engelbertus* Oppenstenium, quod *Martinus* Grabo tenebat, agressus castellum unà cum opido deditione obtinuit, arcem hîc quoq; igne injecto exussit. Orestenum autem *Iohannes* Laurentij, nobilis Danus, tutabatur, id ipse, adventantem *Engelbertum* prævenire cupiens, incensum dereliquit seque in Daniam recepit. Hinc in Hallandiam facto procinctu, totum eum borealem Scandiæ tractum suæ potestatis *Engelbertus* reddidit. Cum *Axillo* autem equite Dano, qui Varenbergæ præsidebat, itâ transactum, ut ei ditioni præfectum *Engelbertus* constitueret, *Axillus* verò in totum ab ea curatione supersederet; Ei interim *Engelberti* præfectus collationum partem alteram cederet. Inde & Falckenburgum incendio consumptum, cujus penes *Agonem* Axilli administratio fuerat. Petitumque post hæc Hallemstadium occupatumque. His exciti Scanienses exercitum castraque sua circa Langholmum posuerunt. Estq; extemplo cum suis objectus iisdem *Engelbertus*, itâ ut Albis, qui ibi est amniculus, exercitum utrumque interflueret. Ubi dum desidetur, conventum utrimque in hunc ferè modum, ut Sueci Scaniiq; æquam invicem pacem colerent. Si quis tamen partis alterutrius decedendum sibi ab hoc fœdere putarit, id undecim ante septimanis, significaretur. His confectis, *Engelbertus* in Sueciam regressus est. Atque inde statim habita Upsaliæ regni comitia. Quo & rex *Iohannem* Kropelinum Borussum, Stockholmiæ præfectum suam, vicem concedere mandavit. Ibi occasione arcium ab *Engelberto* dirutarum, inter cetera, disputatum in partem utramque de arcium ac munitionum multitudine, an ea usui vel detrimento imperitantibus esset, aliis hanc, aliis diversam sententiam sequentibus: quorum & aliqui neutrum asseverantes, amari à suis principem, esse præsidium tutissimum referebant. Cum igitur *Engelbertus*, exactis undique, quos Rex Ericus invexerat, peregrinis præsidibus, in locum eorum indigenas suffecisset, itâ exinde & antea quoque suos disciplinâ ac legibus coercitos habuit, ut jactatum proverbio sit, *Engelberti militem ne quidem ulli pullum rapuisse*: ad morem scilicet & miram hac parte veterum observantiam, inter quos memoriæ prodidisse Scaurum refertur, pomiferam arborem, quam in pede castrorum complexa metatio fuerat, postero die abeunte exercitu, intactis fructibus relictam. Rex acceptis igitur quæ essent apud Sueones gesta, bellum in eos paravit, contractis undiq; tam ex domestico quàm extero milite copiis. Easque navibus impositas cum vellet Stocholmiam traducere, inq; eo jam esset, exorta desubito est adeò ingens ventorum vis fædaque tempestas ut classem ferè omnem cum milite absumserit. Ipsemet rex vix ægrè discrimini ereptus ubi Stocholmiam attigisset seque continnò ab *Engelberti* exercitu concludi undique animadverteret, misso feciali cum regni proceribus, qui tum aderant, in colloquium descendit, eosq; interrogavit, quamobrem violato jurejurando in se arma sumsissent sibique regnum eriperent. Responsum ab eis redditum, non quidem hoc agere se; quod tamen actum hucusq; esset, eâ mente fecisse, quod violari ulterius antiqua regni statuta, & ea, quæ ipsemet juramento fuerat pollicitus, cum regni diadema susciperet, haudquaquam insuper habenda existimarent: Expetere tantum ut sarta sibi tectaque libertas patriæque leges relinquantur, seque paratos coram æquis judicibus atq; arbitris, imò in ipso veluti orbis totius theatro, suorum factorum rationem reddere. Ad ista cum Ericus nihil magnopere quod Suecis placeret, responsi daret, induciæ tum pactæ in proximam usque æstatem, alij annuas fuisse tradunt. Actaque ea ipso festo Martini in æde, quam divi Spiritus vocabant. Ac statim exindè è Sueciâ in Daniam rex rediit, relicto Stocholmię sexcentorum armatorum præsidio. Sueci verò istis transactis, anno qui proximè est secutus, supra millesimum quadringentesimum trigesimo quinto, Aboam indici comitia fecerunt. Ubi, inter cetera MCCCCXXXV.

Engelbertus

ERICUS VIII. Rex. A. C.

Engelbertus regni universi princeps declaratus est. Allatæque & literæ *Iohannis* Cropelini, quibus significabat, habere se, de quibus commonefaciendum consessum universum è re existimabat. Quapropter Sictunç dies ei dicta; ad quam ubi accessisset cum uno ex Prussiæ magistris, qui tum forte fortunâ Stocholmiam advenerat, multa pro rege uterq; egit, totique in eo fuêre, ut inter ipsum & Suecos amicè omnia peragerentur resque compositioni atque arbitris traderetur. Sed regni proceribus identidem de injuriis sibi regnoque illatis conquerentibus, atque æquo judici negotium totum committendum dicentibus, conventum postremò ut *Cropelinus* & quem indicavimus, Prussiæ magister, cum ad id præsertim paratos se ostenderent, ad regem ablegarentur, acceptis secum capitibus certis, in quæ Sueci consenserant. De quibus cum Rex unà cum regni senatoribus seorsim contulisset, trium extemplo regnorum suorum comitia Hallemstadij celebranda indixit. Eoq; frequentes cuncti postquam advenissent, sub diem circiter mensis Maij III decretum ex omnium unamini sententiâ, ut rex Ericus ad proximum *Olai* festum Stocholmiæ pro tribunali sedens assumeret ex senatoribus duodecim, qui inter ipsum regnique indigenas quæcunque in litem controversiamque venissent, benignè amiceque discuterent componerentque. Ceterorum omnium, dum ista essent pronunciata, justitium & veluti pausa haberetur. Eo autem facto omnibusque advota pacatis Sueciæ senatores incolæq; Erico regi præfecturas, arces regnique territoria universa in totum restituerent: Cunctique eum pro suo rege, cujusmodi initio declaratus fuisset, agnoscerent: Et ipse vicissim sua Suecis jura legesque permitteret, quemadmodum jam olim, facto omnibus sacramento, pollicitus quam sanctissimè fuisset. Regi similiter regnique coronæ, quæcunque antiquitus jura, immunitates privilegiaque tributa fuerunt, eadem inviolatè redderentur. *Engelbertus* ad vitam & veluti jure fiduciario retineret Orebroæ arcem atque opidum: Ipso verò defuncto ad regni laciniam utrumque rediret. Eodem quoque modo *Ratzerret* territorium possideret *Ericus* Puchius. Erant & alia minutiora, præcipua autem ista fuêre, quæ sigillis obsignata & ità fore polliciti sunt Lundensium archiepiscopus *Petrus* Luckius, *Boetius* Stenonis, *Iohannes* Cropelinus, *Henricus* Snakenburgius, *Carolus* Canuti aliique. Ex Norvagis quoque multi hoc idem compromisêre; & primo quidem loco Bergensium præsul *Olaus*. A parte verò Suecorum Upsaliensium archiepiscopus *Olaus* item nomine, ut & *Scarensis, Strengenessensis, Aboensis*, præter nobilitatem & ordinis equestris viros, episcopi, per quàm diligentem paci procurandæ operam navarunt, subscriptis similiter atque additis eidem chirographo nominibus suis sigillisq;. Advenit exinde Stocholmiam Rex Ericus die non quidem dictâ *Olaij*, sed Calixti, pridie Idus Octobris. Estque per id temporis, quod erat statutum Hallemstadij, in totum à regni Sueciæ senatoribus difinitum pronunciatumque. Sueonum conventus in Portu habebatur, qui Virginis dicitur, **Jonckfrouhaffn** vulgo. Unde ad regem, qui in proximo erat cænobio S. spiritus, suos delegatos sententiamque transmittebant. Postremò & ipsum quoque regem præsentes eodem loco affati; ubi & Sueonum ex plebe populoque perplures nomine omnium libellum regi detulêre, quiritantes inter cetera, quod Rege ceterisque, quibus juris atque æqui cura erat commissa, peregre agentibus, regno sæpenumero neque satrapa neque Marschallus aut Judex adfuerit: idoque nec forum, quod regium dicitur, annis permultis debito modo celebratum. Coactosque multoties cives populumque extra regni territoria ad eos judices magno cum rerum suarum dispendio confugere, quibus uti domi debebant. Et eosdem insuper, re plerumque infectâ postquàm domum rediissent, à præfectis suæ ditionis multatos incarceratosque, nec quidquam penes regni senatum fuisse solatij, quod is, prævalentibus illis, authoritate vix ullâ polleret: Eosdem quoque præfectos causam esse solitudinis, quæ in pagis circumquaque deprehenderetur, operâque eorum monetæ negotium extra regni fines maximo cum populi dispendio translatum, manente interim auctoque collationum onere: Quin & imperatum sibi exactumque ferè quotannis tributum ad externa sustinenda bella, excepto, quod solvere annis singulis domi sueverant, idque contra morem ac regni semper aliàs inviolatè servatas consuetudines: Episcopos præterea & archiepiscopum contra fas & æquum loco suo motos; idque maximo stetisse Upsaliensium ecclesiæ: tum & passim regni arces territoriaque contra datam fidem hominibus peregrinis tradita in dedecus atque oppressionem indigenarum. Bellis denique adversus Holsatos ac civitates tam diu gestis attritum populum ac depanperatum, amissis non modo facultatibus, sed amicis quoque & agnatis: Et eorum quosdam diutinis incarcerationibus ad extremam redactos egestatem. Et accedere iis omnibus injurias, avaritiam violen-

violentaque præfectorum imperia, quibus ulterius ferendis pares haud essent. Hæ similesque plebis querimoniæ postquam ad regem per supplicem, ut diximus, libellum fuissent perlatæ, regni senatus cum eodem, die ipso, qui supra positus, Calixti, in hunc ferè modum convenit: ut Sueticę gentis omnes & singuli cujuscunque sint ordinis ac dignitatis regem Ericum pro vero ac legitimo & cujusmodi jam olim inauguratus esset, rege suo habeant agnoscantque quamdiu in vivis fuerit: utque eidem universum Sueciæ regnum cum arcibus, ditionibus, præfecturis, oppidis, municipiis, & quæ alia ad regnum regnique coronam pertineant, unà cum regia omni jurisdictione secundum Suecię leges fidemque eidem in coronatione prętitam in solidum deferantur reddanturque. Utque vicissim Rex Ericus universos Sueticæ nationis, cujuscunque illi status aut conditionis fuerint, ecclesiasticos sive laicos, natos ac nondum natos, regio suo favore clementiaque suscipiat, & eos legibus, privilegiis atque immunitatibus suis uti frui inviolatè permittat, regnumque ac regni arces territoriaque per indigenas ac Suecos administret, ex legum Sueticarum præscripto, & quomodo jam olim juramento hoc ipsum promiserit: exceptis Stocholmiensi, Calmariensi ac Nicopiensi arcibus. His enim quoscunque voluerit, præficere senatus indulsit; Idque se gratè agnoscere Ericus testatus est. Actitatum exinde de judiciis quoq; ac satrapis per territoria singula constituendis, idque consentiente regni senatu ac juxta legum decreta: Essetque amnestia omnium, quæ, bello durante, sive in regem ejusve ditiones aut homines perpetrata fuissent. His interfuêre regnorum singulorum ex ordine utroque senatores aliique nobilium magno numero. Ac simul delecti ex procerum universorum ordine duodecim illi, qui ut arbitri de reliquis, quæ supererant, minutioribus, ut ante memoratum, pronunciarent, iique fuêre *Iohannes* divina gratiâ Roschildensis, *Sicco* Scarensis, *Magnus* Aboensis, *Olaus* Bergensis, eadem gratiâ episcopi: *Endretus* Erlandus, *Ericus* Crommedikius, *Christianus* Nicolai, *Steno* Bassus, *Martinus* Johannides ex ordine equestri viri illustres ac primarij; itemque *Iohannes* Cropelinus, *Olaus* Haquinus, *Sigvardus* Jonæ armigeri. Estque penes eos statutum, ut quæcunque à Suecis & apud Suecos commissa essent, ea à regiâ majestate ejusque senatu Suetico vel dijudicarentur vel pro re natâ ex benignitate clementiâque eorundem condonarentur. Quæcunque etiam alicui, durantibus turbis, ablata essent, sive hæreditaria sive pignori data bona, horum unicuique suum redderetur; Ad regni verò coronam quę pertinerent, ad eandem confestim redirent. Quod ad *Engelbertum* & *Ericum* Puchium, de iis quod Hallemstadij decretum fuerat, ratum maneret. Similiter & de captivis, ipsi aut eorum nomine regia majestas cum Lubecensibus quam posset commodissimè transigi curaret. De annuis quoque oneribus tributisque agricolarum ita regia ejus majestas regnique Sueciæ senatores statuerent, ut ea illis populoque universo tolerabilia essent, nec regi interim regnove detrimentum accederet. Quod ad Gothlandiam de eâ inspectis, quæ illo pertinerent, præsentibus mox regnorum singulorum proceribus, ex æquo ac bono decerneretur: Hallandia verò ad regiam majestatem regnumque Daniæ quàmprimum rediret. Quod ad pacem apud Hallandos, priusquam Hallemstadij conventus ageretur, violatam, de eâ penes regiam majestatem Sueciæque proceres judicium esset. De rationibus præfectorum deque arcium ditionumque regni Suetici gubernatoribus, idem quod Hallemstadij statutum fuerat, ratum haberetur. Quod ad archiepiscopum *Olaum*, & si qui alij ad principes aut respublicas exteras in præjudicium regiæ majestatis literas dedissent, eæ in gratiam & honorem regiæ majestatis ex procerum consilio, & modò fieri adhuc posset, revocarentur.

Ericus viii. Rex. A. C.

His eum in modum inter regem ejusque subditos amicè apud Sueones transactis, præfectos eis ac satrapas Mareschallumque, qui jure dicundo præessent, ex sententiâ ipsorum nominavit præfecitque, inter ceteros, *Christiernum* Nicolai, & *Carolum* Canuti, homines Suecos ac popularibus suis pergratos: Ac simul arces territoriaque universa, regiæ potestati permissa deletæq; injuriæ omnes oblivioque earundem sancita. Verum Ericus postquam in suam potestatem recepisset hoc pacto ditiones arcesque regni universas immunes ac liberas, eas extemplo, quibuscunque videbatur, gubernandas commisit, nihil quasi pensi habens, quæ adeò solemniter ac religiosè transacta fuissent. Quocirca decem ex Daniæ proceribus ad eum Sueci ablegarunt, adhortantes ut esse promissorum memor in animum vellet inducere: ac demum cum nec ità proficere se quidquam viderent, ipsi eum coram compellantes, orabant atque obsecrabant ut publicam regnorum pacem tot bellis ac cædibus labefactatam, tum & maximo tandem labore in integrum restitutam

habere sartam tectamque haud nollet. Ad quæ ille paucis, sed admodum seriò severeque respondens, inquit, *Ego adsensor esse vester nolo.* Quod vernaculè, quemadmodum ab ipso haud ineleganter prolatum, ità habet, **jach will icke were eders jaherre.** Quasi diceret, se ejusmodi ipsis senatorem aut regem esse nolle, qui omnium, quæ dicerentur, nihil negaret, sequeretur singula, &, quod dicitur, secundas semper agens, pedibus in aliorum sententiam iret. Id enim vox ultima **jaherre** haud obscurè notat. Objiciebat & illis, quasi ab *Engelberto* quæ erant acta haud unquam fuissent perpetrata, nisi ille incitatus ab equestri ordine hoc agere instituisset. Undè haud difficulter, quo erga eos animo esset, facere conjecturam poterant, cum & alia quoque eodem spectantia interjicerentur. Tanti scilicet detrimentum sibi à Suecis illatum faciebat Ericus Rex, nuspiam in memoriam revocans, quantas illi per annos circiter triginta ab ejus administris injurias damnaque pertulissent; Et ipse præterea, quod occasionem eis præbuisset ea consilia capiendi, quæ cepissent.

Peractis igitur, quæ agenda Stocholmiæ existimabat, se ad reditum in Daniam capessendum accingebat, amoto prius ab arce Stocholmiensi viro aliàs laudato ac notæ moderationis, sed partibus, ut videtur Sueonum faventiori *Iohanne* Cropelino. In ejus locum surrogatus ab eodem *Ericus* Nicolai, homo Danus, additis præsidiariis circiter quingentis. Inde ingressus mare, quascunque prænavigabat, ad littus positis arcibus novos imposuit præfectos, remotis, si qui eas tenebant, Sueonibus. Spolia etiam incendiaque per pagos ac loca vicina exercens damna passim omnibus inferebat ingentia. Atque inde in altum provectâ classe, partem ferè ejus potissimam, priusquam in Daniam appelleret, tempestas absumsit. At illi, quos infestatos ab eo diximus, littoris accolæ, se, quàm primum abjisset, ad *Engelbertum* contulêre, injurias ac raptus immerentibus sibi illatos quiritantes dolentesque, accedente & publicâ omnium voce, regem, quæ adpromiserat, habere rata haud velle dictitantium. Hinc in Daniam ubi advenisset secumque perpenderet, à Suecis vix quidquam expectandum sibi post id esse; tum & annos circiter viginti novem cum Holsatis, cum urbibus Vandalicis novennium totum decertasse, è re fore judicavit, ne uno simul tempore à pluribus impeteretur, si cum his pacem pangeret. Quapropter ità cum *Adolpho* Holsatiæ Comite pepigit, ut invicem, quamdiu in vivis essent, pax amicitiaque coleretur. Quicquid etiam per id tempus ex Slesvicensi Ducatu *Adolphus* possideret id sibi ad vitam retineret, ut & Femerę insulam unà cum Frisiis, qui latus Chersonesi occiduum colunt: Similiter & liberi hæredesque ejus eadem omnia tutò pacatèq; integrum ab obitu ejusdem biennium reservarent. Eoque elapso, regi ejusque hæredibus, ut & posteris *Adolphi*, jus suum actioque in eundem Ducatum integra liberaque haberetur. Additæ & conditiones aliæ ne clientelæ fideique officiis regi regnoque ab *Adolpho* præstandis, deque pace & commerciis utrimque colendis, ac denique ut cuncta, quę incidere interea controversa possent, bini utriusque partis arbitri sequestrique ex æquo ac bono dirimerent ac terminarent. Haderslebiam interim & Arrę insulam cum territorio Vesterherret, ut & Lystam Sildamque sibi coronæque Rex retineret. De quibus tamen si convenire inter ipsum *Adolphumque* in posterum posset seque ulteriori obsequio adstringere regi regnoque cum ipse ejusq; hæredes cuperent, de eo, quod fieri quam commodissimè amicèque posset, dispiciendum tum foret. Atque hæc in codicillos relata Regis & Archiepiscopi Lundensium ceterorumque regni præsulum ac senatorum sigillis ac subscriptionibus firmata promissaque *Adolpho* Comiti, sine dolo malo. Similiter & actitatum per idem tempus cum urbibus Hansaticis quatuor, Lubecâ, Hamburgo, Luneburgo, ac Vismariensibus. Iique errorem peccatumque suum agnoscentes, quod insuper habitâ fide ac fœderibus cum regi initis, arma in eum sumsissent; Submisseque hoc ipsum humiliterque deprecantes, ei vicissim grates quam poterant maximas egêre, quod sua sibi jura, privilegia atque immunitates integra sartaque reddidisset, seque offerebant obsequio ac fide hoc denuo demerituros, & sua vicissim opida commerciaque cum indigenis regni Danici omnibus fore libera mutuaque. Damnis verò utrimque acceptis nonnihil per singulos annos in satisfactionem dependeretur. In Scaniam quoq; priusquam ad consuetas redirent piscationes, regem per legatos compellarent, ut quę superessent eâ parte controversa, decidi amicè possent.

Eodem anno varię ditionum Pomeranię inter Duces, quorum tum plures erant, institutę divisiones habitaq; Vordingburgi regia comitia; In quibus Ericus Rex se jam senio gravem ac rerum hujus seculi fastidientem referebat, exoptare tandem à bellis, molestiis perque annos

annos circiter quadraginta exantlatis pro regni incolumitate laboribus pausam aliquam ac remissionem: ideoque & efflagitare a regni proceribus, ut sibi in patrui sui filium *Bugislaum* Pomeraniæ Ducem hoc ipsum, quod Reginæ *Margaretæ* in se permisissent, statuere liceret: Esse ipsum ætate vegetum ac florentem onerique ferendo parem & operam quoque regno fidelem ac sedulam hucusque enavasse. Verum à Senatoribus responsum datum, optare se ut ipsum Deus omnipotens esse quàm diutissimè incolumem ac salvum vellet, se haud alium, dum in vivis esset, expetere regem aut principem: si tamen regio munere fungi diutius nollet, esse penes se de rege eligendo ac declarando statuere, nec permissuros, quod quidem Reginæ *Margaretæ* temporibus factum esset, superiorem sibi imponi: nequo laturos ut regni fundamento ac lege capitali luxatâ, ex electivo regnum redderetur hæreditarium; unde error discordiæque exoriri possent: Sibi quoque persuasum, ita se cum ipso versatos eâque usos fide, ut, de se quod queri jure posset, non haberet. Hoc ubi accepisset idque firmum apud eos haberi, aliò sermonem vertens exquirebat, si regem nollent, an sibi, quomodo huc usque fuisset, adjutorem permitti recusarent. Quod cum illi, ne in regni modò spem verteretur, annuissent, simul & illud indultum, ut ei ubique arces paterent. Nec multò post, ignaris omnibus, in Borussos enavigans de regnis in totum abdicandis cogitasse existimatur. Sed cum ex Senatoribus subsecuti confestim aliqui, admonebant atque obsecrabant ne eo pacto regna sua desereret aut ipsemet occasionem disjunctioni daret, rediret modò animumque resumeret, ac ei, qui esset à Suecis indictus, conventui se sisteret. Et licet parum habere tum pensi videretur, quicquid ad curam regnorum pertineret, tandem tamen, initâ cum Stetinensibus fœderatione, ac copijs aliquot apud Pomeranos conscriptis in regnum redijt. Reversus præfecturas continuo arcium Neoburgensis, Hagenscouensis ac Hindisgavelensis *Bugislao* commisit: *Barnimo* Duci Alholmo tradito: Et accipiente ex ejusdem mandato Tranekierã *Everstenio* Comite, Ravensburgum *Vartislao* concredidit: Qui & militem præterea apud Pomeranos collectum eorundem subsidio ductabat. Priusquam autem redijsset, & è proximâ Pomeraniâ cum classe deflectere rex pararet, ex navibus ejus duodecim circa Hedensoam in vada ac syrtes impactæ naufragium adiêre. Quod à pluribus ut sinistri aliquid atque ominis non boni habitum divulgatumque. ERICUS VIII, Rex. A. C.

Iisdem diebus pax diu exoptata inter *Philippum* Bonum Burgundiæ Ducem ac regem Galliarũ *Carolum* VII. auspicato coijt. *Carolus* enim, quod interimi *Philippi* patrem *Iohannem* Intrepidum Burgundiæ Ducem permisisset, Et *Iohannes* vicissim, quod antea patruum *Caroli* regis *Ludovicum* Aurelianum Parisijs in publico trucidasset, maximarum Galliæ regno cladium ac calamitatum, atque internecini postremò hujus inter Burgundum & Gallias dissidij occasionem dederat. Hoc vulnus ut sanaretur, & tot per annos sævientibus bellis finis fieret, amplissimus Christianorum principum conventus Atrebati indictus, ut ibi pacis conditiones, quas esset præscripturus Dux Burgundorum *Philippus*, suo ipsi judicio ac sententiâ moderarentur. Venerunt ad hunc consessum vocati legati à summo pontifice, è consilio Basiliensi, à rege Francorum *Carolo*, Angliæ rege & Duce Burgundiæ, ipseque Dux *Philippus*; è Gelriæ, Cliviæ ac Bullonij Ducatibus, quorum & ipsi Duces aderant: à Comitibus Valckenburgi, Vaudemontij, Niversij, Estampij, Salinarum, Lignij, Nassaviæ, Fani D. Pauli alijque delegati aut principes ipsi: Miserat & suos Præsul Leodiensis. Adhæc non rogati, legatos eodem direxerant, præter Imperatorem Sigismundum, Rex Cypri, Portugalliæ, Castiliæ, Siciliæ, Navarræ, Poloniæ, & Daniæ quoque Rex Ericus, tot licet domi militiæque districtus difficultatibus.

Proximo hinc anno, qui fuit supra millesimum quadringentesimum trigesimus sextus, decimo circiter tertio Calendarum Februarij, indicta Aboam Suecorum comitia. Eoque frequentes ubi accessissent regni proceres, unanimi omnium consensu decretum, ut, datis ad regem literis, eum officij & juramentorum, quæ regno atque ipsis fecisset, commonerent, simul adhortantes ut jure suo ac legibus frui ipsos sineret, se aliàs obsequium ac fidem illi universam renunciaturos: Allatum quoque per idem tempus ad Sueones fuerat, habere in animo regem ipsum, remissâ nonnihil hieme, Stocholmiam accedere unà cum Duce Pomeraniæ *Bugislao*, patrui sui filio, ut eum in regem ipsis constitueret: Esseque palam, eundem *Bugislaum* arcis Stocholmiæ symbolum ac sacramentum per literas ab arcis ejusdem præfecto sibi communicata accepisse: Quæ dum agerentur, ægreque Senatores ferrent, quod regni arces Sueonibus permittere rex ab- MCCCCXXXIII

rex abnueret, dictantibus id tamen Sueonũ legibus, erant ex opidanis Stocholmiensibus, qui *Engelbertum* clam commonebant, operam daret potiendi Stocholmiâ, periculum alioquin esse, ne sibi totique opido, quod *Alberti* temporibus accidisset, denuò usu veniret. Quapropter *Engelbertus* assumptis secum, qui Aboæ aderant, regni consiliariis omnibus, Stocholmiam magnâ cum manu properavit, ut quid ab arcis præfecto expectandum haberent, expiscaretur. Verum adventantibus clausæ confestim à regio prçsidio opidi portæ. Idque indignum judicante regni senatu, erigi extemplo pileum atque evocari urbis utrimque consulem fecit, eoque interrogato quamobrem portas sibi clauderent, cum nulla inter regem & sese hostilitas esset publicata & civium quoque commercia libera, omniaque passim haberentur pacata; respondit uterque se de eo cum arcis præside locuturum: Idque identidem cum fieret, tandem tertio reversi consules responsum dedêre, sibi à rege in mandatis non esse ut eos intromittant: Ac denuò interrogati, an igitur nec regni senatui ingredi liceret; Et id quoque eo tempore permitti negantibus, ablatus est desubitò, qui erat erectus pileus retentique consulum uterque. Tum arcis prçfectus portas continuo ampliori præsidio communiri ac turrium propugnacula impleri milite curavit. Verum Sueticæ gentis oppidani iniquum rati, rebus pacatis, ab urbis ingressu arceri senatores, concursu facto, portas per vim aperuerunt. Ac statim intromissi proceres regni vexillum medio in foro collocandum mandarunt, promulgarique, ut quicunque patriæ ac regni libertatem charam haberet salvamque rempublicam vellet id signi sequeretur. Eoque facto, omnis civium multitudo, exceptis aliquot paucis, se regni proceribus conjunxit. Ac simul ejecto, quod turrium portarumque claustra defendebat, prçsidio, in locum ejus surrogati alij atque urbe exinde circumquaque probè communitâ Mareschallus & *Engelbertus* ad arcis præsidem *Ericum* misêre, qui cum eo expostularent, quod regni senatoribus non modo portas clausisset, sed in eos quoque, explosis bombardis, vim parare visus fuisset, cum tamen haud aliâ mente accessissent, quàm ut de iis, quç ad pacem publicè colendam pertinerent, in commune consuleretur. Sed ille cum nihil amicum responderet, obsidione continuò circumcincta arx; datumque negotij istud Mareschallo *Carolo* & *Erico* Puchio: Quorum illo sinistrum arcis latus impugnante, Australem partem agressus est *Ericus* Puchius. Cumque hoc pacto denuò inter regem & Sueones hostilia omnia & inimica essent, de capite ac duce eligendo deliberatum. Suntque postremò suffragia ferè omnium, & maximè prçlulum ac nobilitatis *Carolo* Canuti Mareschallo delata: *Engelberto* ex illis tres tantum, *Puchio* etiam duo suum calculum adjecerant. Verum agricolis eam electionem minus approbantibus, qui *Engelbertum* maluissent, itâ tandem composita res, ut Mareschallus & *Engelbertus* regni rebus in commune curarent; Et Mareschallus quidem Stocholmię agens arcis obsidioni intenderet; *Engelbertus* cum popularibus in pagos ac ditiones circumjacentes factâ excursione, reliquis arcibus, quas regij prçfecti tenebant, ad regni laciniam reducendis operam navaret. Eamque provinciam postquam alacriter suscepisset, primò omnium Nicopiam atque indè Stegeburgum Calmariamque obsideri à suis imperavit, cum eodem ferè tempore Brymshusam per insidias recepissent *Nicolai* Stenonis, qui eam illis provinciam demandarat, copiæ. Ipse interea *Engelbertus* totam sui juris reddidit Blekingiam. Atq; ibi constituto prçfecto *Nicolao* Langio, ipsemet ad obsidendum Lauholmum properavit: Traditisque *Boetio* & *Brodero* Suenoni, qui ad eam obsidionem sufficere videbantur, manipulis cum reliquo exercitu ulterius progressus in animo habebat ipsam quoque Scaniam invadere, nisi tempori exciti ac moniti per emissarios Scanienses cum duce suo *Petro* Oxonio ei in adversum occurrissent. Nec tamen conserendi cum eo manus occasio aut copia Danis data, quod ille rejectis post se, quacunque transeundum habebat, subliciis pontibus, in tutum euadens, ac pactis cum eisdem pro tempore induciis, Lauholmum, quod *Boetio* & *Brodero* obsidendum, ut diximus, reliquerat, suæ potestatis fecit, ut & Hallemstadium: Atque indè Vardebergâ Elsburgoque obsessis (quorum hoc certis conditionibus extemplo ei traditum) Axelvoldam petiit. Ubi dum hæret extremâ valetudine affectus se transferri Orebroam curavit. Atque ibi à regni proceribus cum accepisset veniendi Stocholmiam mandata, compellat eum, qui ibi in proximâ arce Goresholmensi agebat & cui jam ante cum ipso lis nonnulla intercesserat *Magnus* Benedicti parente natus *Benedicto* Stenonis equestri dignitate viro: Quæritque ex *Engelberto* quamobrem manere sibi in patriâ per ipsum haud liceret: ac tandem post multam altercationem cum causam suam ad regni senatum rejicere *Magnus* videretur, idque nec displiceret *Engelberto*; Essetque statutum, ut omnia interea, dum

ERICUS VIII. Rex. A. C.

dum lis decideretur inter ipſos amica eſſent, accidit ut *Engelbertus* Stocholmiam profecturus in quampiam haud procul Goxholmiâ inſulam diverteret, ut ibi noctem reficiendo corpori traduceret; Eoque intellecto *Magnus* conſcenſâ continuò ſcaphâ eodem adproperat, atque iterum quod prius exquirens, nec diu moratus, ſecuri caput ei transverberat; ac ſimul dum elevato, quem manu tenebant, ſcipione protegere ſe *Engelbertus* ſtudet, tres ei digitos primores adamputat; arreptoſque uxorem ac miniſtros ejuſdem *Engelberti* in arcem ſecum Goxholmiæ abducit. Ac mox aſſumto ex miniſtris illis captivis uno, cui *Alberto* Patakelo nomen erat, ſpes eum habebat ſe de nocte Orebroæ arcem ejus ope intercepturum. Sed minus id illi ſucceſſit; quod arcis præfectus recludere de nocte portas recuſaret, licet inſtante itentidem, quem ſecum adduxerat, *Alberto*. Verum divulgatâ inter populares indigna *Engelberti* cæde impetum extemplo illi magnâ ſuorum cum manu in Goxholmiam fecêre. Sed *Magno*, unà cum patre *Benedicto*, Ringſtadholmum jam ante dilapſo, cum primo acceſſu potiri arce haud quaquam daretur, ignis ædibus, quæ proximè erant adſitæ, injectus: Ac funus exinde ingenti cum ſolemnitate in ædem Modeloſæ illatum defletumque haud aliter lachrimis ac conclamatione omnium quam ſi ipſa tum patria ad ſepulturam efferretur. Tali exitu vitam clauſit *Engelbertus*, indigno ſane tot meritis ac laboribus ejus pro regno fideliſſimè exantlatis: Et eò indigniori, quod non hoſtis ſed propinquorum ſuorum dolo trucidatus, nec ipſe ejuſque innocui manes amicive repoſcere à paricidâ ſceleris pœnam potuêre, cum *Magnum* in patrocinium ſuum regni Mareſchallus non tantum receperit ſed, evulgato inſuper per regni paſſim oras edicto, vetuerit ne quis ei id facti objiceret vel exprobaret. Si tamen, quod addit nobiliſſimus Vitfeldius, pro homine ſeditioſo, & qui in verum ac legitimum ſuum dominum inſurrexerit, habendus ſit *Engelbertus*, viderint diſcantque illius exemplo factioſi omnes, quid ipſos poſtremò maneat, quidve expectandum mercedis ac præmij pro labore habeant.

Poſt necem *Engelberti* conſenſu procerum electus ac renunciatus eſt Sueonum princeps regnique gubernator *Carolus* Canuti Mareſchallus. Ac idem, opibus ac populi multitudine præpollens quò ceteros quoq; potentiâ anteiret, præcipuas ſibi regni arces territoriaq; ſervavit. Unde haud levis inter eum Ordinemque equeſtrem, maximeque *Ericum* Puchium virum militarem & qui cum *Engelberto* res multas præclarè geſſerat, diſſenſionum enata lerna, ut exinde patebit. Rebuſque hoc pacto fluentibus, cum eſſet adhuc Stocholmiæ arx aliæque obſeſſæ, præter Nicopiam, quâ erat potitus Mareſchallus, indictus Calmariam regni conventus. Eoque cum acceſſiſſet rex ipſe comitatus Germaniæ aliquot principibus ac multis ex nobilitate Danicâ, decretum ſententiâ omnium ut ei regnum redderetur, Sueci verò arcibus præſiderent. Qua etiam occaſione duobus confeſtim ex ordine equeſtri Sueticæ gentis *Benedicto* & *Boetio* Stenonibus Calmariæ præfectura demandata. Quorum *Benedictus* parens erat *Magni*, percuſſoris, quem diximus, *Engelberti*. Cetera in proximum feſtum *Michaelis*, quo tempore Sueonum comitia haberentur Sudercopiæ, quibus & rex ſe interfuturum promiſerat, rejecta. His peractis Rex Ericus ipſis Calend. Septembris relictâ Calmariâ Gotlandiam claſſe petiit: ac mox appropinquante, qui erat conventui Sudercopienſi præfinitus, die Michaelis, eadem claſſe Suetiam repetiturus, obortâ fœdiſſimâ tempeſtate, mirè jactatus eſt, cum præſertim navium pleriſque huc illud diſperſis ea, quæ ipſum vehebat, extremè ſit periclitata: Hæc enim amiſſa mali ſuperioris parte in littus Gotlandiæ circa Carelſoæ oras rejecta, dum ibi effugium quærit, ſe in terram exponi Rex curat: Et vix evaſerat terramque tetigerat, cum, ipſo adhuc inſpectante, idem navigum vi undarum adobrutum peſſum iit. Qui etiam caſus prætoriam aliam, quæ regiam hanc proximè ſubſequebatur, ibidem involvit. Vexerat ea claſſiarios circiter centum & viginti, quorum perpauci admodum inhærentes naufragij tabulis terram attigêre. Ex ceteris ejuſdem claſſis, quorum aliqui in Sueciam ac ſinum Sudercopienſem delati, haud erat qui de rege an evaſiſſet referre quid certi poterat. Itaque mox, ubi Sudercopiam Mareſchallus Ordoque Sueonum equeſtris cum regiis caſtellorum præfectis, prout Calmariæ ſtatutum fuerat, ſub quintum Octobris conveniſſent, haud aliud, quam regem quoque eâ clade ac tempeſtate abreptum periiſſe, allatum eſt. Quapropter aſſociatis ſibi, qui advenerant ex Danicâ nobilitate, conſilium veluti in arenâ cuncti capiunt, ut qui fuerat Calmariæ decretus Sudercopienſis conventus rege ſive vivo ſive mortuo, haberetur, ità tamen, ut regni ſatrapa Mareſchalluſque

ERICUS VIII. Rex. *A. C.*

regi ſacramentum dicerent, quod & factum.atque inde ceteri utriſque illis, præſtito juramento, obſequium nomine regis, polliciti fuerunt. Eoque peracto cæpit compellare Mareſchallus regios, qui frequentes aderant, præfectos, & ab illis, quas tenebant, arces repoſcere. Sed ij cum ſe facturos negarent, niſi de regis obitu certo ſibi conſtaret, repoſuit Mareſchallus, id niſi fieret, haud unquam eos pedem inde relaturos. Atque ita dedita ei Stekeburgum, Stocholmium, Axelvalda, Elſeburgum, Veſteraaſa & Aboa, Quorum Stekeburgum affini ſuo *Nicolao* Stenonis gubernandum commiſit; Aboam *Iohannes* Cropelinus, facta prius fide ſe à partibus Sueonum fore, defendendam accepit. Traditæque & ceteræ paſſim arces Sueonum nobilitati, eâ nimirum lege ac conditionibus, ut eadem regni perpetuo Satrapæ Marſchalloque paterent, aut ſi quid illis humanitus accideret, regni ſenatoribus ſervarentur. Atque itâ, quod diu optaverant, ſibique more majorum debere dictabant Sueci, regni præfecturas totamque gubernationem ſuam fecêre, regem interea agnoſcere ac ei dicto audientes eſſe haud quaquam ſe detractare jactantes. Cui rei obluctatus perpetuo Rex fuerat. Sed *Ericus* Puchius, de quo ante memoratum, animadvertens Mareſchallum indies inſurgere ejuſque potentiæ æmulus, contractis in arma popularium aliquot, ſe ei palam oppoſuit: Verum prævalentibus Marſchalli rebus, reducti in obſequium agricolæ, quorum nonnullos in terrorem ceterorum exuri fecit; aliis ad collationes graviores adactis, tributum impoſuit ſive reſumſit potius quod Rumpeſchat appellabatur. Poſt hæc iterum Calmariæ comitia habita, in quibus ſingula tria regna perpetuo fœdere adunita: Et ea præterea, quæ jam ante in regis Erici inauguratione Calmariæ inita pax concordiaque fuerat, de novo reſumpta multiſque illuſtribus & ad regni commodum ſpectantibus capitibus adaucta. Nam quod à Suecis id temporis bellum gerebatur, non adverſus Ericum regem, aut unionem regnorum, verùm pro libertate, & quod ſolis indigenis, non exteris regni præfecturę competerent, geri ferebatur. Capita verò, de quibus tum inſuper actitatum conſtitutumque, fuère præſertim ejuſmodi, quę regnorum ſingulorum leges, immunitatem ac conſuetudines reſpicerent: Et ne regum quiſpiam nova jura ferret, aut poteſtatem in quempiam transferret ſine voluntate conſenſuque indigenarum omnium. Similiter & de ſatrapę cujusque regni officio ac poteſtate pronunciatum; eum à rege ſecundum cenſeri, judiciis ubivis intereſſe & omnibus judicibus debere præponi, rege abſente, pro rege habendum: Mareſchalli eſſet juvare ſatrapam operamque vice regis dare, ut jura ac leges exſecutioni mandarentur: De munere præterea Aulæ Magiſtri ac Cancellarij ſtatutum; utque ij tales eligerentur, quibus regni, cui deſervirent, ingenium, vires aliaque eodem pertinentia eſſent explorata perſpectaque. Utque rex quotannis unum quodque ſuorum regnorum adiret, ibiq; tribus aut circiter menſibus ſubſiſteret, aſſociatus ex regni cujuſque ſenatu duobus conſiliariis. Decretum quoque ſi quæ fortè ingruerent bella, aut ſi regnorum unum aliquod, quod Deus avertat, ab hoſte externo impeteretur, ſuppetias extemplo alterum alteri accurreret, haud ſecus ac ſi non diviſa, ſed unum regnum foret. In electionibus autem regum id ſervaretur ut, præter archiepiſcopos cujuſque regni duoſque epiſcopos, præſentes inſuper eſſent Mareſchalli & ſatrapæ, ceterique regnorum ſingulorum proceres, ita ut numerus omnium in univerſum viginti ac centum eſſet. Regique ſi filius foret, is omnium regno proximus haberetur, modo hoc abſque detrimento regnorum fieri poſſe ſibi certò promitterent proceres: Si verò uno plures eidem filij eſſent, is, quem elegiſſet ſynedrium pro rege cenſeretur, ſive is minor ſive ætate major foret. Si verò, nullo poſt ſe relicto legitimè nato filio, obire regem contingeret, tum penes centum ac viginti illos viros ſupra nominatos electio ſtaret, iique ſi è re judicarent intraneum aliquem ſive etiam extraneum in regem aſſumere, id ſorte peragеretur, itâ ut regni cujuſque vocabulum ſchedulis ejuſdem magnitudinis ac formæ inſcriptum infanti anniculo exponeretur, earumque ſchedarum quamcunque idem infans elevaret, ex eo regno electio fieret. Si nec eo pacto res ſuccedere aut conveniri de eligendo rege poſſet, tum à viris quadraginta regni cujuſq; quatuor deſignarentur, eccleſiaſtici ſcilicet bini ac totidem politici, quos è toto illo viginti ac centum virorum cenſu prudentiâ ac dignitate eminere judicarent, itâ ut in univerſum duodecim haberentur; hi facto ſacramento unam in domum convenirent, nec indè, priuſquam unum omnes ſtatuiſſent, decederent. Quodque ſtatutum penes eos foret, id ratum haberetur.

Ericus autem Rex poſt paſſum in littore Gotlandiæ, cujus ſupra meminimus, naufragium, in Daniam reverſus, ibi ad proximum uſq; anni ſequentis milleſimi quadringenteſimi
MCCCCXXXVII trigeſimi ſeptimi vernale tempus ſubſtitit. Atq; inde, facto confeſtim in eandē Gotlandię
inſulam

insulam procinctu, nomen præbuit, quasi ibi in omnem eventum Sueonibus propinquior, cum illis commodius agere, ac Daniæ regno adunire eosdem facilius posset. Et licet eæ tum illi vires haud essent, quibus vel cogere eos vel ad nutum suum reducere speraret, habebat nihilominus ex regni indigenis sibi perplures seriò deditos. E Daniâ verò discedens, præter regni ejus ceimelia, etiam tabulas permultas codicillosque, & si quæ alia maximi pretij prædecessores ejus summo studio conquæsivissent, secum abstulit, haud neglectâ quoque pellice ac thori sui sociâ *Ceciliâ*, quæ olim reginæ *Philippæ* conjugi ipsius à cubiculo fuerat. Hæc illa *Cecilia* est, quam memorant, viridi aliquando carpento vehentem, obviam factam *Olao* Axillo armigero ac ordinis senatorij viro, qui aperto capite cum ei honorem exhibuisset, èque risu famulorum suorum intellexisset *Ceciliam* esse, eam per suos revocari ac subsistere imperavit; ac simul, everso, in quo considebat, essedo, tum & unâ alterâque gladio non evaginato podici ejus inflictâ plagâ, ei ut regi ac domino suo significaret, mandavit, illud quandoque scorteum peculium regno ipsum dejecturum.

Ericus VIII. Rex A. C.

Apud Suecos paulo ante *Ericus* Puchius, *Caroli* Marschalli æmulus, à Dalecarnis excitus, postquam in *Carolum* arma sumsisset & eum quoq; circa Arosiam habito prælio in fugam egisset, *Olaus* archiepiscopus Upsalensis & *Thomas* Strengenessensium præsul, ne civili ac funesto bello patriam involverent, utrosque ad pacem & concordiam cohortati, id apud *Ericum* obtinuerunt, ut, dissuadentibus licet suis, se adversariorum fidei committeret, dictitans inter nobiles atque illustres viros ex æquo ac bono agi oportere. Proinde Arosiam veniens cum sibi in publicis conventibus minus temperaret multaque liberius proloqueretur, quæ aliò eum spectare suspicionem injicerent, Marschallus comprehendi eum & capite plecti imperavit, dolentibus plurimum episcopis, quorum opera inductus mortem incurrisset. Est & rotę tum quoque impositus extra Arosiæ pomæria *Iohannes* Martini, qui Puchio semper à consiliis fuerat. Similiter concitati per idem ferè tempus agricolæ territorii Ascherret dicti, *Iohannem* Erici, qui, ut ante memoratum, præfectus Erici regis, Dalecarniis severius mulctatis, principium in Sueciâ motuum dederat, comprehensum in vincula conjiciunt ac mox latâ sententiâ securi subjectum capite plectunt; licet ille in cœnobio tum Vastensi ageret & literas quoque salui conductus à Mareschallo sibi concessas obtenderet. Sed Mareschallus intellecto colonorum facinore, eos impositâ mulctâ castigavit, non tam quod *Iohannem* summopere coleret, sed quia literas à se ei indultas vili pendissent, statuendũ ad deterrendos alios exemplum judicavit. Quamvis illi parum hoc ipso territi, cum præfectum ejus haud multo post Dalecarnij, ut alium Vermelandij, trucidarint.

His peractis, ubi jam passim constaret in vivis esse Ericum regem, habita mense Martio Strengenessæ comitia, in quibus deliberatum de modo & rationibus, quibus defenderentur, quæ in Sudercopiensi conventu, rege absente, decreta peractaq; fuissent; Statutumque ritè ac ordine, quæ tum acta essent, actitata, præsertim quod jam ante Calmariæ decretum fuisset, ut arces munimentaque Sueciæ universa in potestate essent Sueonum; Interim tamen, ut etiam rege præsente, eadem aliaque ad regni statum pertinentia resumerentur, decreta de novo sub festum proximum divi Johannis celebranda Calmariæ regni comitia: Quorum ubi dies dictus venisset, adesse Rex noluit. Quapropter missi in Daniam archiepiscopus *Olaus*, *Christiernus* satrapa, *Magnus* Aboensium præsul & *Iohannes* Cropelinus: Qui ità cum regio senatu acturos se sperabant, ut rex in Sueciam haud invitus veniret ac suis, quæ toties factæ essent, promissionibus staret. Sed eò cum appulissent, intellexere non minus Danos quam Suecos ei parum morigeros haberi: clanculumque cum illis sermones habiti de iniquo Erici imperio, quodque nepotem suum, Pomeraniæ Ducem, *Bugislaum* ad capessendum regni diadema importunius ingereret, ac regni arces, posthabitis Danis, suæ gentis hominibus committeret: Injectumque, si & ità Sueciæ proceribus videretur, statuisse equestrem ordinem ad regni sceptrum in ejus locum vocare, sorore ipsius natum, *Christophorum* Bavariæ Ducem. Quibus acceptis, plurimum gavisi Sueonum legati, domum redierunt.

Eodem circiter tempore archiepiscopus Lundensis *Iohannes* Laxmannus, qui anno antecedente nobilissimo ac reverendo viro *Petro* Luckio è vivis sublato surrogatus fuerat, literas ad concilium Basiliense dedit, quibus significabat episcopum Norvagis esse, qui natione Danus esset & Danos vicissim habere, qui gente esset Norvagus, utrumq; legitimè vocatum vitâque probum, ob bella tamen, quibus regna jam multis annis conflictarentur, tum & gentis diversæ aspectu ægrè Norvagos ferre Danum, & Danos Norvagum;

Sigismundus Imp.

ERICUS VIII. Rex. A. C.

orare itaque concilium ut bono quietique ecclesiarum publicęque plebis saluti consulens, commutationem fieri permitteret. Erant ad id à Norvagis delegati *Iohannes* Crabbe Nidrosiensis & *Adolphus* Asloensis episcopi: Rescripsitq; eodem statim anno sub decimum sextum septembris *Iohannes* Cardinalis S. Angeli sedis Apostolicæ legatus, concilij præses generalis. Quid autem & quam in partem responsum sit, annotatum apud chronologos non reperi.

Sub anni finem, qui nonus fuit Decembris, Sigismundus Imperator, postquam impetrasset à Bohemiæ proceribus ut *Alberto* Austriaco genero suo, egregio principi & qui plerosque sui temporis dynastas præclaris generosæ indolis dotibus anteibat, successionem in regno, se mortuo, permitterent, valetudine tandem ac senio debilitatus, cum annum ætatis LXX, in urbe Moraviæ Znoimâ, quò se deferri jusserat, inter amplexus atque oscula filiæ, quam unicè delexit, quamque unicam habuit, *Alberto* eidem nuptam, è vitâ migravit. In ejus locum *Albertus* de quo jam dictum, gener ejus, omnium suffragiis Imperator est designatus.

MCCCCXXXIII Anno qui proximè excepit, à regni Danici laciniâ sejunxit Ericus Rex Rugię insulam: suisque eam nepotibus, Pomeraniæ Ducibus, *Bugislais* majori minorique, possidendam permisit. Cumque territorium idem unà cum *Barnimo*, cognato ipsius, iidem essent accepturi, etiam ecclesiæ Roschildensis Comitatum, *Stryg* dictum, in insulâ eâdem situm, facere suum voluerunt, existimantes tam ecclesiasticum sibi quam civilem insulæ jurisdictionem competere. Quid autem eo vicissim nomine hostimenti aut commodi magnopere regi regnoq; relatum à Pomeraniæ principibus sit, negat se reperire Vitfeldius: adjiciens etiam ante *Christophorum*, ejus nominis secundum, Daniæ Regem, quod in rebus ejus est commemoratum, magnam ejusdem insulæ partem, continenti proximam, abalienari similiter à regno passum, ut ita ademptæ paulatim Daniæ regibus eæ ditiones sint, quarum aspectu Vandalorum reges celebrantur. Undè perfacile esse intelligendum idem nobilissimus Vitfeldius inquit, parum usui regno fuisse externi stemmatis reges, quorum primus Ericus audiit; dum sibi suæque potius prosapię, quam regno quisque studeat. Habita eodem anno Comitia Vordingburgi, fecitque in pleno procerum consessu omnium nomine verba archiepiscopus Lundensis, *Iohannes* Laxmannus, pluribus demonstratis Daniæ regnum liberum ac sui semper juris fuisse, & ità ut esse ac haberi porrò idem sineret rex Ericus, nec obtrudere ulterius regno *Bugislaum*, aut regni arces milite externo complere in ejusdem *Bugislai* firmitudinem, ac præjudicium liberę suæ, quâ semper usi fuerant, electionis, vellet, eum obnixè rogitabat. Estque promissio tum quidem regis nomine facta, ut in integrum omnia intra dies quatuordecim post festũ divi Johannis restituerentur, sed facta promissis non responderunt. Undè comitiis etiam hisce regem ipsum interfuisse, & in Daniam tum forte ex insulâ regressum, vel denique legatos ibi suos habuisse, ex iis, quæ jam relata, ac postea dicentur, colligendum videatur.

Exarsit verò haud multò post mira passim in heros suos multitudinis ac populi rabies, & maximè eorum hominum, qui Vindsysselæ tractum, Jutiæ borealem, incolebant. Hi negare cœnobiarchis aliisque, quibus id ex æquo & jure debebatur, tributi sui pensionem cæperunt, dictitantes *Eugenium* pontificem Max. Basileæ synodum indixisse, ut in eâ cleri præsertim excessus peccataque corrigerentur, se idcirco eousque jus, dominis suis debitum, sibi reservaturos, dum, quod ibi esset decretum, intellexissent. Nobilitatem tyrannidis in subditos accusabant, eandemque sibi, quæ Suecis & Norvagis, rebellandi occasionem datam. Nec ulla sedandis hisce motibus, sive aspera sive levia quæcunq; adhibebantur, dicta faciebant. Ericus etiam Rex seditionum coryphæos, ut turbam concitatam pacarent, se per nuncios suos commonuisse ad senatum referri curavit, alij, non ut pacarent, sed magis commotos concitarent, missos interpretabantur. Erantque ex nobilitate haud pauci, præsertim Australis & Borealis Jutiæ, qui se Holsatis submittentes, eorum præsidiis adversus populi furorem defendi orabant; Et est postremum res eo deducta, ut *Haderslebia*, clarum eo tractu opidum & *Arræ* insula, *Adolphi* Holsatiæ Ducis imperium secuta fuerit.

Apud Suecos eodem circiter tempore agitare secum Mareschallus cæpit de vindicandâ in se & pręfectos suos illatâ popularium injuriâ. Nam ut supra memoratum, eorum nonnullos Dalecarnij, alios Vermelandij trucidaverant. Hos cum sibi castigandos putaret Mareschallus, obstiterat semper ac dehortatus id fuerat *Christiernus* Nicolai regni satrapa. Undè aliud eum agere ac sibi studere Mareschallus haud temerè suspicatus, castigatis, ut con-

ut conſtituerat, Dalecarnijs & Vermelandijs, ſatrapam per inſidias lecto adhuc decumbentem opprimi, atque Orebroam, ut erat, veſtimentis denudatum deportari curavit. Ibique obvius illi redditus Mareſchallus eum interrogat an ſibi, quas tenebat, dedere arces vellet. Satrapa non arces modò ſe ejus poteſtati permittere, ſed ei per omnia quoque obſequi conſtituiſſe, magno cum tremore referebat. Quapropter Nicopiam cum eo profectus Mareſchallus, eam de manu ejus arcem recepit, ac redintegratâ aliquali cum ipſo amicitiâ Finlandiæ partem una cum arce & opido Viburgenſi, quemadmodum antea tenuerat, ei gubernandam reliquit, conceſſâ inſuper filio ejus *Carolo* Chriſtierni Ringſtadholmiæ præfecturâ. Quæ dum fiunt, denuò in eundem arma parantur; Nam ſatrapæ conſobrinus, qui & ſororem duxerat ipſius Mareſchalli, Nicolaus Stenonis, licet antea non ſemel inter ſeſe controvertiſſent, iterum iterumque pacem feciſſent, tum aures reconciliationi prebere omnino renuere videbatur. Cōmonuerat quippe eum Mareſchallus *Carolus*, ut Oſtrogothiam, ac totā eam Stekeburgi ditionem quam præſidendam acceperat, mitioribus modis adminiſtraret, nec colonos extorſionibus ac tributis contra leges ac morem patriæ vexaret, imperans ac ſuadens identidem ut ab injuriâ ſuorum temperaret. At *Nicolaus* parum id penſi habens etiā Mareſchalli miniſtros impetere & eos captivos abducere inſtituit. Quapropter, cum fruſtra ſe eſſe Mareſchallus intelligeret, verſis in rebellem armis, arcem *Stekeburgenſem* obſidione circumcingi mandavit. Ac videns *Nicolaus* ſe teneri, pactus eſt in dies aliquot cum obſidentibus inducias, ac ſimul miſit ad Mareſchallum, qui ſignificaret, ſe imperata facturum. Ipſe verò captâ interea elabendi occaſione, ad regem Ericum, tum in Gotlandiæ inſulâ commorantem pervenit. Rex honorificè exceptum, regni Mareſchallum declarat, ac ſtatim acceptis ab eodem militum aliquot copijs rediit ad Oſtrogothos. Tradiderat quoque eidem codicillos ac literas ſuas Rex Ericus hujus propemodum ſententiæ, ut omnes ac ſinguli eas lecturi *Nicolao Stenoni*, regni ſui Suetici Mareſchallo, obſequium ac fidem præſtarent. Exciverat ſimiliter & Noruagos Rex, eoſque per literas commonefecerat ut Elſeburgum, quod *Tucho* Mareſchalli frater defendebat, quantis poſſent copiis obſiderent. Sed Sueci collectis ſuorum aliquot manipulis, id agentes Norvagos magnâ cum clade repulerunt. Interea Oſtregothiam invaſerat cum copiis ſibi à rege traditis *Nicolaus Stenonis*, explicato per ſigna militaria vexillo Danico. Et poſtquam ferro atque igne in obvia quæque aliquandiu deſæviſſet, ſuperatus ab exercitu Caroli ad opidum Nicopiæ, cum ſuis eſt deportatus, ac die exinde tertiâ contracto, ut exiſtimatur, ex animi ægritudine corporis morbo expiravit. Nec perpercit Mareſchallus præfectis ac familiæ ejus perpluribus, quos injuriis ac rapinis exſatiatos Sudercopiæ gladio percuſſos multauit. Sed neque his ſublatis, pace frui Mareſchallo conceſſum. Erat enim nobili ac claro apud Suecos genere natus *Broderus Suenſon*, qui cum *Engelberto* multa ac magna pro patriæ libertate geſſerat, cujus & ſuperius, à Lubecenſibus in freto Oreſundæ capti, meminimus. Hic ubi vehementius nonnihil cum *Carolo* de feudis ac præfecturis, quaſi eas non ex merito cujuſque, ſed ad gratiam & prout amicus ei aut ſanguine quiſpiam junctus eſſet, diſtribueret, palam expoſtulaſſet, confeſtim eum *Carolus*, perinde ac rebellionis authorem, comprehendi, ac die ſtatim poſtero ſub ortum ſolis decollari mandavit. Cumque hoc pacto regno in univerſum potiretur omnem ubique lapidem movit, ut Rex Ericus ſolio reſtitutus, talem ſe gereret, cujuſmodi ſe futurum, præſtito ſolemniter ſacramento, non ſemel pollicitus fuerat. Et ſunt in eam rem multa celebrata comitia, multæque hinc inde legationes miſſæ: Sed renuit ſemper Ericus Rex, haud exiſtimans regiæ eſſe majeſtatis juramentis obligari. Vnde Moraſtenij decretum factum, quod & ſtatim ei tranſmiſſum, quo monebatur intra ſeptimanas duodecim coram adeſſe ac reſpondere ad omnia, de quibus eum compellandum haberent: Ni fieret ſe eum pro rege in poſterum haud agnituros. Verum archiepiſcopus *Olaus*, magnæ induſtriæ ac prudentiæ vir, alijque aliquot ex regni ſenatoribus toti in eo erant, ut in integrum aliquando reſtitueretur, ac liberum haberet ad regnum regreſſum, modò ſtare juramento in animum induceret: nec id illi expetere ſine cauſâ videbantur, quod Mareſchalli imperium vix aliud eſſet, quam inteſtinum bellum, perpetuaque ſeditionis ac cædium civilium materia: adeo ut duplici hinc infortunio mactaretur Suecia, dum foris adverſus regem belligerat, ac domi diſcordiis ſe ipſa conficeret. Tandem poſt tam varia comitia varioſq; conuentus, id obtinuerunt, ut in oppido Calmarienſi trium regnorum haberentur comitia. Ac mox relictâ Vpſaliâ, cum eò deſcenſurus eſſet archiepiſcopus, & jam Nicopiam adveniſſet, veneno ibi à præſide loci (ita habent annales Sueonum) *Magno* nomine, qui il-

lud lacti

lud lacti amygdalino immissum ei propinasset, extinctus est die 25 mensis Iunij. Itaque Calmariæ, qui erat institutus procerum conventus, ob inexspectatam archiepiscopi necem, successu, qui sperabatur, caruit. Qui etiam advenerant e Dania regis nomine, tres ad minimum arces ei tradendas urgebant, quas ille, cuicunque liberet, gubernandas demandaret. Quod abnuens Mareschallus omnium porrò nomine respondit, placere quidem ut in regnum rex redeat eique omnes in universum pateant arces, sed ut eæ à Sueonibus atque indigenis præsideantur. Addit Johannes Gothus, petiisse Danorum legatos ut Sueones sine ullâ omnino jurisjurandi obligatione regem admitterent, & eam ideo ab illis propositam orationem, ut Sueonum animi in Ericum hoc magis exacerbati desinerent aliquando cum eo de ineundâ concordiâ tractationẽ instituere. Agebat hoc tempore Rex Ericus Visbyæ, quod est Gotlandię insulę opidum, totius olim Balthici maris celeberrimũ emporium. Ibique dum agit nec Danos, quibus *Bugislaum* aliosque principes exteros præposuerat, ulterius respicere aut curare magnopere videretur, dedit ad filium sororis ejus, Bavariæ Ducem *Christophorum*, regni Danici Senatus literas, quibus eum ad se vocabant regnique diadema offerebant. Erant verò hæ in hanc ferè sententiam scriptæ:

,, Illustrissime princeps, pro singulari affectu & gratiâ, quâ, ut nosti, trium horum regnorũ senatus populusque te ob matrem tuam charissimam, quâ ex regio regnorum horum sanguine, & quidem à rege ac domino nostro Erico proximè progenitus es, semper prosecutus fuit, cogimur ad tuam celsitudinem confugere ac significare, quem in modum regia ejus majestas tria hæc regna plures jam annos sollicitarit, eisque patruelem suum, Pomeraniæ Ducem, *Bugislaum* in regem ingerere fategerit; nosque ei hac parte perpetuò obstiterimus ac tergiversati fuerimus, quod id ex æquo ac jure minus competere existimaremus, quandiu è regio genere & ad regnum quasi legitimè prognatus princeps superesset. Et eum nihilominus, invitis nobis, omnes regni arces & munitiones *Bugislao* jam dicto in manus tradidisse, quo ità per vim regni eum compotem faceret regemque post se relinqueret: nec voluisse indigenis ullas concedere præfecturas, nisi eas, *Bugislao* tradente, acciperent, & ita quoque acceptatas ab illis ne aut vitæ suæ bonorumque subire jacturam haberent, aut regnum majori detrimento afficerent, si nimirum præfecturæ ac regni munitiones exteris atq; alienigenis traderentur, quomodo pro parte factum, postquam ille Aleholmum, *Barnino* Barthensium Duci, Ravensburgum *Vartislao* Volgastensium principi. Tranekieram *Iohanni* ac Stegehusam *Witzlao* Comitibus præsidenda demandavit. Quin & regia ejus majestas, domine ac princeps dilectissime, cum nos jam nuper ad comitia Vordingburgensia sub festum Paschatis vocatos denuo urgeret, ut *Bugislaum* regem salutaremus, nosque hoc ipsum identidem recusantes, palam profiteremur, haud alium nos regem dominumve, quamdiu ipse in vivis foret regnisque ritè præesset, experituros, sibi postremum jam seni & ad quietem anhelanti id concedi petijt, ut *Bugislaus* pro regni principe ac capitaneo susceptus castella omnia regnique munitiones teneret, essetque penes ipsum præfectos constituendi abdicandique facultas: Et id cum iterum iterumque renueremus ob regni, quam inde augurabamur, desolationem; ne tamen ei perpetuo adversari videremur, permisimus ut unà cum rege regno adesset nec tamen ut præfectus, sed ut regi regnoq; fidus amicus & quiduo simul règni munimenta Ravensburgũ & Tranekieram, quæ ei sustentando sufficerent, hoc nomine suo præsidio teneret: Et super hæc omnia arces ei omnes regni paterent, easq; ex volũtate regis dominiq; nostri ritè tutaretur, eâ scilicet lege, ut arces vicissim regni Aleholmum supra dictũ, quod Dux *Barninus*; & Ravensburgũ quod Dux *Witslaus* tenebat, intra dies quatuordecim post festum Johannis Baptistæ ad regni obsequium ac fidem reduceret, quomodo & facturus receperat, sed minus præstitit. Finitisque comitijs illis cum jam à regiâ ejus majestate recessissent proceres nobilitasque omnis, tradidit in manus ac potestatem Bugislai, idque contra regni jura ac consuetudinem, ditiones suas universas unà cum arcibus ac municipijs ternis *Neoburgo*, *Hindisgavelâ*, *Hagenschovâ* &c, qui eo pertinebant, subditis, atque inde, vocatis ad se Selandiæ incolis, eis mandavit ut *Bugislao* memorato obsecundarent, eique dicto audientes essent, ut gubernatori ac præfecto suo, concedens ipsis quascunque vicissim postularent immunitates. Cumque hoc pacto gentis suæ Duces *Bugislaum*, *Wartislaum* & *Barnimum* una cum *Iohanne* & *Witzlao* Comitibus tam potenter regno introduxisset plebemque ad suum nutum composuisset, navem conscendit, Calmariam quasi petiturus, ut Sueciam à regni ordinibus reciperet; quemadmodum persuasum habebamus ex iis, quæ inter ipsum & Sueones pacta jam ante conventaque fuerant. At ille hoc omisso, rectà Gotlandiam, invitis & inconsultis nobis, petijt insulam, à Daniæ

Daniæ regno longissimè remotam: Atque eò regni thesauros, aurum argentumq; aliaque cimelia quæ plures per annos à regibus reginisque in usum ac decus coronæ congesta fuerant, secum abstulit. Cumque à nobis hoc pacto abjisset, motæ passim per Zelandiam totumque regnum in ecclesiasticos ordinemque equestrem popularium seditiones, quæ nos indies summo cum vitę discrimine inter eos versari sinunt, cum æquitati ac juri commodare aurem palam detrectent. Tum & res inter Holsatos & regnum ità se habent, ut eorum quoque in horas incursiones vereamur, suntque discrimina ejusmodi, quæ occasione peregrinorum præsidum regno quotidiè impendunt, tot tantaque, ut narrare omnia prolixum nimis foret. Quibus & ea accedunt, quæ à Suecis imminent, cum pactis conventis, quæ invicem sanxissent, stare Ericus recuset: adeo ut singula hæc regna, quæ olim fuerant conjunctissima, ob sinistram imperandi ejus rationem, divisa nunc sejunctaq; habeantur. Quapropter, illustrissime princeps, cum rex Ericus hunc in modum suaq; sponte regno renunciaverit, te, ut sanguinis regij regno proximum omni cum dimissione poscimus ac rogamus obtestamurque per Dei immortalis amorem perque tuum ipsius decus ac gloriam, & denique per amicitiam, quâ, stirpis ratione regno conjungeris, ut laborantibus nobis ac regno periclitanti succurrere ac præsens accedere primâ quoque occasione haud degraveris; Tua Celsitudo ubi ad nos accesserit, si & regi tum nostro resumere sceptrum videbitur, sufficient nihilominus, adjuvante numine, regni opes tuæ celsitudini in usum præsertim ac commodum coronæ ac regis, loco *Bugislai*, de quo memoratum, sustentandæ: Si verò nec venire nec regni rebus subvenire Celsitudini tuæ stat sententia, id quàm primum per harum latores nobis significetur, oramus; ut regno aliunde consulere tempori valeamus. Si autem eripi hoc pacto è manibus Celsitudinis tuę ejusque prosapiæ regnum contingat, non nobis sed sibi, suæque socordiæ, quod imputet habebit. Mittimus porro his inclusa capita quædam certa, quibus regno excidisse Ericus ostenditur, ut eo commodius Celsitudo tua intelligat, quibus urgeatur difficultatibus regnum & tuæ quoque Celsitudini esse in promptu possit de re totâ, remotis remoris omnibus, propius statuere. Tuam Celsitudinem Deus Opt. Max. quam felicissimè servet, ac sospitet. Datum Corsoræ 28 Octobris anno 1438 Vigiliâ beatorum Simonis & Judæ Apostolorum.

Has literas suis sigillis municrant *Iohannes* Dei gratia archiepiscopus Lundensis, *Iohannes* Roschildensis, *Nasno* Othoniensis, *Christiernus* Ripensis, *Vlricus* Arhusiensis & *Gerhardus* Burglaviensis, eâdem gratia episcopi, itemque *Benedictus* Prior Antworsconæ, *Ericus* Nicolai, *Henricus* Canuti, *Martinus* Jensonns, *Luderus* Cabholtius & *Eschillus* Brock equites: *Petrus* Lucke, *Gerhardus* Bruske, *Ivarus* Vossius, *Ago* Lunge, *Otho* Nicolai, *Iacobus* Bassus, *Nicolaus* Erici, *Asdalius* & *Olaus* Axilli armigeri, Daniæ regni senatores. Invenio in annalibus, habuisse tum Episcopum Lubecensem *Iohannem* Schelium jus tradendi in feudum Holsatiam; idque ei jam antè ab Imp. *Sigismundo* indultum confirmasse hoc circiter tempore *Albertum* Cæsarem: & eo pacto traditum ab eo Comitatum istum Duci *Adolpho* 26 Decembris anni hujus, præsentibus *Skackio*, *Iohanne* Pawisck, *Iohanne* Buckvoldio equitibus, itemque *Bartoldo* Canonico Lubicensi & *Iohanne* Roggensbergero, Episcopi apud Plonenses Notario. Imperator postmodum id sibi soli servari privilegium voluit, cum pręsertim, qui superiores essent, ab inferiori feudum ac præfecturas suscipere indignum judicaret.

Post hæc Stegeburgum, quod est Ostrogothiæ littoribus impositum municipium, arce ornatum munitissimâ, è Gotlandię insulâ appellens rex Ericus misit ad *Carolum* Mareschallum, qui significarent, habere se ad publicum regni statum pertinentia, de quibus cum ipso conferre in animum induxerat, ideoque rogare quàmprimum accederet. Sed *Carolus* non ignorans, res ad omnium salutem ac tranquillitatem spectantes non nisi publicè & coram regni totius senatu, tractandas, nonnihil expectandum respondit, donec omnes universi regni proceres ad tam ardua negotia propius inspicienda convocarentur. Quo accepto, tradit *Iohannes* Gothus, *Ericum* sibi sequioris erga Mareschallum propositi conscium, retractâ confestim ex Ostrogothia in Gotlandiæ insulam classe, Visbyam rediisse. At certo certius est, quod acta domestica ostendunt, omissum aut ignoratum ut alia permulta Gotho, Ericum regem, priusquam è finibus tum Sueciæ Gotlandiam versus recederet, ad literas à regni Daniæ proceribus ipsi Visbyæ redditas, quibus ei fidem obsequiumque eo usque præstitum abnegabant, Lubecæ sub festum Nativitatis D. Baptistæ datas anno CIↃCCCCXXXIX, ipso demum die, qui D. Jacobo sacer est, responsum misisse Stegeburgi scriptum eodem illo anno quadringentesimo trigesimo nono supra millesimum: Ut satis inde constare possit discessum ejus non subitum aut fugitivum, sed tardum potius ac præme- MCCCCXXXIX

præmeditatum fuisse. Procerum autem Danorum literæ, quibus ei sacramentum ac fidem jam ante promissam præstitamque renunciare significabant, his præcipuè nitebantur, quod ille regni arces extraneis, & præsertim Duci *Bugislao*, eum in finem præsidendas demandasset, ut eo facilius regno paulatim potiretur, cui semper adversati fuissent. Quodque iis, quæ in publicis singulorum trium regnorum, comitiis Calmariæ fuissent decreta, stare recusavisset: Et omnia insuper, multos per annos à regibus ejusque prædecessoribus collecta, regni ceimelia thesaurosque secum abstulisset; Et illa quoque, quæ in ultimis regni Daniæ comitiis Vordingburgi promisisset, se nimirum Sueciæ sceptrum æquis conditionibus resumpturum exterosque è Daniæ regno amandaturum, omniaque in integrum & ad veterem modum regnique legibus consentaneam formam restituturum, haud quaquam præstitisset, sed, iis omissis, & se inconsultis Gotlandiam petiisset: Indeq; seditiones per omnes passim regni destrictus concitatas, avulsaque à Jutiæ corpore Haderslebiæ opidum Arræque insulam, eaque Holsato cum fide obsequioque tradita: Et denique quod ei per nuncios episcopumque Viburgensem *Torlacum*, die omnium Sanctorum anni præcedentis, significassent egere ejus præsentiâ regni negotia, orassentque reditum accelerraret, se aliàs ad alia ineunda consilia cogi, nec posse diutius honestè connivere ad imminentem regni ruinam; ipsum tamen ad ea omnia neque responsi neq; remedij quidquam in medium attulisse. Has literas sigillis ac subscriptionibus suis communierant *Iohannes* Dei gratia archiepiscopus Lundensis, *Navius* Othoniensis, *Christiernus* Ripensis, *Vlricus* Arhusiensis, *Gerhardus* Borchlumensis eadem divinâ gratia episcopi, *Benedictus* Prior Anderscouensis; *Ericus* Nicolai, *Henricus* Canuti, *Lotharius* Cabholt, *Martinus* Johannides, *Eschillus* Brock equites; *Ago* Lunge, *Petrus* Lycke, *Otho* Nicolai, *Gerhardus* Bryske, *Iacobus* Bassus, *Paulus* Laxmannus, *Olaus* Axilli, *Andreas* Hacke, *Otho* Schinckelius, *Nicolaus* Erici Asdalius, *Ioachimus* Flemingus, *Olaus* Lunge, *Petrus* Schram, *Ericus* Nicolai Brotschovius, *Magnus* Johannides, *Laurentius* Thomæ, *Eggetus* Frille, *Magnus* Ebbonis, *Nicolaus* Laurentij, *Ioachimus* Erici, *Laurentius* à Podorp, *Andreas* Petri à Bremslycke, *Bartholdus* Brems, armigeri. Et paulò inferius idem se quoque profiteri suâ manu ac sigillis significabant *Nicolaus* Rannovius, *Antonius* Nicolai, *Casparus* Bruske.

Respondebat ad ea Rex, literis Stegeburgi, ut meminimus, datis sibi à regni proceribus planè inexpectatum hoc accidere, easque accusationes nunquam se præsente ab ipsis motas; factumque omnino se inconsulto ac inscio, quod in regnum suum introduxerint sororis suæ filium; eique authores fuerint, ut literas ad ipsum miserit, quibus imperio supersedere moneretur: Se illud neq; de ipsis neque de ipso commeritum, neutrosque decuisse: Et Deo cunctisque, quibus æqui iniquique sensus atque intelligentia est, id dijudicandum relinquere: paratumque se, quod ad criminationes allatas, coram regni senatu populoque, qui à partibus integer habeatur, coramque dynastis, principibus ac civitatibus aliisque viris spectatis tempore ac loco oportuno, quòque venire ullo pacto possit, cedere atq; indulgere, quicquid æquum honestasque permittat, dicto sororis suæ filio illisque. Ideoq; orare ac commonere ipsos per eam, quâ sibi secundum Deum obstringuntur, fidem ac sacramentum, ut filium suæ sororis saniora doceant, ipsique secum deliberent, ac rem cæptam ponderent, nec sibi regni sceptrum, quod ad se legitimè delatum cum Deo suscepit, adeo violenter è manibus extorquere instituant.

Seorsim autem ad Scaniæ Fioniæque populum plebemque scribi per idem tempus ex eadem arce Steckeburgensi curavit significarique, redditas sibi in castro suo Visbyensi, literas senatorum regni, Lubecæ circa festum nativitatis D. Baptistæ datas, quibus ei fidem atque obsequium renuncient, se earum literarum ipsis exemplum mittere, quærereque an & eadem ipsis mens sententiaque sedeat, se haudquaquam id sibi persuadere posse, cum id nullatenus de ipsis commeruerit, ideoque rogare ut regni proceres ad saniora retrahant, nec permittant sibi à Deo traditum sceptrum per vim atque injuriam eripi. Has similesq; Steckeburgo in Daniam literas missitabat Rex Ericus; Reversus verò in insulam Gotlandiæ ad ipsum Ducem *Christophorum*, nepotem suum, Vesbyæ decimo quarto Septembris, qui dies fuit exaltationi S. crucis sacer, datis literis in hunc ferè sensum perscripsit; Se ad procerum regni Daniæ literas criminationesque rescripsisse, ejusque exemplum transmittere. Et licet ipse haudquaquam ità se gesserit erga se, quemadmodum fas honestasq; efflagitent, se nihilominus adversus ipsum fore qui esset; eaque suasurum, quæ suam personam deceant, seque idcirco ipsum commonefacere, licet in tutum deduxisse cuncta videatur, ut suo exemplo sapere esseque cautior velit, ac discere quàm sua promissa fidemq; præstent

præstent regni proceres, quibusque arduas illas curas operamque suam per tot annos regni negotiis fidelissimè navatam impensamque præmiis compensent! Et licet jam ante Scanienses Fioniosque ex arce Stecheburgensi, ut supra patuit, de omnibus quoque certiores fecisset, eosque, ut sibi adversus regni senatum adessent, adhortatus fuisset, tamen identidem ad Fionios, quod eos in totum adhuc sibi subditos retineret *Bugislaus*, literas dedit, scriptas eodem illo, quo superiores istæ ad Ducem *Christophorum* exaltationis S. Crucis die, in arce Visbyensi, significans se etiam ipsis Responsi sui ad omnes, quas instituisset adversus se regni senatus, accusationes exemplum transmittere. Erant autem Responsionis illius, quæ literis erant inserta, decem aut undecim præcipuè capita:

I. Quorum *primò* quod accusaretur, quasi in regni Danici jura privilegiaque, ad quorum præscriptum se regni incolas ditionesque habiturum gubernaturumque, facto sacramento, sanctissimè fuerat pollicitus, multifariam impegisset, ad id respondebat, decuisse ipsos, si quid ejus foret, non hoc sed alio id modo agere, nec se adeo manifestâ injuriâ contumeliaque propalam afficere, idque bonos omnes facilè concessuros; præsertim cum eâ de re nunquam antea coram se querelam instituissent.

II. Quod autem regni munimenta arcesque peregrinis præsidendas demandasset, id se ignorare ajebat, ipsosque latere haud posse *Bugislaum* non peregrinum, sed patruelem sibi esse: Ipsique leges arciumque secreta tradita totius senatus omniumque regni consiliariorum suffragiis ac voluntate, cujusmodi tum fuêre archiepiscopus Lundensis vir reverendus ac nobilissimus *Petrus* Cruse, *Petrus* Roschildensis aliiq; episcopi ordinisque equestris viri, armigerique summâ per id tempus authoritate pollentes, quique haud minus, quid regno conduceret, quam qui hodie sunt, exploratum haberent: Esseque *Bugislaum* à regni senatu non modò approbatũ, verum statim ab obitu laudatissimę memorię reginæ *Margaretæ* secum judiciis arcibusque præsedisse, idque multo jam tempore, antequam esse natum *Christophorum* Ducem constaret; nec tamen regem eum à se unquam appellatum.

III. Ad eam porro accusationem, quâ separasse regna ac divulsisse diceretur, quæ fuerant conjunctissima, reponebat se nihil unquam in votis habuisse magis, quàm ut ea unita manerent amiceq; inter sese eorundem indigenæ conspirarent, sed aliud ex actis comitiisque Stocholmiæ in æde S. Spritus & alibi habitis demonstrari posse, veramque divulsionis istius causam esse inquieta Danorum, quos ferre Sueci haud poterant, ingenia.

IV. Quod autem Haderslebiæ municipium incuriâ absentiâque suâ Holsatis deditum esset, seriò negabat; affirmabatque non suo sed aliorum id culpâ factum: & esse non ejus modò territorij, sed Sueciæ, Norvagiæ ac Jutiæ Australis à Daniæ corpore divulsarum veram causam violenta ipsorum imperia, ipsorumque injustitiam, iniquitatem, perfidiam atque immanem avaritiam.

V. Ad id verò, quod dicerent, septẽ eum ex pręcipuis regni arcibus gubernandas commisisse principibus peregrinis quique hostes potius dici quam amici possent, reponebat, se haudquaquam sperare agnatos suos regni hostes vel esse vel fuisse, aut pro exteris habendos, qui de regno optimè semper meriti vitam pro ejus incolumitate toties exposuissent. Eorumque Ducem *Barnimum* bello, quod adversus Vandaliæ civitates gerebatur, eam corporis ægritudinem contraxisse, ut de valetudine restituendâ desperare cogatur: Et Comitem similiter *Iohannem* multoties vitam fortunasq; pro republicâ periclitatum; ideoque & sedem pedemque intra regnum fixisse, ut pro eodem extrema porrò experiretur: eandemque & Comiti *Witzlao* mentem sententiamque stare, semperque fuisse. Arces autem castellaque ipsis non tantum ex suâ sed consiliariorum suorum regnique senatorum, quos inter *Axillus* Petersonius, *Benedictus* Paawisckius, *Iohannes* Croppelinus aliique fuêre, esse tradita. Nec aliter Fioniam arcesque ejus insulæ, ut & Lalandiam, comissas esse agnatis & præsertim patrueli suo *Bugislao*, testantibus id, quos penes se haberet, procerum codicillis &c. Quod autem arces territoriaque eadem haud extemplo, prout erat Wordingburgi conventum, regno reddidisset, in causa fuisse *Olaum* Axilli, cum eam, quam sibi adversus ipsum vitæ ac rerum polliciti fuissent securitatem, haudquaquam præstitissent.

VI. Sextò quod objicerent, exequi eum, quæ fuerant Calmariæ decreta, renuisse; dicebat, se eum esse, qui id nunquam negasset neque etiamnum neget, & se modò in arce ac ditione Suecorum Stecheburgi degere, idque hoc fine, ut cum illis agat omniaque, quæ per fas & honestatem possit, admittat.

ERICUS VIII. Rex *A.* ·*C.* VII. Seditiones autem, quas dicerent, clientum adversus dominos instinctu ipsius passim per regni districtus excitatas, referebat neminem probum revera demonstraturum se in cleri unquam aut ordinis equestris aut populi detrimentum quidquam machinatum, aut id ut fieret, occasiones dedisse.

VIII. De ceimeliis regnique thesauris absportatis quod objicerent, commonitos eos volebat, se ab egressu statim pueritiæ suæ regni rebus præfuisse, & esse jam annos circiter triginta, postquam conjugem duxisset, nec mirum interea temporis varia se multaque ornamenta pretiosa fabrefieri de suo curasse, & ipsam quoque reginam suam *Philippam* haud vacuam aut immunem talium ad se in Daniam advenisse. Quod itaque abstulisse supellectilem ejusmodi ad regnum pertinentem dicerent, ab iis se petere referebat, ut mitterent, quibus cognita fuerunt reginæ cimelia, *Iohannem* episcopum Anslo-ensem, dominos *Ericum* Nicolai, *Iohannem* Grenium, & *Iohannem* Cropelinum, ii si quæ deprehenderent non suâ aut reginæ, sed coronæ notâ signatâ, indicarent, paratum se ea remittere, si ex æquo honestoque sibi id competat: Sin verò nihil nisi suum reginæque inveniant, se maximâ injuriâ affici, temereque eos facere, quod id sibi publicè scriptoque evulgato exprobrent, cujus insons esset. Quod ad regni reditus teloniaque attineret, inspiciendas commonebat expensi acceptique tabulas, tam eorum, qui diem suum obierunt, quam qui in vivis etiamnum essent, satisque ex iis liquere posse, quomodo & ubi ea expensa erogataque; cognituro sque plus semper de suo & a se in usum regni expensum, quam receptum: Undè & sperare se addebat, ex qua tantâ liberalitate reverendos in Christo patres cæterosque regni senatores Spiritus S. afflasset, ut ditiones arcesque aliis permittant, nihilque alienum cupiant, ut suos tot per annos pro regno exantlatos labores operamque fidelissimam respicere, nec se damno insuper velint afficere, cum expensum à se plus sit, quàm acceptum, uti memoratum: seque jam modò satis superque perspicere parum ipsis, qui tanto in se odio flagrent, curæ fore sive tantum sibi suppetat, undè quod reliquum est vitæ toleret, sive id mendici manticâ ostiatim sit petiturus. Interim scire eos debere dicebat, sibi quod esset, id Dei ipsorumque esse, adeo ut quidquid id esset, cum ipsis eorumque liberis dividere sit paratus, quandiu id habeat, adeoque id facturum libenter, quàm id unquam fecisset ante hac.

IX. Hinc quod, insalutatis omnibus, regno excessisse ipsosque deseruisse accusaretur, in bonum id regni à se factum memorabat, utque sibi ac suis loco contumeliarum aliarumque injuriarum, benevolentia, tum & fas æquumque redderetur; sicque abiisse & esse adhuc in loco, relictis in regni passim districtibus, ut Zelandiâ, Jutlandiâ aliisque arcium ac dioecesium præfectis ac ducibus, qui regno in omnem eventum præsidio essent. Undè facile intelligere unumquemque posse addebat, handquaquam, ut ipsi interpretantur, à se regnum derelictum abdicatumve.

X. Quod præterea accusaretur, quasi in ipsos ac regnum animo fuisset inimico ac malevolo, id an ità haberet vocare se in testimonium referebat *Ericum* Nicolai, licet is ex præcipuis esset, & cujus consilio jam evenirent, quæ prædicta jam dudum sibi fuissent; testarique se neque clam aut palam alium erga regni incolas fuisse, aliudve factitasse quam quod fas honestasque requirat.

Quod postremò dicerent, se cum ob has, tum & alias permultas causas obsequium ei ac fidem omnem renunciare, id se ab iis, uti non expectasset, ità nec acceptare respondit, cum non nisi amicè ac debito modo ab ipsis discesserit, magnis arduisque cum ipsorum tum regni negotiis occupatus, addens ipsos, si quid habuissent, quo se accusandum putarent, debuisse illud legitimè ac ritè, non isto modo inferre: Se tamen, cum ipsos animadvertat nec Deum nec homines vereri, id neutiquam mirari, cum idem sibi, quod jam olim majores ipsorum, prædecessoribus suis, Daniæ regibus fecisse annales loquuntur, facere videat. Quodque deinde adderent, se de rege ac domino alio sibi prospicere constituisse, nec tamen quem vocandum velint, indicent, conjicere se ait Bavariæ Ducem *Christophorum* intelligi, qui se sororis suæ filium indigitet, missis ad se literis ac præmonitione, quæ ipsum haudquaquam decuissent, cum præsertim ipse neque per literas neque legatos quidquam antea adversus se intulisset, neque etiam ipsorum aut ejus literæ allatæ sibi prius fuerint, quam in regnum esset receptus, idque absque voluntate suâ suffragioque: cum & ore & manu sanctissimè jam olim promisisset, se nunquam adversaturum avunculo, neque unquam in Daniæ regnum venturum, nisi conscio eodem ac vocante. Se itaq; facile intelligere hunc eum ab ipsis instigatum, & ut facinus hoc tam improbum erga se, jam senio & annis gravem

gravem, audeat, animatum; Adeoque nunc obduratum agere, ut neque bona, quæ ei quondam ejusque matri fecisset, neque fidem promissaque sibi sanctissimè data, revocare ad animum cupiat; se idcirco jure posse dicere, eam crumenam ritè appendi isti tunicæ, &c. Sub extremum petere se atque orare ait, ut causam suam coram principibus ordineque equestri ac civitatibus, quæ à partibus sunt integræ, agere se permittant; Si verò nec illud admittant, se primum coram Deo, atque inde coram summo pontifice, Cæsareâ majestate, principibus, dynastis, equitibus, nobilibus ac rebuspublicis totius, quà se porrigat, Christiani orbis, causam querimoniamque deponere suam contestatur, sperans reperturum se aliquos eosque bonos æquosque, qui id saltem apud vos obtineant, ut sibi, quod fas honestasque dictent, possit concedi.

Hæc responsionum capita literis, ut diximus, superioribus inclusa per certum hominem, *Andream* nimirum Erici, archimagirum suum, reddenda ipsis curaverat, additâ appendiculâ, quâ iisdem regni senatoribus significabat accepisse se post scriptas superiores literas, eos Lubecæ valvis ecclesiarum alia insuper accusationum in se capita affixisse, nullo earum apud se facto antea indicio, eamque agendi rationem neminem honestate aliqua præditum probaturum existimabat, certò præterea confidens non minus hæc quam superiora ista absque ulla aut æquitate aut iure sibi afficta quemvis intellecturum. Inseruerat præterea eidem appendiculæ, se hisce suis literis non omnes Daniæ incolas, sed eos solùm, qui tanti in se criminis rei essent, intelligendos cupere, orareque atque hortari cæteros ut quemque adversariorum suorum seorsim instruere, eumque à tanto facinore dehortari velint, nec permittere ut tam insignità afficiatur injuriâ, utque alius aliundè in hæreditatem sibi à matre legitimè relictam totque annos à se possessam, contra fas & æquum contraque voluntatem suumque assensum violentè intrudatur. Hæc appendicula eodem Exaltationis Sanctæ Crucis die, quo literæ, in arce Visbnensi apud Gotlandos scripta, cum Responsio ejus ad singula, quæ jam sunt posita, accusationum capita, ut & antea patuit, Steckeburgi paulo ante sit data, die nimirum, qui Jacobo Apostolo sacer fuit.

Quibus tamen ille literarum missitationibus parum aut nihil effecit, nisi quod hinc indè per pagos & territoria agricolæ clientesque in nobiles ac heros suos exsurrexerint, eisque, quæ debebant, onera tributaque negaverint. Ipse exindè Ericus Rex, Gotlandiæ insulam, desperato ad regna reditu, annos circiter decem, magno cum vicinorum, & Sueonum præsertim, infestatione incoluit, postquam imperium tenuisset annos quadraginta duos, fortunæ vices ac volubilitatem, post excessum reginæ *Margaretæ*, plus satis expertus, nec uspiam, eâ defunctâ, aut felix aut rebus cum laude gestis magnoperè memorabilis, tandem & solio regnorum trium, ut memoravimus, excussus, esse omnibus documento potest, quàm in hoc humanarum rerum theatro excelsum nihil aut validum sit, quo stare aut niti firmiter liceat. Exacto propemodum in insulâ decennio insulâque ipsâ Danis in possessionem traditâ, Rivoldiam postremò, quod oppidum est Pomeraniç, trajecit binis ex classe cum omni supellectile ac regiis ceimeliis naufragio amissis navibus, pro more & solens infortunatus. Ibique dum agit, anno demum 1459 in fata concessit. Sed hæc cæteraque in tempore ac suis dicentur locis inferius. Debet interea ei Dania, ne indictum hoc abeat, non solum sceptri tot per annos gnaviter defensi decus, sed & gentis suæ eam, quæ est in manibus, chronologicam à Dano primo, ad annum usque CIↃ CCLXXXVIII continuâ annorum serie deductam Narratiunculam. Quam & ipsam ad sua usque tempora cur minus persecutus fuerit, queri magis, quàm à rege tot tantisque implicito negotiis rationem exigere, meritò habemus. Ità ille plurima passim nec aliis uspiam memorata lectori non otioso suggerit; Quæ & nos suis quæque locis haud omisisse superius existimo.



RERVM DANICARVM HISTORIÆ LIBER X.

CHRISTOPHORUS REX ejus nominis III.

In ordine Regum XCI.

CHRISTOPHORUS III. Rex *A. C.*



HRISTOPHORUS idcirco Bavariæ Dux, Palatinus Rheni, prognatus ex filio imperatoris *Ruperti* Johanne, Bavariæ Duce, matre vero *Sophiâ* (aliis est *Catharinâ*) *Erici* Regis, de quo memoratum, sorore germanâ, nepte Reginæ *Margaritæ*, à regni senatoribus ad Daniæ sceptrum capessendum evocatus, & anno eodem, qui supra est indicatus Lubecæ ab iisdem ingenti cum pompâ ac solemnitate exceptus, postquam summa exinde cum significatione honoris in regnum esset deductus, nomen ei ac titulus non quidem regis, sed defensoris regni à proceribus est delatus, donec de ipso quoque in regem assumendo non Sueci solum, sed & Norvagi suum assensum significassent, eumq; singula hæc tria regna regem pro more declarassent. Lubecæ autem dum eum præstolando hærent senatores, sub initium veris piratæ, quos Vitalianos superius meminimus nominatos, cum classe septem &quadraginta (quadringentarum in Crantzio est) navium è Balthici maris opido Vismariâ in Oceanum Norvagicum effusi aggressique celeberrimum illud, & Plinio quoque nominatum, Bergarum emporium: id post unum alterumque cum Norvagis, qui classe paratâ occurrêre, conflictum, invadunt totumque diripiunt. Piratarum archego *Bartholomæo* Voet vocabulum erat, qui ablatâ opidanis ingenti prædâ, cursum suum, omissâ, undè venerat, Vismariâ, versus Albim instituit, veritus scilicet si Oresundæ fretum, & illas Balthici maris angustias repeteret, nè à classibus Danorum prætoriis, quæ passim ibi excubabant, impetitus, prædam, quam tenebat, amitteret. Quamprimum verò in Daniam advenisset Dux Christophorus, promulgatæ à regni senatu literæ, quibus omnes, qui aliam, quam ipsi, aulam forumve frequentarent, hostes declarati. Statimque Dux *Bugislaus* & *Barnimus* unà cum *Witzlavo* & *Wartislao* Comitibus, Daniâ egressi sese exinde cum copiis ac viribus, quas undique conquisitas habebant, *Erico* regi in insulâ Gothlandiæ junxêre. Solus *Iohannes* Everstenij Comes intra regnum substitit, quod, ductâ ibi conjuge, pedem ac sedem firmius fixisset, tum & oppignoratam sibi apud Suecos

Suecos teneret Gripsholmiam, nomine marcarum Lubecensium viginti millium. Nec diu cunctati Daniæ proceres, in Sueciam legatos misère, qui id operam darent mone-rentque ut tria hæc regna, vetusti fœderis unionisque vinculo postliminio counita, unum agerent: Horum legatorum præcipui fuère *Iohannes* Laxmannus Lundensium archiepiscopus, *Iohannes* præsul Roschildensis, itemque *Iohannes* Grimius, *Nicolaus* Nicolai, *Olaus* Axilli equites, ut & *Albertus* Morerus Aulæ Ducis Magister: Cumque hisce ex Sueciæ senatoribus æquali numero agere jussi *Nicolaus* archiepiscopus Upsaliæ, *Thomas* antistes Strengenessensis, *Iohannes* cognomento *Niger*, *Otho* Olai, *Arvidus* Suanius & *Andreas* Nicolai, ordinis equestris viri, actumque in hunc ferè modum Enecopiæ, ut scilicet ante omnia locum haberent comitia decretaque sub annum 1436 ipsis calendis Martiis Calmariæ facta, excepto uno eo capite, quo Rex *Ericus*, quamdiu in vivis esset, pro rege agnoscendus declaratur; id revocare se atque irritum habere professi omnes fuère. De cetero statutum, ut proximo festo divi Johannis Baptistæ anni insequentis trium regnorum delegati Calmariam accederent, quo ibi de omnibus, quæ ad singulorum regnorum bonum spectarent, secundum leges ac privilegia cujusque dispiceretur, essentque interea amica ac pacata omnia liberaq; inter cives cujusque regni commercia ac negotiationes, ita ut more ac legibus unicuique regno usitatis quisque gauderet ac frueretur. Hæc Enecopiæ sigillis ac subscriptionibus suis communierant senatores utriusque regni superius nominati Martis die, qui omnium Sanctorum festum excipit. Hinc in *Ericum* regem certa accusationum capita Daniæ regni senatores promulgari inque urbibus Balthici maris denuò affigi curarunt; Quibus præter ea, quæ superius posita, eique transmissa memoravimus, etiam bella ei objecerunt, quæ tot per annos adversus Holsatos urbesque Vendorum tanto cum civium regnorumque dispendio essent gesta, quæque facillimè abrumpi sæpiusque finiri quàm commodissimè potuissent, nisi ipse semper reluctatus, ac sana procerum consilia aspernatus fuisset. Quodque multoties à regni senatu commonitus ut, defunctâ reginâ *Philippâ*, principem fœminam sibi thori sociam assumeret, quæ & esse regnis ipsius ornamento præsidioque posset, id facere perpetuò neglexerit, ac vitam potius non modò regnis dedecorosam, sed maximo etiam cum eorundem incommodo conjunctam traducere maluerit: Quodque studuerit perpetuò, ut regna hæc tria, quæ antea fuerant conjunctissima, disjungerentur, quò ità, durantibus dissidiis, *Bugislaus* in subsidium evocatus, ad sceptrum accipiendum facilius promoveretur: Quin & seorsim, volente regni senatu, commonitum eum referebant ab archiepiscopo Lundensi, ut principes peregrinos, in quorum potestatem regni arces insulasque Lalandiam, Langelandiam, Fioniam & Monam, contra regium sacramentum ac regni privilegia contraque fas & æquum, idque refragante regni senatu, gubernandas tradidisset, honestè dimitteret, regnoque territoria sua restitueret, nisi indignationem incurrere procerum, ac deniq; ab iisdem deseri atque abdicari præferret, id tamen flocci fecisse ac præsulis salutarē commonitionem vento traditam: Quodque deinde Vordingburgi in publicis comitiis, cum urgeret, ut *Bugislaus* in regem assumeretur, idque regni senatus haud posse fieri demonstraret, quod Daniæ regnum esset liberum ac electivum nec hæreditate adiretur, ac posito esse hæreditarium, tamen ad *Bugislaum* recidere haudquaquam posse, quod princeps superesset ex regio Danorum sanguine proximè progenitus, illo propinquior, ad id responderit, se tamen, etiamsi cum vitæ suæ detrimento futurum id esset, effecturū ut in regnum sibi succederet *Bugislaus*: Quodque exinde absque Senatus suffragio consensuque tradiderit *Bugislao* totam Fioniæ ditionem cum tribus arcibus omniq; jurisdictione eodem pertinente; ac mox in insulam Gotlandiæ, ubi etiamnum hæret, concesserit, relicto in potestate exterorum principum regno regnique incolis. Quodq; insuper ex singulis regnis archiepiscopos, episcopos, Prælatos, Priores aliosque ecclesiasticæ jurisdictionis, inauditâ sæpenumero causa &, ut plurimum, insontes, in vincula ac carceres conjici fecerit, tum & regni senatores injuriâ contumeliâque multifariam affecerit; & uni prætererea ex clero & amanuensibus summi pontificis, qui ei signatas à pontifice literas, easque peramicas, tradiderat, ita ipsarum literarum instrumento plumbeoque sigillo os combatuerit, ut ei è naribus cruor fluxerit; & ipsum præterea cum ad mandendas ac faucibus degluciendas easdem literas cogeret, nec obtinere id posset, multò eum tempore durissimæ custodiæ inclusum detinuisset. Accusabant postremò quod passim intra regni ditiones absque senatus consulto præfectos constituisset tyrannide & avaritiâ infames, quique subditis onerosi ac graves fuissent, quodq; monetam corrupisset, comitia pluribus annis suo loco ac tempore celebrare supersedisset:

CHRISTOPHORUS III. Rex A. C.

Atque ita jus aliquandiu indigenis negatum, dicasteria antiquata obsoletaque, & bona insontibus per fas & nefas adempta veluti usucapione quadam ab injustis possessoribus detineri, haud sine regni totius omniumque, quibus juris ac justitiæ cura incumbit, dedecore ac contumeliâ, permiserit.

Eodem anno Dux Christophorus susceptâ jam, ut meminimus, regni tutelâ, evulgari unà cum regni senatu diploma fecit, quo ille sub vitæ, famæ ac bonorum amissione mandavit omnibus, qui arces aliasque regni munitiones, *Erici* nomine tenerent, eas regni senatui quamprimum redderent: Seorsim verò literarum earum autographum *Ivaro* Johannis, Corsoræ præfecto, transmitti curavit, monuitque non ipsum modò sed & ceteros eandem arcem ac municipium incolentes, ut, posthabitâ fide atque obsequio, quod *Erico* regi promisissent, regni senatui intra diem dominicum proximum sacramento se obstringerent, nisi pro hostibus regni haberi cuperent. Vergente ad finem anno, postquam *Amurathes* Synderoviam *Georgio* Despotæ urbem munitissimam eripuisset, filios etiam ejus exoculatos atque emasculatos in carcerem detrusisset, accingitur ad opem Despotæ ferendam Imp. *Albertus*, sed in hyberna concedente *Amurathe*, ipse quoque imperator retrocessit, relictis in itinere suorum haud paucis, qui dysenteriâ cuncti periêre. Et ipse quoque Imperator, esu peponum immodico contractâ valetudine, obiisse memoratur 27 Octobris, relicto successore *Frederico* III Austriæ Duce, uxore verò, filiâ, ut diximus, *Sigismundi* Imperatoris, uterum gerente. Quæ exinde anno sequenti *Ladislaum* posthumum in lucem protulit.

MCCCCXL.

Inde Christophorus Dux, anno qui proximè superiorem excepit, millesimo quadringentesimo & quadragesimo, utpote jam Daniæ, Gothorum Vandalorumq; rex electus præstito propalã juramento ac literis eâ de re promulgatis sanctissime pollicitus fuit, se Deum fidem justitiamque culturum, ecclesiam ecclesiæq; personas ut & Equestris Ordinis viros, nobiles, cives, negotiatores, institores, agricolas aliosque, quàm se latè exporrigit Dania, secundum jura ac privilegia ipsorum defensurum, operamque pro viribus navaturum, ut pax & æquitas immunitatesque, quas jam olim à Daniæ regibus, majoribus ipsius accepissent, sartæ ipsis integræque permanerent: seq; viduas, orphanos, aliosque calamitate oppressos defensurum, ac propulsurum à regno fœdifragos omnesque paci publicæ inimicos, & simul allaboraturum ut & regno totique coronæ suum decus constaret, seque in proximis comitiis suo chirographo regioq; grandiori sigillo unà cum optimatibus ea obsignaturum capita, quæ esse ecclesiæ totique regno usui ac salutaria episcopi, Abbates, ceterique regni senatores ordoq; equestris aliiq; è nobilitate ac regni incolis unanimiter decreturi essent.

Quibus in foro Viburgensi peractis, dilatus est denuò, qui erat sub festum divi Johannis à Sueonibus indictus Calmarniæ conventus, quod regni gubernator *Carolus* ægrè loco cedere ac regni clavum permittere alteri videretur; Metuens scilicet ne qui jure cum ipso agere, aut regni rationes deposcere instituerent. Egerunt nihilominus omnia Sueci, & quam esset durum ac dubiæ aleæ vivo regi succedere, ei, inter ceteros, vir magnificus ac gener ipsius *Nicolaus* Nicolai ob oculos identidem ponere inq; mentem revocare haud destitit; iterum iterumque adhortans ut regni sceptrum Christophoro permitteret. Quibus nonnihil delinitus *Carolus*, se à Christophoro haud alienum demonstrare exinde cœpit, necessarium interim fore existimans tam arduum negotium in proximum aliquem ac pleniorem procerum conventum differri. Sicque decedentibus, qui Calmariam perpauci accesserant, memorat Gothus monialem quampiam, quæ se arcto cuidam pœnitentiæ, ut vocant, loco incluserat, de regni statu deque rege, qui esset futurus, à *Carolo* consultam, interrogatamq; respondisse, eum omnino regem futurum, licet perplures pro Christophoro assumendo satagerent: & eos ad breve tantum tempus, nec ultra, prævalituros, daturosque occasionem iræ divinæ, quam ob reges externos incurere Sueci solent; & id peste exinde, & quæ est secuta, dirâ per universum regnum fame demonstratum: Et addit idem etiam scripto à quibusdam proditum: per idem tum tempus matri dixisse infantulum à se auream coronam in capite *Caroli* gubernatoris conspectam. Quæ aliaque ejusmodi ut nænias habenda, ne quid tamen omissum studio videretur, adjicere visum fuit, fide penes authorem relictâ.

Habita haud multo post Arbogis Comitia, quibus inter alios à parte Danorum interfuit archiepiscopus Lundensis *Johannes* Laxmannus & *Nicolaus* Ronnavius. Actumque ibi de regni utriusque, quæ tempore reginæ *Margaritæ* atque inde *Erici* regis pacta fuerant, renovandis fœderibus; deq; Electione Christophori Ducis, cujus & animi dotes ac principe digans

FREDERICUS III. IMP.

dignas virtutes mirum in modum Suecis Danorum legati commendarunt; tradito simul sacramenti apographo, quod ille in foro Viburgensi suâque electione proceribus regni Daniæ fecisset, idem quoque ipsis præstiturum, omniaque ipsorum privilegia atque immunitates sartas tectasque habiturum pollicentes. *Carolus* itaque videns procerum ferè omnium in Christophorum propensos animos, habitâ in medio totius consessus de publicis regni negotiis deque libertate & constituendi, prout vellent, rempublicam facultate, quam suâ ipsis operâ aut peperisset aut reddidisset, luculentâ oratione, demonstrare sub finem cœpit, quosnam ille, postquam auctoritate ipsorum publicam rerum administrationem suscepisset, labores pro regni incolumitate exantlasset, quantumque alieni æris sibi contraxisset, seriò petens vellent veterum suorum in patriam meritorum haud oblivisci. Nec ea senatui, utpote justa honestaque postulata, displicuêre; Estque exinde decreto ipsius in feudum ei tradita, ex quâ oriundus erat, terra Finlandiæ unà cum insulâ Olandia, hac tamen lege ac conditione, ut insula, solutis quadraginta marcarum Stocholmensium millibus, coronæ redderetur. Quin & *Carolo* eidem Danorum legati facto promisso polliciti sunt, Christophorum Ducem eodem senatus decreto staturum, nec permissurum ut in jus à quoquam vocaretur, aut de rationibus ob acceptos regni reditus compellaretur; Essentque omnia quæcunque hucusque per ipsum actitata fuissent, nullius vel oblocutioni vel censuræ obnoxia. Et ipse denique *Carolus* de omnibus uberius cum Duce Christophoro Hallemstadij anno proximè insequente præsens cum præsente ageret.

Accepit eodem hoc anno pridie ejus diei, qui Philippo & Jacobo sacer est, à Duce Christophoro, electo jam Daniæ, Gothorum Vandalorumq; rege, Ducatum Slesvicensem per vexilli Ducalis exhibitionem *Adolphus* Holsatus; idque flexis genibus ac facto regi regnoq; obsequij sacramento. Petiitque vicissim à regni senatoribus literas Christophorus, quibus id ipsorum voluntate jussuque fecisse demonstraret. Arboensi autem ut staretur decreto, scribunt Christophoro Duci Sueones, eumque sibi in regnum deposcunt ex fœdere jam antè inter regna utraq; pacto. Indictusque Calmariam conventus, qui haberetur sub festum Johannis Baptistæ, ut ibi facto jurejurando firmatisque regni privilegiis, Christophorus procerum omnium suffragio diadema assumeret. Quæ tamen priusquam fierent, ipse *Carolusque* Mareschallus Hallemstadij ex pacto conveniunt interq; ipsos amicè omnia, quæ adhuc hærere controversa videbantur, transacta. Estque *Carolo* Finlandiæ Olandiæq; feudum, à senatoribus, ut meminimus, promissum, Christophori insuper adsensu tunc firmatum. Eidemque rationum super Suetici regni reditibus, quamdiu rebus præfuisset, gratia facta, aliaque benignè clementerque indulta. Sed appropinquante mox divi Baptistæ die dicto anni, qui superiorem est secutus, millesimi quadringentesimi quadragesimi primi, exortâ rusticanorum apud Iutas seditione, adesse Calmariæ Christophorus nequijt; Undè in proximum septembrem Comitia illa dilata. MCCCCXLI.

Interea apud Guthas Boreales, qui erant concitati agrestium animi, instinctu præcipuè *Erici* regis concitatos multi judicabant. Nam nec heris suis nec regno, quod debebatur, persolvere in animum inducebant, dictitantes vivere adhuc regem ac dominum suum; apud eum se, quod fas & æquum postularet, deposituros; Fuisseque circiter vigintiquinq; millia annotatum in annalibus reperio. Adversus hos commissum primo in territorio Hanherret ad collem divi Georgij propè Aagardiam quinto nonas Maij acre prælium, in quo *Eschillus* Brock, qui rusticis erat ob sævitiam præ ceteris exosus, neci datus inque frusta dissectus est; Ex Bavaris etiam ducum unus cæsus, nobiliumque duodecim capti, quos *Henricus* Tagonis, qui partes *Erici* fovens, regni erat consiliarius, capite omnes plecti curavit. Hanc eorum castigaturus insolentiam rex electus Christophorus postquam arma sumsisset, iterato eos agressus est tertio circiter Pentecostes die, qui fuit 8 Id. Iunij: Estq; superior factus, amisso ex suis equestris præcipuè ordinis viro *Iohanne* Brock: In potestatem verò ejus ex hostibus vivi venerunt, præter rusticanorum omnium antesignanum *Henricum* Tagonis, cui insignia erant scalæ nigræ in campo luteo, *Hellus*, *Herrulphus* & *Andreas* cognomento *Holstij*: Qui omnes unà cum aliis sex rotæ impositi. Cæsique ex cetera agricolarum promiscuâ manu sexcenti numero, quamvis alij multo majorem numerum facientes, mille octingentos occubuisse tradant. Reliqui in fugam acti, multi etiam in gratiam recepti, quorum se plurimi redimere postremum coacti sunt. Quod ad prælium ipsum, hæc commemorant; Agricolarum turbam se in collis cujusdam jugo curribus & carrucis eum in modum circummunisse, ut invadere eos equitatus haud quaquam auderet: Interaq; ex nobilitate suos quemq; colonos seorsim evocasse ac securitatem, modò in posterum

CHRISTOPHORUS III. Rex. A. C.

obsequium pollicerentur, promisisse. Undè paulatim decrescente rusticanorum multitudine, in eos vertisse impetum Ducem, atque eâ, quam memoravimus, clade affecisse.

Hinc denuò Dux Christophorus *Carolusq́; Boot*, Sueciæ Mareschallus, Hallemstadii convenêre: atque inde, ut erat conventum, ad comitia Calmarniensia unà profecti sunt: Ubi præter cæteros Dux ipse, postquam magnificè amicèque exceptus habitusque fuisset, sub dominicæ nativitatis festum Stocholmiam moto procinctu, urbem solemniter est ingressus, habens sibi à dextris adequitantem archiepiscopum Upsaliensem, à sinistris Mareschallū. Auditasq́; promiscuæ tum multitudinis voces, *Carolum regiâ coronâ digniorem*, quàm Christophorum, tradit Johannes Gothus, quâ vel fide vel authore non addens. Nec ibi diu moratus Morastenium decedens, more majorum, Sueciæ Rex ibidem est salutatus inauguratusque pridie S. Crucis; Atque ipso deinde S. Crucis die Rex Suecorum inunctus coronatusque fuit, ab archiepiscopo Upsaliensi *Nicolao Rigualdo*. Quantâ verò cum pompâ honorisque erga eum declaratione comitia ista peracta sint, ex eo liquere potest, quod præter hastiludia militaresque decursiones aliaque regii apparatus spectacula, Rex ipse illustres viros proceresque gladio ac cingulo militari aureisque calcaribus ornatos ad equestrem dignitatem tum temporis septuaginta ex Danis, Suecis ac Theutonis promoverit, celebrans simul pro more majorum festum, sive ludi equestres sunt, qui Sancti Erici ejusque memoriæ dicati apud Suecos hoc tempore solennes habentur.

MCCCCXLII. Agebatur jam annus millesimus quadringentesimus quadragesimus secundus, eratque Morastenio Stocholmiam Rex reversus cum in eo totus esset *Christiernus* satrapa, ut *Carolum* Mareschallum de vinculis sibi injectis apud eum accusaret. Et licet à Mareschalli potentiâ sibi Rex ipse metuere quodammodo inciperet, eâ tamen prudentiâ insidias adversariorum omnes superavit *Carolus*, ut & satrapam frustraretur; Et Regem quoque promissis atque obligationibus, de quibus modò diximus, sibi obstrictum, quod animo fortassè cupisset, exequi inhibuerit. Tradunt Suecorum annales, & in his *Olaus Petri*, ut notat nobilissimus Vitfeldius, statim tum animadvertisse Sueonum inter se æmulationes Christophorum regem, eosque importunâ quâdam ambitione ad regni feuda proventusque contendentes, alium alius invidisse fortunæ: Ac regem idcirco, dum impotentiæ ipsorum fræna laxat, datis literis, feudalia ista bona venalia fecisse; Esseque sæpenumerò cæca contendentium importunitate factum, ut uno subindè anno, unum idemque territorium multoties dominum mutarit; & rege dum alium atque alium eodem instituit accepto, quod quisque offerret, pretio, se hoc pacto fiscumque suum ditarit, ipsis ad egestatem redactis. Dum autem apud Suecos rex agit, ne cui fortè diuturnior ejus absentia vitio foret, per Daniæ & Gutiæ præsertim territoria, occasione seditionis superius memoratæ, & quod in plebem sibi commissam fuisse duriores præfectorum plerosque comperisset, diploma promulgari facit; Quo seriò severeque non modò promiscuam multitudinem, sed præfectos præcipuè commonitos voluit, ut unumquemque jure ac legibus suæ ditionis gaudere ac frui finerent, amiceque omnes pacateque agerent, neminem læderent aut injuriâ afficerent. Qui contra facerent dictoque audientes haud essent, in eos severissimè animadversurum se comminabatur. Data hæc erant Ludosiæ anno quem modo nominavi in crastino (ita enim instrumentum ipsum habebat) sancti Barnabæ Apostoli, qui dies fuit undecimus circiter Junii.

Quæ dum fiunt, agebat in insula Gotlandiæ rex *Ericus*. Undè circumquaque & maximè in Suecos, utpote sibi proximos, per Vitalianos piraticam exercens littora eorum ac stationes quàm infestissimas habuit: rogatusque rex Christophorus, ut insolentiæ eorum occurrere pararet, multa de Sueonum dissensionibus odioque intestino, quo alter in alterum flagraret, fecisse verba memoratur, adjiciens nunquam pace eos in totum potituros nisi, sublatis domesticis diffidiis, inter se concordes agerent. Et volunt, ubi ereptum aliquod Sueonibus per Vitalianos navigium nunciaretur, jocosè respondere eum ac dicere solitum, aliquid etiam avunculo suo, unde vivat, deberi. Priusquam è Sueciâ discederet, ingentem collegerat pecuniæ vim, sive è tributo, quod imperari universis fecisset; sive de muneribus, quæ, ut Crantzius habet, proceres obtulissent. Hanc ei universam gazam navi impositam avarum mare, colliso ad littus navigio, absorpsit ac perdidit. Ne tamen nihil egisse pro Suecis videretur, ex sententia senatus regni ipsemet in insulam Gotlandiæ ad *Ericum* regem, avunculum suum concessit, ut ipso veluti medio, piratarum, & quos ad manum adhuc retinebat avunculus, navalium prætorianorum insolentia ac deprædationes inhiberentur. Comes ei, præter cæteros, ipse etiam Mareschallus aderat. Quid verò

peractum

peractum fuerit, parum innotuisse vulgo reperio. Quamvis plurium sententia est, egisse cum cum avunculo decretumque, ut ad vitam retentâ Gotlandiâ, de cætero securius agens regna hæc tria missa faceret. Recedente deinde ab insulâ Calmariam Christophoro, impegit in cæcam & latentem sub undis rupem, quo vehebatur, navigium, perditaque sunt ceimelia, codicilli aliaque ejus, quæ ad manum habebat haud levis momenti supellectilia. Ipsemet in scapham receptus vitæ periculum vix ægrè evasit. Atque inde Norvagiam petens omnium votis atque acclamationibus regni diadema Ansloæ suscepit, præsentibus archiepiscopo Nidrosiensi *Aslaco* Bolt, *Iohanne* Ansloensi, *Ambiorno* Hammerensi, *Anduorno* Stavangriensi, *Thoma* Orcadensi, *Iona* Feroensi præsulibus, aliisque ex ordine equestri ac regni senatu viris nobilissimis: Quorum præcipue nominantur, dominus *Endredus* Erlādi, *Sualtus* Iohannis, *Harvigus* Henrici, *Olaus* Hagonis, *Guttormus* Benedicti, *Iohannes* Kruckovius, dominus *Sigvardus* Ionæ, *Rauldus* Nicolai judex Stegensis, dominus *Ingo* Laumandus, præfectus arcis Berganæ, dominus *Alphredus* Canuti, dominus *Olaus* Nicolai. CHRISTOPHORUS III. Rex. A. C.

Seriò severeque mulctati eodem hoc circiter tempore Slesvicensium Duci ac Comiti Holsatiæ *Adolpho* Frisii, qui vulgo Strandfrisii dicuntur. Cum enim ii satrapam, qui illis erat impositus, *Ebbonem* Wennekenum hostiliter impetissent ejusque ædes direptis bonis diruissent, persolvere adacti sunt Duci 7000 marcarum mulctam: *Ebboni* verò ob dirutam domum marcas quingentas. Quique bona ac supellectilem abstulissent, ea non tantum restituere, sed & mulctam præterea 40 marcarum pendere, & ipsum postremo Wennekenum recipere atque eum ut satrapam suum agnoscere adjudicati sunt. Memorabile est hoc tempore artem typographicam excoli apud Germanos cœptam, ac editis præclaris passim uoluminibus inclaruisse primum Orbi. Et inter cæteros ejus authores inventoresque, cum alii *Laurentium* Costerum Harlemensem, alii *Iohannem* Gutenbergium Argentinensem, ac Moguntinensem alii, ut est suæ quisque nationis studiosus ac admirator, dilaudent ac celebrent, haud debet omitti, qui ipso se nomine Danum prodit *Nicolaus* Jensen, quem Gallicum alii faciunt. Hic initio præstantissimæ hujus artis celeberrimus fuisse apud Venetos typographus memoratur. Et exstat ac commendatur præcipuè ejus *Plinii* Naturalis Historia, elegantibus, ut tum res erant, typis excusa sub annum Christi, qui sequetur, 1472, elapsis ab hoc, qui supra est positus, annis circiter triginta.

Christophori hinc anno proximo, qui fuit Christi millesimus quadringentesimus quadragesimus tertius, Coronatio à Danię proceribus magnâ cum solemnitate octavo Dominicæ nativitatis die, ceremoniis pręsidente *Iohanne* Laxmanno, archiepiscopo Lundensi, habita peractaq; est Ripis, quod oppidum Cimbricę Chersonēsi est longè celeberrimū. Aderant è Germaniæ principibus Dux Slesvicensium *Adolphus*, *Gulielmus* Brunsvicensis ac Luneburgensis, aliique duo, Silesiæ ac Bavariæ Duces. Ipsoq; inaugurationis die principum cuique sua erant assignata, quæ gestaret, coronationis ornamenta; Quorum Slesvicensis *Adolphus* gladium evaginatum electo regi præferebat, Brunsvicensis coronam, Silesiæ Dux sceptrū manu tenebat: Pomum Bavaro erat demandatum. Peractâ coronatione varii extemplò decursus hastiludiaque militaria celebrata, creatique à rege equites aurati duo & septuaginta. Versus, qui eo tempore hac de re consignati, lexi ac seculi ejus phrasi loquentes, ne quid omisisse videamur, ecce ipsos adscripsi: MCCCCXLIII.

Anno milleno, quadringeno, quadrageno,
Tribus junctatis, octava Nativitatis
Christi, Christophorus Ripis diademate cinctus,
Dux Slesvicensis Alff portator fuit ensis,
Wilhelmus stemma Brunsvig portat diadema,
At sceptrum Slesiæ Dux tulit egregie,
Bavariæ pomum, dux transtulit artificatum.
Missam cantante primam Metropolitano,
Rex Euangelium legit, unctus postea, demum
Sermonem genti juris doctore ferente,
Nomine Canuto, legis cum canone tincto,
Pontifices cuncti Danorum sunt ibi juncti,
Regnorum proceres, atque insignes mulieres,
Rex creat Armorum post hæc insignia morum,
Qui sunt in numero septuaginta duo.

CHRISTOPHORUS III. Rex. A. C.

Rex tornamentum parat hinc belli documentum,
Quo cum militibus, hastilat & Ducibus.
Missas pontifices, natali tres celebrantes,
Otthoniæ primam, Viburgensique secundam,
Ripensis summam, sub lumine quæ fugat umbram,
Illo nempe die, Doctor Thuo Theologiæ
Sparserat egregiè doctrinæ semina sanctæ
Henrich Otthoniæ fert clarè dogmata legum,
Sub stella Regum, præsul lux ante Sophiæ,
In pentecoste binos annos fuit ante,
Vandaliæ genti cædes patrata repentè.

Mox die, qui Calixto pontifici ac martyri est sacer, Haffniensium urbi sua jura ac leges firmavit tradiditque, ut & cæteris exinde Daniæ urbibus, promulgarique ea publicè Helsinburgi fecit, *Birckeret* vulgo appellant. Atque animum deinceps regni senatus ad rerum tractationem cœpit convertere. Estque per id tempus decretum ut abrogatâ, quæ solvi loco decimarum sueverat, parte quindecimâ, in usum suum revocarentur decimæ, utque eæ in tres partes æquales divisæ, una earum ecclesiæ parochiali, altera episcopo, tertia pastori, sive ut tum vocabant, plebano redderetur. Huic constitutioni subscripserant sigillaque sua adjecerant Christophorus Dei gratia Daniæ, Sueciæ, Norvagiæ, Slavorum, Gothorumque Rex, Comes Palatinus Rheni & Dux Bavariæ; itemque *Iohannes* Laxmand, eâdem gratia archiepiscopus Lundensis, Sueciæ primas & sedis Apostolicę legatus; ut & *Christiernus* Ripensis, *Vlricus* Arhusiensis, *Gerhardus* Burglaviensis, *Torlavus* Viburgensis, & *Hemmingus* Othoniensis eadem gratia episcopi: nec non viri item nobiles ac regni senatores *Ericus* Nicolai, *Henricus* Canuti, *Andreas* Nicolai, *Olavus* Absolonis, *Nicolaus* Erici de Asdal, *Andreas* Hack, *Nicolaus* Erici de Langtind, *Egbardus* Frille, & *Nicolaus* Ronnau milites. Dateque erant literæ Ripis in crastino Epiphaniæ. Earum literarum hæc erat formula:

„ Christophorus Dei gratia, Dacię, Suecię, Norvagię, Sclavorum, Gotthorumque Rex, Comes Palatinus Rheni, & Bavarię Dux; Et *Iohannes* Laxmand, eadem gratia Archiepiscopus Lundensis, Suecię primas, & sedis Apostolicę legatus, universis & singulis Clericis & Laicis, per regnum & provinciam Daniæ undique constitutis, favorem & gratiam cum salute. Decimas Deo & divino cultui debitas, utriusque testamenti tùm veteris, quàm novi testimonia clarè proposuerunt, coram nobis & nostris Consiliariis, Anno Domini millesimo quadringentesimo, quadragesimo tertio, crastino Epiphanię Ripis, pro parte Cleri personaliter constituti, spirituales in Christo patres, domini *Christiernus* Ripensis, *Vlricus* Arhusiensis, *Gerhardus* Burglaviensis, *Torlavus* Viburgensis, & *Hemmingius* Otthoniensis, eâdem gratiâ Episcopi, unanimiter conquerentes, quod prędictę decimę apud eorum Ecclesias, minus justè dentur; Quia de bonis acquisitis, loco decimarum, non decima pars, sed tantum quindecima solet dari; Pro altera verò parte Nobiles viri, domini, *Ericus* Nicolai, *Henricus* Canuti, *Andreas* Nicolai, *Olavus* Absolonis, *Nicolaus* Erici de Asdal, *Andreas* Hack, *Nicolaus* Erici de Langtind, *Egbardus* Frille, & *Nicolaus* Ronnau milites, ex parte omnium incolarum dictorum Episcopis patriam consuetudinem populi in contrarium allegabant; Consequenter ab utraque parte petitum extitit, & consultum, in prędicta causa justam sententiam nos proferre. Maturâ igitur deliberatione habita, in concilio jurisperitorum, sententialiter diffinimus, pro statuto perpetuo decernentes, Quod omnes & singuli, per Regnum & provinciam Dacię ubique pro decimis justis ab omnibus rebus suis justè acquisitis, decimam partem expeditè dabunt, prout de jure tenentur dare omni anno, sicut prędicti unanimiter censuerunt. Igitur præallegatam contrariam consuetudinem, imo verius corruptelam reprobamus, & sententionaliter condemnamus, & secundum laudabilem consuetudinem aliarum partium vicinarum, dividere debent pręfatas decimas in tres partes ęquales, tali modo, quod Parochialis Ecclesia unam partem, Episcopus alteram, & plebanus tertiam obtinebunt. Si quis autem huic nostro statuto temerariè contempserit obedire, talem in quocunque fuerit statu, habeant in potestate punire Episcopi locorum, tam ex parte Regiâ, quam ex parte Metropolitica, & ordinariè per censuram Ecclesiasticam coërcere. In cujus rei firmiorem evidentiam, nostra sigilla pręsentibus sunt appensa, Datis Anno, die & loco quibus supra.

Actum

Actum præterea cum episcopo Roschildensi de Haffniensium oppido coronæ cedendo, quod ejus jurisdictio ad episcopum tum ferè spectaret, & cui prima jura atque immunitates concesserit episcopus *Iohannes* Grand anno 1204, ut suo est loco annotatum. Lundensium quoque dioecesi eodem Epiphaniæ crastino Ripis indulsit suoque favore firmavit quæcunque antiquitus obtinuisset jura privilegiaque, voluitque ut, præter alia, ab omni expeditionum onere immunes ac liberi haberentur ejusdem dioeceseos inquilini. Literæ eâ de re ita habent :

Christophorus Dei gratia, Dacię, Suecię, Norvagię, Sclavorum, Gotthorumque Rex, Comes Palatinus Rheni, & Dux Bavarorum, omnibus præsens scriptum cernentibus, salutem in Domino sempiternam. Notum facimus universis, quod Reverendo in Christo patri, domino *Iohanni* Laxmand, Dei gratia Archiepiscopo Lundensi, ac etiam sedi suæ Metropolitanensi, omnes & singulas libertates, immunitates, gratias, jura, privilegia, quæ & quas, progenitores & prædecessores nostri, Danorum reges, eidem sanctæ sedi, liberius & uberius unquam dimiserant, ac de regali munificentia donaverant & annuerant, ex favore speciali admittimus, innovamus, donamus, & tenore præsenti, in nomine Domini confirmamus, adjicientes ex gratia Regia speciali, quod Archiepiscopus, qui pro tempore fuerit, omnes & singulos colonos & inquilinos Ecclesiarum parochialium, per & infra Dioecesin Lundensem prædictam sub suo Regimine & ordinatione, prout alios colonos & inquilinos, ecclesiæ suæ, unà cum Telonio **Birck oc Forrestrand**/ latius & uberius habuerant ab antiquo, ab omni expeditionis gravamine, scilicet *Stud* ac *Inne*, à modo liberè valeat retinere, districtius etiam prohibemus, ne quis Advocatorum nostrorum seu Officialium, seu quisquam alius, cujuscunque conditionis aut status existat, præfatam sedem, aut ipsius Prælatum, contra hanc gratiam nostram, audeat aliquatenus molestare, pro ut vindictam divinam, nostramque Regiam, vitare voluerit ultionem. Datum Ripis, Anno Domini 1443. in crastino Epiphaniæ Domini nostri Regiæ Majestatis sub sigillo, præsentibus appenso.

Similiter & cæteris quoque regni sui dioecesibus oppidisque jura vetera consuetudinesque aliaque olim ab antecessoribus ejus indulta suo assensu favoreq; rata firmaque habuit, Et urbi præsertim Norvagorum metropoli, Bergis dictæ, decimo quinto Augusti Haffnię, non modò immunitates ac jura vetera firmavit, sed & reditus annuos, aliquandiu intermissos coronæ ac sibi debitos, vulgò **Bordleiding** dictos, ut solverent penderentque negotiatores peregrini mandavit, sicuti & alia onera collationesque, quandocunque eæ imperarentur. Amstelodamensium quoque negotiatoribus paulò antè, calendis nimirum Junii, datis codicillis indulsit, ut liberè in urbe eâdem Bergensi commercia sua exercerent, ut & aliis in oppidis Norvagiæ, exceptâ Islandiæ insulâ, solutis ubique, quæ debebantur, teloniis. Simile quoq; diploma impertiit urbi atque oppidanis Zelandiæ Ziriczeensibus. Cujus exemplum, ut constet negotiationem etiam hac tempestate percelebrem ibi fuisse, ex Belgico Latine redditum hisce apponendum curavi. Nam id, præter alia, vir amplissimus Hadrianus Hofferus civitatis ejusdem consul, ac Quæstor Comitatus Zelandiæ, quæ est ad occidentem Schaldis, literatorum ut singularis mœcenas, ità antiquitatum præsertim urbis suæ studiosissimus, amicus noster, perbenignè nobiscum communicaverat. Est enim ejusmodi :

Nos Christophorus Dei gratiâ Danię, Suecię, Norvagię, Vandalorum Gothorumque Rex, Palatinus Rheni, Dux Bavarię, constare omnibus volumus has lecturis, & maximè regni nostri Norvagiæ dilectis, fidelibus, præfectis, judicibus, consulibus ac senatoribus aliisque civitatis nostræ Bergensis incolis atque indigenis, indulsisse nos civibus ac civitati Ziriczeensi, quæ est in Comitatu Zelandiæ, liberè ac tutò intra regnum nostrum prædictum Norvagiæ, exceptis Islandia aliisque in vicino insulis prohibitis, negotia sua commerciaque exercere, solutis, quæ pro more debentur, oneribus ac vectigalibus. Quapropter mandamus atque imperamus prædictis nostris judicibus, præfectis, cæterisque, ut prænominatos cives oppidi Ziriczeensis, intra regnum nostrum Norvagiæ negotiantes, provehant ac promoveant, eisque commodent ac esse adjumento velint; nec ipsis ullo modo molestiam exhibere quenquam permittant : nisi regiam nostram incurrere inclementiam cupiant : idque quandiu hac nostra fruantur gratiâ. Datum in arce nostra Haffniensi anno Domini 1443.

Est & Duci Slesvicensium *Adolpho* circa idem ferè tempus, Cæsareæ majestatis nomine ab episcopo Lubecensi *Theodorico* Holsatia Stormariaque in feudum, Chilonii solemniter tradita.

CHRISTOPHORUS III. Rex. A. C. . .

tradita. Quo eodem quoque tempore è vitâ migrasse reperio Lundensium archiepiscopum *Iohannem* Laxmannum, sepulturâ honestatum in æde cathedrali Lundensium. Et est in ejus locum surrogatus archidiaconus Viburgensis *Thuo* SS. Theologiæ artiumque liberalium doctor. Fit quoque apud chronologos mentio *Bartholomæi* de Monte Cuculo, qui hoc circiter tempore, à Romano pontifice in Daniam missus, passim indulgentiam petentibus nomine pontificis N. largiebatur. Exustum est per idem tum tempus igne fortuito cathedrale templum Roschildense. Referri ad eundem hunc annum conventus similiter ille debet, qui authore Christophoro rege Visenaci, quod ditionis Brandeburgicæ opidum est, erat indictus: De quo non unam omnium esse sententiam video. Crantzius ut & alij plerique, in id indictum ab eo putant, ut urbibus Hansaticis, quæ Daniæ regno multa sæpenumero detrimenta intulerant, frænum quasi injiceret: ideoque ut prius consilio quam armis rem ageret, convocari eodem fecisse *Fredericum* Marchionem Brandeburgicum, *Henricum* Ducem Megapolensem; *Othonem*, *Gulielmum* & *Henricum* Brunsvicenses aliosq; viros principes: Et ipsum Christophorum habitu religionis ergo peregrinantis cum equitibus octingenta eodem pervectum, solumque abfuisse, licet amicissimè invitatum, *Adolphum* Slesvicensium Ducem, pacis quam belli studiosiorem. Memorat Sueonum scriptor *Iohannes* Gothus, Christophorū occasione navalis victoriæ adversus Anglorū regem, aut negotiatores ejus obtentæ, eorundem ditatum spoliis statuisse cum urbibus & præsertim Lubecensibus bellum gerere, contractâque numerosâ classe nuncios ad eos misisse, qui affirmarent ex voto peregrinationem instituisse eum, & ob id liberum sibi & suis per urbem transitum expetere; sed Lubecenses cautiores, quam ut ejusmodi hospites admitterent, id negitasse: Sicque non succedentibus insidiis domum redjisse. Notat Gothus idem haud parvam id temporis militum manum è superiori Germaniâ sub specie negotiatorum Lubecam intrasse, ubi dum tempus atq; occasionē, quâ Christophorus copias muris admoveret, operiuntur, fortuitum propè portam civitatis exortum incendium; atq; id cum à Christophori jam adventantis satellitio putarent injectum, confestim armis, quę intra dolia condita urbi invexerant, se induisse impetuque facto ad portam, ubi incendium erat, contendisse: Verum delusos se animadvertentes, urbe relictâ, pedem retulisse seq; proripuisse. Verum scriptores domestici cum Anglici istius conflictus mentionem non faciant, & illa præterea Daniæ regum compendiosa historia auctoris incerti ad bellum hoc Vandalicum conficiendum ex regno universo collectas opes referat, hos, quam illos fide potiores duco.

Habuit hunc annum fatalem præter archiepiscopum, de quo relatum jam modò Præ-

MCCCCXLIV. positus insuper Othoniensis *Iacobus* Magnus, & eum anno insequente proximè excipiens *Nicolaus* Bomeshagius, ut & Abbas Sorensis *Nicolaus* Clementis, *Petri* Lolli successor: Quem tamen ab illo *Petro* Laglandico, *Lolle* dicto, cujus hodieq; sunt in manibus rhythmi proverbiales, idiomate vernaculo, omnino esse alium & *Petrum* istum non *Lolle* sed *Lalle*, quod apud Hallandos familiæ nomen fuit, dicendum admonuit nobilissimus Vitfeldius. Superius privilegiorum mentionem injecimus, quę urbi Bergensium jam olim indulta Christophorus haberi rata firmaque, edito diplomate, voluit, significans præterea ut sibi coronæque quod quisque deberet more majorum persolveret, itâ & hoc anno, qui fuit regni ejus Norvagici tertius, postquam accepisset ab urbis ejusdem Bergensis aliisque regni indigenis negotiatores Theutonicos leges limitesque suarum immunitatum, quas ipsis olim Norvagiæ reges concessissent, multifariam migrare & transcendere, idque in præjudicium extremumque indigenarum detrimentum atque oppressionem, evulgato novo diplomate cautum voluit, ut exteri omnes negotia sua secundum consuetudines veteraque jura exercerent, relictâ ubivis in emptionibus mercium aliisq; contractibus emendi vendendique, aut aliàs agendi, prærogativâ regni ejusdem atque opidi indigenis civibusque. Hoc diploma prolixè scriptum ac regię ejus majestatis sigillo munitum, additis speciatim, quę ad singula mercimoniorum opificumque genera, aliaque ejusmodi spectarent, Hafnię est evulgatum die S. Barbaræ, qui fuit pridie Nonarum Decemb. anni MCCCCXLIV jam ante memorati: Et eadem quoque constitutio ut legum vicem in tabulas relata obtineret, regio mandato præfectis judicibusque ubivis significatum.

Rejicit ad eundem hunc 1444 annum, sive memorat potius, *Iohannes* Messenius Suio, in eo opere, quod Sueticæ nobilitatis Theatrum inscripsit, Christophoro scilicet Daniæ, Sueciæ Norvagiæque regi, à Turcarum imperatore Soldano filiam in thori legitimam sociam fuisse hoc tempore oblatam, idq; literis honorificentissime ad ipsum Christophorum regem

regem scriptis; ut indicat idem Messenius, qui & eas, ut gloriæ gentiumq; borealium ebuccinatrices Theatro isti suo insertas voluit. Sunt autem istæ:

BALTAZAR Soldanus, consanguineus Deorum, Babyloniæ Imperator continuus, Alexander Macedo, dominus dominantium Africæ, Rex regum Arabiæ, Chaldææ, Persiæ, Lybiæ, Barbariæ, Armeniæ, Assyriæ, Mosteniæ, Nubiæ, Alexandriæ, Ægypti, Parthiæ, Mediæ, Mesopotaniæ & Hircaniæ, custosque speluncæ crucifixi, salutem & amicabilem felicitatem. Nuper per tuum nuncium, nobis dilectum M. Johannem de Europa, auribus nostris innotuit, te fore magnum regem Gothorum famosorum, & Moderatorem gelidæ plagæ, scilicet validorum Suecorum ac Norvagię, & magnæ gentis Danorum, & principem Bavarorum, victoremque inexpugnabilem Gothorum, qui magna & varia olim in terris nostris triumphantes fecerunt, & nostris divis Antecessoribus angustias posuerunt. Igitur de tua persona & potentia amicitiam volumus, in quibus auditi, miro modo gavisi sumus & fuimus: Ideo in Basilicis nostris Deorum nostrorum offerta obtulimus, quòd de Deo tonante tibi data sit potestas, laus & gloria hujus mundi in tam juvenili ætate: Miramur & quod obedis magno sacerdoti Romanorum, cum etiam Dij nostri Machometus & Amon Cromethi tibi prosperitates faveant. Ea propter scias in brevi nos te visitare, & cum Zephyro navigio nostro magno, versus septentrionalem plagam, versus Arachesiam, Velgenteam, Moschoviam Russiæ, tuam regionem tangentem, personaliter visitare; Et ibidem filiæ nostræ *Xerzinæ* pulcherrimæ consignare velle te in maritum, & ipsam tibi in uxorem: Ideo misimus tibi epistolam, præsentem nostris cum munusculis, vas aureum puro balsamo plenum, per tuum prædictum hominem, commensalem nostrum continuum, qui tibi nostri ex parte multa dicet: Datum Babylone super Nilum Machometi & Ciemethi Deorum nostrorum, Rameatri Amonis Elgasistri.

Inscriptio etiam non minus mira, quàm ipsæ literæ, utpote quæ ejusmodi fuit:

Cui nostri dij favent, de quo in oraculo nostro Deorum responsa habuimus, & in quo forte spiritus Alexandri Magni operatur, magno Regi gelidorum Hyperboreorum, Suedorum, Gothorum robustorum Danorumque & Slavorum, Bavarorum principi excellenti, collaterali nostro nobis perchâro.

Hactenus istæ literæ. Sed in actis domesticis cum nihil ejusmodi reperiam (ut taceam *Balthazaris*, terræ filij, nomen, aliaque eisdem codicillis minus decorè inspersa) tum & ipsi, ut statim dicemus, cum regi Christophoro Marchionis Brandeburgici filia, Christiani sanguis illustrissima virgo *Dorothea*, uxor reginaque obvenerit, harum literarum penes authorem esse fidem, inque medium, id quidquid sit, relinqui, aut potius Morboviam ire, lubens patiar. Nam ut id tantùm dictis jam addam, Turcico tum Imperio, non qui scribitur, fictitius *Balthasar*, sed *Amurathem* præsedisse, cujus & supra meminimus, ex serie eorum principum ac temporum historiâ sat constat.

Proximus isti annus, qui fuit Christi supra millesimum quadringentesimum quadragesimus quintus, adornandis præcipuè ac celebrandis regiis nuptiis traductus fuit. Est enim Christophoro regi adsociata *Johannis* Marchionis Brandeburgici, quem vulgo Alcumistam vocant, filia *Dorothea* mense septembre, ut facile hinc intelligi possit conventū, qui supra fuerat biennio circiter ante Vilsnaci apud Brandenburgicos ab ipso indictus, non tam belli Vandalici quàm hujus præcipuè connubij respectu fortasse habitum. Celebrata autem nuptiarum solemnia Haffniæ, exornantibus eas suâ præsentiâ sponsæ parente *Johanne* Brandenburgico, *Gulielmo* Brunsvicensi, *Ludovico* Hassiæ Lantgravio, *Frederico* Bavaro, *Balthasare* Silesiæ Duce, *Ernesto* Comite Honstensi aliisque; exceptis, qui frequentes aderant, urbium Vandalicarum legatis, magnâque Danicæ nobilitatis ac procerum coronâ. Honori ac memoriæ earundem nuptiarum hi tum versus circumlati: MCCCCXLV.

Mille quadringeno, quadrageno quoque quino,
Inque sequente die festum Protheique Iacinthi,
Christophoro regi, dignè tria Regna regenti
Virgo Dorothea fuit Haffnis consociata.

Dotem sponsæ Christophorus assignavit Haralsburgum Roschildiæ unà cum jurisdictione regiâ, quæ ibidem habebatur, itemque Ringstadium & arcem Schildenessæ: apud Suecos nominata Orebroa, Nerika & Vermelandia, ut & Romeriga apud Norvagos.

Marchio eidem florenorum Rhenensium triginta millia addixerat, quæ tamen Christophoro vivo haud unquam reddita. Quocirca promissam dotem *Christianus* I, qui, defuncto Christophoro, *Dorotheam* in conjugem duxit, iterum iterumque flagitasse exinde Marchionem memoratur, ut & indè dicetur.

Celebratis, de quibus diximus, regiis nuptiis, præsentibusque adhuc, qui eis interfuerant, regni proceribus, firma rataque rex habuit, datis eâ de re Haffniæ codicillis, quæcunque antiquitûs à prædecessoribus ejus intra urbem Bergensem indulta Theutonibus privilegia juraque fuissent, hac tamen lege ac modo, ut nihil interea vel ipsi Coronæ vel urbi, quod ad jura ac leges utriusque, derogaretur, & sarta insuper atque integra manerent, quæcunque etiam ipse super immunitatibus vetustisque Norvagorum privilegiis, editis in id diplomatibus promulgari fecisset; ita ut exteri Theutonesq; suis quidem immunitatibus olim nuperque concessis gauderent, essentque nihilominus regni legibus subditi, ut & indigenæ, quibus sua quoque jura statutaque inviolata haberentur. Seorsim reperio in archiis Gelricis, tum quoque ejus Ducatus urbibus & inter ceteras Elburgo, ad sinum Austrini maris sito, stabilita sua, quæ ab antecessoribus Christophori Daniæ Sueciæque regibus acceperat, piscationis apud Schaniam & Falsterboenses jura atque immunitates.

Cumque per idem tempus minus benè apud Danos Suecosque audire Christophorus videretur, quod in aulam non modo suam Germanos perplurimos adscivisset, sed & eis præfecturas passim concrederet; Monereturque, pugnare non solum id cum juramento quod præstitisset, sed occasionem jam ante præbuisse *Erici* regis prædecessoris atque avunculi ipsius abdicationi, eos extemplo, quamvis invitus, dimisit, surrogatis in locum ipsorum ex optimatibus ac nobilitate viris indigenis.

Apud Laglandos deinde anno MCCCCXLVI, qui superiorem excepit, die Mercurij, qui festum Botulphi proximè insequitur, præsentibus regiis præfectis ac nobilitate in foro ejusdem ditionis editum plebiscitum, quod vulgo statutum Laglandiæ dictum. In eo de pœna eorum, qui ad causam dicendam citati non comparerent, deque eis, quæ cæduam alterius silvam inciderent pronuntiatum; actumque de armentorum gregibus ac præsertim ne in detrimentum alterius ad pastum capræ emitterentur: Inhibitæque venationes vulpium; & agricolis præsertim omnis omnino interdicta ferarum indagatio, pænaque in delinquentes statuta marcarum trium, quæ soli, in quo venatio esset celebrata, domino ac totidem, quæ regi essent pendendæ, præter venabulum, & quæ ejusmodi, aut alia ad manus fuissent venatoria instrumenta: Latumque decretum super hortis & viridariis colonorum, ut & sationibus agrorum, villisque atque habitationibus rusticorum: Ac denique statutum ne præfectorum quispiam aliquem ex colonis, qui proprium haberet prædium, vel comprehenderet aut vinciret, priusquam de eo coram judice foret pronunciatum.

Invenio in memoriis rerum Slavicarum Christophorum hoc anno, celebratis jam ante, ut dictum, nuptiarum solennibus, ad Suecos concessisse. Cujus etiam certum indicium exhibent regis codicilli Stocholmiæ decimo sexto Julij Osiliensium episcopo Ludolpho sub ejusdem sigillo hoc anno dati, quibus Episcopum jam dictum, totumque Osileense territorium in suam fidem ac clientelam suscipere testatur, cum præsertim eadem diœcesis etiam olim Daniæ regno annexa ac clientelaris fuisset. Apographum eorum codicillorum ità habet:

» Christophorus Dei gratia, Daciæ, Sueciæ, Norvegiæ, Sclavorum, Gothorumq; Rex, Comes Palatinus Rheni, & Dux Bavariæ, cum eâdem gratiâ ad Regnorum nostrorum solia ascenderimus, & plurimorum veridicorum, de regnis nostris relatione, intelleximus Osiliensem Ecclesiam, provinciæ Ripensis, à nostris prædecessoribus factâ requisitione, semper fuisse pro viribus defensatam, cum propter speciales à sede Apostolicâ commissiones factas, tum quia Osiliensis Ecclesiæ Episcopi, pro tempore existentes, Progenitoribus nostris complacentias exhibuerint, Quemadmodum Reverendus pater Dominus Ludolphus modernus ejusdem Ecclesiæ Episcopus exhibet de præsenti: Ideo ipsum Dominum Ludolphum Episcopum, Ecclesiam, Capitulum, & Vasallos, castra, bona, possessiones unà cum subditis eorum, in nostram pacem & protectionem, quatenus omnipotenti Deo liberius & quietius servire valeant, recipimus, & pro receptis habere volumus, conjunctim, & disiunctim literas per præsentes: Ipsique Domino Episcopo Osiliensi, alijsque superius expressis, antiqua privilegia à nostris progenitoribus concessa, sicut

sicut justa sunt confirmamus: Et volumus Canonicas Capituli Osiliensis electiones quantum possumus fovere & dispensare. Poterunt etiam nuncij dictorum Episcopi, Capituli & Vasallorum, ad nostra regna liberè ire, stare & exire, absq; nostrorum capitaneorum, vel eorum locum tenentium impedimento aliquali, (nostris Regalibus juribus semper salvis) quibus injungimus seriosè, ne in castris, suburbiis, aut aliis locis Regnorum nostrorum aliquos Æmulos, seu profugos ejusdem Domini Episcopi, aut suorum, aut de ipsis conquerentes, cujuscunque etiam conditionis extiterint, contra eundem Dominum Episcopum, vel suos, contra juris ordinem foveant, vel defendant, publice vel occultè, directè vel indirectè sed eos absque omni dolo, & fraude, de nostris Regnis removeant, aut expellant cum effectu. Datum in Castro nostro Stockholm sedecima die mensis Julij, nostro sub secreto, Anno 1446.

Et addunt eędem, de quibus modò dictum, memorię, regem, rebus in Suecia ex sententiâ peractis, ubi navi conscensâ in Daniam esset rediturus, naufragium adjisse, deperdito ingenti pecuniarum aliarumque pretiosarum rerum, quas ibidem dono acceptas aut aliàs ex regni proventibus collegisset, thesauro: nisi hoc ad illud referendum naufragium, cujus anno 1442 superius meminimus, aut istud potius retrahere huc libeat: cum, ut vulgò dicitur, naufragium semel passus iterum navigare formidet. Produnt memoriæ chronologi estq; ob raritatem exempli haud indignum memoratu tam asperam hujus anni diutinamque hiemem geluque fuisse, ut id à festo Martini ad anni usque insequentis festivitatem, quam *Voldermiße* vulgo vocant, perduraverit.

Meminimus superius ad annum 1417 *Mariæboæ* apud Lalandos monasterium, olim *Schiningiam* dictum, ac tum in ædificationem ejus multas undique ab archiepiscopo Lundensi corrosas pecunias, hoc autem tempore ut summa aliquando ædificio manus imponeretur, bulla, ut vocant, pontificis *Eugenij* quarti promulgata, quâ omnibus eum locum frequentantibus, ob merita divarum Mariæ ac martyris Birgittę, delictorum suorum remissio, &, ut tum dicebant, indulgentiæ promittuntur. Estque autographum ipsum in membranis exaratum ac septem Cardinalium & inter ceteros, clarissimi illius ac literis, ut illud erat seculum, excultissimi Cardinalis *Bessarionis*, Græci hominis, qui omnes pontifici tum à latere consiliisque fuêre, nominibus ac sigillis communitum, datumque Romæ XVIII Calend. Februarij anno jam antè memorato. *Bessarion* autem ut innui natione Græcus, patria Trapezuntinus fuit. Isque cum patriarchatu Constantinopoli fungeretur, *Eugenij* quarti tempore, laborantibus in Græciâ Imperatorum rebus, venit in Italiam ad Concilium, quod tum Florentiæ celebrabatur. Omniumque ex suâ gente primus exstitit, qui communibus patrum suffragiis in senatum Cardinalium electus sit. Cardinalitiâ dignitate auctus, Venetiis bibliothecam codicibus Græcis & Latinis instructissimam erexit, quos è Græciâ in Italiam, maximis impensis conquisitos, transportari curavit. Ei bibliothecę præfecit *Marcum* Anthonium Sabellicum magno stipendio Româ accersitum. Scripsit & ipse plurima volumina doctrinâ & utilitate plena, &, inter cetera, contra *Marcum* episcopum Ephesinum de Spiritu sancto malè cum Græcis sentientem in Concilio Florentino. Platonem imprimis colebat, pro cujus defensione & laude evulgavit adversus popularem & familiarem suum *Georgium* Trapezuntium libros quinque. Scripsit & laudes Trapezuntis patriæ suæ & Isthmi: Consolationes ad Imperatorem Græcorum: Et orationes de bello Turcis inferendo. Mortuus est Ravennæ ex legatione Gallicâ rediens anno ætatis LXXVII Frederico Imp. & *Sixto* IV. P. M. id est, trigesimo circiter anno post datum, de quo memoravi, pontificis *Eugenij* diploma. Corpus ejus Romam translatam, & in templo Apostolorum magnifico conditum est monumento, quod ipse vivens sibi fieri fecerat cum ejusmodi inscriptione:

Bessario Episcopus Tusculanus S. R. E. Cardin. Nicenus: Patriarcha Constantinopol, nobili Græciâ ortus oriundusq; sibi vivens posuit, anno salutis MCCCCLXXVI. Ipsum diploma, de quo dictum, *Eugenij* pontificis, quia huc propriè spectat, totum apponi curavi. Est autem istud:

Universis & singulis Christi fidelibus pręsentes literas visuris seu audituris, Nos *Iohannes* Episcopus Pręnestinus, *Nicolaus* titulo Sancti Marcelli; *Georgius* titulo Sanctę Anastasię; *Beßarion* titulo duodecim Apostolorum; *Alphonsus* titulo Quatuor coronatorum presbyteri; *Prosper* sancti Georgij ad Veluanensem; *Petrus* Sanctę Mariænovę diaconi, miseratione divinâ sacrosanctę Romanę ecclesię Cardinales, in Christo Jesu pace & gaudium ac salutem;

CHRISTOPHORUS III. Rex. A. C.

virgo venustissima & omnium virtutum floribus insignita, virgo Dei genitrix gloriosa, cujus pulchritudinem Sol & Luna miratur, cujus precibus juvatur populus Christianus, florem speciosissimum, inmarcessibilem & æternum dominum nostrum Jesum Christum ineffabili sancti spiritus gratia cooperante produxit, qui secundum suam misericordiam salvos nos fecit & omnes homines vult salvos fieri & ad agnitionem veritatis pervenire, cunctorum peccatorum veniam tribuendo & cælestia regna suis devotis fidelibus largiendò suosque cultores spiritu humiles dicando, thesauris preciosissimis necnon indulgentiis ineffabilibus devotionem ipsorum quasi quibusdam allectivis muneribus excitando, ut sic eos gradatim per prȩmia ad perennia salubriter inuitet, qui prò transitoriis dat æterna & nullius est immemor benefacti ipsosque tandem efficiat sui regni participes ac jocundos cælestis patriæ possessores. Hinc est quod loca ejusdem gloriosæ virginis vocabulo insignita ejusque sanctissimo nomini dedicata sunt, à fidelibus magnopere veneranda & meritò frequentanda ut ipsius, quæ mater est omnis bonitatis & gratiæ, ac fons totius consolationis & indulgentiæ, piis adjuti suffragiis æternȩ retributionis præmia consequi mereantur. Cupientes igitur ut ecclesia monasterij sanctarum Mariæ virginis & Brigittȩ in *Mariæbo* terrȩ Lalandiȩ ordinis sancti Augustini, sancti Salvatoris nuncupati Othoniensis diœceseos, quæ, sicut accepimus, opere lapideo prægrandi noviter est fundata & inchoata, nondum autem constructa & consummata sumptuosisque indiget laboribus & expensis, quod quidem Deus in sæcula benedictus, qui semper in sanctis suis est mirabilis, per ejusdem intemeratȩ virginis Mariȩ patrocinia sanctissima, nec non per gloriosa merita ejusdem beatæ Brigittȩ, cujus sacrosanctȩ reliquiȩ inibi requiescunt; diversis miraculis, gratiis & prodigiis multipliciter illustravit, congruis honoribus frequentetur & à Christi fidelibus jugiter veneretur. Omnibus verè pænitentibus & confessis, qui ad ipsam ecclesiam seu monasterium in omnibus summis festis & in festivitatibus gloriosæ virginis Mariæ & Brigittæ, & alias quandocunque causa devotionis accesserint, ibique flexis genibus orationem dominicam & salutationem Angelicam aut aliam quamcunque orationem devotam dixerint, seu in eodem monasterio, vel ejus cœmiterio, pro pace & tranquillâ stabilitate illius regni vel universalis ecclesiæ unitate, aut etiam mutua tam in seipsis quam in cunctis Christi fidelibus habenda & augenda caritate, sive pro peccatoribus, ut convertantur, & pro justis, ut confirmentur, Deum piè exoraverint, qui in serotina pulsatione campanȩ, quæ communiter vocatur memoria beatæ Mariæ virginis, ter angelicam salutationem dixerint, etiamsi sint sorores & fratres dicti monasterij, qui in eadem ecclesiâ aut eorum refectoriis seu dormitoriis prȩmissa, aut eorum alterum fecerint, aut qui ad fabricam seu ad consummationem dicti monasterij & ecclesiȩ manus porrexerint adjutrices, totiens quotiens præmissa aut aliquid præmissorum devotè fecerint de omnipotentis Dei misericordiâ gloriosæque virginis Mariȩ & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, meritisque confisi sanctæ sedis Apostolicȩ, qua fungimur in hac parte singuli nostrum nostrorumq; Cardinalium, centum dies indulgentiarum de injunctis eis pœnitentiis in Domino misericorditer relaxamus. Eis verò, qui cœmiterium ambitus prædicti monasterij seu ecclesiȩ devotè circuierint, & pro fidelibus defunctis, Pater noster, Ave Maria, sive alias devotas orationes legerint pro quolibet humano corpore in ipso cœmiterio, vel ambitibus pro tempore tumulato singuli nostrorum, modo prȩmisso, indulgentias centum dierum concedimus antedictas, prȩsentibus perpetuis temporibus duraturas. In quorum omnium & singulorum fidem, & testimonium præmissorum prȩsentes nostras literas propriorum nostrorum sigillorum jussimus & fecimus appensione communiri. Anno à nativitate Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto, die XVIII. Kalend. mensis Februarij Pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri, domini *Eugenij* divinâ providentia Papȩ ejus nominis quarti pontificatus Anno quintodecimo.

Hucusque verba pontificij diplomatis. Cujus penes me autographum est in membranâ exaratum; habens subtus singulorum Cardinalium superius nominatorum appensa sigilla, thecis sericis diversi coloris inclusa. Pontifex autem *Eugenius* is est, qui patria Venetus antea *Gabriel* Condelmerius est nominatus, *Martini* quinti successor. Obiitque eodem hoc anno MCCCCXLVI, postquam in pontificatu variâ usus esset fortunâ. Nam initio statim urbe Româ seditione domesticâ pulsus Pisas primo atque inde Florentiam se contulit: Ubi sedecim Cardinales creavit & in his, duos Græcos, *Bessarionem* Nicenum, de quo dictum, & *Isidorum* Ruthenum. Hinc ad Basileense concilium

CHRISTOPHORUS III. Rex. A. C.

concilium citatus ut objectis criminibus responderet, venire renuit, quod diceretur concilium esse supra Papam. Itaque patrum, qui ibi aderant, sententiâ depositus, in locum ejus est nominatus *Amadeus* Sabaudiæ Dux & Eremita. Sed *Eugenius*, eâ synodo insuperhabitâ, aliam Ferrariæ atque inde Florentiæ convocavit, instigavitq; in Basilienses *Ludovicum* Delphinum, *Caroli* septimi Francorum regis filium. Unde infinita sequuta sunt mala. Romam reversus ornandę urbi incubuit. Inter cætera picturam ecclesię Lateranensis à *Martino* inchoatam in pariete, ad colophonem perduci curavit. Basilicæ quoq; S. Petri insignia adjecit opera, institutis adhæc liberalium disciplinarum illustribus gymnasiis. Duo illi crimina, alterum historia Ungarica, alterum Baptista Mantuanus impingit. Et illa quidem, quod *Vladislaum* regem, duos & viginti tum circiter natum annos, compulerit, quam *Amurathi* Turcarum Imperatori dederat, fidem frangere. Quique ob id bello ab eodem *Amurathe* petitus miseribili clade occubuerit. *Baptista* Mantuanus injustè ab eo exustum memorat *Thomam* Rhedonensem Britannum, ubi inquit capite ultimo de beatâ vitâ: Hic (*Thomas*) pristinum fidei fervorem adhuc in pectore fovens cum paucis in Italiam se contulit. Sic enim Deo visum, ut ea regio, quæ cæteris præstat, hoc etiam virorum ornamentum haberet. Verum non solum Italiæ, sed etiam ipsi huic viro sancto Deus consuluit: Illi enim dedit, cujus vitam posset imitari: isti verò purpurei diadema martyrii. Nam dum bene beateque viveret, à quibusdam invidis, apud summum pontificem *Eugenium* capitis accersitur. Et post carcerem, post tormenta, post cruciatus, tandem cum nihil damnabile reperissent, gravius investigarunt: quod jure non potuerunt, injuriâ perficere fortiter accinguntur, & conburendum scelerato rogo sub annum 1436 commiserunt. Ah, quò perrumpis efferate livor! Sed tamen illum non occidisti: nequit enim anima extingui. Sed illius terreuum corpus violando, fecisti ut citius vitâ donaretur æternâ. Hujus flammas, non Scævolæ rogo, sed Laurentij posse comparari non dubito. Dicant quidquid velint: obstrepant, clamitent & insaniant, *ille summo vivit olympo*. Sed multa de hoc viro silentio præterij &c. Hactenus Mantuanus temporis hujus synchronus.

Annum verò superius positum 1446 funestum exinde ac fatalem accidisse reperio illustrissimæ sorori regis *Annæ*, dum reginam *Dorotheam* in Daniam usque secuta ejus gynæceum inter ceteras illustres virgines suâ præsentiâ cohonestaret. Ei regium in morem exequiæ factæ conditumque funus in æde cœnobij Sorani juxta principum reginarumq; regni monumenta. Perperam Slavorum Chronicon superiores regis nuptias ad annum Christi proximum millesimum quadringentesimum septimum retulit cum anno 1445, ut meminimus, celebratæ fuerint.

Literas vero eo tempore, qui fuit annus millesimus supra quadringentesimum quadragesimus septimus, non unas evulgari Rex curavit, quibus populorum vicinorum immunitates ac privilegia asserta voluit. In his Hollandiæ, Zelandię Frisiæq; incolis, qui Balthicum mare hasque boreæ oras navigando suisque commerciis frequentando adirent, libere ire ac redire suaq; excercère negotia, ac omnibus, quas à majoribus ipsius accepissent, prętogativis ac priviligiis uti frui, idque ob merita, quibus iidem indigenæ atque incolæ sibi jam dicta regna sæpenumero devinxissent, inque posterum suis officiis demereri ac sibi obligare possent, clementer concessit. Hi codicilli signati Haffniæ die beati Clementis, qui fuit 25 Novemb. Quo eodem quoque die signatæ & aliæ Christophori item regis literæ, sive apocha fuit, quâ sibi nomine dictarum ditionum Hollandiæ, Zelandiæ ac Frisię adnumeratam profitetur summam quinque millium florenorum Rhenensium, quos sibi vi certi contractus eędem provinciæ debebant. Easque, ut & negotiatores earundem ditionum universos hac parte suo ac posterorum suorum nomine esse solutos ac liberos pronunciat. Quin & inter easdem hasce provincias ac boreæ regna regemque Christophorum hæsisse controversum tum quiddam codicilli alij dati circa idem fere tempus indicare videntur, ob tractatum, qui jam ante quidem utrimque pactus, sed minus servatus existimabatur. Hinc naves aliquot tam Hollandicæ quam Zelandicæ ac Frisiorum arresto sive regis decreto Haffniæ circa festum Jacobi detentę: Ac mox missi hujus ergò à Duce Burgundiæ *Philippo* Bono, Hollandiæ ac Zelandiæ Comite, delegati, qui Haffniæ cum regis vicissim delegatis rem propius inspicerent. Qui & eò tandem litem deduxerunt, ut, rege pacato, triennium insuper negotiatoribus concederetur, intra quod singulis, qui se aliquâ affectos injuriâ quiritarent, jus suum persequi integrum relinqueretur; Et Danis quidem, Suecis ac Norvagis Hagæ Comitis in Hollandię curiâ; Et Hollandis vicissim, Zelandis ac Frisiis Haffniæ, si penes Danos culpa hæreret; si verò

MCCCCXLVII.

penes Suecos, Stocholmiæ; ac denique Ansloæ, si in noxâ deprehenderentur Norvagi. Qui autem intra præscriptum id tempus causam agere vel negligeret, vel supersederet; Ei deinceps, quod postularet, reliquum nihil esset. Huic contractui à parte regis interfuisse, præter ceteros, reperio *Iohannem* Laxmannum archiepiscopum Lundensem, *Benedictum* Priorem Anderschouensem: itemque *Martinum* Jonæ ac *Stenonem* Basse equites: A parte verò Burgundiæ Ducis, nomine Hollandiæ, Zelandiæ ac Frisiorum præsentes fuêre *Samson* Lalaingh/ dominus de Opperbops/ dominus *Arnoldus* à Gent/dominus in Gasenborgh/ *Iohannes* Heynens/ *Iohannes* Rosa & *Gerhardus* Nortwich.

Quarum literæ postremę eum præcipue conventum sive pacificationem respiciunt, quę haud multo ante Haffniæ quoque (idque anno præsertim 1441, nec istâ occasione omittendum) est celebrata inter urbes Vandalicas & Hollandos Zelandosque. Vandalici enim, vel ut vulgo tum vocabant, Osterlandi Hamburgenses, Lubecenses, Rostochienses, Stralesundenses cæterique ejus tractus, Hollandorum nonnullas naves insolenter deprædati mnemque rerum restitutionem etiam compellati, recusantes, cum Hispanis, Venetis Prutenisque, qui hoc tempore in oceano illo boreali frequentes erant, mutuum fœdus inierant, quo erat statutum, ut Hollandos omnes, junctis viribus, è mari exturbarent. Unde ingentia detrimenta passi iidem Hollandi Zelandique. Dux verò Burgundiæ *Philippus* Bonus, Hollandiæ Zelandiæque Comes, de omnibus certior redditus, Osterlandis causæ cognoscendæ diem dixit. Accessêre ex urbium Vandalicarum delegatis *Henricus* Rapesilverus Dantiscanus, nec non *Henricus* Voorart Lubecensis, uterque eques. Hollandi etiam suos misêre: Et in his nominatus *Everardus* Jacobæus Amstelodamensis tum Consul. Singuli illata sibi damna in medium attulêre. Sed nihil aut parum, quod ad rem pertineret, promotum eo conventu. Unde utrimque resumpta arma mareque prædationibus de novo infestatum. Hollandi hoc agentes instructis cum classibus egressi, quidquid ex portubus circumquaq; solvebat, in prædam rapiebant: ac brevi deinde temporis spatio illata sibi damna facillimè repararunt. Venetis, qui se, ut dictum, Vandalicis junxerant, & eâ quoque tempestate hoc boreum mare crebrius frequentabant, pax nuspiam fuit. Eorumque, inter cætera, instructissimam exoticis mercimoniis deprædati onerariam Hollandi, ac mercibus omnibus in portu quopiam Zelandiæ vacuatam, igne injecto, exusserunt. Breviter, tantum tunc adversariis intulêre terroris Hollandi iidem Zelandique, ut penè soli eâ oceani parte regnare viderentur. Cujus etiam nomine ex navigiorum suorum summis in malo corbibus scopas pro signo extulêre, quasi ii essent, qui mare prædonibus purgarent. Et prædixisse hoc suis *Henricum* Rapesilverum Dantiscanum in conventu superiori, cum partes haud conventuras videret, monuisseque, *dormire ac quiescere leonem, caverent verò ne irritatum suo malo excitarent*, memorant annales Hollandiæ. Cum igitur integrum circiter trienniumhoc pacto inter Hollandos Vandalicasque civitates esset velitatum, de pace, ut dixi, iterum agi cæptum; eaque ut meliori, quàm prius, successu perficeretur, Daniæ noviter creatum regem Christophorum prensarunt Vandalici obtinueruntque, ut pacis hæc tota tractatio, intra regnum ipsius, Haffniæ nimirum, haberetur ibique bonis avibus ac dextro numine perageretur. Conveneruntque mox, rege haud abnuente, utriusque partis delegati Haffniæ, ac pactæ feliciter inter easdem Vandalicas urbes & Hollandos annorum duodecim induciæ. Inter Danos verò Prutenosque & Hollandos, solida ac duratura constituta pax. Eaque intelligenda, cujus codicilli superiores mentionem faciunt: quemque labefactatam aliqua sui parte, sed resumtam isto tempore ac ritè firmatam, satis eædem innuunt literæ. inter verò pacis auspices actoresque qui memorantur *Everardus* Jacobæus Consul Amsterodamensis; is in eo, qui est in manibus consulum ejus urbis per annorum seriem deductus Catalogus, sive appellare Fastos Consulares libet, non inter Consules, sed in ordine Scabinorum ad annum 1438 recensetur: Et anno eodem *Iohannes*, qui sequitur, Heinensdictus, totidem verbis in ordine ibidem Consulum, *Iohannes* Heinens perscribitur: ut eum nomine urbis suæ à Duce Burgundiæ *Philippo*, Hollandiæ Zelandiæque Comite, delegatum fuisse, hinc intelligere habeamus. Et qui iisdem præterea in literis, ab eodem Burgundorum Duce missus, *Samson* Lalaing dicitur, eundem alibi *Simonem* Lalaing dictum repperi, Admiralii ac Slusæ Capitanei titulo insignitum.

Mox ubi è Sueciâ (quò, ut memoratum, peractis nuptiis Rex concesserat) domum reversus obtinuisset, ut regni ibi comitia haberentur, statim sub anni hujus 1447 finem convenire Jenecopiam Suetici regni senatum mandavit. Et ipse quoque itineri se accingens,

gens,

CHRISTOPHORUS III. Rex A. C. MCCCCXLVIII

gens, postquam Helsingburgum venisset, ægritudine corporis de subitò correptus ibi sub anni insequentis MCCCCXLVIII initium, ipso Epiphaniæ die, qui fuit VIII Id. Januarij, animam, à quo acceperat, Deo reddidit.

Dani ut omnibus eum animi corporisq; bonis ac principe dignis virtutibus instructum non immeritò laudibus ferunt, ità Sueonum historiæ parciores hac parte, & antequam *Dorotheam* duceret, etiam solutam in eo vitam ac pravis cupidinibus deditum notant. *Johannes* præterea Gothus, quod tamen apud eum solum reperio, etiam post *Dorotheæ* nuptias minus integræ famæ fuisse memorat.

Sed ne omisisse videamur quidquam, quod ad rem spectare quoquo modo possit, subjiciemus verba authoris, qui seriuscule ad manus nostras pervenit, *Erici Olai*. Hic sacrę Theologiæ Doctor atque ecclesiæ Upsalensis Decanus, tum & hisce temporibus quàm proximus, historiam Suecorum Gothorumque, ante annos nimirum centum quinquaginta, & quod excurrit, Latine, ut erat tum seculum, conscripsit, deductam ad tempora successoris Christophori regis *Christiani* ejus nominis primi: quibus & ipse claruit. Is ut superiora pleraque, præsertim Suecos & eas res spectantia, quamvis haud sine inclinatione & studio, adducit, ità & posterius hoc innuit, ut sequitur: Postquam rex *Ericus* cœpisset etiam Dacis (ita fere semper Danos & Daniam Daciam nominat) esse molestus, & attentasset intrudere pro rege Ducem *Bugislaum* Pomeranum, nepotem suum ex fratre (veriùs *ex fratre patris sui*) & ipse egressus in Daciam, omnem thesaurum trium regnorum apud Dacos depositum exportasset, Daci eo repudiato, scripserunt, & per solennes nuncios, quasi in personâ consiliariorum trium regnorum, vocaverunt Christophorum Ducem Bavarię, nepotem *Erici* ex sorore, ad suscipiendam coronam, sceptrum & principatum trium regnorum, quę gubernaverat Rex *Ericus*: Hæc autem scripserunt Daci, & tractaverunt cum Duce Christophoro ignorantibus & irrequisitis consiliariis regni Suecię, promittentes nihilominus eidem tria regna indubie assignanda, rogantes ut indilate & in potentiâ properaret in Daniam, opem, si opus esset, contra *Erici* regis laturus insultus. Ille vero suis rebus præcipitanter ad hæc ordinatis, cum multo Bavarorum comitatu, Danorum pervenit in fines, ad dignitatem quidem regiam & regni administrationem mox admissus: Coronatio autem ejus triennio est dilata, donec scilicet à Suecis & Noricis (Norvagis) susceptus pariter esset in regem, ut eo ipso daretur intelligi, adeo alia duo regna Dacię esse connexa, ut nisi illa simul haberentur, tanquam nondum assecutus plenum & totum dominium, ad quod per Dacos assumptus fuerat, non deberet Electus eorum coronari in regem: Sueci autem semper illusi à rege *Erico*, depressi atque contempti, adhuc eum triennio expectabant, vocabant, citabant, & modis omnibus, ut eis tanquam Rex & Dominus pręesse dignaretur, & justas patrię leges conservari pateretur, literis & nunciis supplicabant: Ille autem non se regem; sed latronem & piratam exhibuit, quoad vixit.

Mortuo interim domino *Olavo* archiepiscopo Upsalensi, modo quo pręmittitur, postulatus est in archiepiscopum venerabilis pater & dominus *Nicolaus* Ragualdi, episcopus Vexionensis, vir multę discretionis, experientię & scientię &c. Hic verò venerabilis pater factus archiepiscopus Upsalensis, provida deliberatione considerans, regnum non posse sine authoritate regiâ diu stare, simulque perpendens, quod multa malitia esset in terrâ, cum quibusdam aliis ad hoc animum dedit, ut dux Christophorus sicut in Dacia, sic & in Suecia assumeretur in regem.

Constituta itaque dietâ Calmarię, ut Rex susciperetur, & reinduceretur, si redire voluisset, confluxerunt ad locum eundem episcopi & Nobiles cum Mareschalco, & civitatum procuratores: Non destitit autem Christophorus procuratores & Ambassiatores illius (illuc) etiam destinare, qui causam suam in negotio regni efficaciter promoverunt. Erant autem eorum pręcipui archiepiscopus Lundensis, & Miles quidem Clauss Nilson, gener scilicet *Caroli* Knutson Mareschalci Suecię: Qui idcirco prę aliis ad hoc fuit electus negotium, ut tanquam amicus suadere posset Mareschalco, in regem Christophorum consentire. Hi ergo Calmariam venientes tanto præconio sui Christophori aures omnium repleverunt, ut capere vix possent humani auditus tantę glorię celibatum (celebratum) post etiam subjungentes:

Si linguæ centum resonarent oraque centum
Ferrea, Christophori laudes vox dicere nescit.

CHRISTOPHORUS III. Rex A. C.

Quæ omnia postquam in ora populi miro eloquio diffudissent, assumpto Marschalco Suecorum *Carolo* Knutson, & in partem tracto, tantæ gloriç prærogativâ prçcommendatum Christophorum super astra ferentes extollunt, ut omnia prçnarrata de eo horum comparatione nihil esse viderentur. Deinde quanta gloria, excellentia, sublimatio, prçrogativa, dignitas & felicitas ipsi marschalco accresceret, si hunc tantum principem assumi & perfici consentiret, multò efficaciori quam ante sermone confirmarunt: nec dubitaret ipse marschalcus regnum ipsum ad nutum sibi per omnia famulaturum, & ipsum inde habiturum per omnia quidquid vellet, dummodo Christophorus sortiretur nomen regium & coronam: Super quibus omnibus literas regias, die quo vellet habere, se procuraturos & daturos quàm facillime promiserunt: Quibus ille patienter auditis, & quasi vera esse crederet, simulatò commendabat, laudabat, probabat, & nihil rationabilius esse, quàm ut talis in regem susciperetur, modis omnibus affirmabat; Sed eâ vice fieri non posse, eò quod pauci eorum, quorum intererat, essent in oppido congregati. Dissoluto igitur nobilium conventu, referunt Marschalcum quandam inclusam consuluisse monialem, quç respondit eum regem futurum: Et cum ille responderet, Consiliarios contra niti, & in regem Christophorum consentire; illa subjunxit, propterea tres plagas sævituras in regnum scilicet guerras, caristiam & pestilentiam caristiâ graviorem, quibus omnia transferrentur à regno, si marschalcum assumerent mox in regem, & eum nihilominus suo tempore regiam dignitatem adepturum: Dicunt etiam infantulum quendam in monasterio Wastenensi clamasse & matri suç dixisse, in capite Marschalci coronam auream se videre.

Celebrata exinde dieta Arbogiç, in qua ille (Marschalcus) surgens in medium, peroravit in hunc modum: Nostis (inquit) in quantis angustiis regnum erat constitutum, eo tempore, dum me gubernatorem fieri voluistis? Nunc autem mea industria & labore, sed & multiplici periculo & sudore factum est pacificum & tranquillum; Rogo igitur sic meos labores respicere & pensare velitis, ne cogar cum meis, quoad vixero, mendicare, asserens se multa & importabilia intuitu regni debita contraxisse, sicque discessit: Consiliarij autem congregati, directo ad eum internuncio, inquiri jusserunt, quid sibi vellet pro tanto labore refundi. At ille optabat Finlandiam pro tempore vitæ suç; Oelandiam verò pro se & hæredibus suis, ut ab eis redimatur XL millibus marcarum: Quod & illi dicuntur gratuito admisisse & annuisse; Omnium igitur unanimi consensu literæ diriguntur ad regem Christophorum, super privilegiis & certis articulis sigillandis. Quibus si annueret, promittunt se in proximo festo D. Johannis Baptistæ ei occurrere, & in regem Sueciæ adoptare, loco conventionis Calmariæ deputato: Scripsit & Marschalcus singulariter pro se, significans quod de his & illis territoriis, esset ei pro suo labore per Consiliarios provisum, rogans & ipse quod hæc & quædam alia sibi sigillata darentur. Fiunt extemplo cuncta petita, & longè majora promittuntur; Sed & si sidera petita fuissent, incunctanter fuissent à Rege promissa; Verum circa Marschalcum, qui regnum cum castris tenebat in manibus, amplius extitit laboratum. Hunc enim rex Christophorus dulcissimis literis & amicissimis nunciis vocavit ad **Halmstad** / ubi tanta dilectio & gloria fuit ei promissa, quod non sit facile enarrare, dum in patrem eligitur à rege cum juramento: Adveniente vero festo S. Johannis Baptistç, ad locum præfixum, Calmariam videlicet Consiliarij Suecorum accedunt, regem Christophorum suscepturi; Sed impetitus bello, quod in rusticos Juthones admisit, ubi magnam stragem faciebat ex illis, litteris suis significavit se venturum ad festum assumptionis Virginis gloriosæ: Permanserunt ergo Calmariæ Dñs Archiepiscopus, & ceteri Consiliariorum usque ad adventum Regis, qui circa festum Nativitatis Mariæ portui applicuit Calmariensi, Marschalcus autem festinavit Holmiam; Mox igitur venientem regem, cum processione reverenter excipiunt, de ecclesia in castrum perducunt, & in continenti versus Holmiam accelerant; Occurrit autem Regi Marschalcus in **Herstack**/ & cuncta ei necessaria in victualibus administrat; Quievit autem duabus noctibus in **Walmarston**/ deinde applicans in **Sudermalm**/ inde processionaliter excipitur, & cum canticis in oppidum Holmense, in ecclesiam & castrum deducitur, Archiepiscopo & Marschalco hinc inde eum ducentibus: Vox autem vulgi insonuit, Marschalcum digniorem imperio & coronâ: Quæ vox continuo pulsavit regis auditum, hoc efficiens quod vox illa dicentium; Percussit Saul mille, & David X millia. Mox autem cum Prælatis & tota militia Rex accessit Upsaliam & in profesto Exaltationis S. Crucis, apud **Morasteen** ab omnibus regnicolis in regem unanimiter acceptatur, factis consuetis à Rege & populo juramentis, ut fieri est consuetum. Die verò S. Crucis more

Vide supra pag.619.

CHRISTOPHORUS III. Rex. A. C.

more & honore regis coronatur, creatis LXX Militibus Suecis, Dacis & Bavaris; quorum primus erat *Carolus* Knutson Marſchalcus; Rege verò deinde reverſo Holmiam, oritur adverſus Marſchalcum gravis moleſtia & querela à Domino *Chriſtierno*, dudum ab eo injuſte, ut aſſeruit, captivato, cępitque Rex exinde Marſchalco plurimum eſſe moleſtus, & diverſas contra eum occaſiones quærere cauſaſque perpendere, quas ille multa cautela, & fidelium familiarium aſſiſtentia declinavit.

Hic Chriſtophorus regno Suecorum multarum calamitatum occaſionem induxit. Quam cito enim potens factus eſſet in regno, ipſo diſſimulante & annuente, rex *Ericus* partes maritimas regni, multis latrociniis, incendiis & ſpoliis affligens, in magnâ parte patriam reddidit deſolatam, omneſque tranſeuntes navigio, mirâ tyrannide & rapina, vel timore & aggreſſu prædonico moleſtavit: Quanta autem bona de oppido Holmenſi evecta ſurripuit, non facile eſt æſtimare; Rex vero Chriſtophorus iſta per diverſas querelas intelligens, reſpondit avunculum ſuum vitę neceſſariis indigere, nec vitam poſſe agere abſque congruis alimentis: Conſiderans autem Sueorum abuſum, quo ſe nituntur invicem plerumque ſupplantare, uſus eſt eorum abuſu in graviſſimum exterminium, diſpendium & ruinam totius Sueticę nationis: Advertens enim quod avidi eſſent, & importuni ad petenda ſibi feuda, & bona tributaria de Coronâ, nec mutuo ſibi deferrent, quin ſibi conferri depoſcerent quod alteri erat jam collatum, detractiones multiplicantes alter alterius ſupra dorſum, ſimulque conſiderans ſibi plurimum eſſe proficuum, ſi diſſenſiones & jurgia eſſent inter illos, hanc ſibi ſtatuit in feudis largiendis cenſuram, ut cuilibet petenti ſtatim conferret quod ille rogaret, dummodo pecuniam haberet in promptu, quâ de Cancellario ſuper conceſſione feudi literam redimeret ſigillatam: ſuper quo in ipſo mox petitionis principio Rex interrogare conſuevit: Conſuevit autem litera hujuſmodi de Cancellario Regis extrahi XX nobulis Anglicanis, de quâ pecunia ex pacto & conventione, Rex medietatem accepit: Feudi verò poſſeſſio tam diu duravit in manibus & poteſtate cujuslibet ſic ementis, donec veniret alius qui idem feudum vellet optare: Quod quibuſdam quinque erat dierum, vel quinque hebdomadarum, magnum autem ſi & unius menſis, ita ut infra unius anni circulum, octo vel decem unum feudum taliter comparaſſent, & vix unus eorum inde tributa recepit. In hunc ergo modum omne aurum eraſit à regno, & per ſuos Bavaros in patriam ſuam, per ſummas multas & maximas deſtinavit: Adeò enim erant Sueci ſuâ ambitione & mutuâ invidiâ excœcati, ut in tantis ſuis diſpendiis non perciperent ſe illuſos.

Duxit autem Chriſtophorus uxorem quandam *Dorotheam* filiam Margravij de **Brandeburg**/ quam nec maritali dilexit affectu, nec liberos ex eâ ſuſcepit: Erat enim ipſe Rex incontinentię abominandæ, propter quam venit ira Dei in filios diffidentiæ; Unde putabant quidam ob ejus laſciviam regnum fuiſſe plagatum cariſtiâ illâ diutinâ quę ſub ejus principatu duravit. In Anglicos etiam latrocinia exercuit, quorum naves multas & magnas arripuit, bonis inæſtimabilibus oneratas: Civitates deinde Alemannorum maritimas diu quidem exagitatas, ſemel autem, ſed fruſtra, attentata verſutia ſibi ſubjugare conatus eſt: Convenerat enim cum principibus Alemannorum, præcipue ſuperioris Alemannię, quod concorditer & ſimul, ſed occultâ fraude, & quaſi ſubito ſuper civitatem Lubecenſem irruerent, quâ habita facile fuiſſet etiam alias ſubjugare; Res autem ſic diſpoſita erat: Die enim inter eos dictâ contulerunt ſe ad urbem Lubecenſem principes colligantiæ ſupradictæ, arma ſua ſecum ducentes in vaſis magnis, quaſi vinum pro longâ ſua ſuſtentatione ferentes; Rex autem his diebus exercitu numeroſo collecto, & in magna claſſe circa littora civitatum ſtagnalium pervagatus, ſimulabat ſe ad **Wilſnack**/ devotionis & peregrinationis gratia profecturum; Petiit autem primò à Lubecenſibus, quatenus ei liceret per civitatem eorum cum quinq; M. armatorum, tranſire & votum peregrinationis, quo ſacrum cruorē in **Wilſnack** viſitare tenebatur, ex voto perficere ſineretur, cauſſam aſſignans quare in tantâ multitudine graderetur; Quia cum aliàs hanc viam incedere attentaſſet cum paucis, Principes quidam vicinarum & intermediarum regionum inſidias ei, ut eum poſſent captivare, parabant. Lubecenſibus autem introitum ac tranſitum per eos illi negantibus, Wiſmarienſes, ut per eos tranſire poſſet, attentavit, ſimiliter & Sundenſes. Sed negativa per utroſq; recepta, Roſtochienſes ſuper eodem ſcribendo pulſabat; Quibus tranſitum concedentibus, miſit ad eos duos Milites, ut electis certis domibus Regis hoſpitio, pararent ſibi congruas manſiones: Fama igitur erat in **Roſtock** quotidie Regem venturum ad locum; Sed non erat ejus intentio alia in hoc facto, quàm credibile

Vide ſupra pag. 620.

Vide ſupra pag. 624.

credibile facere eum iturum ad Wilsnack/ & ne quâ esset suspicio, cur extra portam Lubecensem, & vicinarum civitatum tam diu gyrovagus ferebatur. Accidit vero interim nocte quadam in civitate Lubecensi domum quandam casu incendi, & dato signo & orto clamore totam urbem ad succurrendum vocari; Tunc principes & Nobiles, qui de superioribus partibus Alemanniæ advenerant, & aliquandiu jam in Lubeck Regis adventum expectarant, putantes Regem advenisse, & per injectionem ignis incendium hujusmodi procurasse, & impetu facto pro impugnatione civitatis aliquid attentasse, præcipitanter ad arma prosiliunt, armatique ad portas civitatis accelerant, ut eos vel aperiri vel frangi procurarent: Deprehensi ergo & interrogati cur arma adduxissent? Responderunt se ea pro exercendis hastiludiis, alii︎sque militaribus studiis adduxisse, nec aliud quàm civitati succurrere intendisse; Jussi tamen sunt continuo civitatem egredi, & in loco alio, si placeret, sua militaria studia exercerre.

Rex verò his auditis, in Daciam cum suo exercitu se retraxit, multisque instantiis & lachrimis Suecorum, per regem *Ericum* continuo spoliatorum, fatigatus, accessit Gothlandiam, quasi vindicaturus, aut pacem procuraturus, & rogatus ne cum rege *Erico* singulari & privato conferret colloquio invitis omnibus, qui aderant ex Suecis, longum cum eo soliloquium tenebat: Et continuata ejusdem regis *Erici* spolia ostentabant, qualiter in suo soliloquio conspirabant: Egressus verò de Gothlandia, Calmariam navigaturus, impegit navi in lapidem, aut quodvis aliud offendiculum. Erat enim communis navium transitus, ubi nemo noverat navigandi impedimentum: Et fracta navi statimque submersa cum multis nobilibus & plebeis, Rex cum multâ difficultate in cymba ad littus perductus: Cum autem Sueci, præ ceteris sibi subjectis, odio haberentur & continuis ab eo oppressionibus vexarentur, etiam Dani minus quàm extranei, præcipue Bavari, curabantur: Convenientes igitur Sueci & Daci potiores, rogaverunt regem, omnino volentes, & seriosè subjungentes, quod Bavaros suos à se remitteret, & faceret in terram suam repatriendo redire: Quod rex valdè molestè ferens & ægre suscipiens, mores conversandi mutavit, & jocos ac hilaritatem consuetam in vultum nubilum ac distortum convertit, Cæpitque disquirere quonam modo hanc suam displicentiam in Suecos, ut assolet, retorqueret.

Jussit igitur circa festum Natalis Domini Nobiles omnes potentiores de Sueciâ Jenecopias convenire, & illuc se, donec venire posset, congregatos expectare: Sunt qui referunt Regis intentionem fuisse, multos Sueorum vitâ privare voluisse, aliosque diversis suppliciis & servitutibus humiliare; Sed qui remedium apposuit, aliud cogitavit: Iturus enim Christophorus ad Suecos Jenecopiæ congregatos, in Helsingborg diem clausit extremum in festo Epiphanię, anno MCDXLVIII sepultusq; est Roschildis in ecclesia S. Lucij. Omnium autem quæ possedit, navium, equorum, auri & argenti & omnis pecunię de Sueciâ exportatæ remansit copia apud Dacos. Cujus morte perceptâ, Dominus *Nicolaus* archiepiscopus Upsalensis, lachrimatus est, moxque in lectum ægritudinis decidit, & paucis inde diebus elapsis vitam finivit temporalem &c.

Hic *Nicolaus* Ragualdus, episcopus prius Vexionensis, & mox, ut demonstratum est, archiepiscopus Upsalensis, cum adhuc Vexionensis esset præsul, ob morum ac doctrinæ, quibus præ ceteris hoc Boreę tractu eminebat, singulares dotes, missus ad Basileense concilium, de quo dictum, Regis sui *Erici* ac trium regnorum Daniæ, Sueciæ ac Norvagiæ nomine, ab omnibus maximâ cum honoris significatione exceptus est laudatusque: Ubi & hoc obtinuit, ut inde, priusquam domum rediret, ab eodem Concilio regeque suo *Erico* ad Regem Galliarum ac Ducem Burgundiæ Atrebatum sit ablegatus, ut inter ceteros, totius propemodo Europæ principes atque illustres viros ipsemet præsens adesset componendo, quod inter utrumque principem Galliæ regem *Carolum* septimum ac Ducem Burgundiæ *Philippum* Bonum per pluribus annis attinuerat, internecino bello dissidioque. Nam, ut est superius nobis ex historiâ ac rebus *Philippi* Boni, Burgundiæ Ducis, memoratum, Danicis ac domesticis chronologis vel omissum vel ignoratum, pręter eos Regum ac dynastarum legatos, qui ad eum conventum vocati accesserant, etiam non rogatos suâq; sponte principum quosdam, quò ea usque adeò expectata pax coiret, legatos transmisisse, & in his, præter Imperatorem *Sigismundum* aliosque, etiam Daniæ, Sueciæ ac Norvagiæ Regem *Ericum*: Et quidem hujus imo totius Concilij Basileensis vice hunc, de quo agimus, *Nicolaum* Ragvaldum Basileâ Atrebatum unà cum archiepiscopo Nicosiensi venisse, solus, quod sciam, observavit memoriæque prodidit *Ericus* Olai jam memoratus, eum ipsum Ragvaldum ab animi singulari moderatione ac multâ doctrinâ longâque rerum experientiâ

Refer ad pag. 603 quæ est superius.

experientiâ plurifariam commendans, adjiciensque & alia, quæ omittenda hoc loco haud existimavi. Sunt enim ista: Venerabilis pater & Dominus, *Nicolaus* Ragualdi, Episcopus Vexionensis, vir multæ discretionis, experientiæ & scientiæ, in omnibus factis suis mansuetus, benignus, longanimus & discretus, in Concilio Basileensi, nomine Regis *Erici*, pro tribus his regnis incorporatus, in multâ veneratione habitus, & laudem adeptus; Plurima operatus est laude digna, deque ortu Gothorum, progressu, victoriâ & virtute autentice peroravit, exinde deducens, quod in catalogo Regum & Principum congregationibus, sessionibus, Conciliis & tractationibus, Rex Gothorum non immerito sibi vendicet primum locum: Hujus validissimi & venerandissimi patres & principes in Basileensi Concilio congregati, virtutem experti, cum ad id tenderet sacri Concilij intentio principaliter, ut Ecclesiam Dei reformarent in capite & in membris, ut hæreses & schismata extirparent, & ut pacem in Ecclesia Dei ubique terrarum servari procurarent, vetus illud implacabile jurgium, guerram & odium, quod eo tempore inter regem Franciæ & Ducem Burgundiæ versabatur, tollere cupientes ipsum cum Archiepiscopo Nicosiensi de Cypro, in tam arduâ & difficili causâ destinarunt: Qui & rem ipsam utiliter gerens & perfectibiliter terminans, à Principibus ipsis donis magnificentissimis & respectus &c.

Hæc de *Ragualdo* Ericus jam dictus, successore *Olai* archiepiscopi itidem Upsalensis, cujus superius mentionem non semel fecimus: quem & in eo fuisse totum ostendimus, idque cum curâ semper egisse, ut *Ericus* Rex, præstitis, quæ promiserat, in integrum restitueretur, ac regni Sueci in se administrationem susciperet. Quod scilicet prævideret vir idem prudentissimus, id nisi fieret, exorituras domi seditiones, foris bella, quæ in regni certissimum postremo exitium vergerent. Quæ Archiepiscopi pro *Erico* Rege solicitudo cum Sueonum pluribus minus placeret, ipsi tandem exitio fuit. Nam, ut superius meminimus, veneno, quod lacti amygdalino erat inmixtum, tolli eum è medio præses Nicopiensis *Magnus* curavit. Quod cum pag. 629 jam modò attestantibus Sueonum annalibus, ità factum retulerimus, hîc obiter admonendum duximus, id non ab *Erico* Olai, quem ad testimonium jam semel iterumque adduximus, sed à *Iohanne* Gotho memorari ejusque nos annales intelligere. *Ericus* verò Olai de extremis ejus agens, hoc dixisse satis habuit, *Olaum* nimirum, pro rege *Erico*, qui id tamen minus de ipso meritus fuerat, egisse omnia, idque ad mortem extremumque spiritum usque. Ita enim loquitur: Idem tamen archiepiscopus *Olaus* cum regnum intrasset, & ad suam ecclesiam rediisset, exposuit se pro rege plusquam credi posset, & pro ejus (*Erici* regis) restitutione & perpetuatione in regno, usque ad mortem fidelissime laborabat.

Quæ verò de extremis ipsius regis Christophori & oratione ad regni proceres habita refert lib. 7 Daniæ suę Crantzius, eum scilicet commonuisse, ut proceres eligerent post se regem, qui non modò præesse regnis, sed prodesse eisdem posset, aliaque ad excusationem avunculi *Erici* regis à Christophoro, ut vult, memorata, ibidem ab eodem Crantzio posita, ea in actis domesticis non inveni, ideoque in medio relicta, hic monuisse satis existimavi. Ex nobilitate Bavaricâ, qui unà cum ipso in Daniam venêre, quique ductis in thorum suum Danicis conjugibus, ac fixâ hîc sede substitêre, reperio *Pasbergios* & *Poiseckeros*: quorum emortuis *Poiseckeris*, quibus erat pro insigni Æthiopis caput, cum liceo candido, *Pasbergij* (ità ab arce, quæ est in Bavariâ superiori nuncupati) relictis posteris ac sui progenie, etiamnum supersunt. Concinnatum per id tempus in obitum ejus Elegiacum rudioris Minervæ carmen ac seculi sui venam unico disticho referens, nec quicquid ferè præter annum & mortis diem superius expressos complectens; quocirca nec adscribere constitueram: Adscripsi tamen, ne quid omissum temere videretur. Est enim istud:

Hic Rex milleno, quadringeno quadrageno
Octavo, stellæ vespere morte cadit.

Atque ita defunctâ sine liberis non modo, de quâ diximus, Christophori sorore sed & ipso quoque Christophoro, extincta est illa vetustissima atque aboriginum Daniæ regum prosapia, clausitq; agmen omnium Christophorus. Sueones audito ejus excessu statim ad *Carolum* Marschallum respicere, eique regium diadema destinare cæperunt. Sed de hoc ceterisque huc spectantibus suo dicemus loco. Corpus defuncti regis delatum quamprimum Helsingburgo Roschildiam, ubi solemni ingentiq; magnificentiâ celebratę exequię, præsen-

CHRISTOPHORUS III. Rex. *A. C.*

præsentibus præter ceteros archiepiſcopo Lundenſi *Thuone*, *Iohanne* Roſchildenſi, *Chriſtierno* Ripenſi, *Vlrico* Arhuſienſi, *Nicolao* Volphio Sleſvicenſi, *Gerhardo* Borglavienſi, *Torlavo* Viburgenſi & denique *Hennekeno* Othonienſi præſulibus ceteraque nobilitate. Et primò quidem in æde cathedrali intra cryptam chori, ut vocant, majoris depoſitum funus; unde & mox transferri id ipſum ſucceſſor ejus *Chriſtianus* primus curavit, inferiique ſacello, quod ipſe extrui ibidem fecerat, regium hodieque nominant.

GENEALOGIA CHRISTOPHORORUM
Primi, Secundi & Tertii, Daniæ Regum

VALDEMARUS II victorioſus *dictus Daniæ, Gothorum Vandalorumque Rex.*

Ei nati ex

Maria *Othonis IV Imp. filia liberi nulli.* | Margaretâ *Dagmarâ Bohemicâ,* | Berengaria *Luſitanâ.* | *N*

Canutus *Dux Lalandiæ.* — Ericus *Dux Lalandiæ. vide pag. 355. ſupra.* | Valdemarus *vide ſupra pag. 355.* | Nicolaus *Comes Hallandiæ.*

Ericus *cognomento* Sanctus, *Daniæ Rex.* | Abel *Dux Sleſvicenſis Daniæ Rex vide pag. 315.* | Otto. Sophia. *vide pag. 355 item ad an. 1248.* | CHRISTOPHORUS I *Daniæ Rex, ei nati ex* Margareta *Pomeranâ* Sprinkhest *dictâ.*

Chriſtophorus & Canutus *ante patrem defuncti* | Sophia. | Agneta. Juditha. | Ingeburga *nupta* Magno *regi Norvagiæ, vide pag. 385.* Margareta *vide ſupra pag. 355.*

Ericus *Glipping Daniæ Rex, uxor* Agneta *Brandeburgica* | Valdemarus. | Mechtildis *nupta Alberto Brandeburgico. vide ſupra pag. 355.*

Ericus *Menvid Daniæ vide pag. 355.* | Valdemarus *obiit adoleſcens* | CHRISTOPHORUS II *Daniæ Rex, uxor Euphemia Brandeburgica.* | Martha *ſive* Meretha *vide pag. 355.* | Margareta *vide pag. 355*

Ericus. | Valdemarus. *vide pag. 355* | VALDEMARUS III *Daniæ Rex, uxor* Hadeviga *Sleſvicenſis Duciſſa* | Otho. | Agneta. Hedeviga *vide p. 355.* | Metilda. *vide pag. 355* | Margareta. *vide ibidem.*

Chriſtophorus. | Margareta. | Ingeburga *nupta* Henrico *Mepolenſi.* | Catharina. Valdemarus. | MARGARETA, *Daniæ, Sueciæ & Norvagiæ regina. nupta* Haquino *Norvagiæ regi.*

Anna (*aliis* Maria) *in matrimonium collocata Duci Pomeraniæ* Vartislao VI. | OLAUS *Daniæ Rex.*

ERICUS *Pomeranus Daniæ, Sueciæ ac Norvagiæ Rex.* | Catharina, *aliis eſt* Sophia *nupta Duci Bavariæ* Johanni *Neoburgico filio* Ruperti *Imperatoris, Bavariæ Ducis.*

CHRISTOPHORUS III *Daniæ, Sueciæ ac Norvagiæ Rex obiit improlis, relicta viduâ Regina* Dorothea *Brandeburgica: quam unà cum Regno ſibi thori ſociam aſſumpſit* CHRISTIANUS *Oldenburgicus, De quo tomo ſtatim, qui ſequitur, proximo.*

FINIS.

CHOROGRAPHICA
REGNI DANIAE
Tractusque eius universi borealis
DESCRIPTIO.

LECTORI.

IN historiâ cum alia terrâ, alia mari, nonnulla quoque juxta peculiarem locum, lucum, collem, clivum, montem, oppidum similemque tractum ac situm gesta occurrant, eorum accuratam habere notitiam adeò interest, ut hoc historiæ lumine quicunque destitutus sit, ei fere cæca hic omnia ac invia existant. Cujus rei gratiâ Appianus Alexandrinus, Rerum Romanarum atq; exoticarum præclarus scriptor, universos propemodum labores suos pro locorum diversitate distinxit. Alia enim Punica seu Carthaginensia vocat, alia Syriaca, alia Parthica, & eundem ad modum cetera, tàm quæ extant, quàm quæ perierunt, quod ex Photij bibliothecâ cognoscimus. Nec defuêre qui eâdem de causâ universum historiarum corpus constare præcipue quatuor judicarunt. Quorum primum, quod locorum descriptionem spectat, Topicon nominarunt, alterum Pragmaticum, tertium Chronicon, atque ultimum dixêre Genealogicum. Quas etiam ad partes cum in Opere nostro historico respexisse nos existimo, illud quod Topicon dicitur, velut prætereuntes & obiter, nec ei nimis immorantes, exsequuti sumus. Nam in hujusmodi esse non tam diffusi quàm breves maluimus; ne rerum narrationi intentus lector ex inopinato aliò & ad aliena quasi traduceretur. Quò & Lucianus respiciens ridet eos, qui res enarrare, ad statum publicum spectantes, aggressi, iis relictis, se ad specuum similiumque descriptiones convertunt. Cum igitur in ipsâ historiâ obiter, ut dictum, & non nisi re exigente, hæc ista attigerimus: Et referat nihilominus populorum origines, nomenclaturas cum vetustas tum novas, tum & situm naturamque ac magnitudinem cujusque districtus, ut & urbium conditores ac positus, gentisq; indolem, mores, instituta aliaque huc pertinentia haud ignorare, hanc chorographiæ fusiorem rationem à superiore corpore secretam vel præmittendam vel ad calcem subjungendam existimavimus; idque tam veterum quàm recentium exemplo. Et nos quidem initio in ipso statim limine collocare hæc in animum induxeramus, nisi ab aliis aliter persuasi, tum & intercurrentibus, quæ mutare consilium hoc coegerunt, hic habere locum passi sumus.

Tu Lector fruere & vale.

CHORO-



CHOROGRAPHICA DANIAE DESCRIPTIO.

Regni totius Danici complexus.

DANIÆ universum regnum aut insulis aut continente distinctum constat. Continentis præcipuæ sunt partes, *Chersonesus Cimbrica* & *Scandinavia*, ut olim appellaverunt veteres. Quarum *Scandinavia*, si strictè accipiatur, *Scaniam* sive *Schonlandiam* solam complectitur, si latius, *Norvegiam* etiam & *Suetiam* cum adiacentibus includit. *Cimbrica Chersonesus*, quæ hodie *Iutia* sive *Iutlandia*, perplures dioeceses seu territoria complexa, ab Austro, quà est *Holsatia*, finibus Germaniæ contigua hæret: Versus verò septentrionem in Oceanum Norvagicum longè procurrens peninsulam sive Chersonesum constituit. Huic introrsus, ad orientem, insularum proxima est *Fionia*, quam à Jutiæ continente augusti admodum æquoris intercapedo dispescit: Eaque vicissim ab ortu *Sialandiam* habet, Balthici maris amœnissimam insulam, quę medium quasi regni locum tenens, hinc *Falstriam* aliasque insulas, indè *Scaniæ* continentem ex adverso prospectat, ab eâ similiter exigui freti, *Oresundam* indigenæ vocant, interjectu separata: De quâ & aliis hoc maris tractu, minoris & nominis & momenti insulis, suo mox dicetur loco: Quæ autem ab occasu & Boreâ eandem Chersonesum prætexunt, plurimę, sed exiguę admodum sunt, quas & ordine deinceps producemus; sicut & illam, quæ, à latere occidentali Norvagiæ ad extremum propemodum Boream posita, *Glacialis regio* sive *Islandia* nominatur. Continentis itaque partes principe loco enarrandas assumam, converso indè ad insulas stilo, modò de ipsâ in universum Daniâ, ejusque etymo ac nomine, omnibus ubique regni partibus communi, pauca præmisero.

DANIÆ NOMEN.

DAnicæ gentis Danicique nominis origo quæ fuerit, si Saxonem Grammaticum, auchorem domesticum, eumq; secutos sequimur, *Danum*, Humbli filium, primò id nominis genti dedisse, multis antè Christi natalem annis, reperiemus. Quamvis Andreas Vellejus, vir literatissimus, regiusque olim historiographus ac ipsemet Danus, à Saxone hîc suo seorsim sentiens, à *Dahis* Scythiæ populis, & voce *Marc*, quæ non limitem sed regionem significet, *Daniæ* ac *Danemarchiæ* vocabulum repetendum potius putarit. Alij ab ultimâ origine *Dan* sive *Danum*, Jacobi Patriarche filium, judicem Hebręis denotantem,

abducunt. Nec desunt, qui *Dacos* itemque *Danaos*, Gręcanicam gentem, Danorum conditores asserant. Quos inter Dudo fuit, de S. Quintino dictus, cujus hæc verba sunt: *Daci nuncupantur à suis Danai vel Dani, glorianturque se ex Antenore progenitos.* Sanè *Daciæ* nomenclatura tam altè, præsertim Latinè scribentibus, hæsit, ut instrumenta etiam publica, à regibus olim promulgata, *Daniam* ferè ubique *Daciam* vocent. Quæ & secutus videtur Polydorus Virgilius, qui Anglicæ gentis Historiam Latinè contexens, haud aliter ferè *Danos*, quam *Dacos* nominat. At harum originationum vix ullam esse, quæ solidi quidquam inferat, quis non videt? Nam ut de Humbli filio *Dano* deque *Dan*, judice Hebreis intellecto, nihil nunc dicam, nonne illud de *Dahis* deque *Dacis* & *Danais* eâdem, quâ asseritur, fiduciâ atque affirmatione negari ac refutari meritò potest, cum authoritatem præsertim, quâ nitatur, vetustam, aut verisimilitudinem, præter levem aliquam nominis allusionem, nec eam satis convenientem, non habeat? Undè Saxo noster Dudonis, qui, ut dictum, à Danais & Trojanis Danos arcessebat, opinionem coarguens, statim initio Historiæ suæ ita loquitur: *Dan & Angul, à quibus Danorum cœpit origo, non solum conditores gentis nostræ verum etiam rectores fuêre. Quamquam Dudo, rerum Aquitanicarum scriptor, Danos à Danais ortos nuncupatosque recenseat*, innuens scilicet haud minori se jure *Danum* adducere ac tutari, quam *Danaos* Dudonem. Quæ cum ità habeant, nonne verius ex gente *Dansciorum*, quos in ipsâ Scandiâ agnovisse Ptolemæum infra patebit, ortos progressosque Danos autumabimus? Nam à boreâ, austrum versus, populorum egressus atque expeditiones, quæ quidem certis authoribus sunt proditæ; Exceptis, quæ in sacris scripturis occurrunt, de quibus mox, esse factas in confesso est apud universos. *Dacos* igitur aut *Dahas Danaosq;*, qui genti dedisse originem volunt, quibus illi authoribus eorum ad boream traductionem demonstrabunt? Ptolemæum idcirco, authorem confessione omnium, sive fidem seu vetustatem spectemus, egregium ac classicum, sequendum omninò præferendumque superioribus putamus, qui haud vanè Danschionum, borealis, ut dictum, populi, vocabulum fando exaudiens, *Dansciones* hîc statuit, ubi & hodieque intelliguntur ac proximas lateque patentes boreæ oras populosq; uno illo ac communi *Danschionum* vocabulo comprehendunt. Nam suum licet habeat *Scandia* sive *Scandinavia*, & suum vicissim *Cimbrica Chersonesus*, ut & insulæ, quę sunt intermediæ, *Lalandia, Falstria, Fionia, Selandia* cæterq; nomen & appellationem propriam, omnes tamen & in universum sub uno hoc communique *Daniæ* vocabulo, à gente *Danscionum* profecti commemorantur. Quin & Daniæ indigenę ipsi ad vocem Ptolemæi quam proximè accedentes, se suamq; gentem, non ut exteri vulgò **Denen** aut **Deuschen**/ sed **Dansche**; & Sarmatæ, ut mox dicetur, **Dunschi** populariter appellant. Undè & Ptolemæus non tam *Danos*, ut nos Latinè hodie, sed *Dausiones*, sive, ut eam vocem legendam etiam admonuit jam olim elegantissimus Camdenus, *Danciones* seu *Dansciones* quàm proximè effinxit. Et est pręterea, aut saltem elapso antè hoc nostrum seculum tempore exstitisse apud Scandinavos *Daneholmia*, non uno in historiâ legitur loco. Ut omittam, de quo mox dicam, Pomponium Melam plusquam seculo ante Ptolemæum, Danię vocabulum satis indicasse, cum sinum Balthici maris *Codanum* & certum in eo districtum *Codanoniam* diceret, addititiâ syllabâ *co* nomen ipsum corrumpens, utpote qui jam ante fassus fuerat intercurrere suę chorographiæ barbara quædam vocabula, quę ore Romano vix eloqui liceret. Ptolemæum quoq; minus disertè Dansciones, sed, *u* pro *n* posito, *Dausciones* scribere mirari nemo debet, cum in his similibusq; populorum vocabulis labatur sæpenumerò. Sic *Chamanos* idem vocat, qui *Chamavi* sunt: *Busacteros*, qui *Bructeri*. Alij non tàm gentem, ex quâ orti Dani & Dania, quam vocem ipsam respicientes *Daniam* quasi prolificam parentem bonorumq; plurimorum *datricem* ab ipsa re dicendam Latinâ originatione existimârunt: ut & alij, quibus subtilior notatio vocabuli *marchiæ* arrisit, *marchiam* à *mar* & *archia* conflatam voluerunt quasi *maris* esset ἀρχὴ. Quæ ut etymologię vocisq; Latinę cum Græcanicâ copulatio planè est absona, ità cum re non admodum pugnet: Sunt enim regni hujus principatus & archię pænè omnes ad mare sitę, insulis ac peninsulis in ambitu contentę: Sed ut dixi, absonum ac frivolum hoc, tamen est, nihilq; certius quam *marcam* vocem esse genti propriam & hodiéque patentem campi superficiem regionemque, ut diximus, denotare. Nec scio an multò habenda verior, quamvis accurratior sit, clarissimi aliàs doctissimique viri Hadriani Junij notatio, qui *Danos*, ut homines abjetinos ac piceis in silvis eductos **Dannemans** vulgo, & à suis hodieque appellari memorat, addens Dan sive **Denneboom** arborem intelligi, quam *abietem* Latinè dicimus. Verum considerare Junius debuit Danos *abietem* non, ut Belgę, **dannen** aut **dennen-boom**/ sed *firretre* & *fyrtræ*, quomodo

modo & Angli hodieque, nominare. Adeò ut illud **Dannemans**/ quòd in ore quidem crebrò Danis eſt, non eum in ſenſum, ut Junius accipit, ab illis uſurpetur, quaſi hominem intelligi velint abjetinum ac piceis in ſilvis productum eductumq;, ſed virum eâ formulâ indicare pręcipuè ſolent, honeſtum egregiumque, & qualis Pythagorę deſcribitur, non è multis. Græci δαίμονες & *dæmonia hominum* haud ab ſimili ferè ratione olim extulêre, ut indè ferè profluxiſſe Danorum **Daineman** videatur à vero haud valdè diſſentaneum. Nam & Græcanicas voces haud paucas Danico idiomati immixtas docebimus aliàs. Extitiſſe poſtremò & alios reperio, qui Danos & Daniam ab aquis deductam ſibi aliiſque perſuaſum voluerunt, quia *Aha* apud eos fluvium notet & ipſi ſe **Danemans**/ quaſi viros aquatiles & fluviales vocent. At *Aba*, ut id nunc modò reponam, non Danis tantum ſed Belgis quoque Theutonibuſque *fluviolum* ſignificat; unde Breda, quaſi latus amnis; aliæq; ejuſmodi Belgis Germaniſque terminationes uſitatę paſſim: ut in ſilvâ Martinianâ Kuntzaha, Vuolſsaha. In ſaltu Voſagi, Lebraha, Andelaha, Haſelaha. Et apud Badêſes Suartzaha, ubi & cænobium ejuſdem appellationis. Adeò ut locum habere iſta haudquaquam poſſint; & ſint, quod dicitur, planè ἀπροσδιόνυσα. Cum nec **Danemans** *viros fluviatiles* notet.

Allatę igitur hucuſq, originationes, pręter eam ex gente *Danſcionum* boreali adductam, quàm illę ad nomen, de quo agitur, illuſtrandum parum faciant, ſatis liquere puto. *Danſciones* autem ipſos quod è boreâ, ſequuti Ptolemęum, ad anteriora hęc profectos, ac gentium expeditiones migrationeſque ab iſtâ, ut plurimum, mundi plagâ Auſtrum verſus, factas injecimus, ità accipi velim, ut de profectionibus populorum intelligatur, quę factę multò poſt eam, cujus Moſes meminit, trium Nohę filiorum ſeceſſionem. Noacho enim, ut ſacra nos docet hiſtoria, à deluvio tres filij fuêre *Sem*, *Cham* & *Iaphet*. Hi numeroſiore prole adaucti digreſſique à montibus Armenię, ubi arca hęſerat, in diverſos terrę cardines ſeceſsêre, ac gentes per orbis vaſtitatem propagarunt. *Sem* & *Chamus* orientem pręcipuè atque Auſtrum eoſque tractus petierunt. A *Iapheto* ejuſque poſteris, ut habet diſertè Moſes, *inſulæ gentium in regionibus ſuis diviſæ fuerunt*. Inſulę autem gentium interpretibus ac Theologis vocantur, quę ſunt remotiſſimę. Sanè *Iapheto* ejuſque proſapię Europam ceſſiſſe pręter Joſephum, etiam alij meminêre. Nam & gentium philoſophia, minus gnara quid veritas dictaret, fando tamen aliquid de rebus à Moſe traditis cum accepiſſet, nihil *Iapeto* antiquius agnovit, eum cæli ac terrę filium fecit. Et Horatius, *audax Iapeti genus* dicens, quid aliud quàm ultra ultraque tentendium mortalium, & pręſertim Europeorum, ſtudia conatuſque indicata voluit? ut ità nihil quoque ipſi rei ſit aptius convenientiuſque, quam nomenclaturę ipſius Japheti ex idiomate Hebræorum notatio. Significari enim eâ voce *dilationem* plures obſervarunt, fatali quaſi nomine Europę præcipuè populis debitam ac peculiarem futuram, qui, ut idem addit poëta, *ſibi nil eſſe arduum monſtrant cælumq; ipſum petunt ſtultitiâ:* tametſi alii eadem dictione *pulchritudinem* denotari velint, quod Europa eximiâ pulchritudine, &, ut eleganter Plinius, victoris omnium gentium populi nutrix habeatur: tum & cæteras nationes niveo corporum decore antecellat. Poſt illam ergo Japeti, & qui ex eo progeniti ſunt longiſſima ſerie natorum nati, migrationem, cum ſe jam ipſi numeroſâ indies progenie circumquaque mortales ſuperarent onerique eſſe viderentur, ex boreâ viciſſim Auſtrum verſus colonię deduci cæptę. Atque ità factum, ut nec Strabo, qui Cimbros agnoſcit, nec Tacitus, qui illo eſt integro plus ſeculo poſterior, Cimbroſque diſerte nominat, *Danos* aut *Danſchiones* uſpiam appellet; ſolus eorum prodiderit vocabulum, qui Tacitum paulò præceſſiſſe putatur, Pomponius Mela, & qui Tacitum eundem excepit Ptolemæus, apud quem & Saxonum mentio. Atque indè Ptolemæum quarto circiter poſt ſeculo ſecutus Procopius Cæſarienſis, qui ſub Juſtiniano claruit, non jam *Danſciones* ſed *Danos* diſertè nobis indicat rerum Gothicarum ſecundo. Nam de Herulorum legatis ab Iſtro Thylen, id eſt, Scandiam, ut poſt dicetur, petentibus agens inquit: *Deſertamque hinc regionem tranſeuntes multam, ad Varnos pervenerunt. Indè Danorum nationes percurrunt. Hinc verò ad Oceanum progreſſi navigarunt.* Ut & ævi ferè ejuſdẽ Iornandes in Scandia eos collocans, ubi ità loquitur: *Dani ex eorum* (Cogenorum) *ſtirpe progreſſi, inter omnes Scanziæ nationes nomen ſibi ob nimiam proceritatem affectant præcipuum.* Quin & antè eos Gregorius Turonenſis, ubi res Theudoberti, Theodorici regis Francorum filij, circa annum Chriſti quingenteſimum, imperante apud Græcos Anaſtaſio, enarrat, Chotilaci Danorum regis expreſsè meminit, ut eſt à nobis ſuo loco in Hiſtoriâ commonſtratum. Et ſunt prætereca notanda Procopij verba, qui Δανῶν τὰ ἔθνη *Danorum nationes* cum dicat, haud abs re ita dixit, ut intelligantur ſcilicet non unæ ſub eo nomine, ſed variæ & gentis ac continentis

circa boream ditiones insulæque per Balthicum mare sparsæ, quomodo & haberi hodieq; has oras, peculari quadam nomenclaturâ distinctas singulas, uno tamen eodemque Daniæ vocabulo celebrari omnes atque intelligi, jam modò est indicatum. Nec operæ sumendum ulterius multum puto ad explicandum propius *Danschionum* ipsum aut *Daniæ* etymon, cum alia ejusmodi gentium aut territoriorum vocabula, ut sunt *Germania, Gallia, Flandria, Valcbria* pluraque talia quis explicuit hucusque, & eorum non verius conjecturas, quàm veram notationem prodidit? Et ità hic quoque, quamvis & hoc dici non absimiliter vero possit, Danorum cum gentis potius quam regionis, ut indicatum, nomen sit, eos in primâ ab Austro in boream secessione, morâ fortassis circa Borysthenem factâ, Danicum indè secum vocabulum adduxisse. Nam Borusthenes Ptolemæi, Sarmatiæ Europeæ fluvius, Ludovico Decio *Dnieper* appellatur, Cromero verò *Nester* & *Dnieper*; cum disertè eum *Danastrum* in Gothicis suis nominet Iornandes. Ut omittam vicinum Borystheni fluvium Tanaim, *Don* & *Dun* vulgò Sarmatis dici, quibus & *Dani* populariter *Duni* & *Dunschi* vocitantur.

Verum his in præsentiarum missis, illud potius quod objici hic ex Tacito potest, videamus propius. Nam ille Germaniæ populos latè accipiens, cùm etiam borealem hanc plagam, in qua præter *Cimbros, Suecones, Fennos* ac *Venedos* agnovit, Germaniæ accenseat, atque ejus universam gentem esse indigenam nec aliunde profectam huc devenisse velit, nonne pugnabit id cum superioribus quæ attulimus, neç esse hoc pacto Iapheti aut Gomeri prosapiam Danorum gentem dicemus? Quibus ut ordine ac rite respondeatur, ipsa prius Taciti verba ponemus, quæ sunt in Germaniâ ejus hujusmodi: *Ipsos Germanos indigenas crediderim minimèque aliarum gentium adventibus & hospitiis mixtos: quia nec terra olim sed classibus advebebantur, qui mutare sedes quærebant: & immensus ultrà, utque sic dixerim, adversus Oceanus raris ab orbe nostro navibus aditur. Quis porrò præter periculum horridi & ignoti maris, Asiâ aut Africâ, aut Italia relictâ, Germaniam peteret? informem terris, asperam cælo, tristem cultu aspectuque nisi si patria sit.* Quibus in verbis Tacitus cum indigenas facit Germanos, indicare voluit, eos qui jam ante innotuerant Romanis, & tum indies ijsdem innotescerent, hominum fuisse genus qui non aliundè venerint, sed ibi nati essent, utpotè sui tantum similis gens. Ut ità indigenarum vocem accipiamus non quasi autochonem esse aut terrigenam hunc populum velimus, sed qui sedes istas, in quas à primis suis archegis *Iapetho* & *Gomero* deductus fuerat, continenter incoluerit, nullis exindè Asiæ aut Græciæ aut gentium similium exoticis, sed sui tantum soli moribus hospitiisq; assuefactus. Undè nunc iterum iterumque concident eorũ commenta, qui Danos à Danais, aut Dacis Dahisve: Saxones ac Suevos à Macedonibus; à Trojanis Sicambros; à Persis aut Indis Frisios deducunt. Nam id si esset & aliquâ veri famâ traditum haberetur à meridie in Boream eas gentes concessisse, non omisissent florente jam re Romanâ authores, & Seneca præsertim Consolationis ad matrem Helviam eo loco, ubi brevem populorum, qui sedes mutarunt, catalogum texit, in modum ferè ut sequitur: *A cælestibus agedum, te ad humana converte, videbis gentes populosque mutasse sedem. Quid sibi volunt in mediis barbarorum regionibus Græciæ urbes? Quid inter Indos Persasque Macedonicus sermo? Scythia & totus ille ferarum indomitarumque gentium tractus civitates Achajæ Ponticis impositas littoribus ostentat. Non perpetuæ biemis sævitia, non hominum ingenia ad similitudinem cæli sui horrentia transferentibus domus suas obstiterunt. Atheniensis in Asiâ turba est. Miletus* LXXV *urbium populum in diversa effudit: totum Italiæ latus, quod infero mari alluitur, major Græcia fuit. Tuscos Asia sibi vendicat; Tyrii Africam incolunt: Hispaniam Pæni: Græci se in Galliam immiserunt, in Græciam Galli: Pyrenæus* Germanorum transitus non inhibuit; per invia, per incognita versavit se humana levitas.* Ecce agnoscit recensetque Seneca varios quidem huc illuc gentium discursus; in Germaniam & ultimum hunc boream nullos enumerat. Extremos qui versus hoc cælum ivêre Græcos refert, qui Galliam & in eâ Massiliam sibi coloniam fecère: ut & eos, qui ex opidis Achajæ effusi, non dubitarunt inter pellitos illos ac cælò suo non minus horridos Scythas sedem figere.

* *De Cimbris capiendum. Vide supra pag. 2. & seqq.*

Atque hæc de origine atque antiquitate Danici nominis satis sunto: illud non abs re addam: Fuisse inter Arcades olim Ægyptiosq; de antiquitatis prærogativâ contentionem, authoribus memoratam: Eamque palmam Ægyptiis vulgari proverbio tributam Lucianus testatur, utpotè qui multa annorum millia ex archivis suis ostentarent. Arcades autem ipsâ Lunâ cum se antiquiores jactarent, litis ejus dirimendæ curam Psammetichum Ægyptiorum regem ita sollicitum habuisse, ut pueros duos, teste Herodoto, recens natos pastori educandos dederit, interdiceretque simul, ne coram eis, solitariâ in casâ conclusis,

clusis, vocem aliquis ederet, idque biennij tempore: Exactis verò duobus annis cum pastor, qui puerorum nutricationem susceperat, uti jussus erat, januam casæ aperiret, ac ambos clamantes audiret, *beccus, beccus*: atque illud primo percipiens obticuisset: Cumque identidem vocabulum idem ab infantibus ederetur, rem ad regem retulisse, ejusque jussu pueros exhibuisse. Quod cum & ipse Psammetichus accepisset, jussisse deinceps memoratur inquiri quinam mortalium *beccus* suâ lingua sonarent; Idque curiosius indagando, comperisse Phrygas sic *panem* vocare: Eoque argumento confutatos exindè Ægyptios Arcadesque: Et ità prærogativam antiquitatis mansisse exinde penes Phrygas. Sed hæc ex gentium etiam numero cordatioribus deliramenta visa, qui & similes idcircò de antiquitate incompertâ nugas *becceselena* proverbiali sermone vocitare cæperunt, à *becco*, quod *panem* Phrygibus & *selene* quod Græcis *lunam* notat, facto nomine. Nam & eâ ratione non Phrygibus modò, sed huic etiam, de quo agimus, boreæ populo, omnibusque ut sic dicam Germanis, hæc antiquitatis excellentia competat, cum illud vocabulum *becco* illis sit proprium ac varia significet, & maximè ex eo formatâ voce Germania omnis *pistorem*, qui *panes pinsit*, **becker** & **backer** populariter appellet. Sed, ut dixi, de gentis vetustate deque primâ Danici nominis originatione sufficient ista, nunc partes ipsaque territoria videamus.

CIMBRICA CHERSONESUS STRABONIANA.

Daniæ universum regnum insulis aut continente distinctum constare, jam antè est commemoratum. Quarum partium continens, quæ est australior Germaniæque quam proximè adhæret, *Cimbrica Chersonesus* dicitur; quæ est borealior, *Scandinavia*, longè latéque per Suiones Finnosque diducta hinc Norvagos, indè Moschos attingit. Sed de *Cimbricâ Chersoneso* loco primo dicendum. Hanc inter antiquissimos Græcus author Strabo nominat, & eum aliquot post seculis subsecutus Plinius ipsoq; inferior Ptolemæus. Nam Tacitus, qui Ptolemæum proximè præcessit, non quidem disertè Chersonesi, sed in Germaniâ tamen sua Cimbrorum præclare meminit, ut & antè hos omnes in Commentariis suis Julius Cæsar, cujus narrationes, cum ad historiam præcipuè spectent, alibi, ubi de rebus gentis agimus, sunt commemoratæ. Strabonis igitur inter cætera verba sunt ista:

Libro II. *Conjectura etiam colligit* (Posidonius) *Cimbrorum & gentilium migrationem è patriâ factam esse ob maris incursionem, non confertim eam factam.*

Libro IV. *Belgæ habitant inter Rhenum & Ligerim ad Oceanum, soliq; ferè sustinuerunt Germanorum impressionem, Cimbrorum & Teutonum.*

Libro V. *Sita est Aquileja extra Venetorum fines, pro limite est fluvius ab Alpibus delapsus, qui adversùs navigari potest &* CIↃCC *stadiis ad Nerejam urbem, apud quam Cn. Carbo inani conatu cum Cimbris conflixit.*

Libro VII. *De Cimbris quædam ineptè dicuntur, quædam probabilitatem habent non mediocrem. Non enim hac de caussa eos ut incertis vagarentur sedibus & latrociniis victum quærerent compulsos crediderim, ut è peninsula seu Chersoneso, quam inhabitabant, diluvio fuerint ejecti: cum hodieque antiquas incolant sedes, nuperque Augusto lebetem, qui apud ipsos sacerrimus habebatur, dono miserint, amicitiam expetentes, & veniam illatarum injuriarum, eaque consecuti domum redierint; Et ridiculum sit, eos naturali & sempiterno æstui, quotidie bis contingenti, iratos solum vertisse. Quin & figmentum videtur, eluviem aliquando immodicam accidisse cum id genus Oceani accidentia intendantur quidem ea & remittantur, sed ordine tamen suo atque modo. Non rectè etiam is, qui arma adversus exundationem cepisse Cimbros ait: neque id, quod Celtæ ad vacuitatem metus sese assuefacientes, patiantur domos suas aquis obrui, rursumque ædificent, pluresque eorum aquis quam bello pereant, quod Ephorus tradidit. Nam hæc absurda non admittit cum ordo æstuum, tum notitia regionis illuviem passæ: Cum enim bis quotidiè æstus accideret, qui credibile sit tandem nunquam eos sensisse naturalem esse hanc maris reciprocationem & innoxiam, nec non sibi cum omnibus ad Oceanum accolentibus communem? Malè etiam Clitarchus, equites narrans accursum maris spectantes, citatis equis refugisse, & pæne fuisse affluxu obrutos: neque enim tantâ celeritate accedere mare deprehendimus, sed sensim & latenter: neque id quod fieret quotidie, & omnium spectatorum aures antequam accederet personaret, tantum potuit objicere his terrorem, ut quasi de improviso, oblatâ re, fugam facerent. Hæc Posidonius jure in scriptoribus reprehendit. Idem non ineptâ conjecturâ colligit, Cimbros homines fuisse prædones ac vagos, armisque ad Mæotim usque lacum progressos, & fuisse ab iis* Cimmerium bosphorum *denominatum; quasi*

Cimbricum, *cùm Græci CIMBROS CIMMERIORUM nomine afficiant. Idem perhibet Boios quondam Hercyniam incoluisse sylvam: ac Cimbros, cùm ad ea loca se contulissent, ab iis repulsos, ad Istrum & Scordiscos Gallos descendisse: inde ad Teuristas ac Tauriscos: ipsos quoq; Gallos, tum ad Helvetios, auri divites, ceterùm pacatos. Hos, cùm viderent suis majores opes latrociniis Cimbrorum partas, maximè Tigurinos ac Tugenos, animum ad prædas adjecisse, ac Cimbris Italiam petentibus socios se adjunxisse. Omnes autem à Romanis debellati sunt & Cimbri & eorum socii, partim extra Alpes, partim cum, his superatis, in Italiam descendissent. Morem hunc fuisse Cimbris usitatum ferunt: Sequentibus eos in bellum uxoribus, vates quædam comitabantur canæ, albo vestitu, carbasinis supparis desuper fibulis affixis cinctu æreo, pedibus nudis: eæ per castra captivis occurrebant strictis gladiis, prostratosq; ad crateram æneam adducebant amphoras circiter XX. capientem. Super eam pulpitum erat, quo conscenso vates sublimis singulis supra lebetem elevatis guttur incidebat: è sanguine in crateram fuso suam captabant quandam divinationem: reliqua cadavera sic cæsorum scindebant, intestinisq; spectatis, victoriam suis vaticinabantur. In præliis pelles pulsabant cratibus curruum prætentas, quibus sonitus terribilis edebatur.*

Germanorum, ut diximus, septentrionales qui sunt propter littus Oceani porriguntur: ac noti sunt ab ostiis Rheni usque ad Albim, notissimi Sicambri ac Cimbri. Quæ autem trans Albim ad Oceanum sunt, nobis prorsus sunt ignota. Nam neq; priorum quemquam compertum habemus istud littus prænavigasse versus Orientem usque ad Caspii maris fauces: neque ultra Albim sita Romani adiverunt: sed ne terrestri quidem itinere quisquam illa perlustravit. Quid ortum Solis versus secundùm longitudinem sit adusq; Borysthenem & Septentrionalia è climatum rationibus liquet. Quid autem sit ultra Germanos, & alios iis confines, sive ii sunt Bastarnæ, ut plerique putant, sive alii interjecti, sive Iazyges, sive Roxolani, sive alii in curribus domicilia habentes, non est facile dictu: neque an tota illa in ora Oceani aliqua sit portio, quæ vel ob frigus, vel alia de causâ habitari nequeat: item an aliud genus hominum orientalibus Germanis & Oceano sit interjectum &c. Latus autem Germaniæ meridionale, quod est cis Albim, continuo Suevi tenent, pòst hos Getarum regio &c.

Libro XI. *Dividuntur (Mæotæ) in gentes complures: quarum propiores Tanaidi ferociores sunt, Bosphoro viciniores magis mansuetæ. A Rombite minore ıↄc sunt stadia ad Tyramben, & fluvium Anticeitam: Deinde CXX. ad pagum CIMBRICUM: ubi naves solvunt, qui paludem Mæotim navigant.*

Hactenus verba Strabonis posuimus. Quorum quæ citata sunt ex libro 4, & 5. & aliqua etjam libri septimi, quæ de gentis migratione ac bello agunt, in historia suo loco memorata. Cetera ad Chorographiæ rationem spectantia satis indicant, Strabonem Cimbricam Chersonesum sive peninsulam appellasse id totum quod est à parte Germaniæ, boream versus, inter duo maria, Britannicum occidentale & orientale Theutoniæ collocatum; quorum hoc non mare, sed sinum Germaniæ appellasse Plinium Tacitumque ex sequentibus liquebit. Quòd autem præter alia, ut est positum, libro septimo memoratur, Germanorum septentrionales, qui sunt propter littus Oceani, notos esse ab ostiis Rheni usque ad Albim, notissimos autem Sicambros ac Cimbros. trans verò Albim apud eundem Oceanum, quæ essent prorsus ignota fuisse, non ita accipienda quasi Albim ultra Cimbros non agnoverit Strabo, & omnia ibi tenebris densissimis obsepta jacuerint, quasique Cimbros coluisse unquam Chersonesum suâ memoriâ Strabo negaret, ut eum interpretatur Suffridus Petri de Origine Frisiorum lib. 1. cap. 6. cujus verba posuisse necessarium hic puto: ita enim habent loco jam dicto: *Strabo confidenter negat Cimbros unquam coluisse Chersonesum, eosque eodem loco semper egisse asserit, quo ipsos memoriâ sua, hoc est, sub Augusto Cæsare habitâsse docet, quos tunc Sugambris ad orientem proximè subjungit, intra Albim tamen. Utrosque autem ad septentrionem Germanorum ultimos facit, eisque totum tractum illum borealem, qui intra Rhenum & Albim est, solis adsignat, ita ut Sicambri Rheno, Cimbri Albi secundum ipsum proximè vicini sint. Quo loco admiranda est oscitantia quorundam recentium scriptorum qui Strabonis verba contra mentem ipsius accipiunt: Strabo enim qui Cimbros semper egisse asserit, ubi suâ ætate agebant, sed ipse eos suâ ætate intra Albim & nequaquam in Chersoneso egisse (quanquam falsò) scribit, illi ita Strabonem intelligunt, ac si ille eos in Chersoneso semper egisse scribat, quia revera illius memoriâ in Chersoneso agebant.* Ecce Strabonem non negare modò, sed confidenter negare ait incoluisse unquam Chersonesum Cimbros. At quibus hoc verbis tam confidenter negat Strabo? an illis scilicet, quibus supra dicebat, notos esse Germanorum septentrionales ab Ostiis Rheni ad Albim usque, notissimos autem Sicambros & Cimbros. At istis nequaquam hoc sequi aut asseverari vel indè liqueat, quia jam antè χεῤῥόνησον οἰκοῦντες, id est *peninsulam incolentes* Cimbros retulerit, ut est videre ex verbis ejusdem superius citatis, quibus & addit, de ævo ac memoriâ suâ loquens: *Hodieque iidem Cimbri antiquas, nimirum Chersonesi suæ, incolunt sedes ac nuper Augusto lebetem, qui apud illos sacerrimus habetur, dono miserunt, amicitiam expetentes & veniam illatarum*

injuria-

injuriarum, eaque consecuti domum, idest, versus Chersonesum suam, undè profecti fuerant, redierunt. Sed objiciat nihilominus alius, quid igitur sibi velit Strabo, cum Cimbros Sicambris jungens utrosque intra Rhenum & Albim compingat? Quid? nisi Cimbrorum etiam quosdam citeriorem Albis ripam accoluisse, in morem scilicet Batavorum, de quibus alibi memoratum, eos nimirum licet insulam Rheni coluerint, continentis tamen Galliæ aliquam simul portionem tenuisse. Ita interpretari Strabonem etiam antehac & alibi maluimus, quàm ei hoc nomine, quod in Germaniâ suâ antiquâ Cluverus facit, imperitiam & errorem impingere, præsertim cum etiam Plinius Cimbrorum partem Ingevonibus tribuat, ut infra dicetur. Quamvis idem exindè Strabo, cum referat trans Albim ad Oceanum quæ sunt, esse prorsus ignota, firmare iterum eorum opinionem videatur, qui non habitatam Cimbris ejus tempore Chersonesum ei assertum injiciunt. Sed illis responsum esto, ad Oceanum, accipiendum hic de Oceano Orientali, illa scilicet, versus eum sinum, ignota tum Romanis præsertim fuisse. Adjicit enim continenter: *Nam neque priorum quemquam compertum habemus istud littus præternavigasse versus Orientem usque ad Caspij maris fauces.* Nam aliàs si ignota tum prorsus intelligi voluisset, quæ ultra Albim, occidentem & boream versus erant, sibi adversa retulisset, qui ultra Albim esse peninsulam & esse eam Cimbrorum peninsulam seu Chersonesum, eamque ab iisdem suâ memoriâ inhabitari jam antè verbis disertissimis indicaverat. Ignota itaque tum ei, quę ortum & Balthicum versus mare fuerunt, haud tamen multò post authoribus, qui ipsum secuti, memorata, ut infra patebit. Primus verò Romanorum, cui ille Oceani septentrionalis tractus est navigatus, quod alibi etiam Strabo ipse & Plinius præsertim, ut dicetur, memorat, Drusus fuit, qui id auspiciis Augusti tentavit. Adeò ut ejus aspectu rectè hic dicere Strabonem liqueat, priorum neminem compertum, qui istud littus navigaverit, versus orientē scilicet, ut addit continuò.

Ultimo loco *pagus*, quem *Cimbricum* circa Męotim dici inquit, certum sit indicium eorum, quæ ex Posidonio superius Strabo adduxit, etiam hucusque sua circumtulisse arma nobilissimam hanc gentem & nominis atque expeditionis ejusmodi suæ ibi reliquisse vestigium. Quod autem idem Posidonius, teste superius Strabone, ipsum etiam *Cimmerium Bosphorum à Cimbris*, & eorum in ea loca excursionibus nomen accepisse crediderit, miramur à Strabone sine censurâ prætermissum, cum constet, & Strabo etiam libro primo suæ geographiæ ostenderit, Cimmerios Homero quoq;, tot ante Cimbrorum ex sua Chersoneso migrationem, indicatos intellectosque. Sunt enim diserta ejus verba libro 1: *Cimmericum etiam Bosphorum Homerus novit ac Cimmerios ipsos, non nomen modò eorum, qui ipsius ætate aut paulo ante à Bosphoro incursiones in omnes ad Ioniam usque regiones fecerunt.* Sed de eodem plura jam statim.

His eum in modum enodatis, duo adhuc supersunt in verbis Strabonis, quę scrupulum injiciant. Quorum alterum est *caussa egressionis è Chersoneso* suâ *Cimbrorum*; alterum an *Cimbri Cimmerij* dicendi. Quod prius attinet verissimum puto, quod disputat ex sententia Posidonij Strabo, non videri verisimile ob affluxum & refluxum maris, qui est statūs & ordinarius ac nemini non cognitus ac prævisus, quorum affluxum *Veniliam*; refluxum, quo in se mare redit, Varro *Salaciam* appellavit, non inquam videri verisimile eum Cimbris sedium mutandarum occasionem dedisse. Interim tamen Clitarchus & Ephorus, quorum hanc sententiam fuisse Posidonius & Strabo tradunt, an id voluerint, dispiciendum. Ego sanè, cum præsertim immodicæ eluvionis à Clitarcho & Ephoro nominatæ mentionem Strabo injiciat, eorum opinioni sim propior, qui Clitarchum & Ephorum non de ordinario hoc maris æstu, sed de illo subitaneo & extraordinario locutos interpretantur, qui excitari per intervalla his in oris solet *præcipiti Africo decertante*, ut ait Poëta, *aquilonibus*. Ejus enim venti violentissimi sævitiâ, ac impetu oceani inexpectato, quanta etiam hodie, ac superioribus seculis huic tractui adusq; Brabantiam & Flandrorum littora illata sint detrimenta, experientia testatur; docetq; passim suis superius locis historia, ruptis sæpenumerò aggeribus, domos & homines magno numero absorptos: ut verè dixerit Clitarchus, equis & quadrigis citatiorem esse eum accursum, cum se non fieri, sed jam factus ostendat.

Deindè an *Cimmerij* ac *Cimmeriorum* nomine afficiendi *Cimbri*, qui occasionem quærendi primi dederunt, Græcos ferè authores fuisse ex Strabone liquere potest, cum dicat Græcos Cimmeriorum nomine afficere Cimbros. Undè Græcus etiam author Stephanus Ethnographus in voce Ἄβροι. Κίμβροι, οὓς τινὲς φασι Κιμμερίους, id est, *Cimbri quos quidam Cimmerios vocant.* Et gravis præterea author Plutarchus populares similiter hac parte suos secutus in Mario, mirifica de iis memorat, quæ paulò adscribam prolixius, quod & alia habeant ad

rem

rem præsentem ſpectantia, Ait enim: *Hos autem, quod nullum haberent cum aliis commercium, atque ex tractibus advenirent longinquis, nemo noverat, qui mortalium eſſent, aut undè profecti, nubium modo incumberent Galliæ & Italiæ. Ex corporum tamen proceritate & cæſiis oculis maximè, Germanicas eſſe nationes conjectabant, oceanum ſeptentrionalem accolentium: & quod Cimbros Germani nominent latrones. Sunt qui Celticam longitudine ac latitudine terrarum ab oceano ac ſeptentrionalibus plagis ad orientem, verſus lacum Mæotim vergere, & ad Ponticam Scythiam pertinere perhibent; atque indè illas commiſtas gentes. Has domo egreſſas, non uno neque perpetuo impetu, verum ſingulis annis ſemper porrò progredientes, ſub ver arma circumferendo peragraſſe continentem Europæ. Quapropter, etſi diverſa ſingulatim haberent vocabula, tamen communi appellatione Celtoſcythas vocaſſe. Alij autumant Cimmerios, qui primi quondam à Græcis ſunt cogniti, partem exiguam fuiſſe univerſi, tantum catervam quandam profugorum vel ſeditioſorum, ab Scythis compulſam, à Mæotide lacu in Aſiam, duce Lygdamio trajicere; maximam eorum multitudinem & bellicoſiſſimam in ultimis ad oceanum oris habere ſedes. Regionem incolere ob profundas ac denſas ſilvas, quæ ad Hercynios uſque ſaltus introrſus pertinent, caliginoſam, nemoroſam & opacam. Cælum ſortitos, quà polus ſeptentrionalis ex parellelorum inclinatione, ſublimis, parum diſtare videtur ab imminente incolarum vertici puncto, ubi dies, brevitate & prolixitate pares noctibus in partes duas ſecant anni tempus, atque inde fabulæ occaſionem natam Homero de inferis ſcribenti, indeque hos barbaros in Italiam moviſſe: qui primum Cimmerij, tunc non abſonè Cimbri dicti ſunt. Sed hæc ex conjecturâ magis, quam pro comperto memorantur.* Quorum poſtremis verbis innuit ſatis Plutarchus, non rem ſed nudam ſe adferre authorum ita conjectantium opinionem. Atque eum imprimis Poſidonium fuiſſe, ex Strabone intelligitur abundè ſuperius, qui haud ineptâ conjecturâ collegiſſe hæc omnia Poſidonium memorat. Quæ autem ea fuerit conjectura? niſi quod non ignoravit Poſidonius antiquiſſimis ſemper temporibus ad Mæotim lacum & Ponticum mare populum fuiſſe haud multum abſimili à Cimbris nomine Cimmerios nimirum: Atq; indè cum vago modo iter ingreſſos eoſdem conſtaret, & modo ad Rhenum, modo ad Bohemos Alpeſque impetum vertiſſe; indèque Gallias Hiſpaniamque atque ultimò latrocinantium in morem, Italiam quoque infeſtam reddidiſſe, pro planis & graſſatoribus habitos, mirum haud eſt. Quod autem addit Plutarchus, eoſdem nihilominus ex corporum ratione Germanicam eſſe ac ultimi verſus boream oceani accolam gentem omnes conjeciſſe: ac ſimul ſubjiciens, *Cimbros* à Germanis nominari *latrones*, de ſuo addidiſſe id videtur, quum ævo ipſius percognita jam eſſet Germania genteſque Rhenum ac Danubium ultra collocatæ. Tum enim indies conſpecti non modo Germani, corporibus eminentes robuſtique, ſed & linguâ quoque eorum *Kimber* ſive *Kimper*, pugilem ac pugnatorem notari fando animadverſum. Undè & Feſtus dixit *Cimbros* linguâ Gallicâ *latrones* dici, *latrones* nimirum ſive *laterones* potius, qui milites antiquitus intellecti, in modum, quo etiam Terentius. præter Plautum, *latrocinari*, pro *militare* extulit, quod alibi eſt à nobis prolixius memoratum. Ut ita ſatis conſtare jam queat, abſonè facere, quicunque Cimbros & Cimmerios unum eundemque populum conſeat, aut ab his originem accipere illos; cum *Cimmerios*, ut modò oſtenſum, diu ante *Cimbrorum* expeditiones agnoverit hîc quoque poetarum antiquiſſimus Homerus: Et Strabo præterea ipſe Poſidonium redarguens, *Cimmerium Boſphorum*, non à *Cimbris*, ſed à *monte Cimmerio* & ipſum viciſſim à Cimmeriis dictum memoret libro eodem, qui modo indicatus, Geographiæ ſeptimo. In utroque tamen quam ſuaviter decipiatur ac ludat ubique *Goropius Becanus*, alibi & ab aliis quoque eſt demonſtratum.

CHERSONESUS CIMBRICA PLINII, TACITI & , qui utrumque præceſſit, POMPONII MELÆ.

POſt Strabonem Plinius ulterius progreſſus Cherſoneſum clarius aperuit, demonſtrans eam pæninſulam effici à mari boreo, in quod longiuſculè excurrens, *Promontorium* conſtituat, *Cimbrorum* appellatum. Ait enim: PROMONTORIUM CIMBRORUM *excurrens in maria longè peninſulam efficit quæ Cartris appellatur.* Ubi pro *Cartris* in libris antiquitus excuſis, *Hanſtiſus* legitur, ut locum eſſe corruptum ſatis pateat. Et iterum Plinius alibi: *Septentrionalis Oceanus majore ex parte navigatus eſt auſpiciis Auguſti Germaniam claſſe circumvectâ ad* CIMBRORUM PROMONTORIUM. Ait *auſpiciis Auguſti* id patratum, quo autem duce? Tiberione? ut docere nos voluit Vellejus Paterculus, & qui eum ſecutus antiquæ nuper Germaniæ author lib. 3. cap. 37? Haud quaquam. Verum fratri imperatoris Tiberij Druſo Germanico id primo tentatũ. Is enim, ut habet diſerte in Claudio Suetonius,

Dux Rhetici atque indè Germanici belli oceanum septentrionalem primus Romanorum ducum navigavit, attestante etiam Tacito, ubi inquit: *Nec defuit audentia Druso Germanico, sed obstitit Oceanus in se simul atque in Herculem inquiri.* Adeò ut Paterculus cum dicat inauditum atque incognitum id mare fuisse, antequam à Tiberio, qui Albim tantum classe ingressus est, navigaretur, hoc in gratiam Tiberij, cui sua dicavit, protulisse eum nihil sit certius & annotatum quoque jam dudum doctioribus reperio. Hoc idem promontorium licet nec Mela, qui Plinium præcessisse nonnihil putatur, atque indè post Plinium, licet nec Tacitus nominet, Cimbrorum interea præclarè meminerunt. Et Mela quidem super Albim acre mare multisque intercisum hinc indè insulis agnoscens, Cimbros in eo Teutonesque reponit; de quibus ac magno illo in eodem mari sinu, quem omnium ille primus *Cdanum* sive *Codanum* nominavit, inferius dicetur. Tacitus verò septentrionem versus, postquam Cattos Cauchosque, & iis à latere collocatos Cheruscos recensuisset, eundem Germaniæ tractum, sed Oceano quam proximè tenere Cimbros retulit, addens suâ tempestate parvam eorum civitatem sed gloriam adhuc ingentem fuisse. Verba ipsa sic habent: *Eundem Germaniæ sinum proximi Oceano Cimbri tenent, parva nunc civitas, sed gloria ingens veterisque famæ latè vestigia manent utrâque ripâ castrâ ac spacia, quorum ambitu nunc quoque metiaris molem manusque gentis, & tam magni exercitus fidem.* Ubi *sinus Germaniæ oceano proximus*, quâ in boream excurrit, haud alius est, quam Cimbrorum hæc peninsula. *Parva* verò *civitas* quomodo accipienda diximus *alibi* & referetur quoque statim. *Ripam* autem in verbis iisdem *utramque* interpretatur Andreas Althamerus littus Oeani orientis & occidentis, inter quod Cimbrorum Chersonesus longissimo ductu in Aquilonem protenditur: quasi ad hæc scilicet littora castra illa fuerint, spatiaque Cimbrici exercitus, quorum suo adhuc ævo vestigia exstitisse hîc innuit Tacitus. Alij interpretandum potius Tacitum de Athisone fluvio existimant, in cujus utrâque ripâ hæc tanti exercitus vestigia spatiàque memoriæ ac miraculi tum caussâ relicta ostensaque fuerint. Ad Athisonis enim ripas castrametatam hanc Cimbrorum manum, ubi Italiam ingrederetur, docet Historia; & nos superius ostendimus. De ripâ utrâq; peninsulæ accipiendum reclamare quoque, præter ista, Taciti ipsius verba, qui de re præsenti loquitur, cùm dicat, manere vestigia in utrâque ripâ, & ex ambitu castrorum, qui oculis omnium pateat, posse de mole & multitudine gentis conjecturam fieri. Quæ ripis peninsulę, ad quas Romanis accessus non erat, ut alia nunc mittam, haud quaquam videntur competere. Quamquam regij operis Danevirckæ & fossæ, quæ erat addita, orientis propemodum atque occidentis peninsulæ littora attingentium, vestigia his in locis hodieque superant: sed authoribus ità memorata, quasi ævum circiter Caroli Magni, & cum arma Saxonum habere infesta Dani inciperent, exædificata; cum esse haud infimę antiquitatis, & magis instaurati ejus munimenti quam conditi initium ex historiâ pateat, quod alibi meminimus. Porro Plinius lib. 4. cap. 14; ubi populos Germaniæ in suas veluti classes dispescit, quinque præterea eorum genera agnovit, & in iis Cimbrorum partem Ingevonibus attribuit. Sed verba ejus ante omnia ponenda ipsa ordinandaque. Vulgò enim ita legitur: *Genera Germanorum quinque, Vindelici, quorum pars Burgundiones, Varini, Carini, Guttones: Alterum genus Ingevones, quorum pars Cimbri, Theutoni ac Chaucorum gentes. Proximi autem Rheno Istevones, quorum pars Cimbri mediterranei, Hermiones, quorum Suevi Hermonduri, Catti, Cherusci. Quinta pars Peucini, Basternæ, supradictis contermini Dacis.* Quo loci rectè Rhenanus, præeunte Tacito, pro *Vindelici* (qui Rhetiæ secundę populi tunc erant, Romanis subditi) reposuit *Vandeli* qui & *Vindeli* nonnullis dicti, de quibus suo mox loco. Deindè pro verbis, *proximi autem Rheno Istevones, quorum pars Cimbri mediterranei*, rescribendum maluit partim ingenio, partim eodem Tacito nec non & Strabone duce; *proximi autem Rheno Istevones, quorum pars Sicambri. Mediterranei Hermiones.* Nam Cimbrorum partem jam ante *Ingevonibus* adscripserat. Quæ ut rectè à Rhenano ordinata, ita minus ritè legi ibidem pro *Ingevones*, *Vigevones* voluit. Nam & Tacitus deindè, qui Plinij hunc locum initio statim libri de Germania in mente habuit, eandem quoque vocem expressit, ubi inquit: *Manno tres filios assignant, è quorum nominibus proximi oceano Ingevones; Medij Hermiones; ceteri Istevones vocantur. Quidam licentia vetustatis, plures DEO ortos, pluresque gentis appellationes, Marsos, Gambrivios, Suevos, Vandalos affirmant.* Et iterum Plinius lib. 4. capite quod decimum quartum pręcedit, ubi, postquam enarrasset boreę extremi Sarmatiæque insulas, addit continuò; *Incipit indè clarior aperiri fama ab gente Ingævonum, quæ est prima indè Germaniæ. Sevo mons ibi immensus, nec Riphæis jugis minor, immanem ad Cimbrorum usq; promontorium efficit sinum &c.* Sunt enim *Ingevones* vernaculo Theutonum idiomate,

Vindeli.
Istevones.
Hermiones.
Ingevones.

Quamvis opidum id potius aut municipium videatur facere, & Chaluso flumini ex adverso, ad Albis ripam, ubi Hamburgum hodie, constituere, ut habent, non quidem Enarrationes ejus, sed Tabula ipsa geographica, ubi disertè *Treva* legitur: Ut verisimile sit, aut aliam antiquitus nomenclationum fuisse rationem, aut aliqua hîc apud Ptolemæum (ut & alia nonnulla apud eundem alibi) suo esse ordine ac loco minus rectè collocata. Et notandum Lymici sinus ostium, de quo inde dicemus, **Hals** hodieq; appellari. *Saxones* deindè quos dorsum colere Chersonesi ait, id de initio capiendū quà Albim peninsula attingit quaq; latitudo ejus habetur præcipua. *Saxones* autem ipsos, nec Plinio nec Tacito nominatos, primus quod sciam, omnium Ptolemæus prodidit; Retinentq; nomen hodieq;, sed alio quam olim positu cis nimirū ultraq; Albim, Germaniæ interiora colentes. Illis qui proximè ponuntur, *Sigulones*, non memini ab aliis nisi soli Ptolemæo indicatos. Finibus inclusi istis videntur: ab oriente, sinu Codano; ab occasu, oceano Britannico; à meridie, Isthmo totius peninsulæ, à boreâ, alio Isthmo, qui hodie est inter duo opida Flensburgum & Eiderstedam; Qui positus cū Slesvicensi propemodū diœcesi respondeat, dixerim ferè corruptè hîc conceptos *Sigulones*, aut saltem non abludere literarum reliquias; si scribamus *Slievones*, ut *Sliæ* intelligantur accolæ. Maximè omnium septentrionales *Cimbri* referuntur, collocati, ut videtur, ubi hodiè est promontorium **Bouwensbergh**/ & alterum illud promontorium quod *Scagen* dicimus, Vinsyssalam hodiè eum omnē tractum appellamus, ita tamen ut omnis interim ipsorū fuerit regio, quæ Cimbrica Chersonesus dicitur, distincta in civitates seu populos plures, quorum præter *Cimbros* septem Ptolemæus enarravit, ut isto fortassis aspectu *parvam* eorum *civitatem* Tacitus dixerit; Servatq; nominis Cimbrici reliquias hodieq; adhuc præfectura *Himmersyssel* hoc ipso circiter loco, ubi eos Ptolemæus collocat: ut ita sc. qui Cimbri vel *Kimbri* olim, euphoniæ gratia omissâ C literâ *Himbri* & nomarchia eorū *Himmersyssel* hodie dicatur. Est & pagus itemq; monasterium in eâdē Himmersyssellensi præfecturâ quibus nomē **Cibbet** & **Cibbet kloster.** & deniq; fretum ibidem *Cibbersund*, ut taceam in littore Scaniæ vici vocabulum *Cimbris* dicti & portum ejusdem *Cimbris hafn*, quemadmodum eadē vicissim litera subinde est supervacua, ut supra ostensum in *Cdanus* & *Codanus*. *Fundusiis* limes fuisse videtur sinus Lymicus, Vensysalę seu Vendalæ lacus aliàs dictus, boream versus; ab occasu Oceanus, ad vicum usq; **Hensberg.** Sed eos quo referā, ignorare me fateor. quamvis non lateat esse, qui Ripas Cimbrorum antiquam Fundusiorum sedē statuant. *Charudes* Fundusiis in eodem circiter districtu sunt orientaliores. Hos Cæsari nominatos, Cimbricæq; gentis populum reliquiasq; esse, asseverare nullus dubitem. Mentio eorū identidem occurrit primo de bello Gallico, ubi Ariovisto, præter ceteros, auxiliares venisse memorantur: Ita enim Cæsar: *Sequanos decedere* (Ariovistus) *jubet propterea, quod paucis mensibus antè, Harudū millia hominū* XIXV. *advenissent, quibus locus ac sedes pararentur.* Et paulò post. *Legati ab Æduis & Treveris ad Cæsarē veniebant; Ædui questum, quod Harudes, qui nuper in Galliam transportati essent, fines eorum popularentur, Treveri autem, pagos centū Suevorum ad ripam Rheni consedisse, qui Rhenum transire conarentur: iis præesse Nasuam & Cimberium fratres.* Atque indè sub finem ferè libri primi: *Tum demum necessario Germani suas copias è castris eduxerunt, generatimq; constituerunt, paribusq; intervallis Harudes, Marcomannos, Triboccos, Vangiones, Nemetes, Sedusios, Suevos: omnemq; aciem suam rhedis & carris circumdederunt.* Vestigium *Harudum* sive, ut habet Ptolemæus, *Charuaum* in ipsâ peninsulâ occurrere non unum liquet. Nam Jutiæ hodie magna pars *Harsyssel* dicitur; incolæ verò **Harboe**/ & **Harzdsnesz**/ vulgo **Horsens.** Est & **Harpdskier**/ castrum familiæ Frisiorum avitum. ut omittam Arhusios, quos alij ab Hatero rege, quàm rectè, ipsi viderint, deducere jam pridem instituerunt. Quamvis sit & *Haderlebæ* municipium quod *Harderslo* alii nominant; Situs autem si videatur, quem tribuit Harudibus suis Ptolemæus admodum borealem, nec is à locis jam dictis abhorreat, licet alij aliis borealiores nunc sint. Ptolemæus prętereà adjectâ C literâ *Charudes* scripsit, quemadmodum etiam alij pro *Hunus*, *Chunus*. Et ipse deniq; iterum, quod infra dicetur, pro *Dano* & *Danonia*, *Cdanus* & *Cdanonia* sive *Codanus* & *Codanonia*, extulit, ut & modo ostensum etiam Melæ id vocis prolatum. Infra Fundusos & Charudes collocantur *Chalij*. Eorum nominis vestigium nescio an reservarint fortasse munimenta duo, quorū alterum in peninsulâ est, ortum versus, ad littus Suevicum olim, nunc Balthici dicti maris, *Kallo* nuncupatum; alterū ex adverso in Selandiâ, *Kallenburgum* appellatur, aut in ipsâ peninsula præter *Callo*, quod est indicatum, *Coldingia* etiam. Vocatur & **Hals**/ à formâ cervicis, littus utrumq; quod est ad ostium sinus Lymici, ut & modo innuimus. *Chalos* proximè excipiunt *Cobandi* & *Sabalingi*: quorum illi in *Ni-copensibus* fortasse, qui crebro occurrunt seu Coldingensibus, de quibus in Chalis etiam dictum; Hi Sabalingi inquam in eâ ditione, quæ ad eundem Lymicum est sinū,

Saxones. *Sigulones.* *Slievones.* *Cimbri.* *Fundusii.* *Harudes.* *Chali.* *Sabalingi.* *Cobandi.*

Salling nuncupata, reliquisse sui manifestam memoriam patet: ut nimirum *Sallinga* quasi *Sabalinga* sit dicta. Hæc enim in illo interiori freto, *Lymfiord* vulgo dicto, ut infra referetur, veluti peninsulam efficit, *Salling* indigenis appellata. Ut iterû queri hic habeam & fateri, aut ordine non suo collocatas has gentes aut mutatas exindè earû sedes, & *Sallingiam* sive *Sabalingos*, qui hodie sunt boreales, à Ptolemęo cû *Sigulonibus* in parte Chersonesi australissimâ positos: Haud aliter quam *Anglis* factum, quos Tacitus agnoscit, sed extrà propemodû peninsulam ortum versus, & ultra id flumen, quod *Chalusum* olim Ptolemęus, nos *Travam* hodie Lubecæ mænia alluentê vocamus, cum exindè in ipsâ peninsulâ, ut infra dicemus, & hodieq; adhuc Anglici nominis reliquiæ sint inter celebria duo opida Flensburgû ac Slesvicum. Hos *Anglos* ibi ferè, ubi Tacito sunt indicati, non verò ubi hodie sunt, Ptolemæus sub titulo *Suevorum Anglorum* quasi alij præterea essent Angli, exinde nominat, ut ille quos secutus pinaces sit, haud satis mirari habemus. Verisimile tamen est, cum ipse Germaniam nô viderit, ex tabulis non unis, quæ Romę in porticibus exponebantur, sua hausisse, sed nescio an eo, qui adhiberi ubiq; debuit, delectu. Moris siquidem victoribus Romanis erat, ut populo spectandas victorias suas trophæaq; in publico loco proponerent. Undè de Maximino Capitolinus: *Jussit præterea tabulas pingi, ita ut erat bellû ipsum gestum, & ante curiam proponi, ut facta ejus pictura loqueretur.* Tales quoq; tabulas in suis Menianis conspici gloriatur Eumenius Rhetor, *videt*, inquit, *in illis porticibus juventus & quotidiè spectat omnes terras, & cuncta maria, & quicquid invictissimi principis urbium, gentium, nationum aut virtute devincunt aut terrore. Siquidem illic credo instituendæ pueritiæ causa, quo manifestius oculis discerentur, quæ difficilius percipiuntur auditu, omnium cum nominibus suis locorum situs, spatia, intervalla descripta sunt: quicquid ubique fluminum oritur ac conditur, quacunq; se littorum situs flectunt, quove ambitu cingit orbem vel irrumpit oceanus, ibi fortissimorum imperatorum pulcherrimæ res gestæ per diversa regionum argumenta recoluntur, dum calentibus semperque venientibus victoriarum nuntiis revisuntur, Persidis flumina, & Libyæ arva siccantia, & convexa Rheni cornua & Nili ora multifida.* Ex talibus igitur tabulis cum recentibus tum antiquissimis multâ in suam Germaniam transtulit Ptolemęus, quæ tamen eo, quo ille scribebat, tempore haud ita conspiciebantur. Inter cetera Sicambris sedes in Germania transrhenana assignat, quos tamen potissimâ sui parte ex Tacito & Suetonio constat, transmisso amni, in Gallias ab Augusto multo jam ante tempore translatos. Trophęa præterea Drusi nominat, & exprimunt ejus chartę. At ea quis non ejus ævo periisse aut tempestate comsumpta aut diruta dudum disiectaq; post Romanorum discessum à Cheruscis fuisse existimet, cû præsertim inter Drusi victoriam & initiû Antonini, quo claruit Ptolemæus, intercesserint anni centû & quadraginta? Eo enim toto tempore quis verisimile credat Cheruscos ea cladis suę Romanæq; victorię signa illic fixa consistere passos? Hic itaq; tabulas secutus fuerit vetustissimas, & populos illos, ac res transrhenanę Germanię non tam ad suum, quam vetus illud ævum efformavit. At in borealiori hac ejusdem Germanię delineatione non tam vetustissimos, quamvis eos etiâ inspexerit, sed ævi potius sui pinaces præcipuè habuit, qui illi *Saxones* ac Cimbricę peninsulę illos jam enumeratos populos, licet nomenclaturis haud ubiq; emendatis, aliaq; similia, ut *Anglos Suevos*, quasi alij præterea, uti revera fuère in ipsâ Chersoneso *Angli*, ut mox dicemus, prodiderint. *Sigulones* autê de quibus dicere cæperamus, qui Ptolemęo eidem, ut supra ostensum, juxta Sabalingos collocati, non aliò quàm ad Slesvicensis Ducatus incolas referam; utpote minus emendatè *Sigulones* ipsi nuncupatos, cum à *Sliæ* potius sinu *Sliævones* dicendi fuissent. Nam, ut antea & alibi indicatum, *V* & *B* inter se commutantur sæpenumero, adeò ut *habitare*, quod Dani **Boe** dicunt, id per *V* efferentes Danis vicini **wonen** dicant.

Angli.

Angli Suevi.

Angli in Chersoneso Cimbrica.

Sigulones, Sliævones.

CIMBRICA CHERSONESUS MARCIANI HERACLEOTIS.

PTolemęum Pelusioten excipiat Marcianus Heracleotes Gręcus etiam author, qui periegesin edidit orbis universi, quâ Periplum inscripsit, duobus libris distinctam, excerpens pleraque, ut ipse fatetur, ex Artemedori Ephesij geographicis & libris Claudij Ptolemęi ac Protagoræ aliorumque antiquorum. In eâ Cimbrica Chersonesus ità exhibetur, ut extensiones, quas etiam superius Ptol. recensuit, per stadia non gradus demonstret, ut sequitur:

,, Ab Albi flumine sequitur ea, quæ vocatur CIMBRICA CHERSONESUS, estque maxima.
,, Ab Albis verò fluminis ostiis usque ad primum ejus Chersonesi exstantiam, quæ post fluvium Albim sita est, sunt stadia — — — — 550, stadia 400.
,, A primâ illâ extensione Chersonesi ad eam, quæ proxime consequitur in eâdem Chersoneso, stadia — — — — — 1600, stadia, 1100.

A secundâ

A secundâ verò extensione ejus Chersonesi ad eam, quæ deinceps sequitur, quæ omni- ,,
um illius Chersonesi maximè est septentrionalis, stadia —— — 1450, stadia 1150. ,,
Ab extensione maximè septentrionali ejus Chersonesi usque ad extensionem quæ pri- ,,
mam ejus reflexionem sequitur, stadia —— —— —— 650, stadia 550. ,,
Ab extensione eâ, quę post primam reflexionem erat usque ad partem maximè orien- ,,
talem, stadia —— —— —— 720, stadia 520. ,,
A parte Chersonesi maximè orientali ad extensionem eam, quæ illi deinceps subest, ,,
stadia —— —— —— —— —— 2000, stadia 1500. ,,
Ab extensione eâ, quæ illi subest usque ad reflexionem ejus Orientem versus, stadia ,,
sunt —— —— —— —— —— —— —— 750. ,,
Hic finitur periplus Cimbricæ Chersonesi, maximâ parte in Oceanum extensæ, latera ,,
verò projiciens versus continentem Orientalem. Adeò ut terminet maximum sinum ju- ,,
xta *Suevum amnem*, & interius quoque extendatur. Est autem ambitus totius Chersonesi ,,
stadiorum, —— —— —— —— —— 8050 stadia 1370 ,,
Incolit autem cervicem quasi ejus Chersonesi gens, quæ vocatur SAXONUM; ipsam ve- ,,
rò Chersonesum gentes plurimæ. ,,

Ex quibus, præter cetera, illud intelligi potest, maximum illum à Chersoneso terrarum sinum, qui Suevo amne, hodie *Suein* dicimus, finitur & partem potiorem Vandaliæ complectitur, Cimbricæ antiquitus Chersonesi fuisse. Et docet quoque historia primores Daniæ reges hanc semper oram, ut regni sui laciniam, tenuisse aut saltem ut tenerent sibiq; firmarent, armis perpetuo elaborasse. Est & hoc notandum, non Anglos modò Tacito & Ptolemæo nominatos, sed eos quoq;, qui in exercitu Ariovisti, cujus supra meminimus, *Sedusij* & *Suevi* memorantur, quiq; Germaniæ borealiores fuêre, ad Cimbricę Chersonesi hunc etiam sinum ac nationes pro parte spectasse, & omnium maximè *Harudes*, quos iisdem Sedusiis & Suevis, ut Ariovisti regis auxiliares, quomodo ostensum jam modò, Cęsar conjungit; Ptolemæus autem, ut posuimus, in ipsâ penitiori Chersoneso reponit, *Charudes* nominans, *Sedusios* verò *Sedinos* appellat, sed paulum ultra Suevum, ortum versus, colere facit. Quorum omnium caput *Semnones* fuêre Tacito teste. Nec omitti postremò in iisdem Marciani verbis debet, *Saxonum* ab eo gentem seorsim appellari, & eos αὐχένα, id est, *cervicem*, vel ut alij vertunt, *dorsum peninsulæ* incolere; ipsam verò peninsulam seu Chersonesum gentes habitare perplures. Quarum cum nomina aut catalogum non referat Marcianus, eâ, quam ex Ptolemæo adduximus, recensione contenti, ad tempora sequentia concedendo, quid præsertim de hoc tractu Adamus quoque Bremensis (qui Regi Danorum Estrithio Suenoni perfamiliaris fuit & Saxonem Grammaticum duobus propemodum seculis antecessit) in medium proferat, jam attendamus.

Semnones.

CIMBRICA CHERSONESUS ADAMI BREMENSIS: QUI IUTLANDIAM INTER PRIMOS NOMINAT.

ADamus Bremensis historiæ suæ ecclesiasticæ, quæ religionis Christianæ in Boreę his oris à Caroli Magni temporibus ad Henricum usq; VI propagatę, res complectitur, brevem calci adjecit borealium earundem regionum descriptionem. In eâ, præter alia, de Chersoneso Cimbricâ, quam *Iutlandiam* vocat, itâ verba facit:

Provincia Danorum tota ferè in insulas dispertita est. Hanc autem Daniam à nostris ,,
Nortalbingis flumen *Egdora* dirimit, qui oritur in profundissimo saltu paganorũ **Isarnho**/ ,,
& extenditur secus mare *barbarum* usque ad *Sliam* lacum. Ceterum flumen *Egdora* descen- ,,
dit usq; in Oceanum Fresonicum, quem Romani scribunt Britannicum. Et prima quidem ,,
pars Danię, quę **Jutlant** dicitur, ab Egdora in Boream longitudine protenditur, habens i- ,,
ter tridui, si in *Finen* insulam divertis. Si autem à **Sliaswig** per directum viam metiris ,,
quinque aut septem habes iter dierum. Hæc est strata Ottonis Cæsaris usque ad mare no- ,,
vissimum **Wendile**/ quod usque in hodiernum diem ex victoriâ regis **Ottinsund** appel- ,,
latur. Latitudo Iutlandię secus Egdoram diffusior est, indè verò paulatim contrahitur ad ,,
formam linguę, in eum anglum, qui *Vindila* dicitur, ubi **Jutland** finem habet. Ibi bre- ,,
vissimus in Nordmanniam transitus est. Ager ibi sterilis loca flumini propinqua, omnia ,,
ferè deserta videntur, terra salsuginis & vastæ solitudinis. Porro cum omnes tractus Ger- ,,
maniæ profundis horreant saltibus, sola est **Jutland** ceteris horridor, quæ in terrâ fugi- ,,
tur propter inopiam fructuum, in mari verò propter infestationem piratarum. Vix inve- ,,

> nitur culta in aliquibus locis, vix humanæ habitationi oportuna. Sicubi verò brachia maris occurrunt, ibi civitates habet maximas. Hanc quondam regionem Cæsar Otho tributo subjiciens, in tres divisit episcopatus, unum constituens apud *Sliaswig*, quæ & *Heitbeby* dicitur, quam brachium quoddam freti *barbari* alluit, quod *Sliam* vocant, undè & civitas nomen trahit. Ex quo portu naves emitti solent in *Slavaniam* vel in *Suediam*, vel in **Semland**/ & usque in Græciam. Alterum in Ripa, quæ civitas alio tangitur alveo, qui ab oceano influit, & per quem vela torquentur in Frisiam, vel in nostram Saxoniam, vel certè in Angliam. Tertium vero in **Arhusen**/ & hanc fretum quoddam à *Finne* dirimit brevissimum, quod ab orientali pelago ingrediens, longis anfractibus in *Finne* & **Jutland** protenditur in boream, usque ad eandem civitatem **Arhusen** / à qua navigatur in *Finnen* aut **Seland**/ sive in Sconiam vel usque Norvegiam. Postea vero deficiente hoc episcopatu, quem tertium posuimus, **Jutland** duos solummodo episcopatus retinuit, *Sliaswicensem* videlicet ac *Ripensem*, donec nuper mortuo Valdemaro Ripensi episcopo dioecesis illa in quatuor discreta est episcopatus, auctoritatem suam præbente archiepiscopo. Qui mox consecravit in Ripâ Oddonem; in **Arhusen** Christianum, in **Wiberg** Haribertum, in Wendela Magnum, cui, cum post ordinationem rediret, in Albiâ naufrago surrogavit Albericum. Hi quatuor episcopi tunc Ripensem dono Suein regis sortiti sunt parochiam. Archiepiscopus verò de suis clericis ordinavit in *Sliaswig* Ratolphum, in **Sieland** Gulielmum, in *Finne* Elbertum, quem tradunt conversum à piratis, Farriam insulam, quæ in ostio fluminis Albiæ longo recessu latet, in Oceano primum reperisse, constructoque ibi monasterio fecisse habitabilem. Est enim feracissima, frugum ditissima, volucrum & pecudum nutrix, collem habet unicum, arborem nullam, scopulis includitur asperrimis, nullo aditu nisi uno, ubi & aqua dulcis. Locus venerabilis omnibus nautis præcipuè verò piratis. Undè nomen accepit ut **Helichland** dicatur. Hanc in vitâ sancti Willibrodi **Fositland** appellari didicimus, quæ sita est in confinio Danorum & Fresonum. Sunt & aliæ insulæ contra Fresiam & Daniam, sed nulla earum tam memorabilis.

Quæ Chersonesi descriptio primò nobis declarat universum eum districtum, qui est ab Albi flumine, Eidoram & Sliam versus, eo adhuc seculo Nortalbingiam, & populos eam incolentes, qui sæpenumero in Reginone & ejus ævi chronologis occurrunt, Nortalbingos appellatos; Nec Holsatiæ aut Holsatorum, qui eas nunc terras tenent, vocabulum aut nomen tum temporis magnopere usurpatum. Non quod notos aut nominatos tum Holsatos negemus, sed quod eo ævo, ut infra dicetur, & eodem hoc Adamo authore liquebit, necdum eorum generale esset vocabulum & plures, quæ ibi sunt, gentes complectens. Declarat deindè & illud, reliquum, qui in boream extenditur, ejusdem peninsulæ districtum, appellitatam per id temporis *Iutlandiam*. *Barbarum* verò quod ait ad Sliam usque *mare*, id *Balthicum* est: *Barbarum* appellat à gentibus, quas alluit extremis partibus, tum adhuc parum cultis. Ità enim alibi habet: *Sinus ille ab incolis appellatur Balthicus, idemque mare barbarum seu pelagus Scythicum vocatur, à gentibus, quas alluit, barbaris.* Quæ deindè extensio Jutlandiæ ab Eidorâ recensetur, ea satis indicat *Iutlandiam* ei duplicem esse, *Meridionalem* & *borealem*. Quarum illa haud multò Coldingam ultra progrediatur; ubi est ex adverso Fioniæ Melfartum, seu, ut vocant alias, Middelfurtum. *Finne* autem *Fionia* insula est, **Fyn** hodie. *Stratam* quam vocat *Othonis Cæsaris*, eà de itinere capienda, quod, Haraldi Danorum regis tempore, Otho Magnus imperator cum exercitu confecit ad fretum usque Jutiæ borealis, quod *Lymfiord* indigenæ appellant. Ipse mare vocat novissimum; Si, ut videtur, intelligendum oceanum Norvagicum vult, in quem circa Schagæ promontorium definit borealis hic Jutiæ tractus, toto errat cælo, cum non maris oceani sed freti istius *Limfiord* sive Limici, de quo mox plura dicentur, sinus sit accipiendus, qui hodieq; aut portio potius ejus ab Othonis vocabulo & lanceâ, quam in eum, ut terminum borealis hujus expeditionis, projecit, *Otesund*, id est, *Othonis fretum* appelletur, quemadmodum superius suo loco docet prolixius historia. Helmoldus etiam, qui Adamum, ut videtur, Bremensem est secutus, errorem ejusdem errans, mare similiter novissimum appellat, & addens, quod Normannos dirimit à *Danis*, satis superq; significandū dat, Norvagicum se mare non sinum illum maris, quomodo debuit, intellexisse. Interim ex eodem freto in Norvagiam navigari posse non negamus, & fortè eo pacto excusandus Adamus, cum, ut infra dicemus, Vendelam, quæ est ultra hoc fretum, insulam faciat, in eo tamen iterum impingens, cum non insula sed pæninsula sit ac Iutię continenti versus occasum adhæreat. Notandum deindè quod suo tempore Adamus *civitates* hîc agnoverit *maximas*, sicubi pręsertim maris brachia ac sinus essent.

Lymfiord.
Lymicus sinus.

Quæ

Quod autem addit, *regionem totam ab Othone redditam imperio tributariam*, nequaquam concedendum, si nimirum annales domesticos & Saxonem præcipuè sequamur, de quo superius consulenda historia. Interim verba ipsius Saxonis veluti in memoriam priorum repetisse hoc loco haud abs re erit: Supervenientc, inquit, Haraldo, Cæsar Jutiam, utpote regio ductu vacuam, nullo resistente, permensus, cum Lymici sinus objectu, tunc temporis aquis Vendilam claudentis, ulterius excurrere vetaretur, conjectâ in undas lanceâ, non solum iter ad Eidoram reflexit, verum & simillimum fugæ reditum habuit. Siquidem hastam, cujus usum habebat maritimos in fluctus, relinquendi monumenti gratiâ, jaculatus, suum freto vocabulum indidit. Verum ut impetu gravis, ita exitu vanus apparuit. Haraldus quippe ardentissimo cursu abscedentes hostium reliquias insecutus, Epponem, extremi agminis ducem, cum iis, quos repperit, trucidavit. Ex portu deindè Slesvicensi, quod in Slaviam, Suediam, Semlandiam ac Græciam enavigatum mercesque transvectas referat, *Semlândia* eo loci *Semlandique Sembi* sunt, ut eos Saxo vocat. Gentem hanc esse antiquissimam, & à *Semnonibus*, quatenus etiam illi mare præsertim Suevicum attigêre, nomen & originem ducere, paucisq; hoc animadversum, dicetur inferius. De episcopatibus autem Jutlandiæ, ut & de insulâ **Heylighlandt** / quæ adferuntur, suo mox loco persequemur. Ut igitur qui est præscriptus ordo teneatur, ipsam modo, cujusmodi ferè hodie est, peninsulam inspiciamus.

DE RATIONE NOMENCLATIONIS JUTLANDIÆ DEQUE VITIS, WITUNGIS IUTHUNGISQUE.

Expositis, præter cetera, cum vetustissimis, tum iis Chersonesi appellationibus, quæ ævo deindè medio infimoque fuerunt usitatæ, devenimus postremò ad eam peninsulæ, quæ hodieque usurpatur, nomenclationem sub Jutlandiæ vocabulo. Unde jam proximum fit, regionem universam, cujusmodi modò est, per partes ac territoria sua distributam, propius introspicere. Verùm ut ordinè ac ritè hoc fiat, necessum erit difficultates prius ac salebras, quæ in voce Jutlandiæ non unę occurrunt, quantum in nobis erit, tollere ac complanare. Nam à Iutiâ Iutlandiam dici cum dubium non sit, quæritur de ipsâ Iutiâ: præsertim cum Beda gentes ex hoc tractu commemorans, quæ in Britanniam delatæ nova ibi nomina, novasque populorum appellationes induxerunt, præter *Anglos & Saxones*, *Vitas* nominet. Et alibi quoque *Vitarum* mentionem faciens, de eorum origine esse plures Anglici districtus populos doceat, ubi inquit: *De Vitarum origine sunt Cantaurij & Vectauri, hoc est, ea gens, quæ Vectam tenet insulam, & ea quæ usque hodie in provinciâ occidentalium Saxonum Vitarum natio nominatur; posita contra ipsam insulam Vectam.* Hic *Vitas* esse *Iutas*, nec inter *Iutas* & *Vitas*, faciendum discrimen, sed literæ unius transpositione pro *Vitis Iutas* rescribendum plures existimant. Sanè Cambdenus, insignis olim Britanniæ suæ illustrator, locum illum Bedæ, qui est libro 1. cap. 15: *Angli de illâ sunt patriâ, quæ Anglus dicitur, & ab eo tempore usque manere deserta inter provincias Vitarum & Saxonum perhibetur*, aliter in MSto haberi, & loco *Vitarum* legi *Iutarum* affeverat. Obiit Beda sub annum Christi DCCXXXII. Quem secutus est duobus & ultra seculis post *Ethelwerdus*, Adulphi regis abnepos, utpote qui claruit circa annum salutis DCCCCL: Hic de eâdem re agens, Bedæ lectionem scriptam affirmare videtur, cum non *Vitas* aut *Iutas*, sed *Giotos* disertè scribat; Ait enim: *Anglia vetus sita est inter Saxones & Giotos, habens opidum capitale, quod sermone Saxonico* **Sleswick** / *secundum verò Danos Haiteby dicitur.* Quo loci *Giotos* proximo deflexu ad *Iutas* & *Gothos*, non *Vitas* abire nemo non fateatur: adeò ut eadem Ethelwerdi scriptura satis eorum adstruat opinionem, quæ est ferè doctorum omnium, à *Gothis* & *Gutis*, quorum in Scandiâ Ptolemæus ut postea dicetur, meminit, originem esse Iutarum & Iutlandiæ repetendam. *Vitarum* interim nomenclaturam haud quaquam expungendam multa convincant. Nam ut omittam, qui Tacito memorantur in Germaniâ Anglis vicini *Nuithones*, vel ut scribendos eos verius putem, *N* in *H* mutato, *Huthones*, nonne & *Vitungi* authoribus celebratissimi sunt? Quo- *Hulthones.*
rum & superest hodieq; haud sine manifestissimis vestigiis nomen in illâ Cimbricæ Cher- *Vitungi.*
sonesi, haud procul illustri Riparum oppido, notissimâ nomarchiâ *Widung hærridt* dicta: & in Scania item proximâ *Gungi* quasi *Giutungi* dicti. Quin & ipsi *Vitungi*, cum Suidæ & aliis authoribus *Iuthungi* nominentur, & populus intelligatur, qui à boreâ veniens, Istrum *Juthungi.*
trajecit, & eorum quoque in epistolis subindè Ambrosius mentionem faciens haud aliter quàm *Iuthungos* appellet, quis inquam ista considerans in eam non veniat sententiam, promis-

promiſcuam quoque *Iutarum* aut *Vitarum* fuiſſe appellationem? Nam ecce Sidonius Appollinaris *Vithungorum* vocabulum retinens dixit carmine 7: *Nam poſt Vithungos & Norica bella.* At Proſper Aquitanus *Iuthungorum* vocem, ut Suidas ſuperius & Ambroſius, reſervans, de Ætio ità ſcribit: *Ætius Iuthungorum gentem delere intendit.* Quin & *Guthungos* veteribus eoſdem nominatos colligi ex Ammiano Marcellino poteſt lib. 27. ubi legitur, *Grutingos bellicoſam gentem aggreſſus eſt*: Quis enim legendum ibi, pro *Grutingos, Guthungos* magnopere addubitabit, aut ſaltem, ut eſt non una populorum dialectus, ità pro *Guthungis* appellitatos, cum gentem, ut diximus, fuiſſe borealem, ac Gothis ſociam ex eodem Ammiano, qui ſemel iterumque nominat, intelligi manifeſtò queat? Quibus ex omnibus liquere haud obſcurè poſſe exiſtimo, ſive *Vithungos, Iuthingos, Guthungos*, aut denique *Huithonos* ſeu *Iuthones* pronunciando efferamus, eas omnes voces ac dialectos quàm proximè ad Cimbricæ noſtræ *Vitas, Iutas, Gutas* & *Iuthones* ſive *Iutlandos*, prout à variis variè efferuntur, accedere: Et eaſdem poſtremò voces *Vitas, Iutas, Guthas* & *Iuthones* haud minus quàm illas eſſe promiſcuas, nec uno modo, prout gentes ac dialecti non unæ ſunt, proferri: Obtinuiſſe tamen & eſſe hodieque uſitatiſſimum, ut *Iutiam* & *Iutlandiam* efferamus, cum ipſi Cherſoneſi indigenæ ſe *Iuder* & ſolum ſuum *Iulland* appellent, idq; idioma etiam genti familiare demonſtret. Nam & eodem modo Dani hodieq; Oſtrogothos & Veſtrogothas ôſter oh Veſter Iyllant vocant. Quæ autem earum dictionum notatio ſit, quæri ultimò poſſit. Ego qui eas certò enodarit necdum reperi. Conatus eſt interim jam nuper vir ut eleganti doctrinâ, ita ſcriptis clarus, Arngrimus Ionæ Islandus inter glaciem licet atque extrema cæli ſui frigora ingenij cultum fovens, qui, proximè accedens ad vocem *Giothos*, *Iæt gigantem* notare Norvagis aut Islandis inquit, & eſſe in ditione quâdam Norvagiæ vicinâ **Riſolandt**/ id eſt, *gigantum terram*, & ab eâdem haud longe abeſſe *Iætum haimar*, id eſt, *gigantum habitationem*, nec aliud eſſe, quæ olim Cimbrica Cherſoneſus, nunc Iutlandia dicta, quàm *Iætumland* ſive **Jutland.** Ut ità, qui olim à **Kempers** & *Cimbers*, id eſt *bellatoribus Cimbri* & *Cimbria* Romanis appellati; iidem deindè, non re, ſed nomine ſolum mutato, ſint dicti *Iyte* & *Iiitlandia.* Sed de hoc dicemus fortaſſe amplius alibi. Nunc illud tantum, ne cauſam hanc plane deſertam è manibus amittamus, dicere habeam, eſſe in ipſâ hac, ſive Iutlandiam ſive Gutlandiam appellare libeat, amnis nomen, omnium ibi celebratiſſimi, qui *Gudius* ſive *Guttalus* dicitur, ut infra, ubi de tractu ſeu diæceſi Viburgenſi, clarius monſtrabitur. Ab amnibus verò populorum, ut plurimum, deduci appellationes doceat vel *Iberus* Hiſpaniæ fluvius, à quo *Iberi*: ne ad teſtimonium nunc alia citem, & alibi nobis memorata: & inter cetera ejuſmodi item eſſe *Indum*, à quo *Indi*; & *Suevum* in Germania, à quo *Suevi*; & *Lanum* à quo *Alani*; & *Alemonum* ſive *Alemanum* in Germania quoque, à quo Alemanni; & denique *Rhenum* ibidem, à quo *Rhenenſes* & *Rheni*, Perſio pro Germanis nominati ubi inquit Sat. 6: *Ingenteſque locat Cæſonia Rhenos.* Quo & Stephanus Ethnographus reſpiciens, inquit: *Rheni, gens fluvio Rheni accolens, & inde ità dicti.* Dixi huc ſpectantia plura quàm conſtitueram, ſed ignoſcat lector, quia necdum omnia.

JUTLANDIÆ IN MERIDIONALEM ET BOREALEM DIVISIO.

Meridionalis Jutia. Septentrionalis.

CImbricam igitur Cherſoneſum, tot illuſtribus ſcriptoribus Græcis Romaniſque celebratam, atque ultimò, ut oſtendimus, *Iutlandiam* dictam, dupliciter quidem authoribus diſtribui video, ut altera *meridionalis*, altera ſit *borealis*. Quarum meridionalis initium ponitur circa Iſthmum, qui eſt haud procul Sleſvico; ut ità totum illud, quod eſt introrſus & ultra Eidoram ad Albim uſque, nunc *Holſatiam* dicimus (Adamus Bremenſis *Nordalbingiam* appellavit, Ptolemæus, & Ethelwerdus jam modo citatus, Saxonibus attribuit) eâ diviſione excludatur. Nos verò nec eam regionem inſuperhabebimus, utpote Daniæ regum pro parte hæreditariam, & antiquiſſimis quoque authoribus, ut ante patuit, Cherſoneſo ipſi perpetuò adſcriptam. De priore tamen utraque parte, quæ nomen *Iutlandiæ* ſervat, priori loco agemus, verſo deindè ad hunc deſtrictum qui *Holſatia* dicitur ſtilo. Omnis autem hujus regionis cum borealis tum meridionalis longitudo ab illo maris noviſſimo promontorio, quod hodie exteris domeſticiſque **Schagen** appellatur, ad amnem uſque Leonis (**Leewens Aa**) in milliaria ſe Germanica exporrigit quinquaginta & tria; quà vero eſt latiſſima, propè nimirum Lymicum ſinum & Alburgum, ultra viginti patet. Quibus ſi Holſatiæ accedat longitudo, quæ ab amne eodem ad Billæ & Albis fluenta, verſus au-

sus austrum & occidentem excurrit, septuaginta propemodum Germanicis miliaribus universa vix Chersonesi finietur longitudo. Quod spatium haud moltò minus erit Italiæ longitudine. Ut ità Chersonesus ista inter mundi celebriores Chersonesos, sive gentium robur, siue terræ videamus præstantiam, haud habenda postrema. Primò nunc igitur loco *plagam* hujus tractus, quæ est *meridionalis*, lustremus.

JUTLANDIA MERIDIONALIS EIUSQUE DIOECESES AC TERRITORIA.

EA, præter cetera, *Slesvicensem Ducatum, Anglos* & *Frisiam*, quæ Saxoni Grammatico *minor* est dicta, complectitur, indigenis, vulgari vocabulo *Sunderjuthia* appellata. Propè autem Slesvicum ipsum, undè inclytus ille Ducatus nomen habet, ad certam rei memoriam, & ut constare omnibus possit, eum semper Ducatum regium ac regni Daniæ fuisse, insignis hodieque ad Isthmum, qui ibi est, agger visitur, fossarum ac valli vestigia ostentans, quod OPUS DANORUM, vulgo **Danewirck** appellant. Hoc olim cum indies Slavorum Saxonumque metuerentur incursiones, eundem Chersoneso usum præbuisse videtur, quem in Britannia *Vallum Severi*, quod ipsi **Severwall** appellant. Conditoris autem primi, & qui deinde instauratum conservarunt, in ipsâ historiâ loco non uno occurrit mentio; ut & limitaneorum præfectorum, qui operi ac munimento custodiendo publicis regni sumptibus eo loci perpetuo excubarunt. De quo videndus, inter cætera, annus 931, & qui eum plusquam seculo præcedit DCCCIV. **Danewirck.** *Danorum opus.*

Extenditur autem hæc Iutia ab amne Leonis, jam memorato, per lineam rectam septentriones versus, ad amnem *Schodburgensem*, qui latitudinis peninsulæ borealis est terminus; versus occasum oceanus occurrit Britannicus; ad ortum æstivum progreditur versus agros & urbem, quæ ibi est amænissima, *Coldingam*. Quæ si latitudo ab Eidorâ flumine oppidoque *Rendesburgo*, ut oportet, sumatur, ad octodecim usque miliaria juxta opidum Coldingæ jam indicatum se extendet. Latitudo, quæ est, inæqualis habetur. Ea tamen, inclusis *Anglis* & *Frisiâ* Minore, sex vel septem & alicubi etiam octo implebit miliaria. Quod ad ipsum Ducatum, eum Holsatiæ principes à regibus Daniæ in feudum accipiunt, exceptâ episcopali dignitate, quæ Daniæ regno perpetuo cohæsit. Oppidum Sliæ amni, sive maris est sinus, unde & nomē habet, est adsitum. Incolę olim totius territorij *Sigulones* Ptolemæo, vel *Slievones* potius nuncupati, ut supra ostensum. Est & *Hedeby* oppidum ipsum ante secula aliquot ab *Hetha* regina Danis dictum. Ità enim habent verba regis Anglorũ pientissimi Ethelredi, qui claruit anno Christi 905, quæq; posita superius hic repetere haud pigebit. Sunt enim ista: *Anglia vetus sita est inter Saxones & Giotos habens oppidum capitale, quod sermone Saxonico* **Sleswich**/ *secundum vero Danos Haiteby dicitur*. Ex anonymo etiam Chronologo de vitâ Caroli Magni colligere est *Sleistorpium* quoq; antiquitus nuncupatum. Refert is quippe inter Carolum Magnum & Daniæ regem *Godefridum*, alij *Gotricum* nominant, controversias fuisse de finibus inter Daniæ regnum & Saxoniam, quam sibi Carolus vendicabat, conventumque fuisse, ut uterque alteri ad colloquium sese obvium daret. Venisse itaque Carolum in *Hodingstede*, regem verò in **Sliestorff**. Dissuasum regem à suis detrectasse colloquium remq; per consiliarios actam, ut habet suo loco historia. Fuit autem urbs olim ingens & imprimis potens ob situm sedemque episcopalem, & mercatorum ex Britanniâ, Galliâ, Hispania, Flandria totaque Belgicâ illuc commeantium frequentiam. Nam ad Egdoræ fluminis ostium ex oceano Germanico appellentes naves, per Threanam amnem merces suas Hellingstadium usque subvehebant, atque indè Slesvicum delatas, per urbes maris Balthici variè in Daniâ, Norvegiâ, Sueciâ, Livoniâ, Poloniâ, Russiâ, Borussiâ sitas distribuebant. Adamus Bremensis, qui claruit circa annum millesimum centesimum, *civitatem* passim appellat *opulentissimam ac populosissimam*. Templum primum condidit *Ericus* Rex, frater *Haraldi*, quem S. Anscharius ad fidem convertit, ut est à nobis suo in loco circa annum Christi DCCC commemoratum. Sed irruentes in loca ista Slavi, anno Christi MLXIV, urbem expugnarunt, funditusque ecclesias ac templa depopulati sunt, restituto etiam in locũ verę religionis paganismo; cujus monumenta exstare adhuc existimant in vicinis quibusdam fanis, ac præcipuè in eo, quod nunc D. Michaeli archangelo sacrum extra urbem conspicitur, formâ rotundâ, in monte, ad viam quâ itur Flensburgum. Pulsis Slavis, restitutus est paulatim DEI cultus. Templum cathedrale restauratum: Angli quoque negotiatores propè forum Ecclesiam S. Spiritus condidêre, quod

Slesvicensis Ducatus.

Slesvicum Hedeby olim & **Sliestorp.**

vicinum habuit Xenodochium. Erat etiam Ecclesia B. Nicolai in Australi cathedralis ecclesiæ latere, quæ adjunctum habuit monasterium, orientem versus. Sed hæc nunc solo æquata sunt, vix ut vestigium ullum supersit. Remansit tamen monasterium nobilium virginum in peninsulâ Slesvicensi, quam *Holmam* vocant.

Gottorpium. *Eckelfurtum.* Vicinum est Slesvico *Gottorpium* Holsatiæ Ducum habitatione & structurâ nobile, de quo inferius. Est & *Eckelfurtum* haud longe ab eodem versus meridem dissitum, à sciuro animalculo, cujus etiam triplici turri insignia gestat, nomen trahens. Hoc in peninsula maris orientalis ità positum, ut eo prope ad centum usque passus circumdetur. Undè & portum habet satis oportunum tutumque, adeò ut facilis ex eo sit in Daniam ac regna regionesque vicinas navigatio. At boream versus unius circiter diei itinere abest Slesvico *Flensburgum*, inter quod & ipsum Slesvicum collocati *Anglorum* populi, aut eorum saltem nominis tenne vestigium hæret. Ethelwerdus, cujus antea meminimus, scriptor Anglicus, *Anglia vetus.* circa annum DCCCCL *Angliam veterem* eam ditionem vocat, adjiciens habere metropolim Slesvicensem civitatem, esseq; primigenium solum, ex quo progressa Anglorum ea gens, quæ postea nobilissimum illud, quod hodieque in magnâ Britanniâ celebratur, Anglorum *Angli inter Slesvicum & Flensburgum.* regnum constituerit. Verba ejus superius posita repetere hoc loco præter rem haud erit. Ita enim habent: *Anglia vetus sita est inter Saxones & Giotos habens opidum capitale, quod sermone Saxonico* Sleswic/ *secundum verò Danos* Heitebp *dicitur.* Quo ex loco non obscurè posset colligi eorum Anglorum, quos Tacitus & Ptolemæus nominant, quorumque sedem magis orientalem videntur facere, utpote collocantes eos extra propemodum Chersonesum, versus Albim & Suevicum mare, seu, ut aliàs vocamus, sinum Codanum, eorum inquam introrsus exinde mutatas fortasse sedes; aut saltem, quod etiam suspicati superius sumus, magnam fuisse gentem hos Anglos, & isto quoque loco, quo eos Ethelwardus ponit, pedem fixisse, præsertim cum Ptolemæus, quasi bipartitos Anglos faciens, *Anglos Suevos* ultra Chalusum seu Travæ flumen commemoret. Et sanè quis non eos reliquis illis populis, qui cum iisdem in Britanniam transgressi referuntur, *Saxonibus* & *Vitis* præcelluisse dicet, cum ipsorum præsertim vocabulo inclytum illud & per omnem terræ orbem celeberrimum Angliæ regnum in eâdem magnâ Britanniâ sit conditum? Cujus hodieque nominis appellatio in ore & memoriâ hominum durat, nec ullo unquam delebitur ævo: Nam licet omnes jam maximæ illius insulæ populi sub regis unius imperio feliciter floreant, eorum tamen potissima pars hoc sibi Anglicum nomen retinet.

FLENSBURGUM. FLENSBURGUM autem, de quo dictum, positum est item ad sinum Balthici maris. Nam Sliæ amnem, qui, Slesvico nomen dedit, alij & rectius, non amnem, sed Balthici potius maris sinum existimant: ut & Flensburgi sinum, *Flenum* dictum, atque eum & arci & urbi nomen dedisse Flensburgi. Quamvis non me lateat esse, qui à Flenone viro nobili, qui eo loco casas quasdam piscatorias & rusticorum tuguriola habuerit tributaria, inditum hoc urbi nomen memorent. Jacobus Meierus rerum Flandricaram florentissimus scriptor ad annum 1427 de Henrico Duce Slesvicensi, qui in obsidione Flensburgensi periit, loquens, ait non *Flensburgum* sed *Vlensburgum* potius scribendũ, quod *Vlens* maris æstum, fluctum ac recessum significet. Situm est Flensburgum, *Flenopolim* appellat Chytræus, inter excelsos colles, portum habens tantæ profunditatis, securitatis & commoditatis, ut & appellere eò tutò onustæ naves possint, & singuli ferè cives ex suis ædibus naves queant mercibus implere, easdemque, ubi rebus confectis reduces fuerint, exonerare. Locus est peramœnus, aër salubris; fundi ob montium vicinorum oportunitatem vivas habent ac salientes aquas; Ager reliquus uberi omnium ad vitam rerum necessariarum copiâ abundat. Ædes sunt magnificæ, ad unam præcipuè plateam seriatim exstructæ, cujus est longitudo pass. MCCCLI: Alij 2341 passus ponunt. Arx adjacet in colle suburbano, qui portui & urbi imminet. Sunt & parochiæ aliquot, quarum omnium D. Johannis est vetustissima: Hic sita est Valdemari II Daniæ regis filia, habens monumento suo inscripta hæc verba: SOPHIA MARCHIONISSA DE BRANDEBURCH, FILIA QUONDAM REGIS VALDEMARI II. HIC SEPULTA EST CUM PROLE. Ejus in historiâ suo loco ut & fati, quo obiit, uberior fit mentio. Suo ortu nobilitavit Flensburgum præstantissimi nominis cælator, sculptor & pi-*Melchior Lorichius Flensburgensis.* ctor *Melchior Lorichius*, qui Græciam, Italiam, Galliam, Belgiumque peragravit, ut ejus artis peritos excellentesque videret atque imitaretur artifices. Quin & Flensburgo pa-*Thomas Finckius.* triæ suæ ornamento existit *Thomas Finckius* Geometricis artibus & scriptis clarus, hodie inter primarios academiæ regiæ apud Haffnienses professor.

HADERSLEBIA. HADERSLEBIA septem supra Flensburgum miliaribus, Boream versus, Harudum veterem,

veterum, quorum in Chersoneso suâ Cimbricâ meminit Ptolemæus, memoriam renovare videtur. Alij ad *Hotterum* regem, alij ad *Hater*, quod *rixas* & *lites* notat, referunt: verum de his alibi memoratum. Volunt eam, à Woldemaro Iutiæ Duce circa annum Christi 1292 jus & privilegia civitatis impetrasse. Arcem quondam in colle positam habuit, quam *Ioannes* Holsatiæ Comes solò æquavit, & aliam vicissim haud procul opido in peninsulâ cæpit exædificare, nomine ipsius *Hansburgum* nuncupatam, addito sacello, quod marmore & auro est exornatum. Hanc deindè arcem jure successionis adeptus Daniæ rex Fredericus II ad colophonem perduxit. Urbis viæ omnes elegantes sunt & spatiosæ. Forum amplum. Est & cathedralis ecclesia, in quâ Silesiæ Dux Romboldus, à Cæsare Sigismundo missus eò, sepultus jacet, marmoreo monumento. Cum enim volente Sigismundo imperatore in has oras venisset ad componendas lites exortas inter Daniæ regem Ericum Pomeranum & Holsatiæ Comites de Ducatu Slesvicensi, nondum confectis rebus, in legatione morbo correptus obiit. Ei igitur Ericus Pomeranus Daniæ rex monumentum condidit, & se, & ipso, & imperatore, à quo erat missus, dignum. Sed de hoc & universo litis hujus negotio plenius historia. Habet præterea Xenodochium in ipso opidi ingressu, & scholam erudiendæ inventuti à Duce Iohanne olim exædificatam, copiosisque dotatam reditibus. Adest & portus navibus recipiendis quàm plurimis accommodus ac tutus. Inter eam & Flensburgum, jam ante memoratum, medio propemodum itinere APENROA est collocata, cujus quoq; in ipsâ historia sæpenumero occurrit mentio. In occiduo deinde sunt littore HUSIUM & TONNINGA, ut & TUNDARIUM majus minusque. Est & OITINUM oppidum. Quorum *Husium* sive *Husemum* ad Heverum maris sinum patet. *Tonninga* ostio propemodum Eidoræ est opposita. Husenum, mari occidentali adjacens, domibus, plateis, longitudine, amplitudine ac ubertate soli Flensburgo & Haderslebiæ propemodum par est. Iura civitatis contulit Dux Holsatię *Adolphus*, qui & arce pulcherrimâ ornavit.

APENROA. *HUSIUM.* *TONNINGA* *TUNDARIUM.* *OITINUM.*

In eodem hoc littore FRISII MINORES sunt, Saxoni Grammatico celebrati. Sunt hi Strandij, sive, ut appellant vulgo, *Strandfrisij*, incipientes haud procul Husemo atque indè in boream erecti, non minus quàm per miliaria IV, angusti littoris oram tenent, cujus spatij medio forum habent elegans & benè cultum, multisq; ejus tractus opidis haud impar, mercatuque celebre, *Brestedam* nuncupatum, atque is terminus soli pinguidioris in eâ maris orâ. Ulteriora ferè arenosa. Utrimque verò vici duo more Frisico culti, quorum ad septentrionem extremus *Langeborna*, omnem tandem Frisiam istic finit. Undè ad Flensburgum, nobilissimum, de quo dictum, meridionalis hujus districtus oppidum, quatuor miliarium iter patet. Eandem regionem his olim verbis Saxo celebravit: Interea Canutus Frisiam minorem, quæ ipsa Danicarum est partium, cum paucis exilij comitibus petit. Dives agri provincia est, pecoribus opulens. Ceterum confinis oceano patet humilis, ita ut ejus interdum æstibus eluatur. Qui ne irrumpant, vallo littus omne præcingitur: quod si fortè perfregerint, inundant campos, vicos & sata demergunt. Neque enim illic locus natura alius alio editior exstat. Plerumque agros ab imo convulsos aliò loci trajiciunt, locum eorum occupante lacunâ, in quorum consederint præsidiis possidendos. Inundationem comitatur feracitas. Gramine tellus exuberat, torrefacta in salem gleba decoquitur. Hyeme continuo celatur æstu, stagni speciem præbentibus campis; undè & in quâ rerum parte locanda fuerit, pænè ambiguum natura fecit, cum aliâ anni parte navigationis patiens, aliâ aratri capax existat. Incolæ ejus naturâ feroces, corporibus agiles, anxiam & gravem armaturam contemnunt, ancilibus utuntur, missilibus dimicant, Agros scrobibus cingunt, saltus contulis edunt. Penates in editum, subjecto glebarum acervo, provehunt. Hos à Frisionum gente conditos, nominis & linguę societas testimonio est. Quibus novas quærentibus sedes ea fortè tellus obvenit, quam palustrē primum ac humidam longo duravêre cultu. Administratio deinde provincię sub nostris regibus esse cæpit. Hactenus Saxo; qui deinde, ubi res Canuti in eâ parte gestas persequitur, Mildę fluminis meminit, his nimirum verbis: *Canutus cum fortè præsidium ab his implorasset, prompto omnium favore suscipitur, pollicitus se aliquid de consuetæ pensionis onere laxaturum. Avidi promissionis Frisij, intuitu exilis præmij immani se negotio onerant. Ac primum mœnia propter Mildam fluvium, quîs eum recipiunt, condunt*; Et statim: *A latere ei Milda fluvius fuit, angustis alveis, sed placidè manantibus aquis.* Hoc flumen cum eo loci pinaces non exhibeant, quid hic sequatur se habere incertum ait Ubbo Emmius, rerum Frisicarum insignis hoc nostro seculo scriptor, mihique singulari, dum viveret, amicitiâ conjunctissimus. Sed notari debet, Saxonem etiam Eidorenses, qui versus Heverum maris sinum patent, Frisię suę accensuisse. Siquidem Eiderstadia ante annos perplures.

FRISII MINORES. *Brestedæ.* *Langeborna.* *Frisia Minor Saxonis Grãmatici lib. 14.*

perplures peninſula fuiſſe memoratur, amne Mildâ, perexiguo ab Eidorâ intervallo verſus ſeptentrionem à continente ſeparata, cum hoc tempore continenti prorſus conjuncta ſit. Milda enim per foſſas plures anguſtis alveis diſtincta æſtuariiſque verſus occidentem ingenti incolarum labore extenſis & limoſa terra, quæ interjacebat, reciprocantis maris alluvione aucta aggeribuſque munita vix nomen ſuum hodie retinet. Aliud autem ab hoc Mildâ Meldæ erit flumen, cui *Meldorpium* adjacet, Dithmarſiæ oppidum. Invenioq; mœnia, quæ *propter Mildam fluvium condita* Saxo memorat, *Millenburgum* appellata. Et verò Saxonem, cum Dithmarſiæ mentionem nullibi injiciat, minorem hanc Friſiam extendiſſe latius eſt veriſimile. Nam & iterum de eâdem verba faciens, in operis præfatione ità loquitur: *Huic etiam* (Jutiæ boreali) *Friſia minor adjacet, quæ à Iutiâ prominentia ſubſidentium camporum ac gremij devexioris inclinata receſſu, maximos frugum proventus beneficio oceani inundantis aſſequitur. Cujus refluxionis vis plus utilitatis an periculi incolis afferat, ambiguum exſtat. Siquidem tempeſtatis magnitudine perruptis æſtuariis, quibus apud eos maritimæ fluctus intercipi ſolent, tanta arvis undarum moles incedere conſuevit, ut interdum non ſolum agrorum culta, verum etiam homines cum penatibus obruat.* In verbis præterea Saxonis antea memoratis illud, inter cetera, nequaquam etiam prætereundum, quod referat terræ glebam, quæ hiberno tempore oceani aquis tecta jacuerat, poſtea torrefactam in ſalem ſapidiſſimum coctūræ atq; ignis beneficio ab incolis tum temporis converſam; cum id etiamnum obtineri & ſal ibi candidiſſimum atque optimum confici, non ſine incolarum uberrimo quæſtu commemoretur. Accepi & idem artificium in Schaldiæ quoq; inſulâ Belgij Selandicâ annis ſuperioribus fuiſſe uſitatum, & eum terræ ceſpitem bituminoſum ac ſalſuginoſum **darrij** populariter ibi nominari. Cùm verò idem Saxo doceat indigenas ibidem agros ſcrobibus cinxiſſe, imaginem non modo Friſiæ, quæ inter Flevum & Amaſum nunc eſt, ſed & Hollandiæ Zelandiæque mores ob oculos nobis poni videmus, & maximè cum eos contis (quos Hollandi utpotè perticas longiores **polſen** vocant) ſcrobes ſeu foſſas tranſilire in more poſitum habuiſſe adjiciat. Et denique cum addat Saxo, à gente Friſonum conditos hos Friſios nominis & linguæ ſocietatem teſtari, quærere fit operæpretium, quando eorum colonia in eam oceani oram deducta fuerit. Lego quidem apud Helmoldum, Adolphum II Holſatiæ Comitem, qui eo in bello cujus Saxo ſuperius meminit, Canuto adfuit, oppreſſis Obotritis, novas in Vagriam colonias ex Friſiis, Hollandis, Weſtphalis & Trajectenſibus collectas jam ante duxiſſe, ſed cum ſola tum Vagria iſtis populis exculta referatur, hanc Friſiorum coloniam longè antiquiorem eſſe veriſimile eſt, quod tum præſertim, cum illud adverſus regem Suenonem Canutus bellum gereret, auxiliares etiam copias ſuas eidem Canuto præſtare potuerit. Ut omittam non Holſatiæ, ſed Danicarum eſſe partium minorem hanc Friſiam, teſtante ipſomet Saxone. ut ita non ab Holſato, ſed à regibus Daniæ ea colonia permiſſa Friſiis fuerit. Interim verba, quæ apud Helmoldum ſunt libri primi cap. 58. adſcribere quid vetat? *Ad hanc vocem ſurrexit innumera multitudo de variis nationibus aſſumptiſq; familiis cum facultatibus venerunt in terram Wagrienſium ad Comitem Adolphum, poſſeſſuri terram quam eis pollicitus fuerat.* Et paulo poſt: *Dargunenſem pagum Weſtfali, Vtinenſem Hollandi, Suſle Friſii incoluerunt.*

ALSA. Subjacet porrò Sleſvicenſi diœceſi, utpote exigua intercapedine circa Fleni ſinum à continente ſemota, *Alſæ* inſula, *Aloſias* Ptolemæi nomine quàm proximè referens, modo ſitus & cetera reſponderent. In hac, præter cetera, magnificè extructa arx viſitur *Synderburgi* vocabulo, ubi annis jam pluribus aulam ac ſedem ſuam habuit Sereniſſimus princeps ac Dominus Dux *Iohannes*, Regis Frederici II frater germanus. Nunc Jutlandiam borealem videamus.

JUTLANDIA SEPTENTRIONALIS. EAQUE IN DIOECESES SUAS DISTRIBUTA. FERTILITAS EIUSDEM AC COMMODA.

IUtia, quæ ſequitur, borealis auſtrali multò eſt productior & ad inhabitandum area ampliſſima, viginti tribus civitatibus inclita ſedeſque epiſcopales quatuor complectens. Quarum principem locum RIPENSIS ſibi vendicat, ſecundū ARHUSIENSIS, tertium BURGLAVIENSIS, atque ultimum denique VIBURGENSIS. Burglavienſis præſulatus, ut mox dicetur, vulgò nunc Alburgenſis nuncupatur. Et habet hic tractus circa ipſum Alburgum latitudinem fere maximam. Ibi præterea ſinus ille ingens *Lymicus* Saxoni Grammatico dictus.

ctus, *Lymfiord* vulgo, qui è Balthico mari illapsus totam hîc Jutiam, occidentem versus, in latum penetrans, eam pene insulam reddit, ac vasto tandem alveo dilatatus plures in se insulas peninsulasque insignes, ut infra patebit, constituit. In hoc, ut plurimum, sinu classes olim paratas instructasque, quæ è Daniâ in Britanniam missæ, Saxo non uno loco innuit. Regio est culturâ hominumque industriâ eum in modum composita inque jugera amœnosque fundos redacta, ut frugum ac fructuum generatrix celebretur fæcundissima. Boum item & equorum pisciumque variis generibus nobilitata. Quorum copiâ atque ubertate vicina regna, ingravescente annonæ caritate, ut plurimum sublevantur. Feris ubique abundant saltus. Quarum cervi primum obtinent locum, tantâ ibi copiâ, ut certo venationis tempore, quod in mensem plerumque Augustum incidit, ultra mille sexcenta cervorum in arces ac regia palatia deportata fuerint, exceptis damis, capreolis, apris, leporibus & id genus aliis. Nam avium captura passim obvia est, & imprimis perdicum, anatum, anserumque ferini generis, & autumnalibus præsertim mensibus scolopacum, quas Plinius rusticulas, Martialis rusticas perdices dixit. Piscium porrò ubertatem, si recitare hoc loco animus esset, & illa solum repetere, quæ Saxo seculi sui præco, memorat, eam quondam his in oris piscium & halecum præsertim fuisse affluentiam, ut manibus non modò, & absque nassis aut piscatoriis verriculis caperentur, sed ità sæpenumero freta ac sinus omnes eorum repletos frequentiâ, ut impacta subinde navigia vix remigij conamen (sunt ejus verba) eriperet, fortasse excedere fidem narratio posset. Itaque à loco alienum non erit referre quid aliquando Europæorum regum legatis ab imperio convocatis hac parte usu venisse testentur rerum memoriæ. Cum enim cuivis constet non omnia uni regioni data, & aliam hac, aliam illâ re abundare vel egere: *Nec omnem ferre omnia terram*, ut ait poëta; contentio hinc orta inter legatos de supereminentiâ suorum regum, quis videlicet præstantior ac opulentior jure haberetur. Alio enim aurum, alio argentum, alio deniq; frumenti ac vini copiam jactante; Dano postremum loquendi potestas facta: Cumque omnes, quo ejus sententia tenderet, avidè expectarent, si, inquit, potentissimi ac locupletissimi omnium totius Europæ regum gazæ universæ, latifundiaque venum exponerentur, carissimèque omnia venderentur, eoque repræsentato pretio ligneæ vicissim eorum loco paropsides vilissimo coemerentur, omnibus tamen istis, licet infinitis futuris, vasis sufficere Daniæ regem triplici diversi generis recenter capto pisce onerandis exornandisque. Quo dicto, suffragiis omnium, qui aderant, Daniæ regis felicitatem pluris, quam omnes ceterorum opes, faciendam demonstravit. Undè à Gallo, qui dextrum imperatoris latus clausit, haberi proximus obtinuit. Quæ cum ità habeant, illud simul fatendum, eam hodie per universum, quà patet, regnum, capturæ ac piscium ubertatem haud esse, & halecariam præsertim negotiationem jam aliò translatam, ut est humanarum rerum quædam sive vicissitudo seu Nemesis occulta, quæ nihil, quod modum excedit, & maximè cum luxus bonorumque, quæ cælitus obtingunt, abusus concurrit, esse diuturnum permittit. Quod & olim Satyricus animadvertens, in ævi sui profligatissimos mores versum jecit, qui & hîc habere locum potest; meritoque cum eodem dicere nobis liceat:

Atque ità defecit nostrum mare, dum gula sævit.

Jam diœceses supra memoratas eo, quo à nobis positæ sunt, ordine videamus unà cum oppidis, castellis, fluminibus aliisque eodem spectantibus.

DIOECESIS RIPENSIS.

Diœceseos hujus caput RIPAE in ipsâ oceani occidentalis seu Britannici ripâ civitas, Australi Jutiæ proxima: mater plurimorum eruditione præstantium virorum, præclarisque ingeniis hodie fœcunda. Eam limpidissimum flumen **Ripsaa** triplici meatu intersecans, ac paulum se infra eandem in oceanum evolvens, urbem quoque ob trifidum illum sui influxum ac commoditatem trium leonum insignibus exornavit. Et licet in tres sectiones, horum rivulorum cursu, fissa sit urbs, totidem tamen pontibus sublicis ac molis frumentariis vicissim connexa denuò coalescit. Antiquam hîc sedem fuisse Cimbrorum *Phundusiorum*, quos Ptolemæus nominat, haud abnuere situs videtur ab eodem Ptolemæo indicatus, ut dictum superius. Taciti interim verba, quod nonnulli urgent, ubi castrorum Cimbricæ gentis in libello de Germaniâ meminit, quorum vestigia in ripâ utraq; perhibet mansisse, ad hasce Ripas referri haudquaquam posse, cum de castris Cimbrorum ad

RIPÆ

Insulæ adjacentes.

In ipso autem oceano occidentem ac boream versus complures, sed minores insulæ veluti tuberes in mari exstantes, sparsim cõspiciuntur, quæ ferè omnes Ripensis diœceseos jurisdictioni subsunt. Has inter est *Harboöre*, *Harsiliæ* auricula. A quâ haud procul *Bovensberga* se attollit, primum Iutlandiæ promontorium, montem ostentans altissimum, importuosum crebrisque naufragiis infamem, cujus jugum primam aëris regionem adæquare videtur. Indè hoc idem littus prætexunt *Numindia, Huga, Mandia, Fandia, Rimmæa, Lystræa, Sildræa, Feoræa*, aliæque illis minores. Quarum *Listræa, Listoe: Sildræa*, **Silderoe** dicitur, quatuorque habitatur paroeciis. *Feoræa* tres parochias continet. Qui primus diœcesi isti ut episcopus præfuit, Leofdagus memoratur, natione Frisius, ad eam dignitatem evectus ab Adeldago II Bremensium præsule, annum circiter Christi 950. Sed de episcopis ipsis non hujus modò diœceseos, sed & reliquarum ac regni universi, seorsim ac peculiarem volente numine tractatum instituemus, haud parum, ut speramus, collaturum Notitiæ episcopatuum Christiani orbis. De *Nomarchiis*, quarum haud ultima hîc memoranda *Vitungherret, Vitarum* nomenclaturam, quod supra innuimus, in memoriam revocans, dicetur fortasse pluribus aliàs.

ARHUSIENSIS DIOECESIS.

ARHUSII notatio.

Ripensem ditionem excipit proxime *Arhusij* territorium, episcopatu similiter nobilitatum. Qui notationem vocis indagarunt, eam nihil aliud significare crediderunt, quàm *domum remorum*, cum **Aar** Danicè *remum*, **Hus** *domum* notet. Nos superius, quia hoc circiter loco in Cimbricâ suâ Chersoneso *Harudes* agnoverit Ptolemæus, cogitandum existimavimus, num aliquid ad illud indagandum vocabulum conferre *Arhusij* possent, quamvis & *Haderslebios* quoque nominavimus, quorum vocabulum, licet primoribus syllabis magis videatur exprimere nomenclationem *Harudum*, in Chersonesi tamen situ, cum videantur Harudibus Ptolemæi nonnihil australiores, Arhusios quoque ad has partes vocare libuit: utpote Haderslebiis multò borealiores. Est autem civitas hæc planè maritima, ortivam peninsulæ partem tenens in orâ ipsâ Balthici maris, habens sibi ex adverso positam *Samum* insulam, *Samsoam* hodiè dictam. Sedes episcopalis constituta ibi, ut volunt, circa annum Christi 1014. At si Poppo primus Arhusiensium episcopus fuerit, quod innuere annales videntur, & nos suo loco meminimus, integro propemodum seculo antiquior ejus erit institutio. Sed de hoc, alibi accuratius. Positus opidi, si respicere ad meditullium septentrionalis hujus Iuthiæ libeat, in ipso quodammodo ejus umbilico deprehenditur, silvis, feris, pascuisque gaudens ac agris multò lætioribus magisque frugiferis, quam reliquæ ejusdem soli partes.

Prima diœceseos institutio.

Arhusii situs.

Nomarchias habet	— —	XXXI.
Civitates	— — —	VII.
Parœcias rurales	— —	CCCIV.
Arces	— — — —	V.

SCANDERBURGUM. *Gudius amnis.* **Emecloster.**

Quarum inter arces maxime eminet *Scanderburgum*, quasi *Schonderburgum* à pulchritudine & amœnitate dictum. *Gutulo* fluvio quem Gudium vulgo dicimus adjacet, qui amnem suum longo flexu per amœnissima territoria in oceanũ Balthicum deducit, adlambens hinc indè arces præterea regias alias ac monasteria. Inter quæ præcipuum est nobilissimum illud cœnobium **Emecloster** appellatum. Habet & saltus ac venationes suas, amplissimosq; ex præfecturis adjacentibus, reditus. *Gudius* autem, de quo dictum, fluvius celebris est & maximus eo tractu, pisciumque generibus variis confertissimus & admirandus. Inter civitates *Arhusium*, de quo dictum, primum meretur locum ob situs oportunitatem ac præsulis, qui ibi sedem habet, prærogativam. Ab eo secundum est HORSNESIUM atque inde RANDRUSIUM. Quorum hoc borealius est Arhusio, opidum egregium ad Gudium flumen: illud australius: utrumq; verò ad idem peninsulæ ortivum littus vergit, ac Balthicum mare vicinum habet. Est & EBELTOFIA haud procul Randrusio, sed littori proximè adsita; Sinus habent singula ejusdem maris patentes, quibus veluti gremio ex Scaniâ, Sælandiâ, Fioniâ, urbibusque Vandalicis ac denique Sueciâ ac Norvagiâ appellentia navigia mercesque peregrè advectas commodissime recipiant: Ut & GRIMSTADIUM æstuario similiter maris ibidem appositum: Referunt & HOBROAM ac MARIAGRUM ad eandem hanc

Opida Diœceseos reliqua. *HORSNESIUM.* *RANDRUSIUM.* *EBELTOFIA.* *GRIMSTADIUM.* *HOBROA.* *MARIAGRUM.*

hanc diœcesim, cum alij aliò & ad proximè sequentem trahant. Insulæ præterea nonnullæ sunt, quæ eidem huic diœcesi subjacent. Quarum primò nominari meretur, quam dixi modò, *Samsoa*, SAMUS Danica jure dicenda. Est enim insula piscatu ac venationibus amœnissima, paræcias quinque habens. Habuit & arcem olim *Brattingsburgum* appellatam & aliam *Vesburgum* nomine: Quarum illam Anno 1288 funditus evertit Marschallus Stigotus, de quo consulenda historia. Fuit hæc olim insula reginæ Dorotheæ, Christiani tertij conjugi, usufructariæ possessionis loco, post Randeshemium, concessa. Nec abest longè, sed multo hac minor, ex opposito propemodum Ebeltoftæ HIELMIA facinore ejusdem *Stigoti*, viri sanè magnanimi, sed admodum in *Ericum* regem, ob suspicionem, verò an falsò de læsâ conjugis pudicitiâ conceptam, severi vindicis. Cum enim, trucidato *Erico*, regno esset extorris, ità hanc insulam communiit, ut ipse cum ceteris paricidis certum ibi refugium haberet. Est quidem exigua ea insula, sed loci natura admodum firma, tum & commoda omnibus, qui è sinu Balthico Norvagiam petunt; nam & portum situs ipse facit & aquæ præterea dulcis scaturigines habet, ac denique edito ac lato colle è mari exstans ad vim circumquaque avertendam est oportuna. Dicitur & **Grotehelm**, id est, *Magna Helmia*, aspectu *Helmiarum minorum*, quæ sunt propè Scaganum promontorium. His minus sunt celebres, sed proximè circumadsitæ *Thuna*, *Melsa*, *Ramsoa*, *Endelavia*, *Hiarnoa* sepultura Hiarni regis, ut tradunt, clara.

SAMUS insula. — *HIELMIA insula.* — *Insulæ ibidem minores.*

DIOECESIS BURGLAVIENSIS.

ALBURGUM

A Rhusio, Corum versus, ALBURGUM est, diœceseos hujus caput, ab anguillarum copia atque uberi earum capturâ, ità fortasse nuncupatum. Hæc præcipuarum urbium, quæ borealem peninsulæ tractum tenent omnium est ultima, ad Lymicum sinum, de quo dictum, loco admodum oportuno collocata; sub poli elevatione, quæ gradus numerat quinquaginta septem, minuta quatuor. In hac sedem suam habet diœceseos episcopus. Dividitur universa regio in

Nomarchias	XIII.	
Parœcias rurales	CLXXX.	Vitfeldius 167.
Civitates	VI.	
Arces nobilium	C.	

Nomarchiæ. — *Vendela.*

Inter *Nomarchias* seu partes totius ditionis illustriores sunt *Vensilia*, *Hannomarchia*, *Thya*, *Morsingia*, *Kiarherret*, *Huitbya* & *Venneberga*. *Vensilia* Saxoni Grammatico *Vendela* dicitur, Læto *Vendsolia*; Vitfeldius *Vendelboam* appellat. Olim etiam Burglæ vocabulum obtinuit, undè & diœcesis est appellata *Burglaviensis*, seu ut aliàs scribitur *Borglumiensis* & vulgo hodie ab ipso Alburgo, *Alburgensis*. Et exstat hodieque haud procul oceano, boream versus, pagus, cui *Borlum* nomen. Quod olim monasterium fuisse à rege *Suenone* Esthritio primò conditum atque indè episcopi sedes ex actis diœceseos intelligitur. Vendelæ ipsius opidum **Wensyssel** dictum, amnem interfluentem habet, qui patrio sermone **Ryaa** nominatur, seque in Lymicum sinum exonerat. Estque universi istius tractus idem illud Lymicum fretum versus meridiem limes; versus boream oceanus; ad occidentem & orientem mari similiter affunditur, hîc Balthico, ibi Britannico. Longitudo à meridie ad *Schagæ* usque promontorium, nautis metuendum, quatuordecim aut circiter miliarium est. Ab hoc districtu *Vandaliæ* populos, de quibus mox dicetur, originem sui nominis repetere debere, quamvis pauci observaverint, quis magnoperè negarit? Habet nomarchias sex ecclesias parochiales septuaginta, arcem unam, cui *Selstrupia* nomen: opida, præter *Vensysselam*, memorantur *Sebya*, *Hieringium* & *Schaga*. *Hanmarchia* nomarchia Danicè *hanhærret* dicitur, longitudinem ab ortu in occasum quinq; circiter miliaria Germanica complectens. In latitudine duobus patet. Dividit ab eâ Huitbyæ præfecturam *Ryæ* amnis, qui ad Africum defluens in Lymicum sinum evolvitur. Parochiales ecclesias supra viginti comprehendit. In parœcia ejusdem, quæ parva dicitur, Danicè **liden Sogen**/ rupes *Scarringa*, **Skarring klinth**/ visendæ altitudinis assurgit. Sunt præterea his in oris syrtes periculosæ, undis opertæ, quas *Sandoras* & *Bragas* indigenæ appellant. In has multi inpingunt. Visuntur & hîc insulæ nonnullæ, ut sunt *Oelandia* & *Opeholmia*. Hanmarchiæ proxima est *Thya*, ora veluti ac margo continentis, quæ Lymici freti incursum à mari occiduo veluti obex sejungit ac dispescit. Hodie qui Germaniam incolunt

Wensyssel opidum. — *Schaga promontorium.* — *Vandaliæ populorum origo.* — *Vendelæ opida.* — *Hanmarchia.* — *Lymicus sinus vulgo Limfiorde quo supra.*

Theutones

Theotones tydske Danis dicuntur. Hos à Deo *Tuiscone* Tacitus deduxit, ab hoc fortasse *Thya* tractu veriùs deducendos sunt qui existimant. Fæcunda admodum est ac piscaturâ præcipuè nobilis Thya cum hinc oceano, illinc sinu, quem dixi, maris alluatur. Incolæ ab ululando appellatam *Thyam* autumant. Narratur enim nunc arboribus nudata, olim silvis densissimis instructa, luporum aliarumque ferarum fuisse latibulum, quamvis verius putem ululatum eum non à feris aut lupis, sed à maris oceani vicino fremitu repetendum. Distincta est in nomarchias quatuor, quibus parœciæ rurales sex & quinquaginta continentur, in earum convallibus imbrium rivi restagnantes, lacus quamplures & stagna piscosa quadraginta quatuor efficiunt. Arcem unicam *Orumnam* habet, & opidum similiter unicum *Thystadium*, ubi Christianus III scholam juventuti primus aperiri curavit. Est & *Vesterviga*, cœnobium pervetustum, in quo sepulta est, inter ceteros, regia puella, patrio sermone liden kierstén dicta, Danicis carminibus ac odis sonoris, ob pulchritudinem ac virtutem decantata. Est & nomarchia, cui *Hillersherret* vocabulum, inter sinum & oceanum veluti limes. Insularum ad hanc præfecturam spectantium in sinu Lymico occurrit loco primo *Hansbolmia*, miliare unum longa interq; amnes rapidissimos duos sita, ac tribus parœciis habitata. Indè est *Ostholmia*, insula rotunda, quæ & tribus parœciis colitur. *Iegena* unam ecclesiam habet. Memorantur & *Livolandia*, *Egholmia* ac denique *Bodunma*, quæ non insula sed peninsula est, ac unum cætum parochialem alit. Sequitur *Morsingia*, insularum in freto Lymico omnium opulentissima ac maxima. Complectitur enim longitudine suâ miliaria Germania quatuor, in latitudinem verò duo, facto ab ortu in occasum progressu. Ad eam quinque locis trajicitur. Nomarchias tres continet, parœcias verò rurales undetriginta. In parte insulæ australi arx antiquitus fuit posita, cui Lundslot nomen est. Unica ei civitas *Nicopia*, vulgo Nykiobing dicta. cujus elevatio est ad gradus circiter 56, minuta 50. Est & insula in eadem hac insulâ Aggeroa nominata, stagna sunt duo, ac flumen præterea haud ignobile, quod Scarmaa dicitur. Sinus denique ac freta quibus alluitur, multa memorantur. Interque cetera quod Fegesundt nuncupant, illustre est ob regem, sive regulus potius Jutlandiæ fuit, *Fengonem* dictum, qui ibi sepultus creditur. Ut autem insula ipse *Morsa* dicitur, itâ populi seu incolæ ejus Morsingi, Marsos ac Marsingos illos exterarum nobis gentium veluti in memoriam reducentes. Morsingiæ vicina est *Tyrbolmia* à *Thyra*, nisi fallor, *Gormonis* Anglici conjuge, Hedelradi Anglorum regis filiâ, sic appellata. Cujus singulares dotes, ut & pietatem Christianam celebrat historia. Intra hanc & continentem, meridiem versus est *Othezuntæ* fretum, ab *Othone* Imperatore, & ejus hucusque accessu, de quo antea dictum, sic nuncupatum; Est & *Otby* pagus, sed in insulâ ipsâ, ab eodem Othone inq; memoriam famigerabilis expeditionis ejus has in partes sic dictus. Episcopatus institutus est â conditu statim ipsius monasterij Borglumensis, quod, ut memoratum, fundari primus curaverat *Sueno Esthricius*. Qui & anno 1065 administrandæ diœcesi *Magnum* præfecit. Sed is, haud multò post ab archiepiscopo Bremensi Bremæ cum esset inauguratus ac domum redire pararat, submergitur Albi flumine. Sicq; surrogatus ei *Albericus* atque ipsi vicissim alij aliiq; longâ serie: Adeò ut manserit hoc pacto Borglumense cœnobium episcopi sedes ad annum usq; 1536. quo tempore *Stigotus* pontificiæ religionis præsul ultimus renunciare episcopatui, & ad vitam possidere monasterium Borglumense juberetur: Inde, qui ei est suffectus repurgatæ religionis episcopus, *Petrus* Thomæ aliiq; post illum, inhabitare Alburgum cæperunt: Reliquæ nomarchiæ ut *Kiarherret*, *Huitbya* & *Vennuberga*, & si quæ præterea aliæ, prioribus & jam dictis celebritate cedunt.

Thystadium oppidum. *Lymici sinus insulæ.* *Morsingia.* *Nicopia oppidum* *Tyrbolmia.* *Othezuntæ.* *Othya.*

DIOECESIS VIBURGENSIS.

SEquitur diœcesis Viburgensis. Cujus longitudo ab ortu in occidentem duodecim miliaria Germanica patet, collocata cis Lymicum sinum inq; nomarchias sedecim distincta. Quæ ecclesias continent parochiales ducentas octodecim; arces tres ac totidem civitates. Quarum *Viburgum* principem locum obtinet. Ubi & sedes episcopi ac clarum Canonicorum collegium, tum & victus ratio perfacilis. Ibidem præterea generalis concio triumvirûm nobilissimorum inq; jure dicundo exercitatissimorum super caussis civilibus cognoscendis ac dijudicandis toto ferè anni spatio continuatur. Eoq; universæ Cimbricæ Chersonesi de finibus deque hæreditatibus querelæ omnesq; capitalium causarum animadversiones, cujusmodi sunt cædes, adulteria, furta similiaq; crimina deferuntur. Suntque dictatores hujus concionis, ut & alij in aliis regni provinciis à rege constituti, Areopagitis

VIBURGUM

 Athene-

Athenarum propemodum pares, aut saltem cum illis conferendi, cum superiorem se agnoscant neminem, eorumque sententia sit immutabilis; nisi si fortè ad regem ipsum ac regni comitia anniversaria provocare quis cupiat. Reliquæ hujus diœceseos civitates sunt

NIBA. SCHEVA.

Niba & *Scheva*: Freta memoratu digna nominantur *Sallingicum* **Sallingsundt**: *Virkennum* **Virckesundt**/ *Hualpenum*, **Hualpsunt**/ *Seberum* **Sebersundt**; & fretum Imp. *Othonis* **Othesundt** haud procul Lemvico in historiâ celebratum, supraq; nobis jam semel iterumq; memoratum. Amnes maximè illustres decem fundit, quorum facilè est maximus ac celeberrimus amnis *Gudius* sive *Gutalus* **Gudden Aa** vulgo, itemq; *Guddenus* aliàs dictus. Inter reliquas hujus diœcesis latissimè patentis partes *Sallingia* peninsula fertilissima est, Lymico freto circumdata, diœcesi Vendelboensi ad ortũ objecta. Superius meminimus hanc præcipue provinciolam aliquã nobis veterum *Sabalingorum*, quos in Cimbricâ hac Chersoneso constituit Ptolemęus, refricare memoriam; tantum quod australiores eos faciat, quam est hodie, de qua loquimur, *Sallingia*. Dividitur in Nomarchias quatuor, quæ parœcias rurales complectuntur triginta. Est præter cetera, equorum generosissimorum feracissima, quos pręcipuè exteri avide expetunt, ac magno pretio coemptos longo agmine alio abducunt venalesq; exponunt. Wiburgensis pręterea capituli jurisdictonem agnoscit *Lessoa* insula, inter Norvegiam & promontorium Schagæ posita. Hæc quibusdam Glessaria insula, cujus in littore Jutię adverso reperiri succinum volunt, de quo alibi dicetur. Spectat & huc quæ est inter Thyam, de qua relatum & Salingiam, insula **Fastuerlandt**, à *pulchritudine* sic dicta, utpote silvis superba & anguillarum copiosâ piscaturâ celebris. Episcopatus hic eundem, quem Borglumensis, agnoscit fundatorem *Suenonem* Esthricium, regem Danorum longè celeberrimum, multâq; doctrinâ ac usu rerum inclytum, ut eum non semel dilaudat Adamus Bremensis, ejus synchronus ac perfamiliaris. Ab ipso, qui primus omnium gubernandæ diœcesi est ordinatus, *Heribertus* fuit, idque anno etiam eodem 1056, quo Borglumensi ditioni præfectus est Magnus. Adeò ut videri ambiguum queat, utra antiquior habenda. Nobilissimus interim Vitfeldius in eâ, quam idiomate vernaculo euulgavit, episcopatuum totius Daniæ recensione, hanc Borglumensi præponit.

Gudius amnis.

HOLSATIA.

NUnc, quod supra promisimus, *Holsatiam* videamus. Ejus appellationem antiquissimam non esse, indicio Adamus Bremensis sit, qui Nortalbingiam atque Holsatiam inter primos nominavit. Regino, qui illo est anterior, Nortalbingos fere semper, Holsatiam nuspiam, quod memini, appellat. Adami Holsatia his circumscripta limitibus legitur lib. 2. cap. 9. historiæ Ecclesiasticæ: *Transalbianorum Saxonum tres sunt populi: primi ad oceanum Dithmarsi, & eorum ecclesia Mildenthorp: Secundi Holsati, dicti à silvis, quas accolunt; Eos Sturia flumen interfluit; quorum ecclesia Sconenfeld: Tertij qui & nobiliores, Stormarij dicuntur, eo quod seditionibus illa gens frequenter agitur. Inter quos metropolis* **Hamburg** *caput extollit.* Helmoldus similiter jurisdictionem indicans Hamburgensis olim antistitis, quo usq; se ea extenderit, ità habet: *Hamburgensis ecclesia præscriptos habet terminos suæ parochiæ, ultimam sc. partem Saxoniæ, quæ est trans Albim, & dicitur Nortalbingia, continens tres populos, Tethmarsos, Holsatos, Stormarios. Indè extenduntur termini ad Winithos, eos scilicet, qui dicuntur Wagiri, Obotriti, Kycini, Circipani & usq; ad flumen Panim & urbem Dimin. Ibi est limes Hamburgensis parochiæ.* Quibus ex verbis Adami Helmoldiq; liquere potest, Holsatiam, non ut modò, generali tum acceptam vocabulo, & ceteros eos sibi subditos populos habuisse, sed eam Nortalbingiam fuisse, quam ultimam partem Saxoniæ Helmoldus facit, cum Ptolemæus suo ævo, ut supra patuit, ibi præcipuè & solùm Saxones agnoverit. Atque indè quod Adamus existimet Stormarios, qui eidem habentur nobiliores, ab eo appellatos, quod seditionibus ac belli procellis (id enim **Storm** Germanicè dicitur) frequenter concitentur iisq; gaudeant, errare eum hinc constat, quod *Storæ* flumen, Albim versus, accolentes, indè etiam nomen *Stormariorum* acceperint. Nortalbingię porrò appellationem quod attinet, eâ nunc antiquatâ solùm præeminet Holsatia. Cujus Adolphus Comes Schaumburgius à Lothario Saxone, post Billingorum stirpem exstinctam, primus suæ familiæ Comes creatus anno Christi 1114. Atque indè post tria, & quod excurrit, secula, Comitum dominatione penitus abolitâ titulo Ducatus ab Imperatore Frederico III amicitiæ & meritorum Christiani I Daniæ regis ergo ornata fuit: Qui & primus Holsatię Dux est appellatus. Nomen habere, quomodo & Adamus Bremensis jam innuit, à silvis, quas populi ejus incolunt, nihil abs re puto, ut aliud haud sit Holsatia,

quàm

quam nemorosa colonia, seu inter nemora & silvas constituta habitatio. **Holtz** enim *silvam*, **saten** & **geseten** *considere*, denotat. Fertilis in universum hæc regio est, animalium tam agrestium quàm domesticorum, piscium præterea ac frugum, pomorum aliorumque fructuum proventibus uberrima: ex quibus ingentes quotannis, præter eā, quę ab incolis ad usum transferuntur, principes & nobiles viri census sibi conficiunt. Qui eam incolunt, non minus corporis robore ac viribus quam animi generositate, quibus ab antiquâ Cimbrorum virtute haud degenerant, eximij sunt. Præter alias animi præclaras dotes, unica hæc ùt honestissima, ita etiam pulcherrima semper visa ipsis fuit, ut, cui promissis sese obligassent, omnino fidem præstarent: undè proverbium **Holsteins glaub**/ *Holsatica fides*, apud posteros eorum nostra adhuc ætate sedulò colitur ac servatur. Initium partis hujus Cimbricæ Chersonesi versus meridionalem plagam Bilenæ sive *Billæ* fluenti cursibus terminatur. A parte occidentis fluvius *Albis* regionem ambit; Unde & Cimbri eo tractu *Nortalbingi*, de quibus dictum; sunt appellati, quasi à reliquâ Germaniâ per Albim flumen versus Boream separati. *Trava* verò fluvius Balthicumq; mare ad solis ortum se aperiunt. Boream denique versus se termini regionis adusq; *Eidoræ* amnisque Livoldi (**Leuwenbaa**) fluvios extendunt. Dividiturque in partes præcipuè quatuor, *Holsatiam* propriè sic dictam, *Stormariam*, *Dithmarsiam* & *Wagriam*. Quibus *Slesvigæ Ducatus* accedit. Sed eum cum in feudum à Daniæ Regibus Holsatiæ principes, ut diximus, suscipiant, & antè de eo sic satis sit memoratum, eorum hoc loco nihil repetemus. Et posset etiam haud incommodè universus hic tractus bifariam distingui, ut alius sit campestris ac nemorosus, cujusmodi est proprie Holsatia & ei versus boream contermina Juria Slesvicique Ducatus; reliquus verò palustris intelligatur; quòd qui eum colant depressa & uliginosa loca habitent, & ideo gentis suæ vocabulo *Marsi* sint dicti, quod nihil aliud notet, quàm populum inter paludes limosasque voragines demersius colentem: cujusmodi eo omni districtu sunt *Stormarsi*, *Crempermarsi*, *Wilstermarsi*, *Haseldorpmarsi* & *Dithmarsi*.

HOLSATIA igitur peculari denominatione inque se ac seorsim considerata is tractus intelligitur, cujus à terminis circa Wilstriæ opidum Chilonium usque longitudo ad novem & ultra miliaria se extendit. Latitudo autem ab Eidorâ fluvio inter Hanrovium & castrum Halium ad opidum usque Monasterij, septem ferè miliaribus patet. Insigne ejus album urticæ folium est, in clypeo rubro. Insulæ tres ei adjacent. Quarum una in mari Balthico *Fimbria* vocatur, eaque Regum Daniæ feudum est: Aliæ duæ in oceano Britannico sitæ *Busena* sunt & *Terra sancta*, vulgo **Heiligelandt** dicta. Quibus si addas *Strandiam*, proximæ illis adsitam, habebis insulas Germaniæ adjacentes, quas numero tres fuisse ac Saxonum dictas Ptolemæus juxta Albis ostia collocatas notavit. Hæ an Plinij *Actania Austraniaque* habendæ, quas armis Romanorum unà cum *Burchanâ* cognitas ait, despiciendum aliàs. Interim loco primo *Burchanam* accipiendam, utpote in oræ Amasiæ sitam ac *Borchum* hodieque dictam, ceteras vero *Actaniam Austraniamque*, quas deinde idem Plinius enumerat, esse versus Albim & peninsulam Cimbrorum alibi ostendisse nos satis puto. ut obiter simul eorum hinc concidat opinio, qui *Burchanam*, quæ & *Fabaria* Plinio, esse *Fimbriam* seu **Femeren** ob nominis cum Fabariâ similitudine crediderunt. Nam primò Fimbria, cum, ut dictum, in Balthico mari sit posita, armis Romanorum, ut Burchana, cognita nunquam fuit. Deinde *Fabaria* quod Plinio aut Romanis sit appellata, factum à frugis similitudine ibi sponte provenientis, non à nominis Femerem vicinitate; Ita enim Plinius lib. 4. cap. 13. *Promontorium Cimbrorum excurrens in maria longè peninsulam efficit, quæ Cartris appellatur. Viginti quatuor inde insulæ Romanorum armis cognitæ. Earum nobilissima Burchana, Fabaria à nostris dicta, à frugis similitudine sponte provenientis, item Glessaria, à succino militiæ appellata, à barbaris Austrania, præterque Actania.* Strabo Burchanim vocavit, ac primò eam Romanorum omnium Drusum detexisse docet, cum inquit: *Drusus non modò gentes plurimas subegit, sed & insulas in legendo littore obvias: in quibus est Burchanis vi ab eo expugnata.* Vi inquit Strabo expugnata, utpote primo loco occurrens, inque ore propemodum Amisiæ, ut dictum, collocata: Atque ideo ad Amisiam quoque & eum Frisiæ tractum spectans.

HOLSATIA.

Civitates porrò atq; opida habet Holsatia, *Wilstriam*, *Rendesburgum*, *Chilonium* & *Neomonasterium*. Quorum omniū pręcipuè Holsatiam ornat *Chilonum*, quod à naturę beneficio sedē, ab artificū industriâ cetera sibi ornamenta paravit. Portus ei capax & oportunus nautis. Itaq; in eum ex Germaniâ, Livoniâ, Daniâ, Sueciâ, magno opidanorū quęstu merces deferuntur. Imprimis autē ornat opidum solemnis Holsatiæ nobilitatis panegyris, quę illic quotannis celebratur circa festum Antonij. Eo quippe tempore ingenti numero proceres nobilesq;

CHILONIUM.

 titulis

titulis ac imaginibus antiquis clari, in urbem conveniunt deq; rebus publicis privatisque, & præsertim de re pecuniariâ, cujus illic magna vis, inter se agunt. Arx in colle conspicua est, opus *Adolphi* Holsatiæ Ducis, splendidis ædificiis exornata. In foro templum est paræciale. Est & Minoritarum cœnobium, nunc conversum in Xenodochium, exstructum olim ab *Adolpho* IV Holsatiæ & Vagriæ Comite, Monachum Franciscanum professo, qui & ibidem in sacello sepultus est anno 1261. Nomen suum habere Chilonium à cuneo putatur, Germanicè enim cuneum **een kiel** dicimus

RENDESBURGUM. *Rendesburgum* aliàs Reinholsburga dicitur à Reinoldo fundatore, qui an princeps vel nobilis fuerit, ignoratur. Urbs est oportuno loco sita; Eidora enim totam eam circumfluit, & aliquoties suo cursu eam dividit, ita ut indè navigatio in Hispaniam, Galliam, Angliam atque inferiorem Germaniam institui queat. Turris, quæ hodieque in arce conspicitur, à Gerhardo Magno Holsatiæ Comite est ædificata, circa annum MCCXXX. Pertinet hodie ad Daniæ reges. Nam mortuo Johanne Christiani III Daniæ regis fratre absque hæredibus, cum ejus ditiones inter fratrem Adolphum & Fredericum II fratris filium jure feudali dividerentur, Frederico II Daniæ regi cessit.

WILSTRIA. *Wilstriæ* nomen dedit Wilstra fluvius Storam ingrediens; leges ac jura civitatis auxit atque ampliavit *Adolphus* Comes. Insigne illi urtica, sub quâ in amne piscis natat.

NEOMONASTERIUM. *Neomonasterium* ad caput amnis, qui Storam influit, situm habet, **Neumonster** vulgò.

STORMARIA.

AB *Holsatiâ* proxima est STORMARIA, alias, ut supra positum *Stormarsi* & *Stormärsia*, cujus longitudo atque latitudo inter *Albim*, *Billam*, *Storam* ac *Sualam* amnes adusque *Travena* fluentum septem miliaribus deducitur. Pro insigni Cygnum habet candentem, cujus collum corona cingit aurea. Idque ideo quod hæc provincia ferè tota paluftris sit, ac maximâ ejus parte propter aquæ impetum vallis aggeribusque munita. Civitates atque opida habet *Hamburgum*, *Wedalam*, *Elmebornam*, *Crempam*, *Itzehoam* & *Bramstedium*.

HAMBURGUM. Quorum *Hamburgum* inter Albim & Alsteram flumina collocatur, certis privilegiis ac conditionibus recognoscens Holsatiæ principes. Nomen inditum existimant à silva, quæ inter amnes Billam & Alsteram olim fuit, quam possiderunt domini de Ham. Hi tempore Caroli Magni arcem eo loci condiderunt, Hammeburgum appellatam. Nec aliter nomen hoc exprimunt literæ Ludovici I datæ Aquisgrani, *Statuimus* inquit, *unanimi consensu ecclesiastico, ultimâ in regione Saxonica trans Albim in loco nuncupato* **Hammeburgh** *cum universâ Nordalbingorum ecclesiâ proprij vigoris constituere ecclesiam.* Et ante eum Carolus Magnus, subversis paganorum delubris, conversurus ad Christum Saxones ecclesiam construi fecit B. Petri sacram, quam illis in locis esse voluit primariam. Arce ab eodem præfectus est Utho, Othonem hodie diceremus. Vinithi vicini, hostes Christiani nominis, surgentem urbem ferro & igni deleverunt, sed reparata est jactura magno animo *Caroli* & *Ludovici* Pij, & Ansgarij præsulis, qui postea Bremensem ecclesiam suæ junxit, & utramq; Coloniensis episcopi jurisdictione exemit. *Bezelinus* episcopus sub annum Christi MXLVI muro sepsit, firmavitque XII turribus. Templum è saxo exstruxit Bavariæ Comes *Albertus*, episcopus XIII. *Bernardus* verò Comes arcem condidit ad Elystrum seu Alsteram amnem. Diu fuit sub potestate Bullingiorum, diu sub Comitum Schaumburgensium ac Daniæ regum. Et demum centum ac quinquaginta argenti puri marcis Orlamundensi Comiti numeratis gradum sibi ad libertatem cives fecerunt, de quo plenius propiusque historia.

Albertus Crantzius. Vixit atque obiit Hamburgi Albertus Crantzius, cujus tale monumentum ibidem legitur: Anno Domini MDXVII
" in Vigiliâ conceptionis matris virginis, celebris & reverendus vir Albertus Crantzius S.
" Theolog. & Decret. Doctor, Ecclesiæ Hamburgensis Canonicus facundissimus & olim
" Decanus religiosæ pietatis, morum & virtutis exemplar vivum, patriæque ob pruden-
" tem pro repub: in consiliis dexteritatem decus illustre, in domino moritur cælestibus de-
" stinatus gaudiis. Cui à posteriate quod Vandaliæ, Norvagiæ, Sueciæ origines & res ge-
" stas antiquitatum tenebris omnino obrutas, unà cum metropoli ecclesiasticâ luci & po-
" steris restituit, meritò nominis immortalitas debetur. Præsens itaque monumentum of-
" ficij ergo prædecessori clarissimo Decani F. F. Anno Domini MDLXIX. adjuncta est effigies viri dignitatis plena.

Non abs re fuerit obiter adjecisse urbis florentissimæ etymon, cum præsertim id à variis tam varie exponi videam. Sunt enim quia à Jove Hammone, cujus ibi statuam dejecerit

cerit

cerit Carolus Magnus, deduci autumant. In quibus Conradum Celtem fuisse hi versus indicant:

Inde ad Cimbriacam contendit Cherſoneſum,
Ad cujus ſurgit pulchra oſtia Cimbrica quondam,
Sed nunc Hammonis nomine dicta urbs.

Crantzius ipse *Hamam* pugilem producit, qui nominis auspicium dederit. Goropius Becanus nescio quid de pernis salitis somniat, *Perna* enim Belgis **Ham**. Nec defuere qui à Gambriviis vetustissimis populis, quorum Tacitus in Germania suâ statim sub initium meminit, fluxisse appellationem existimarunt. Verùm vocabulum *Ham* cum Saxonicum sit, *saltum* sive *nemus*, itemque *agrum pascuum* sive *pratum fossâ cinctum* notans, indè repetendam nomenclationis originem haud sit absimile vero: & maximè, cum in vicina quoque Dithmarsia duo reperiantur saltus, quorum alter **Suderham**/alter **Norderham** appellitetur.

Infra Hamburgum *Wedela*, ad Albim positum municipium, pro insigni colossum gladio armatum ostentat. Nec ab eo longè semota est *Crempa*, quà in Albim Stora evolvitur: Nomen habens à cognomine sibi fluvio Crempâ, cujus accolæ *Crempermarsi*. Paret Daniæ regi Christiano IV tanquam Holsatiæ Duci, ad quem à patre & avo est devoluta. Est & ibi *Lucstadium* ab ipso, ante annos paucos, serenissimo regum Christiano IV in Albis crepidine conditum; propugnaculis, fossis aliisque operibus ità communitum, ut vim omnem Cæsarei exercitus atque obsidionis propemodum biennalis facillime jam nuper eluserit. *Itzehoa* similiter nobile hujus districtus opidum, situ locique natura, tum & navigatione, ac proindè commerciis, quæ per Storam & Albim flumina exercet, præpollens. Nam Storâ piscoso ac navigabili flumine undique cingitur, quod flumen in intimâ Holsatiâ ortum aliquôt opida & nobilem illam Rantzovianam domum *Bredenbergam* alluens, ad occidentem Albi permixtum, à fluminum tandem parente oceano recipitur. Opidani jam olim Fredericum II Daniæ Regem, & nunc ejusdem filium serenissimum Christianum IV hæreditarium dominum agnoscunt.

WEDELA. CREMPA. LUCSTADIUM. ITZEHOA.

DITHMARSIA.

DITHMARSIA post Stormariam memoranda. Cujus populi trans Albim in boream surgentes lætis agris fecundum oceanum habitant. Quorum latus Austrinum Stormarij, Septentrionale Eidora flumen, latum magis quàm longè veniens, terminat. Integra ejus longitudo octo ferè milliarium est, latitudo vix quinque excedit. Regio pecori æquè ac frugibus bona, quà littoribus aut ripis appropinquat: quà intus vergit, aut arenis sterilescit, aut paludibus obsidetur, aut denique saltibus horrescit: quod ad Solis exortum, ubi Holsatiæ se jungit, maximè ei accidit. Opida tria numerat *Meldorpium*, *Heidam* & *Lundam*. Pro insigni ostentat cataphractum armatum equo candido insidentem in solo rubeo. Populi ingenium ferocius est, imperium peregrinum, quod à se fortiter sæpenumero armis avertit, haud libenter ferens. Nam licet, ut est suo loco memoratum, per *Fredericum* III Imperatorem, *Christiano* I Danorum regi in Feudum essent concessi, defuncto tamen ipso, insolentes, obsequium renuerunt, & juris sui, ut antè, cæperunt agere. Verum cum exinde à pronepote Christiani I Frederico II inclyto Danorum rege, nec non Christiani ejusdem nepotibus *Iohanne* & *Adolpho Holsatis*, vis in eos major ingrueret, ante annos propemodum LXIV fortunæ cessêre. Inde in partes duas æqualiter divisa est regio, quarum altera in meridionali plagâ, Daniæ regibus; altera borealis, Holsatiæ Ducibus, post divisionem permissa.

Meldorpium. Heida. Lunda.

VAGRIA.

VAGRIAM quarto atque ultimo loco positam, sub potestate quondam suâ Slavi Obotritique tenuêre. Eaque Ducatuum pars, ubi nunc *Segeberga* est sita, *Lubecaque* atque opidum *Oldenburgum*, Travenâ fluvio marique Balthico ad solis ortum ambitur. Totus, qui est inter *Oldesloam* & pagum *Grotenbrotensem* tractus, 12 propemodum miliaria in longitudinem conficit: Latitudine haud ultra 5 aut 6 progreditur. Holsatiæ principes, licet cæterarum provinciarum insignia usurpent, hujus verò nulla: caput tamen taurinum aut bubulum pro insigni jam olim ostentasse hodieque retinere clypei demonstrant.

Nec aliud fuisse Cimbris vetustissimis, cum Italiam invaderent, gentiliciæ imaginis loco Plutarchus author est, illud insuper adjiciens, caput illud tauri, atrum in solo croceo locatum fuisse. Continet Vagriæ civitates *Lubecam imperialem*, *Lutkenburgum*, *Oldesloham*, *Plonam*, *Oitinam*, *Oldenburgum*, *Neostadium* & *Segebergam*. *Lubeca* tractus universi caput est, situ, mœnibus ac portu ornatissima, mercatu quoque cunctisque rebus necessariis instructissima, habeturque omnium ad Balthicum sinum sitarum urbium præcipua. Ortum habuisse creditur partim à Cimbricæ Chersonesi ipsi vicinis populis, partim ab opidulo **Suarton** quod mari est propinquius, conditum circa annum Christi MXL, à Godschalco principe Obotritorum. Nam cum Suartoum Rugij bellis perpetuò fatigarent, nec cives destituti opibus se adversus hostem adeò potentem possent defendere, fertur ipsis author fuisse Adolphus II Comes Schaumburgius, qui à *Lothario* Saxone Imp. Comes Holsatię est factus, ut, sedibus mutatis, subducerent se longius à mari, in locum quem Cimbri jam olim urbi destinarant, ubi collem ambiunt *Wagnissa* & *Travena* fluvij, tutumque eum reddunt ab hostium incursionibus. Placuit consilium; idque eo magis quod inter effossiones deprehenderentur fundamenta antiquarum molitionum. Sed crescentem mox urbem multa infestarunt, incendia, deprædationes, bella adversus *Henricum Leonem*, Saxoniæ & Bavarię Ducem potentissimum, identidem gesta. A quo & superata in ejus postremò potestatem concessit. Atque ipso postmodum ab imperatore *Frederico Barbarossâ* proscripto, facta est imperij civitas. Post verò Barbarossæ obitum reddita est denuo *Leoni*. Eoque defuncto, cessit regi Daniæ, victa à *Waldemaro* Canuti regis fratre, Duce Slesvicicensi. Mansitque sub imperio eorum, dum sese in potestatem vicissim dederent Imperatoris Frederici secundi, qui pristina ipsis jura ac prærogativas imperij permisit, Ex eo deinde fuit Lubeca mansitque semper in ditione Romani imperij. Qui notationes locorum venantur, Lubecam dictam existimant quasi **Lobeck**/quod sit veluti **ein eck des lobs**/quod interpretans Celtes canit:

LVBECA.

Angulus hæc laudis dicta est urbs nomine prisco,
Angulum in hunc fertur fluvius Travenna per æquor.

Antiquitatem ejus Ptolemæus testatur, qui Trevæ municipium isto circiter districtu Albim versus agnoscit.

De cæteris hujus districtus civitatibus *Lutkenburgo*, *Oldenslohâ*, *Plonâ* & *Oldenburgo* ut nihil nunc dicam, illud *Oitina* & *Segeberga* memorabile habent, quod *Oitina* sub *Adolpho* II adhuc pagus existens, colonos ex Hollandiâ acceperit, quibus cultior sit reddita, ut memini me jam ante ex Helmoldo notasse, quodque *Segeberga Aelberagæ* olim nomen habuerit, atque arce ornetur in monte sita, cujus ut antiquitas, ita & mentio in historiis illustris est. Nec omittenda hîc occasio conditæ ejusdem arcis in eo, quo nunc conspicitur, clivoso colle. Refert enim Helmoldus Vicelinum antistitem circiter annum Christi 1134 convento Imperatore Lothario, qui tum Bardavici agebat, consilium suggessisse occupandi montis atque ibi propugnaculum collocandi ad certam universæ ditionis Wagriensium contra Slavos tuitionem. Et addit cum jam mandato Cæsaris castrum exstrueretur, unum ex Slavorum principibus vaticinium de eo protulisse, quasi id in jugum totius gentis Slavicæ conderetur. Ita enim verba Helmoldi habent: *Dixit ergò quidam principum Slavorum ad alterum: Vides hanc structuram firmam & præeminentem; Ecce vaticinor tibi, quia castrum hoc erit jugum universæ terræ. Hinc enim egredientes, effringent primo Plunen, deindè,* **Aldenburg** *atq;* **Lubeke**/*deinde transgressi Trabenam* **Racesburg** *& omni Polaborum terrâ abutentur: Sed neque Obotritorum terra effugiet manus eorum. Cui ille respondit: Quis nobis malum hoc paravit, aut regi montem hunc quis prodidit? ad quem princeps: Vides, inquit, homuncionem illum calvum, stantem propè regem? Ille induxit super nos universum malum hoc. Perfectum ergo est castrum & numeroso milite communitum, vocatumque* **Sigeberg**. *&c.* Ubi repetitum id verbi *vides*, quod Theutonice per *Si*, idem valens prolatum; & addito **geberg**/ quod *locum montosum* notat *Sigebergæ* etymon prodet. Hoc castrum unà cum opido ex hæreditate abavi, avi & patris devolutum est ad Fredericum II Daniæ regem, ejusque filium, Christianum IV, qui ejus hoc tempore possessor & dominus hæreditarius audit.

Administratio seu Regimen totius Ducatus penes tres pręcipuè ordines versatur. Quorum primò sunt *Reges* ac *Principes*, secundò *Prælati*; tertiò *Nobilium familiæ*. Generalis Ducatuum gubernatio Regi Danorum ac Ducibus Holsatię, nec non Bremensium archiepiscopo præsulique Lubecensi incumbit; alternisque ab uno in alterum vicibus transfertur.

Quæ

Quæ cum ad regem devolvitur, per præfectos ac regios Holsatiæ consiliarios administratur. In arduis tamen negotiis nihil, nisi pręcedente omnium in Holsatiâ ordinum consensu, solet decerni. *Prælati* habentur *episcopus Lubecensis* & *Slesvicensis*; *Hamburgensis* autem *Bremensi* subjectus aut innexus est. *Capitula* his addita quinque, *Lubecense*, *Hamburgense*, *Slesvicense*, *Haderslebiense* & *Oitinense*. Abbatiæ numerantur septem, *Reinfeldensis*, *Bordesholmiensis*, *Segebergensis*, *Arnsböcensis*, *Cismariensis*, *Lummensis* & *Ruensis*. *Monasteria* sunt aut olim fuêre quindecim. Nam horum *Itzehoense*, *Pretzense*, *Vtersense*, *Slesvicense* & *Reinbeccense*, nympharum vestalium choris magno redituū proventu hodieq; celebria sunt: ceterorum ferè usus Scholis & Xenodochiis impensus est. *Nobilitas* arces ac prædia sua in his Ducatibus pleno jure ac dominio, quemadmodum in Germaniâ Comites unà cum venationibus, aucupiis ac piscationibus liberè possidet. Nonnulla interim nobilium prædia utriusque generis feuda censentur: maxima tamen ex parte alodialia sunt ac hæreditaria; Et ne exactionibus novis aut vectigalibus à principibus graventur, privilegiis ac concessionibus cautum habent. Eaque principes, priusquam à subditis fidelitatis juramentum præstatur, aut ipsi gubernationem suscipiant, juramento confirmare pro more solent. Liberâ enim ordines, ex Regum principumve filiis; quem velint eligendi fruuntur potestate. Quod privilegium peculari quondam Christiani I Danorum regis beneficio, cum in Ducem ipse assumeretur, indultum illis est ac posteris exinde solemniter confirmatum.

Sunt verò *Nobilium* tam Holsatiæ quam Slesvicensis Ducatus *familiæ* permultæ. Quarum vocabula juxta ordinem alphabeticum posita memorantur, *Alefeldij*, *Andersenij*, *Bocwoldij*, *Blomij*, *Brocdorffij*, *Breidenij*, *Casbrogij*, *Dammij*, *Gadendorpij*, *Grabovij*, *Holckij*, *Hackij*, *Hagenij*, *Heslenij*, *Herbergij*, *Hokenij*, *Hojeri*, *Iohansenij*, *Ivensenij*, *Koleri*, *Krommedigij*, *Kerckbergij*, *Lanckenij*, *Levenij*, *Meindorffij*, *Munckij*, *Motenij*, *Magnussenij*, *Ottenij*, *Pensenij*, *Petersenij*, *Pogwischij*, *Paisenij*, *Qualenij*, *Ranzovij*, *Revelovij*, *Ratlovij*, *Rumorij*, *Sestedij*, *Siversenij*, *Stakenij*; *Stavenij*, *Sturenij*, *Suinenij*, *Tinenij*, *Vkenij*, *Walstorffij*, *Wiscbij*, *Winsinij*, *Wolffij*, *Wittorffij*, *Wogenij*, *Wonsflietij*.

Ex quibus Holsaticæ familiæ censentur universi, exceptis ferè *Holkiis* & *Hackiis*, *Monkiisque*, qui in istâ quoque classe, quod in Ducatu Slesvicensi amplas habeant possessiones, nominantur, aliàs in Danicâ Nobilitate suo mox loco nominandi.

SCANIÆ APPELLATIONES ANTIQVÆ, BALTIA, BASILIA, Scandinavia, Scandia, Scanzia, aliaque nominum eorum rationem spectantia.

Continentis parte unâ, quæ Germaniæ adhæret, Cimbricâ nimirum Chersoneso, sic satis perlustratâ, nunc in eam, quę ex adversò est ad ortum borealem sita, continentis oram, SCAANE populariter dictam, quàm proximè trajiciamus. Eam inter authores Latinos antiquiores nominasse præcipuè Plinium reperio: qui *Scandiam* & *Scandinaviam* appellavit. Antè verò ejus ætatem, Græcorum etiam monumentis celebratam sub *Baltiæ*, & corruptè *Basiliæ*, nomine ex eodem Plinio discimus. Ità enim verba ejus habent lib. VI. cap. XIII: *Exeundum deinde est, ut extera Europæ dicantur; transgressisque Riphæos montes, litus oceani septentrionalis in lævâ, donec perveniatur Gades, legendum. Insulæ complures sine nominibus eo situ traduntur. Ex quibus ante Schytiam, quæ adpellatur Baltia, abesse a Schytiâ diei cursu; in quam veris tempore fluctibus electrum ejiciatur, Timæus prodidit.* Et statim deindè: *Xenophon Lampsacenus, a litore Schytarum tridui navigatione, insulam esse immensæ magnitudinis Baltiam, tradit. Eandem Pytheas Basiliam nominat.* Atque inde iterum ibidem: *Sevo mons immensus, nec Riphæis jugis minor, immanem, ad Cimbrorum usque promontorium, efficit sinum, qui Codanus vocatur, refertus insulis; quarum clarissima Scandinavia est, incompertæ magnitudinis; portionem tantum ejus, quod sit notum, Hillevonum gente 500 incolente pagis; quæ alterum orbem terrarum eam appellat. Nec est minor opinione Enningia.* Quibus ex verbis colligere licet *Scandinaviam* quidem nominasse Plinium, sed insulam existimasse; & *Baltiam* quoque Græcorum in eodem tractu agnovisse, sed à *Scandinaviâ* credidisse aliam. *Scandinaviam* interim, quomodo & Solinus appellat sive, ut hodie nominari est indicatum, *Schaniam* antiquitus etiam *Baltiæ* vocabulo, quod Græci suggerunt, indigitatam fuisse indicio sit, non tantum quod utraque immensæ sive incompertæ magnitudinis dicatur, sed Balticum etiam, quo hodieque alluitur, mare. Nam & hujus etiamnum nominis appellatio superstes durat, cum mare istud,

iſtud, & maximè quod inter Fioniam & Zelandiam eſt, popplariter BELT indigenę appellent, ut indè dicetur. Etymon verò Scandinaviæ quod è Latio nonnulli deducant, indeq; dictam velint, quod iter in eam ultro citroq; facturi *naves* frequenter *conſcendant*, id omnino frivolum atque inane habendum. Nam hodieque, cum Schonau ſive, ut vulgo contracteque ſcribunt, Schaane indigenis appelletur, idque ex gentis idiomate à pulchritudine deductum nomen ſit, ut etiam teſtatur diſertè Adamus Bremenſis, de quo mox, haudquaquam eſt ambigendum, *Scandinaviam*, ut *Bataviam*, *Velaviam*, *Moraviam*, aliaque ejuſmodi, appellitatam. Ubi ſyllaba ultima *auv* regionem ſeu latifundium Theutonicè denotat; quaſi Schaanau ſit *pulchrum latifundium regioque amœna*. Schonaud verò appellationem eſſe regionis genuinam & genti olim uſitatam, demonſtrent authores Latini veteres, qui, ut eſt memoratum, *Scandinaviam*, ferè omnes appellarunt: Et inde alij contractius *Scandiam*, quomodo etiam ipſe alicubi Plinius, & denique *Scanziam*, ut Jornandes vitioſè appellitare cæperunt. Ipſi verò indigenæ, eidem inſiſtentes craſi, frequentius Schaane/ quam Schanau/ unde tamen, ut jam dictum, *Scandinaviæ* nomenclatura quàm proximè dimanavit, efferre ac pronunciare conſueverunt. Nec aliter Cornubiæ & Cornevalliæ appellatio apud Britannos variè intorta eſt atque immutata. Nam ea, ut Anglici ſcriptores obſervant, avitâ majorum linguâ Kernaud ſive *Cernavia* eſt nominata. Daniæ autem indigenæ, ut in ipſâ ſuâ ditione efferentes Schaane pro Scanaud & *Scandinavia* contractione utuntur, ità viciſſim gentem regionis ipſam Schaansche appellant: niſi quod eandem præterea Schoninger dicant: atq; indè Latinè ſcribentes, diſtrictum ipſum *Schoningiam* vocent, ad formam, quâ ſupra Plinius *Eningiam* dixiſſe hoc tractu ditionem legimus. Quo loci an reſcribi *Finningia* debeat, Finmarchiaque intelligi, quamvis veriſimile, dubitare me facit, quod videam Plinium non Scandinaviam modo, cujus meminit lib. 4. cap. 13, ſed & libro eodem cap. 16, Scandiam denuo inſulam, quaſi diverſam aut portionem aliquam prioris prodere: ut ita hic quoque, cum exaudiſſet vel legiſſet apud authores *Schoningiæ* vocem, *Schoningiam* viciſſim aliam hoc tractu inſulam fecerit, quam corruptè *Eningiam* librarij protulerint. Quamvis & ſuſpicari quis poſſit, *Eningiam*, ſi Plinio pro *Finningia* ſit poſita, intelligendam fortaſſe *Fioniam*, Adamo Bremenſi, ut inferius patebit, *Finien* dictam. *Hillevonum* verò ſive *Hellevonum gens* eidem Plinio memorata, ea forte an fuerit, quæ proximam Zealandiam, Mela Codanoniam vocat, aut ejus utrimque, quod ibi eſt, Balthici freti fauces incoluerit, quaſi *Helſevones* ſive *Halſevones* dicti. Eique ſententiæ firmandæ ſit, quod eſt in littore Sælandiæ *Halſingora* oppidum, & quod eſt eidem ex adverſo oppoſitum in littore Scaniæ *Helſenburgum* utrumque enim Hels ſive Hals primore ſyllabâ à freti jam dicti cervice, cui, ut dictum, eſt adſitum, denominationem accepit. Procopius porrò Rerum Gothicarum ſcriptor Scandinaviam non ut ceteri *Scandiam* aut *Scandinaviam*, ſed *Thylen* vocaſſe ex verbis ipſius intelligitur: quam verè, dicetur inferius. Schaniæ vetuſtiſſimum municipium Schanoer memoratur: quo & privilegia antiquiſſima Hanſaticarum civitatum fundata ſunt.

Eningia. *Finningia.*

SCANDINAVIA ALTER ORBIS TERRARUM. EX PLINIO aliiſque authoribus magnitudo ejus demonſtrata: populique in eâ varij.

NOmen & appellationes regionis vidimus, nunc ipſam terram ingrediamur. Eam maximam authoribus proditam, verba, quæ laudata ſunt, Plinij, ſatis oſtendunt, cum à gente Hillevonum, quæ portionem tantum ejus incoluit, ALTER TERRARUM ORBIS ſit indigitatus. Dixit enim: *Scandinavia incompertæ magnitudinis eſt, portionem ejus, quod ſit notum, Hillevionum gente, 500 incolente pagis, quæ* ALTERUM ORBEM TERRARUM *eam appellat. Nec eſt minor opinione Eningia. Quidam hæc habitari ad Viſtulam uſque fluvium, à Sarmatis, Venedis, Syris, Hirris tradunt.* Et Solinus: *De Germanicis inſulis Scandinavia maxima eſt: ſed nihil in eâ magnum, præter ipſam.* Nec aliter Græci, & inter eos Xenophon Lampſacenus, *inſulam eſſe immenſæ magnitudinis* tradidit. Tacitus quoque, ubi inquit in libro de Germania, *cetera oceanus ambit, latos ſinus & inſularum immenſa ſpatia complectens*, haud aliò reſpiciat. Adeò ut eorum verbis Scandinaviæ nomine id totum videatur accipiendum, quod hodie Scaniæ, Sueciæ & Norvagiæ, cum adjacentibus proximè Biarmiis, Lappiis & Finnomarchiis, vocabulo intelligimus: Niſi obſtaret Plinius, qui diſcernere videtur, cum Eningiam (quam, ut indicavimus, eſſe *Finningiam* id eſt *Finmarchiam*, ſunt qui volunt) *Scandinaviâ* haud minorem ex opinione referat. Et deindè lib. 4. cap. 16. hæc ſcribat: *Sunt qui & alias prodant,*

Hillevviones. *Finningia.*

Scandiam

Scandiam, Dumnam, Bergos, maximamque omnium Nerigon; ex quâ in Thulen navigetur. Disertè enim ibi ex quorundam sententiâ, diversas *Scandiam, Nerigon, Bergos* & *Dumnam* facit insulas, quo & ire videntur Taciti verba, *latos sinus & insularum immensa spacia*, ut est indicatum, agnoscentis, cum hodie Norvagia & Bergæ cum Scandiâ conjunctæ una eademque sit continens. Notandum autem in verbis Plinij, *Norigon*, quàm proximo flexu ac sono id regnum dici, quod hodiéque vulgo incolis *Norrige*, & contractè *Norge*, appellatur; atque idem insulæ aut peninsulæ nomine accepisse illos vetustissimos: ut & celeberrimum ejusdem regni emporium *Bergos*, hodie adhuc **Bergen** dictum, ætate similiter Plinij, vel antè, pro insulâ habitum: sed omnium earum esse maximam *Nerigon*. Quod & ipsum haud omninò falsa relatione acceptum, cum hodieq; Norvagia sola, si cum cetera, quæ Scaniam & Suediam complecttitur, continente exactius contendatur, penè paria faciat. Et addens Plinius ex eâ (scilicet Norvagiâ) in *Thulen* navigari, indicatum voluit, vetustissimo eo seculo distinctam fuisse, & aliam à Norvagiâ ac Scandiâ habitam Thulen; contra quàm censuit, multis licet seculis post, Procopius, qui, ut, dicetur, falsa veris immiscens Thulen pro Scandinaviâ Græculis obtrusam voluit. Qui tamen, quatenus eâ parte ad verum accesserit & quatenus vicissim à vero exorbitarit, mox referemus. *Dumnæ* deindè vocabulum, quod prodidit idem Plinius, suspicari quispiam possit minus emendatè positum; & Daniam indè exsculpi haud difficulter posse, nisi ejus disertè mentionem faceret in Tabulâ Europæ primâ Ptolemæus, unam ex orcadum insulis *Dumnam* nominans. Et verò hodieque in quadam earundem insularum, *Fero* dictâ, opidum, quod unicum ibi est, *Dumo* dicitur. Solinus postremò, qui *maximam Scandinaviam* fassus est, totum complexum respexisse videtur; sed *in eâ nihil esse magnum, præter ipsam*, cum addat, falsa pro veris fando accepisse verisimile est, quod id refellat *Hillevionum* ipsa *gens, quæ alterum orbem terrarum*, ut est ex Plinio memoratum, eam appellavit: Nam sane *Terrarum orbis alter* si qua dici mereatur regio, eam esse rerum varietate ac copiâ omnimodo affluentem necesse fit, opidoque felicem ac beatam. Et verò ejusmodi posteris seculis fuisse nostroque etiamnum intelligi ac demonstrari Scandinaviam ostendent sequentia. Porro Plinius præter jam dicta *Sevonem* hic insuper montem agnoscit, cujusmodi est hodieque, qui à Suecia Norvagiam disterminat. Saxo *alpes Dofrinas* nominat. Plinij verba sunt libro 4. cap. 13. superioribus continuè præmissa. ubi ait: *Sevo mons ibi immensus, nec Riphæus jugis minor, immanem ad Cimbrorum usque promontorium efficit sinum, qui Codanus vocatur, refertus insulis, quarum clarissima Scandinavia est, incompertæ magnitudinis, portionem ejus* &c. Solinus quoque eundem *Sevonem* nominans Riphæis similiter collibus haud minorem facit, cum inquit, *Mons Sevo ipse ingens nec Riphæis minor collibus, initium Germaniæ facit. Hunc ingevones tenent.* Ubi illustrari per Solinum haud leviter Plinij verba liquet, cùm *Sevonem* initium facere Germaniæ dicat, & eum tenere Ingevones: ostendens nec aliter, quæ proxime præcedunt, capienda verba Plinij, ubi inquit: *Incipit inde clarior aperiri fama ab gente Ingevonum, quæ est prima inde Germaniæ. Sevo mons ibi* &c. ut scilicet ab hac boreali plagâ deduxisse Germaniç initium Plinius intelligatur.

Huc postremo & Tacitus accedit, qui diserte hîc nobis *Suiones* præterea & *Sitones* aperuit, Plinio haud uspiam nominatos, nisi latentes fortasse sub *Hillevionum*, quos ex eo jam modò produximus, vocabulo. Ait autem: *Suionum hinc civitates* (ultra nimirum Suevicum littus versus boream) *ipso in oceano, præter viros armaque, classibus valent.* Et paulo post: *Suionibus Sitonum gentes continuantur &c.* Sed de his plura statim.

SCANDIA CLAUDII PTOLEMÆI & MARCIANI HERACLEOTÆ cum enodatione limitum ac populorum, qui ab eodem Ptolemæo sunt positi: additis Plinij ac Taciti ejusdem tractus ac gentium Nomenclationibus. Hellevíones Plinij, & iis fortasse etiam Suiones intellectos.

PTolemæus à Cimbrica Chersoneso factâ digressione Scandiæ descriptionem paucis proponens ita infit lib. 2. cap. 12: *Supra Cimbricam Chersonesum insulæ aliæ tres Alociæ dictæ. Ab orientali parte Chersonesi quatuor Scandiæ nuncupatæ, tres quidem parvæ, una verò, quæ maxima earum est & maximè orientalis juxta Vistulæ fluvij ostia: vocatur autem & hæc propriè Scandia & tenent ipsius occidentalia Chædini, orientalia verò Phavonæ & Phiræsi, Meridionalia Gutæ & Dauciones. Media autem tenent Levoni.* Ptolemæum proximè expressit Marcianus Heracleotes, Cujus hæc verba sunt: *supra Chersonesum sitæ sunt insulæ tres, quæ dicuntur Alociæ; est ad eas à*

Cimbrica

Marginal notes: Bergi. — Nerigon.

Cimbrica Cherſoneſo navigatio ſtadiorum 550. Ad ortum Cherſoneſi ſitæ ſunt inſulæ quatuor, quæ vocantur Scandiæ: Harum tres quidem parvæ ſunt; Eſtque ad earum mediam à Cherſoneſo intervallum ſtadiorum 2000 ſtad. 1700. Vna verò maxima maximeque orientalis, quæ propriè vocatur Scandia &c. Eſtque ambitus totius Scandiæ ſtadiorum 225. Ex quibus apparet, Ptolemæum, quo cum idem dicit Marcianus, incertâ nec ſolida harum regionum cognitione imbutum, haud ſimplice vice impingere. Nam primò quod inſulas id omne putaverit, quod boream & ortum verſus ultra Cherſoneſum quàm latiſſimè patet, erroneum eſſe omnibus conſtare hodie exiſtimo, qui ſciunt, totam cum Scaniâ & Suediæ regno Norvagiam, & ſi quæ illis annexa ſunt, unum eſſe cum proximâ Moſcoviâ, & quæ annectitur Polonia & Germania, continens.

Alociæ tres. Deinde quas vocat inſulas *Aloſiæ* ſive *Alociæ tres*, & *quatuor Scandiæ*, quarum una omnium maxima, Scandiæ præcipuè nomen præferret, eorum vix aliquid ad verum accedit, niſi quod inſulæ quidem Scandiæ objaceant, ſed plures quatuor, & ſuo quæque non Scandiæ vocabulo, ut infra dicetur. Nam Alſæ inſula, cujus ſuperius nobis injecta mentio, & quæ proximè ad vocabulum *Aloſiarum* videtur accedere, planè diverſo à Ptolemæi *Alociarum* poſitu eſt ſita, ad interiorem nimirum Balthici maris ſinum, Holſatiæ fere contigua: Cum Ptolemæus ſuas *Alocias* verſus occaſum circa Cimbricæ Cherſoneſi promontorium ſeu extremitatem borealem collocet, ut habet Europæ apud eum pinax ſeu Tabula IV. Quamvis interea à Plinio non multum hæc abire fateor, qui, ut diximus, præter Scandinaviam omnium maximam, etiam Scandiam agnoſcit.

Quæ deinde intra Scandiæ, quam propriè ſic dictam Ptolemæus vult, complexum enumerantur gentes, ut ſunt *Chædini, Phavonæ, Phiraſii, Gutæ, Danciones* & *Levonij*, eæ, præter *Gutas* & *Danciones*, ad certam, quæ quidem hodie obtineat, nomenclaturam, quomodo *Levoni.* reducentur? Niſi *Levonos* dicamus, qui in mediâ illa memorantur Scandiâ, Livoniæ populis, qui hodie trans Suevicum mare ex adverſo ſunt, Polonis confines, originem dediſſe, & cæteros ad *Finnos* ſive *Phennos* ac *Scritiphennos*, vetuſtioribus etiam nominatos, & ho- *Phireſii.* die ad extremum boream poſitos, referre libeat, ut *Phireſii* nimirum quaſi *Phineſii*; aut ii dicendi, qui regionem hodie incolunt vulgari vocabulo *Fiering*. Nam referri ad Friſios non poſſe oſtendunt ipſi Friſij, qui interius cis Albim verſus auſtrum ſunt ſemperque fuere: & ſi qui exinde trans Albim, de quibus Saxo, coloniam duxerunt, ij in Friſiâ minore intra Cherſoneſum poſiti, ut eſt memoratum jam ante. Et *Phavonæ* quaſi *Phennonij* ſive *Chedini.* *Fennonij*, & *Chedini* denique, quaſi perperam ſimiliter accepto vocis ſono, *The deni* fuerint, *Danſciones.* ijdem ſcilicet cum *Daunciomibus* ſive *Dancionibus*, prout variant populorum in enunciandis hujuſmodi nominibus dialecti. Nam & hodie non *Danos* modo & **Dansche**/ ſed & *Denos* & **Densche** nominari eoſdem, & ipſum quoque regnum ab his *Danemarchiam*, ab alijs *Denemarchiam* dici, tralatitium habetur. *Dauciones* autem qui ei dicuntur ſive *Danciones* potius, ſimiliter pro varietate dialecti ſic dicti, quomodo & Anglis hodieque quod *Daun* eſt, Gallis *Dan* dicitur, *depreſſum* aliquid aut *humile* cupientibus intelligi. Quamvis & alia ſunt *Gutæ.* Danica nomina *Chædinos* & *Phavonas* referentia, ut *Hædingi* & *Fanoe*, de quibus alibi. *Gutas* porrò quis ambigit proximè accedere ad *Gothos* & *Gungos* Scaniæ, quorum hodie territorium eſt *Gungherrit* & *Godingherrit*, ad Daniæ regnum pertinens?

Nec ultra hos in toto hoc tractu alios agnoſcit populos Ptolemæus, ut iterum hîc ejus vel accuſare incuriam, vel qualnam ille ſecutus tabulas ac gentium deſcriptiones hîc ſit, mirari ſubeat. Nam ſanè Plinius, qui eum ætate præceſſit, intra Scandinaviam Hillevionum, modò recta eſt lectio, gentem, ut & ante patuit, indicavit, quingentos incolentem pagos, itemque *Finningiam*, niſi quod inſulas eſſe, & quidem ſeparatas, *Scandinaviam* & *Finningiam* ſimiliter putaverit. Cujus etiam *Hillevìones* fortaſſe ijdem, quos decurtatè ac ſyllabâ primore omiſſâ, Ptolemæum *Levones* appellaſſe diximus. Nec abludat, ſi *Hillevonum*, ſive, ut aliàs ſcribitur, *Hellevionum* hodieque ſupereſſe veſtigia in *Hallandis* & *Hallandia* dicamus, cujus regionis caput *Halmſtad* & *Helmſtad*, quaſi *Hillevorum civitas* dici poſſit. Indigenæ ipſi ditionem totam *Hallind* vocant; Quod ſanè antiquum eſt ei regioni vocabulum, & inter alias Scanziæ nationes Jornardi quoque, ut ſtatim liquebit, memoratum. quamvis & *Helſingia* & *Helſenburgum*, ut & *Helſingora* in ijſdem tractibus, *Hillevionum* etiam vocabulum videatur innuere. Si præſertim pro *Hillevonum* legemus *Helſevonum* ſive *Holſevonum*, ut fauces ejus freti, quod eſt inter Scaniam & Selandiam, incolentium, de quo dictum nonnihil ſuperius. Nec abludat hinc quoque *Helle aa* amnis Scaniæ maximus, ad quem ſuperioribus annis eſt exædificatum, auſpicijs ſereniſs. Regis Chriſtiani IV. Chriſtianſtadium.

anſtadium. Eſt & Sevo mons ibidem Plinio lib. 4 cap. 13, qui ita deſcribit: *Sevo mons ibi immenſus, nec Riphæis jugis minor, immanem ad Cimbrorum uſque promontorium efficit ſinum, qui Codanus vocatur, refertus inſulis; quarum clariſſima Scandinavia eſt.* Hodie hic mons ſive jugum potius, Norvagos à Sueonibus dirimens, modò *Skars*, modò *Sula* & *Dosfrafiel*, indigenis nominatur. Saxo noſter ut infra dicetur, Dofrinas alpes appellavit. Solinus hunc montem Riphæis collibus haud minorem facit, initiumque conſtituere Germaniæ; ubi inquit; *Mons Sevo ipſe ingens nec Riphæis minor collibus, initium Germaniæ facit. Hunc Ingevones tenent &c.* Tacitus præterea in eodem hoc tractu, quorum non Ptolemæum modò, ſed nec ipſum ut indicatum meminiſſe Plinium video, *Suionum* mentionem præclarè facit, ut & *Sitonum*, cum inquit libro de Germania poſt memoratos circa littus maris Suevici Rugios ac Lemovios: *Suionum hinc civitates, ipſo in oceano, præter viros armaque claſſibus valent.* Et mox: *Eſt apud illos & opibus honos: eoque unus imperitat, nullis jam exceptionibus, non precario jure parendi, nec arma ut apud cæteros Germanos, in promiſcuo, ſed clauſa ſub cuſtode & quidem ſervo. quia ſubitos hoſtium incurſus prohibet oceanus. Otioſæ porrò armatorum manus facilè laſciviunt. Enimverò neque nobilem neque ingenuum, neque libertinum quidem armis proponere, regia utilitas eſt. Trans Suionas aliud mare, pigrum ac prope immotum: quo cingi claudique terrarum orbem hinc fides, quod extremus cadentis jam ſolis fulgor in ortus edurat, adeo clarus, ut ſidera hebetet. ſonum inſuper emergentis audiri; formaſque Deorum & radios capitis aſpici, perſuaſio adjicit. illuc uſque (& fama vera) tantum natura. Ergo jam dextro Suevici maris littore Æſtiorum gentes alluuntur &c.* Et poſtea. *Suionibus Sitonum gentes continuantur, cetera ſimiles, uno differunt, quod fœmina dominatur, in tantum, non modò à libertate, ſed etiam à ſervitute degenerant. Hinc Sueviæ finis.* Quibus ex verbis intelligere eſt, Tacitum, etiamſi nec *Scandinaviæ*, nec montis immenſi *Sevonis* (quæ tamen ex Plinio cognoſcere haud difficulter potuit) mentionem ullibi faciat, id tamen ulterius prodere, quod in eâdem peninſulâ, *Sueviæ*, cujus in intimâ Germaniâ initium fecerat, hîc finem ſtatuat. Niſi ſtatuere malimus, quod ſuſpicari quis poſſit, trajectionem hîc factam verborum Taciti, & illa, *Suionibus Sitonum gentem continuantur &c.* ſtatim annectenda illis *illuc uſque (& fama vera) tantum natura.* ut inquam hîc poſt vocem *natura*, continuo ſubſequatur, *Suionibus Sitonum gentes continuantur, cetera ſimiles, uno differunt, quod fœmina dominatur; in tantum, non modò à libertate, ſed etiam à ſervitute degenerant:* atque illis ſtatim ſubjungatur: *Ergo jam dextro Suevici maris littore Æſtiorum gentes alluuntur* ceteraque. quorum ultimis verbis, illis nimirum, *in picem reſinamque lenteſcit*, ſubderetur: *Hic Sueviæ finis.* Quod mihi ſane perquam ſimile vero videatur, ne quis *Sueviam* cum Suionibus ac *Sitonibus* commiſcere eum exiſtimet: Cum Sueviæ revera finis Æſtij. ut infra dicetur uberius, ubi de Sueoniâ Adami Bremenſis.

Suiones. *Suevia.*

Jam de *Sitonibus*, licet dubitari poſſit, an *Norwagi* dicendi, ut voluerunt nonnulli, *Suiones* interim Suedos eſſe quis inficiari poſſit? Horum autem quod neq; Mela, neque Plinius, qui Tacitum tamen haud multum anteceſſit, mentionem injecerit, id vero quomodo jam innui, haud abs re miror; Et niſi obſtarent, quæ modò retuli, in eam propemodò devenirem ſuſpicionem, quod & ſuſpicatum jam olim *Iohannem Gothum* reperio, nec non Junium Hornanum, Plinij *Hillevones* vitio fortaſſe ſcripturæ pro *Suiones* aut *Sueviones* ſubſtitutos; præſertim cum eos tot pagis incoluiſſe referat, & Tacitus de Suionibus dicere exorſus ſimiliter inquiat: *Sueonum hinc civitates.* Nam apud Tacitum, quæ deindè memorantur, ſub finem, de *Hellusiis* cum ipſi inter fabuloſa habeantur, vocabulum etiam iſtud ibi eſſe corruptum nec ad Plinij *Hillevionés* quidquam facere, poſtea fortaſſe dicemus: Apud Melam lib. 3. cap. 3. multo adhuc corruptius hæc vox expreſſa, ubi inquit: *In eo ſunt Cimbri & Teutoni. ultra ultimi Germaniæ Hermiones.* Nam ibi *Hermiones* reſcribendos *in Hillevones* aut *Suiones*, nihil certius ſit: cum *Hermiones*, ut alibi oſtenſum, Plinio in interiori ſint Germania, ubi & *Hermunduri* eæque gentes. Nunc quæ proximè poſt Ptolemæum, de toto hoc tractu Iornandes adducit, qui, ut meminimus, *Scanziam* appellavit, propius inſpiciamus.

Sitones.

SCANSIA JORNANDIS PROPONITUR, & OBITER *cum præcedentibus collata, tum ex illis, tum ex aliis uberius explicatur.*

De ſitu Scandinaviæ ejuſque nationibus hæc Jornandes lib. primo cap. 3 de rebus Gothorum, inſulam ſimiliter exiſtimans: Ad Scanziæ inſulæ ſitum, quam ſuperius reli- ,,
quimus, redeamus. De hac enim in ſecundo ſui operis libro Claudius Ptolemæus orbis ,,

Gothos spectat) nisi prima *Saticundia Finlandiæ* sit ditio, & cetera ad *Scirros*, *Hirros* & *Samoithas* hodie, & *Fervir* ad *Forrenses* dictos referenda, quo pertineant, referre non habeam. Et observatu quoque dignum est *Gothlandos* olim in Rythmis antiquis terram suam *Gutegutland* appellitasse: quod ad voculam **Gautigoth** proximè accedit. Nec clari magis *Evageræ* cum *Othingis* & *Raumarcis*: nisi innui voce omnium ultimâ *Tilemarcos* dicamus, de quibus inferius, vel potius *Romerigam*, quæ ditio est Norvagiæ satis magna; ubi & *Ringerige*, qui fortasse antiquitus *Ragnarici*. Et *Othingi*, qui præcedunt, *Othensiam*, urbem Fioniæ, referre aut ejus saltem nomenclaturam reducere in memoriam videantur. Nam *Ostrogothi* aut saltem *Gutæ*, ut supra patuit, etiam aliis, post Plinium & Tacitum, & præsertim Ptolemæo inter antiquissimos satis noti. *Vinoviloth* corruptè fortassis scriptum, & gentem eo *Vinilorum*, undè Longobardi profecti, indicari haud obscure videtur. De *Suerbidis*, eos esse *Suedos* jam dictum. *Cogenos* verò cum præstare reliquis corpore dicat, & *Danos* ex eorundem stirpe progressos inter Scanziæ gentes universas ob staturæ eminentiam præcipui esse nominis, in eam ferè cogitationem deveniam, ut pro *Cogeni* scribendum *Chædeni* sive *The deni* existimem, atque esse eos Ptolemæi *Chedinos*, jam antè, sed minus similiter emendatè, nominatos; & ex illos originem ac nomen *Dancionum* sive *Danorum* propagatum: ut facilè etiam hinc pateat *Danorum Danorumque* vocabulum haud quaquam hodie aut heri, sed antiquissimis seculis usitatum ad posteros esse delatum; Ac Gothos deniq;, quod verba Jornandi postrema satis indicant, ex hac nimirum GENTIUM OFFICINA VAGINAQUE NATIONUM Scanziâ sive Scandinavia profectos. Vel dicendum etiam, *Cogenorum* vocem, priscæ gentis referre vocabulum, cujus hodieque urbs Sialandiæ haud inter postremas habenda *Coge* seu Coagium dicta vestigium retineat. de quo in sequentibus. Rudolphum verò, (vulgò forte **Rolff**) quem ait posthabito in hac boreali plagâ proprio regno ad regem Gothorum Theodoricum, affinitatis, ut existimandum, necessitudine concessisse, an eum rectè & ordine inter suos Suecorum reges recenseat *Iohannes* Gothus, dum in ordine regum octuagesimum quintum faciat, ipse viderit.

GOTHOS è SCANDINAVIA PROFECTOS, ESSE à GETIS & Dacis diversos, contra Iornandem aliosque monstratur.

ET eos quidem, Gothos dico, uti è Scanziâ profectos disettè asserit Jornandes, itâ quonam id factum tempore nusquam idem ostendit. Quamvis antiquissimum & ævum propemodum aboriginum & quod ante Trojanos fuit, videatur innuere, utpote qui *Gepidas* & *Getas* ex *Gothis* originem ducere asseveret. Atque ita vera falsis miscens *Gothos* exindè & *Getas* eosdem facit. At hoc quomodo concedi possit, cum nomen *Getarum* apud Græcos sit vetustissimum, *Gothorum* verò appellatio nonnisi paulum antè tempora Constantini cum gentis ipsius in Thraciam irruptione esse nota cæperit? Quamvis interea non me latet, præter Jornandem etiam Procopium, Orosium, Hieronymum, Spartianum aliosque, & inter poëtas, Claudianum *Gothos* & *Getas* promiscuè appellitare. At Getas esse Thracas satis demonstrat Herodotus, itemq; Strabo, & eos secutus Stephanus de Urbibus, ostendentes clarissimè Getarum gentem à gente Germanorum semper diversam fuisse; illam Thracicam, hanc Celticam. *Gothos* autem, seu ut vocat Ptolemæus *Guthas* unâ cum Danis & Sueonibus, Scandiæ accensendos ex authoribus & antè allatis apparuit. Nam & Mela, ut infra repetetur, post descriptionem Codani sinus, ad boream pergens hæc habet: *In eo sunt Cimbri & Teutoni: ultro ultimi Germaniæ Hillleviones.* Nam perperam ibi pro *Hillevionès* legi *Hermiones*, qui in interiori sunt Germaniâ, plures notarunt. Ut itâ liquido satis constare queat, cum *Getæ* non fuerint Germani; *Gothos* Germanicam gentem, haudquaquam *Getas* censendos.

At Jornandes, ut modo ostensum, postquam è Scanziâ prodiisse Gothos memorasset, statim exinde ad gentē Getarum delabitur, atq; iterum deindè ad Gothos, nec multo post de Getis quædam ex Lucano citans; identidem ad nomina nonnulla Gothorum revolvitur, Scythas eosdem vocitans. Ac rursus ex Dionis Græci cujusdam authoris, Geticis, de Getis quædam subnectit, quæ gesta ab iis ad Domitiani usq; principatum; Et tandem genealogiam principum gentis Gothicæ ex ipsorum, ut ipse appellat, FABULIS, ad suam usq; ætatem contexit. Expositiâ autem eâ principum genealogiâ, addit: *Ablavius historicus refert, quia ibi super limbum ponti, ubi eos diximus in Scythia commanere, pars eorum, qui orientalem plagam*

tenebant, eisq; præerat Ostrogotha (incertum, utrum ab ipsius nomine, an loco orientali) dicti sunt Ostrogothæ. residui verò Wesegothæ in parte occiduâ. Indè sub Philippi Imperatoris tempora, qui claruit circa annum Christi 245, tradit prædictum Ostrogotham, trajecto Danubio, Mæsiam Thraciamque vastasse. atque indè iterum sub Claudio II Mæsiam depopulatos, obsessâ etiam Marcianopoli. Adeò ut mirari habeamus, quinam, seculis aliquot antè Trojanum bellum, Gothorum è vaginâ & officina nationum Scanzia, ut vocat, migrationem adnotaverint; undè eam, bis mille circiter post annis, habere potuerit vel Iornandes vel Dexippus, vel denique Ablavius: Ego *Gothos*, vel ut aliî vocant, *Gotthos*, esse origine eosdem cum *Gutis*, quos in Scandiâ agnoscit Ptolemæus persuasum habeam. Quando autem indè moverint non in Germaniam & Sarmatas modò, sed in Cimbricam quoque Chersonesum, quæ hodie, eorum nomine *Gutia* & *Iutlandia* dicitur, cum traditum disertè non occurrat, illud interim ex Niceta Choniate & Iornande certò tenendum, in plures distributos fuisse tribus, nec uni duci paruisse, &, ut refert ex Dexippo Iornandes cap. 22. associatis sibi gente belliosissima, Asdingis, vix anni spatio ab oceano ad limitem Romanum, id est, Daciæ oras pervenisse, utpote, qui, transmisso mari Suevico à Vistulæ ostiis per omnem ferè Sarmatiam ad Mœotin usque paludem atque indè ad Dacos profecti fuerint, attestante etiam Stephano de Urbibus, ubi inquit, *Gothi, gens olim habitans intra Mæotin postea verò in Thraciam interiorem transgressa.* Asdingorum autem, quorum ex Jornande meminimus, etiam apud Dionem in rebus M. Aurelij Antonini occurrit mentio, qui *Astingos* nominat. Et factum id anno circiter Christi 161 ex Dionis jam dicti historia videtur colligendum. Cujus verba, referente Theodosio ejus abbreviatore, ista fuêre lib. LXXI. *Astingi verò, quibus Raos & Raptos duces erant, venêre quidem & illi, ut Daciam incolerent, spe consequendi pecuniam, & agros, sub conditione fœderis: at nihil horum adepti, uxores ac liberos suos apud Clementem deposuêre; velut armis Costoborum regionem occupaturi. Sed quum illos vicissent, Daciam quoque nihilominus infestabant. Itaque metuentes Dancrigi, ne, timore illorum adductus Clemens, in agrum, quem incolebant ipsi, eos emitteret; nihil tale expectantes adorti sunt, & longè superiores eis facti: adeo, uti Astingi nihil amplius hostile contra Romanos moliti sint; multisque Marcum precibus obtestati supplices, uti pecuniam & agros ab eo acciperent, hac conditione rogaverint, si nationibus tunc bellum adversus eum gerentibus cladem intulissent. Ac præstiterunt sanè nonnihil eorum, quæ polliciti erant.* Quibus consona sunt, quæ habet Ecloga Historiæ Petri Patricij & Magistri: *in auxilium venêre Marco Imperatori Astingi & Lacringi.* A Marci igitur Aurelij principatu Gothi è patriis sedibus per Sarmatiam vagati, tandem in Daciâ consedêre. Atque indè occasio nata authoribus ævi sequentis eandem eos cum Dacis & Getis nationem censendi: Et Græcis quoque, quia è Scythiâ Europæa à Mœoti palude advenerant, eosdem pro Scythis habendi. Undè etiam Dexippus res Gothicas inscripsit τὰ Σκυθικά, & ipsos Gothos Σκύθας teste Photio. Ut mirum haud sit, simili errori implicitos, quorum superius meminimus, Procopium, Orosium, Hieronymum, Spartianum, Claudianum aliosq; tam historicos quàm poëtas Græcos Latinosque, qui Gothos & Getas promiscuè appellitant. Quod idem secutus etiam superiori seculo Ioannes Gothus archiepiscopus Upsalensis, non tantum, quæ Iornandes est prosecutus Getica & Scythica, suam in rem vertit, ac Suedicam istis calamistris exornavit aut potius oneravit historiam, sed & tredecim præterea Gothorum reges antè Bericum, Iornandi primum, producit, qui omnes in Scandiâ Gothis imperitarint antè ipsorum è peninsulâ egressum. Egressum autem eum in annum rejicit à diluvio octingentesimum septuagesimum quintum, qui fuit antè natum Christum millesimus quadringentesimus trigesimus; quo tempore filij Israëlis à Iudice Othoniele regebantur. Quas si demamus ex illo opere, Geticas inquam Scythicasque res, exiguus profectò reliquus erit ab eodem ex Saxone Grammatico Danorum historiographo emendicatus rerum Suedicarum acervus. Et ausus idem non Gothos tantum in Scythas transformare, sed fucum insuper lectori incauto faciens, affirmare historiæ suæ lib. 1 cap. 23 non erubuit, quasi Strabo lib. XI Massagetas orientales esse Gothos asseruerit: Cum Strabo ne per somnium quidem Gothorum uspiam meminerit.

VELITA-

VELITATIO

Cum viro illustri felicis memoriæ

IOSEPHO SCALIGERO,

An Gothi iidem qui Getæ.

HAc velitatiunculâ ut ritè defungamur, ipsum antè omnia loquentem audire Scaligerum necesse erit. Ait enim in Animadversionibus Eusebianis, ad numerum MMLX:

Et Orcadas insulas Romano adjecit imperio) Attexta Eusebianis ab Hieronymo ex historiâ Eutropij. Huc allusit Juvenalis:

Et modò captas
Orcadas, ac minimâ contentos nocte Britannos.

Item: — & *ultrà*
Littora Iuvernæ promovimus.

Seneca in Ludo Imp. Claudij: *Et cærulos Scotobrigantas*, ut olim feliciter à nobis emendatum esse asserimus. Adversantur tamen quidam in quibus boni malique, docti indocti: Ajunt Scotos ante tempora senescentis imperij notos non fuisse. Utinam demonstrationem attulissent, quâ nobis jugulum peterent? Ante Constantini tempora, inquiunt, notum Scotorum nomen non erat. Acutum sanè telum, nisi plumbeum esset. *Burgundiones* & *Langobardi* decrepitâ ætate imperij Romani cœperunt notescere. Unus, qui eorum meminerit, de vetustissimis, Ptolemæus exstat hodie. Si periisset, ut multi alij, ideo *Langobardos* tum primum, quum in Italiam irruperunt; *Burgundiones*, quum Viennensem, & secundam Narbonensem occuparunt, esse & vocari cæpisse diceremus? *Anglorum* ante tempora Gregorij Magni ne nomen quidem notum erit, quum tamen in Cornelio Tacito extaret, extetque adhuc. Quis sciebat *Getas* eosdem cum *Gothis* esse, nisi Jornandes indicasset? Getarum nomen vetustissimum apud Græcos, Gothorum vix appellatio. Post Constantium simul cum ipsius gentis in fines Thraciæ irruptione nota esse cæpit. Qui igitur ex Hiberniâ ferocissimi in Britanniam trajecerunt, non esse cæperunt, nisi postquam in Britanniâ fuerunt? quid stultius? quid ineptius? Sed eorum nulla mentio apud Ptolemæum & Corn. Tacitum. Atqui nec *Burgundionum* nec *Longobardorum*, *Anglorum* & *Gothorum* apud Plinium, Strabonem, Melam, alios. Quis paulo Latinitatis intelligentior non advertit absurditatem lectionis vulgaris, *Et cæruleos scuta Brigantes*, quasi scuta sola pingerent, ut illi apud poëtam,

Et picti scuta Labici,

absurditatem odoratus est summus vir Adrianus Junius, sed nihilo melius ei loco consuluit, quum legit, *Et cæruleos cute Brigantas.* Nam de falso modulo syllabę ad tribunal Grammaticorum postulatur.

Quibus in maximi viri verbis quàm multa sphalmata! Sed, ut ego interpretor, nec aliter decet, mnemonica. Quis enim, cum dicat, de vetustissimis exstare unum Ptolemæum, qui *Langobardos* & *Burgundiones* nominet; Et statim exinde addat, neque *Burgendionum* neque *Langobardorum* apud Plinium, Strabonem aliosque haberi mentionem; quis inquam hæc legens, literis istis vel leviter tinctus, non exemplo contra afferat? & Plinium *Burgundiones* nominasse ostendat lib. 4 cap. 14 ubi *Germanorum ultimos* & *gente Vandalos* facit? Strabonemque similiter diu ante Ptolemæum lib. 4, & Velleium Paterculum in rebus Tiberij, & Tacitum denique secundo Annalium, itemque in Germaniâ suâ *Longobardorum* disertè meminisse, ut & inde dicetur. Quæ cum itâ habeant, quis non facile de *Getis* quoque & *Gothis* quod adfertur deinceps, confutet vel ex præcedentibus? Nam si *Getæ*, ut ibi ostensum, Germaniæ populi nunquam habiti, *Gothi* autem habiti, quis non alios Getas, alios Gothos fateatur? *Getæ* sunt populi Daciæ Ptolemæo, & toto ab illis cœlo diversi collocantur ab eodem in Scandiâ *Gutæ*; *Gutæ* inquam; quos esse *Gothos* & nominis istud retinere hodieque ac sparsim his in oris id quoque loqui regionum appellationes nonne apud

omnes in confeſſo habetur? Deinde & Ptolemæus, cujus in omnium manibus ſunt tabulæ, nunquid hoc ipſum clare diſerteque ob oculos ponit? Tabulâ enim ejus Europæ IX, quæ præter Jazyges & Myſos, Daciam Thraciamque, regiones Europæ meridionales, complectitur, collocatur in Daciâ ad flumen Rhabonis, Danubium ingredientis, *Zarmigethuſa*, veluti regia aut metropolis Getarum, cum eidem Europæ tabulâ IV in Scandiâ, boreali plagâ, ultra mare Germanicum, *Gutæ* locentur: Has gentes toto invicem cœlo ſoloque diremptos, quæ ratio eaſdem afferat? Et ut *Sarmigetuſa* in illâ ora, quæ eſt Danubio borealis, ità viciſſim in ripâ ipſâ Danubij auſtrali ponitur eidem Ptolemæo infra Axiopolin *Dinogetia*. Quibus omnibus & Strabo Pliniuſque conſonant, qui uterque *Getas* inter Dacos Sarmatiæ Europeæ populos recenſent, ut & Ovidius, ultra citraque Danubium, verſus ortum, eoſdem agnoſcens. Jam, quod ad auctoritatem Jornandis, qui tot poſt illos authores ac Ptolemæum ſeculis claruit, ea quanta ſit, colligendum eo, quod ipſe Geticas origines, quas ſecutum ſe dicit, fabulas fateatur, ut antè indicatum; Et ut *Getas Gothoſque* in unum miſceat, ortos ait è *Gothis Getas*; idque ut nullo idoneo authore, ita nec certum ejus rei tempus, ſed aboriginum ævum, & ut Græci vocant ἄδηλον adducit. Nihil ergo certius quàm alios eſſe origine *Getas*, alios *Gothos*, licet nomine, haud multum differant; Et hos quidem Germaniæ ac boreæ gentem, quod & lingua quoque, de quâ alibi; oſtendit: illos Scythiæ ac Sarmatarum populum. Adeò ut nominis interim, quæ eſt inter Gothos & Getas, affinitas, gentes duas origine diverſiſſimas confuderit, ut vel utrique è Scythis vel utrique è Germanis, vel Gothi è Scythis, Getæ è Germanis profecti credantur: Atque hoc accidiſſe ſtatim Gothis, poſtquam è ſedibus patriis per Sarmatiam longè vagati in Daciâ, Getarum ditione, conſedêre ſeque Romanis objecere, ex authoribus, & præſertim poëtis, colligere eſt, qui Gothos & Getas fortuitâ iſtâ migratione commixtos confundere exinde cæperunt. Nec aliud fuit fatum *Dacorum* & *Dabarum*. Nam & hi viris etiam doctiſſimis pro iiſdem ſæpenumero ſumuntur, cum inter ſe δὶς διὰ πασῶν differant. Ecce authorem qui commentariolum in literas Gothicas, editore Vulcanio, conſcripſit, nonne diſertè hæc habet pag. 14: *Davi Dahæ ſunt, qui & Daci dicuntur vicini Getarum?* En Daas vicinos facit Getarum, quo quid falſius? Sunt enim non Getis ſed Parthis & Hircaniæ contermini *Dahæ*. Strabo de imperij eorum magnitudine & Parthis non tantum, ſed Romanis quoque formidabili potentiâ narrans, quoſdam eorum nomades facit. Undè Lucanus:

Ne vetitos errare Daas in mœnia ducat.

Seneca quoque Thyeſte, *Et Dahæ Parthis equitem minati.* Ubi cum vulgo legatur *Dacæ*; jure miratus eſt vir magnus in ſuis ad eum locum animadverſionibus, quid Dacis cum Parthis, tanto intervallo diſſitis. Sed Codex MS, qui penes me eſt, cujus & memini in Notis noſtris, quæ Senecæ nuper Tragœdiis adjectæ, Cruſerianus, ſatis hoc nubilum evolvit atque aperit, cum doceat marginalis ejus gloſſa, manuſcripta itidem, *Dahas* ibi intelligi, *qui pugnare ex equo contra Parthos ſolebant.* Alij itaque *Dahæ*, alij *Daci*: Hi Europæ, illi Aſiæ populi. Sic Danos quoque quam multi ſunt, qui eſſe Dacos, ſed perperam, produnt, & ità quoque nominant ſcribuntque?

Oſtenſum, ut puto, ſatis, alios fuiſſe à *Gothis Getas*. Nunc obiter, ne quid omiſiſſe videamur, licet huc non pertinens, quod de *Scotis* quoque dicitur, & cujus occaſione ea diſputatio inſtituta Scaligero fuit, ſimul inſpiciamus. Vult Scaliger *Scotobrigantas* apud Senecam legendum, & ita *Scotorum* gentem iſto nomine etiam Claudij ævo notam nominatamque fuiſſe. At id quo aſtruat, quid præcipuè ponitur, niſi illa conjectura ex unâ alterâque lectione paſſim in omnibus, qui exſtant, codicibus vitiatâ? Et tamen correctione hic opus eſſe, nec locum habere *Scuta Brigantas* aut *cute Brigantas*, cum ipſe tum alij agnoſcunt. Et iterum ipſe ſub finem ejuſdem diſputationis, præter cetera, quæ ſuperius brevitatis causâ omiſimus, hæc habet; *Oſtendant nobis, qui Scotobrigantas rejiciunt, quomodo Senecæ lectionem receptam, eamque adeò ineptam, aut tueri poſſent, aut corrigendam putant.* Queritur nimirum vir ſummus reprehendi tantum conatum ſuum, nec eſſe qui melius quid adducat, quod oportebat. Ne igitur & nos hoc numero cenſeamur, adferam quod olim notatum nobis; Senecam ſcilicet in mente habuiſſe hîc verba Cæſaris de Britannis quæ extant in commentariis ejus, de bello Gallico lib. 6, iſta inquam: *Et verò omnes ſe vitro inficiunt, quod cæruleum colorem efficit.* Quæ & Mela expreſſit lib. 3 de iiſdem Britanniis ſive Brigantibus, *incertum ob colorem, an quid aliud, vitro corpora infecti.* Jam quis ambigat ſcripſiſſe ad id exemplar Senecam?

Et

Et cæruleos
Vitro Brigantas.

Esse enim *vitrum* vetusto Latio herbam *isatin*, authores classici dicent. Hodie **Wede** dicunt Belgæ, Galli **guade**/ Itali **guado**. Pingi eo corpora & colorari, sciunt, qui eo vel maximè hodie utuntur, tinctores. Exstatque de ea, Isati inquam, peculiaris commentariolus Henrici Crolachij Gotthani, excusus Tiguri apud Jacobum Gesnerum, in quo tamen nusquam *Isatim* esse *vitrum* reperies. Causa est, quod ille ubiq; mendosos Cæsaris ac Melæ secutus sit codices, qui, pro *vitro*, aut *ultro* aut *luteo* aut *glasto* prætulerint. Unus est Vitruvij de architecturâ locus, qui vocem integrè nobis reservavit cap. 14. lib. 7 ubi legas: *propter inopiam coloris Indici cretam selinusiam, aut anulariam, vitrumque, quod Græci Isatim appellant, inficientes, imitationem faciunt coloris Indici.* Cui & simile habet Oribasius, scribens, *Isatim* infectores *vitrum* appellare. Cetera, cum apud Cæsarem, qui jam ante est productus, tum Plinium, Melam aliosque, huc spectantia loca, accurratè excussit V. Cl. Fuluius Ursinus, qui Cæsareę istius ac veræ lectionis ex libris MSS productæ & index primus & caput laudari meretur. Nam & apud Plinium lib. 35 cap 6, ubi editur vulgo: *Qui adulterant Indicum, stercora columbina, aut cretam selinusiam aut annullariam ultro inficiunt*, similiter ibi pro, *ultro inficiunt*, legendum, *vitro inficiunt*. Et notandum in singulis istis locis Cæsaris, Melæ & hoc Plinij, vulgò ibi ac perperam pro *vitro*, scriptum *ultro* fuisse. Sed ipsum Ursinum, qui volet, in Notis, quas ad Cæsarem seorsim & prolixiores edidit, videto.

ALIA CUM PHILIPPO CLUVERO DE GOTTONIBUS, an ij iidem qui Gothi, dissertatio.

Alia nunc nobis cum Philippo Cluvero Dantiscano ventilanda dissertatio, qui, ut est unusquisque suæ patriæ rerumque domesticarum satagens, ita & ille *Gothos* esse non *Getas* sed *Gothones* asseverare haud veretur lib. 3 Germaniæ suæ antiquæ cap. 34: *Gothones*, inquam, quos circa Vistulæ flumen, & eum circiter tractum, ubi nunc Gedanum, Tacitus atque inde quoq; Ptolemæus, & ante omnes Pytheas Massiliensis ævo vetustissimo, quodque seculis aliquot Christum præcessit, collocasse reperitur. Sed in ipsam priusquam disputationis arenam digredior, verba Cluveri, quæ huc præcipuè spectant, ponenda existimo: Ità enim habent loco jam dicto: *Gothos sive, ut alij vocant*, GOTTHOS, eandem esse aio Germanici generis nationem, quàm vetustissimi authorum dixère GUTTONES, GUTONES, GYTHONES, GOTHONES atque GOTONES, Idque colligo, primum ex ipso vocabulo, quod priscis Germanis fuit thi GOTON: unde modo dictæ formationes Græcæ atque Latinæ. Posterioris ævi scriptoribus dicti sunt GOTHI; quemadmodum *Frisiones* etiam *Frisij*, & *Francones*, *Franci*; *Burgundiones*, *Burgundij*; *Lugiones*, *Lugij*; & id genus alia. Secundum argumentum sumo ex ipsâ historiâ Iornandis. qui quamvis ex Scandiâ (in quâ jam Ptolemæi tempore, ut infra ostendetur, fuère ejusdem ferè nominis populi *Gutæ* sive *Guti*; hodieque **thi Gudske** dicti, & regio **Gudland** & **Gulland**: unde occasio fabularum) Gothos suos antè Trojana Herculeaq; tempora falsò deducat; tamen in eo veritatem prodit, quod circa Vistulæ ostia eos quondam egisse, inque conterminos *Vlmerugos*, *Vandalosq*; bella, duce Berico, movisse tradit: quorum illos fuisse Taciti Rugios, Gothonibus circa oppidum **Hamerstein** & fontem Viperę conterminos, hos verò, VII illas nationes, quæ ultra Longobardos, inter Albim Viadrumque, ad oceanum usque, sive mare Suevicum, unum inter se conficiebant corpus, unamque quasi civitatem; suo loco ostendam. Nec falsus est in eo, quod partem tantum Gothorum trans Vistulam in Scythiam ad Mæotim paludem, Filmero duce, profectam narrat: partem verò cis Vistulam atque in ejus insulis remansisse. qui postea conterminæ sibi Burgundionum nationi, aliisq; juxta populis bellum, Falstidâ duce, intulerunt: moxq; reliquos trans Vistulam in Daciam secuti sunt. De loco etiam illo *Gothiscanzia* veram ex parte esse narrationem infra aperiam. At falsum esse puto, quod pontis collapsu partem alteram ulteriore ripâ pręclusam tradit. peritiores quippe prisci illi Germani fuère trajiciendorum fluminum, quam uti eos pontis inopia retinere potuisset,

Hactenus verba Cluveri. in quibus notandum, vetustissimos, quos innuit authores, qui *Guttones*, *Gutones*, *Gythones*, *Gothones* atq; *Guthones* nominarunt, esse inter primos Pytheam: cujus sunt verba apud Plinium disserentem de succino lib. 37. cap. 2. ista: *Pytheas credidit*

Guttonibus, Germaniæ genti, accoli æstuarium oceani, Mentonomon nomine, spatio stadiorum sex millium. ab hac diei navigatione insulam abesse Abalum, illo verè fluctibus advehi: Et ipsum quoque Plinium Lib. 4. cap. 14. *Germanorum genera* V. *Vandali, quorum pars Burgundiones, Varrini, Carini, Guttones.* Atque indè Strabonem, qui eosdem *Gutones*, & Tacitum, qui *Gothones* in Germania suâ appellat, addens, *regnari eos paulo addictius, quam ceteræ Germanorum gentes*: & ultimò Ptolemæum, qui *Gythones* vocat, locatque circa Vistulam.

His positis, argumentum Cluverus colligit ex nominum *Guttonum* & Gothorum vicinitate, Gothos scilicet haud alios esse, quam *Guttones*. Cui respondemus, præter hîc morem suum ac consuetudinem in Ortelio aliisque severissimè reprehensam, facere Cluverum, dum ex nominis vocabulique vicinitate ac levi allusione argumentum conatur deducere. At inquit, haud aliam faciendam distinctionem inter *Gothos* & *Gothones*, quam inter *Frisios* & *Frisones*; inter *Burgundos* & *Burgundiones*, *Francones* & *Francos*. Hoc, Cluvere, si esset, docendum foret probatorum authorum exemplis, quemadmodum *Burgundi* & *Burgundiones*; *Frisij* & *Frisiones*; ita quoque *Gothos* & *Gothones* indifferenter ab illis prolatos. Hîc altum silet Cluverus. Nam sanè si ideò miscendi cum *Gothonibus Gothi* aut iidem habendi, quia nomine haud multum discrepant, cur non & *Gotbini*, quos terga Marcomannorum, Quadorumque claudere Tacitus in Germaniâ ait, *Gothi* quoque censeantur? Deinde loco secundo ex Jornande hoc ipsum ostendere nititur, quod *Gothi* scilicet è patriis sedibus egressi circa Vistulæ ostia, ut refert Jornandes, egerint. At in eo argumenti vim nullam reperio. Quid enim ad rem, si ibi consedisse idem referat, cum tamen aliunde profectos devenisse eò asseri velit? Et deindè de flumine, quod additur, quomodo id superarint, aut superare prohibiti sint, quid ad propositum nostrum ista?

Utroq; igitur argumento, quo niti quam maximè Cluverus videbatur, hunc in modum rejecto; nunc in contrarium adferamus, quibus omninò diversam esse utramq; nationem manifesto liquebit. Et primò quidem, cum plurium scriptura, & maximè, qui *Guttones* omnium princeps nominavit, Pytheę, *Gutthones* habeat, verisimile est populum intellectum, qui in illâ Germanici littoris orâ ad *Guttalum* colens, quasi *Gutthones* dictus fuerit. *Guttalum* enim ibi fluxisse docet Plinius cap. 14 superius citato lib. 4: *Amnes clari in oceanum defeuntur Guttalus, Vistalus, Albis, Vizurgis* &c. ibi *Guttalem* nonnulli ipsum *Vistulum*, aut saltem in contermino flumen fuisse omnes agnoscunt. Ut ità Guttones à Guttalo nominati, quemadmodum eodem in confinio Varni à Varno flumine, à Gudio quoq; amne Gutlandię, Gutę ibidem, ut ante est memoratum. Nec magnam fuisse gentem Gothones aut ceteris comparari Germanis potuisse indicio sit Tacitus, qui eos addictius, quam cetere Germanorum gentes, regnatos dicit ut ante verbis ejus posuimus. Neque voluisse aliud Plinius videtur iis, quę modo allata sunt, ubi Vandalis eos subjicit. Ut ità nihil hæc ad *Gothos* aut *Gutas*, qui suæ gentis suæque spontis populus, & quorum hodieque in Daniæ insulis peninsulisque vestigia nominis manifestissima. Quique tantum abest ut Vandalis subjecti fuerint, ut eis perpetuò superiores exstiterint, memorantibus in rebus eorum Iornande & Procopio. Et ut veniamus ad manifestiora, quis *Guttones* Pytheæ, Tacitique *Gothones*, aut Ptolomæi denique *Gythones*, eosdem cum illis dicat, qui seculi deindè posterioris authoribus *Gothi* ac *Gotthi* appellati, qui meminerit ipsum Ptolomæum, unâ eâdemque illâ tabulâ, quâ *Gythones* circa Vistulam in continente Germaniæ collocat, eâdem inquam tabulâ *Gutas* referre in insula seu peninsula Scandiâ? *Gutas* dico, quos esse *Gothos* etiam superius ostendimus vel ex gentis Danicæ loquendi consuetudine, quæ hodieque *Gotlandiam* & *Gothos* exteris dictos, suo idiomate *Gudland, Gulland* & **Gudske** perpetuò dicit, quomodo & ipsi quoque Daniæ reges, *Gotthorum* se non *Gutarum* reges profitentur. Ut ità quàm proximè gentis dialectum expresserit Ptolemæus *Gutas* Scandiæ, non *Gothos* dicendo. *Gutæ* igitur, sive *Gothi*, cum in Scandia Ptolemæo collocentur, quomodo eidem circa Vistulam *Gythones* fuerint? aut quomodo hi, qui Pytheæ, Tacito Ptolemæoq; *Guttones*, *Gothones* Gythonesq; in Germaniæ continente dicti, postea *Gothi* an *Gotthi* nominati, hodieque nominentur? Aut denique si *Gythones* fuerint *Gothi*, cur non & *Gythonum* nomen vel tenui fama aliquem apud authorem superstes hæserit, eoque Gothi censi fuerint?

Sed occurrere Cluverus haud negligit, & quod verbis superius citatis obscurius, id capite deinde 41 ejusdem tertij libri antiq. Germ. apertius exprimit, disertè negando *Gutas*, Ptolemęo in Scandiâ insulâ locatos, ad gentem ullatenus Gothorum pertinere. Ita enim ibi:

,, Supra Scandios tandem & Hilleviones incoluêre Gutæ sive Guti: quorum regio etiam
,, nunc vocatur vulgo *Gudland, Gulland* & gens ipsa **the Gudske**. Hoc puto nomen occasionē

Ablavio,

Ablavio, Dexippo ac Jornandi præbuisse, uti Gothorum suorum originem jam indè ante Herculea Trojanique belli tempora è Scandia insulâ deducerent.

Quo loci quod ait, regionem *Gutorum* etiam nunc vocari vuglo *Gudland*, *Gulland*, id non tam verum est de Scandia, quam *Gutiâ* sive *Jutlandia*, tum & insulâ *Godlandia*: Nam ut dixi, quæ alij *Gothos* & *Gothiam*, ea Danica dialectus *Gutos* & *Gutiam* vocat. Undè & illud apparet, si vocum vicinitate certandum, multò propius ad *Gothos* accedere *Gutas*, quos in Scandia agnoscit Ptolemæus, vel ut vocem eam exscripsit Procopius, *Gutos*, quam *Guttones*, *Gothones* aut *Gythones*: ut omittam omnis ævi omniumque propemodum populorum consensum. Quos enim indigenę *Gutos*, eos quicunq; Latinè aut Germanicè scribunt loquunturque, *Gothos* appellant. Quod autem Ablavium, Dexippumq; & hos secutum Iornandem fabularum & vanitatis arguat, dum antè Herculea Trojanique belli tempora è Scandiâ insulâ Gothorum originem deducunt, ut de tempore aut certâ egressionis ærâ nihil dicam, quis interim de loco, cum Scanziam disertè nominent, fidem illis deroget? scriptoribus inquam illorum fere temporum. In quibus Dexippus, Græcus author, à Stephano de Urbibus sæpenumero laudatus edidisse duodecim Chronicorum libros memoratur. Et meminit quoque ejus Eunapius. qui temporum historiam, præter cetera, contextam ab eo loquitur, & floruisse Galieni, Claudij atque Aureliani seculo, id est, annum circiter Christi 267, cum recens adhuc & primo auditum jam esset Græcis Romanisque Gothorum nomen. Sed addit deindè eodem illo capite 41 Cluverus, quę haud omittenda sunt, ista scilicet:

In Scanziâ etiam præter falsos Herulos atq; Rugos enumerat Jornandes *Vagoth*, *Gautigoth*, *Ostrogothas*: quorum hi nulli alij fuêre, quam qui in Daciâ deniq; hoc vocabulo à Wesegothis discernebantur; Hodie quoq; regionem Gudland/ Latinè *Gothiam* appellant à *Gothis* potius, quam à *Gutis*, à quibus rectè diceretur *Gutia*. Sed Gutæ disertè Ptolemæo scribuntur Γοῦται, apud Procopium verò Γαυτοὶ lib. rerum Gothicarum 2: *Thulitæ hoc modo vitam degunt, quorum gens una numerosissima sunt Guti, apud quos tunc Eruli advenæ habitabant*, Nempè Scandiam ille appellavit Thulen. dein Gôthos, quibus contermini fuerunt ad Vistulæ ostia Heruli, vocavit Gutos, qui Scandiæ etiamnum sunt incolæ.

Hactenus iterum Cluverus. Ubi manifestò non Gothos modò, sed quidquid Gothici fuit nominis, haud alibi aut alios fuisse vult, quam circa Vistulam primò, atque indè in Daciâ Ostrogothorum ac Vestrogothorum vocabulis distinctos: idque hoc solum non argumento, sed conjecturâ, quod nimirum Gothos haud alios existimarit, quam *Guthones* seu *Gythones*, de quibus dictum, ad Vistulam positos. At aliud jam olim, nec multò post Caroli Magni ævum, censuit, quod cogitasse Cluverum oportuit, Adamus Bremensis, de quo inferius prolixius dicetur; Hic enim disertè in Scandia Gothos agnoscit, distinguens etiam eos in *orientales* & *occiduos*, id est, *Ostrogothos* & *Westrogothos*; idque ex ore, ut memorat, Danorum regis Suenonis Esthritij. ille namq; regnum maximus licet *Gutos* & *Gutiam* Guder & Gulland suo idiomate protulerit, Adamus nihilominus *Gothos* & *Gotiam*, idque rectissimè expressit. Nec aliter in aliis quoq; & similibus vocibus Dani. Nam, quod Germanis God est, id Danis totidem literis, sed dialecto aliâ, Gud est, idem utrisque significans, *Deum* nimirum. Similiter & Gutland & Gulland/ quod Dani iidem dicunt, exterus aut Theuto Godland dicet. Sed de hoc aliàs fortassè & alibi, ubi de linguâ gentis volente numine. Itaque quod addit jam Cluverus, à *Gutis*, *non Gothos* aut *Godlandiam*, sed *Gutos* & *Gutiam* deduci debere, facile ex dictis liquet quàm ille cœlo toto deviet, ignarus scil. aliter hæc gentis, aliter Latinè & exterorum dialecto efferri, & illos ratione sui idiomatis Gudland & Gulland/hos verò Godland & *Godlandiam* dicere. De Herulis deinde quod subjicit, merus est fucus merumque commentum Cluveri. Non enim authores uspiam, dico Plinium Strabonem, Tacitum & ejus classis alios, *Herulos* conterminos *Gythonibus* aut, ut ipse vocandos esse vult, *Gothis* ad Vistulæ ostia ponunt. quod si mihi non creditur credatur ipsi Cluvero de Herulis agenti lib. 3 cap. 35. ubi, ut hoc obtineat, obtorto collo Lemovios transmutare in Herulos adnititur, idq; paginâ præsertim 114 libro & cap. jam dicto. Quamvis verum interea est in Scanzia memorare *Herulos* Iornandem, ut & *Rannos* sive *Rugios* eadem positurâ: Eadem inquam positurâ, quasi ad cœlum & situm eundem pertinentes populos, licet sedibus distinctos. Ita enim postquam de *Vinovilothis* & præsertim *Cogenis* dixisset, adjicit: *Dani ex eorum stirpe progressi Herulos propriis sedibus expulerunt, qui inter omnes Scanziæ nationes nomen sibi ob nimiam proceritatem affectant præcipuum. sunt quanquam & illorum positurâ Granij, Aganzæ, Unixiæ, Etlelrugij, Arochi, Ranni*: Undè liquet

præcipue

præcipue etiam in Scanziâ *Danos* (Ptolemæus, ut ante meminimus, *Dancionas* dixit:) locum tenuisse: *Herulorum* verò qui fuerint, iisdem & Gutis, testante Procopio, ut advenas adhabitasse. Et præter hæc omnia, si historiam gentis Gothorum, cujusmodi ea præcipuè à Procopio est commemorata, propius inspiciamus, non è *Getis*, de quibus modò dictum; aut à Gythonibus ad Vistulam positis, ut hîc Cluverus, sed è Scandiâ primæ eorum sedes origoque repetenda. Procopius etenim, postquam retulisset, inter cetera, de novo creando rege ac militum supplemento faciendo inter Herulos Gothosque deliberatum, addit continuò missos ab illis legatos obtinendorum eorum gratiâ non ad *Getas*, aut littus Baltici aut Germanici maris *Guthones*, sed mare illud transmissum & Thulen petitam: Thulen inquam, quam ità appellasse eundem loco Scandiæ, sicuti antea obiter innuimus, ita & statim ostendetur luculentius. Adeò ut nobilissima hæc fortissimaq; gentium, Gothorum natio, cum exinde Germaniam, Galliam, Hispaniam Italiamque sibi dicto audientem fecerit, haud immerito sit dicere solitus Imperator *Carolus Quintus*, testante Levino Lemnio, universam totius Europæ nobilitatem è Scandiâ & Gothiæ tractibus fuisse proseminatam.

Nobilitas Europaea ex Gothis.

Quibus ex omnibus colligendum & veluti coronidis vice semel ponendum, Gothos, Ptolemæi adhuc ævo, haud alibi quam intra Scandiam constitisse, cum eos nec in Daciâ aut inter Getas Germanosque vel ipse aut ante ipsum quispiam agnoscat: At verò statim exindè, id est, post tempora Antonini philosophi, sub quo Ptolemæus anno circiter Christi 150 claruit, cum flueret ejusdem æræ annus 190, è patriis, ut videtur, sedibus profectos, inter Getas & Dacos, Danubio objectos, fuisse primitus notos & nominatos; idque ex eo liquere, quod Antoninus Caracalla, qui Antoninum philosophum circa id tempus in imperio est subsecutus, cum fratrem Getam occidisset, memoratur *Helvius Pertinax joco dixisse, non tantum Germanici, Arabici & Parthici nomen ejus titulis adscribi debere, sed etiam Getici Maximi, quia Getam fratrem sustulisset, & Gothi Getæ dicerentur*, ut addit Spartianus, ex vulgi nimirum opinione, quam *Getici* & *Gothici* nominum vicinitas fecerat, de quo jam ante retulimus,

DE THULE PROCOPIANA, & QUOMODO EA SCANDINAVIA CAPIENDA.

SEquitur ergo Iornandem Procopius, qui, ut supra meminimus, Scandiam & Scandinaviam nuspiam nominavit, sed ejus loco intellexisse ac nominasse Thulen constat. Nam libro Gothicorum secundo postquam retulisset, deliberasse Gothos Herulosque de novis comparandis domi copiis deque novo rege in locum defuncti surrogando secumq; statuisse in insulam Thulen mittendos legatos, ait eos, Istro transmisso, multum exinde terrarum peragrasse priusquam ad Varnos pervenerint. atque indè, percursis *Danorum nationibus*, oceanum postremò transmisisse. Quibus relatis, continuo subjungit verba, quibus insulam Thulen, ut dixi, pro Scandiâ nominando, prolixè describit in modum ut sequitur:

,, Est autem Thulę hæc insula longè maxima quippè quę decuplo major sit quàm Britan-
,, nia, à quâ longius abest, ut in boream sita. Hac ipsâ in insulâ deserta pleraq; sunt & ingen-
,, tibus vacua spatiis loca. Quæ verò frequentiora ædificiis & hominum cultu, nationes
,, tredecim numero incolunt, affluentissima quadam mortalium multitudine, regesque sin-
,, gulis nationibus præsunt. Et apud has universas mirandum quid fieri contingit. Siqui-
,, dem circa solstitiale sidus ad quadraginta dies haudquaquam Sol occidit, sed per omne id
,, tempus supra terram existit ac visitur. Dein non minore quam mensium sex intervallo
,, circa brumam eadem in insulâ per dies sol quadraginta nuspiam comparet, sed perpetua
,, huic nox incumbit. Undè & per id temporis mæror incessit, qui ea in regione sunt ho-
,, mines, quandoquidem nullo pacto conversari inter se hi mutuo queant. Mihi verò hanc
,, insulam adeundi, etsi nimium prętoptanti oblata nunquam occasio est, ut miranda ista con-
,, spicerem. Ab his tamen quærendo & sciscitando, qui inde se ad nos contulerunt, num ea
,, in insula statis temporibus sic oriretur sol, & occideret, certiorem esse ejus rei comperi
,, famam, ex eorum præsertim relatu, qui solem eâ in insulâ identidem affirmarent, per dies
,, hos quadraginta nec occidere quidem: sed ejus regionis hominibus lumen aliàs in orien-
,, tem comparere, aliàs ad occidentem. Cum verò sol in horizontem reversus eundem sese
,, in locum recipit, undè prius cum orientem conspexerunt, hunc in modum noctem unam

hos

hos computare jam transisse; rursumq;, quum noctium tempus advenerit, lunę (quia semper compareat) cursibus dierum spatia hos numerare. Denique dierum quinque & triginta magnę hujus&perpetuę noctis transacto jam tempore, in montium cacumina ex eorum consuetudine nonnullos emittere speculatum, ut sicunde forte & ex aliquâ speculâ solem prospexerint, hominibus statim inferiora tenentibus loca renuncient, jam quintum diem solem sibi illuxisse. Tunc universos, ut faustâ sibi re nunciatâ, panegyricis laudibus celebrare, & hæc ipsa in tenebris agere. Et Thulitis hoc quidem hominibus præcipuum est solenne cæterorumque maximum. Mihi verò formidine detineri insulæ hujus habitatores videntur, tametsi id eis in singulos annos contingat ne se prorsus sol ipse destituat.

Ex his verò qui Thulen hanc insulam incolunt, barbarorum natio quædam ac sola, qui Scritifinni vocantur, belluarum in morem vitam ducunt, ut qui nec vestibus operiantur, nec calceati incedant, nec vino utantur in potum nec ullum habeant è terrâ edulium, quandoquidem nec eam excolunt, nec fœminæ quicquam his operentur, sed cum uxoribus viri venationibus student, bestiarum namque & animantium ceterarum vim maximam his exhibent silvæ, quæ vastæ in eâ regione procul dubio sunt, & editissimi montes, undè ferarum carnibus divescuntur assiduo, quas venando comprehendunt; & eorum tergoribus vestiuntur, quum apud hos lini lanæque nullus sit usus, nec consuendo ars ulla vel instrumentum, sed belluinis hi nervis invicem colligantes, totum integunt corpus. Ad hæc accidit quod nec infantes apud hos ipsi, ut apud exteros homines, nutriuntur, quum Scritifinnorum pueri haud quaquam lacte cibentur, nec maternas mammas attingant, sed ferarum duntaxat medullis. Siquidem ubi primum fœmina parit, infantem pelle mox involutum suspendit ad arborem, ferinisque medullis eis in ore ingestis, ad consuetam inde cum viro venationem sine morâ proficiscitur: nam ut cetera utrisque communia sunt, ita & studium venationis. Atqui barbarorum id genus vitam sic transigit. Aliis verò in rebus Thulitæ omnes non magnum in modum à ceteris mortalibus differunt, deos siquidem ac dæmones plurimos colunt, cælestes partim, partim aereos, & qui terræ ac mari præsident, & ejusmodi alios, qui in aquis ac fontibus fluviisque versari traduntur, hisque frequentissimè immolant cujusvis generis hostias. Sed victimarum apud hos potissima vir aliquis est, quem omnium primum in prælio ceperint, hunc nimirum Marti sacrificant, ut quem Deorum maximum ducant. Sed ea est apud hos immolandi consuetudo, ut non solum hostiam mactent, sed in arborem vivam hanc prius suspendant, indeque inter senticeta & vepres projectum sic variis ac miseris modis excruciando conficiant; id vitæ genus Thulitæ ducunt.

Quibus ex verbis Procopij liquere potest, cum *Thulen* suam decuplo majorem faciat Britanniâ, omnino de Scandinaviâ non verò de Thule, quam Islandiam hodie dicimus, hæc accipienda. Et verò rectè Thulen appellari Scandinaviam Johannes Gothus asserit, quod è Britanniâ in Scandiam borealem navigantibus statim primo littore occurrat terra *Thulemarchia*, quasi Thulensium patria dicta, vulgo est *Tellemarch*, quæ haud exigua est Norvagiani regni portio, Trundemo ipsisque Bergis australior. Sed ut ante monstratum, teste Procopio, non è Britanniâ, sed per Germaniam atque inde per Daniæ peninsulam insulasque in Scandiam, transmisso mari, devenêre Herulorum hi legati, ut itâ non statim *Thylemarchia*, sed Scandia sic propriè dicta, aut pars aliqua anterior Norwegiæ illis occurrerit: nisi dicere libeat Thylemarchię oram peculiariter ab illis petitam, atque eâ occasione universam, qua patet, Scandinaviam vocabulo *Thules* insignisse. Nam aliàs, ut ante ex Plinio commonuimus, tantum abest ut Thule veteribus intellecta Norvagia sit aut Scandia, ut è Norvagiâ navigatum in Thulen demonstrarint. Disertè enim lib. 4. cap. 16. Plinius: *Maxima omnium Nerigon, ex qua in Thulen navigâtur.* Sed ponamus, quod sibi concedi Gothus vult, *Thilemarchiam* intellectam Procopio, quomodo jam respondebunt sequentia, quibus indicat universis hanc Thulen incolentibus circa solstitium æstivale Solem non occidere. At ne hoc quidem Trunhemiensibus ac multo minus Bergensibus accidit, qui Thulemarchicis, ut dictum, sunt borealiores. Et cum addit deinceps, quadraginta diebus circa brumam iisdem solem occultari, nonne & idem de extremis potius & ultra Trundemum habitantibus Norvagiam aut Scandinaviam accipiendum, quam de Thilemarchis? quibus etiam circa brumam sol conspicitur, utpotè collocatis intra poli borealis graduum 63 elevationem, quæ etiam tum supra horizontem solem attollit. Adeo ut verbis Procopij si strictè insistendum, nihil ad reliquam & anterio-

anteriorem Scandinaviam, cujus Daniæ Suediæque regna pars haud ultima sunt, ista pertineant: Cum ibi non minus æstate quam hieme per vices diei & noctis Sol oriatur & occidat, utpote Elevatione polari gradum quinquagesimum sextum aut septimum vix usspiam excedente. Sed videtur considerasse hæc ista Procopius ut quædam naturæ aut supra naturam admiranda, cum ordine, tum & certâ sphæricâ cæli solique ratione, rato se modo habeant. Nec arbitrandum interea extremos peninsulæ hujus Scandinaviæ populos, ipse perpetuo Thulen & insulam vocat, intelligi solummodo voluisse, cum tredecim habitari eam nationibus, & totidem in se regna continere profiteatur; Atque ultimò etiam *Scritifinnos* nominet, eosque seorsim depingat.

Et de ipsis illis *Scritifinnis*, ut obiter, quod ait, inspiciamus, quomodo cohæreant, quæ adferuntur? Nam primo quod inter cetera dicitur, vestibus eos haud operiri, nec calceatos incedere, nec vino uti, nec ullum habere è terrâ edulium, ut de vino, terrestribusq; eduliis nihil dicam, quomodo de vestibus in illo cæli rigore concedi poterit, cum addat præsertim ipse, *ferarum tergoribus vestiri ac totum integere corpus*? Nisi emolliamus dicamusque intelligere eum, vestibus aptè concinnatis èque lino aut lanâ confectis non uti eos, quod adjiciat nimirum, lini ac lanæ apud eos usum esse nullum. Ut eâdem simul occasione redarguamus, qui, perperam intellectis authoribus classicis & loco præsertim quodam apud Cæsarem, Germanos illos veteres ita egisse magnâ parte nudos volunt, ut nec ipsa pudenda texerint, cum Tacitus, qui Cæsarem aliquot post annis est secutus, de moribus Germanorum agens, nihil ejusmodi tradat, sed viris fæminisq; tegumenta non tantum & pelles, verum & saga attribuat, quibus veluti *vestitu superiori*, ità enim loquitur, se operuerint, addens etiam fæminas sæpenumero lineis amictibus, quas & purpurâ variarunt, velatas: ac denique locupletes à minus locupletibus distingui veste potuisse. ut ità Procopius de Scritofinnis, gentium borealissimis, *totum eos integerè corpus* verè tradiderit cum & Mela Sarmatas, qui Scritofinnis multò sunt australiores, ob sæva hiemis *totum braccatos corpus* dicat, *&, nisi quà vident, ora vestitos.* Sed objiciunt eundem Melam, atque inde Senecam, quorum ille lib. 3 cap. 3 de Germaniâ & Germanis loquens, *maximo eos frigore nudos agere*, referat; Hic verò lib. 1 de irâ cap. XI dicat, *Germanis nihil ad omnem patientiam induratius, utpote quibus magnâ ex parte non tegumenta corporum provisa sunt.* Sed respondendum, non simpliciter Melam dicere, *maximo frigore nudos agere*, sed addere, *antequam puberes*, id est, dum adhuc intra pueritiam consistunt, ita agere ac minus delicatè haberi. Adeò ut palam sit, verbis istis authorem utrumq;, Melam dico Senecamque, respicere precipuè atque exprimere voluisse Cæsarem, qui vitam Germanorum in venationibus potissimum ac studiis rei militaris constitisse ostendit, & à *parvulis*, sunt ejus uerba, *duritiei ac labori studuisse*, sagis aut indumentis, quæ virorum & adultiorum erant, haud coopertos. Ut scilicet ab ipsâ infantiâ nullis hoc pacto delitiis fracti, nec molliter habiti, sufferre jam viri facilius cuncta possent. Nam Mela quos *nudos* dixit, Tacitus, *rejectâ superiore veste*, sago nimirum, *intectos* dicit, focum juxta atque ignem, hiberno præsertim cælo, egisse. Et ut semel hinc ἄτοπα omnia, quæ fingunt sibi nonnulli, amoliamur, totum Taciti locum, qui de Germanorum vestitu, ut elegantissimus, ita ad eorum, quæ ab aliis jam ante, aut strictè nimis aut minus clarè, sunt prodita, uberiorem explicationem ac lucem propriè conscriptus est, ordine subjiciam. Ità enim habet libro de Germaniâ: *Tegumen omnibus sagum; fibula, aut si desit spinâ consertum. Cetera intecti, totos dies juxta focum aut ignem agunt. Locupletissimi veste distinguuntur, non fluitante, sicut Sarmatæ aut Parthi, sed strictâ & singulos artus exprimente. Gerunt & ferarum pelles, proximi ripæ negligenter, ulteriores exquisitius, ut quibus nullus per commercia cultus. Eligunt feras & detracta velamina spargunt maculis pellibusque belluarum, quas exterior oceanus atque ignotum mare gignit. Nec alius fæminis quam viris habitus, nisi quod fæminæ sæpius lineis amictibus velantur, eosq; purpura variant, partem* VESTITUS SUPERIORIS *in manicas non extendunt, nudæ brachia ac lacertos. Sed & proxima pars pectoris patet. quanquam severa illic matrimonia.*

Explicati pressius ex Procopio Cæsar aliiq; de Germanorum nuditate.

Hactenus Tacitus. Qui sanè haudquaquam cum Cæsare & Melâ aliisque antecedentibus, sed illi cum ipso, utpote qui ipsis posterior, quique autopa Galliæ Belgicæ procurator fuit, contendendus. Aliter si fiat, ὕστερον πρότερον fiet, nec sua, quæ debetur, lux rebus accedet. Nam *intectos*, quod Tacitum dixi habere, non ut Mela, *nudos*, facilè jam ex orationis totius acoluthiâ perspicere est, de *veste* præsertim accipiendum id *superiore*, quam rejectam neglexisse eos domi & intra penates vult innuere ac solo usos *vestitu inferiore*. Aliàs enim de nuditate in universum si intelligendum esset, quomodo convenirent, quæ sequuntur

Mela quoq; & Tacitus de Germanorum vestitu aut nuditate propius expositi.

quuntur de veste virorum strictâ non fluitante? Deque pellibus, quibus vestiti, ferarum, non terrestrium modò, sed & belluarum, quas producit oceanus; Et deniq; de habitu haud absimili fœminarum, & quod eæ etiam lineis se indumentis amicierint, eaque purpurâ variarint, cum aliquo tamen in vestitu superiore discrimine, cum brachiis præsertim & lacertis & aliquâ etiam pectoris parte nudæ, ut inquit, egerint? Sed de his fortasse luculentius alibi.

Nunc ad Procopium oratio ut redeat, id solum in eo mirari subeat, cum antecedentes eum authores, tot Græci Latinique, nuspiam, *Thulen* pro *Scandinaviâ* extulerint, solum eum eo vocabulo usum; vocabulo quidem authoribus classicis noto, & oram aliquam insulamve, boream versus, extremam indicante, sed nuspiam, quod sciri possit, pro *Scandinaviâ* & *Scandiâ* veterum cuiquam propriè indicato; Interim si quando accommodare Scandiæ atque eâ nomenclaturâ celeberrimam illam oram efferre libeat, ambiguitatis vitandæ gratia, *Thulen Procopianam* dicemus.

SCANIA ADAMI BREMENSIS EXPLICATA.

PRocopio, cujus ævum ad imperium usque Justiniani & ultra deducitur, proxime subjiciendus est Adamus Bremensis, qui, seculis aliquot post, de Scaniâ verba faciens ità infit:

„ Sconia est pulcherrima visu Daniæ provincia, undè & dicitur, armata viris, opulenta frugibus divesque mercibus, & nunc plena ecclesiis. Sconia bis tantum habet in spacio, ac Selandia, hoc est trecentas ecclesias, cum Selandia dicatur habere dimidium; Finnis tertiam partem. Sconia est ultima ferè pars Daniæ, undique cincta mari, præter unum terræ brachium, quod ab oriente continens Suediam disterminat à Dania, ubi sunt profundi saltus, montesque asperrimi, per quos à Scania in Gothiam necessario iter agitur, ut dubites utrum sit levius marino discrimine terrestre periculum vitare, an istud illi proponere. „

Hucusque Adamus, indicans initio statim, quemadmodum & nos jam ante, ubi de Scaniæ variis appellationibus commonuimus, à pulchritudine & amænitate sic appellatam regionem. Quod & magis apparebit, si omissâ vocis crasi & contractione, *Scandinaviam* cum authoribus Latinis Plinio Solinoque, de quibus est memoratum, efferamus. Ità enim vernacula, quibus hoc nomen constat, vocabula Schon & aud/ quorum hoc *latifundium*, illud *amænum* seu *pulchrum* notat, eluceant manifestius. Atque indè cum *armatam viris*, *frugibus opulentam* ac *mercibus ditem* referat, notandum non absimilia eum prioribus illis vetustissimis referre, qui *alterum orbem terrarum gentiumque officinam* ac *vaginam nationum* dixerunt, ut & Procopio, qui *affluentissimam* agnoscit *mortalium multitudinem* in parte regionis cultiore: Explodique omnino Solinum, qui ab his seorsim abjens, *nihil in eâ, præter ipsam, magnum*, sed perperam retulit, ut est jam modò, sed obiter indicatum. Et addens deindè Adamus, *ecclesiis plenam*, quarum trecentas suo ævo exstitisse memorat, ille exindè, crescente indies Christianâ pietate, quàm accreverit numerus, patebit inferius. Ac mox, institutâ cum Selandiâ & Fioniâ, vicinis insulis, cómparatione, quod ad magnitudinem, eam ex ædium sacrarum numero demonstrare nititur, quod Selandia vix dimidium obtineat ecclesiarum, quas habet Scania, & earum vicissim vix partem tertiam haberi intra Fioniam. Ut simul cognosci hinc possit, loqui hîc tantum Adamum de Scaniâ strictè acceptâ, non verò universâ, cujusmodi authoribus sub nomine Scandinaviæ latissimè est commemorata. Undè & idem Adamus, ut ostendat Scaniam se hic accipere, quatenus regni tantum Daniæ una cum Blekingiâ & Hallandiâ lacinia ac pars est, postquam de Balthico mari ejusq; insulis, quamquam & Scaniam quoque, sed erroneè, insulæ vocabulo afficiat, dixisset, resumtâ oratione, de Suevorum & Norvagiâ regnis verba facit. Quæ etiam subjicere hoc loco pretium operæ existimo, non modò quia pleraque habent cum Danis communia, sed etiam quia superius de Scandinaviâ in universum & quâ latissimè patet ex authoribus retulimus; ut nimirum hoc quoq; pacto, ex singulorum ac mediæ ætatis cum primâ contentione, accedere lux rebus ac genti major possit.

EIUSDEM ADAMI BREMENSIS SUEONIA QUA-
tenus Scandinaviæ pars est, inspecta propius explicataque.

DE *Suevonia* igitur ità idem ille: Transeuntibus insulas Danorum, alter mundus aperitur in Sueoniam & Nordmanniam, quæ sunt duo latissima Aquilonis regna, & nostro orbi adhuc ferè incognita. De quibus narravit mihi sanctissimus Danorum Rex, quod Nordmannia vix queat transiri per mensem, cum Sueonia duobus mensibus non facile percurratur. Quod ipse inquit probaveram, quia nuper sub Jacobo rege annis XII in illis regionibus militavi, quæ altissimis ambæ montibus includuntur, magis autem Nordmannia, quæ suis Alpibus circumdat Sueoniam.

De Sueonià verò non tacent antiqui auctores, Solinus scilicet & Orosius, qui plurimam partem Germaniȩ Suevos dicunt continere, nec non montana ejus usque ad Ripheos môntes extendi. Ibi etiam est Albis fluvius, de quo Lucanus meminisse videtur. qui oritur in prædictis Alpibus, per medios Gothorum populos currit in oceanum, inde & Gothelba dicitur.

Gothelba fluvius Adamo.

Sueonia ergo regio est fertilissima, ager frugibus & melle opimus, extra quod pecorum fætu omnibus antefertur, oportunitas fluminum silvarumque magna ubique, peregrinis mercibus omnis regio plena. Nullis egere dicas Sueones opibus, exceptà, quam nos diligimus, sive potius adoramus, superbià. Omnia enim instrumenta vanæ gloriȩ, hoc est, aurum, argentum, sonipedes regios, pelles Castorum & Marturum quæ nos admiratione sui dementant, illi pro nihilo ducunt. In sola mulierum copula modum nesciunt. Quisque secundum facultatem virium suarum duas aut tres vel amplius simul habet; divites & principes absque numero. Nam & filios ex tali conjugio genitos habent legitimos. Capitali verò mulctatur pœna, si quis alterius uxorem cognoverit, aut vi oppresserit virginem, sive qui alterum bonis suis spoliaverit aut injuriam fecerit. Quamvis omnes Hyperborei hospitalitate sint insignes, præcipui sunt nostri Sueones, quibus est omni probro gravius hospitium negare transeuntibus, ità ut certamen habeant inter se, quis dignus sit hospitem recipere. Cui omnia exhibens humanitatis jura, quot illic commorari voluerit diebus, ad amicos suos illum certatim per singulas dirigit mansiones. Hæc illi bona in moribus habent. Prædicatores autem veritatis, si casti, prudentes & idonei sint, ingenti fovent amore, adeò ut concilio populorum communi, quod ab ipsis *Warph*, à nobis *Thing* vocatur, Episcopos interesse non renuant. Ubi de Christo & Christianâ religione crebro audiunt non inviti &c.

Populi Sueonum multi sunt, viribus & armis egregij, præterea tàm equis quàm in navibus juxta optimi bellatores. Undè etiam suâ potentià ceteras aquilonis gentes confringere videntur. Reges habent ex genere antiquos, quorum támen vis pendet in populi sententià, quem in commune laudaverint omnes, illum confirmare oportet, nisi ejus decretum potius videatur, quod aliquando sequuntur inviti. Itaque domi pares esse gaudent. In prælium euntes omnem præbent obedientiam Regi, vel ei, qui doctior ceteris à Rege præfertur; Si quando verò præliantes in angustia positi sunt, ex multitudine Deorum, quos colunt, unum in auxilium invocant &c.

Ex ipsis populis Suediȩ proximi ad nos habitant Gothi, qui *Occidentales* dicuntur, alij sunt *Orientales*. Verum *Vestergothia*, confinis est provinciæ Danorum, quæ *Sconia* dicitur. A quà ferunt diebus septem perveniri usque ad civitatem Gothorum magnam *Scarane*, Deindè *Ostrogothia* protenditur juxta mare quod Balthicum dicitur, usq; ad *Birckam*. Primus Gothorum episcopus Thurgoti &c.

Inter Nordmanniam & Sueoniam Warmelani & Finwedi degunt & alij: qui nunc omnes sunt Christiani, respiciuntque ad Scarensem ecclesiam. In confinio Sueonum vel Nordmannorum, contra boream, habitant Scritifinni, quos ajunt cursu feros præire. Civitas eorum maxima Halsingaland, & Halsingaland regio est. Ad quam primus est ab Archiepiscopo designatus Stemphi episcopus.

Igitur ut brevem Sueoniæ vel Suediæ faciamus descriptionem: Hæc ab occidente Gothos habet, & civitatem *Scaranem*, à borea Wermilanos, cum Scritifinnis, quorum caput Halsingaland, ab austro longitudinem habet Balthici maris; Ibi civitas magna *Sictona*. ab oriente autem Riphæos montes attingit, ubi diserta ingentia, ubi nives altissimæ,

ubi

ubi monstruosi hominum greges, ultra prohibent accessum. Ibi sunt Amazones, ibi Cynocephali ibi Cyclopes, qui unum in fronte habent oculum. Ibi sunt illi, quos Solinus dicit Himantopodes, uno pede salientes, & illi, qui humanis carnibus delectantur præ cibo, ideoque sicut fugiuntur, ita etiam jure taceantur.

Narravit igitur mihi Rex Danorum sæpe recolendus, gentem quandam ex montanis in plana descendere solitam, & incertum esse unde veniat, semel aliquando per annum vel post triennium, inquit, subiti accedunt. Quibus nisi totis resistatur viribus, omnem depopulantur regionem, & denuo recedunt.

Quibus in verbis, quod, inter cetera, alterum mundum aperiri dicat in regnis Norvagiæ & Sueciæ, accipiendum de amplitudine & gentium in regno utroque fœcunditate. Quod autem eadem regna suo fere orbi incognita addat, de extremis potissimum versus boream partibus intelligendum, quæ eo adhuc seculo minus innotuerant. Sanctissimum verò quem nominat Danorum regem, *Sueno Esthritius* est, qui anno circiter Christi 1059 post diversa domi forisque bella, regni Danici diadema suscepit. Eo autem quàm sit usus familiariter Adamus Bremensis; Et ipsum vicissim Adamum, omnesque eruditione aliqua imbutos viros, quàm idem ille Rex inclytus sibi charos familiaresque habuerit, docet superius suo loco historia. *Iacobus* verò quem ait, Sueciæ Rex, filius *Olavi* fuit, cujus prolixè meminit Adamus Bremensis lib. 2 cap. 45. Is *Amundi* primò nomen tulit, inde baptismatis fonte susceptus, fidei & gratiæ cognomento dictus est *Iacobus*. Solinum verò & Orosium quos ait Sueoniæ & Suevorum meminisse, Germaniæque montana adusque Riphæa juga extendere, legisse apud Solinum proprie non memini; Qui interim de monte Sevone loquens, hæc habet, *Mons Sævo ingens nec Riphæis minor collibus, initium Germaniæ facit;* quæ & supra suo loco posuimus. Nec Orosius quoque, quod sciam Sueones usquam disertè nominat, quamvis interea secutus alios & præsertim Tacitum, *potiorem Germaniæ partem tenere Suevos asseveret*, *Suevos* scilicet intelligens Germaniæ interioris cis ultraque Albim populos: Quemadmodum & Lucanus, de quo sequitur, quem similiter meminisse Sueonum vult innuere, & quasi Albim is fluvium in Sueciâ collocarit, cum Lucanus Suevos nominans versu 52 lib. 2, ubi ait:

Fundat ab extremo flavos Aquilone Suevos
Albis, & indomitum Rheni caput,

Haud quaquam eo loci *Sueones* intelligat, sed *Suevos*, qui cis ultraque Albim Germaniæ fluvium egerint, ut etiam authores alij indicant. Et satis id quoq; ex proximo, quod sequitur, Rheni vocabulo liquere potest, celebratissimum inquam Germaniæ flumen Albim Rheno vicinum, non verò ultimum aliquem extremi boreæ amnem, per Gothos in oceanum se volventem, *Gotelbam* nominatum, Lucano intellectum: Quin & authoribus in more id positum haud est, ut *Suevos* & *Sueones* promiscue accipiant, licet in Germaniâ suâ Tacitus, postquam de Sueonibus & Sitonibus prolixè dixisset, addat, *hic Sueviæ finis*: Nam id etiamsi ità se habeat, Suevorum eousque fines ab eo protensos, Sueones interea & Sitones à Suevis esse cælo & solo in totum distinctos satis innuit, cum gentes Suevorum in Germaniâ suâ dicat, *propriis* non modò *nationibus*, sed & *nominibus* esse *discretas*, quomodo à nobis, hoc ipsum demonstratum uberius alibi. Ut omittam, quod pro parte ostensum superius, videri in verbis Taciti trajectionem aliquam factam & illa ejus verba, *Hic Sueviæ finis*, non ad *Suiones* sed *Æstios* referenda, ut scil. hi in dextro Suevici maris littore positi Sueviam finierint. Atque eo sensu ità sit ordinandus ac legendus is totus Taciti locus, qui est sub calcem fere Germaniæ ejus: *Trans Suiones aliud mare, pigrum, ac prope immotum, quo cingi cludique terrarum orbem hinc fides: quod extremus cadentis jam solis fulgor in ortus edurat, adeò clarus, ut sidera hebetet, Sonum insuper emergentis audiri, formasque deorum, & radios capitis aspici persuasio adjicit. illuc usque (& fama vera) tantùm natura. Suionibus Sitonum gentes continuantur. Cetera similes, uno differunt, quod fœmina dominatur: in tantum non modò a libertate, sed etiam à servitute degenerant. Ergo dextro Suevici maris littore Æstyorum gentes alluuntur: quibus ritus habitusque Suevorum, lingua Britannicæ proprior. Matrem Deum venerantur, insigne superstitionis formas aprorum gestant. Id pro armis omniumque tutela, securum deæ cultorem etiam inter hostes præstat. Rarus ferri, frequens fustium usus. Frumenta ceterosque fructus patientius, quam pro solitâ Germanorum inertia laborant. Sed & mare scrutantur, & soli omnium succinum, quod ipsi Glesum vocant, inter vada atque in ipso littore legunt. Nec quæ Natura quæve ratio gignat, ut Barbaris, quæsitum compertumve, diu quinetiam inter ejectamenta maris jacebat, donec luxuria nostra dedit nomen.*

ipsis in nullo usu rude legitur: informe perfertur: pretiumque mirantes accipiunt. Succum tamen arborum esse intelliges; quia terrena quædam atque etiam volucria animalia plerumque interlucent, quæ implicata humore, mox durescente materiâ cluduntur: Fecundiora igitur nemora lucosque, sicut Orientis secretis, ubi thura balsamaque sudantur, ità Occidentis insulis terrisque inesse crediderim, quæ vicini solis radiis expressa atque liquentia in proximum mare labuntur, ac vi tempestatum in adversa litora exundant. Si naturam succini admoto igne tentes, in modum tædæ accenditur, alitq; flammam pinguem & olentem: mox ut in picem resinamque lentescit. Hic Sueviæ finis. Quis non videt modò, inconcinne ista de *Æstiis* misceri *Sueonibus*, & legi, ut posuimus, percommodè ac seorsim posse? cum adjectione, *hic Sueviæ finis.* Quin & ipsi hodie Sueones vernaculâ voce se haudquaquam *Suevos*, sed *Suedos* & Suensche indigetant, ità ut *Suedi* nonnullis accipiendi videantur quasi Sevveden/ quemadmodum & Norveden/ de quo in Norvagia statim dicemus. Aliam autem ac longè ab hac diversam esse Suevorum notationem ipsi Germaniæ Suevi fateantur, qui hoc suo vocabulo sonare *vagabundum* ajunt, quod Schweben Germanice *vagari* notet. Nec abit hinc veterum & præsertim Taciti de Suevis testificatio, qui latè eos per Germaniam fusos, potissimam ejus partem obtinere memorant, propriis nationibus nominibusq; discretos. Adamus deindè soli Suedici dilaudans fertilitatem ea habet, quæ satis refutent, si qui alij, quod eam rem spectat, contra prodiderint; & nominatim Jornandem superius, qui *in Scanzia apum turbam mellificam ob nimium frigus reperiri* negavit. Nam hic Adamus agrum Sueoniæ, quæ in ipsâ est Scanziâ latè sumptâ, frugibus & melle affluentem agnoscit; cujusmodi etiam ea est Scandię pars, quæ ad Danię Regnum spectans, *Schone* nuncupatur. Post hęc divitiarum ac vanæ glorię admiratores Sueones negans, postquam eorum hac parte extulisset moderationem, addit tandem, in *solâ mulierum copulâ modum nesciunt*; Quod, & quæ deinceps sequuntur, ita accipienda, ut antè assumpta Christiana sacra, apud eos connubia haud ita stricta fuerint, cum præter uxores etiam concubinas aluerint, quarum liberi cum legitimis æquales habebantur, Et maximè apud principes id obtinuisse inde liquet, quod iterum Adamus de *Canuti* Magni liberis loquens, Sueinonem & Haraldum è concubinâ genitos dicat, & eosdem æquam inter cæteros partem hæreditatis adjisse. Sed & idem ex liberis Estritij Danorum etiam regis clarum est, qui cum ex conjuge, quam duxerat, Suione, liberorum nihil tulisset, ex concubinis perplures habuit, qui & omnes propemodum ad regni successionem pervenerunt. Cumq; hinc addat continuo, *capitale esse, si quis alterius uxorem cognoverit, aut vi oppresserit virginem*, idem fere innuit, quod hodieque obtinet, deque vetustissimis quoque Germaniæ populis retulit Tacitus, *severa*, inquam *eorum fuisse matrimonia, nec ullum morum partem magis laudatam, imo & solos propè barbarorum singulis uxoribus contentos* egisse. nisi quod posterius hoc cautione circumscribens addat, *exceptis paucis admodum, qui non libidine, sed ob nobilitatem pluribus nuptiis ambiuntur.* Nam ut constat ex Cæsare, *Ariovistus* Germaniæ Rex duas simul uxores habuit, alteram natione Suevam, quam secum domo habuit; alteram Noricam, quam in Galliâ à fratre missam duxerat. Utraque in prælio inter ipsum & Cæsarem depugnato, occubuit. Ad istum igitur morem principes quoque populorum his in boreę oris sibi, quod ad leges connubij, liberalius indulsisse, gentilitate præsertim adhuc imbutos, mirum non est.

De hospitalitate deindè quod sequitur, quodque eam universo septentrioni, id est, Daniæ, Suecię, Norvagiæque communem faciat, verissimum etiam hodieque de borealissimis sit. Nec tacuit in libello de Moribus Germanorum Tacitus. Cujus ut insignis est hac de re locus, ità dignus qui adscribatur hic totus. Non quod hodie adhuc apud Germanos eum durare morem velim innuere, sed ut pateat potius quantum hic illi à priscâ consuetudine recesserint, quàmq; soli septentrionales, quos suam etiam intra Germaniam conclusit Tacitus, eum hodieque morem ac priscæ ingenuitatis simplicitatem, toti olim Germaniæ familiarem, constanter retineant. Sunt itaq; verba ejus ista: *Convictibus & hospitiis non alia gens effusius indulget. Quemcumque mortalium arcere tecto, nefas habetur. pro fortunâ quisq; apparatis epulis excipit. Cum defecerit, qui modò hospes fuerat, monstrator hospitij & comes, proximam domum non inviti adeunt. nec interest: pari humanitate accipiuntur. Notum ignotumq;, quantum ad jus hospitij, nemo discernit. Abeunti, si quid poposceris, concedere moris: & poscendi invicem eadem facilitas.* Quæ si cum verbis contendantur ac relatione eadem de re superius positâ, quam se ex ore Estritij regis excepisse, præter cetera, Adamus memorat, planè paria faciant.

Prædicatores autem quos vocat *veritatis*, verbi divini præcones intelligit: Et eos à gente passim amicissimè susceptos, modò inter alia, castè agerent, nec insessores aliarum nuptiarum

ptiarum se præberent. Undè & Frisij, quod refert de illis Æneas Silvius, sacerdotem haud facilè sine conjuge admittebant. Huc enim illa Adami spectant; *Si casti, prudentes & idonei sunt ingenti fovent amore, adeò ut concilio populorum communi, quod ab illis* WARPH, *à nobis* TING *vocatur, episcopos interesse non renuant.*

Warph verò & *Ting* voces vernaculæ sunt, *conventum* seu *comitia* indicantes. Et *Warph* quidem Sueonum formularis id notans vox fuit, *Ting* verò Danorum. Quapropter quod dicitur ibidem, *à nobis Ting vocatur*, de rege Danorum Estritio capiendum, qui ista omnia Adamo enarrans commemorat. Estque vox ista *Ting* Danis hodieque in usu, *tribunal* seu *forum judiciale* propriè significans. Et retinent indè Belgæ suum **Dingen**/ quod est, *disceptare, lites* ac *causas agere*, sicuti & **Dingsdach**/ *dies Martis* iisdem nominatur, quasi *litibus* & *caussis agendis* destinatus.

De virtute porrò Sueonum militari quod deindè memoratur, eam terrà marique insignem fuisse, idem quoque jam olim Tacitus agnovit, ubi inquit, *Sueonum hinc civitates, ipso in oceano, præter viros armaq; classibus valent.* Et id præcipuè, quod de illis hîc dicitur, in Danis obtinuisse sequentia aliquot, post ævum Taciti, secula ostenderunt, cum classibus suis, tum ferè Normanni dicti, Frisiam, Angliam & oram Galliæ maritimam propè universam suo sibi imperio subjecerunt. Quod & ipsa docet historia. Ut ità simul *Sueonum* hîc *Civitates*, quas dixit Tacitus, latè omnino capiendæ, cum loco *Scandinaviæ* ac *Scandiæ*, quas illo prior Plinius posuit, *Suecones* solos, quos vicissim reticet Plinius, videatur agnoscere. de quo & ante & alibi injecisse nos memini.

De regum, quæ deinceps adferuntur, Electione, ab iis non abeunt multum, quæ Tacitus quoq; de principum apud Germanos potestate in medium adducit. *Reges* enim ille *ex nobilitate*, *duces ex virtute* sumptos nec iisdem *infinitam aut liberam potestatem* fuisse agnoscit, & *auditos* denique AUTORITATE SUADENDI *magis quàm* JUBENDI *potestate*. *Gothiam* inde in *Vestergothiam* & *Ostergothiam* dispescit, illam *Scaniæ* confinem demonstrans, hanc ad *Balthicum* mare ortum versus porrigi; Ipsi Sueones utramque vasto lacu separari docent, qui *Veter* appellatur: Et prioris quidem *Scaram* civitatem, olim maximam, fuisse caput; quæ, ut Gothus tradit, nunc desolata nomen solum retinet. *Ostergothiæ* verò metropolim *Bircam* habitam, ab Upsalâ dierum duorum itinere dissitam.

Quibus positis, ostendit postremò *Vermelandos* & *Finwedos* inter Sueones & Norvagos agere; *Scritifinnos* verò boream spectare. Eorumque Scritifinnorum metropolim ac caput ditionis haberi *Helsingalandiam*; Balthicum verò mare ab Austro in longitudinem iisdem objici: Esseque ibi civitatem ingentem *Sictonam*. Quod opidum ipsi hodiè Sueci *Sictunam* item *Sigtune* appellant, estq; in historiâ crebra ejus mentio. *Sigtune & Sitone.* Et eò esse originem referendã eorum, qui Tacito memorantur *Sitones*, Sueonibus continui, aut saltem à *Sitonibus* repetendam *Sictunæ* originationem ego sanè verius existimem quam ad Norvagiam eos trahendos, quod alios voluisse superius injecimus. Verba Taciti de Sitonibus ità habent: *Suionibus Sitonum gentes continuantur. Cetera similes, uno differunt, quod fœmina dominatur &c.* Si Adamum etiam sequimur, nequaquam hi *Sitones*, quod isti volebant, esse Norvagi possunt, cum ex ejus sententia, ut jam est positum, à Sueonibus Norvagos dirimant Vermelandij & Finwedi; Sitones autem Sueonibus continuari Tacitus inquit.

Quæ exindè colophonis quasi loco adjicit Adamus ab aliis & priscis desumpta sunt authoribus, utpote Solino & talibus, qui ex falsâ aliorum relatione ἄτοπα & absurda ejusmodi memoriæ prodiderunt: Quæ sicuti prudens & gravis auctor Tacitus in medium se relinquere, ut incomperta, dixit sub finem suæ Germaniæ; Ità à nobis, quibus ille jam tractus terrarumq; ditiones plenius innotuerunt, in totum ut fabulosa insuper habentur.

EIUSDEM ADAMI BREMENSIS NORVAGIA, SCANdinaviæ similiter pars, proposita ac declarata.

DE Norvagiâ, quam Normanniam vocat, ita porro idem Adamus:

„ Nordmannia sicuti ultima orbis provincia est, ita convenienter in ultimo libri loco ponetur à nobis. Hæc à modernis dicitur Norwegia. De cujus situ vel magnitudine, cum prius aliqua communiter cum Sueoniâ dixerimus, nunc verò hoc specialiter dicendum est, quod longitudine suâ in extremam septentrionis plagam extenditur hæc regio, unde & dicitur. Incipit autem ex prominentibus scopulis hujus freti, quod Balthicum

» appellari solet; deinde reflexo in aquilonem dorso, postquam ferventis oceani marginem suo circuit ambitu, tandem in Riphæis montibus limitem facit, ubi & lassus deficit orbis. &c.

» Omnes verò sunt Christianissimi, qui in Nordwegiâ degunt, exceptis illis, qui trans Arctoam plagam circa oceanum remoti sunt, quos adhuc ferunt magicis artibus sive incantationibus in tantum prævalere, ut se scire fateantur, quid à singulis in toto terrarum orbe geratur &c. in asperrimis etiam, quæ ibi sunt Alpibus, audivi mulieres esse barbatas, viros autem silvicolas rarò se præbere videndos, qui ferrarum pellibus utuntur pro vestibus &c.

» Metropolis civitas Nordmannorum est Trondemis, quæ nunc decorata ecclesiis, magna populorum frequentatione celebratur. in quâ jacet corpus beatissimi Olavi regis & martyris.

Hucusque verba excerpsimus Adami, quæ ad rem spectare præcipuè putavimus. Ac primum *Nordmanniæ* vocabulò intelligere se, quæ vulgo *Norvegia* dicitur, diserte ait. Et hanc, Norvagiæ inquam, esse non vulgarem aut recentem ut ille sentit, sed vetustissimam potius ac propriam regionis appellationem etiam Plinius ostendit, qui, ut supra patuit, ubi de Scandiâ & Scandinaviâ Plinianâ diximus, *Nerigon* nominavit. Nam & hodie hæc appellatio proximè accedit ad *Norige*, quemadmodum ipsi in hunc usque diem Norvegiam suam appellant indigenæ, se verò & omnes incolas *Norbager*. quorum **bagge** esse idem ipsis, quod Latinis *incolere* seu *inhabitare*, haudquaquam Cluvero concesserim, qui sciam **bagge** Danis hodieque significare id omne quod à tergo positum remotumque est, ut ita *Norbagi* intelligantur, qui in boream situ postico semoti agunt. *Norvegia* autem, ut id quoque explicemus, quasi *Norvedia* dicta, sicuti & modò Adamus, ubi de Sueoniâ, *Finvedos* & *Finvediam* nominavit. *Norvediam* igitur vel *Norvegiam*, viam borealem, vel tractum terræ & regionem versus septentrionem denotare ferè omnes, qui de Normannis scripserunt, fatentur: Ut **weden** & **wegen** sit via seu terræ tractus. Nec aliter Suedi, **Holweden/ Eyweden/ Ritweden** dicunt, ut similiter nihil sit etiam aliud *Norveden*. Quin & Suedi, prius fortasse **Se-veden** dicti, atque inde factum *Sveden*, **Suedenrijck**/ & ut ipsi indigenæ vocant **Suerrike.** Et sanè notationis ejus haud vana sit ratio, ut scilicet Suediæ regnum tres insignes lacus, *Vennerum*, *Vetterum* & *Mellerum* habens, ex iis ut insignia, ità & nomen obtinuerit. Vetera enim & vera Suediæ regni insignia esse tres fluvios, qui hosce lacus denotent; apud plures in confesso est. Nisi malimus, de quo dicetur, à *Suine* & *Suevo* Germaniæ flumine, *Sueonibus* ex adverso in mare se *Suevicum* exonerante, *Sueones* & *Suiones*, ut eos appellat Tacitus, deducere.

Quod deinde incipere Norvegiam ex prominentibus scopulis propè fretum Balthicum dicat, egregiè Plinium illustrat, vel illustratur potius uerbis Plinij, jam ante memoratis. Plinius enim lib. 4 cap. 13 postquam recensuisset, quæ supra Sarmatiam Germaniamque in oceano glaciali sunt insulæ, ita habet: *Incipit indè clarior aperiri fama ab gente Ingevonum, quæ est prima inde Germaniæ. Sevo mons ibi immensus nec Riphæis jugis minor, immanem ad Cimbrorum usque promontorium efficit sinum, qui Codanus vocatur, refertus insulis quarum clarissima Scandinavia est, incompertæ magnitudinis &c.* Pliniumque secutus Solinus cap. XXXIII: *Mons Sevo ipse ingens, nec Riphæis minor collibus, initium Germaniæ facit. hinc Ingevones tenent, à quibus primis post Scythás, nomen Germanicum consurgit.* Adeò ut ex istis liquere haud obscure possit Sevonem montem istis intelligi, quos nominat Adamus, prominentibus scopulis è regione promontorij Cimbrorum; Et nomen porrò Ingevonum non Albim tantum ultra, sed ultra Suevicum seu Balthicum mare, universam propemodum occupasse antiquitus Scandinaviam. Scopuli autem illi, seu, ut Plinius vocat, *Sevo mons* continuo jugo, *dorsum* Adamus appellat, in aquilonem porrigitur, occurritque circa Amalchium mare, ubi & finis Sevonis est, Riphæis collibus, quos & ipsos mare idem à Sevone dispescit. *Mare hoc Morimarussam* vocatum à Cimbris Philemon prodidit, id est, *mortuum mare*, ut tradit jam sæpè memoratus Plinius. Ipsum verò, quâ longissimè patet, Sevonis jugum Suedis & Norvegis, quibus utrisque intersepimenti vice est, modò *Schars*, modò *Sula* modò *dofrafiel* appellari etiam supra memini. Saxo Grammaticus *Dofrinas alpes* nominat, quemadmodum & ante relatum.

An Norvagi Sitones Taciti?

Ipsi denique Norvagi an *Sitonum* sint gens, Tacito in Germaniâ his verbis indicata; *Suionibus Sitonum gentes continuantur*, de eo etiam injecisse nonnihil superius memini. Et ut illud hoc insuper loco dicam, videtur mons iste *Sevo*, qui Sueciam à Norvagis separat, affirma-

affirmativam sententiam satis infringere, cum ille manifesto impediat, quo minus, non quidem contiguæ, sed continuę sint eę gentes, *continuari* enim *Sueonibus Sitones* Tacitus tradit. Deindè & Plinius, qui Tacito est anterior, cum, ut ante patuit, Norvegiam agnoverit & *Norigon* dixerit, atque ibi quoque *Bergas*, hodieq; clarissimas, indicaverit, verisimile est Tacitum, illis omissis, utpotè satis à Plinio explicatis, præcipuè Suionibus, quos omnium accuratissimè est exsecutus, operam suam locasse, atq; illis non modo quam proximos, sed etiam continuos ac conterraneos fecisse *Sitones*. Et eam sanè sententiam quid magis firmare possit, quam quod hodieque apud Suiones, celeberrimum quondam opidum, *Siktuna*, cujus & modò mentionem fecimus, reperiatur? *Situna* inquam, accedens quam proximè ad *Sitonum* vocabulum? *Sitonum* dico sive Sithoniæ, quâ etiam voculâ Thraciam Græci Latiniq; scriptores dixêre, quod inde spiret aquilo, utpote boream versus posita. Unde Ovidius, *Et Sitonio aquiloni*. Virgilij quoque est illud, *Sitoniasque nives hiemis subeamus aquosæ*.

Suiones & Sitones accurate persecutus Tacitus.

Christiana sacra jam aliquot ante Adamum seculis recepta à Norvagis fuisse vel ævum regis Olavi martyris, cujus & meminit, esse indicio potest. Extremos verò versus oceanum sub ipsâ propemodum arctô, quos exceptos vult, quosque magicis incantamentis delinitos ait, ij *Lappones* sunt, de quibus cum dicere nec instituti mei nec hujus loci sit, trahunt tamen eò verba Adami. Lappones igitur (ita referunt qui id à testibus oculatis se habere memorãt) si quando quid in exteris ac remotioribus oris agatur scire cupiant, tympanum ad eum usum paratum sumunt: Hoc extrinsecus omne genus animalia habet depicta. Ei æneam imponunt ranam; atque igni admotum inconditum edentes boatum, malleo orichalchicis annullis ornato, eousq; pulsant donec exanimes decidant. Atque ita horis aliquot, vel die integro & subindè diutius pro spacij, quod conficiendum habent, ratione exanimes jacent. Evigilantes cuncta, quæ ipsi aut alij, quorum nomine erant amandati, intelligere desiderent, exactè & ad unguem referunt. Additur, si quis interea exanime corpus attigerit, non reverti in illud animam; atque ideo summopere cavere quibus id mandatum, ne quispiam, dum illud sacrum peragitur, intromittatur. Posse eos & ventos incantationibus ciere affirmatur, sed australiores non æquè facile ac boreales. Hodie, affulgente propius Christianâ pietate, vana hæc, aut potius Sathanica dementatio, non universos, sed minimam eorum portionem occupat. Gens aliàs simplex, nec à bonis moribus abhorrens. Divisi sunt in tria territoria, quorum alij Norvagiæ, alij Sueco, ceteri Moscho obsequium præstant.

Lapponum incantationes.

AN NORMANNI & NORMANNIA INTELLIGENDI cum Alberto Crantzio Norvagi præcipue & Norvagia.

His eum in modum explicatis, notandum, Norvagiam licet Adamus appellatam olim Normanniam dicat, non tamen id vocabuli ad Norvagiam & Norvagos propriè, sed lato modo trahi debere. At Crantzius in historiâ suę Norvagiæ, quidquid de Normannis memoratu dignum apud authores, & presertim Franciæ historicos occurrit, eidem de Norvagia deque Norvagię rebus Commentario suo inseruit. Et ipsum præterea Rollonem, qui Ducatus Normanniæ in Galliis primus author conditorque habetur, inter Norvagiæ principes ac duces recenset, cum Danum eum fuisse & è Daniâ egressum constet. Sunt enim diserta eâ de re verba Dudonis: & qui eum deinde exscripsit, Gulielmi Gemmeticensis, historiæ suæ Normannorum libro secundo cap. 3 & 4. ista scilicet: *Rollo verò morari non valens in Daciâ propter regem, diffidens sui Scanzam insulam cum sex navibus aggressus est. Tunc Dacia suo Duce Patricioque atq; robustissimo advocato privata, magno ejulatu concussa, cœpit nimium diu flere.* Unde & Eginhartus de Balthico mari loquens in vitâ Caroli Magni, *Danos & Sueones* inquit vulgò *Normannos vocitatos*. Et eundem locum in mentem habens aut fusius exponere volens, Adamus Bremensis, *Dani ait, & Suiones ceterique trans Daniam populi ab historicis Francorum omnes Normanni vocantur.* Sed cum utrumque locum, & præsertim Eginharti, à correctione Philippi Cluveri vindicantes, inferius, ubi de Balthico mari agimus, discutiemus nonnihil propius: Ubi & verba adducentur ejusdem Eginharti, ex quibus præcipue Danos Normannorum nomine intellectos atque intelligendos constabit, istis scilicet in vitâ eadem Caroli Magni: *Ultimum contra Normannos, qui Dani vocantur, primò piraticam exercentes, deinde majori classe littora Galliæ & Germaniæ vastantes, bellum susceptum.*

Videnda & nostra superius pag. 123 & sequentibus. Ubi ad hoc quoq; argumentum spectantia nonnulla pressius à nobis sunt disputata.

SCANIA, CUIUSMODI HODIE VISITUR.

EXplicatis, quæ ab authoribus antiquis ac medij ævi super Scandiâ fuerunt memorata, & additis quoque, quæ ad oras ei contiguas Sueciæ ac Norvagiæ propriè pertinentia omitti haud poterant, esse nunc consequens puto, ut *Scaniam* solam, cujusmodi hodie visitur, & quatenus Danici regni pars est, ob oculos proponamus. Nec operæ pretium existimo repetere nomenclaturas, quibus eam authores variè affecerunt, cum modò *Scandiam*, modo *Scaniam*, modo *Scanzam* & *Scandinaviam* ac denique *Schoningiam*, ut *Helsingiam*, *Fieringiam*, *Moringiam*, *Blekingiam*, ejusdem hujus tractus ditiones, appellarint, quod hæc superius sic satis explicata omniaque à pulchritudine deducta aut ad eam, si gentis idioma spectemus, referri debeant.

Scaniæ generalis acceptio.

Insulæ igitur Selandicæ, de quâ mox dicemus, ortum versus adjacet *Scania*, cælo & solo læta, utpote, quæ agrorum fertilitate ac terræ fumine reliquis regni partibus haud quaquam cedat: Spectans ab ortu sibi conterminam Sueciam, à boreâ verò Norwagiam. Multi, quod & ante est injectum, ob excellentiam, & quam habet à ceteris in vicino ditionibus, sive magnitudinem sive opes videamus, prærogativam, à pulchritudine & amænitate *Scobne* nuncupatam autumant. Adeo ut cæli beneficio, telluris obsequio, portuum atq; emporiorum commoditate, maritimis divitiis, lacuum ac fluminum piscatione, venatione nobilium ferarum, inexhaustis diversi generis metalli venis, oppidorum frequentiâ, civilibus institutis nullâ regionum beatarum sit inferior. Hanc perperam Crantzius, qui & aliorum, præsertim veterum, fuit error, undique aquis cinctam pronunciavit, cum, ut antè patuit, hinc Sueciæ indè Norvagiæ regno sit contigua. Quæ & ipsa Moschoviæ mox per Finnos anneċtuntur. Latius autem accepta, quemadmodum ferè à veteribus quoque Scandinavia olim, *Blekingiam* sibi & *Hallandiam* inclusam habet. Nos ditionum earum unâ quâque seorsim sumptâ, *Scaniæ* latitudinem duodecim esse miliarium circiter comperimus, longitudinem verò octodecim, positamque inter *Blekingiam* & *Hallandiam* loco medio; quarum hæc borealis, illa versus ortum australior est: regio, ut indicatum, Danici regni amœnissima, viris armata, frugibus opulenta, dives mercibus, ecclesiis plena, passimq; arcibus nobilium, curiis, prædiis & monasteriis ornata. Ubi trajectus ex eâ in Zelandiam proximam est brevissimus, arx conspicitur regia excelso in colle posita, *Helsingburgum* appellata, & opidum juxta ejusdem nominis. Indè tribus milliaribus in meridiem, alia est ad mare arx & urbs *Cronia*, vulgo **Lantscrone**/ ex qua adusq; *Malmogiam*, quæ & **Ellebogen** exteris dicitur, duo sunt miliaria. Est ea insigne emporium, & præcipua totius Scaniæ civitas, propter nundinas & frequentes negotiationes. Inter verò utramque *Malmogiam* & *Croniam* collocatur *Lundia*, sedes olim archiepiscopi. Hinc duobus ad Austrum miliaribus est *Falsterboæ* vicus, ob Halecum capturam olim celeberrimus, versus verò septentrionem *Engelholmum* olim civitas, nunc pagus. Scania frumenti omnis generis est feracissima, gens bellicosa. Nam ea, ubi bellum adversus Suecum vicinum ingruit, prima ceu limitanea ad arma vocatur, undè ferocior ceteris. Inter præfecturas, quæ *Herret* appellantur, majores Sueciæque finitimæ sunt, *Gungherret* & *Frosten*. Ex quibus Daniç præfecturis, duobus itineribus, sed admodum difficilibus in Sueciam perveniri potest. Et quidem eorundem territorium prius, quod *Gyngherrit* & *Gudenherrit* dicitur, Gutarum quam proximè refert vocabulum ex Ptolemæo jam antè memoratum, ut nimirum *Gunger*, quasi *Gutæ* fuerint.

Crantzij hallucinatio. — *Scania.* — *Falsterboa vicus*

Hallandia.

Hallandia à parte aquilonari Scaniæ est proxima, quæ Norvagiam, versus boream; ab ortu Sueciam attingit, Vestergothiæ antiquitus pars habita. Initium accipit, ubi Scaniæ est contigua, ab immenso illo promontorio, quod *Hallands-Aß* indigenæ, nautæ & exteri *Col* appellant. Indeque secundum littus adusque Elsburgum, Sueciæ arcem, extenditur. Ab ortu eam Sueciæ partem contingit, quæ Westergothia dicitur. Estque magna agrorum fertilitate prædita. Urbibus præterea, arcibus, templis, nobilium habitationibus, prædiis & pagis passim exculta. Civitates maritimæ sunt, *Halland-Aaß*, *Labolmia*, *Halmstadium*, *Falkenburgum*, *Warburgum* & sexto inde miliari *Elsburgum* Sueciæ arx. Præ ceteris *Varburgum* insigne est adversus Suecos propugnaculum; ut & *Halmstadium*, vallo & fossis, curante jam nuper Christiano ejus nominis regum quarto, singulari artificio ac cura communita.

Oppida Hallandia: Hallandsaas. Labolmia. Halmstadium Falckenburgum Warburgum.

munita. Littus innumeras ferè habet insulas & scopulos sine nomine, quorum series latè se circa Norvagiæ oras ac promontoria extendit. Frumentis & piscibus abundat, cigni, grues, anseres, anatesque silvestres, quæ magno agmine, æstatis tempore eò confluunt, ibidem circa littora aut in proximis lacubus ingenioso ac frequenti aucupio capiuntur. Cumque in eâdem hâc regione nemora ac sylvæ permultæ sint, in quibus lupi, cervi, capreoli, vulpes ac lepores abundant, hinc multum operæ venationibus passim impenditur. Quin & boum & equorum numerosa agmina in Germaniam quotannis emittit.

Blekingia ad austrum Scaniæ adhæret, non procul ab ea Sueciæ parte, in quâ civitas Calmaria cum arce est sita. Germaniam respicit & has habet partim ad mare, partim ad sinum aliquem maris positas civitates *Trelleburgum, Ustadium, Santhameram, Abusium, Selsburgum, Ellcholmiam* & *Rottenbyam*, quæ ad fines Sueciæ est sita. Accesserunt jam nuper opida bina, à rege serenis. Christiano ejus nominis IV condita, *Christianopolis* & *Christenstadium*. Incolæ, ut plurimum, cum Germanis, maximè verò cum Lubecensibus & Rostochiensibus, frequentes negotiationes exercent, agros colunt, sed potissimum pascuis gaudent. Hæ tres jam commemoratæ provinciæ duplo amplius constituunt spatium, quam vicina, de quâ suo mox loco dicetur, Selandiæ insula. Utraque autem & Hallandia & Blekingia Ducatus olim titulo fuêre celebres, iisque additâ, de qua jam dictum, Scaniâ, civitates in universum intra id spatij numerantur quindecim, paroeciç verò rurales sexcentæ & quindecim: cum ævo Adami, quod supra est memoratum, paroecia tantum ibi trecentæ fuerint.

Blekingia. *Christianopolis.* *Christenstadiu.*

SCANIÆ URBES.

Oppidorum, quæ in singulis jam ditionibus pleraque sunt enumerata, præpollent Scaniæ quatuor *Lundia, Coronia, Malmogia* & *Helsingburgum*. Olim cum res Danicæ rege Rolvone starent, cujus ante Christum natum æta memoratur, illustre hîc fuit *Lethræ* oppidum Rolvone eodem conditore. Ait enim historiæ suo libro secundo Saxo noster Grammaticus: *Refertus itaque falsâ vectigalium mole navigiis Lethram pergitur, quod oppidum à Rolvone constructum, eximiis regni opibus illustratum, ceteris confinium provinciarum urbibus regiæ fundationis & sedis auctoritate præstabat.* Oppido arcem additam fuisse singularis munitionis, ex verbis ejusdem constat, ubi inquit libro eodem: *His cognitis Helgo filium Rolvonem Lethricâ arce conclusit, hæredis saluti consulturus, utcumque suam fortuna tentasset.* Regiam aulam comitiaque ibidem antiquitus habita vel ille apud Saxonem quoq; versus lib. 2 indicio sit, ubi Rutam minabundus, alloquens Biarco ait, *Lethrâ nequaquam sospes abibis.* Alij in Selandia ponunt. Ubi & *Lethræ pons* nominatur circa annum Christi 1256. Tum etenim ibi acre cum turba popularium à rege Christophoro primo prçlium commissum indicat historia. Saxo exinde ad res sui ævi progressus mentionem injicit oppidi ab Eschilli archiepiscopo Lundensi in Lethræ palude conditi, hisce nimirum verbis lib. 14: *Igitur vitandi periculi gratiâ, longinquas Verundiæ partes (Eschillus) accessit, salutem secessu non bello quæsiturus. Tunc rex urbem in solido Lethricæ paludis ab eo constructam, obsidione tentat, captu quidem difficilem, quod & naturæ præsidio munita, & commeatibus affatim instructa fuerat.* Appellat & *Castellum* Saxo. Putantque nonnulli Elholmiam nunc esse, cujus in Blekingia jam modò meminimus. Alij ad Seburgium, de quo in Selandiâ, referendum potius existimant. de quo dicetur mox. At *Lundia* superiorum quatuor mediterranea quidem est, sed ita ut unico tantum miliari à mari distet. Eaque situs, præter cetera, commoditas in causa fuit, quod sedes hîc archiepiscopalis sit constituta anno Domini 1104, atque ibi perduravit ad tempora usque Christiani III, qui obiit anno Christi 1559. Fuitque summç dignationis hic episcopatus. Nam olim, ut est in matriculâ Ordinum sacri Romani Imperij, inter ceteros quoque Lundensis archiepiscopus ad imperij Comitia evocari, inq; iis suffragij jus habere est solitus. Quando fuerit, & à quo vel à quibus condita Lunda, nusquam in historiis legere memini. Nam qui Anglos conditores agnoscunt, appellatione solâ moti videntur, quæ communis est huic cum Angliæ metropoli **Londen**. Germani enim utramq; civitatem **Lunden** nominant. Dani hanc suam suâ linguâ **Lund** dicunt, quod nomen *lucum* aut *nemus* ipsis significat. Nec aliud etiam veteri Britannorum idiomate hoc ipsum notasse ex Camdeno constat; ut ità *Lundia* hæc nostra, Britanniæque *Londinum*, Tacito quoque nominatum, eandem nominis sui originationem sortita sint. Utrum antiquius,

Lethra oppidum

quius, affirmare certò non habeam, omitti interim haud debent, qui de Lundæ antiquitate circumferuntur Danici rythmi.

Den tid Chʀistus lod sig fode/
Stod Lund oc Schanor/ fegerste guade/

Lunda & Schanora antiquitas.

Quorum sententia est: *Christo nascente floruisse Lundam & Schanoram.* Est autem *Schanora* vetustissimum ejusdem Scaniæ municipium, nunc vicus exilis, tribus circiter à *Malmogiâ* miliaribus distans, versus ortum brumalem. *Lunda* vallo olim & fossis fuit circumcincta, portasque tres habuit, septentrionalem, quæ hodiè S. Olai dicitur, ob templum S. Olai, ei portæ proximum, hæc latæ plateæ porta est dicta, à platea quæ ad hanc rectè ducebat. Altera orientalis, porta S. Martini appellata, ab eo, quod in viciná illâ erat templum, à quo plateæ quoque nomen inditum. Tertia meridionalis, quæ rubra dicitur & Malmogiam ducit. Harum portarum etiamnum exstant vestigia, iis enim adhuc locis rudera relicta sunt. Vallo autem diruto, non tribus modo, sed sex aut septem nunc viis in urbem patet introitus.

Templum Laurentianum Lundense.

Inter parochialia templa, quæ circiter viginti duo fuerunt, primas semper tenuit *ædes Laurentiana* cathedralis, in meditullio ferè civitatis collocata, vasti operis ac imprimis magnifica. Ex secto enim lapide constructa ac plumbeis laminis tota est tecta, cujus prima ædificatio Sueoni tribuitur, qui sub Christi anno 1017 excessit, summam tandem adjiciente manum S. Canuto, Daniæ Rege, sub quo & factâ dedicatio anno 1085. 12 calend. Junias, hoc est, antè ejus cædem anno proximo. Quo tempore collegium etiam Canonicorum primò institutum est, ecclesia & ecclesiasticis à rege eodem Canuto dotatis quam liberalissimè.

Hypogæum ejusdem templi.

Habet hoc idem *Laurentianum templum* tria præterea memoranda, *Hypogæum, horologium & altare. Hypogæum* à Saxone quoq; Grammatico celebratur, hodie Cryptam vocant, occupatque universum penè, quod est sub choro, spacium, ubi & olim non minus quàm in ipso templo sacra fiebant. In hoc *Bernardus Anglus* est conditus, qui baptizato Olavo Sueco Jacobi nomen imposuit. Evocatum verò eum ex Angliâ, à Daniæ regibus, rerum memoriæ testantur. Crantzius Lundensem etiam episcopum facit, sed perperam. Nam primi, quorum Saxo meminit, episcopi Lundenses celebrantur, *Egunus & Richwaldus*, uterque etiam Anglus, cujusmodi & Gulielmus fuit, Roschildensis episcopus. Claruitque Eguini & Richaldi hujus temporibus S. Canutus, de quo dictum, Daniæ Rex. Cujus tristem exitum, ut & filij ejus Caroli, Flandriæ Comitis, Eilnothus, item Anglus, scripto complexus est. Anglum enim se fatetur ipse, & annos 24 in Daniâ versatum scribit. Ob quæ cum Danis quotidiana Anglorum commercia, tum & nomen Lundæ cum Lundâ Britannicâ commune, quomodo & modò innui, plerique Anglis *Lundæ* fundationem ex conjecturâ potius quàm re, attribuêre.

Horologium.

Horologium quod dixi, est collocatum in parte templi inferiori, quâ in turrim ascenditur australem, ubi tabula parieti affixa visitur quadrata, oblonga, utcunq; magna; circulis aliquot variorum colorum, quorum, qui maximus est, diametrum habet pedum circiter 8. In quâ quidem tabulâ, per certos ejus rei indices, & annus currens & mensis ac septimana, dies quoque singuli, ac horæ singulæ monstrantur liquidissimè, addito etiam festo, si quod illo aut illo die celebretur, tam fixo quam mobili. Docetur etiam quis luminarium solis & lunæ motus, quæque horum in zodiaco loca diebus singulis, & ad se invicem sint habitudines. Et foris quidem in dictâ tabulâ hæc spectantur; intus autem machinis quibusdam, ad id ritè fabrefactis res agitur. Accedunt & parerga, ut equi prodeuntes cataphracti, qui horæ cujusque pulsum certis ictibus se invicem petentes indicant, aliaque ejusmodi, quæ præter insigne automati artificium, argumento sint majores rerum Mathematicarum haud inexpertes fuisse. Est enim opus minimè novum, quamvis de authore, aut quo sit tempore constructum, minus constet.

Altare.

Altare postremò in eadem hac æde spectatur perquam magnificum, recens tamen, utpote sub annum Domini 1577 haud exiguis ecclesiæ sumptibus exstructum, procurante id viro nobilissimo *Hilario Grubbe*, tutore & ecclesię ejusdem Pręposito, eodemque regni Danici Cancellario ac senatore prudentissimo. Est autem altare hoc peramplum & altum, ex marmore partim candido, partim nigro, versicolore etiam nonnullo, artificiosè admodum ordinato atque polito, expressis in eodem, pręter alias quasdem effigies, imaginibus regis Friderici secundi & Sophiæ reginę conjugis, horumque insignibus. Mediam tabulam occupant simulachra Servatoris & discipulorum duodecim, mensę velut accum-

accumbentium, eo ritu, quo in primâ sacrosanctę cænę celebratione consedisse apud Euangelistas referuntur.

CORONIA.

Coronia sive ut vulgò appellant, **Landscrone**/ maritima est civitas, ab Erico VIII Danię rege primum condita, sub annum à Christo nato 1413, cum prius eo loco pagus fuerit *Seby* dictus. Cujus adhuc appellationem platea quædam in hac regione retinet, incolis dicta *Sebygade*, id ist, *Sebyensis platea*. Quam *Landoram* appellat Saxo de Erico IV & Valdemaro I loquens, ea non civitas fuit, sed longior quidam, ut ipse habet, arenæ tractus à littoris continenti in mare procurrens. Nec facilè est dicere sub quonam Schaniæ littore is fuerit tractus, hîc ne, ubi *Coronia* nunc est, an alibi. Verba interim Saxonis digna sunt, quæ adscribantur ex libro ejus XIV: Ubi Landoram classe perventum, rex spectandi exercitus sui avidus in campo copias explicare constituit, ut totas vires oculis subjiciendo, an eâ manu tuto bellum commissurus videretur, aspiceret. Ab hujus littoris continente longior arenæ tractus brevibus abscissus, curvatis anfractibus portum navigiis facit, humilis ità ut, veniente æstu, lateat, abscedente visatur. Nam vadosus ejus introitus diffusiore spacio opacæ altitudinis undas includit. Quæ sanè ego haud incommodè ad portum Landscronensem accomodem. Est enim, quod res & tabulæ hydrographicæ ostendunt, vadum hodieq; in limine istius portus delitescens, quod cautè vitandum intrantibus, cursusque austrum versus flectendus, nè impingat navigium. Et ut plenius de ipso hoc portu verba faciam. Vicinus est urbi ad orientem fluvius, dimidio tantum miliari ab urbe distans: hic in meridiem fluens, seque in mare exonerans, cursum nonnihil flectit ad aquilonem, marique mixtus Coroniam præterlabitur, ac portum jam dictum efficit vastarum etiam navium capacem. Eaque situs prę ceteris commoditas occasionem præbuisse videtur condendæ hoc loco civitatis. Quin & portus idem haud parum momenti ad victoriam attulit Christiano III, cum, patre defuncto, de regno dimicare cum adversariis ac Comite præsertim Oldenburgico cogeretur. Tum enim occupatâ urbe tutam classi ejus stationem hic sinus præbuit. Atque id præter alia, ita victori regi & portum & urbem commendavit, ut postea arcem quoque in ea condi fecerit, eo loci, ubi antea fuerat Carmelitarum cœnobium. Et hoc præterea amplitudini ejus adjecerit, ut Engelholmiensis mercatus anniversarius Coroniam sit translatus, præsertim cum intelligeret eum mercatum Engelholmiæ haberi non posse sinè manifesto trium vicinarum urbium *Helsingburgi*, *Coroniæ* & *Malmogiæ* interitu. Hoc in annum incidit 1547 suo in historiâ loco memoratum. Portæ civitatis versus meridiem & Mare tres sunt: Totidem etiam, quà urbs continentem spectat: Orientalis una, altera septentrionalis, tertia occasum æstivum respicit. Per has ingens rerum venalium, quas regio vicina producit, importatur copia, sicuti per portas maritimas, quæ mari advehuntur, ex variis Europæ regionibus, Livoniâ, Russiâ, Sueciâ, Pomeraniâ & civitatibus Germaniæ maritimis; Hollandiâ item & Angliâ ac Scotiâ, ultimâque Norvagiâ & aliis locis perplurimis. Nunquam autem vel mercium vel hominum in hac civitate frequentia major, quam circa solstitium æstivum, cum in eâ mercatus exercetur longè maximus. Nam procul à portâ maritimâ orientaliori, forum est peramplum, juxtaque prætorium magnificè extructum. Et circa forum, quemadmodum passim in urbe tota, maximè versus portas borealem & orientalem, privatorum ædificia sic satis splendida.

MALMOGIA

Malmogia nonnihil Croniâ vetustior est, utpote anno Christi 1320, vel circiter condita, sub initia ferè gubernationis Christophori II Daniæ regis. Nunc Scaniæ propemodum totius est metropolis, idque mercimoniorum quibus inclaruit, oportunitate. Maritima enim est, à Lundiâ vix duobus distans miliaribus Germanicis versus meridiem; à Coroniâ totis quatuor. Incolæ eam *Malmoe* appellant, quod Latinè redditur *Malmogia*. Olim inferiorem Malmogiam hanc dictam comperimus ad differentiam pagi cujusdam vicini, qui à mari remotior & loco aliquantum editiori situs, eandem obtinuit appellationem, ita tamen ut ea *superior* diceretur *Malmogia*, quemadmodum hæc *inferior*, Danicè **offre Malmoe/ oc nedre Malmoe.** Sublato pago cognomine, cujus nunc exstant vestigia, hæc sine additamento nominatur *Malmogia*, quam Hollandi constanter suâ linguâ appellant **Ellebogen**/ quod cubiti formam referat, *Anconam*, quæ & Italiæ est civitas, posses dicere. Est enim ad hanc civitatem maris flexus quidam, quem frequentâsse Germanos est verisimilè, piscationis olim caussa in Schaniam præfectos, etiam antè Malmogiam conditam. Cognominem sibi urbem habet in regno Bohemiæ, si vocabulum præsertim, quo eam, ut diximus, Belgę fere efferunt, Ellebogæ sequamur. Nam & ibi similiter *Elleboga* reperitur.

Etymon

Quæ & ea eſt amplitudine ut videri per ſe municipium aliquod poſſit. In hujus meditullio turris quadrata viſitur & ipſa ampla admodum atque imprimis edita, quæ ad miliaria aliquot procul ſpectandam ſe exhibet. Hanc turrim duplex ambit murus, alter proximè eandem cingit: alter, qui eſt remotior, arcem totam unaque ædificia complectitur quàm plurima, quotidianis eorum, qui arcem tenent, uſibus accommodata. Murus idem exterior, qua parte ortum & aquilonem reſpicit, foſsâ cingitur ſic ſatis profundâ, quod id latus minus videatur natura munitum, quam occiduum, quod eſt præruptum atq; arduum ſuâque naturâ inacceſſum. De tempore extructæ hujus arcis circumferuntur barbari quidam verſiculi duo, qui ſic habent:

Tempore natalis Chriſti turris capitalis
Helſingborg ſtruitur, velut in ſcriptis reperitur.

Eâ tempeſtate Danorum imperium tenuiſſe ni fallor Frotonem tertium commemorat Saxo Grammaticus, ut ſuo ſuperius loco patebit. In urbis verò medio Templum eſt virgini olim deiparæ dedicatum, ex cocto lapide quidem extructum ſed imprimis amplum atque excelſum, cui turris addita aliquanto altior, Univerſum autem ædificium ejuſmodi planè, ut & gratiam quandam habeat, quod decenti ſimplicitate commendetur, quodque copioſâ undique luce profundatur. Nuſquam plura quam ibi antiquę nobilitatis Danicæ ad parietem templi borealem depicta viſuntur inſignia, ſepultis in eodem templo præſtantibus illuſtri ſtemmate viris. Non procul à Templo auſtrum verſus *prætorium* eſt unaque *forum*, in quod merces ſuas quotidie invehit frequens vicinia. Præter mercatum hunc quotidianum, in quo civium potiſſimum ac vicinorum ſervitur commodis, alij duo anniverſarij, alter in medio quadrageſimæ, alter ſub dominicam palmarum dictam, celebrantur tantâ non ex Daniâ modò, verum etiam ex peregrinis & procul diſſitis regionibus hominum multitudine rerumque copiâ, ut vix in ullâ totius regni panegyri vel mercium ſit vel hominum major frequentia.

DE NORVAGIA & SVECIA HODIERNIS
brevis attextus.

NORVEGIA. NORVEGIA, ut antè patuit, authoribus antiquiſſimis, ſub nomine *Nerigon* & in his prę ſertim Plinio, nota ac memorata, Danicè, Suecicè & Norwagicè hodieque **Norrige** & **Norrike** quaſi *ſeptentrionalis tractus* aut *ſeptentrionale regnum* dicitur. Adamum Bremenſem Latinâ flexione & propriè *Normanniam* dixiſſe innuimus ſupra. quanquam nec ille modò, ſed & alij ante ipſum, & præſertim Eginhartus, eâdem etiam voce Daniam Danoſque affecerit, ut inde ubi de Balthico mari dicetur; ſicuti & illud, Crantzium ſeorſim ac ſolam *Norvegiam* eo nomine ſed perperam vocitaſſe.

Habet ad auſtrum Norvegia Daniam, ad occaſum & boream oceanum; ad ortum Sueciâ Lappiâque terminatur. Tractus omnis occidentem verſus ſcopulis acutiſq; petris avius eſt, verſus meridiem rupibus ac cautibus perpetuis ſaxoſus, interjectis, quas incolæ habitant, vallibus; ubi prata paſcendo pecori virentia, & introrſus quoq; ſilvę denſiſſimæ, ex quibus in univerſam propemodum Europam illa ingentia arborum robora totq; ligna tignaq; devehuntur. Cælum ſatis habet temperatum. Piſcium è mari vicino copioſa captura eſt. Quorum aſellus frigore induratus, & in fuſtes extenſus, in proxima ac latè circumjacentia regna regioneſque maximo lucri proventu tranſmittitur vocaturq; **Bergervisch** & **Stockvisch**. Petuntur & indè pelles pretioſæ ſebum, butyrum, coria, adeps balenarum, pix liquida, trabes quernæ, abjegnę, mali aſſereſq; uberrimo negotiantium quęſtu.

Incolæ ſunt probi, ſine fuco ac fallacia, exterorum amantes, & ſi qui alij, hoſpitales. Et ſane olim quæ celebrata eſt Julio præſertim Cæſari Germanorum hoſpitalitas, ea veluti hinc relegata hîc adhuc locum tenet. Gratis enim peregrinantem excipiunt aluntque. Is viciſſim ſi quid forte refundat, non ut debitum, ſed ut benevolentię ac animi grati tecmirion accipiunt. Ità ut verba Cæſaris Belli Gallici Lib. 6, iſta inquam, *Germani hoſpitem violare fas non putant, qui quaq; de causâ ad eos venerunt ab injuria prohibent, ſanctos habent, Iiſque omnium domus patent, victuſque communicatur*; Et iſta deinde quę & ſuperius nobis poſita Taciti in Germania: *Convictibus & hoſpitiis non alia gens effuſius indulget. Quemcunque mortalium arcere tecto nefas habetur, pro fortuna quiſque apparatis epulis excipit. Cum defecere, qui modò hoſpes fuerat, monſtrator hoſpitij & comes, proximam domum non invitati adeunt, nec intereſt, parè*

humanitate excipiuntur. Abeunti si quid poposceris, concedere moris; & poscendi invicem eadem facilitas: haud alij hodie magis quam huic boreæ populo & præsertim Norvagis conveniant.

Regnum est hæreditarium, Daniæ jam ante duo circiter secula per connubium, quod cum *Huquino* regina *Margareta* injit, nexu indissolubili adunitum: quemadmodum in historia memoratum. Civitates nominatissimæ sunt *Nidrosia, Bergæ, Stavangera, Asloa, Masterlandia.* Quæ & arces habent ac præfecturas amplissimas, quibus & annumeranda loco ultimo *Vardhusia*, circa gradum latitudinis 72, & si quid ulterius est, ad Russię usque fines boreales exporrectum.

MASTERLANDIA.

MAsterlandia civitatum omnium seu præfecturarum, quæ Danię regno versus meridiem, sunt proximæ, in scopulo peninsulæ est collocata: cui & alia bina opida *Congelia,* *Bahusia arx.* *Vddevallia* continuo adjacent, arcem communem habentia *Bahusiæ* nomine. Hanc Norvagiæ Rex Haquinus IV circa annum Domini 1309 in rupe excelsâ *Trollettbæ* fluvio adsitâ, ad fines Suecorum exædificari curavit. Subdita est ei universa, quę appellatur *Wichiæ* provincia, vulgo **Wijckspden** dicta.

ASLOA.

ASloæ opidum arcem sibi propinquam habet *Aggershusiam*, viginti quatuor supra *Bahu-* *Aggerhusia arx* *siam* milliaribus. Ex hac provinciâ celsissimi navium mali asseresque ac tigna ædificiis idonea, ingenti copiâ quotannis in Hollandiam, Hispaniam & alias oras evehuntur. urbes totius districtus sunt, primò, quam dixi *Asloa*, exteris vulgo *Anslo* & *Opslo* indigenis dicta, sedes Episcopalis; itemq; *Tonsberga* ab Asloâ septem versus occasum milliaribus; *Tonsberga.* *Fridrichstadium, Saltzburgum* & *Schina:* Ubi fodinæ cupri & ferri sunt, & nuper etiam argenti fodinas in confiniis ibi repertas studio serenissimi regis Christiani IV alibi dicetur. *Hammaria* major & minor, regiones olim peculiari episcopo clarę, nunc Asloensis inspectioni commissæ, viginti supra Asloam milliaribus, boream versus. Sunt in hac quoque ditione *Thylemarchia* & *Hedemarchia.* Quarum, ut ante meminimus, *Thylemarchia* occasionem dedisse Procopio videatur totam, qua patet, Scandinaviam Thyles afficiendi vocabulo. Ad curiam Asloę ex universâ Norvagiâ causæ litesq; graviores devolvuntur ibique jus dicitur, præsente arcis præfecto, qui veluti regni Norvagici totius Gubernator habetur. Sunt & alij præfecti, sed non arcium aut diœceseos, qualis est præfectus in **Agdespden/** qui præfecturas vicissim sub se habet **Rabydelag/ Nedenesserleen/ Mandesleen** & **Listerleen.** Talis est etiam præfectus in **Staffanger/** qui & præfecturas administrat in **Carmen/ Ryfolcke/ Jaren** & **Dalene.** Suprema interea *Stavangeræ* præfectura penes pręfectum, ut statim dicetur, Bergensem est.

BERGA.

BErga, vel, ut Plinium appellasse jam ante dictum, *Bergi*, emporium est & veluti penu totius Norvegiæ celeberrimum, positum sub gradu latitudinis 61, distans sc. à Bahusiâ quę, ut memoratum, versus meridiem est, secundum flexuosum maris littus milliaribus circiter centum: A freto, quod *Carsund* vocatur, versus Corum, milliaribus decem: à Scagâ Jutię promontorio milliaribus propemodum 80. Diem habet longissimum viginti, brevissimum quatuor horarum. Arcem ibi regius pręfectus habet *Bergershusiam*, cui & opidum subest, *Starvangera*, licet id peculiaris episcopi, sicuti & Berga ipsa sedes sit. Bergensis pręterea pręfecti imperium agnoscunt præfecturę **Sundhordleen/ Noordhordleen/ Soghne/ Sundfiorde/ Noordfiorde** & **Sundmerleen** alięque. Fit autem ad portum urbis frequentior aditus per sinum *Carmesund*, qui per tortuosas fauces, rupibus utrinque incumbentibus, inæqualis latitudinis spacio, ad loca interiora per aliquot milliaria ingrediens, in extremitate ob singularem sui profunditatem occasionem dedit, ut eo, quo nunc est loco, hoc opidum ædificaretur. Nam 200 lastarum naves, vel etiam grandiores, sine periculo per sinum provectę, ad opidum penetrare, ac proximè ad ipsas prope ædes mercatorum vel anchoras jacere aut saxis funes alligare possunt. Ædificia urbis elegantiora vel divino cultui, vel privatis incolarum usibus sunt destinata. Osterlingi seu ut vocant Hansa-

Hanſatici mercatores longiſſimo tractu univerſam eam urbis oram, quæ vulgo de **waege** dicitur, amplexi domicilia ſua conjunctim habent, quæ **garten** appellant. In his ſunt Lubecenſes, Dantiſcani, Colonienſes, Hamburgenſes, Bremenſes aliiq;, quibus ſuæ cuique ſtubę ac bodæ, ut vocant, ſunt, ad quas urbium ſuarum, unde oriundi, naves advectis mercibus exonerant, aut avehendis replent atque in Germaniam demittunt. Curiam certis ſtatutis atque legibus ordinatam habent. Cujuſmodi curiæ ſive *Cunctoria*, ut vulgo vocant, quatuor in Europâ ſunt nominatiſſima: *Brugenſe* olim in Flandriâ; *Londinenſe* in Angliâ; tertium *Neogardiæ* in Moſchoviâ, quartum in hac urbe *Bergenſe* dictum. Ad hoc igitur ex omnibus regni provinciis ac civitatibus quidquid eſt precioſarum pellium, pręcipuè verò induratorum piſcium, vel per mare majoribus navigiis aut per lacus ac fluvios ſcaphis, lembis ac myoparonibus minoribus defertur, aut per equos invehitur: Piſces frequentiores alij ſalpas, alij ſtrumulos vocant. Germani **Rootſcher** vel, ut dictum, **Stockviſch** appellant. quorum laudatiſſima captura eſt in Januario, dum frigus ſupereſt, quo indurentur. Nam qui clementioribus menſibus capiuntur marceſcunt neque idonei ſunt ut exportentur. Eſt & genus piſcium, quod **Helleflunder** vocant, Rocharum ſpeciem præ ſe ferens longitudine quinq; aut pedum ſex. Hos piſces ob magnitudinem diſſecant, ac craſſiores partes **Rekeling**/ reliquias tenuiores & pinguiores **Raff** appellant, quæ ob ſaporem amabilem in deliciis habentur. Ut autem numerus peregrinorum pręſerim eorum, quos ex urbibus Hanſaticis adventantes **Garpen** indigenę vocant, intra modum conſiſteret nec, omnibus ſocietas ſine diſcrimine æquè pateret, certos ludos ad deterrendos delicatiores inſtituerunt, quos **Gantenſpill** vocant, in quibus aut cæduntur, aut in cœnum conjiciuntur, aut fumo tetro excitato in corbe ſuſpenduntur, qui in ſocietatem ſunt admittendi. Qui ludus quamvis non parum incivilitatis prę ſe ferat, tamen inventum eſſe ad lautioris fortunę homines ſufflaminandos dubium haud eſt. Sæpe hoc opidum, quod ædificia ſint lignea, incendiis eſt deformatum.

NIDROSIA.

Nidroſia à Nidero flumine nomen habet, vulgo **Trunheim** & **Trunten** appellata: Metropolis olim totius Norvagiæ fuit; Et ſedes quoq; archiepiſcopi, ad quem non modò Norvagiæ, ſed & Islandiæ, &, ut erant tum tempora, Grunlandiæ quoque & Orcadum pertinebant eccleſiæ. Nunc regium præfectum & epiſcopum ſolum habet, mercimoniis aliàs ac negotiatione tam indigenarum quam exterorum perquam celebris. Exſtat hodièque templum cathedrale, argumentum priſtinæ fælicitatis, cui magnitudine & cæſorum lapidum artificio vix aliud in orbe Chriſtiano ſimile fuerit, niſi illud ſuperioribus annis incendio fædatum, veteris ſuæ magnificentiæ nunc rudera tantummodò oſtentet. Sacrum eſt beato Olavo. pręter hanc Baſilicam templa inſuper habuiſſe xii ſunt qui tradant. Quàm autem diœceſeos ſuæ pomeria hodieque latè extendat, indicio ſint, pręter inſigne quondam *Bakæ* monaſterium, circumjacentia inſuper territoria, ut ſunt *Herdalia, Nomedalia, Hellegelandia, Froſtena, Indera, Heroa* aliaque. Præfecto enim qui ibi eſt, Nidroſienſi ſubſunt præfectus in **Noordmeer**/**Surendael** & **Sundal**: præfectus inſularum **Hiteren**/ **Fooſſerleen**/**Stadſbugden** & **Noortbugden**: præfectus in **Nomendaal**; Præfectus in **Inderopen** & **Suaaſſen**; præfectus in **Schoorſdaal** / præfectus locorum **Strinden**/**Selboe**/**Leenſtrand**/**Bupnes**/**Schonien**; præfectus in **Guldael**/**Meldael**/ **Orckedael**/ **Singeſogen**/ **Rondeboe** & **Opdael**/ præter quos præfectus quoque eſt qui bonorum eccleſiaſticorum & monaſterialium curam habet. Gubernator in **Saltem** ſeptem ſub ſe præfecturas habet; **Helligeland**/ **Saltem**/ **Loffoeren**/ **Weſtrollen**/ **Andenes**/**Sennejen** & **Tronſo**. Quibus & ultimo loco accenſenda, quæ in ipſa Sueciâ Angermanniæ contermina eſt, pecore & paſcuis præpollens, *Iamptiæ* ditio: de qua & infra dicetur.

VARDHUSIA.

Extrema & ultima, verſus aquilonem & Eurum, Norvagię & orbis promodum dicam Chriſtiani arx eſt *Vardhuſia* in inſulâ exiguâ, cui *Wardæ* nomen, collocata, cujus ambitus milliare unum Norvagicum cum dimidio complectitur. Ei ſubeſt cum *Lappis* vicinis *Finmarchia* tractuſq; ille univerſus maritimus, *Trunſolem* dictus; piſcaturâ præcipuè inſignis.

Præfectus arcis Wardhusiæ toti Finmarchiæ jus dicit; quæ & ipsa præfectum habet, æstivum & hibernum. Illeque amplissimum illius littoris Norvagici tractum in zonâ frigida adusque Russiæ fines gubernat.

FINMARCHIA.

FINMARCHIA Norvegiæ ad septentrionem adjacet, vulgo dicta *Taakemarchia*; quæ hoc seorsim & suum habet, quod regio ejus in propria dominia ac possessiones, uti alibi fit, distincta non sit, sed omnibus obvia, primiq; occupantis. Qui autem primus terræ tractum occupat, ejus non quidem proprietatem dominiumque, sed usum fructum solummodo habet. FINNI, qui ad mare piscatum abeunt, facile quas semel elegerint sedes permutant; Nam consumtis in quotidianos ignes circumcirca vicinis lignis arboribusque; alio concedunt; ut plerique eorum, qui æstivo tempore in littore maris piscatum abeunt, brumali tempore mediterranea loca repetunt. Verum, qui in insulis habitant & locis littoralibus, in **Heymeland** aliisque, eadem loca æstate hyemeq; inhabitant, nec vagi sunt: suasque habent ecclesias & pastores in **Troms/ Suro/ Maggero/** & alibi.

Incolæ præcipuum quæstum ex piscatura aselli majoris faciunt, qui Bergam mittitur. Ipsi piscatores à Bergensibus mercatoribus in hæc littora mittuntur, magnaque ex parte Danicè aut Germanicè loquuntur, nec magis Finnicam callent linguam, quam Græcam aut Latinam, imo vix reliquas habent voculas aliquot linguæ veteris septentrionalis. Esca, quâ asellos majores capiunt, pisciculorum genus est, adeo exiguum, ut vix piscium nomen mereatur, **Lodd** vocant. Et quibus in locis pisciculi isti reperiuntur, opimæ asellorum capturæ certissima affulget spes. Eadem esca etiam balenas capiunt, quas septentrionales **Swalem** & **Qualem** appellant, qui certis anni temporibus ad littora se conferunt, ibidemque per æstatem, dum generationi operam dant, lusitant. Et quanquam, jam à longo tempore nota fuerint cursus balenarum stata tempora nec curæ fuerit his populis earum captura, nisi adacta forte per tempestatem in littus & arenas belluâ, tamen
1614. primi Angli studiosè harum capturæ invigilare cœperunt anno Christi 1614, postea etiam Hollandi, Dani. At præter aselli majoris & balænarum piscaturam, copiose quoq; hic capiuntur passeres pisces Germanicè **Heilebot** vel **Celbot** vocant, quos in scopulis vento exsiccant: etiam *Salmones*, quos vel fumo indurant, vel sale condiunt. Solebant hi Finni littorales sive maritimi vectigal pendere tribus dominis, Russiæ principi, Suecorum regi & Norvagiæ regi; uti hodie adhuc pendent Finni mediterranei; Verum cum certo fœdere jus istud vectigalium Russus cesserit Sueco, Suecus vero regi Daniæ, qui idem Norvegiæ rex est, soli huic regi annuum vectigal solvunt: nempe præter piscium decimas singulæ familiæ etiam pecuniæ aliqualem summam.

Qui littora inhabitant FINNI plane alia utuntur lingua, quàm Finni mediterranei, ut
Fieldfinni. per interpretes alij alios alloqui necesse habeant. Quos *Fieldfinnos* vocant, populi sunt Lapponum quoque genti non absimiles. Suos olim, uti & universa *Norvagia* habuerunt regulos, quos *Fieldekonga* & *Nessekonga* vocitabant. Nempe eos, qui rusticis & montanorum campestriumq; locorum incolis imperitabant *Fielkiskonga* nominabant: eos verò, qui propius ad littora imperium tenebant, *Nessakonga*: quales erant prope **Lindesnes/ Stutenes/ Stat** & **Lpanes**. Pelles ferarum, quas venatione sibi comparant, Suecis quàm Norvagis
Mercatus eorũ annui. vendere malunt, ne his decimas solvere cogantur. Duos annuos mercatus habent in provincia, quam **Jemptenland** vocant; alterum festo S. Catharinæ, quem celebrant in australi parte Hamerdaliæ; alterum Dominica Palmarum, in septentrionali plagâ Hamerdaliæ, quo loci mercaturam exercent cum Suecis, mercesque advehunt, tergora pellesque hinnulorum, alcium, luporum, vulpium & ursorum, pro his mercibus recipiunt vinum adustum, farinam, pannum, aliaq; ad victum & amictum necessaria. Neq; enim in his regionibus aut serunt aut metunt, solum ex animalium agrestium capturâ victitantes. Discrimina quoque hic videas divitum & pauperum. Divitias, more veteris seculi, multitudine
Divitiæ. hinnulorum ac cervorum æstimant. quidam quadringentos, imo quingentos alunt, & ex lacte butyrum caseumque conficiunt. Ursum quoties straverunt, festum adornant, ejusq; ossa aquis excoquunt, quibus bibere solent magnâ festivitate. Sed huic convivio fœminis interesse non licet. Victitant hæ, uti & liberi, conficiendo ex pellibus ferarum crumenas, marsupia, ocreas. atq; hæc ipsa farciunt filis, confectis ex tenuissimis nervulis ferarum. Brumali tempore à capite ad calcẽ pellibus involvuntur, &, nisi quà vident, ut ille loquitur,

ora

ora vestiti. Æstivo tempore viridi panno vestiuntur, quo induti in campos concolores excurrunt. A Christianorum ceremoniis toti abhorrent, nec templa hîc erigi ferunt, aut pastores admittunt. Lapidibus saxisque divinum honorem exhibent. Magnâ superstitione enarrare solent, quibus in silvis agrisque majores ipsorum vixerint. Et quamquam fixas sedes non habent, sed pro diversitate temporum anni eas mutent, tamen solent familiæ singulæ certos servare districtus, vel cis vel ultra hunc illumve moutem. Atque in his districtibus modò huc modò illuc vagantur. Spacium verò terminosque hujus districtus definire solent eâ distantiâ, quâ mons aliquis altus, aut cæruleus oculis objicitur. Nec sine ratione sedes mutant, verum aliò se conferentibus feris, eò se quoque conferunt. quamdiu eodem loco oberrant, sedem & illi figunt. Certo tibię cantu (ità memoratur) cervos suos ex agris revocare norunt, & si quando iter quis aliò instituat, rhedam cervosque duos illi commodant, & verbis quibusdam in aurem insusurratis pręscriptum à domino spacium ferę decurrunt, summa velocitate, nec ut ulterius abeant vel verberibus impetres. Horum Finnorum lingua quoque mirabilis est, verum illi qui circa vicina Norvagię loca oberrant magna ex parte linguam Norvegicam norunt.

Basilicæ in Finmarchia numerantur decem: nempe prima Wardhusię, quæ duo sub se habet sacella, alterum in **Wadsoen**/ alterum in **Kibergh**: secunda est basilica **Ommegangs** dicta: tertia **Scottingbergs**; quarta **Kielings**/ quæ sacellum sub se habet in **Hellenes**: quinta **Thunes**: sexta **Hellemsnes**/ad quam sacellum pertinet: septima **Ingiens**: octavo **Meisfreids** in **Suron**: nona **Sozffuerd**: decima **Loppers**. Apud *Fieldfinnos* templa non sunt.

BREVE ITINERARIUM NORVAGIÆ.

Ab Opslo usque ad Iellerôs	*3 miliar.*
Hinc ad Schiesino	*1 mil.*
Hinc usque ad Olensager	*1 mil.*
Hinc Sorenskercke	*7 mil.*
Hinc in Rackensta	*4 mil.*
A Sorenskercke usque ad Glaumen	*½ mil.*
Hinc ad Berschouv & Krackier	*1 mil.*
Templa vicina. Incipitq; hic Fiel separans Norwegiam à Suecia, quo superato in Colm Sueciæ urbem devenitur.	
Hinc Arvicum	*2 mil.*
Hinc Calstaa	*10 mil.*
Hinc Iserburgum in Vermelandia	*7 mil.*
Hinc Noordbergam	*8 mil.*
Hinc Coperbergam	*16 mil.*
Hinc Gereliam	*10 mil.*
Hinc Stockholmiam	*15 mil.*
Ab Olensager usque ad Neskercke	*2 mil.*
Hinc Eswal usque	*1 mil.*
Hinc Stangen usque	*5 mil.*
Hinc Wangen usque	*1 mil.*
Hinc Hammariam	*½ mil.*
Hinc in Osterdal	*3 mil*
Hinc in Saller	*2 mil.*
Hinc per silvam Tolmenschouv in Sueciam in Elvedal	*10 mil.*
Hinc Malung usque	*8 mil.*
Hinc usque ad Nes	*8 mil.*
Hinc Coperbergam.	
Hamaria usque ad Nes	*1 mil.*
Hinc ad Ringsager usque	*2 mil.*

Hinc ad Mis octava pars miliaris.	
Hinc ad Wardall	*2 mil.*
A Ringsaker usque ad Froo	*3 mil.*
Hinc ad Quàm	*$2\frac{1}{3}$ mil.*
Hinc ad Syl	
Hinc ad Toste diversorium regium, in quo pro sola cervisia solvunt hospites	*2 mil.*
Hinc in Hierken	*5 mil.*
Hinc Dryffstbor	*3 mil.*
Hinc Rysemseh	*$1\frac{1}{3}$ mil.*
Hinc in Opdal	*$1\frac{2}{3}$ mil.*
Hinc in Opdalschouw	*2 mil.*
Hinc in Birckager	*2 mil.*
Hinc in Singesocken	*4 mil.*
Hinc Stooren	*2 mil.*
Hinc in Meilbuys	*3 mil.*
Hinc in Leemstrand	*1 mil.*
Hinc in Dronthem	*1 mil.*
Hinc in Kleboe	*1 mil.*
Hinc ad Selbosoe	*1 mil.*
Trans mare ad Selboe Templum	*3 mil.*
Hinc ad Rolshedgarde	*1 mil.*
Hinc ad Froogarde	*2 mil.*
Hinc ad Grysingarde	*2 mil.*
Hinc ad Indalkirke	
Hinc per vastū campū in Iēptenland pervenitur Vlti in Hendal	*12 mil.*
Vsque ad Doeve (in Iempteland)	*6 mil.*
A Dronthem in Iemptenland tendentibus primò Schordal veniendum	*2 mil.*

Hinc in Schoagen	3 *mil.*
Hinc ad Stene	4 *mil.*
Hinc in Soull	3 *mil.*
Hinc Doeve usque	12 *mil.*
A Warneskircke in Stoordal usque ad Lerfol.	1 *mil.*
Hinc ad Kyl	½ *mil.*
Hinc ad Froo	2 *mil.*
Hinc in Kroackstaa	2 *mil.*
Fundane à Warneskircke abest	2 *mil.*
Hinc ad Rynsboe	6 *mil.*
Hinc ad Doere in Iemptenland	6 *mil.*
Hinc ad Noortwijck k.	1 *mil.*
Hinc usque ad Ondersager k.	3 *mil.*
Hinc ad Morsyl	2 *mil.*
Hinc ad Matner usque	2 *mil.*

Nota, hic miliaria Norvagica intelligi, quæ duobus ad minimum Germanicis miliaribus respondent.

SUECIA.

SUECIAM à Norvegiâ dirimit continuum montis jugum, quas Alpes Johannes Gothus, Plinius, ut meminimus, & Solinus *Sevonem* appellant, Riphæis collibus haud minorem, indigenis hodiè *Scula, Skars* & *Dorffrafiel* vocatur. Saxo, ut sæpius nunc atque identidem indicatum, *alpes Dofrinas* dixit; Sueciam porrò *Suediam* etiam & *Suenoniam* dici ex antememoratis patuit. Ei proximè adhærent ejusdemque sunt coronę *Gothia, Finlandia* & *Esthonia*. Et rursum ipsa Suecia in *Sueoniam* propriè sic dictam & *Nordlandias* distinguitur. Quarum Sueciæ provinciæ sunt *Vplandia*, *Vestmannia*, *Dalecarlia*, *Nericia* & *Sudermannia*.

Sueonia. Nordlandia. Sueonum provinciæ.

Vplandia. *Vplandia* ab occasu Sagâ flumine separatur à Vestmanniâ; à boreâ, Dalecarlum amnem interlabentem habet: ab ortu verò & meridie mari Suevico & lacu Mellero alluitur. Solo gaudet haud infæcundo: Dividiturque in tres Volclandias, id est, populorum totidem provincias, *Tiundiam, Attundiam* & *Fierundiam*. *Tiundia*, quę Upsalâ septentrionalior est, à decem prçfecturis, in quas distributa est, nomen habet; ab octo *Attundia* sive *Ottundia*, quæ Stocholmiam inter Upsaliamque & mare est posita: *Fierundiæ*, in quâ est Enecopia, nomen inditum à præfecturis, in quas est distincta, quatuor. Quibus & hoc tempore adnumeratur peninsula **Tozen**, duarum præfecturarum capax. Uplandicarum civitatum totiusque regni prçcipua est *Stocholmia*, sedes regia regnique metropolis emporiumque celeberrimum. Sita est in insula ad fauces sinus Melleri, loco quidem satis oportuno, spectatoribus tamen, ob vicinas rupes, minus grato. Habetq; suburbia duo, quorum australe in littore peninsulę **Tozen**; boreale in Attundia est situm. Plurimas ei commoditates atque emolumenta suppeditat hinc lacus inde mare vicinum; dum cuprum indè ferrumque; hinc vinum, sal, oleum aliæque subvehantur merces exoticę. Proxima est *Vpsalia*, sedes hodie archiepiscopalis, collocata in meditullio quasi Uplandiæ ad ripas Salę amnis, in lacum **Wekelen** illabentis, loco plano amænoque: Habet & alia opida Uplandia *Enecopiam*, *Sittunam*, *Oregundiam*, sed prioribus duobus frequentia & opibus haudquaquam comparanda.

Vestmannia. *Vestmannia* Uplandiæ fertilitate parum cedit, sed mineris ac metalli venis vincit. Civitatum in eâ præcipua est *Arosia*, *Vesteraos* vulgo dicta, sede episcopali temploque cathedrali necnon & arce conspicua. Est & ibi *Arbogiæ* municipium itemque *Copingiæ*.

Dalecarlia. *Delecarlia* Arosiensi episcopo, quod ad jus ecclesiæ, subjecta est. Distinguiturque in *Osterdaliam*, *Vesterdaliam* & *Sondaliam*. Gentem nutrit duratam, ut ille inquit, gelu armisque exercitam.

Nericia. *Nericia* ob uberes, quibus inter ceteras Suecię ditiones affluit, metallorum venas, omnis propemodum generis utensilia ferrea reliquis provinciis copiosissimè subministrat. Opidum unicum habet *Orebroam*.

Sudermannia. *Sudermannia* meridianæ Melleri ripæ adjacet, longitudinem habens ab occidente versus orientem dierum circiter quinque. Episcopus ei Strengenessensis; Emporium prçcipuum Nicopia, cui & arx addita splendidissimè exstructa, sedes Ducis Sudermannię. Sunt & *Telga Torsiliaque* oppida mercimoniis florentia.

Norlandiæ provinciæ: Gestricia. Helsingia. Sequuntur *Norlandicæ* provincię *Gestricia* & *Helsingia*. Quarum illam ab Helsingiâ **Ostdemodt** silva dirimit. Producit *Gestricia* præter ferri mineras, etiam frumentum. Habetque civitatem unicam *Gevaliam*, oportuno loco ad sinum maris sitam: *Helsingiam* ditionis suæ terminos nomenque extendisse quàm longissimè indicio est Scanię Helsingburgum, hodie-

hodieque Danorum regem agnoſcens, ad oram Oreſundæ freti poſitum. Provinciæ ad eam ſpectantes partim ſunt ipſi *Helſingij*, partim *Lappones*: Quorum illi ditiones ſibi ſubjunctas habent *Middelpadiam, Angermanniam* & *Botniam*: hi *Lapponiæ* partem. Regio autem illa, quam propriè nunc *Helſingiam* vocant, olim **Sundhede** nominata. Quod nomen etiam hodiè in ejuſdem provinciæ ſigillo remanet. habet enim inſcriptionem talem: *Sigillum communitatis in* **Sundhede**. Opidum ibidem *Hudingswaldia*: *Middelpadia* Helſingię eſt proxima. inde boream verſus ſubſequitur *Angermannia*: cujus territorium in duo quaſi brachia diviſum. Nam meridionalior pars à mari Finnico verſus occaſum æſtivum protenditur: borealior, quam ſicut & meridionalem à pręrupto illo ac ruinam quaſi minitante *Sculæ* monte ſilva dirimit, ad mare ſimiliter excurrit. Civitas ei unica *Hernoſandia* dicta. *Botnia* verſus Lapponiam & ortum quoq; ſe quam latiſſimè exporrigit. Habetq; ſinum ingentem, qui *Northbothniam* à *Veſtbothniâ* ſeparat, de quo mox. Inter eam & Angermanniam occaſum verſus *Iamptia* eſt poſita, Norvagiæ & Sueciæ confinis, ditiuncula, cui, præter alias dotes, ſolum etiam eſt glebę uberis. Hæc Norvagiæ annexa uni Danorum regi paret.

Middelpadia. *Angermannia.* *Bothnia.* *Jamptia Norvagiæ provincia.*

Lapponia borealium provinciarum extrema, regio eſt latiſſima, ſilvis, montibus, paludibus, lacubus fluminibuſque interſtincta. Agros nullos habet, pabula tamen quibuſdam in locis, præſertim in convallibus. Incolæ venatione, aucupio, piſcationeque victitant; Manſiones certas non norunt, ſed, ut fert commoditas piſcationis aut venationis, per tempus aliquod juxta lacum, flumen, ſilvam vel montem aliquem commorantur, inde habitationem aliò ad locum commodiorem transferunt. Hieme tamen cum tributa pendenda ſunt, certis quibuſdam locis certoq; tempore, quaſi in hordas, ut ibi vocare ſolent, congregantur: Ubi etiam mercatores, quos **Bircarlos** nominant, ſuas exponunt merces. Illo etiam tempore ſacerdotes adſunt, qui infantes baptizant, fideique articulos aliaque Chriſtianæ pietatis exercitia Lapponibus proponunt, examinantq; ac repetunt anno ſequente, quod priori docuerant.

Lapponia.

Hi noſtro hoc tempore tribus parent regibus, Daniæ, Sueciæ, Moſchoviæ; Ad Norvegiam ſeu Daniæ regem ſpectat totus ille tractus, quem *Finmarchiam* nominant, cujus incolę *Scritofinni* appellantur, qui præcipuè piſcatione victitant. Ruthenorum imperio parent, qui illum à caſtro Vardhuſiæ ac Finnemarchiis proximum diſtrictum verſus oſtia maris Albi incolunt. Quæ regio Suedicè *Trinnes*, Lapponicè *Pybeniemi*, Ruthenicè verò **Terschanavoloch** hodiè nominatur: quam etiam ſunt, qui putant eandem eſſe quam veteres *Biarmiam* appellarunt. Lappones hodieque quidquid montoſum eſt *Varama* dicunt, ut indè fortaſſis vocabulum Biarmiæ detortum ſit. Ad Suecum pertinet Lapponiæ pars auſtralior ac mediterranea, quæ à gradu latitudinis 67 ad 71 ſubinde extenditur. Hujus quinque ſunt præfecturę, videlicet **Umalapmarck/ Pitalapmarck/ Lulalapmarck/ Tornelapmarck/** & **Kimelapmarck**. *Scritifinnos*, quorum apud Saxonem Grammaticum mentio, Suedi vulgo Scidifinnos appellant, & eandem quoque appellationem Lapponibus competere ajunt, utpote, qui ſoleis ſimiliter ligneis, quas **Scids** illi vocant, ſolerter uti norunt, celerrimèque per altiſſimas nives currendo feras inſectari iterque peragere ac hoſtem, ubi opus eſt, inſequi ſolent. Tabulæ Peutingerianæ qui memorantur ultra Rhenum ultraque Francos boream verſus *Crbepſlimi*, an huc ſpectent, & an legendum ibi *Scritofinni* ſive *Scidsfinni* malim in medium relinquere, quàm aſſerere. Quamvis nec inde Ptolemæus abeat, qui ſimiliter in continente atque extremâ Germaniâ cis ſinum & montis Venedarum Phinnos, licet perperam, collocat prope Viſtulam, cum è regione & ultra eum ſinum boream verſus hodie agant.

Finmarchia. *Scritofinni.*

Sequitur ſecundum diviſionem ſuperius inſtitutam, *Gothia*. Quæ in *Oſtrogothiam* & *Veſtergothiam* Sueonum præſertim ſcriptoribus, ut & Adamo Bremenſi, quod ante patuit, dividitur. Quarum Oſtergothia à lacu Vethero dirimi putatur, civitates complexa *Vaſtenum*, arce præmunitâ cœnobioque divæ Brigittæ celebre; itemque *Scheningiam*, claram olim, nunc pagi tantum formâ notam, *Lincopiam* epiſcopalem, *Norcopiam* & *Sudercopiam* emporia. Ad eandem pertinere *Oſtrogothiam* volunt *Smalandiam* & *Oelandiam*. Quarum hæc eſt inſula, illa regio ſatis ampla, in circuitu milliaria Germaniæ 95 complectens. Civitates in ea præcipuę ſunt *Calmaria*, *Ienecopia*, *Vixia Epiſcopalis* & *Veſtervicum*. *Oelandia* Calmarię ex adverſo eſt objecta. *Smalandiam* à *Smala* dictam Sueci augurantur, quod *Smala* eorum lingua pecus ſignificet, quo & paſſim terra abundat. Conjunctæ his ſunt Danorum, quæ modò ſunt notiſſimæ provinciæ, *Blekingia* & *Scania*, & in mari Orientali poſita *Gotlandia*, Danicæ coronæ inſula. *Veſtergothia* provincias numerat *Daliam* & *Vermelandiam*, &, quæ illis,

Gothia.

illis est proxima Danici regni pars, *Hallandiam*. Præfecturæ hujus sunt austrum versus *Kindia*, *Marchia*, *Falonia*, *Ridvegia Gudhemia* aliaque. Quarum *Gudhemia* & qui in Scaniâ sunt, superius suo loco memorati, *Gungi* & Gunghercidt/ referre solummodo videntur quos hisce in partibus collocat *Guthos* aut *Gothos* Ptolemæus. Nam *Godlandia*, de qua etiam dictum, non in continente, sed in Balthico mari Danici regni, ut dictum, insula est.

Finlandia.

Hactenus exposita est Suecia, & ei proximè adhærentes tam apud Danos, quam Suecos Gothorum populi. Nunc transmisso maris sinu, quem Suedicum vocant, objicit se quam latissimè *Finlandia*; quæ à *Finmarchia*, de quâ dictum, plane est alia. Johannes Gothus, & alij, esse *Finningiam*, Plinio corruptè *Eningiam* dictam, autumant. Estq; duplex *Aquilonaris* & *Australis*. Quarum hæc initium sumit circa opidum Episcopale *Aboam* dictum: seq; juxta sinum Finnicum versus ortum latissimè protendit. Abo autem, sive *Aboa*, episcopalis, ut dictum, tractus hujus sedes, an Plinij sit insula, quam *Abalum* vocatam Pytheę docet, ex verbis ejus facienda conjectura, quę ità habent lib. 47. cap. 2: *Pytheas credidit Gutonibus, Germaniæ genti, accoli æstuarium oceani Mentenomon nomine, spatio stadiorum sex millium. ab hoc diei navigatione abesse Abalum &c. Huic & Timæus credidit: sed insulam Baltiam nominavit.* Hîc qui vocem *Abalum* in *Basiliam* seu *Baltiam* commutant, quia idem Pytheas, attestante quoque Plinio lib. 4. cap. 13. ejusmodi hoc tractu insulam agnoverit, haud dicere nihil fatear, quamvis innuere interea verba Plinij videantur, remotiorem à *Baltiâ* & *Basilia* posuisse vocem Pytheam, cum addat longè aliter à Timęo hanc insulam dictam, *Baltiam* scil. ut ità Pytheas pręter *Baltiam* aut *Basiliam*, etiam *Finlandiam*, sed oppidi principalis in littore Finnorum ex adverso Germanię positi vocabulo, prodiderit; sicuti *Bergos* quoque insulam iidem antiquissimi, teste iterum Plinio, credidère cum oppidum esse continentis, id est, Norvagię nihil sit manifestius. Et juvat æstuarium istud Mentenemon, quod vocat, esse propemodum ex adverso Aboę. Nam si recte conjecto, erit id sinus Curlandię, ad quem oppidum profundumq; est, quod Memel navigantibus hodie vocatur, vulgo ter Memel/ & Diep van der Memel. Ubi & idem æstuarium insulam facit Regiomonti objectam, quę *Memelæ Narunga* dicitur.

Australis Finlandia.

Aquilonaris Finlandia.

Aquilonaris pars plures complectitur provincias habetq; pręter alias *Botniam*, *Careliam*, &, quę illis est vicina, *Neolandiam*. Botnia insignem habet sinum, olim Dumbshaff/ quasi *Dumbi mare* vel æquor dictum. Vulgò, sed perperam, *Boddicum sinum* vocant. Rectius illi qui Bothnicum appellant, & terram, à boreâ huic finitimam, *Northbothniam*; Quę enim ab occasu & ortu est *Vestbothnia* & *Ostbothnia* dicitur. *Carelia* hucusque controversi inter Suecum & Moschum juris fuit, nunc, ut videtur, latis Moscho auxiliaribus nuper copiis, Sueco in totum cessit. Claudit ab ortu latus Scandinavię, duobusque fluviis, altero *Dimsaki* versus boream in sinum Albi maris, altero Provenetz dicto, in *Onegam* lacum illabente à Russis dividitur. Eâque ratione Scandinaviam velut peninsulam reddit, Isthmo saltem miliarium aliquot Germanicorum relicto, Maanselhe dicto. Civitatum Carelię pręcipua est *Viburgum*, emporium satis celebre, vallo, fossis atque arce communitum. *Kexholmia* arcem etiam habet in insulâ ad ostium fluminis Woxen sita. Hanc Rutheni Carelegorod/ id est *Careliæ opidum* appellant. Horum utriusque Finlandię populorum, ut est Lappionum, de quibus superius diximus, idioma, plane est à linguâ Danorum, Suecorum ac Norvagorum, qui ad Saxonicum aliquatenus accedentes dialecto tantùm differunt, diversum longeque aliud. Et edidit nuperrime typis descriptum Josephus Thomę Cyrolaus Aboensis M. Lutheri Enchiridium linguâ Finnicâ, quod inter cetera raritatum ceimeliâ servat in pinacothecâ suâ vir amplifs. mihiq; multis nominibus amicissimus Ernestus Brinckius, urbis Hardervicenæ senator ac consul. Ex eo, quod dicimus, satis est intelligere. atque ideo ex eodem hoc Enchiridio, ut etiam specimen aliquod ejus idiomatis in promptu studiosis sit, cujusmodi exhibeatur Oratio Dominica, his subjicendum censui. Est verò ejusmodi:

Linguæ Finlandicæ specimen.

Pater noster qui es in cælo, sanctum fiat tuum nomen adveniat tuum reg-
Isa meiden joca olet taiwaisa / pyhitetty olcon sinun nimes: la hestulcon sinun Walda-
num. fiat tua voluntas sicut in cælo sic in terrâ, nostrum
cunda, olcon sinun tahtos nyen maasa cuinon taiwas / Anna meille tana paiwan. meiden
quotidianum panem da nobis remissionem da no-
jo capaiwainen leipam ja anna meidan welcanme anderi/ninquin me anderi annamme mei-
stris peccatis &c. & ne inducas nos in tentationem. sed libera nos à malo &c.
den welgolisten. Ja ala johdata meita kiusauxen. mutta paasta meita paastha. Silla etta sinum on waldacunda/ woima ja/ cunnia/ pancaickisesto nyn pancaickisehen. Amen.

Eandem

Eandem hanc precationem eodem quoque idiomate, super addita Latinâ interpretatione, ita evulgavit Hieronymus Megiserus:

Pater noster, qui es in cœlo: sanctum fiat tuum nomen, adveniat tuum re-
Isa meidhen/ joko oledh ta iuahissa; puhettu olkohon sinun nimesi: tulkohon sun Walta-
gnum, fiat tua voluntas, sicut in cœlo, sic in terra; nostrum quotidianum pa-
kunta; si olkohon sinun tahtosi/ kuwin tai vahissa/ nyn man' palla/ meidhen jokapaiwen leipa
nem da nobis hoc die, & da remissionem nostris peccatis, sicut nos remittimus nostris
anna mehilen tana paiwane/ ja anna antexe meiden syndia; kuwin moe annamma meden va-
adversaris, & ne inducas nos in tentationem, sed libera nos à malo.
stahan rickoillen: ja ale sata mei ta kin sauxen/ mutta paasta meite pahasta. Amen.

Quâ in utrâque Oratione notanda duo, voces nimirum, licet paucę admodum, quas habet cum Danis, Saxonibus seu Germanis aliisque communes; tum & utriusque, quæ est à *Iosepho Cyrolao* & *Megisero* allata, diversitas. Ad prius referendum *sinum*, quod apud Megiserum est, *sinu*, pro *tuum*: quod à Saxonum nostratiumve *sijn* haud multum abit: itemque *nimes* (in Megisero est *nimesi*) ad *nomen* & nostrum **naem** proxime accedens. *Leipa*, quod *panem* notat, tantum cum sermone Gothico, cujus orationem Dominicam posuit Megiserus, & in Mithridate suo *Gesnerus*, affinitatem aliquam habeat. Gothi enim **Hlaiff unsera**/ *panem nostrum* dixerunt. sive id à corpore quia corpus alat (Saxonicè enim & Danicè **leib** & **lief** *corpus* dicitur) sive, ut *Vaserus* interpretatur, quia sit **ein leib brood**/ id est, *charus panis*, & veluti necessitatis panis. Deinde *syndia, peccatum*, quod habet Megiserus, id Cyrolaus Aboensis Finlandus, **welgolistem** sive **welgelusten** dixit. Utrumque tamen Germanicum. Nam sicuti **sunden**/ *peccare* & *peccatum* dicimus, ità **welgelusten** significat nobis *voluptates* & *appetitus* non bonos. Postremo clausulam illam, *Quia tuum est regnum* &c. quam expressit Finlandicè Cyrolaus, totam omisit Megiserus. Sed de his & Linguâ universâ gentis Boreæ alibi fortasse dicetur propius.

Esthonia, quæ ultimo loco indicata, Æstiorum, ut Tacitum appellasse antiquitus ostensum alibi, provincia; Livoniæ nunc ea pars habetur, quæ extra Finnicum sinum ad orientem posita, *Harriam* & *Wirriam* ditiones complectitur, quæ & Plinio, ut supra memoratum, *Hirrorum* & *Wirrorum* vocabulo fuerunt notæ ac nominatæ. Hodie metropolis est Harriæ *Reualia*: *Wirria*, præter *Wezenbergam* & *Tolsburgum* aliaque, etiam *Nervæ* oppidum habet, emporium interfluente rivo, bifidum quorum illud Russorum, hæc Nerva Suecorum dicitur. Olim universus is tractus à Daniæ regibus, & præsertim Voldemaro II, accipere Christiana sacra, multis depugnatis præliis, coactus fuit. Et seculo uno alteroq; post, in potestate adhuc *Voldemari* III fuisse eo liquet, quod is fratrem *Othonem* aliosque ei provincię præfecerit. Ad Sueciam exinde anno demum 1557 quomodo devenerit, refertur in historiâ. *Esthonia.*

Atque hæc de utraque continente, Cimbricæ Chersonesi &, quæ ex adverso est posita, Scandinaviæ. Quarum ad Cimbricam Chersonesum, quod est superius omissum, id hoc loci adjiciendum existimo, Zimbrensium (in Palatinatu) Comitum originem, ex quorundam sententiâ, repetendam videri à Cimbris quoque, quorum pars in Nigra Silvâ atque ibi locorum consederit: Et in illâ hodieque reperiri **Herrenzimbern** / **Waldzimbern**/ **Marschalckzimbern**/ **Rotenzimbern.** Tum & addunt, in antiquis monumentis Barones istos scribi cum C. litera **Cimbern**. & ipsa quoque insignia eorundem idem arguere; Barones quippe Cimbrenses pro signo militari habere leonem gestantem pedibus suis bipennem. quod quidem etiam Norvagiæ regum insigne esse suo exinde loco dicetur.

BALTHICI MARIS, IN QUO INSULÆ SCANIAM ET ChersonesumCimbricam inter jacentes sunt sitæ, brevis ex priscis authoribus, qui non uno id nomine appellarunt, enodatio.

EXplicatis, præter Cimbricam Chersonesum Germaniæ quam proximè contignam, Scandinaviæ quoque, eidem Germaniæ per Moschos Polonosque cohærentis quam longissimè, partibus; nunc ad insulas, quæ utramque interjacent Schandiam inquam & Chersonesum oportunum digredi, modo ipsum prius, in quo illæ sunt sitæ, pelagus quam brevissimè attigero.

Hodie

Hodie universum hoc mare, quà se abusque Oresundę freto, cui appositum, præter cetera, *Helseburgum* diximus, in Vistulę ostia atque ultra in Moschos Livonosque exporrigit, 𝔒𝔬𝔰𝔱𝔷𝔢/ id est, orientale mare nominatur. Crantzius, & ante eum Adamus & Helmoldus primi omnium, *Balthicum mare* Latinè dixerunt. Nam quod Ortelius Xenophonti Lampsaceno, authori Græco, tribuit, quasi is antiquissimis jam seculis *Balthicum mare* agnoverit, apud authores disertè non reperio. Plinius enim, qui solus, quod sciam, Xenophontem de hoc verba facientem inducit, nequaquam ità à Xenophonte appellatum hoc mare ait, sed in eo insulam collocari ab eo memorat, *Balthiam* nomine. Ita enim verba, quæ huc spectant, Plinij habent lib. IV cap. XIII: *Xenophon Lampsacenus, à littore Scytharum tridui navigatione, insulam esse immensæ magnitudinis Balthiam tradit, eandem Pytheas Basiliam nominat.* Et paulo antè eodem capite idem iterum Plinius: *Transgressis Riphæos montes littus oceani septentrionalis in lævâ, donec perveniatur Gades, legendum. Insulæ complures sine nominibus eo situ traduntur. ex quibus antè Scythiam, quæ appellatur Balthia, abesse à Scythiâ diei cursu, Timæus prodidit.* Ex quibus liquidò satis patere puto, non tam mare ibi aliquod *Baltiæ* quam in isto Septentrionis mari *Balthiam* insulam agnovisse vetustissimos illos Græciæ authores; & Pythiam vitiosè *Basiliam* pro *Balthiam*, quomodo & Timæus & Xenophon accuratè nominarunt, expressisse. Interim tamen *mare* istud *Balthicum* appellitare ex verbis partim authorum, partim quod hodieque pars hujus maris, quę est intra Zelandiam & Fioniam, de 𝔅𝔢𝔩𝔱 appelletur, ut nullus dubitem; ità ab eodem 𝔅𝔢𝔩𝔱 sive 𝔅𝔞𝔩𝔱 *Balthiam* quoque & Balthicum ipsum mare dici posse, quemadmodum, quod inter Italiam & Illyricum est, *mare Hadriaticum*, dictum fuit *Hadria*, ab *Adria* insulâ sive scopulo in medio istius maris sito, haud abs re existimaverim. Ut ita *Balthiæ* nomen hic esse antiquissimi seculi vocem manifestum sit, licet, ut infra patebit, eam neque Mela, neque Tacitus neque Ptolemæus usurpasse uspiam reperiantur: cum tamen ex Plinio latuisse ea Tacitum haud potuerit. Postmodum, ut innui, interiores seculi authores, ut Helmoldus & Adamus in usum eam & memoriam revocarunt, & maxime omnium Adamus. Is enim, ut verbis ejus mox ostendetur, incolis ità vocitari inquit. quod nec hodiè desitum, præsertim eâ, ut dixi, parte, quæ est inter Fioniam & Selandiam, ubi 𝔅𝔢𝔩𝔱 hodieq; dicitur, quod *cingulum* sive *baltheum* indigenis notat. Et est revera haud alia ibi oceani & terrarum facies, quam si mare in modum Balthei terras incingat.

Xenophon Lampsacenus. *Plinius.* *Balthia.* *Balthicum mare.*

Qui Plinium præcessisse putatur, *Pomponius Mela* est. Is, ut dictum, nuspiam Balthiæ aut Balthici maris mentione factâ SINUM CODANUM vocat. Ejus verba sic habent lib. 3. cap. 3: Super Albim Codanus ingens sinus magnis parvisq; insulis refertus est: acre mare, quod gremio littorum accipitur, nuspiam latè patet, nec usquam mari simile, verum aquis passim interfluentibus ac sæpè transgressis, vagum atque diffusum, facie amnium spargitur, quà littora attingit, ripis contentum insularum non longè distantibus, & ubique pene tantundem, ut angustum & par freto, curvansque subinde se, longo supercilio inflexum est. in eo sunt Cimbri, & Teutoni, ultra ultimi Germaniæ Hermiones.

Sinus Codanus Pomponij Melæ.

Melam aspexisse Plinius videtur lib. 4. cap. 13 ubi similiter Codani sinus meminit, aliaque interserit, quæ ordine adscribam:

Sevo, inquit, mons ibi immensus nec Riphæis jugis minor, immanem ad Cimbrorum usque promontorium efficit sinum, qui *Codanus* vocatur, refertus insulis: quarum clarissima Scandinavia est, incompertæ magnitudinis, portionem tantum ejus, quod sit notum, Hillevionum gente D incolente pagis, quæ alterum orbem terrarum eam appellat. Nec est minor opinione Eningia. Quidam hæc habitari ad Vistulam usque fluvium, à Sarmatis, Venedis, Scyris, Hirris tradunt. Sinum Cylipenum vocari, & in ostio ejus insulam Latrin. Mox alterum sinum Lagnum conterminum Cimbris.

Plinij. *Cylipenus sinus.*

Tacitus, qui Germaniæ quod erat versus boream in insulis esse in universum cum ceteris credens, eundem hunc sinum generali vocabulo aliquando *oceanum*, aliquando *sinum Germaniæ*, aliquando *Suevicum mare* appellavit. Oceanum dixisse videtur in principio statim libri de Germaniâ: *Cetera* OCEANUS *ambit, latos sinus & insularum immensa spacia complectens.* Et infra: *Est in insula* OCEANI *castum nemus.* Et postea: *Protinus deinde ab* OCEANO *Rugij & Lemovij.* Nisi locis illis omnibus ambientem sinus hujus oras insulasque intelligi oceanum illum magnum velit, cum præsertim Sinum hunc *Germaniæ* exinde nominet, eumq; *proximos Oceano Cimbros tenere* addat, his nimirum verbis: *Eundem* GERMANIAE SINUM *proximè oceano Cimbri tenent*: Et statim ibidem, non *oceanum* sed *Suevicum mare* vocans: *Ergo jam dextro* SUECI MARIS *littore Æstiorum gentes alluuntur.* Ut ità ad ejus discrimen *Oceanum* vocarit,

vocarit, quidquid externum fuerit, quodque *Germanicum* modò & *Norvagicum* modò *Britannicum* itemque *Cimbricum* appellamus.

Quibus ex omnibus denuò liquere potest nuspiam Melę aut Tacito mentionem Balthię factam, scriptoribus tamen qui Melam Tacitumque præcesserunt, & præsertim Græcis illis antiquissimis tantopere celebratæ, & hodie quoque his in oris, ut dictum, superstitis vocis. Mela interim in verbis jam indicatis, ut de primo primum dicam, admodum hunc nobis maris sinum graphicè depingit. Nam *super Albim*, quod ait, intelligi debet de boreali situ, hunc nimirum sinum ultra Albim versus septentriones expandi. Et deinde *Codanum* cum appellet nihil sit certius quam *Danum*, *Danicum sinum* voluisse dicere. Melam enim quod alibi meminisse me puto, barbara vocabula, & quæ, ut ipse queritur, vix ore Romano eloqui poterat, ita intorsisse est verisimile, ut eas vel prosthesi auxerit, vel alias aphæresi decurtaverit. Atque ita cum *Danum* aut *Danicum* dicere potuisset, maluit apposita syllaba *Cdanum* aut *Codanum* efferre, quemadmodum *natus* & *gnatus* etiam Latinis efferri promiscuè solet. Nec aliter quoque pervetus illa Danorum colonia, quam vulgus perperam *Dantiscum* nominat, *Danum Gdanum* & *Gedanum* denique est dicta. Illustrissimus etiam ille Daniæ Rex, qui Danis indigenis hodieque *Cnutus* dicitur, pontifici Romano primum *Canutus* est nominatus. Est & Theutonum nonnullis familiare G. literam multis vocibus præmittere. Nam quod his est **mag**/aliis **gemach** est; **been/Gebein, Berch/Gebirch/ burd, Geburd; fadder/Gefadder**; & infinita alia. ut omittam *Herthum*, quod *terram* notare Germanis Tacitus dixit, hodie sine aspiratione **eerth** nos dicere: Et qui olim *Hlotvicus, Hludvæus* & *Clodovæus* dicebatur, *Ludovicum* modò efferri. Mela porrò cum *magnis parvisque insulis refertum* eundem *sinum* dicat, verissimè hoc dixisse ex tabulis atque inspectione hodiernâ liquet. Et statim quoq; ex ipsâ insularum recensione plenius liquebit. Sic & *acre mare* cum nominet, haud abs re itâ nominasse probant perplurium naufragia. Quod autem nusquam *latè patere* nec uspiam mari simile esse dein memoret, id quidem de sinu ejus, quatenus Cimbricæ peninsulę est vicinus, in quo *Femera*, *Fionia*, *Selandia* aliæque sparsim insulæ jacent, concedi possit, at non de omni & universo mari, cum præsertim inter Suediam & Borussiam latitudo ejus, ut putant nonnulli, cc amplius millia passuum contineat; quamvis Eginhartus nusquam eam centum millia passuum excedere tradiderit, ut infra, allatis ejus verbis, dicetur. Quodque deinde in Melæ ejusdem verbis sequitur, *sæpe omnium facie spargi & apparere*, verum erit de sinu ejusdem maris, ut dixi, proximiore, quà è Cimbricâ Chersoneso, aut è Schaniâ in insulas vicinas trajectus est. Ac denique *in eo* cum *esse* ac colere *Cimbros, Teutones & ultra ultimos Germaniæ Hermiones* referat, de *Cimbris* id capiendum, quatenus Chersonesum sive peninsulam eorum à parte orientis hoc mare alluit; *Teutoni*, ut mox dicemus, in certâ sinus hujus insulâ collocati fuêre: *Hermiones* vitiosè expressum pro *Hillivones*, quos Plinius nominat: Nisi & ipsi potius, ut ante & alibi etiam aliis est commonitum, *Suiones* fuerint, Tacito hoc præsertim terrarum tractu peculiariter commemorati. *Hermiones* enim minime ei loco convenire certo est certius, utpote quos in intimâ ac mediâ Germaniâ Plinius & Tacitus collocarunt. Itaque *Hillivones* utpotè proxime vestigia literarum pro voce *Hermiones* exprimi hîc prætulerim.

Jam, quæ proxime subjecimus, Plinij verba, quod ad sinum hunc oceani attinet, idem propemodum cum Melâ dicunt: Nam & *Codanum* similiter nominant, *insulisque refertum* produnt, & esse earum clarissimam *Scandinaviam* incompertæ magnitudinis, partemque ejus tenere *Hilleviones*. Quorum Scandinaviam alluere quidem hoc mare, sed insulam non esse, & *Hillevionum* superesse etiamnum vestigia aut esse fortasse Taciti *Suiones*, jam ante ostensum est. Sed idem Plinius, quæ deinceps addit, ejusmodi sunt, quæ plus quàm Mela habet dicunt. Nam illud de *Clylipeno* deq; *Lagno sinu* quis alias prodidit? Et tamen *Clylipenum* eum videri sinum, qui nunc Livonicus dicitur, Rigam versus, in cujus ingressu *Osilia* est insula, Plinius LATRIN hic dixerit, quibusdam est verisimile, quod præter Sarmatas etiam Hirros & Venedos hîc agnoscat. Collocari autem eas gentes circa hunc Germaniæ districtum, Ptolemæus ostendit, qui & inde hunc sinum ut statim dicetur, non *Clylipenum* sed *Veneditum* appellat. Nisi potius dicere *Clylipenos* fortassis libeat, qui Helmoldo *Circipani* nominati à *Pane* vel, ut scribunt alij, *Pene* fluvio. Sanè sinum eum, in quem *Penus* amnis Viadrusque, nunc Odera dictus, se effundunt, ingentem esse ac milliarium circiter decem habere longitudinem & hodie ab aquæ dulcedine **Frisch Haff** appellari constat. Et Plinius postremò cum *Lagnum sinum* Cimbris dicat esse conterminum, haud dubitandum, de sinu capiendum qui juxta Fioniam est **Langesundt** hodieq; dictus, id est, *Longus sinus*

ſinus ſive *fretum longum.* Quin & inſula ibidem *Langelandia*, à figura ſic dicta, quaſi *longam terram* dicas, ut inde refeketur.

Tacitus porrò, qui proximè ſequitur, cum non uno, ut poſuimus, nomine hunc maris ſinum appellaverit, nuſquam interim, ut Mela Pliniuſque, quod tamen illos ſecutus potuiſſet, *Codanum* dixit. Et eſt præterea in verbis ejus notandum, non unum modò ſed plures in hoc ſinu ſinus agnoviſſe eum, cum dicat, *Cetera oceanus ambit, latos ſinus & inſularem immenſa ſpacia complectens.* Nam, ut relatum jam eſt, Plinio, præter *Codanum*, etiam *Cylipenus* & *Lagnus* nominati ſinus, ut omittam perplures alios hodie notiſſimos, qui deinde dicentur. *Suevicum* autem *mare* Tacito dictum putem, vel à populis *Suevis*, oram ibi extremam Germaniç accolentibus, vel à flumine potius *Suevo*, quod in illud mare, ut habet diſerte Ptolemęus, ſe exonerat. Et inde quoq; ipſos Germaniç Suevos & qui ſunt in ultimâ Boreç peninſulâ Scandinavia Taciti *Suiones* nomen habere veriſimile habeam; præſertim cum hic fluvius pro varietate dialectorum *Swene*, *Sueen* & *Suine* dicatur. Quamvis & *Sevo* mons, cujus ex Plinio meminimus, qui ut eſt oſtenſum ſuperius ex adverſo Riphęorum montium initiū ſumens inter Suediam & Norvegiam ad fauces uſq; Codani ſinus, verſus Cimbrorum promontorium procurrit, aliquid hîc etiam ad nominis rationē momenti adferre potuiſſe veriſimile ſit, pręſertim cum eum efficere hunc ſinum Plinius dicat, includere volens dicere: Licet hodie veteris nomenclaturæ hujuſque jugi ne veſtigium quidem uſpiam occurrat, cum, ut innuiſſe jam antè etiam puto, *Skars*, *Sula*, *Dorffrafiel* nominetur modò, & inde *Dofrinas alpes* dixerit Saxo noſter. Generatim vero, ſi ad obruſſam linguę Germanicæ revocare Suevorum vocabulum libeat, ſonabunt *Suevi errabundos*, quod **Schweben** Germanicè *meare* ac *vagari* notet, quemadmodum quoq; jam ante à nobis prolixius eſt memoratum. Tacitus porrò, cum eundem hunc ſinum ambiri ab OCEANO dicat, id eâ feciſſe mente exiſtimem, quod ipſe communi veteribus omnibus errore, illa Germaniæ verſus ſeptentrionem in inſulis eſſe & nihil ibi continentis haberi crediderit. Et denique *Germaniæ ſinum* vel ideo appellat, quia is Germaniam quaſi diſpeſcens, hinc meridionalem, illinc borealem Germaniam videatur conſtituere. Nec aliò reſpicens Jornandes *Scanziam* dixit eſſe collocatam in oceani arctoo ſalo, ubi *ſinu diſtento* efficeretur *mare Germanicum*. Ita enim loquitur: *Eſt in oceani arctoo ſalo poſita inſula magna nomine Scanzia, in modum folij cedri, lateribus pandis, poſt longum ductum concludens ſe. ripas influit oceanus. Hæc à fronte poſita eſt Viſtulæ fluvij. ab oriente habet vaſtiſſimum lacum, in orbis terræ gremio, unde Vagi fluvius, velut quodam ventre generatus, in oceanum undoſus evolvitur. Ab occidente, immenſo pelago circumdatur. à ſeptentrione quoque innavigabili eodem vaſtiſſimo concluditur oceano, ex quo quaſi quodam brachio exeunte, ſinu diſtento,* GERMANICUM MARE *efficitur.* Ubi *Germanicum mare* haud aliud eſt quam *Suevicum*. *Vaſtiſſimum* verò *lacum* intelligit eum, qui *ſinus* vulgo *Granvicus* appellatur. In hunc autem *Vagus* fluvius effunditur, inferiore ſui parte, à Uladiſcio lacu ad exitum uſque in ſinum, *Onega* dictus. Jornandes minus rectè oriri eum ex hoc ſinu, atque indè in oceanum evolvi ait, cum non in oceanum, ſed in hunc propriè ſinum, quem dixi *Granvicum* effundatur, niſi oceanum accipere libeat de oceani quoque huc influentis ſinu aliquo, ut eſt jam modò indicatum. Quin & idem Jornandes, ut ibi *Germanicum mare*, ita alibi *oceanum Germanicum* eundem hunc ſinum dixit in Geticis ſuis, ubi hæc legas: *Æſtiorum ſimiliter nationem, qui longiſſimam ripam oceani Germanici inſident idem ipſe prudentiæ virtute ſubegit.* Ubi *Æſtios* ait *longiſſimam oceani Germanici ripam inſidere*, quomodo & Tacitus modò dixit, *dextro Suevici maris littore Æſtiorum gentes alluere*, qui & ibidem continuò adjiciens inquit, *Æſtiis iiſdem ritum habitumque Suevorum eſſe, ſed linguam Britannicæ priorem.* Ut facile hinc cognoſci poſſit, hos eoſdem, qui Eſthonum hodie nomine haud ignoti ſunt inq; arctum circa Livoniam compreſſi, tum latius ſecundum Balthici hujus maris littus, ubi nunc fere ſunt qui **Oſterſche** vulgo dicuntur, coluiſſe.

Suevicum mare

MARE GERMANICUM, VENEDICUS SINUS & OCEANUS Sarmaticus Ptolemæi; ſingulaque collata cum ſuperioribus explicataque. Ubi & de Venedis, Vandalis, Slavis & Longobardis aliiſque huc ſpectantibus.

TACITO proximè poſt Melam & Plinium ſuccedit Claudius Ptolemæus, cujus tabulæ ac deſcriptiones chorographicæ paſſim in manibus ſunt. Is ſuper hoc maris ſinu verba

verba faciens, à prioribus planè diversa promit, præterque alia hæc habet: *Sarmatia Europæa terminatur ab septentrionibus* OCEANO SARMATICO, *quà* VENEDICUS *est* SINUS. Ubi si exemplar Græcanicum, quomodò oportet, sequamur rectius vertemus, *Sarmatia Europæa circumscribitur à septentrionibus oceano Sarmatico juxta Venedicum sinum* κατὰ τὸν οὐενεδικὸν κόλπον, ut intelligatur *Sarmaticus oceanus* esse proximus *sinui Venedico, Venedicus* autem *mari Germanico*, quod in ipsis Ptolemæi Tabulis ponitur ex adverso Suevi fluminis, ut ita intra GERMANICUM MARE & SARMATICUM OCEANUM medium ex Ptolemæi sententia teneat locum SINUS VENEDICUS. *Sarmaticus* autem ei *oceanus* versus boream extimus ponitur, qui & insulam, quæ eidem Scandiarum est maxima, totus circumluit. *Germanicum* verò, quod appellat *mare*, proximum constituit Chersoneso Cimbricæ & insulis, quas vocat Scandiæ, quarum cum tres minores agnoscat, quarta est omnium, de qua dixi, maxima, Scandiæ nomine: Plinius Scandinaviam appellavit, remanente hodieq; ut & alibi dictum, nominis ejusdem in **Schone** manifesto vestigio. Facitque hoc pacto Ptolemæus, licet unum sint, contigua hæc tria maria, *Germanicum, Venedicum, Sarmaticum*. Tacitus, ut supra patuit, in universum, *mare Suevicum* itemque *sinum Germaniæ* dixit, Mela & Plinius *sinum Codanum*: Atq; eo modo non solum *Venedicus sinus*, quod plures credidêre, aut *Mare* Ptolemæi *Germanicum Sarmaticumque*, sed junctim hæc sumpta id solum expriment, quod Mela & Plinius *sinu Codano*, Tacitus *Suevico mari* voluêre intellectum, quamvis ut etiam ante memini, sinus & veluti gremia quædam hujus maris minora sint plura, & inter alia *Clilipenus* Plinij & *Lagnus*, de quibus dictum, aliaque hodie magis nota, nec in hunc censum, sed suo mox loco referenda. *Mare Germanicum.*

Porro *Sarmaticus* Ptolemæi *oceanus*, ut de eo primum dicam, minus à Ptolomæò accurate expressus, nec exprimi ab eo aliter potuit, præsertim cum ipse Scandiam esse insulam crediderit, & alibi incognitas sibi boreæ has terras fateatur. At idem si esse cum Europæâ Sarmaticâ continentem Scandiam habuisset exploratum, non *oceanum* sed *sinum* hunc Sarmatiæ dixisset. Concluditur enim intra Finnorum Æstiorumque ac Venedorum littora, qui verè aliàs oceanus fuisset, si nimirum versus boream pervius cum extimo illo ac borealissimo oceano, ut perperam habet Ptolemæi hydrographia, se conjunxisset. *Sarmaticus oceanus.*

Huic Sarmatico oceano proximum constituit *Venedicum sinum*. Ita enim verba ejus superius posita loquebantur: *Sarmatia Europæa terminatur seu definitur ab septentrionibus oceano Sarmatico, juxta Venedicum sinum.* Et iterim libro VIII Tabula VIII: *Terminatur Sarmatia à septentrionibus oceani Sarmatici Venedico sinu.* Undè simul intelligere est, primò oceani Sarmatici finem à parte unâ esse hunc *sinum Venedicum*, & ab alterâ vicissim initium eum constituere *maris Germanici*, sed ità ut sinus hic magis Sarmatici, quam oceani seu maris sit Germanici. Nam & Plinius libro quarto capite decimo tertio: *Nec est minor opinione Finningia. Quidam hæc habitari ad Vistulam usque fluvium à Sarmatis, Venedis, Scyris, Hirris tradunt. Sinum Clylipenum vocari &c.* Deinde colligere est, appellationem sinui dedisse, quemadmodum *Sarmatico* & *Germanico* ibidem *mari Sarmatas* & *Germanos*, ita hìc quoque ipsam, quæ eum quàm proximè accolebat, *gentem Venedorum*. Ea autem cujusmodi gens fuerit, ex Tacito, qui Ptolemæum tempore nonnihil præcessit, liquere potest, ubi ait in libro de Germaniâ: *Peucinorum, Venedorumque & Fennorum nationes Germanis an Sarmatis adscribam, dubito. quanquam Peucini, quos quidam Basternas vocant, sermone, cultu, sede ac domiciliis, ut Germani agunt &c. Venedi multum ex moribus traxerunt. nam quidquid inter Peucinos Fennosque silvarum ac montium erigitur, latrociniis pererrant. Hi tamen inter Germanos potius referuntur, quia & domos figunt & scuta gestant, & pedum usu ac pernicitate gaudent: quæ omnia diversa Sarmatis sunt, in plaustro equoque viventibus.* Ecce, præter Tacitum, Plinius & Ptolemæus, *Sarmatis* æquales aut saltem egisse immixtos *Venedos* tradunt. Ptolemæi enim verba disertè *Sarmatici oceani* partem faciunt *sinum Venedicum*: Et Plinius, præter alia, *Venedos* cum *Sarmatis* jungens, *sinum* etiam illis tribuit *Clylipenum*, in cujus ostio, ut est superius memoratum, *Latris insula*, nunc fortasse *Osiliam* dicimus, est collocata. Solus Tacitus an Sarmatis adscribat dubitare se ait: Nam licet multa ex moribus eorum trahere eos fateatur, interim ad Germanos potius referendos existimat, ob rationes, quæ verbis ejus allatis sunt positæ. Quibus hìc tamen standum potius, Tacito ne an Plinio & Ptolemæo, hæret sententia. Qui hos sequuntur, etiam Jornandis hæc verba adducunt: *Introrsus Dacia est, ad coronæ speciem arduis Alpibus emunita: juxta quarum sinistrum latus, quod in aquilonem vergit, & ab ortu Vistulæ fluminis per immensa spacia venit, Winidarum natio populosa consedit,*

Venedicus sinus.

Venedorum gens.

Plinii Insula. Latris Osilia, vide supra.

sedit, quorum nomina licet nunc per varias familias & loca mutentur principaliter tamen Slavini & Antes nominantur. Disertè ibi *Venedorum* sive *Windorum* pars appellantur *Slavini* aut *Slavi*. Nam

Slavini & Antæ.

& ità quoque idem post appellat, ubi de Gothorum, Daciam tum incolentium, expeditione loquitur: *Post Herulorum cædem idem Hermanricus in Venetos arma commovit. Hi ut initio expositionis vel catalogo gentis dicere cœpimus, ab unâ stirpe exorti, tria nunc nomina reddidêre, id est, Veneti, Antes, Slavi. Qui, quamvis nunc, ita facientibus peccatis nostris, ubique deſæviunt, tamen tunc omnes Hermanirici imperiis servière. Hæstorum quoque similiter nationem, qui longissimam ripam oceani Germanici insident, idem ipse prudentiæ virtute subegit, omnibusque Scythiæ & Germaniæ nationibus ac si propriis laboribus imperavit.* Ubi *Slavos* vocat, quos autea *Slavinos* dixerat. Sunt autem hi hodieque à Germanis diversi planè generis, utpotè, qui per Moschos Russiamque magnam ac minorem, perque Litaviam, Poloniam, Podoliam, Moldaviam, Valachiam, Bulgariam, Serviam, Slavoniam, Dalmatiam, Croatiam, Vinidorum Marchiam, Carniolam, Moraviam, Bojohiemum, Lusatiam & Cassubiam quam latissimè nunc agunt. *Venedos* interim minus rectè *Venetos* appellavit, cum hi cum Venetis, ad Padum ac mare Hadriaticum agentibus, nihil commune habeant: Accedit Jornandis huic testimonio, quod hodieque ejusdem Slavici generis populi in Germania per Marchiam Brandenburgensem perque Pomeraniam & Lusatiam, vulgo Germanis appellentur de **Wenden** & regio ab ejusdem generis natione habitata, inter Histriam, Forum Julium, austriæ urbem Carniolam, Slavoniam & Croatiam, **die Windische Marck**/ id est *Vinidorum marchia*: item in Hungariâ sub Carpaticis sive Sarmaticis montibus, inter Vagum Granumque amnes, vicus est **de Windische Probe** dictus: à quo haud procul alius vicus ad Vagum amnem, de gentis universæ vocabulo *Slavina* vocatur. Et adde Saxonem Grammaticum in historiâ suâ Danicâ passim *Slavos* appellare, quos eum antecedens & sequens ætas authoresque *Vendos* & *Vandalos* nominarunt. Nam & Crantzius, Crantziumque secutus Cythræus, *Vandaliam* dixerunt totum eum Balthici maris tractum, qui est ab ultimâ Livoniâ in Cimbros usque. Et ante omnes Helmoldus in Chronico suo, quod Slavorum inscripsit, hæc habet: *Ubi Polonia finem facit, pervenitur ad amplissimam Slavorum provinciam eorum, qui antiquitus Vandali, nunc autem Winithi sive Winuli appellantur.* Quibus sanè verbis satis indicatur per *Slavos* Helmoldum non *Vinithos* modo & *Vinulos*, sed & *Vandalos* intelligere: qui **Wenden** hodie nuncupantur.

Veneti Venedi.

Vinidi, Vendi.

Vandali.

Vinithi, Vinuli.

Objici tamen potest, *Venedi* cum ex Helmoldi & Jornandis non modo, sed & Plinij ac Ptolemæi, ut patuit, sententiâ Slavi ac Sarmatæ sint, Vandalos verò non Plinius solùm, sed & Tacitus Germanos faciat, Vinedos Slavos non posse esse Vandalos Germanos. Nec illud modo, sed & Tacitus præterea cum *Venedos* & *Vandalos* nominet, videri eum ut nomine ita & re diversos intellexisse. Nam in Germaniâ suâ, ubi Vandalorum solummodò, quantum memini, apud eum occurrit mentio ita eorum meminit, ut indicet prodidisse authores unum ex Tuisconis Dei filiis eo fuisse vocabulo appellatum. Et Plinius libro quarto capite decimo quarto Germanos in quinque genera distribuens hæc habet. *Germanorum genera quinque, Vindeli, quorum pars Burgundiones, Varrini, Carini, Guttones, alterum genus Ingevones; quorum pars Cimbri, Teutoni ac Cauchorum gentes; proximi autem Rheno, Istævones, quorum pars Sicambri. Mediterranei Hermiones; quorum Suevi, Hermunduri, Chati, Cherusci, quinta pars Peucini qui & Bastarnæ.* Horum quoque omnium ferè nomina locus, quem innui, Taciti sub initium mox libri de Germaniâ refert, præter Bastarnas, quorum in fine tamen ejusdem libri meminit. *Celebrant*, inquit, *carminibus antiquis, (quod unum apud illos memoriæ & annalium genus est) Tuisconem Deum terrâ editum ac filium Mannum, originem gentis conditoresque. Manno tres filios assignant, è quorum nominibus proximi oceano Ingevones, medij Hermiones, cæteri Istævones vocenter. Quidam autem licentiâ vetustatis, plures Deo ortos, pluresque gentis appellationes Marsos, Gambrivios, Suevos Vandalios affirmant: eaque vera & antiqua nomina.* Ex quibus authoris utriusque Plinij inquam Tacitique verbis notandum, Plinium non ut Tacitus *Vandalios* sed *Vindelos* nominasse (voci enim *Vindelici* quam vulgata habent exemplaria, perperam *ci* additum habere, alibi ostensum) ut ità Plinij scriptura proximè accedat ad nomen, quod supra ex Plinio eodem Tacitoque positum, *Venedorum*: Quos, ut dixi, non Sarmatis sed Germanis adscribendos Tacitus præsertim voluit. Plinius qui Sarmatis attribuit, id ex aliorum magis, quam suâ eum facere sententiâ locus jam modò indicatus haud obscurè ostendat.

Venedi & Vandali an diversæ gens.

Vandalij.

Cum igitur *Vendelos* Plinius, Tacitus *Vandalios* dixerit; proximeque ad *Venedos*, *Vinedos* ac *Vinulos* accedat Plinij vox: Atque inde sub finem suæ Germaniæ Tacitus, ubi de

Basternis

Basternis Peucinisque, Suevorum extremis agit, nusquam præterea *Vandalos*, sed *Venedos* vocet ac nominet; tum & eosdem non *Sarmatis* sed *Germanis* unà cum *Fennis Peucinisque* annumeret, ut modò patuit, quis non unam origine gentem *Venedos*, *Vendelos*, ac *Vandalos Vandalisque* existimet? præsertim cum non alia quoque supersint *Vandalici* quàm *Vendelorum* ac *Venedici* nominis vestigia. Qui enim hodieque in intimâ Pomeraniâ, Lusatiâ & Marchiâ Brandenburgicâ *Venden*, ut indicavimus, dicti; Et in Livoniâ similiter antiqua *Venedorum* introrsus colentium sedem opida sunt, quorum alterum *Venden*, alterum cum flumine **Windaa**/ & ad idem flumen **Ascheverde** nominatur; undè inquam hæc nisi à *Venedis*, *Vendelis*, ac *Vandalis*, aut hi ab illis originem & appellationem acceperint? Ne dicam, quod maximè huc spectat, licet observatum haud omnibus, ex ipsa quin etiam Cimbricâ Chersoneso quam *Gutiam* aliâs vocamus, originem Vendicæ gentis ac conditores videri repetendos, cum ibi, ut antea suo loco fuit ostensum, *Vendsyssel*, quam *Vendelam* ubique Saxo nominat, hodieque reperiatur: Et ipsi quoque Danorum reges se, inter alia, non *Gothorum* modò, sed & *Vandalorum* reges solenni titulo significent, vel quod sibi gentem subjecerint; vel etiam, quod à se suisque ditionibus origo ejus ac conditores existant, volentes innuere. Quibus & illud accedit quod author haud infimus Procopius, *Vandalos Gothicam gentem* vocet.

Vendsyssel Cimbricæ Chersonesi

Quod autem nihil ad *Venetos*, maris Adriatici accolas, (quod tamen Goropio eumque secutis placuisse video) hosce pertinere *Venedos* superius indicarim, id verissimum est: Cum Strabo aliique authores classici esse illos origine *Henetos* ac Paphlagones testentur. quamvis Strabo libro quarto nec abnuat eosdem à Gallis Venetis oceanum accolentibus profectos videri, ut ità haud abs re fortasse quis dixerit, à soli mollioris atque uliginosi conditione ità Gallis antiquitus appellatos præsertim cum Florus Venetiam Italiæ tractum mollissimum dicat, cujus verba diserta sunt lib. 3 cap. 3: *Sed in Venetia, quo ferè tractu Italia mollissima est, ipsâ soli cælique clementiâ elanguit.* Et adde hodieque Belgas depressum omne ac herbidum solum *Venen* appellitare. Unde & hoc constare jam iterum iterumque potest, *Venedos*, de quibus loquimur, Sarmatiæ Europeæ vicinos populos, cum, ut Helmoldus ostendit, modò *Vinedi*, modo *Vinuli*, & antiquissimè quoque *Vandali* vel, ut, Plinius habet, *Vindeli*, sint dicti, nihil ad *Henetos* & istam quoque, quæ jam allata est, *Venetiæ* notationem facere.

Veneti Italiæ à Vandalis & Venedis Ptolemæi diversi.

Quibus denique id addi potest, licet affinitas nominum, unam origine videatur gentem Venedorum & Vandalorum asserere, diversam tamen fuisse ex sermone colligi. Nam Tacitus, quod ex omnibus hisce solos Peucinos, qui etiam Basternæ dicuntur, sermone, cultu, sede ac domiciliis ut Germanos agere fateatur, indicio sit ceteros aliter egisse. Unde & Johannes Aventinus, rerum Bojocarum scriptor præclarus, Venedos quidem Germanis adnumerat, sed linguâ & moribus differre ait. *Venedi*, inquit, *nostro sermone, suo sunt Slavi: bilingues fere sunt, in multarum gentium capita divisi. Nam & Dalmatiam, Liburniam, Illyricum, Pannoniæ Noricique partem, Iustiniano Primo imperante, transito Danubio, occuparunt, & ibi adhuc Slavonia nominatur.* Et nos quoque superius Fennos Finlandiæque populos esse hodieque à Danis, Suedis totaque Germania sermone planè diversos ostendimus suoque ostendemus loco uberius.

Germanicum porrò *Mare*, Venedico isti sinui proximè contiguum, cum eum circiter districtum describat Ptolemæus, qui est ab occasu Vistulæ, versus insulas ac sinum flexumque ipsius Chersonesi Cimbricæ, apparet aspectu id præcipuè fecisse eum populorum, qui ibi in continente Germanis diserte accensentur, cujusmodi sunt, præter *Varinos*, *Anglos*, *Cimbros*, *Semnones* aliosque, qui authoribus nominantur *Longobardi* quoque & *Hermunduri*. Nam & Hermunduri cum Semnonibus infra *Longobardos* inter Albim Suevumque amnes ad mare usq; hoc Germanicum extensi fuerint. Limites verò *Longobardorum* à meridie iidem statuendi, qui Semnonibus à septentrione inter Albim & Suevum; ab occasu Albis, quo à Cheruscis arcebantur: à septentrionibus, quà Deuringis jungebantur, Havela & Rinus amnis; quà Nuithonibus, Fora flumen; ab ortu æstivo, quà Burgundiones erant, Suevus seu Viadrus: Modò his limitibus continentur Marchia Brandenburgensis cognomento Media, & Madoburgensis episcopatus pars, dextræ Albis ripæ affixa. Coluisse interea partem quoq; eorundem Longebardorum cis Albim austrum versus testis est Strabo lib. 7 ubi inquit: *Maxima est Suevorum gens, quidpe, quæ à Rheno ad Albim usq; pertingit; quin & pars eorum trans Albim incolit, ut Hermunduri & Longobardi. Et nunc quidem fugâ facta, omnino in ulteriorem ripam se conjecerunt.* Hanc eorum, de quâ hic Strabo, fugam referunt

LONGOBARDI.

Balthico infunditur mari. Helmoldus in ostio Panis seu Peni amnis sitam esse civitatem Dimine memorat lib. 1 cap. 20 quod an hodie appareat, dubitare me mappæ faciunt, quæ introrsus nec procul Grubenhagio Diminum videntur reponere quam rectè ipsi viderint; præsertim cum vulgò in ipsâ ripâ *Panis* seu *Paini* amnis oppida *Walchim*, *Demin*, *Anclam* & *Wolgast* authores domestici interque eos Cythræus collocent. *Tholenses* porrò & *Redarios* alibi Helmoldus pro eâdem gente accipit. Videnturque hi quidem ab urbe Rethra (Re vel forte hodie) dicti, illi ab amne *Tholensaa*: qui idem & sedem eorum arguit: *Redarij* Stetinensium fines inter Panim & Viadrum incoluêre. *Circipani* à Pani fluvio nomen traxêre, collocati circa Wolgastum, Gripswaldiam & Sondium. *Kyzinos* ad Gucegoviam oppidum consedisse, & idem de se reliquisse nomen est verisimile. Hos autem omnes à fortitudine Wilzos sive Luticos quod appellatos addat, illud de Wilzis jam est expositum: Luticos esse Leubuzos existimem. Fuisse enim à Viadro, occidentem versus hoc vocabulo populos indicio est opidum hodieque ibi reliquum *Lubitz* nomine. Indè ad ipsum sinum progressus Eginhartus, longitudinem ejus ac latitudinem prodit, & hanc quidem vix uspiam centum millia passuum excedere, cum in multis contractior inveniatur, illam verò incompertæ esse magnitudinis indicat. Quâ tamen in dimensione, & præsertim quod ad latitudinem, hallucinatum eum ex antecedentibus liquere potest. Ubi Melæ verba exponentes, latitudinem ejus, quâ habetur maxima, inter Suediam nimirum & Borussiam continere amplius CC mill. pass. ostendimus: At multò esse, versus Cimbricam Chersonesum, contractiorem. Longitudinem verò haudquaquam esse magnitudinis, ut ait, incompertæ satis superque demonstrent, præter alia, hydrographicæ, quæ in manibus sunt, tabulæ. Nam eę vix eam ultra millia Germanica ducenta extendunt, sumpto à promontorio Cimbrorum, **Schagen** dicto, adusque Moschorum Nervam dimensionis initio. Quod idem quoq; Adamus in iis, quæ subjecimus, ex ipsâ, quæ tum habebatur nota, navigantium experientia haud obscurè commonstrare videtur.

His relatis, docet exindè Eginhartus, quænam hunc sinum ad boream Austrumq; circumsedeant gentes; & ab austro quidem inhabitare ejus littus *Slavos* præcipuè ait *Æstiosque* & *Welatabos*, quorum jam ante singulorum explicationem dedimus, à Boreâ *Danos* nominat, *Sueones* & *Normannos*. Quod tamen ut è verbis ejus superius positis possit elucere, addendam hic, quæ desideratur, copulam, legendumque passim in Germaniâ suâ antiquâ voluit Cluverus: *Dani & Sueones & quos Normannos vocamus*. Quamvis ego haud abnuam receptam, quæ habetur, lectionem Eginhardi retinendam, præsertim cum & ità Adamus legerit, addens in more hoc positum scriptoribus Francicis fuisse, ut Danos, & qui ultra hunc sinum, boream versus, agebant, *Normannos* omnes vocarent. Et ipse præterea Eginhardus quid aliud voluit? cum in vitâ eâdem Caroli hæc tradat: *Ultimum contra Nordmannos, qui Dani vocantur, primò piraticam exercentes, deinde majori classe littora Galliæ atque Germaniæ vastantes, bellum susceptum.* Ubi disertè *Nortmannos* se intelligere ait, qui vocabulo Danorum tum innotuerant ut simul confutetur hisce opinio *Alberti Crantzij*, existimantis *Nortmannos*, & eorum res authoribus proditas ad Norvagos præcipue pertinere. Quod quam perperam ab illo factitatum præter ista, etiam alibi commonstrasse nos puto.

Normanni iidem, qui Dani, Eginhardo.

Pag. 123 124, & seqq. superius

Nec plura superesse reor ad verba præcipuè *Eginharti* spectantia. In Adamo, præter jam dicta, notandum primo quod mare hoc non *Balthicum* modò, sed à gentibus insuper barbaris *barbarum* appellet; Helmoldus *Balthicum* dictum ideo refert *quod in modum balthei*, sunt ipsius verba, *longo tractu per Schyticas regiones tendatur usque in Græciam*. Quæ conferenda obiter cum superioribus, ubi meminimus hoc mare, aut insulam potius in hoc mari *Balthiam* vetustissimis Græcię authoribus nominatam, atque indè *Balthicum* videri formatum; quamvis & hoc addidimus, hodieque maris hujus partem, quæ est inter Fioniam & Selandiam proprie *Belt* dici, atque idem *cingulum* sive *baltheum* intelligi indigenis. Notandum deindè quam graphicè Adamus idem hunc maris sinum per populos circumcolentes nobis ob oculos ponat, ordiens scilicet ab ostio ejus, ut vocat, ac ibi in ripâ primum australi, quod hodie erit *Schagæ* promontorium Norvagiæ objectum, colere Danos ait, qui Juthæ appellantur, usque ad *Sliæ* amnem. atque inde per fines parochiæ Hamburgensis digressus longo tractu *Slavos* in eodem australi littore ad *Panim* usque flumen, atque indè ultra *Oderam* gentes ad Polonorum usque confinia enumerat: Ac mox à parte Aquilonari venienti occurrere ante omnes inquit *Nortmannos* propriè acceptos, hodie *Norvagos* dicimus, atque illis proximos agere *Scanos* inde *Gothos* seu *Sueones* usque ad *terram fæminarum*. Quam *terram Finnorum* esse verius, & ità scripsisse Adamum suspicari liceret, nisi se ipse mox ex-

In verbis Adami notanda.

plicaret

præsertim, quà in sinum versus Cimbricam Chersonesum cogitur, describi quàm verbis Melæ supra citatis, & inter cetera illis præcipuè: *Acre mare, quod gremio littorum accipitur, nusquam latè patet, nec usquam mari simile, verum aquis passim interfluentibus ac sæpè transgressis, vagum ac diffusum, facie amnium spargitur, qua littora attingit, ripis contentum insularum non longè distantibus.* Et cetera quæ sequuntur, superius videnda. Nunc ad insulas, quæ in mari hoc sunt, quarumque in verbis jam positis Mela & alij antiquorum mentionem, ut antè patuit, injecère, proximus deflexus sit, sed antequam eò digrediar, paucis, quæ de eodem hoc freto post superiores retulère *Eginhardus* & *Adamus Bremensis* ponenda ob oculos.

EGINHARDI & ADAMI BREMENSIS DE EODEM Orientali seu Balthico mari verba posita propiusque cum antecedentibus nec non Helmoldo collata.

EGinhartus de hoc maris sinu fecisse verba in eo libello legitur, quo vitam *Caroli Magni* disertissime est complexus, idque occasione belli, quod idem Magnus Carolus cum Slavis gessit. Nam postquam dixisset: His motibus ita compositis, Slavis, qui nostra consuetudine Vuilsi, propriè verò, hoc est, suâ linguâ, Vuelatabi dicuntur, illatum est bellum: in quo & Saxones velut auxiliares inter ceteras nationes, quæ regis signa jussę sequebantur, quanquam fictâ & minus devotâ obedientiâ militabant. Caussa belli erat, quod Abotritos, qui cum Francis olim fœderati erant, assidua incursione lacessebant, nec jussionibus coerceri poterant. Hinc statim de sinu ipso, ad quem locati erant Slavi, ita subjicit: Sinus quidam ab oceano orientem versus porrigitur longitudinis quidem incompertæ, latitudinis verò, quæ nusquam centum millia passuum excedat, quum in multis locis contractior inveniatur, hunc multæ circumsedent nationes. Dani siquidem & Sueones, quos Normannos vocamus, & septentrionale littus, & omnes in eo insulas tenent. At littus australe Slavi & Aisti & aliæ diversæ incolunt nationes, inter quos vel præcipui sunt, quibus tunc à rege bellum inferebatur Vuelatabi, quos ille unâ tantum, & quam per se gesserat, expeditione, ità contudit ac domuit, ut ulterius imperata facere minimè renuendum judicarent. *Eginharti verba.*

Meminit horum Eginhardi verborum Adamus Bremensis in Ecclesiasticâ suâ historiâ, & velut explanatoris vice fungens hæc super iisdem habet: Sinus ille ab incolis appellatur Balticus, idemque mare barbarum seu pelagus Scythicum vocatur à gentibus, quas alluit barbaris. *Et statim deinde addit:* Quod autem dicit (*Eginhartus*) eundem sinum longitudinis incompertæ, hoc nuper apparuit in solertiâ fortissimorum virorum Ganuud Wolff satrapæ Danorum, sive Haroldi Regis Normannorum, qui magno viæ labore, multoque sociorum periculo, quantitatem hujus maris perscrutantes, ancipiti demum jacturâ ventorum ac piratarum fracti victique redierunt. Affirmant autem Dani longitudinem hujus ponti sæpè à pluribus expertam, secundo flatu per mensem aliquos è Daniâ pervenisse in Ostrogard Russiæ. Latitudinem verò illam ponit (Eginhartus) quæ nusquam centum millia passuum excedat, cum in multis locis contractior, ut ait, inveniatur, quod in ostio ejusdem sinus videri potest, cujus ab Oceano introitus inter Alaburch vel Wendilam promontorium Daniæ scopulosque Normanniæ, tam strictus invenitur, ut facili saltu per noctem carbasa trajiciantur. Item limitem egressus Danorum idem Pontus latè brachia tendit, quæ denuò contrahit è regione Gothorum, qui à latere Wilzos habent. Deinde quanto interius vadit tanto latius hinc indè diffunditur. Hunc inquit (Eginhartus) sinum multæ circûmsident nationes. Dani siquidem ac Sueones, quos Normannos vocamus, septentrionale littus tenent, & omnes in eo insulas, ad littus autem australe Slavi, Aisti aliæque diversæ incolunt nationes inter quos præcipui sunt Welatabi, qui & Wilzi dicuntur. Dani verò & Sueones cæterique trans Daniam populi, ab Historicis Francorum omnes Normanni vocantur, cum tamen Romani scriptores ejusmodi vocent Hyperboreos, quos Marcianus Capella multis laudibus extulit. Itaque primi ad ostium prædicti sinus, in australi ripa versus nos, Dani, quos Juthas appellant, usque ad Slium lacum habitant. Undè incipiunt fines Hamburgensis parochiæ, qui per maritimos Slavorum populos longo tractu porriguntur usque ad Panim fluvium, ibi limes est nostrę diocesis. Indè Wilzi & Leuticij sedes habent usq; ad Odoram fluvium: trans Oderam autem comperimus *Adami verba.*

quem Codanum diximus; Ex iis Codanonia, quam adhuc Teutoni tenent, ut magnitudine alias, sic fœcunditate anteſtat.

Pomponio proximus eſt Plinius, qui de eodem ſinu loquens ait lib. 4 cap. 13: *Codanus ſinus refertus inſulis, quarum clariſſima Scandinavia &c. Sinus Clylipenus in oſtio ſuo inſulam Latrim habet. Mox alter ſinus Lagnus conterminus eſt Cimbris.* Et idem lib. 37. cap. 2. *Mithridates ait in Germaniæ littoribus eſſe inſulam, vocarique eam Oſerictam, cedri genere ſilvoſam. Indè defluere in petras.*

Hactenus verba Pomponij & Plinij. Quorum illum loco priori haud obſcurè agnoviſſe in ſinu Codano perplures inſulas liquet, ſed errore teneri manifeſto, cum in verbis ſequentibus ſeptem tantum agnoſcat; & *Hemodes* appellet: Orcadaſque cum inſulis Codani ſinus permiſceat. Et Oſtendi hic error cum ex Plinio, tum ex ipſo quoq; Mela poteſt. Nã Mela loco iſto poſteriori ab occaſu & Hiſpaniâ ad ortum & Scythiam inſulas enarraturus, proximas ab Orcadibus verſus ortum *Hemodas* ponit, quod veriſſimum eſt, nec aliter Plinius habet, ubi de inſulis agit, quæ ſunt ſupra Britanniam, modò pro *Hemodes* cum eodem legamus *Acmodas*. Ità enim ille lib. 4 cap. 16: *Sunt autem* XL *Orcades, modicis inter ſe diſcretæ ſpatiis,* VII *Acmodæ &* XXX *Hæbudes &c.* Adeo ut Melam ſi ad eam faciem formemus leviterque reſcribamus: *Triginta ſunt Orcades, anguſtis inter ſe diductæ ſpatiis: ſeptem Acmodæ contra Germaniam projectæ. In illo ſinu, quem Codanum diximus, eſt Cadanonia, quam adhuc Teutoni tenent, ut fœcunditate alias, ità magnitudine anteſtat. &c.* nihil à vero & Plinio diverſum dicet, niſi quod triginta, non quadraginta, ut Plinius, agnoſcat Orcadum inſulas.

Hemodes.
Pōponiana ſententia verborumque epanorthoſis.
Acmoda.

Porrò Mela cum in ſinu Codano Cimbros & Teutones locet, & hos quidem in inſulâ Codanonia, de Cimbris id ità accipiendum, quatenus ortivum peninſulæ ipſorum latus mare hujus ſinus alluat. *Codanoniam* inſulam ab ipſo ſinu Codano, & rectius fortaſſe dici *Codaniam* ſive *Cdaniam* veriſimile habeam, & illam intelligi inſulam, quæ omnium ibi maxima ac fæcundiſſima, incolis hodiè Danis **Sielandt**/ à ſerendo, nominatur, mox uberius oſtendendum. Utrobiq; autem, quod eam teſtetur Mela tenuiſſe *Teutones*, non multum quoque à Plinio abit, qui Cimbris proximos facit Teutones lib. 4 cap. 14: *Germanorum genera V, Vindeli; quorum pars Burgundiones, Varrini, Carini, Guttones; alterum genus Ingevonum, quorum pars Cimbri, Teutoni.* Et iterum lib. 37 cap. 2: *Pytheas credidit Guttonibus, Germaniæ genti, accoli æſtuarium oceani, Mentonomon nomine, ſpatio ſtadiorum* VI CIƆ. *ab hoc diei navigatione, inſulam abeſſe Abalum: illo vere fluctibus advehi, & eſſe cõcreti maris purgamentum. Incolas pro ligno ad ignem uti eo, proximiſque Teutonis vendere.* Quo loci, ſi, quod ſupra injecimus *Abalum* intelligenda *Aboe* ſive *Aboenſes*, qui ex adverſo Germaniæ littus Finlandiæ tenent, adjici poſſet, iſto adhuc tempore in more iiſdem poſitum, ut circa ſolſtitium æſtivum liburnicis ſuis in hanc inſulam Selandiæ ſolenniter trajiciant, cæli ſui merces aliaque, ut utenſilia affabrè è ligno edolata, venum apportantes: Et eſſe in iiſdem hoc quoque notabile, quod ſagulis verſicoloribus haud indecore pro velis navium utantur. Quod nobis haud ſemel animadverſum, in memoriam revocavit verba Taciti ex quinto hiſtoriarum, qui de claſſe ibi Civilis & ejus adverſus Cerealem navali certamine loquens, idem fuiſſe antiquitus Batavis uſitatum notat, ut ſagis inquam verſicoloribus pro velis uterentur. In verbis autem Plinij citatis alij pro *Abalum* malunt legere *Baſiliam*, ut nimirum intellexerit Pytheas *Baltiam*, id eſt, *Scandiam*, quæ ab hac *Codanoniâ*, ſeu inſulâ Selandiæ paucorum tantummodo diſtat ſtadiorum intervallis. Et ita quoque haud abs re loco priore Plinij Cimbris jungantur Theutoni, & in verbis deindè ſequentibus iidem Baltiæ cenſebuntur proximi. Atq; in ipſâ poſtremò, quæ eſt in Italiam mota, Cimbrorum expeditione, de qua uberius hiſtoria, Cimbri perpetuò, non ut ſocij modò, ſed gens contermina quoq; & cognata, ponuntur. Sicq; eoſdem olim Theutones, non hanc ſolummodo Codanoniam, ſed eidem quam proximè adjacentes inſulas, quarum ſunt nomina *Fionia, Lalandia, Falſtria, Langalandia, Alſa,* aliaſq; minores ibidem tenuiſſe, ſit conſentaneum. *Abalum* interim Plinij haud ſollicitem.

Codanonia.
Teutoni in Codanonia.

In verbis porrò, quæ Pomponio quam proximè ſunt poſita, Plinij, notandum primò, *Scandinaviam*, ut clariſſimam hujus ſinus inſulam nominari, cum, ut antè eſt commonſtratum, non inſula, ſed peninſula ſit *Scandinavia*. *Latris* verò inſula, quæ in ſinu deindè collocatur *Clylipeno*, an ad *Oſiliam* propè Livones inſulam, quod nonnullis placuit, ſit referenda, an verò interius & aliò trahenda, facit ambigere ipſe ſinus, quem nominat, *Clylipenus*. Eſt enim in vicinâ Livonis Pomeraniâ, *Panis* ſive *Penus* fluvius, cujus in Clylipeno hærent veſtigia. Et ibi ſinus quoque, qui modo **Friſchhaff** dicitur, milliarium 10 longus inſulaque non una, quarum eſt maxima, quæ olim *Iulinum* habuit opidum, Pomeraniæ non modò, ſed Europę propemodum totius poſt Conſtantinopolim emporium longè celeberrimum: itemque

Verba Plinij expenſa.
Scandinavia inſula Plinio.
Latris.
Clylipenus ſinus.

itemque *Vinetam*, ejusdem Pomeraniæ amplissimam quondam urbem; Quæ nunc desolata jacent, & aliàs sæpenumerò à regibus Danorum oppugnata aut vastata fuerunt: ut indicant suis locis rerum ibi olim gestarum memoriç. Postremò qui ab eodem memoratur Plinio *Lagnus sinus, Cimbris conterminus*, haud alius sit, quam ille, qui hodieq; **Langesundt** dicitur, & insulam præterea *Langelandiam* habet, à Cimbrorum peninsulâ haud multis passuum millibus dissitam. Alter, qui sequitur Plinij locus, ubi in littoribus Germaniæ esse memoratur *Osericta* insula, haud de aliis quidem accipiendus videatur littoribus aliisque insulis, quam istis quæ antè Prussiæ littus sternuntur. Est enim una ibi inter duo Vistulæ ostia, quæ vulgari vocabulo **Frische Nering** / alia hinc Pregolâ ac Demiâ amnibus lacuque, cui nomen vulgo **Kurischhaff** à continenti diremta, regiones comprehendit tres, quibus nomina hodie **Sameland**/**Sudaub** & **Kurisch Nering**. Sed harum cum nulla, quod ad nomen *Osericta* respondeat, verosimile habeam ex hac potius quam ex *Latri* jam indicata, *Osiliam* intelligi. Quid enim inter *Osiliam* & *Oserictam* discriminis magnoperè, si præsertim liquida in liquidam commutetur: Sed de hac, utpote regni Daniæ insulâ, dicentur mox plura.

Lagnus sinus.

Osericta.

His addenda quæ memorat quoque de sinus ejusdem insulis in Germaniâ suâ Tacitus, ubi agnoscit, *cetera ambire oceanum, latos sinus & immensa insularum spatia complectentem.* Ubi *immensa insularum spatia*, sive *immensæ insulæ* sunt præter ceteras *Scandinavia* & *Baltia* authoribus aliis indicatæ, & ipsi Tacito *Suionum civitates in oceano.* Qui & insulam hujus maris seu potius, ut ipse habet, Oceani sub indicans, in eâ *Nemus* fuisse *castum* ait, cum de eo ita loquatur: *Est in insula oceani castum nemus, dicatum in eo vehiculum, veste contectum, attingere uni sacerdoti concessum. Is adesse penetrali Deam intelligit: vectamque bubus fæminis multâ cum veneratione prosequitur.* Hanc alij *Rugiam* seu *Rugelandiam* esse, à Rugis vicinis ità postmodum dictam, alij ipsam potius Zelandiam autumant. Rugos etenim vetustissimos; ut eos describit in Germaniâ suâ idem Tacitus, continentem, quæ erat hujus insulæ quam proxima, tenuisse olim liquet, cum ait: *Trans Ligios Gothones regnantur paulo jam addictius, quàm ceteræ Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem. Protinus inde ab oceano Rugij & Lemovij. Omniumque harum gentium insigne, rotunda scuta, breves gladij, & erga reges obsequium. Suionum hinc civitates ipso in oceano.* Ubi *Rugij* & Lemovii in littore collocantur maris Suevici. Quo etiam tractu hodieque est **Rugewolde**/ quod Ptolemæi esse *Rugium* cum nomen, tum situs videatur prodere. Legitur & idem gentis nomen apud eundem Ptolemæum corruptius, cum *Ruticlij* vulgo edatur, pro *Rugij*. Verba ejus sunt: *Post Saxones à Chaluso amne ad Suevum usque flumen Faradini, dein Sidini usque ad Viadrum flumen, & sub his Ruticulij ad Vistulam usque amnem.* Ubi *Sidini* vox *Stetinum* referre nobis videatur, ad Viadri ferè exitum celebre Pomeraniæ emporium. *Ruticlios* esse *Rugios* nihil certius: Quorum Jornandes duo genera recensuit *Ulmerugos* & *Ethelrugos*. Illos à Gothis, antequam hi Vistulam transirent, debellatos refert: alteros nomine *Ethelrugos*, quasi dicas, *nobiles Rugos*, nominat, è Scanzia omnes profectos. Porrò *Nemus* in oceano *castum*, quod Tacitus indicavit, haud aliud fuerit, si de Rugiâ accipere libeat, quam quod hodie circa promontorium Jasmondæ **Stubbenitz** dicitur, silvâ constans densissimâ, & lacum insuper profundissimum habens aquâ atrâ redundantem. qui licet piscibus scatere existimetur, scaphas tamen nec retia admittit. Cæterum idem nemus etiam sequentibus seculis, cum jam ab Ethnicismo nonnihil deducta gens delibare Christiana sacra cæpisset, superstitionibus nihilominus fuisse celebre, testatur Helmoldus, cujus verba sunt lib. 1 cap. 6: *Peragratis multis Slavorum provinciis, pervenerunt ad eos, qui dicuntur Rani sive Rugiani & habitant in corde maris. Ibi fomes est errorum & sedes Idololatriæ. Prædicantes itaque verbum Dei cum omni fiducia, omnem illam insulam lucrati sunt. Ubi etiam oratorium fundaverunt, in honorem domini ac salvatoris nostri Iesu Christi, & in commemorationem sancti Viti, qui est patronus Corbeiæ. Postquam autem, permittente Deo, mutatis rebus Rani à fide defecerunt statim pulsis, sacerdotibus atque Christicolis religionem verterunt in superstitionem. Nam sanctum Vitum, quem nos martyrem ac servum Christi confitemur, ipsi pro Deo venerantur, creaturam anteponentes creatori. Non est barbaries sub cælo, qui Christicolas ac sacerdotes magis exhorreat. Solo nomine sancti Viti gloriantur: cui etiam templum ac simulachrum amplissimo cultu dedicaverunt.* Et plura ejus generis apud eundem Helmoldum occurrunt, & alia eodem spectantia suggerit etiam suo loco historia. At qui, non *Rugiam*, sed *Zelandiam*, ex adverso Scaniç, Taciti potius verbis intelligendam putant, hoc præcipue adducunt, quod hodieq; prope Lethram, insigne antiquitus, teste Saxone, Zelandiæ oppidum, nemus habeatur, in quo vallis sit Hertæ sacra: vulgo **Erthedal** dicta. *Hertam* vero, id est, *terram matrem* in commune coluisse

Taciti de eodem verba.

Rugia.

coluiſſe Germanos, & eam exiſtimaſſe eoſdem intervenire rebus hominum,& invehi populis, Taciti, quæ proximè ibidem præcedunt, verba oſtendunt: quamvis quoque haud defuerint, qui ad *Helgelandiam*, ſive *Heilichlundiam* dicere libet, quæ eſt ad exitum Albis in ore oceani inſula, hoc eſſe referendum Taciti *in inſulâ oceani Caſtum Nemus*, exiſtimarint, alludente præſertim hûc ipſo inſulæ nomine, cûm **heilich** nobis quidquid *ſanctum* ac *caſtum*, **land** verò ſive **lund** *nemus* ſive *lucum* notet. Et denique, quia Tacitus hunc maris ſinum vix *oceanum* ſed *mare* ut plurimum vocet; quod & ante oſtenſum: moxq; hoc ipſum, ubi de inſulis oceani, dicetur nonnihil uberius.

Tacitum porrò excipiat nunc Ptolemæus, qui, ut ante indicatum, in tenebris ſimiliter micans, præter *Scandiæ* unam magnam & tres minores, *Alocias* præterea inſulas tres ſuggerit, ſub initium ipſius ſinus,quà eſt promontorium peninſulæ Cimbrorum,verſus Norvagiam: Ita enim loquitur: *Supra Cimbricam Cherſoneſum inſulæ tres Alociæ dictæ. Ab orientali parte Cherſoneſi quatuor Scandiæ nuncupatæ, tres quidem parvæ, una verò maxima earum eſt, & maximè orientalis juxta Viſtulæ fluvij oſtia.* Ubi vix quidquam ſani,niſi quod à verò non abeat,cum à parte Cherſoneſi Cimbricæ, ortum verſus, inſulas agnoſcat, quæ ſunt, non ut ipſe nuncupatas ait, *Scandiæ tres*, ſed ut antè nominavimus *Codanonia*, vel ut appellari nunc ſolent, *Selandia, Fionia, Falſtria*; & his minores aliæ perplures, quas inter eminent *Langelandia* & *Lalandia Alſaque* & *Fimbria*, omnes Scandiam intra & Cherſoneſum Cimbrorum poſitæ. Sed Ptolemæus nomen earum ignorans omnes eas Scandiæ inſulas dixit; cum tamen ſola Sælandia Scandiæ quam proximè ſit adſita; Fionia verò Cimbricæ Cherſoneſo adhæreat propior. Maximam autem Scandiarum,quæ hodieque Scandiæ nomen tenet, non inſula eſt, ut alibi jam ſæpe indicatum, ſed Norvegiæ ac Sueciæ continue adhæret, ut ita maxima Scandiarum Ptolemæi totus is diſtrictus ſit, qui hodie Norvegia, Scania, Suecia Orbiſque Arctous nominatur. Ex quibus etiam Suecia intellecta Tacito, ut ante patuit,qui *Suionum civitates* nominavit; Plinius & Scandiam & Scandinaviam, nec non & Nerigon, ſive Norvegiam addnxit: ut mirum ſit nec Tacitum, qui Plinio eſt poſterior quique in Annalibus ſuis ejus meminit, nec Scandiæ aut Scandinaviæ Nerigæve; nec Ptolemæum denique, qui eſt utroque inferior,Suionum aut Nerigæ mentionem injeciſſe. Sed horum quoque ſuperius meminiſſe nos exiſtimo. *Alociæ* autem, quas ait, nullæ nunc quidem eo ſed alio ibi nomine occurrunt, præſertim duæ, *Leſſo* & *Anbolt*; niſi *Alociæ* fortaſſis nominatæ hæ antiquitus, aſpectu,quæ eſt ex adverſo propemodum in littore Norvagiæ,*Asloæ*, nunc *Ansloam* vocamus. Quamvis & *Hæſelina* inſula *Helmiæque* minores, ut eas in hydrographicis ſuis tabulis appellat Aurigarius, aſpectu magnæ *Helmiæ*, de qua alibi dictum, eodem extra promontorium Cherſoneſi jam memoratę tractu ſint ſitæ,ſed ità ut illa quam longiſſimè à promontorio inſuliſque *Leſſoa* & *Anbolto* verſus meridiem propè *Halſeneſſam* ferè, quod eſt Selandiæ promontorium, hæ ad latus Scagani promontorij continenti quam proximæ; à Leſſoa verò occidentem verſus milliaribus pluſquam IV remotæ jaceant; ſtationes ſæpenumero haud infidæ navigantibus, ſicuti contra quod Anholto eſt ex adverſo, ortum verſus, *Nidingum*, non tàm inſula,quàm obex ſeu ſcopulus, mari propè littus Hallandiæ exſtans, naufragiis præcipuè infame habetur.

Alocia Ptolemæi.

INSULARUM MINORUM à PROMONTORIO SCHAGÆ ſecundum orientale Iutiæ latus Fimbriam uſque, cujuſmodi eæ hodie habentur, Recenſus.

QUid de inſulis Codani ſinus tradiderint authores antiquiſſimi,& quatenus hoc mare illis fuerit cognitum, ſic ſatis declaratum exiſtimo. Nunc ad propriora vertenti, quomodo in totum ſe hodie univerſus hic ſinus habeat, paucis aperiendum. Et primo quidem tractus ejus, qui, ut indicavimus, eſt intra Cherſoneſi Cimbricæ promontorium *Schagam* & *Norvegiam* Hallandiamq;, præcipuas exhibet,quas enumeravimus, *Leſſoam* & *Anboltam* inſulas, præter *Helmias* Aurigarij tres minores,*Nidingumque* & *Haſelinam*. Quarum *Anbolta* tribus eccleſiis inſignis, ob cæca & ſub undis latitantia vada, ut & *Leſſoa*, *Nidingumque* naucleris præcipuè vitanda. Quamvis *Leſſoa*,ſive *Leſò* ut Saxo vocat, non ut *Nidingum*, quod tuberis aut ſcopuli verius quam inſulæ nomen gerat, eccleſias contineat haud pauciores quam *Anbolta*; quarum una turrita, velut pharus à præternavigantibus ad exeunda pericula ſedulo ſolet obſervari. eſſe qui Plinij *Gleſſariam* exiſtimarint, alibi memoratum.

Anbolta, Leſſoa.

moratum. Habere quoq; eandem ſibi admodum propinquum inſulæ inſtar haud magnum tumulum, *Rommæ* nomine, tabulæ indicant. Ab eâ *Anholtium* plus minus milliaribus ſex, à Nidingo circiter octo eſt diſſitum. *Helmiæ minores* *Helmiæ* autem quas indicavimus *minores* contiguæ ſibi invicem ſunt, in modum, ut *Alocias* ſuas tres haud longè hinc deſcripſit Ptolemæus, niſi quod *Helmiæ* ad orientale promontorij Cimbrici latus, auſtrum verſus, ſint poſitæ, *Alociæ* autem Ptolemæi ad latus occiduum. Quo ſitu cum nullæ ſint inſulæ, has intelligi voluiſſe, aut hoc circiter ſitu collocatas, veroſimile habeam. *Leſſoa* incolas capitulo Wiburgenſi parere ſuperius eſt indicatum. Quam verò hæ inſulæ navigantibus noxiæ ac formidabiles ſint, indicat proverbium vulgo inter eos jactatum

Laſſoe/ Nidingund Anholt/
Maecken dat menich Stuerman niet werdt oldt.

id eſt

Leſſoa, Nidung atque Anholtium inſulæ
Sunt cauſa multus ne ſeneſcat navita.

Hinc ad ſinum Lymicum, vulgo *Limfiord*, de quo ſuo loco ſuperius dictum, ultraque deſcendendo perplures in eo maris ſinu, qui Balthicus eſt propriè appellatus, ſparguntur inſulæ minuſculæ; cujuſmodi ſunt *Helmia, Tuna, Kitholmia, Iordholmia, Alroa, Gernoa, Vorſia, Samſoa, Arroa, Sundervida, Aria, Alſa* & *Fimbria*. Ex quibus *Helmia* & *Samſoa* ſuperius nobis, ubi de Arhuſienſi diœceſi, fuerunt memoratæ. *Tunna.* *Tunna* ab Arhuſiâ Jutiæ abeſt miliaribus circiter tribus, vix in longitudinem miliare complexa. Parochiam unam habet. Inter eam & *Samſoam* ordinarius eſt nautarum curſus in Norvegiam tendentium. Habetque *Kitholmiam* & *Iordholmiam* ſibi quam proxime adſitas. Nec longè inde in ipſis faucibus ſinus Horſenſis tres aliæ ſunt, *Arroa, Gernoa, Worſia*. Eſt & *Endôla* miliare longa, medium lata. Unam parochialem eccleſiam habet, ſilvis ac lucis opaca. *Aroa.* *Aroa* in aditu Sleſvicenſis Ducatus ſita, ubi in Fioniam per Aſſenſem ſive Ottenſem ſinum ad opidum Fioniæ Aſneſum, *Aſſens* vulgo, trajicitur. *Aria.* Quatuor hæc diſtincta eſt pagis. *Sundervida* & *Aria* Alſeno vicinæ ſunt: quarum hæc ſeſqui circiter ab Alſâ miliare diſtat, ſilvis amænè veſtita, ac proindè oportunos gratoſque venationibus receſſus præbens. Tres habet parœcias & *Sundervida.* aliquot nobilium prędia, cum arce & opido haud ignobili *Copingia*: Illa duas exhibet parochiales eccleſias, adjunctam habens Ducalem arcem *Sandpergam* nomine. *ALSA.* Ipſa autem *Alſa* magnitudinis mediocris eſt inſula. Quatuor enim in longum miliaria, duo in latum complexa, nec magno intervallo à Ducatu Slęſvicenſi ſeparata, ac ſinum Flensburgum, (**die Flenſburger Wick**) reſpiciens, ab Anglis populis (de quibus, utpote nobiliſſimæ gentis Anglicanę conditoribus, jam antè dictum) eodem ſinu ditterminatur. *Sunderburgũ.* Caſtrum in eâ, ſeu ſedes Ducis Iohannis Holſati *Sunderburgum*, & opidum ejuſdem nominis, de quo & ſupra nonnihil, ubi de Sleſvicenſi Ducatu, dictum memini. Sunt & alia ibidem municipia ut *Nordburchum, Oſterholtum, Holla* & *Gamelgarda*. Parochias habet populoſas admodum, numero tredecim. Undè aliquot armatorum millia, re id flagitante, educi ex eâ quam promptiſſimè poſſunt. Eſt præterea lucis ac nemoribus ſaltuoſa atque ideo cervorum variique generis ferarum venationibus quam amœniſſime patet. Habet & paſcua uberrima agrumque ſiligini ferendæ haud inidoneum. Nobiliſſimus olim Rantzovius inſulares hoſce *Eliſios*, &, qui in *Ariâ* vicinâ *Arios*; & *Manimos*, qui in *Mona*, de quâ mox, nuncupandos injecit, reſpiciens ſcilicet ad *Elyſios* Tacito in Germaniâ memoratos, quibus & *Arios Manimoſque* conjungit: quaſi ab *Alſen, Ar*, & *Mone* ſic dictos. Nec abs re Rantzovius, ſi nimirum dediſſe hos originem eis dicamus, utpote Theutonis populis. Theutoni enim ut ex Melâ indicatum, Codanoniam, id eſt, inſulam Zelandiæ eique conterminas habitarunt. Nam aliâs hi populi Taciti ſeculo in intimâ fuêre Germaniâ, ad Lygios eorumque ſocietatem ſpectantes. Ità enim de iis Tacitus loquitur loco jam dicto: *Dirimit ſcinditque Sueviam continuum montium jugum, ultra quod plurimæ gentes agunt. Ex quibus latiſſimè patet Lygiorum nomen, in plures civitates diffuſum. Valentiſſimas nominaſſe ſufficiat, Arios, Helveconas, Manimos, Elyſios, Naharvalos.* Et ſtatim ibidem: *Ceterum Arij ſuper vires, quibus enumeratos paulo antè populos antecedunt, truces, nigra ſcuta, tincta corpora atras ad prælia noctes legunt. Ipſaque formidine atque umbrâ feralis exercitus terrorem inferunt, nullo hoſtium ſuſtinente novum ac velut infernum aſpectum. Trans Lygios Gothones regnantur, indè ab oceano Rugij* &c.

Fimbriam,

Fimbriam, Cimbrici nominis vestigium, unicâ tantum literâ immutatâ, referre quibusdam placet. Undè & *Cimbria* parva iisdem dicitur. At si nomen, quo censetur, vernaculum, inspiciamus propius, vix quidquam ejusmodi apparebit. Est autem id **Femeren**/ nihil cum *Cimbria* aut *Cimbris* commune aut consonum habens. Superius non esse eam *Burchaniam* Plinij, quam & *Fabariam* appellatam idem ait, satis est demonstratum. Sita verò ex opposito Wagriç, à continente brevi trajectu separata, piscatu & gratâ fertilitate famosa est, cum vix ulla sit in totâ insulâ terrç gleba, quç non siliginem, & maximè quidem triticum, copiose producat; & ejusmodi quidem quod in oras exteras ob grani præstantiam, ut plurimum avehitur. Quatuor est distincta parochiis nimirum **Landtkircken/ Burgh/ Petershoff** & **Badendorff.** Quin & eleganti decoratur municipio, quod *Burgum* appellant. Et brevi inde spacio arx est, olim celebris inque historiis non semel memorata, *Glabecensis*: cujus nunc rudera tantum supersunt. *Fimbria vulgò* **Femeren.**

INSULARUM IN EODEM SINU CODANO MAIORUM, & præsertim Fioniæ Selandiæque cum adjacentibus, cujusmodi hodie visuntur, conspectus.

NUnc videndæ insulæ, quæ superioribus longè majores, intra tamen Jutiam & Scaniam loco medio sunt collocatæ. In quibus *Fionia* præcipuè & *Selandia* eminent, atque inde secundo loco *Falstria*, *Lalandiaque* cum adjacentibus. Quam verò per nebulam tantum hic omnia viderint veteres, & esse fortassis has Ptolemæi *Scandiæ tres*, superius est indicatum.

FIONIA.

FIONIA tam formæ quam situs amœnitate conspicua est. Undè & vernaculè loquentibus id nominis pulchrum notat. Adamus Bremensis ad Theutonismum propius accedens *Fini* dixit & alij fortasse *Finningia*. Plurimis enim naturç dotibus pollet. Frumentorum copioso proventu ita abundat, ut ad remotissimas regiones ea quotannis transmittat, præsertim siliginem & hordeum. Quemadmodum etiam annuatim numerosa boum & equorum præstantium agmina Germaniæ suppeditat. Qui littus adhabitant, præter agriculturam piscationibus etiam incumbunt. Nec desunt, ob plurimas, quibus passim inumbratur insula, silvas, cervorum, capreolorum, leporum ac vulpium venationes. Hanc à Juthiæ continente maris Balthici incursus occiduus, angusto quasi porthmo, sed vehementi impetu ac violento fragore, præsertim propè Middelfurtum, sejungit. In ejus propemodum meditullio metropolis est *Ottonia* vulgo **Ottenseþe**/ urbs episcopalis. *Ottonia.* Adamo Bremensi est *Odanse civitas magna*. De cujus conditore variant sententiç, cum alij ab *Othino*, alij ab *Othone* ejus nominis imperatore primo deducendam velint. Qui *Othinum* urgent, Saxonem Grammaticum authorem proferunt, qui Othinum, ut numen quoddam cultum Danis memorat lib. 1. & 5. *Othonem* conditorem qui asserunt, nomen prçcipuè esse indicio affirmant. Cui & illud accedit, quod Othonis tertij, qui primi Othonis nepos fuit, literç habeantur, quarum meminit historia sub annum 987: In quibus disertè urbem *Othonesvigensem* nominat. quamvis ego, si quid hujus sit, non tam Othonem primum qui insulam, quod quidem constat, haud unquam intravit, quam Haraldum Gormonis, qui ab eodem *Othone* I ad sacra Christiana est invitatus, conditorem loci habendum verius existimem: quod is nimirum Imperatori jam dicto, à quo & filius baptismate susceptus *Suenotto* fuit dictus, hanc prçterea rependere gratiam & urbem à se statutam, in memoriam Imperatoris tam benefici, nomine quoque ejusdem insignire voluerit. Hoc opidi, insulæ universç emporium est celeberrimum. In quo circa festum Epiphaniæ omnium propemodum indigenarum, & prçsertim nobilium, cujusmodi in Holsatiâ Chilonij haberi conventus solet. Templis ornatur duobus elegantis structurç: Quorum alterum Canuto, alterum Francisco sacrum est. Circa illud, forum patet insigni amplitudine. in quo Daniæ rex inclytus Fredericus secundus cum Holsatiæ & Slesvici Ducibus antiquum fœdus anno Christi M. D. LXXV renovavit, ut inde referetur. Cumque, ut dixi, in insulç meditullio situm sit, circa idem veluti centrum suum civitates reliquç numero septem æquali propemodum distantia ita sunt positæ in maris circumflui littore, ut portuum

tuum ſituſque oportunitate, negotiationes ſuas non ſolum in mari Balthico verum etiam per Sueciam, Norvegiam, Ruſſiam, Belgium atque Germaniam latè exercere queant. Nomina earum ſunt *Neoburgum, Suineburgum, Foburgum, Aſcens, Boens, Middelſurtum* & *Kertemunda*. *Neoburgum.* Quarum *Neoburgum* ædificari cæptum à Canuto Prebeslai filio Lalandię Duce anno Chriſti 1175. Hodie circa hoc opidi regis prętoria navis ſtationem, ut plurimum, habet, cujus inter cetera, eſt operam dare ut navigia minora nec per Oreſundę fretum, de quo mox, commeantia, & quibus minus periculi eſt ab inſulis ac locis vadoſis, quęque ex Holſatiâ, Lubecâ aliiſque vicinis regionibus ſolvunt & ſubinde quoque mercimoniorum ſuorum gratia ad urbes hujus *Balthici* ſinus aliunde appellant, ut inquam vectigal regi debitum Neoburgi pendant. Fuit aliàs hæc civitas vetus regum & Danici parlamenti ſedes. *Kiertemunda.* Ex eâ in Selandiam communis trajectus eſt. *Kiertemunda* egregia eſt & portu oportuna civitas. *Bounſonia.* **Boens** aliàs & Latinius Bounſonia dicetur, ſicuti *Aſnesſum*, quod vulgo **Aſſens** audit. Regias arces habet quatuor *Neuburgum, Hagenſchovam, Hinſgagelam, Eſchebürgum*, & prędium regium *Rugardiæ*. Pagi complures, quorum qui templa oſtentant, numerantur ducenti ſexaginta quatuor. Sunt & prædia arceſq; nobilium haud paucę: Monaſteria ſex. Stagnis inſuper piſcoſis, aquiſque perennibus paſſim irrigatur.

Ad epiſcopatum præterea Fionenſem ſpectant inſulę minores perplurimę, habitabiles pleræque. Quarum illuſtriores & quidem contra Vandalicas civitates projectę ſunt *Langelandia, Lalandia, Falſtria, Alſa, Arrea, Taſſinga, Strina, Turoa, Egholmia, Vreſenia, Orrea, Bogoa, Baſtholmia*. Ex quibus *Alſa* aliæque nonnullę ſuperius memoratę.

LANGELANDIA.

Tranekera. LAngelandia à longitudine ſic dicta, cum ſeptem miliaria Germanica longa, duo tantum lata ſit. hæc parœciis ruſticis XVI ornatur. Regiam arcem *Tranekeram* habet, probè munitam. *Rutcopia.* Sunt & prædia nobilium perplura. Opidi vicem eſſe *Rutcopia* poteſt. Quem Plinius *Lagnum ſinum Cimbris conterminum* dixit, haud alibi quàm hoc circiter freto ſtatuendum, ſupra injecimus.

LALANDIA.

LAlandia ab humili & profundo ſuo ſitu ſic appellata, octo miliaribus longa, quinque lata cenſetur. Separatur à Selandiâ, de qua ſtatim, freto Groneſundâ, à Falſtria exiguo admodum trajectu. Frumentorum perquam eſt ferax. In quâ, præter vicos & parochias perplures, quatuor ſunt opida, *Naſchovia, Saxcopia, Neoſtadium* & *Lavinſcopia*. *Naſchovia.* *Mariboea.* Eſt & Monaſterium *Mariboeæ*, in hiſtoria memoratum: præter arces ac prædia Nobilium, quę habet permulta, olim Ducatus titulo fuit cenſita. Hanc patriam ſuam agnoſcit eximius ille paſſimque celebratus Theologus NICOLAUS HEMMINGIUS, natus in vico *Embolds* dicto. Qui poſtquam initio felici ac laborioſâ operâ in Academiâ Haffnienſi artium & linguarum ſtudia magno juventutis commodo excoluiſſet: Theologię profeſſioni adhibitus, eam lucem ſcriptis propheticis & Apoſtolicis methodi brevitate ac perſpicuitate attulit, ut non domi ſolum, ſed cunctis Europæ doctis admirationi fuerit. Tandem ſenex ac decrepitus, utpote annorum LXXXVII Roſchildiæ, ubi jam annos aliquot, grato otio donatus, conquieverat, ſatur vitæ ſpiritum Deo ſervatori reddidit anno ſalutis M. DC.

FALSTRIA.

FAlſtria miliaria quatuor longa, multas parochias, opida duo regiaſque arces *Nikopiam* & *Stubbecopiam* complectitur. Hodie in uſum fructum conceſſa paret Reginæ matri Sophiæ. Plurimum frumenti annuo proventu vicinis exteriſq; locis ſuppeditat. Ex hac inſulâ frequens in Germaniam trajectus eſt, juxta regis prædium pagumque, cui nomen *Geſſora* eſt *Geſſora*, Geſſoriaci nobis, quod in maritimâ Galliæ orâ ex adverſo Britanniæ Suetonius ac Ptolemæus collocant, nomenclaturam referens. Diſtat autem à littore Geſſoræ ſeptem miliaribus Germanicis, quæ eſt è regione Varnemunda, pagus infra Roſtochium ita dictus, quod circa eum ſe Varnus amnis Balthico mari affundat.

Sunt

Sunt & loca nonnulla apud Fionios prœliis superiorum temporum nobilitata. Quorum, inter cetera, mentionem facit historia Tauri montis, qui **Ochsenberg** vulgo dicitur, haud procul arce Hagenschovensi. Ubi Christianus III anno domini 1536 celebrem de hostibus victoriam reportavit, fusis atq; interemptis Comitibus duobus, Hoiensi & Tekelenburgensi, itemque archiepiscopo Upsalensi *Gustavo* Trollio; *Christophoro* verò principe Oldenburgico castris in totum exuto. Quin & Ottoniæ magnificus peractus est triumphus, dum ibi publico in foro, qui fuit annus 1580, tres principes Holsatiæ ac Sluesvicensium Duces honorem, ob Fimbriam feudo donatam Ducatumque Slesvicensem libero allodio traditum, regibus superioris seculi debitum, nec tamen omnibus solenni ritu exhibitum, sed à regis *Christophori* Bavari temporibus, ejus nominis ultimi, annis circiter centum quadraginta neglectum, oportune consultoque demum Frederico II concordes deferunt, facto promisso, ut regem Danorum injuriarum vindicem agnoscerent, ipsum in hostibus propulsandis bellove impetendis consulerent: jussi adversus rebellantes suppetias eidem mitterent, & denique hostis quicunque Dano declaratus sit, idem Holsato inimicus haberetur, & vice versâ, ut latius memorabit historia.

Ochsenberg.

SELANDIA.

Sequitur Fioniam inclita *Selandorum* insula, Fioniæ, orientem versus, proximè objecta. Hæc inter ceteras hujus regni insulas omnium habetur amœnissima maximaque, utpote quæ longitudine censeatur milliarium Germanicorum octodecim, latitudine duodecim. Eam *Teutonorum Codanoniam*, Melæ indicatam, videri superius commonuimus. Habet civitates hodie tredecim maximè celebres, *Hafniam, Helsingoram, Roschildiam, Ringstadium, Coagiam, Nestvedam, Callumburgum, Slangendorpium, Presteam, Slaglosam, Corsoram, Scielsoram, Holbekam.* Quibus & addi potest, quod in insulâ ei contiguâ Monâ est *Stegæ* oppidum, & *Nicopia* in territorio Draecksholmensi; itemq; *Soeburgum*, nominatissimum olim in lacu Zelandiæ nunc dirutum funditus. De cujus conditu versus celebrantur, qui antepagmentis portæ circa arcis ingressum inscripti olim fuerint, isti scilicet:

Soborg.

Vixit Aristoteles & Alexander dominatur
Dum per gentiles castrum Sòborg fabricatur.

Fuerunt, qui hocce *Seburgum* in Lethricâ palude constructum, Eschilli archiepiscopi castellum, atque opus fuisse, cujus Saxo meminit, sibi sed perperam persuasum habuerint, de quo dictum superius. In rebus quoque Valdemari ultimi injecimus conjugem ejus reginam *Hedevigam*, matrem *Margaretæ* reginæ, in cœmiterio Seburgensi simplicissimo apparatu sepultam; ejusq; super tumulo lignum quadratum haud multis adhuc ante annis conspectum in modum saxi sepulchralis, cui reginæ effigies, capite coronam gestantis cum stolâ ad pedes demissâ, erat incisa. Objerat enim ipsa Seburgi, postquam ibi annis aliquot custodiæ fuisset demandata, uti est ad annos 1353 & 1375 à nobis relatum. Ex versu autem ipso non tam oppidum quam arcem fuisse, in morem castri communitam satis intelligitur. Interim, occasione ejus quod de Lethræ palude injectum, non omitti debet, fuisse in Selandiâ illud, quod toties tantoque celebrat Saxo, Lethræ municipium. Nam & *Christophori* adhuc primi Danorum regis seculo, quod & antea & alibi retulimus, prælium prope Lethræ pontem ipso rege duce esse commissum ad annum Christi 1256 à nobis est commemoratum. Sed de civitatibus statim dicetur, ut & de arcibus regiis, quæ, ut plurimum, civitatibus sunt adsitæ, exceptis perpaucis, & illâ præsertim omnium magnificentissimâ, quam rex Fredericus II villâ diruta, loco perquam amœno, singulari apparatu condidit, eamque de suo nomine FREDERICHSBURGUM, nuncupavit.

Lethra.

Parœcias habet insula perplures, in quibus trecentæ quadraginta septem numerantur, templis egregiè constructis adornatæ, præter eas, quæ in proximâ sunt Monâ insulâ. Rura ei sunt agrique fertilissimi absque stercoratione segetem omnis generis uberrimè proferentes. Adamo Bremensi *tam fortitudine virorum, quam opulentiâ frugum celeberrima* memoratur; patria est celebratissimi historiographi & cum antiquis haud immeritò, sive ob eloquentiam sive reconditam doctrinam, comparandi *Saxonis Grammatici*. Qui & eo magis admirabilis superiori seculo habitus eruditis viris fuit, & præsertim maximo illi Erasmo Roterodamo, ingeniorum æstimatori haud otioso, quòd ævo barbarie obsitissimo, cum annus numeraretur Christi millesimus ducentesimus circiter, florens, eâ eruditionis atq;

 eloquij

Etymon Zelandiæ.

eloquij vi polluerit. *Etymon* Selandiæ venari nonnullos ex eo video, quod in mari posita, aquis undique sit cincta. At alij aliò respicientes, nec eam ut videtur rationem satis sufficientem judicantes, quòd ità omnes insulæ dicerentur Selandiæ, maluerunt, à serendo hoc appellatam nomine; quodq; creditam sibi sementem amplissimè & absq;, ut dictum, stercoratione refundat. Nam & **sejen** & **sajen** *serere* & **Saed** *segetes* indigenis notat. Undè & Saxo Grammaticus, de quo est memoratum, *Sialandum* se non *Selandum* scribit, ut vitaret fortasse, quam indicavimus vocis ab æquore & aquis deductæ ambiguitatem. Memorabile est nec omittendum hoc loco ob memoriam ac decus Selandici nominis, quod habet de Zelandia, quæ Belgij est provincia, Zelandicum Chronicon cap. 7; hos nimirum Daniæ Zelandos illius esse conditores. Rollonem verò, Danorum ducem, Valachriam aliquandiu eique vicinas insulas tenuisse, priusquam in Gallias transmitteret, ostendit suo loco historia. Et idioma quodque Zelandorum multas hodieque retinere ex Danorum idiotismo ac dialecto voces alibi monstrabitur.

ROSCHILDIA.

Ex Urbibus porrò, quas enumeravimus, est omnium in mediterraneis præcipua, & olim, si Adamo Bremensi credimus, *maxima Roschildia*, à **Roe** rege, ut volunt, & **Kille** id est, *fonte*, qui ibi è loco nonnihil editiore scaturiens suo decursu rotas molendinorum septem propellit, sic denominata. Alluit eandem sinus quoq; maris ingens ac piscosus *Isora* vulgo **Isefiort** dictus. Fuit olim non modò regni universi metropolis, vel, ut habet Adamus idem Bremensis, *sedes regia Danorum*; sed diœceseos etiam totius Zelandiæ caput: Quam diœcesin primus instituit Sueno, Suenotho dictus, Haraldi filius, Daniæ, Norvegiæ Angliæq; Rex, ordinato antistite *Gerebrando* sub ann. Christi 1012. Muro deinde cinxisse Sueonem Grathedensem, additis fossâ & propugnaculis, reperio apud Chronologos seculo circiter integro post: Et antea Haraldum, Suenothonis parentem, sacellum ibi sumptuosissimum exædificasse, atque eo conditum ipsum, ut & filium Suenothonem, cujus funus ex Angliâ delatum eodem. Et hodie quoq; regum mausoleis illustrem esse locum, Christiani III & Frederici II insigni opere elaborata ibidem busta ostendunt. ut omittam sepulturam nobilissimæ heroinæ Margaretæ, Daniæ, Sueciæ & Norvagorum reginæ potentissimæ quæ, *Alberto* Suecorum rege inter prœliandum capto, cotem, quam ei paulò antè, ut munus contumeliosum inque opprobrium ac ludibrium fæminei sexus *Albertus* idem miserat, templi Roschildensis columnæ in rei sempiternam memoriam haud procul suo mausoleo affigi curavit. Alias urbis celebritatem, magnificentiam atq; antiquitatem delubra permulta diruta, tum & rudera regiarum ac monasteriorū satis arguunt, ut & epistola Alexandri pontificis maximi, quæ in historia est posita circiter ann. 1186; quâ Rugianorum insulam, quod ad ecclesiasticam jurisdictionem, Roschildensium diœcesi subjicit. Tempore regis Christophori Bavari, quod fuit anno Christi 1445, ut est eo loci indicatum, dos præter cetera assignata sponsæ ejus reginæ Dorotheę Haralsburgum Roschildiæ, unà cum regiâ, quæ ibi habebatur, jurisdictione. Estque hodieq; loci commoditate, doctorum virorum collegio frequentiâq; imprimis celebris Roschildia. Nam & olim *Saxo Grammaticus* ecclesiæ Præpositus, ut & *Nicolaus* nuper *Hemmingius*; jam antè nobis memorati, inter Canonicos, ut vulgo vocant, hic vixère. Quorum etiam utriusq; cineres in templo urbis cathedrali conditi servantur. Non ineleganti eam epigrammate celebravit Willichius Westhovius Cimber, P. L. ubi de urbibus ac municipiis Selandiæ inter cetera, ità de Roschildiâ cecinit:

Fons regij cultus (fundaminis ansa) Roeque,
Rex pariter nomen composuère meum.
Sueno, bifurcatæ Rex à cognomine barbæ
Notus, jus augens municipale dedit.
Templi insigne decus, supremi antitistis aram
Quondam, nunc regum quod monumenta capit;
Wilhelmo cœptum fundari præsule, præsul
Perfectum tecti culmine Sueno dedit.
Post aliis alij me auxêre ornatibus amplam
Pontifices, donec plena decore steti.
Tum, Latiæ stulto me inflante tyrannidis æstro,
Ipsa mei casus tristis origo fui.
Ex me urbes vano defungi discite fastu!
Excelsæ sorti vasta ruina comes.

HAFNIA

HAFNIA ad insulæ latus ortivum posita Balthici maris sinu alluitur. Adjacens enim *HAFNIA.* quàm proximè *Amaga* insula portum efficit incredibili commoditate ex loci naturâ celebrem. Hæc quippe ad orientem in Balthicum mare ad stadia circiter quatuor excurrens, vadosis & perpetuis arenis inpetum maris sæpè vehementissimi retundit; Quo fit ut inter dictam insulam & agrum Hafniensem orientalem ad passus quingentos tuta concedatur navibus statio. Quam verò tenuia urbis initia fuerint, ex eo patet, quod *Axillus Vidus*, aliàs **Snare** cognominatus, Saxo *Absolonem* perpetuò vocat, Daniæ archiepiscopus, vir nobilitate generis, sapientiâ, animi magnitudine, patriæ amore, atque in rebus gerendis felicitate & successu præstans, munitionem quandam eâ in insulâ, in quâ nunc Hafniensis arx est, magnis sumptibus extructa, fieri curavit, cui appellationem de suo nomine **Axelhuus** indidit, ut eo promptius adversus piratas locus ille defendi posset. Antea & primitus *Stegelburgum* appellatum reperio. Saxo Grammaticus *insulam* ait *maritimam novi castelli fundamentis Absolonem complexum ad arcendos piratas.* Hic igitur locus cum paulatim opportunitate situs non casis modo piscatorum sed negotiantium quoque frequentiâ atque ædificiis amplioribus excoleretur, **Kiobmanshafen**/ id est, *Mercatorum Portus* vocatus est, quâ etiam voce ac nomenclatura LatinâSaxo Grammaticus semel iterumque in rebus Woldemari Magni, urbem nuncupavit: hodieq; vulgo **Kiobenhaun** Danicè, & **Kopenhaven** Theutonis nominari solet. Hafniæ vocabulum, quod ferè Latinè scribentes nunc usurpant decurtatum est formatumque ex syllabis duabus posterioribus **Hafen/Haven** & **Haun**: quibus *portus* significatur. Unde & sunt, qui *Portuam* appellare Latinè non dubitant, quam rectè hîc non disputem. Saxo qui *Portum Mercatorum* appellavit, tutari se potest similibus apud veteres urbium appellationibus, cujusmodi sunt, *Portus Herculis, Portus Augusti, Portus Monæci, Portus Iulius.* Sed & idem quoq; Saxo *Absolonicam urbem* appellasse videtur lib. 14. Jacobus Mejerus Flandricę historię florentissimus aliàs scriptor etymo plane ridiculo à **Coppen**/ quod *Iacobum* Flandris significat; & **haven**/ quod *portum* notat *S. Iacobi portum* appellatum hariolatur. Exindè autem quomodo creverit, amplissimisque sæpenumero privilegiis, atque ultimò demum Academiâ, id est Musarum ac sapientiæ domicilio, sit exornata, suis exponet locis historiâ. *Academia.* Nostro autem ævo, quanta ei ornamenta accesserint ex largâ in eam Christiani quarti regum maximi beneficentiâ ostendunt passim urbis ampliata pomœria, ordinata propugnacula atque additum regium Armamentarium, *Armamentariũ* cujus Europa vix simile aut secundum habet, sive machinas & omne genus instrumenta bellica, sive loci, quo ea ad bellum terrâ marique gerendum educi quàm commodissimè possunt, rationem videamus. Quibus accedunt præter cetera, in usum Mercatorum constructus sublicius pons, & Bursa adjuncta. *Pons sublicius.* Quorum pons ita est adaptatus, ut proximam *Bursa.* Amagæ insulam novumque in eâ opidi latus cum opido veteri connectat: Parte verò ejusdem pontis elevatâ, subire per eundem, ubi id usus flagitet, ad arcem & armamentarium onerariæ possunt naves. Est & regium viridarium extra portam Borealem amœnissimum, opere artificioso jam nuper adornatum, addito palatio, sive id prædium appellare libet, quod ceteram magnificentiam haud dedeceat. *Viridarium regium.*

Primarium urbis templum D. Mariæ sacrum est, in eo sacrantur & coronantur Danię *Templa.* reges: Canonicorum collegium olim fuit: Aliud est spiritus sancti: Tertium D. Nicolai, portui vicinum: Quartum in arce. Quintum D. Petri, quod magnis impensarum sumptibus à Frederico II restauratum, ut in eo Germanicę nationis homines sacros conventus haberent.

AMAGA de qua dictum, insula, sive, ut alij vocant, *Amagria* urbi Haffniensium ab o- *AMAGA.* riente adjacet, sex millia passuum longa, millia quatuor lata, omnium fœcundissima, tum & venationibus, præsertim leporum, peroportuna. In hac duæ sunt parœcię: altera antiquitus fuit, estque hominum indigenarum: altera ex gente Hollandię eo antè seculum & quod excurrit traducta colonia est; idque, volente aut saltem adjuvante sorore Caroli V, quam thori sibi sociam assumpserat Christianus secundus. Hi Hollandienses sive Amagienses urbem, negotiatione ac hominum affluxu celeberrimam, annonâ & maximè butyro, caseo, sero, lacte aliisque ejusmodi eduliorum generibus copiosè, & ad morem suæ gentis in foro, cui ab illis quoq; nomen, Amagiensi, indies prostantes sublevant. ut ità hanc insulam Hafniensium veluti penu dicere liceat. Et hoc notandum quoque, vocabulum, quo censetur, haud aliud quam *domum* ac *penuarium* denotasse Germanis olim antiquissimis apud quos hodieq; *Drusomagum, Borbetomagum, Rigomagum, Duromagum* & *Maguntiacum*. Et apud Italos *Magasino*, quod rerum venalium majorumq; mercium veluti promptuarium signet.

HELSINGORA.

Occurrit Hafniæ, aquilonem versus, HELSINGORA, urbs littoralis, freto, quod *Oresundæ* dicimus apposita. Exteri, & præsertim Hollandi, ceterique è Frisiâ, Hollandiâ, Flandriâ, Galliâ, Hispaniâ, Angliâ, Scotiâ, Borussiâ, Sueciâ, Norvagiâ, Moschoviâ, Pomeraniâ totâque Vandaliâ aliique eò confertim quotidiè appellentes, **de Sondt** vocant. Cujus etymon qui heri aut nuper indagarunt, mirum quantopere suâ opinione falsi sint, cum illud ità dictum velint ab *or*, quod veteri Danorum linguâ *arenam* significaverit. At fretum illud **Oresundt** dici ab **ore** quod *aurem* notat, indicio sit ipsa civitas, quę non tam ab Helsingis populis *Helsingora*, quam à longo illu sinu, qui à *Col* promontorio ad ipsum fretum **Oresund** procurrit, *Halsæ* vocabulo Halsingora dicenda, docente pręsertim Adamo Bremense, qui etiam **Halsingburg**/ non **Helsingburg**/ perpetuò scribit. Ut ita sinus ejus extensio *cervicem* quasi aut *collum* populariter **hals** dictum assimulans, atque indè in fretum jam memoratum procedens, ut auris cervici (nam & formam eam refert) accedat, & huc quoque Plinij *Hellevones* sive *Halsevones* referendos supra injecimus. Sanè à corporis humani partibus terrarum & maris perplures tractus appellari, ostendunt promontoria, quæ vulgo ab extuberantiâ *nasi* aut *linguæ* nomen accipiunt, ut illud Norvagię à naso **de neus**: *Linguam* verò tralaticie appellari genus promontorij non excellentis, sed leniter in planum devexi extensiq,, docent pręter alia in Zelandiâ Belgij **Nieuwe Tonge**/ & **Oude Tonge**/ id est, *Nova Lingua, Vetus Lingua*. Nec aliter chorographi & historiarum scriptores maris angustias *fauces* perpetuò vocare solent; quod pręcipue locum hîc habet; cum nihil sit aliud Helsingora, quam *faucium* seu *colli auricula*, non ut perperam nonnulli particulam **helsing**/ accipientes, *Benedictam auriculam* interpretantur. Solinus *frontem Locrensium* dicit sinum Europæ primum à Gadibus ortum; Et Tacitus *Germaniæ frontem* appellat, quę Danubio prętexitur. Accipiunt & aliundè hi sinus sæpenumerò appellationes, ut à *colore*, cujusmodi est **Gronsunt**/ id est, *viride fretum*: itemque à *longitudine*, ut **Langesundt**. In Hellade est *Trapezuntium*, quem sinum maris Græci haud dubio à *Trapezâ*, id est *mensæ*, quam refert, similitudine sic appellitarunt. Ubi notandum *Suntæ* vocabulum, quod passim in boreę his oris est obvium, ut sunt *Stralesunda* Pomeraniæ; *Carsunda* Norvegiæ; *Gronsunda* & *Langesunda* Daniæ; & de quo jam agimus, *Oresunda* aliaque etiam in Græcia obtinuisse; idque *Trapezuntæ* ostendere vocabulum. Et quid Græciam dico? Nonnè & Indi orientales, & illi à nostro orbe remotissimi Javanenses fretum istud, quod est intra Sumatram & Javæ insulam, *Sundam Calapam* vocant? *Helsingorum* porro opidum semel, quod memini, disertè nominavit in rebus Voldemari lib. 14 Saxo Grammaticus: Alias *Helsingam* idem dixit, ut libri ejusdem initio, itemque *Helsingum opidum* lib. 15. Nec memini si alibi aliter, quamvis ultimo hoc loco non tam intelligi posse *Helsingorum*, quam *Helsenburgum*, quod est in Scaniâ è regione Helsingoræ, ferè videtur, cum dicat: *Rex, finitis commeatibus, ad illud Sialandiæ littus, quod ab Helsingo opido vocabulum tenet, trajicere jubet.* Quod enim aliud, quam Helsingoræ littus, quod ex adverso Helsinburgi est, capiendum ibi parum reperio. Quàm autem brevis sit inter utrumque oppidum per sinum illum maris trajectus, ostendit præterea Saxo, qui ait Haraldum regem cum Ringone Sueco navali prelio certaturum, quasi alterum Xerxem, pelagus istud frequenti adeò ac numerosâ classe complevisse, ut pontis vice naves essent, pateretque in oram Scaniæ è Selandiâ pedibus per naves iter. Nec omittendum quod de eodem quoq; freto refert Adamus Bremensis, qui de pugna similiter navali inter Olaum Norvagum & Suenothonem commissâ verba faciens, satis indicat navalium id olim conflictuum veluti arenam habuisse reges vicinos, ubi inquit: *Collecta classe innumerâ bellum intulit regi Danorum, inter Sconam & Seland, ubi solent reges navali confligere bello. Est autem brevis trajectus Balthici maris Halsingburg, in quo loco Seland à Sconia potest videri.* Videri posse nihil est certius, cum vix ultra semimiliare, cujusmodi fere inter Hellesponti Abydum & Sestum est interstitium, quod est ortum versus, sese expandat, quod verò contra meridiem est duorum propemodum miliarium intercapedinem habet, qua præsertim insula *Huena* ocurrit. Ut ita freti has angustias si quis *Hellespontum Danicum* vocet, nihil abs re dixerit. Ejusdem verò, *Huenam* versus, dilatatio veluti *Propontis* quædam haberi potest. Nec minor ibi quàm in Bosphoro Thraciæ piscatio est, eaque vere & autumno solennis, ità ut hæc aurea; illa argentea meritò habenda, cujusmodi etiam suam illam olim indigitasse Græcos authoribus proditum. Sanè hîc quanta semper halecum aliorumque piscium captura fuerit sui quoq; seculi scriptor Saxo testatur, dum *impacta inter piscium globos navigia*, sunt ejus verba, *vix remigij conamen eriperet.* Ceterò ipsum Helsingoræ opidum muris destitutum hactenus, cingi jam

Pontus & Propontis Danica.

pridem

pridem mœnibus luculenter curavit Christianus IV. Cujus & parens jam ante laudatissimę memoriæ Fredericus II exstructâ arce CRONEBURGO, maximum urbi ut ornamentum, ita & præsidium addidit. *CRONEBURGUM.* Est enim arx ista arcium in Daniâ omnium munitissima, situ & opere adeo mirabili, ut inter expugnabilia censeatur. Antea, quæ locum ejus vice obtinebat, *Croga* vocabulo à littoris flexura sic dicta funditus diruta, sicuti & *Flondersburgum*, quod in crepidine quoque maris stetisse haud longè ab Helsingorâ, ubi nunc est *Flonderupium* è regione promontorij Collensis indicat historia: Positaque nunc Croneburgi hæc arx in præsidium extremæ oræ Zelandicæ ac freti, quod appellari *Orezundam* jam diximus. Estque tanta operis firmitate, idque maximis & innumerabilibus undique comportatis saxis interque compacta & Fistucata robora conclusis, ac loco fundamenti stabilitis firmatisque, ex ipso maris fundo eum in modum educta, ut immanes pelagi fluctus magnis impulsos procellis, atque ad vallum murosque horrendo boatu illisos, citra ullius periculi metum excipiat. Estque præter ista universum opus singulari symmetriâ exactum, intus magnificis conclavibus, cubiculis, porticibusq; exornatum, quorum omnium conclave quod est maximum, reges Daniæ, tapetis intextos, ordine repræsentat. Tecta cupreis sunt obducta laminis. Muri circumquaque lapide cæso, quem insula Daniæ Gotlandia suppeditat, affabre expoliti: Suntque passim circum mœnia in pluteis æneа tormenta, aliæque grandiores machinæ & colubri ad introitum aut egressum navium, ubi opus fuerit inhibendum, ita dispositа inque promptu omnia, ut similem munitionum apparatum reperiri vix alibi existimem. Ad arcis pedem, qua mare ortivum & Huenam insulam respicit, saxum est ingens & stupendæ molis cum hac inscriptione; ANNO M. D. LXXX. FREDERICUS II DANIÆ REX CURAVIT HOC SAXUM à PRIMO SUO LOCO, UBI VICISSIM ALIUS SURROGATUS EST LAPIS, AD HUNC DEVOLVENDUM.

Hîc igitur perque sinus hujus, de quo jam indicatum, fauces, illa non tantum ingentia Germaniæ, Sueciæ, Livoniæ, Russiæ, Borussiæque flumina, in mare se orientale sparsim exonerantia, ceu per cataractas quasdam, in oceanum Norvagicum procurrunt, sed & naves totius Europæ in idem Suevicum seu orientale mare commerciorum gratiâ properantes, atque indè vicissim mercimoniis onustæ redeuntes, hujus transire perpetuo Porthmi angustias tenentur. Si qua verò minora navigia sint, Lubecâ aut proximis ex urbibus Holsatiæ Cimbriæque solventia, ea per Balthicum sinum, qui inter Selandiam & *Zunta porthmus.* Jutiam est pluribus, ut dictum supra, minoribus insulis, tum & vadis impeditior, cursum instituunt; ità tamen, ut Neoburgi, quod esse Fioniæ opidum modo meminimus, subsistere, atque ibi vel regiæ navi prætoriæ, quæ fauces servat, mercium suarum ac transitus rationem reddere cogantur. Adeo ut verè hæc orientalis totius oceani, quâ se latissimè versus Moschos ac Sarmatas expandit, claustra censenda: Et maximè Oresundæ hoc fretum, quod non Croneburgo tantum arce, sed & Helsingburgo, quod in adversa Scandinaviæ ripâ castrum est, communitum spectetur: ita ut omnes ortum versus aut in oceanum occidentalem navigaturi hic subsistere, arcemque Cronenburgum, uti sedem regiam, suppari demissione cohonestare ac velis mox omnibus complicatis jactâque anchorâ, in terram exscendere, ac debitum regi telonium collectoribus, ad id in oppido Helsingorę à regiâ majestate constitutis, pendere necesse habeant. Qui secus faxit, amissionem bonorum incurrit. Jactarunt olim Græciæ principes aureum suum vellus, alij Hermum, Tagum aut Pactolum, ramenta aurea ferentem: Et alij denique Jovis imbrem aureum cœlitus dimissum: Sed ut fabulis quodammodo ista & poetarum ingeniis ad delectationem conficta inque majus aucta, ita hîc verè res agitur vereq; Balthici hoc maris ostium appellare auriferum liceat, quod aurum argentumque in bono asperoque nummo sine ullo aut labore aut periculosa subterraneorum diurna nocturnaq; inquisitione, velut Amaltheæ quoddam cornu aut virgula divina regio ærario copiosè affundat. Nec desunt interim & suæ regno opes, &, inter cetera, argenti quoque fodinæ subterraneæ, quà præsertim Norvagiæ ac Sueciæ est contigua Dania, regiâ nuper curâ feliciter adjuventæ excultæque, ut omittam terræ fruges marisque proventus atque indè tot boum, equorumq; generosorum myriades, quibus ut e regno abduci tuto possint, certis sunt locis constituta vectigalia, maximum etiam momentum regni gazophylaciis inducentia, quamvis superet cetera, meritoque prærogativam mereatur prius illud, utpote, cui Europa penè universa ditionesque ejusdem maritimæ omnes, quatenus hac iter ex oris earum navibus agitur, agnoscuntur tributariæ.

Ipsum verò Helsingoræ opidum, occasione tot gentium huc indies è Scotiâ, Angliâ, Galliâ, Hispaniâ, Lusitaniâ, Italiâ, Flandriâ, Zelandiâ, Hollandiâ, Frisiâ, Sueciâ viciniisq; Vandalię urbibus nec non & aliundè appellentium, pręter indigenas, habet & exteros atq; inquilinos permultos, civitate donatos. In quibus nec mihi natale inficiandum solum: utpotè cui hìc primum haurire spiritum contigit, parentibus utrisque Belgis, ibi familiam alentibus. Quorum, defunctâ postmodum matre, pater in Belgium reversus fixâ apud Amsterodamenses domicilij sede, haud multò post decreto Ordinum fœderatorum Helsingoram & ad regiam majestatem, Commissarij sive Agentis titulo, missus, operam ibi patrię suę utilem, patriâ licet procul, annos circiter viginti navavit: Eique superioribus annis defuncto cum successisset eorundem Ordinum mandatu frater meus Petrus Isacius, utpotè qui pari passu patrem secutus, quique ob alias insuper dotes & præsertim philocaliam, in qua ut pictor sui temporis etiam artificum confessione clarissimus excelluit, regię ibidem majestati jam antè charus & commendatus habebatur, idem similiter munus undecim, & quod excurrit, annos haud sine fœderatarum regionum emolumento sustinuit; defunctus maximo cum liberorum ac necessitudinum dolore, hoc ipso, quo hæc scribimus, anno millesimo sexcentesimo vigesimo quinto. Cui & illud elogium debemus, Ei propemodum parem cum pręceptore suo insigni artifice Johanne ab Ach fortunam fuisse Nam is ut Cæsarum maximo *Rudolpho* Austriaco intimus & familiarissimus habitus, artis pretium atque honorem haud leviter auxit, ita & noster, quem defunctum lugemus, frater serenissimo *Christiano* IV ita adamatus, ut positis falcibus, in ejus subindè pinacothecam Rex pergeret, deque arte & artificibus, inter cetera, verba commutaret. Imitatus in eo, cujus egregiè meminit Plinius, Magnum illum Macedoniæ monarcham Alexandrum, qui simili clarissimoque exemplo affectum suum Apelli prodens, in ejus subindè officinam ventitare deque coloribus cum eodem cædere sermones familiariter erat solitus. Adeò ut addat Plinius, tantum artifici juris in regem alioquin iracundum fuisse, ut de arte subindè minus peritè differenti silentium comiter suaderet, nè à pueris, qui colores tererent, rideretur. Quoties regem pinxerit frater, enumerare supervacuum puto. Eminet tabularum ejus una, quâ equus exprimitur colore candidus. Hic regem sessorem è prelio festinantem ferens ac sepem ingenti saltu superans, cum nivi densiori ad fundum sepis acervatę inhærescens expedire se difficulter equus posset, nec moram res ferret, conscenso, qui ad manum erat, equo alio Rex cursum acceleravit; At equus summo interea nisu è nive evolutus, herum suum multis jam passibus licet anteriorem, ita est assecutus, ut pristino sessore resumpto, eum salvum abduceret. Ejus rei memoriæ tabula ista dicata, hodie, si rectè memini, in regio viridario, quod est extra Haffniam, spectatur.

HVENA, Ex adverso Helsingoræ, & veluti in oculis urbis, est sita *Huena* insula meridiem versus, ad longitudinem 37 graduum, latitudine verò 54, & quod excurrit, porrecta. Hæc ab arce Croneburgo ipsoq; Helsingorę opido duobus circiter miliaribus mari distans, Scaniam Selandiamque pari propemodum spacio à se utrimque remotam habet, nobilemque hunc porthmum suâ vicinitate spectabiliorem reddit. Et ipsa hoc situ posita, versum Selandos, præter *Croneburgum* & *Helsingoram* naviumque innumerarum, ultro citroq; commeantium, jucundissimum prospectum, *Haffniam* regni metropolim, & academiâ, ut dictum, regiâ mercaturâq; celebrem, versus Libanotum a se distantem prospicit. Totidem etiam *Helsingburgum* in ipso septentrione, idque in Scaniæ littore distat; In quo similiter *Landiscronia*, unico saltem miliari sejuncta, versus Eurum patet. *Lunda*, licet maritima non sit, tamen hìc quoque spectatur, quatuor circiter miliaribus versus meseurum remota: ut & *Malmogia*, quinis propemodum miliaribus versus ortum meridionalem cælo præsertim sudo è locis editioribus conspectui objicitur. Has civitates, oramque maritimam satis arboribusque circumquaque amœnissimam in ambitu insula videt, & ab his vicissim cum admodum edita è mari extet, prospectatur; habens in circuitu 8160 passus majores, qui duo quasi miliaria Germanica mediocria æquant, latitudo haud ultra semimiliare adimplet. Et licet edita altaque, ut dictum, sit, planitiem tamen superius ferè æqualem habet, nullibi rupicosa aut informis. Nec ejus propemodum pars ulla otiosa aut sterilis habetur; Estq; ferax optimarum frugum, abundat jumentis, alit damas, lepores, cuniculos & perdices magnâ copiâ. Piscium capturæ circumundique apprimè est oportuna. Silvulam habet ex corylis, ubi nucum nulla vermiculis aut carie exesa deprehenditur. glires terra non fert. Olim quatuor arcibus insignis fuit, cum Huenellæ gigantissiæ posteri, quos inter Hugo & Grunilda apud Germanos in athletarum historiâ celebres memorantur,

cam

eam inhabitarent. Nomina arcium adhuc recensentur, quarum *Synderburga* versus meridiem sita erat; eique oppositas partes tenebat *Nordburga*, sicuti alia ortum hiemalem; *Hamera* verò æstivum respiciebat. Harum quatuor arcium fundamenta adhuc animadvertere est, sed rudera nulla sunt residua. Fluvios non habet, at rivulos & fontes aquæ dulcis haud paucos, Estque inter alios fons, qui nulla unquam hiberni frigoris vehementiâ congelatur, quod aliàs his in oris habetur rarissimum. Etymon insulæ repetendum à Huenella viragine, de qua dictum, vero videtur consentaneum. Quamvis & illud dici haud abs re queat, ipsam insulam, sive situm ceteraque ejus spectemus, notatione se prodere, quæ nihil nisi venustum & amoenum præfert, quod & *Huenâ Huenellaque* voces, idiomate non Danico solum sed & Germanico haud obscurè significant. Undè & *Venusiam* appellitatam, & ità subindè nominasse Jonam Jacobæum Huenensem virum clarissimum & regium olim in academâ Haffniensi professorem historicumque, atq, ultimo demum coenobij Sorani præsidem, ejus ad me aliosq; literæ testes sint. Et ipsum quoque idcirco Venusinum, utpotè in hac insulâ natum nominari memini. Exteri nonnulli *Scarlatinam* quoque nuncuparunt. Ejusque vocabuli occasionem hîc pluribus repetere ad alia festinans nunc supersedeo.

Hæc igitur insula cum, ut indicavimus, amoenissimo sit situ collocata solumque habeat circumquaque æquabile, tum & prospectu fruatur ac coelo libero, eam laudatissimæ memoriæ *Fredericus II* Daniæ Rex, viro nobili ac perillustri Tychoni Brahe universam inhabitandam ac possidendam concessit, facto eâ de re decreto, ut ibi philosophiæ studiis & imprimis astrorum contemplationi ad artis instaurationem invigilaretur. Undè & idem nobilissimus Tycho, extructâ ibi sub annum 1576 insigni arce *Vraniburgo*, eâque variis eisdemque exactis mathematices organis, quæ ipse labore, diligentiâ, impendioque incredibili adinvenit fierique curavit, adornatâ: Tum & studiosis juvenibus sibi ut, domesticis, assumptis (quos inter & me nomen profiteri meum laudi mihi duco, cum ei à manu & admissione interiore triennium circiter suavissimè cohabitarim) ea annorum circiter viginti curriculo perfecit absolvitque opera, quibus hodie ut Hipparchus aliquis aut Timachares totâ passim Europâ celebratur, relictis, præter cetera, posteritati ejusmodi cælestium corporum observationibus, quas præcipuè hactenus desideravit scientiarum omnium antiquissima & pręstantissima Astronomia, ut hisce nimirum adminiculis eâ solidè aliquando constituta vindicari à mendis pleneque instaurari ac perfici possit. Quæ pręterea huic insulæ ultra jam dicta, idem contulit recensere longius foret. Præcipua tamen sunt, pręter Observatoria diversa in arce & extra arcem memoratam, cui & Pyronomicum laboratorium subterraneum erat additum, quod moletrinam insuper papyraceam propè littus maris ità adornarit, ut piscinæ ex aqua præcipuè, quæ coelitus dilababatur, collectæ inque longum ordine dispositæ & vallo adhæc terreo ab invicem diremptæ singulæ idem molendinum suâ aquarum vi per cataractas & emissaria, quæ cuique vallo inerant, sufficienter circumagerent, ut ita, excepto frumento, quod ibi quoque, sed loco semoto in farinam redigebatur, abundè suppeditaretur ad operum, quæ parabantur, excusionem, optimi generis papyrus. Quæ & ipsa opuscula in arce Vraniburgo, ubi officina chalcographica subtus valli extremi ac maximi domum versus meridiem erat, typis tradebantur. Insulæ totius topographiam, quo hæc ceteraque omnia clarius patescant, constetque universis Daniæ regum munificentiæ deberi, artium præstantissimæ, Astronomiæ instauratæ decus, totius inquam insulæ sciographiam, unà cum ejusdem explicatione non abs re existimo, hoc loco ob oculos proponere, quemadmodum ea jam olim ab ipso Tychone est prodita.

VRANIBVRGVM.

Nunc ut redeat, undè digressa est oratio, ad opidum Helsingoræ, distat præterea ab eodem tertio circiter lapide, non, ut *Huena*, mari, sed terrâ memorabilis illa regia arx FREDERICHSBURGUM, à rege *Frederico* II conditore sic nuncupata. Primitus enim *Ebelholtum* appellatum; Fuisseque coenobium sancto Paracleto sacrum; cui Abbas præfuit *Gulielmus Parisiensis*, qui defunctus anno Christi 1201 in numerum exindè sanctorum relatus est, docebit historia. *Hermolaus* postmodum *Trolle*, equestris ordinis vir, rerumque maritimarum in bello, quod adversus Suecos est gestum, summus præfectus, amoenissimum locum conspicatus, utpotè qui lacui dulcis aquæ adsitus ac lucis undique opacus, secessui, venationibus & ejusmodi honestis oblectationibus à naturâ quasi factus videatur, arcem primò tenuem moliri cæperat, quam postmodo Fredericus II situs elegantiâ inductus exquisitissimo apparatu adimplevit coronæque subjecit. Summam demum operi manum adjecisse meritò dicendus Christianus IV qui præstantibus undiq; opificibus, architectis, sculpto-

FREDERICHSBVRGVM.

ſculptoribus ac pictoribus invitatis, arcem intus exteriuſque tot magnificis condecoravit ſtatuis, iconibus aliiſque ſingularis artificij operibus, quæ Romanas quodammodo ſuperare elegantias aut cum illis ſaltem certare poſſe videantur: Spatioſiſſima eſt ante fores arcis area, præter eam, quæ interius habetur, ubi & fons marmoreus, limpidas aquas ad varios arcis uſus affatim evomens, quem & exquiſitus diverſarum imaginum ornatus plurimum commendat. Hîc quoq; amplitudo ea quę regiam nobilitatem, & equitatum numeroſum facillimè admittat. Et facit deniq; ad loci commoditatem haud leviter, quod eadem, quæ ab Helſingora & Croneburgo eſt ejus diſtantia, vix major quoque inveniatur à regni metropoli Haffniâ.

RINGSTADIUM.

Nunc *Ringſtadij* mentio facienda, cujus ſi antiquitatem ſpectemus, primum aut ſaltem à Roſchildia proximum locum merebatur. Hodie vetuſtate propemodum ſua obſolevit, poſita in inſulę circiter meditullio: Ubi regum olim mauſolea pręcipua oſtendebantur. Nam *Valdemarus I* cognomento Magnus, qui obiit Varinburgi anno Chriſti 1182, hic conditus jacet, ut & filius ejus uterque, reges *Canutus* & *Valdemarus II*, unà cum filio *Valdemaro III*, cujus conjux, filia regis Hiſpaniarum, regina Eleonora, hîc quoque ſepulturæ locum obtinuit; ut & Margareta Damour, Bohemię rege Periſlao nata, quę vitam cum morte commutavit anno ſalutis 1213: itemque *Berengaria* regis Luſitaniæ filia, defuncta 1220. Quarum utraque nupta fuit *Valdemaro II*, ut omittam *Ericum* ſanctum, *Valdemari* ſimiliter II filium, alioſque reges reginaſque perplures, qui vitæ terreſtris adimpleto penſo, hîc poſitis oſſibus tubæ ſonum expectant.

Cæterarum urbium, quarum ſuperius nomina poſuimus, quædam ut villæ olim, nunc opida cenſentur. *Slangendorpium* enim *ruralem villam* nominat lib. 14 pag. 229 Saxo. *Callenburgum* ab Esberno Snareo, Abſalonis Vidi fratre germano, in oppidi formam redactum, addita arce temploq; inſignis ſtructuræ, an. ſalutis 1158 aut 1171 cum antea ob ſinum maris, qui etiam commodum ibi portum natura loci efficit, piſcatorum haberetur ſtatio, nomenque ferret *Hervigi*, ex Saxone Grammatico pro parte, qui perpetuo *Kallundam* vocat, eſt intelligere. Verba enim ita habent lib. 14: *Eâ tempeſtate Esbernus urbem Kalundam molitus novi mumimenti præſidio portum hoſtili piratica liberum præſtitit.* Etymon undè repetendum vix occurrit, niſi ad *Chalos* populos, Ptolemæo in Cimbrica Cherſoneſo, propemodum è regione Calundæ, ut & antè meminimus, nominatos, libeat referre; cum & *Calloe* ibidem aliaque nominentur. Urbem exindè in poteſtate ſemper Snareorum Vidorumque fuiſſe, ad aunum uſque 1276 indicat non obſcurè hiſtoria. Ubi *Ingeburgo*, Eſberni Snarei filia, regno exacta memoratur; idque ſive ſuâ ſive ſuorum culpâ parum liquido ex rerum memoriis poteſt intelligi. Hoc tamen certum habetur, eâ occaſione *Callenburgum* & *Sebugardiam* regno adjecta acceſſiſſe, teſtante hoc ipſum donationum cœnobij Sorani tabulario.

SLANGENDORPIUM. CALLENBURGUM. KALLUNDA

SLAGLOSA. *Slagoſiæ* antiquitatem ex Saxone ſimiliter eſt animadvertere, qui non ſemel nominat. Ei in propinquo adſita arx *Anderſchouva*, in quâ diem ſupremum clauſit laudatiſſimus regum Fredericus II.

Anderſchouv.

COAGIUM. *Coagium* non quidem admodum amplum, ſed munitum hodiè, ac negotiatione præſertim frumentariâ florens eſt oppidum, poſitum ad littus inſulæ ortivum, quarto circiter lapide verſus meridiem Haffniâ diſtans. Vulgo non Coagium, ſed *Coege* ſeu *Côge* nominatur: ut haud abſimile vero ſit, antiquæ *Cogenorum* gentis, quod ſuperius injectum, reducere eam, aut ſaltem retinere memoriam. Ejus ſitum atque amœnitatem ſolique uber, ita deſcripſit Veſthovius:

Fluctibus Arctoi ſat bella Coagia ponti
Alluor, hinc campus ſubjacet, inde nemus.
Quæ ſilvæ utilitas, agri emolumenta fretique,
Commoda ſunt, meus hæc omnia civis habet.
Dat glandes & ligna nemus, dat paſcua campus,
Piſcibus & variis mercibus unda beat.

CORSORA. Ei ferè ex adverſo, occaſum contra, alterum inſulæ latus occupat *Corſora* arcè regiâ inſignis, habens è regione in littore Fioniæ *Neoburgum*, de quo eſt antea commemoratum. Nomen Corſoræ à crucibus inditum, quas majorum religioſa ſuperſtitio nullis non locis ut ponere erat ſolita, ità hîc plures aut certe maxime conſpicuas ſtetiſſe eſt vero ſimile.

Schelſora

Schelsora ad insulæ latus, quod Balthicum mare, peculiariter sic dictum, alluit, est collocata, obversam sibi prospectans Langelandiam. Alios *Scelfiscoram* nominare, & à piscium squamigero genere conchisque, quæ eo in littore abunde habentur, appellationis originem repetere video. *Nestveda*, quæ ad exiguum ejusdem maris seu littoris sinum posita, ab altera insulę parte ortum versus *Prestoam* habet, *presbyterorum insulam* dictam, quod eam habitare primi atque excolere clerus ac presbyteri cæperint: Ne quis præstos, Indię gentem, cujus Curtius meminit, hîc imaginetur. Est autem locus haud inamœnus, declivis paulum ac sinu maris non admodum lato, veluti amne circumfluus lucosque ac colles nemorosos circumquaq; prospectans. Ei *Mona* objacet candidis cretę montibus latè in oceano conspicua, urbem unam ostentans *Stegæ* nomine. *Monam* verò sejungit à *Prestoâ* sinus, de quo dixi, exiguus è mari egrediens ac insulam eandem urbemque more fluenti, versus Selandiam circumluens.

SCHELSORA — *NESTVEDA.* — *PRESTOA.* — *STEGA.*

Mona insula & in eâ opidum *Stega*, hoc habent memorabile, quod paris planè nominis insula inter Britanniam & Hiberniam sita, Cæsari, Plinio ac Ptolemæo describatur. Meminit & Tacitus *Monæ* circa Britanniam; quæ tamen à priori illa sit alia, utpotè continenti Britanniæ proxima, cum ex eâ, in insulam Britanniæ nando per vada transmissum Tacitus memoret. Sed & illam *Manniam* verius quam *Monam* esse, *Monoedam* Ptolomæo dictam, quasi *Monumeithum*, id est, *Monam remotiorem*, ad alterius *Monæ* differentiam, ostendit jam antè nos vir clarissimus Cambdenus. Nostra hæc seu *Danica Mona*, cum illâ Britannicâ, præter nomen, commune habet, quod illa interstitio exiguo ab ipsâ Britanniâ separetur, ut & hæc à Selandiâ, ex adverso præsertim oppiduli *Prestoæ*: illa clivosa, ita & hæc altissimos habet montes, & maximè promontorium unum eminentissimum, quod **Moensclinte** vulgo dicitur, Germaniæ objectum. Tacitus suo ævo illam Britanniæ *Monam* incolis *validam* agnovit & nunc etiam vicos in eâ multos & unum alterumque municipium agnoscit Cambdenus: Nec aliter hæc Danica. Nam præter pagos & parochias, quas habet hodie plurimas, opidum in eâ *Stegæ*, 'ut dictum, & Regia insuper *Elmelunda*. Supra ostendimus, ubi de Falstriâ egimus *Gessoriaco*, quod in Galliæ boreali littore agnoverunt olim veteres, paris esse appellationis navale sive Trajectum in Falstria, *Gessoram* vulgo nominatam, ab insulâ hac Monâ haud longè dissitam, ut de Monâ hoc loco, nominis similiter vicinitatem mirari haud quaquam habeamus.

MONA insula & in ea Stega jam dicta. — *GESSORA.*

Quæ reliquæ sunt civitates, *Nicopia* & *Holbeca*, situm habent in insulæ parte boreali. Quarum hæc freto sive sinui illi maris **Isefiord** nuncupato, cujus alter veluti armus, seu amnis potius, Roschildiam petit, est apposita; Illa in territorio, vulgo **Odsherrit** dicto, Saxo *Oddam provinciam* appellat, collocatur, frugum abundantiâ aliisque mercimoniis celebrata. Hoc universum territorium regium agnoscit præfectum, cujus in arce *Draeckrsholmiâ* sedes est. *Holbeca* suum seorsim præsidem arcemque habet, rivo latebroso, unde & nomen inditum, apposita.

NICOPIA. — *HOLBECA.*

Arcium recensum instituere, quod desiderari hic unum possit, cum operę longioris sit, nec solum regi sed & nobilitati quædam proprię sint, structurâ & elegantiâ memorabiles, neque tamen obvię passim, haudquaquam omittenda præter jam dictas, *Sora*, non tam arx quam regium cœnobium, loco amœnissimo haud procul Ringstadio inter silvas lucosque positum; & lacum insuper dulcis aquę proximè alluentem habens, piscibus varij generis abundantem. Cujus pulcherrimi monasterij *Ablonsa Vidus* archiepiscopus Lundensis, nec non frater ejus *Esbernus Celer*, vulgo *Snareus* cognomento, ante quinque propemodum secula fundatores fuêre. Præter *Absalonem* ejusq; in locum hunc munificentiam, quę suo sunt loca memorata, contulisse ei reperio Esbernum pagos quatuordecim, ac variis ædificiis monasterio additis, areâ quoque aliisque operibus, idipsum ampliasse. Utriusq; hic ossa condita jacent. Quorum *Snareus* è vitâ excessit anno Christi 1202, cum *Absalon* anno jam ante mortalitatem complevisset. Hodie regni peculium est: Nec multi sunt anni, cum laudatissimę memorię Rex *Fredericus* II, qui regiam nobilitatis scholam Frederichsburgi aperiri curaverat, eandem ad hocce cœnobium, utpotè Musis & Vacunę oportunius, transferri fecerit, auctis cum docentium tum & discentium numero annuisque reditibus. Nec defuit exindè parentis optimi proposito regiæque munificentię filius, cujus felicissimo nunc imperio floret Dania, *Christianus* IV, qui nuperrimè, eâdem scholâ in statum illustriorem constitutâ, ei præter cetera, in gratiam præcipuè nobilium, publicos professores adjecit, & tales quidem, qui non modò ingenia omni liberali doctrinâ linguisque, præter Latinam, Græcam Hebreamque, etiam Gallicâ Italicâque erudirent, sed

SORA.

corpora

corpora quoque induſtriamque ipſorum, equis atque armis tractandis, quod vel maximè nobilitatem commendat, ritè aſſuefacerent, ut ita paulatim aptaretur ſimul adoloſcentia non Muſis modò, ſed ad tolerandam quoque ut ille inquit *militiam & grave Martis onus*. Etymon *Soræ* necdum comminiſci potui. Neque involvendum interea ſilentio, in Italiâ quoque *Soræ* coloniam & urbem Straboni Plinioque memorari, in viâ Appiâ ad Liris fluenti caput ſitam.

HERLEFS-HOLMIA.

Diſtat Sorâ tertio circiter lapide *Herleffsholmia*, locus ſimiliter inter lucos arborumque opaca jucundiſſimus, dictus olim **Schoucloſter**/quod ad verbum ſit, *ſilvæ clauſtrum* ſeu monaſterium, ſive potius Silvani Dryadumque domicilium. Hoc inſigne prædium, ſibi hæreditarium, vir nobiliſſimus omnique doctrina cultiſſimus *Herlefus Trolle*, regni olim ſenator & admiralius, ut ſuæ erga patriam optimaſque artes perpetuæ voluntatis relinqueret teſtimonium, in uſus publicos convertit, & liberam illuſtremque ibi ſcholam inſtituit in quâ non modò nobilium ſed & aliorum liberi honeſtè ac liberaliter educati, in literis ac verâ erudirentur pietate, adjectis & aliis, quas in proximo habebat, poſſeſſionibus.

Hic ille *Herlefus Trollus* eſt, vir ſuo atque omni ævo memorabilis, qui Danicæ claſſis præfectus anno *1565* indigna morte in prælio contra Suiones navali, fortiſſimè rem gerens, abſumptus eſt. Troli cognomen, quo etiam vocabulo Gothi olim, teſte Olympiodoro, à Vandalis ut truculentiores fortaſſe, ſunt nominati, ex antiquâ ac primâ in gente Danica Trolorum familiâ, ortum accepit. Nam & hodieque ex eâ proſapiâ qui ſunt, pro clypei inſignibus, *Troli*, id eſt, *Cacodæmonis rutuli* truncum, capite extra clypeum in apice caſſidis ſupereminente, publicitus oſtentant. Quod honoratę militiæ inſigne quo caſu aut occaſione illis tributum, dicere non habeam: Illud conſtat, quod & alibi meminimus, Suetonium Tranquillum, ubi occaſiones ediſſerit, quibus gens Claudia cognomina Neronis Druſique aſſumſerit, de Druſo inter alia hæc retuliſſe cap. 3 in *Tiberio*: *Druſus, hoſtium duce Drauſo cominus trucidato, ſibi poſteriſque cognomen invenit.* *Drauſum* autem ſive **Droes** Theutonibus idem, quod Danis *Trolus* ſive **Trol**/cacodæmonē ſcilicet, notare norunt, qui linguæ Germanicæ Danicæque aliquem uſum habent, ut ità dux iſte *Drauſus* ab eo, tum Galliæ provinciam obtinente, trucidatus, aut Celta aut Ligur aut denique ex borealiori aliquâ plagâ ortus, nominis iſtud ob animi corporiſque feralem truculentiam roburque impavidum apud populares meruerit, utpote hoſtibus omnibus præcipue formidabilis. Certè tam inferioris quam ſuperioris interioriſq; Germanię populus non horrendo ſolum trucique aſpectu metuendum, ſed ipſum etiam cacodæmonem *Drauſum* & **Draus** ſive **Droes** appellare hodieque conſuevit. Adeò ut haud abſimiliter à Vandalis Gothi ob parem nimirum truculentiam, cognominati ſint *Troli*, teſtante, ut diximus, Olympiodoro; qui tamen ignarus, utpote Thebis Ægyptiis oriundus, id *Cacodæmonem* linguâ gentis, ut jam oſtenſum, ſignificaſſe, curioſus ſciſcitator ab alio fortè diſcere vocis vim ſatagens, vani hominis commentum in literas retulit, quaſi ad ſummam annonę caritatem, qua tritici trullam (menſurę exiguę genus eſt) aureo uno redimere à Vandalis Gothi fuerint coacti, ratio cognominis foret referenda.

Sed ad ipſum gymnaſium Herleffsholmenſe ut redeam, ſunt jam anni perplures, cum illud coram ſpectandum luſtrandumque mihi peropportune daretur, comitanti tum eò illuſtrem virum feliciſſimæ memoriæ *Arnoldum Vitfeldium*, regni Danię Cancellarium. Cui inſpectio ac cura per id tempus totius Gymnaſij incumbebat, utpote Trollorum proſapiam à parte matris proximè contingenti. Hic dum biduum unum alterumq; cum illuſtri illo viro conſumo, fecit locus & Gratiis quaſi dicata omnia, ut breve hocce epigrammation, velut aliud agenti, exciderit:

Fama eſt Silvani Muſas coluiſſe receſſus,
Et ſua muſcoſis tempe habuiſſe locis,
Hoc quoque, quo virtus Herlefi eſt clara, lyceum
Quis putat humanas conſtituiſſe manus?
Aut illud Muſæ luco poſuêre beato,
Muſarum aut genius has dat & auctat opes.

SALHOL-

SALHOLMIA, BORNHOLMIA, GOTLANDIA, OSILIA, INSULÆQUE ALIÆ IN EODEM MARI ORIENTALI.

E Selandiâ, & ultra *Huenam Monámque* solventibus versus ortum meridionalem occurrunt deinde ordine etiam insulę alię, sed omnes enumeratis præsertim jam duabus, *Fioniâ* & *Selandiâ*, multò minores. Quarum omnium minima & veluti nævulus maris apparet *Saltholmia*, *Amagriæ* ad ortum opposita, fæno gramineque læta, sed incolis carens, plana projectáque. Indè superato promontorio Falsterboensi *Bornholmia* se offert, quinq; miliaribus ab australi littore, à Scania circiter quatuor remota. Hæc, pręter pagos perplures, utpote nomarchiis constans quatuor, aliquot ecclesias complectitur, & arces quoque *Santwicum* & *Hamershusium*; opidula habet tria, *Nexoam*, *Rundeam* & quam olorum paludem vocant, **Suaneker** vulgo. Longitudo ejus miliaribus Germanicis septem protenditur, duobus lata patet. *Sandvicum* etiam nonnulli non arcem sed municipium faciunt. Saxoni Grammatico *Boringia* dicitur. Adamus Bremensis, omissâ primore syllabâ, *Holmam* nominat, aitque *Scaniæ* & *Gothiæ* esse *proximam*; celeberrimum pręterea appellans *Daniæ portum ac fidam stationem navium, quæ à barbaris in Græciam dirigi solent*. Quo loci, quod stationem habuisse hîc innuat, qui in Græciam pergerent, intelligendum, quatenus olim, qui his ex oris in Græciam aut Constantinopolim cogitabant, eos mare hoc orientale usque in Russiam navigasse, atque indè terrâ reliquum iter emensos, ut liquet vel ex Saxone & rebus *Erici Cypri*, de quo annus historiæ videndus 1105. Portum autem ac fidam haberi hîc navium stationem agnoscunt hodieque & experiuntur naucleri omnes, hoc pręsertim mare navigantes. Distantque ab eâ, ortum versus borealem, miliaribus circiter duobus, *Eertholmiæ*, constantes ex insularum quasi frustis, quæ in circulum veluti conglomeratę, stationem navibus in medio sui exhibent tutissimam. *Holmæ* autem vox, quia jam iterum sæpiusque se obtulit, intelligenda est esse gentis vernacula, pręsertim cum aliquid circumscriptum & veluti septum indicandum sit; ut ita non tantum *insula* sed subinde etiam *clivus* & *colliculus* eâdem significetur. Sic *Draecsholmia*, cujus superius memini, non in insulâ aut maris est insula, sed ad littus maris in clivo paulum elevatiore arx est posita. Apud Anglos perplures hoc nomine gaudere Britanniæ littori circumpositas insulas ostendunt **Fetholme / Stepholme /** itemque **Ozeſholme** & **Stockholme /** circa agri Pembrochiensis flexum. Quarum ultima eandem planè nomenclaturam prodit, quæ est *Stocholmiæ*, apud Suecos emporij nominatissimi. *Bornholmia* prætereapecore ac pascuis adeò fertilis habetur, ut ad exteras etiam regiones, pręter butyrum & sevum, frumentum quoque itemque lanam & carnem ovinam bovinamq; muriâ conditam abundè transmittat.

SALTHOLM *BORNHOLMIA.* *Eertholmiæ.* *Bornholmiæ fertilitas.*

Bornholmiam excipit proximè ad sinistram *Olandia* Suecię contigua, eique ut propior ita & propria jurisq; Suecici. Indè ortum australem versus *Gotlandia*, sive potius appellare cum aliis *Gotiam* libeat. Ipsi indigenę Daniq; & Sueci **Gulant** appellant, voce, quæ proximè accedit ad Ptolemæum, qui his in oris, quos *Gothos* alij, ipse *Gutas* dixit, ut est jam ante memoratum. Hæc Danicę coronę insula, præter armenta frumentaque, quibus abundat, venatione, piscatione aliisque rebus, humano usui necessariis admodum est dives. Quin & saxi genus sive marmor potius, copiosè ibi ex lapidicinis eruitur, vulgo *Gulanse* seu **Gotlandsche steen** appellatur; cujus magnus in Daniâ ad ædificia arciumque regiarum exstructiones usus est, nec enim ad exteros, nisi regio permissu, solet evehi. Est & frequens silva, abjetes admodum proceros, ac mala proindè navibus accommoda, abundè producens. Habet in longitudine insula milliaria circiter octodecim, in latitudine haud ultra quinque patet. *Visbya* non tam metropolis ejus quam monopolis habenda. Primus episcopum ecclesiis præfecit *Fredericus* secundus Daniæ Rex. Postmodum, regnante *Christiano* quarto, ipsius, ut videtur, antistitis culpâ, qui episcopatu motus, diu privatus egit, Prępositus, ut antè habebatur, est constitutus, qui ecclesiis omnibus, quarum circiter centum sunt, pręesset. Opidum ipsum nobilissimum olim totius septentrionis emporium fuit. Vinetâ enim & Julino funditus eversis, atque indè Slesvigâ incendiis & rapinis vastatâ, translatus est Cimbricæ Chersonesi universus rerum exoticarum mercatus Ripas Phundusiorum: undè haud multò post negotiantium exterorum colonia in hanc insulam atque urbem transiit. Cujus antiqua dignitas & amplitudo, partim etiam templorum ac coenobio-

GOTLANDIA. *OLANDIA.* *Visbya.*

cœnobiorum multitudine poteſt æſtimari. Nam olim templa decem, monaſteria verò quatuor exſtitiſſe, arte ac materiâ operis ſibi invicem æmula, indigenarum relatione conſtat. Inter templa unum fuit divo Olavo dicatum, ab Erico quondam Cyprio, Danorum rege, exſtrui mandatum, ut eſt à nobis alibi & ſuo loco memoratum. Plateę publicæ crepedine olim continuâ obductæ, merces pariter ac mercatores ipſos à vi atque iniquitate cœli facilè defendebant. Et reſtant hodieque ſtructurę hujus artificioſiſſimæ parietinæ ac rudera quædam certiſſima foreſque ac ferreæ feneſtræ, quæ fortunam priorem ſatis indicant. Quin & ædes civium ſecto de marmore exſtructas paſſim eſt animadvertere. Muro urbs cingitur, præterquam eâ parte, quæ portum reſpicit: Cujus molem ac ſitum, qualis olim fuit, referunt tabulę præſertim Aurigarij hydrographicæ. Arx portui haud longe abeſt, quam regis Gubernator ſedem tenet. Primam urbis munitionem referunt chronologi ad annum 1288, cum Rex Sueonum *Magnus* pugnam inter opidanos ac terræ incolas, compoſitâ, quæ erat utrimque exorta, lite amicè dirimiſſet. Caſtri præſidium addidit deinde regina *Margareta*. Certo autem conſtat hac in urbe æquè atq; apud Rhodios olim, jura maritima fuiſſe conſtituta, atque ibidem primum tabulas hydrographicas diligenti nautarum obſervatione adnotatas, quæ poſtea ab aliis auctę emendatæque ſingularem uſum præſtiterunt navigationibus, utpote quarum beneficio caligantia maris vada evitare nauta, ferrique in portum optatum, non longis anfractibus legendo littus, ſed rectâ curſum tenendo poteſt, modò ventus faveat. Hæc inſula quam varias fortunę vices ſubjerit, & modo Sueco, modo Danis, ſed ut plurimum ac firmiter ad hoc uſque tempus Danis adhæſerit, docent, quę ſuo ſunt loco poſitę, rerum per annorum deductę ſeriem memorię:

His addantur verba Adami Bremenſis, qui poſtquam de inſulis Daniæ regno ſubjectis dixiſſet, adjecit continuo cap. 208: Hæ inſulæ Danorum regnum aſpiciunt, omneſque jam Chriſtianitatis titulo decoratæ ſunt: Sed & aliæ interius ſunt, quæ ſubjacent Sueonum imperio: Quarum maxima eſt illa, quæ **Curland** dicitur, iter octo dierum habens, gens crudeliſſima, propter nimium idolatriæ cultum fugitur ab omnibus: aurum ibi plurimum, equi optimi, divinis, auguribus atque nicromanticis omnes domus ſunt plenæ, qui etiam veſtitu monachico induti ſunt. A toto orbe ibi reſponſa petuntur, maximè ab Hiſpanis & Græcis. Hanc inſulam in vitâ Sancti Anſgarij *Chori* nominatam credimus, quam tunc Sueones tributo ſubjecerunt. Una ibi nunc facta eſt eccleſia, cujuſdam ſtudio negotiatoris, quem Rex Danorum multis ad hoc illexit muneribus. Ipſe enim Rex gaudens in Domino recitavit mihi hanc cantilenam.

Hactenus verba Adami Bremenſis. In quibus inſulas Daniæ ſubditas intelligit ſuperius enumeratas circa Jutlandiam & Scaniam: cujuſmodi fuerint, *Morſia*, *Samſoa*, *Fimbria*, *Falſtria*, *Lalandia*, *Langelandia*, *Fionia & Zelandia*. Quæ autem hîc *Curlandia* intelligenda, quis dicat? Nam ſi ipſam, ut nomen ſonat, *Curlandiam* capimus, hæc non inſula ſed continens eſt, Livoniæ Pruſſiæque ac ceterę Germaniæ contigua hærens. Adeò ut ſuſpicer ferè cum hæc à rege ſe Daniæ accepiſſe Adamus memoret, ſonum magis quàm verba ab eo regis excepta, & *Curlandiam* pro *Gulandiam* expreſſiſſe. Nam, ut dixi, cum gentis idiomate non *Godlandia* ſed **Gulland** dicatur, ille fortaſſis quam dicere debuit *Gullandiam*, dixit *Curlandiam*. Et juvat hanc conjecturam, quod nuſpiam in hoc Balthico oceano meminerit alias Gotlandiæ Adamus, quin & Sueonibus tributo ſubjectam dicat, utpote Oſtergothiæ Sueticæ maximè propinquam, quamvis non Suecis modò, ſed & Danis quoque antiquiſſimo illo ſeculo paruiſſe ex eiſdem his Adami verbis queat colligi, cum ſtudium ac ſollicitudinem regis Danorum, qui, ut alibi quoque meminimus, *Sueno Eſthritius* fuit, tam inſignem notet in traducendo ad Chriſtianam pietatem inſulæ hujus populum.

OSILIA. Porrò Gotlandiam proximè ſequitur Oſilia magno ſinui Livoniæ ab occaſu objecta, quatuordecim miliaribus in longitudinem, ſeptem circiter in latitudinem patens. Quondam collegiata Canonicorum ordinis Theutonici ſocietas totam poſſedit, ſalvo tamen jure, quod regi Danorum perpetuò competiit. Nunc Danicæ in univerſum coronę innexa, eidem regno adhæret. Caſtrum habet *Arnsburgum*, regio præſidio communitum. Numerus incolarum ad quatuor millia & ultra cenſetur. in his ex nobili proſapiâ habentur familiæ triginta. Meminimus ſuperius hanc videri Plinij *Oſerictam*, cujus eſt mentio libro ejus 37 capite 2: ubi hæc habet de ſuccino agens: *Ait Mithridates eſſe in Germaniæ littoribus inſulam, vocarique eam Oſerictam, cedri genere ſilvoſam. Indè defluere in petras ſuccinum.*

Hodie

Hodie octo aut decem parochialibus ecclesiis est distincta. Quarum præcipuę sunt *Schwor-ne, Piva, Kargel, Kargis, Wolde, Cormel, Kilckan.* Distat Lubecâ centum; Haffniâ octuaginta; à Livoniâ miliaribus haud multis est remota.

Hæ sunt Balthici maris insulę, quæ non tantum regno subditæ, sed Scandinaviæ quoq; ac Sueonum lateri quam proximè adjacent, exceptâ, de quâ ultimo dictum, *Osiliâ*. Hæc enim Livoniæ & illi oræ Germaniæ quàm proxima est. Jam si facto regressu, ut modò illud Scandinaviæ, ita nunc Germaniæ littus, versus occidentem, sequar & huic quæ objiciantur littori in eodem hoc mari insulæ, aliquot etiam occurrent. Quas inter, exceptis *Neringa* aliisq;, vel *Usedomia* sit, & ei proxima, in qua *Julinum* celeberrimum olim Pomeraniæ emporium, nunc *Wollinum*, visitur. Has insulas magnus ille Pomeraniæ lacus **Frischhaff** dictus, efficit, ubi & amnes tres *Panus*, *Zuinus* & *Divinon* collecti in oceanum se orientalem effundunt.

A quibus haud multis parasangis abest, occasū versus, de quâ & supra injecimus, hodieq; *Rugia* dicta. Cujus meminisse vel ideo debemus, quod non modò Daniæ quondā regibus subjecta, sed ecclesiæ etiam Roschildensi, quod ad ecclesiastica, paruerit, & hodie quoq; prædia ibi atque incolæ habeantur, qui Daniæ regibus sunt dicto audientes. A Daniæ demum, non sine insigni coronæ ac regni detrimento, primus separavit circa annum Christi 1438 Rex *Ericus* Pomeranus; tradiditque ditionem universam consanguineis suis *Wartislao* seniori junioríque Ducibus. Qui & ipsi, sicuti & cognatus eorundem *Barnimus*, haud dubitarunt eâ occasione Roschildianæ quoque diœceseos Comitativam, ut vocant, sibi subjicere: existimantes non modò politiæ privilegium, sed ecclesiasticam simul ad se pertinere jurisdictionem. Sed de hoc ipsâ consulenda historiâ. *Rugia.*

Adjacet proximè Rugię *Danholmia*, estq; exiguo ab eâ ipsaq; Rugia Isthmo separata *Stralesunda*, perquàm hodie famigerata civitas, quæ & conditores sui Danos agnoscit. Nam *Jarimarus* Rugiæ princeps, indultu regis Danorum *Valdemari* II, cujus erat beneficiarius, sub annum Christi 1207 prima ejus fundamenta posuit. quæ exinde ad colophonem perduxit ejus filius *Witzelaus*. Et licet in adversum multa molirentur Pomeraniæ tum Duces *Bugislavus* & *Casimirus*, ut est sub initium anni millesimi supra ducentesimum decimi commemoratum, nihil tamen potuêre, suppetias perpetuo Rugiæ dynastis præbente *Valdemaro* Danorum rege jam memorato. Et ut ista olim sui primordia Stralesunda Danis debuit, ita hodie (quod istâ occasione imò omni seculo memorandum) Danis quoq; debet eadem, quod adversus Cæsaris & Hispanorum vires non minus feliciter quàm fortiter defensa, jugum servitutis hoc tempore non subierit. Nam Valstenius nuperrime Austriacæ domus perpluribus tam recentibus quàm veteranorum legionibus omnique Cæsareç militiæ instructus robore, dum aliquot menses oppidum modò vi modò operibus indefessè oppugnat; civesq; ac militē præsidio impositū fatigat, immisit commode non modò commeatum ac novum præsidiariorum supplementum Rex serenissimus *Christianus* IV, sed & ipse classe urbem appellens suâ etiam præsentiâ militi ac ducibus vires atque animum addidit: imitatus in eo, quem referunt veterum memoriæ, *Magnum Alexandrum*, qui, ubi esse manifestum periculum sensit, ipsemet subire discrimen & adesse præsidiis haud dubitavit. *Stralesunda & ejus nupera liberatio.*

Fuit porro olim intra Rugiam *Arcona*, famosissimum antiquitus ac munitissimum oppidum insulæ universæ metropolis: cujus apud Saxonem Grammaticum crebra occurrit mentio. De primis terræ incolis eorumque egressu ac bellis, cum antea nonnihil attigerim, refert plenius jam identidem memorata historia. Et antea quoque ejusdem hujus insulæ injecta mentio occasione verborum Taciti, quem in insulâ Oceani agnovisse *Castum nemus* diximus. Ostendimusque fuisse qui de Rugiâ id interpretati sint, & alios vicissim ut & mox referetur aliter. Nec omittendum postremò duplicem intelligi Rugiam, Cismarinam ac trans mare positam; quarum hæc est insula ipsa, illa ad Pomeraniæ continentem spectat Tacitique, de quibus dictum, Rugios refert, quos ab *oceano*, ut loquitur, atque Albi in hunc protinus locum conjicit.

DE INSULIS, QUÆ AB OCCASU ET BOREA CIMBRI-

cam Chersonesum longo ordine ipsoq; in oceano prætexunt, ex Plinio, Tacito & Ptolemæo nonnihil dictum: Deque ipso illo ante omnia Oceano, & ejus apud authores, & Tacitum præsertim, intellectu.

MEmoratum superius, *Mare Suevicum, Mare* item *Balthicum* authoribus, ut plurimum, nominatum intellectumq; id mare, quod est ab ortu Cimbricæ Chersonesi. Quodque insulas universas intra Daniam, Suediam ac illud littus, cui appositæ, quæ appellantur, urbes Vandalicæ, suo veluti sinu comprehendit: Et idem quoque Mare vocabulo *sinus* itemq; *maris* non *oceani* affecisse inter veteres Tacitum; *Oceanum* vero intellexisse præcipue quidquid esset exterius, occasum & boream versus. Unde in Germaniâ ejus dicitur: *Eundem Germaniæ sinum proximi oceano Cimbri tenent*; ibi *oceani* vox de mari exaudienda, quod Cimbricam Chersonesum ab occidente alluit, hodie Germanicum, Norvagicum aut Britannicum dicimus; Sinus Germaniæ, quem dicit, est Balthicum mare. Et illa ejusdem ibidem Taciti verba: *Cetera Oceanus ambit, latos sinus & insularum immensa spatia complectens*, de toto illo oceani tractu, qui extera Daniæ, Norvegiæ Suediæque spectat, accipienda: Et ista quoque ibidem, *Protinus deinde ab oceano Rugij & Lemovij*. De oceano similiter ceperim, in quem se Albis effundit. Et ibidem iterum: *Suionum hinc civitates ipso in oceano*, in Scandinaviâ scilicet, quam insulam esse, & versus boream atque ortum quoque circumfluam oceano, licet perperam, veteres isti existimarunt.

Hoc igitur in Oceano, quæ Cimbricæ Chersoneso quàm proxime sunt adsitæ, insulas aliquot agnoscit inter veteres Plinius, & in his *Burchanam* præsertim & *Glessariam*. Ait enim lib. 4. cap. 13: *Promontorium Cimbrorum excurrens in maria longè, peninsulam efficit, quæ*

Promontorium Cimbrorum.

Cartris appellatur. XXIII *inde insulæ Romanis armis cognitæ, earum nobilissimæ Burchana, Fabaria a nostris dicta, a frugis similitudine sponte provenientis; item Glessaria, à succino militiæ appellata, à barbaris Austrania; præter Actania.* De Cimbrorum peninsula antea dictum est. De *Cartris* quo-

Cartris Plinii.

que voce injectum, aliter eam in codicibus nonnullis legi. Undè verò *Cartrim* peninsulam hanc Plinius dixerit, satis exputare nequeo. quamvis in proximâ & adversâ Norvagiâ, **Carsundt** & **Carmesund** freta occurrant; ut & *Cartemunda* oppidum in vicinâ Cimbriæ insulâ Fioniâ. Quæ singula primore syllaba *Cartris* vocabulum aliquatenus referunt. Quas deinde viginti tres insulas armis Romanorum cognitas inquit, & earum haberi nobilissi-

Burchana.

mas *Burchanam* & *Glessariam*, indicio sit, non illas intelligi extremas versus Cimbrorum promontorium, sed eas maxime, quæ circa Visurgim & Amisiam Germaniæ illis fluminibus prætenduntur. *Burchana* enim, quam esse fere omnes *Borckum* sive *Borchan* volunt, ante amnis Amisiæ ostia est collocata. In quâ & turrim hodieque conspici Verrutius, homo Frisius, memorat, cui vulgaris appellatio **het Boonhuys**/ id est, *Fabria domus*. Ut non abs re sit, quod Plinius eam à Romanis *Fabriam* dictam referat, à frugis similitudine sponte ibi provenientis. Nam perperam alios ad Fimbriam retulisse supra retulimus. Hanc, Burchanam inquam, inter Romanos Drusus, Augusti privignus, primus adjit, ut habet lib. 7 Strabo, *Drusus*, inquit, *non modò gentes plurimas subegit, sed & insulas in legendo littore obvias, in quibus est Burchanis vi ab eo expugnata.* De eâdem accipienda illa Stephani de Urbibus:

Glessaria ejusdē.

Burchanis insula in Celticâ, juxta Strabonem. Quæ autem eidem exinde *Glessaria*, & a barbaris *Austrania* dicitur, ea quò referenda certant docti. Nam & fuêre, qui in sinu Suevici maris insulam credidêre, quæ *Sudau* vulgo dicitur itemque Sambia. Alij, in quibus *Erasmus* Michaelius *Lætus* Danus, *Glessariam* existimarunt, cujus & alibi meminimus, *Lessoam*, non abludente vocabulo, quæ infra Cimbrorum promontorium est insula; Et alij denique, ut *Becanus* in Gothodanicis suis, *Actaniam* & *Austraniam* Plinij eandem esse, & inde Dacorum vocabulum repetendum ostendere voluit. Sed refutent & arguant ista singula verba ipsa Plinij, cum classes & arma Romanorum eò haud penetraverint. Fortasse similius vero illi, qui *Glessariam* esse *Ameren* ante Cimbrorum hoc ipsum littus positam existimarunt, in quibus Ortelius fuit, adjiciens Ameren vocare, quod Latini glessum ac succinum. Vel si placet, quæ *Ameræ* est proxima, *Strandia* esto **Strandt** hodie dicta; nomine non abludendum à Plinij *Austraniâ* recedente. Ait enim Plinius Barbaris quam *Glessariam* dici, *Austraniam* nuncupari. ut ità, demptâ ei voci primâ syllaba *Au*, vix inter *Stramam* & *Straniam* supererit discriminis aliquid. quamvis in Hillegelandiâ, ad Albis ostium positâ, de quâ statim, succinum etiam reperiri indigenæ referunt.

Tacitus,

Tacitus, qui Plinium ætate proximè excipit, secundo Annalium, ubi de classe Germanici Cæsaris agit, cum ea circa hæc littora tempestate disjecta erraret, ità loquitur: Æstate jam adulta, legionum alię itinere terrestri in hibernacula missæ, plures Cæsar classi impositas per flumen Amisiam oceano invexit. Ac primo placidum æquor mille navium remis strepere, aut velis impelli: mox atro nubium globo effusa grando; simul variis undique procellis, incerti fluctus prospectum adimere, regimen impedire; milesq; pavidus, & casuum maris ignarus, dum turbat nautas, vel intempestive juvat, officia prudentium corrumpebat. Omne dehinc cælum, & mare omne in austrum cessit, qui tumidis Germaniæ terris, profundis amnibus, immenso nubium tractu validus, & rigore vicini septentrionis horridior, rapuit disiecitque naves in aperta oceani, aut insulas saxis abruptas; vel per occulta vada infestas &c. *Et statim:* Pars navium haustæ sunt; plures apud insulas longius sitas ejectę, milesq, nullo illic hominum cultu, fame absumtus; nisi quos corpora equorum eodem elisa toleraverant. sola Germanici triremis Chaucorum terram appulit, &c. *Et deinde:* Tandem relabente æstu, & secundante vento, claudæ naves, raro remigio, aut intentis vestibus, & quædam à validioribus tractæ, revertêre. quas raptim refectas misit, ut scrutarentur insulas. Quibus in verbis insulæ plures circa hoc littus memorantur, sed nullę expresso vocabulo, tantùm eas circumscribens, *saxis abruptas, perque occulta vada infestas, longiusque sitas*, scilicet ab Amisiâ indicat. Quæ autem *saxis abruptæ*, cujusmodi in Galliæ & Italiæ littoribus, vix una alterave hîc occurrat, & maximè illa, quæ Cimbrorum peninsulæ ab occasu objecta habet abrupta saxa, vulgo nautis prætemavigantibus **Roede cliff** dicitur: Et altera contra Albis ostium projecta, vulgari nomine **Heiligelandt** à parte pręsertim meridionali saxum ac scopulus apparet, qui Monachus vulgo dicitur, habens & alium item illo tractu scopulum, sed infra undas latentem, qui vadum ibi navigiis infestum reddit. ut verisimile sit has fuisse, quas *saxis abruptas perque occulta vada infestas*, intelligi voluerit Tacitus.

Roede cliff. Heiligelandt insula saxis abrupta.

Sed idem mox Tacitus in Germaniâ cum inquit: *Est in insulâ Oceani* CASTUM NEMUS, *dicatum in eo vehiculū veste contectum, attingere uni sacerdoti concessum. Is adesse penetrali Deam (Hertham) intelligit &c.* Et statim ibidem: *mox vehiculum & vestes, &, si credere velis, numen ipsum secreto lacu abluitur. Servi ministrant, quos statim idem lacus haurit.* Quam insulam cum author nomine non exprimat, quis ejus situm, & ubi collocata fuerit, certò exprimat? quamvis fuerint, & in his præcipue *Philippus Cluverus*, qui non dubitarunt ad insulam Rugiæ referre, quòd in insulæ ejus parte, quæ incolis **Jasmund** dicitur, ad promontorium, cui vulgare vocabulum **Stubben kamer**/ silva densissima, indigenis dicta **Stubbenitz**/ inq; eâ profundissimus sit atrâ aquâ lacus. Hîc Herthæ deę sacra facta ac lætos dies à gentibus habitos; ac postea ibidem *sanctum Vitum*, qui *martyr & servus fuit Christi* (sunt verba Helmoldi) *pro Deo veneratos Christianos, creaturam ante ponentes creatori.* Hæc & talia fere illi, qui Rugię esse insulam hoc Taciti *Castum Nemus in insula Oceani* volunt. Quibus tamen obstat præcipuè, quod Rugia sit non *in Oceano*, sed in mari Suevico, ac statim circa maris ejusdem littus insula. At Tacitus hoc mare, quod & ante & alibi fuit indicatum, fere *sinum & mare* nominat, remotissima tantùm ejus versus boream, ubi *immensa* esse *insularum spatia* credidit; ut *Suionum Civitates in oceano* collocat: ut ità hæc insula si hîc quærenda, fuerit quàm Rugia multò borealior, & forte in ipsâ, cujus & ante meminimus Sælandiâ, ubi & Erthæ sive **Herthedal**/ id est, *Herthæ vallis* etiamnum memoratur. Aut si nomen potius vetustum respicere, & ad eam, de quâ dictum modò, Heilegelandiæ insulam referre hoc *Castum Nemus* libeat, juvet præcipue quod hæc insula sit *in Oceano* ad Albis ostium, quodque **Heilgelandt** sive **Heiligelundt** dicatur, quod sit Latinè haud aliud quàm *Castum* sive *sacrum Nemus*.

Castum Nemus Taciti: deque eo quæsitum.

Rugia.

Sælandia.

Heiligelandia.

Ceterum Plinius cum isto, ut patuit, littoris districtu XXIII insulas, & earum duas tres, de quibus etiam dictum, nominaverit, mirum, quomodo Ptolemæus, qui Plinio & Tacito quoque, qui plures agnovit, tanto posterior, tres solummodo circa Albis scilicet ostium, *Saxonum* dictas, posuerit. Sunt enim verba ejus: *Insulæ Germaniæ adjacent, juxta Albis ostia tres, Saxonum dictæ.* Has esse hodie nostri existimant, quæ appellantur **Strand**/ **Buisen** & de quâ dictum **Heilgeland**. Atque hæc fere sunt, quæ ex remotissimâ & mediâ exinde antiquitate de littore Cimbricæ Chersonesi eruere nobis licuit. Nunc ad nostra & propriora veniamus.

FACIES HODIERNA CIMBRICI LITTORIS, OMNIUMQUE, *quæ id Albimque ac Visurgim Amisiamque prætexunt, insularum, quales modo sunt, recensio.*

PLinius, ut innuimus, atque inde Tacitus, cum insulas perplures circa littus Cimbricum, circaque fluminum Germaniæ Albis Amisiæque exitus, agnoverint, vix tamen, præter unam alteramque, & illam præsertim ad Amisiæ ostium Plinianam Burchanam, fuit, de qua statui aliquid certò potuerit. At earum quàm præter eam multę sint, & numerum etiam à Plinio positum viginti nimirum & trium longè excedentes, nunc operæ pretium existimo ordine subjicere. Et ut recensum earum justum instituam, auspicium faciam ab *Amelandiâ*, ascendendo paulatim versus Cimbricum, de quo ex Plinio dictum, promontorium, quorum hoc **Bovensbergen**; & alterum, quod est ulterius, **Scagen**/hodie dicitur.

Amelandia igitur, ad latus posita ostij Amasani, Flevum versus, proximam sibi, juxta Amisiam, habet Insulam quæ **Schiermonichoogh** dicitur; hinc versus ipsum fluminis os sequuntur vernaculis vocabulis dictæ **Bosch/Rottom/Borckom/Jupst/Buysen/Nordernij/ Baltrum/Langer-ooch/Spijcker-ooch/Wranger-oog/de Hontzbalch**/ inter quam & antecedentem **Wanger-ooch**/se in oceanum exonerat Visurgis: Sequitur deinde à continente nonnihil remotior **Heyligeland**/è regione fere egredientis Albis; & *Buysena* prope ipsam continentis oram ad Albis in oceanum se evolventis dexteram sita. Inde est **Strandt/ Ameren/ Fur** & hisce vicinæ minusculæ paulò interiores, dictæ **Hooghe/ Noortmarsz/ Groede/ Oeland/ Habel/ Langenes/ 't Noorhoeft/ Westmarsz/ Bil/ Wichard/ Jurtmanshuys**: Quibus omnibus exterior est, ipsique oceano objicitur insula **List & Silt**/ nuncupata, rupem præeminentem habens **Roede cliff**/de quâ & supra dictum, nominata. Hinc ordine subsequuntur **Ring/ Manu/ Fanu**/ inter quam & promontorium deinde Cimbrorum **Bovenbergen** nudum planè est littus, insulis omnino destitutum, ut & subsequens ora maritima, ad usque Schagæ promontorium, quemadmodum & exhibent Tabulę hydrographicæ quas annos ante plures thalassometra celebratissimus *Lucas Aurigarius* Enchusanus delineavit atque edidit accuratissimas.

Amelandia. Ex insulis autem enumeratis, & quæ primo posita loco *Amelandia* Frisiorum littori proxime objicitur, estque tribus habitata vicis. Post deinde **Schiermonicoga** Vestergoæ *Sciermonicoga.* & Ostergoæ littora tegit, à contiuente haud multis passuum millibus remota. Hinc ultra Lavicæ ostium se aperit *Buscha*, deinde *Rottumum*, Rottumano antistiti subjectum. tria aut quatuor circiter pass. milia longa utraque ac penè deserta. *Borckumum* inde quæ, ut o*Borchamum.* stensum, Plinij est *Burchana*, itemque *Iusta* & *Busa*. *Iusta.* Sed hæc vix insulæ nomine digna ob parvitatem. Tres enim colles tantum prominent, ac prorsus est deserta. *Borcumum* ad decies, *Iusta* ad sexies & amplius pass. millia à continentis orâ recedit. Sunt autem steriles fere, post Ameladiam, singulæ; & singulis tantùm vicis, quædam etiam nullis, ut dictum, habitatæ. Habent tamen commune hoc omnes, quod arenarum colles perpetuos & longe conspicuos, velut vallum, contra oceanum erigant: quibus introrsus lata camporum spatia, in majoribus præsertim, herbis aut gramine vestita, cōtinentem nimirum versus. Incolæ piscatu vivunt aut naufragiis, lucro, ut ille ait, omnino turpissimo. Borcumani præterea insignem habent pharum, circa occiduam insulæ partem, in usum navigantium ab Emdensibus erectum. Quæ insuper de eisdem Hierōn. Verrutius refert, natione Frisius, superius posita. *Busena.* Habent & Justani pharum, sed Borcumano minorem, in insulæ meditullio. Post hæc, quæ est à nobis memorata prope continentem ad Albis exitum *Busena*, lata est millibus pass. II, longa III: Agro non infelix perhibetur, totaque plana, & eam ob causam aggerum vallo munita in circuitu contra oceani vim, viculis colitur *Heiligelandia, Terra Sancta.* tribus. Dithmarsiæ, cui & olim contigua fuisse existimatur, proxima adhæret. **Heilegeland** verò, sive *Sancta* ut Latinè vocant *Terra*, procul littore, contra Albis ostium in Jutiæ propemodum conspectu versus oceanum præsertim, præruptis, &, ut ante dictum, sublimibus scopulis è mari prominet. Hanc fuere, qui Fotislandiam esse, & in eâ *Radbodum*, Frisiorum regem, Danis fœderatum, ultimam habuisse regni sui sedem existimarūt. Nos, quibus aliquatenus doceri argumentis possit, fuisse eam Taciti *Castum in Oceano Nemus* diximus supra. Sanè hac & Busenâ, & illis si addatur, quæ haud longe remota est, **Strandia**/ haud aliæ erunt, quæ exprimant nobis in oceano, Germaniæ adjacentes, *Insulas*, quas fuisse numero

numero *tres*, ac *Saxonū* dictas Ptolemæus juxta Albis ostia collocatas notavit. Et ne temerarium quis existimet, quòd de sede Radbodi, Frisiorū Regis, hîc positâ, modo injecimus, habuisse etiam reges Helgelandiam quandā semel iterumq; ac pluries in chronico Norvagiæ vernaculo occurrit. Et primò quidem, ubi de *Iorundo* & *Erico Sueticis* piratis agit: eos memorat, *Hacki* Sueciæ regis tempestate, classe habuisse obvium *Gudlogum* Helgelandiæ regem, ac eum, manu consertâ, cepisse inq; crucem circa littus egisse. nec meliori exinde sorte usum fratrem ejus *Ericum*, ac Sueciæ quoq; regem *Hackum*, qui prœlio uterq; occubuerit: Jorundum verò, perempto *Hacko*, potitum regno Upsalę: & aliquanto post tempore, dum littus Jutlandię infestum prędationibus reddit, occurrisse ei Helgelandię regis filium, cujus patrē, ut relatum, laqueo necari fecerat: ac mox prœlio ab eodem superatum ex lege talionis in littoris similiter crepidine suspensum. Memoratur & **Godgeillus** Helgelandię Rex, cui equum, velocitate insignem, Norvagię regi *Aleno* ereptum, nomine *Rabum* (**Raffn** vocula, *corvum* denotans, est in vernaculo) dono miserit Adillus sive, ut alij, Atillus. Hos & ejusmodi idem chronicon *oceani* ac *maris Reges* nominatos tum addit: intelligens scilicet non istam, de quâ hîc agimus Helgelandiam, sed eam, quę Adamo Bremensi, de qua mox dicemus, Norvagię est quam Islandia Gronlandiaque vicinior, Holagolandię circa Finmarchię fines oram. Fuisse olim septem parochiis distinctam Hillegelandiam, ac multo quàm nunc est ampliorem, ipsi incolę ac res ostendit. Nam hodieque, recedente mari, animadvertere est exesum ac suppressum undique violentiâ maris solum. Estque Eiderstadio octo miliaribus, ab Albis ostio novem dissita. Ad Zephyrum Anglię opposita ulnarum 46. 38 & albi 30 altitudinem habet. Memorant qui insulę vicinum littus propius scrutati sunt, inveniri ibi solida corpora ex lapide efformata in speciem concharum, ostreorum, manuum humanarum, & id genus alia; quorum archetypos natura suppeditat: quin & artis operum simulachra lapidea reperta, ut librorum & candelarum. Insignia ejus pręfert navis velifera. Exstatque Epigramma quod paucis, sed accurrate ejus situm ac conditionem describit: addens & causam nominis, quamobrem scilicet *Sancta Terra*, vel, ut Tacitus habet, si trahere huc libet, *Castum* sit *Nemus* dicta. Est etenim ejusmodi:

Scilicet à sacris hæc dicitur insula Nymphis
Apta quibus portum forsitan ora dedit.
Piratisque fuit statio gratissima quondam,
Nunc pecus in summis educat illa jugis.

Quod & ipsum de sacris Nymphis ut propius intelligatur, utque Taciti *Castum in Oceano Nemus* ad hanc pręcipue insulam referendum videatur, adscribam verba de eâdem regij apud Holsatos olim præfecti, ut & præfecti in ipsâ quoniam insulâ, quę ità habent:

Sunt, qui scribant, ab Hilgone, loci episcopo, insulę nomen impositum: verior tamen eorum sententia est, qui à sacris Virginibus eam appellatam asserunt, quę quondam in eâ fuerint, quarum vestigia, quę nunquam gramine teguntur, etiamnum incolę exhibent, quemadmodum & mirę altitudinis cellam ostendunt. Qualis autem nunc hujus insulæ situs sit & conditio, ad illustrem, nobilem & magnificum virum, regium in Ducatibus Danię Gubernatorem Henricum Ranzovium Georgius Bruick Sanctæ terræ Holsatiæ Ducis *Adolphi* nomine præfectus, ita refert: Tota insula binis separatis rupibus constat, una rubet, altera candet. Prior, munimentum, arx & præsidium insulæ unâ tantum viâ conscendi potest, & instar muri rubentis, rectâ ex mari emergit, haud aliter atq; Segeberga Holsatiæ ad altitudinem sex & quadringa ulnarum superne pingui solo, & fertili ubiq; contecta, duarum ulnarum vel unius, cum dimidiâ, alicubi etiam unius altitudine; passus colligit 6046. Hordeum ex se fundit, fabas, pisa, & siliginis loco hordeum Anglicanum, eâ pręstantiâ, ut duo modij tribus Eiderstadiensibus præstent: profert lactucam, raphanos, spinacium, cum olere Italico conferenda, serpentes, bufones, nec ulla venenata animalia habet. Superbirent magis Veneti si eorum *Corsu* tali felicitate bearetur. Armenta hîc magna, oves, vaccæ, equi, quales Frisia gignit. Quibus tamen hîc libere vagari non licet, alioqui dum gramina consectantur, ex rupibus in mare decidunt. Aer hic purus atque salubris. Ecclesia in summitate est, familiarum quinquaginta, incolę trecenti; gens industria, robusta, sana, rei nauticę perita, dives: extra patrium solum ad res magnas & dignitates emergens. Diversi generis avibus nidos, & quæ investigari non possunt, domicilia rupes hęc alta præbet, quarum incredibiles greges in autumno turmatim huc convolant,

Grues, cygni, anſeres, anates, mergi, alandę, colluriones, turdi, galeritæ & ſimiles aliæ, quæ incolis grata fercula prębent. Aquæ pluvialis in hac inſulę parte uſus frequens, quam in Ciſternis Italico & Belgico more, conſervare nunc diſcunt. Tuta inſuper hîc navibus ſtatio, capaci in portu, qui & ſummę profunditatis exhibetur, in quem aditus ad auſtrum patet, qui quandoque centum & plures onerarias naves ſinu ſuo confovet, & à borealibus Zephirique incommodis defendit, æſtu marino maxime remiſſo. naves etiamſi grandiores hinc pelago committi poſſunt, cum mare ſemper altitudinem trium ulnarum retineat, neque alibi in inſulam patet acceſſus, quam ipſo in portu, qui & ideo à Duce Adolpho, cui inſula paret, propugnaculis & caſtro probe munitus eſt, addito Gubernatore cum pręſidio. Altera inſulæ rupes, quam eſſe candentem dixi, ſabuloſa eſt, ubi ſuaviſſimi fontes paſſim eructant. Cuniculi in eâ dominium habent. Non eſt, ut rubens, de qua indicatum, compaſcua; cannabem tamen producit. Hic ad boream & ſubſolanum, admiranda naturæ miracula, ex montium viſceribus eruuntur, metallum colore & nitore aurum perfectum referens; argentum rude rubrum **Godterſz.** incolę **Mummergoldt** vocant. Metallica aurea eſt, quam erutam ad Ducem Holſatię emittunt. quæ tuſa, lota, toſta & ſeparata aurum perfectum reddit, & tantam ſulphuris quantitatem, ut hinc ſumptus, qui in ſeparationem impenduntur, colligi poſſunt. Inveniuntur & in iiſdem venis nuces avellanę & candelæ cereæ in lapidem induratæ, magna copia, & converſæ in metallicum aurum limaces, conchæ; Gleſſum etiam, **Berelſtein** nuncupant. item minores arborum rami metallici, tantâ ſubtilitate, quanta nullus argentarius faber, licet artificioſiſſimus, ex auro conficere poſſet. Sed ut paucis concludam, multa regna, multas regiones & inſulas perluſtravi, nec unquam ſimilem huic ſacratę vidi, quę naturæ beneficio eo ſitu eſt, ut nulla unquam humanâ vi expugnari poſſit. Et ſi lignis inſtructa foret, quæ ex vicina importantur Holſatia, dici de eâ queat, *Terra ſuis contenta bonis, non indiga mercis &c.* Fuit etiam hæc inſula halecum capturâ quondam famoſa, ſicuti & hoc ipſo tempore piſcibus omnis generis abundat, pręſertim oſtreis, adeò pręſtantibus & magnis, cujuſmodi in Anglia Londini, vel in Italia Venetiis vix reperias.

Ex quibus, pręter cetera, cum lignis inſtructam inſulam neget, argui poſſet, nec Taciti *Caſtum in oceano Nemus* ad eandem hanc referendam; niſi credere libeat, olim cum parochiis ſeptem diſtingueretur multoque, ut modò relatum, quam nunc, amplior eſſet, nec ea defuiſſe; pręſertim cum cetera tam commode reſpondeant. *Gleſum* denique, quod ſuccinum Romanis dictum ſuperius Plinius aſſeruit: qui & inde inſulam hoc ipſo tractu, Barbaris Auſtraniam & Actaniam nominatam, vocet *Gleſſeriam*, ea an *Strandia* vel *Amera* fuerit, de eo certare eruditos ſuperius indicavimus: & Ortelium præſertim ad **Ameren** inclinare, quod **Ameren** Latinè ſit *Gleſum* ſive *ſuccinum*. Nos tamen id nominis num eo trahendum, & num ibi ſuccinum proveniat, addubitare facit, quod ejus nihil injiciant authores. Hac verò in inſulâ Helgelandiâ, ut indicatum, vulgo dicta, cum memorat ejus pręfectus etiam *gleſum* erui, quod **Berelſtein** vulgo appellant, ſuſpicari non abs re ſit, hanc eſſe fortaſſe Plinij Gleſſariam. Et ſecundum eundem Plinium videatur hîc haud una ſed plures fuiſſe *Gleſſariæ*, indicantibus id pręcipue verbis ejuſdem, quæ habentur libro eodem 4 cap. 18, ubi ait: *Et ab adverſo in Germanicum mare ſparſæ Gleſſariæ, quas Electridas Græci recentiores appellavêre, quod ibi electrum naſceretur.*

Piratis autem, quod innuit verſus tertius, commodam hîc olim fuiſſe ſtationem, id ex Crantzio & iis, quę in hiſtoriâ à nobis ſunt memorata, ſatis quoque intelligi poterit: Et maximè cum jam occaſione Vitalianorum mare velut apertum harpyis hiſce pateret. Tū enim pręter alios *Nicolaus Stortebekerus*, ejuſque ſocij, poſtquam littora Hiſpaniarum Galliæque habuiſſent infeſta, feruntur *Vincentij Martyris*, in quo ſibi pręcipue complacuêre, ſimulachrum ſecum attuliſſe, & eum haud aliter ac tutelarem aliquem Divum coluiſſe, eique, dum circa hanc ceteraſq; Cimbrici littoris inſulas ad oſtia Albis in prędas excubant, ſacra perpetuo feciſſe. Nam & capti poſtmodum plerique ſunt, & Hamburgi deniq; ubi capite multarentur, id confeſſos memorant.

Strandia. *Strandia* quæ ſequitur incolas ac parœcias plures habet. gaudetque piſcatu non modò, ſed agriculturâ quoque. Eſtque ab Huſio ac continenti exigui admodum freti interſtitio ſeparata. *Auſtraniam* Plinij videri quibuſdam ſupra injeci. Hinc eſt *Harbodre*, *Harſiliæ* auricula. itemque *Numindia*, *Mandœa*, *Fandia*, *Rimmœa*, *Lyſtræa*, *Silderæa* aliæque his minores.

Liſtraa. Dani hodie *Liſtræam*, *Liſtoe* vocant: *Siltam* verò ſive *Sildream*, *Silderoe*. quę & quatuor habitatur parœciis. Eſt & *Feoræa*, quæ tres parochias continet. Suntq; fere omnes Ripenſis

diœceſis

diœcesis jurisdictioni subditæ, ut & ante memoratum. *Austraniam* sive, ut vulgo vocamus, *Strandiam* hoc versu celebravit Jonas ab Elvervelt: *Strandia.*

Ne bona securæ desint mihi commoda vitæ,
Me pecorum ditat cura, boumque labor.
Pro quibus, æternos ne gratia desit in annos,
In clypeis Christum, qui regit ista, colo.

Nec minor laudibus Silta, cujus ità idem meminit:

Silta nec obscuris effert se laudibus, usum *Silta.*
Seu pecorum spectes, jugera sive soli.
Singula marmorei referam quid commoda ponti?
Quid data squamigero nomina cuncta gregi?
Accedunt mores in simplicitate probati,
Et quæ jura vigent gentibus æqua suis.

Neque indicta eidem *Bussena*. quæ ut memoratum, haud procul continente posita tres quatuorve parœcias habet; Amœnissima, præter ceteras, ob continentis vicinitatem insula, oceano ad dextrum Albis, ut dictum, objecta. Hæc sive à **Buysen** / sive à *silvis* ac *nemore*, quod **Busch** Teuthonis dicitur, nomen acceperit, ut eâ ratione etiam *Castum* hoc Taciti *in oceano Nemus* referre sit, quod dicam, non habeo: Saltem ex Saxonum insulis, quas agnovisse Ptolemæum tres diximus, habendam unam, ut & ante est monitum, fere apud omnes ratum habetur. In eam quoque qui circumferuntur versus, de quibus injeci, hi sunt:

Oceanus refluis Busenam proluit undis,
Quam teres obducta circuit agger humo. *Bussena.*
Incola vel grato pecorum sibi munere census
Colligit, aut lætos vomere scindit agros.
Hinc alij varios agitant in retia pisces,
Atque suas augent hac ratione domos.

Juxta has in universum insulas incredibilis piscium multitudo indigenas beat: adeo ut pretium eorum aliquot auri tonnas æstimetur. in his sunt, secundum ordinem Alphabeticum, *asellus, asella, albula, astacus, belemus, belone, canicula marina, cancer, callionymus* seu *capitosus, Draco, eperlanus, Galamus* sive *Marlangus, gladius* sive *gladiolus, Halec, Halec muriatum, halec infumatum, halecula* novaculæ formam referens, *halecula Nibensis, belto, lingulaca, marlangus* vel *galamus, Ostrea, platessa, passer, raja, rombus, rombus aculeatus; solea major, solea minor, scombrus* sive *scomber, sturio, stella, Tinca* seu *squilla, Thynnus*. Qui vernaculè ac gentis idiomate dicuntur **Torsk / kulle / huidling / hummer / steenbide / hornfisk / hotfisk / krabbe / krebs / ulck / fiersing / Smelt / kabelau / suerdfisk / Sild / spegesild / Rogetsild / Rageknifsild / Nibesild / Helt / Tunge / Kabelau / osters /** sive **schelfisk / flyndre / schade / Roche / Scrubbe / Trindbutte** sive **huerre / stoerskuller / smaaskuller / Machrell / Stöer / Stiernfisk / Reghe / Tanthei.** Suntque alij istis grandiores ut delphin, balena, phoca, Danis **Marsuin / huallfisk** & Selduri; ut & Lutra, aliaque id genus, quæ prosequi hîc omnia, longum nimis foret. Nec enumerata adhuc mihi anguillarum agmina, quarum in oceano nonnullæ, aliæ in amnibus ac rivulis, è lacu aut loco paludoso decurrentibus, capiuntur: ut omittam insuper fluviatiles omnes, quos enarrare hîc singulos præter rem esset.

DE THVLE CÆTERISQVE BOREAM VERSVS *ultraque Norvagiæ littus insulis, Priscorum & præsertim Pytheæ Massiliensis Strabonisque sententiæ positæ atque excussæ.*

HINC, factâ trajectione, Norvagiam adnavigemus, & ejus in littore, aut quæ ei sunt oppositæ, quæque ad eam spectarunt olim, hodieque pertinent insulæ, nunc propius inspiciamus.

Inter

Inter vetustissimos Strabo occurrit, qui ex Pythea Massiliensi hæc habet lib. 1. Geog. *Thylen Pytheas à Britanniâ insula ait sex dierum navigatione abesse versus septentrionem, vicinam congelato mari.* Et statim ibidem:

Quis mentis compos intervallum quod à Borysthene ad Thulen ponit Pytheas pro vero judicabit? cum & Pytheas, qui THVLES HISTORIAM *retulit, homo mendacissimus sit inventus: & qui Britannicam Hibernen viderunt, nihil de Thule dicant, sed alias quasdam parvas circa Britanniam insulas commemorent.* Deinde libro 2. idem Strabo iterum:

Hunc enim (*Pytheam*) perhibere refert Polybius, totam quidem aream Britanniæ se non peragrasse, ambitum autem insulæ majorem esse quadraginta millibus: Tum de Thule & istis locis ita narrare, neque terram ibi porrò esse, neque mare, neque aerem, sed quippiam ex his concretum, pulmonis marini simile, in quo terra & mare sublimia pendeant, atque universa, hocque esse quasi vinculum universi, neque pedibus accessum, neque navibus. ac formam pulmonis se ipsum vidisse, cetera auditu percepta referre. Hæc Pytheam dicere: idque addere inde reversum quicquid Europæ regionum est ad Oceanum peragrasse, à Gadibus ad Tanaim usque. Polybius autem id quoque incredibile ait esse, privatum hominem eumque pauperem, tantum spacij mari terraque obivisse. Eratosthenem autem dubitantē his ne esset adhibenda fides, tamen quæ de Britannia, Gadibus & Hispania dicuntur, credidisse. multo autem (inquit Polybius) præstabat Messenio credere, quàm Pytheæ. Ille enim tantùm unam in regionem Panchæam se navigasse ait, hic SEPTENTRIONALEM EUROPAM universam usque ad fines mundi perlustrasse dicit: quod ne Mercurio quidem dicenti crederes. interim Eratosthenem, qui Evemerum Bergæum appellet, Pytheæ credere. Et denique lib. 4: *Magis etiam obscura est* (quam scil. Hibernia, de qua dixerat) *Thules historia, ob tam longinquum situm. Omnium enim, quarum ferantur nomina, maxime versus septentrionem esse hanc dissitam ajunt.*

Thule hodie Islandia.

Hucusque Strabo; id præcipue agens, ut Pytheam Massiliensem de *Thule* insulâ, (quam esse Islandiam, Daniæ & Norvagiæ regum hodieque insulam, exinde ostendemus) vanitatis ac mendacij reum faciat; adferens primò argumentum, quo eum quasi jugulare nititur, plumbeum tamen nec ullius ponderis, *quòd*, scilicet *illi, qui Hiernen* sive Hiberniam, *Britannicam insulam viderunt, nihil de Thule referant.* At id quomodo miretur, aut quomodo id accuratissimo alias Straboni novum videatur, mihi novum, cum ipse jam ante Pytheas, ut posuimus, eodem Strabone teste dixisset, *Thulen aliquot dierum navigatione abesse à Britannia.* Ergo quid miri si ij, qui viderunt Hiberniam, de Thule nihil retulerint; cum etjam Hibernia, quod satis constat, longius quàm extrema versus boream Britanniæ promontoria, à Thule introrsus sit remota dissitaque. Atque inde quod additur ad elevanda deinceps, quæ ab eodem allata fuerant Pythæâ, Polybium nimirum incredibile judicasse, tantum terrâ marique spacij, à Gadibus adusque Tanaim, ac denique totum quod est Europæ septentrionalis, ab homine privato & paupere fuisse peragratū, refellere idem haud erit difficile, cum ex conjecturâ magis quàm ex vero dicatur: possitque reponi, nec privatum nec pauperem fortasse Pytheam, sed in comitatu negotiatorum, aut aliàs, qui tum in Galliis & apud Massilienses rerum potirentur, principum virorum missu eam instituisse profectionem. Et ultimo denique quod ponitur, eos, qui viderunt Hiberniam, nullâ Thules mentione factâ, parvas ibi quasdam insulas sibi visas referre, nec id obest quidquam Pytheæ, qui tanto illis diligentior commemorat præterea, ac primus omnium prodit, quod hodieque comperimur, ultra Hiberniam & Britanniam, boream & occidendentē versus, capitalem hanc insulam positam, ille Thulen, nos hodie Islandiam vocamus. Et ultra porro eam, quod ait, nec esse terram nec aerem, sed instar pulmonis concretum quid, intelligens scilicet, glaciale ibi, aut, ut postea authores vocarunt, nosq; inde dicemus Cronium mare: id haud multum discedit à verbis Adami Bremensis, quæ mox addicemus, ubi, inter cetera, versus boream ultimū occurrere ait mare **Leberse** dictū, id est, *jecoreum*, quod hic Pytheas Pulmoneum nominat, quod scilicet ista vulgo, ut videtur, publicis illis seculis opinio mortaliū mentes occupasset, & ideò quemadmodū Adamum, ità & Pytheam merito excuset. Et ne soli nos pugnare pro Pytheâ videamur, ecce insignis ille Strabonis ipsius commentator *Isacus Casaubonus* discedens hac parte à suo magistro, nec ei contra fas & æquum in totum volens applaudere, ad locum superiorem, qui ex Geographiæ ejus primo est adductus, ubi inter cetera *virum mendacissimum Pytheam* Strabo vocat, ità infit:

Scripserat Pytheas Terræ Periodum sive Periplum: & quia in Galliâ natus erat, de partibus

tibus septentrionalibus plerique eum auctorem amplectebantur: ut qui de vicinis regionibus potuisset fidelius, quàm ulli Græci ante eum fecissent, scribere, præsertim, qui, ut ipse ajebat, totam exteri maris oram lustrasset à Gadibus ad Tanais ostia: neque sanè dubium multa eum Græcos docuisse, quæ prius ipsi ne audivissent quidem: cujusmodi sunt, quę de Thule scripserat, quam nō esse aliam, quàm quę Islandia hodie dicitur, facile doctis viris assentior. Eratosthenes verò Pytheam tanti fecit, ut singulas ejus sententias singula esse oracula existimasse videatur, &c. quod cum Polybius aliique magni viri & Eratosthenes κοινκόνην animadverterent, viderentq; Pytheam falsa multa tradidisse etiam de iis quæ Græcis hominibus nota erant atque explorata, ità cæpit Pytheæ fides esse suspecta, &c. adeoque factum est ut ne in iis quidem, quæ ab ipso verè scripta erant, ei fides ab iisdem magnis viris haberetur, &c. Hæc si cogitasset Beccefelenus quidam, nunquam profectò tam stultus fuisset, ut Strabonem maximum præstantissimumque scriptorem propter hoc de Pythea judicium damnandum ac despuendæ (sic enim loquitur) temeritatis pronunciaret &c. Nunc ad reliquos, & præsertim authores Latinos, quique Strabonem sequuti sunt, stilum vertamus.

Thule etiam Casaubono Islandia.

DE IISDEM INSULIS IPSAQUE THULE POMPONII *Melæ, Plinij, Taciti, Solini ac Ptolemæi Alexandrini relationes adductæ propiusque inspectæ discussæque.*

INter authores Latinos ætatis merito primus debetur locus Pomponio Melæ, utpote qui Claudij principatu floruisse existimatur. Is postquam de Britanniâ dixisset, de Hiberniâ, quam *Iuvernam* vocat, deque insulis ei Britanniæque quàm proximis ità loquitur:

Verba Melæ.

Super Britanniam Juverna est, pene par spacio, sed utrimque æqualis, tractu littorum oblonga, cæli ad maturanda semina iniqui, verùm adeò luxuriosa herbis, non lætis modò, sed etiam dulcibus, ut se exiguâ diei parte pecora impleant: & nisi pabulo prohibeantur, diutius pasta dissiliant &c. Triginta sunt Orcades, angustis inter se distinctæ spaciis. Septem Hemodes contra Germaniam projectę &c. Thule Belgarum littori opposita est, Grajis & nostris celebrata carminibus. In ea quòd Sol longe occasurus exsurgit; breves utique noctes sunt, sed per hiemen sic ut alibi obscurę, æstate lucidę, quod per id tempus jam se altius evehens, quanquam ipse non cernatur, vicino tamen splendore proxima illustrat: per solstitium verò nullę, quod cum jam manifestior non fulgorem modò, sed sui quoque partem maximam ostentat.

Plinius Lib. 2. cap. 75 inquirens ubi dies longissimus & ubi brevissimus.

Plinij.

In Britanniâ longissimus dies horarum XVII. ubi æstate lucidę noctes haud dubie repromittunt id, quod cogit ratio credi: solstitij diebus accedente sole propius verticem mundi angusto lucis ambitu, subjecta terrę continuos dies habere senis mensibus, noctesque è diverso ad brumam remoto. Quod fieri in insula Thule Pytheas Massiliensis scripsit, sex dierum navigatione in septentrionem à Britanniâ distante &c.

Atque inde idem lib. 2 cap. CVIII ubi de terrę universę mensurâ, longitudine & latitudine hæc habet:

Ab ostio Tanais nihil modicum diligentissimi authores fecêre. Artemidorus ulteriora incomperta existimavit, cum circa Tanaim Sarmatarum gentes degere fateretur, ad septentriones versas. Isidorus adjecit XIIC M. L. usque ad Thulen, quę conjectura † divinationis est. Ego non minore quàm proxime dicto spacio Sarmatarum fines nosci intelligo.

Forte legendũ † divinatioq; est.

Atque iterum idem lib. 4 cap. 16. ubi de Britanniâ & Hiberniâ:

Sunt autem XL Orcades, modicis inter se discretæ spaciis. Septem Acmodę & XXX Hæbudes, & inter Hyberniam ac Britanniam Mona, Monapia, Ricnea, Vectis, Silimnus, Andros. Infra verò Siambis & Axantos. Et ab adverso in Germanicum mare sparsę Glessarię &c. Ultima omnium, quę memorantur, Thule: in qua solstitio nullas esse noctes indicavimus, Cancri signum sole transeunte, nullosque contra per brumam dies. Hæc quidem senis mensibus continuis fieri arbitrantur &c. Sunt qui & alias produnt Scandiam, Dumnam, Bergas; maximamque omnium Nerigon, ex quâ in Thulen navigetur. A Thule unius diei navigatione mare concretum, à nonnullis Cronium appellatur.

Plinium proxime excipiat Solinus, Plinij, ut plurimum, exscriptor, atque adeò simius dictus. Ait is cap. 25 ubi de Britannia:

Solini.

Mulię

Multæ & aliæ circum Britanniam insulę, è quibus Thule ultima, in quâ æstivo solstitio, sole de Cancri sidere faciente transitum nox pene nulla. brumali solstitio perinde nullus dies, ut ortus junctus sit occasui. Ultra Thulen accepimus pigrum esse & concretum mare: inde à Calidoniæ promontorio Thulen petentibus bidui navigatio est. Inde excipiunt Hæbudes insulæ, quinque numero, quarum incolæ nesciunt fruges, piscibus tantum & lacte vivunt. Rex unus est universis. Nam quotquot sunt, omnes angusta interluvie dividuntur. Rex nihil suum habet, omnia universorum. ad æquitatem certis legibus stringitur. E publico alitur, nulla illi datur fœmina propria, sed per vicissitudines in quamcunque commotus fuerit, usurariam sumit. Unde ei nec votum nec spes conceditur liberorum. Secundam à continenti stationem Orcades præbent, quæ ab Hæbudibus porro sunt septem dierum, totidemq; noctium cursu, numero tres, vacant homine, non habent silvas, tantum junceis herbis inhorrescunt. Cetera earum nudæ arenæ & rupes tenent. Ab Orcadibus Thulen usque quinq; dierum ac noctium navigatio est. Sed Thule larga & diutina Pomona copiosa. Qui illic habitant, principio veris inter pecudes pabulis vivunt, deinde lacte, in hiemen congerunt arborum fructus. Utuntur fœminis vulgo, certum matrimonium nullis.

Deinde Cornelius Tacitus in Vitâ Agricolæ, qui sub Domitiano claruit, ita loquitur:

Taciti. Hanc oram novissimi maris tunc primum Romana classis circumvecta insulam esse Britanniam affirmavit, ac simul incognitas ad id tempus insulas, quas Orcadas vocant, invenit domuitque. Dispecta est & Thule, quam hactenus nix & hiems abdebat. sed mare pigrum & grave remigantibus perhibent, ne ventis quidem proinde attolli: credo quòd rariores terræ montesq;, caussa ac materia tempestatum, & profunda moles continui maris, tardius impellitur.

Atque ultimo demum loco verba Claudij Ptolemæi itâ habent:

Sarmatia Europæa terminos habet à septentrionibus Sarmaticum oceanum, juxta Venedicum sinum, usque ad terram incognitam, ad hujusmodi descriptionem: Post Vistulę fluminis ostia, Chroni fluvij ostia, Rubonis fluvij ostia, Turunti fluvij ostia, Chessini fluvij ostia: situs oræ maritimæ, juxta parallelum per Thulen ductum, qui est cogniti maris ultimus. grad. *62. 63.*

Quibus si placet accedant verba Isidori Origin. lib. 14 cap. 6:

Thule ultima insula oceani, inter septentrionalem & occidentalem plagam, ultra Britanniam, à Sole nomen habens, quia in ea æstivum solstitium Sol facit, & nullus ultra eam dies est: unde & pigrum & concretum ejus mare.

Examinantur verba Melæ. Nunc singula nonnihil videamus propius. Et quidem Mela *triginta Orcades* agnoscens, minus refert quàm eum proximè excipiens Plinius, XL, ut posuimus, enumerans. Buchananus, qui eas accurate omnes exsequutus est, proxime ad verum accedere ait Orosium, qui triginta tres prodidit, addiditque ex illis tredecim habitari, ceteras incultas jacere. Unde Solinus, qui, ut supra patet, tantum tres recensuit ac homine vacare dixit, aut mendosus hîc esse, aut mendax deprehenditur. Hodie Anglis *the iles of Orcadnay* dicuntur. *Septem* verò, quas *Hemodes* contra Germaniam projectas ait, eæ aut Plinij *Acmodæ* sunt, aut Plinij *Acmodæ* sunt hæ ipse *Hemodes*. Hæ Norvagiam versus, hodie vulgò **Schetlandt** & **Hetlandt** nominantur. quibus sunt adjiciendæ proximè versus Orcadas *Frilò* & *Faril.* *Thulen* deinde quod *Belgarum littori oppositam* dicat, fuerunt qui rescribi ac legi maluerunt *Bergarum littori*: ut scil. Norvagis (quod sane de Islandiâ verum est) ex diametro occasum borealem versus intelligeretur quàm proximè opposita. Norvagis inquam, quorum hodieq; est metropolis Bergæ. quam & Plinius, ut liquet ex verbis ejus superius, & statim referendis, agnovit primusque nominavit. Quamvis aliàs si retinere *Belgarum* libet, quod Cluvero placet, intelligi possit inter Rheni Sequanæque ostia Belgicæ objecta, ducto pro parte etiam, licet minus commodè, per Britanniam parallelo. Et denique addens tempore solstitij æstivi noctem non esse, vero litat; & hodie id quoque de Islandiâ comperimus, cum graduum 63. ad usque 65 & quod excurrit, quemadmodum & Ptolemæus fere suæ superius Thuli tribuit, latitudinem habeat. Is enim sphærę positus Cancri Tropicum supra propemodum horizontem levat. ut itâ pensiculatè simul, quemadmodum & sequitur, à Melâ sit dictum, *solem per solstitium sui quoque partem maximam ostentare.* Et verum id esse de iis præcipuè qui tractum insulæ borealem colunt, autoptæ, & qui insulam calcarunt ipsi hodieque testantur. Nam de meridionalioribus haud rigidè verum.

Quibus

Quibus positis verba Plinij, quæ sequuntur, *de die, ubi is longissimus & ubi brevissimus*, nunc esse clariora existimo. Plinij: & maximè *de senis*, quod additur, *mensibus*. Nam id capiendum non de Thule aut Islandiâ, sed de iis boreæ partibus, ubi latitudo poli, Islandianam longe excedens, graduum est 80 & ultrà. Hinc de *Orcadibus* x L, ac *septem Acmodis*, quæ subjicit, modò sunt explicata. *Hæbudes* verò, quas triginta tantùm numero agnoscit, illæ verò multò plures, & propemodum infinitæ hodie deprehenduntur, suntque Britanniæ scriptoribus versus occidentem, supra intraque Scotiam & Hiberniam, qui & exactè describunt. Quod verò addit, *ex adverso in Germanicum mare sparsas Glessarias*, eo ferè inclinem, ut de insulis id capiam quæ Orcadibus & hisce præsertim Britannicis anterioribus, circa Cimbricum littus in mari Germanico sunt oppositæ. Cujusmodi fuerunt superius nobis enumeratæ *Amora, Strandia, Heilegelandia* aliæque illo tractu. Atque ultimò *Scandiam, Dumnam, Bergás* & *Nerigon* quod insulas item boreæ facit, id jam ante suo loco satis ostensum, nec *Scandiam*, nec *Bergas* neque *Nerigon* esse insulas: & *Scandiam* quidem, *Schone* hodie, Daniæ partem haberi; *Nerigon* verò Norvagiæ, cujus metropolis *Bergæ*. *Dumna*, quod & alibi dixisse me puto, referenda ad Orcadum aliquam, Ptolemæo quoque indicatam. Et maximè in Plinij iisdem notandum verbis, quod ex *Nerigon* sive Norvagiâ *in Thulen* navigatum adjiciat. ut ità scilicet vetustissimò etiam illo ævo non è Britannia modò & Orcadibus, quod alij dixerunt, & repetetur uberius mox, sed à Norvagis tum quoque eodem vela transmissa, eamque eos frequentasse navigationem constet. Nam de Britannis, qui Solini: jam proximè sequitur, ità Solinus, *à Calidoniæ promontorio Thulen petentibus bidui navigatiò est.* Et statim ibidem: *Ab Orcadibus Thulen usque quinque dierum ac noctium navigatio est.* Ubi tamen Criticorum obelos nonne meritò incurrit Solinus? Nam à Calidoniæ, id est, ultimo Britanniæ boream versus promontorio Thulen usque, si bidui navigatio sit, quomodo in eandem insulam ab Orcadibus, eidem promontorio tam vicinis, navigatio erit dierum quinque & totidē, ut inquit, noctium? Verba igitur Solini aut interpretatione aliqua commodiore emollienda, aut saltem adhibitâ transpositione, sive correctio sit, aliter ordinanda. Nec defuit qui ità legendum existimavit: *Ultra Thulen accepimus pigrum esse & concretum mare. A Caledoniæ promontorio Thulen petentes bidui navigatione excipiunt Hæbudes insulæ*, & postea: *Inde secundam à continenti stationem Orcades præbent.* De solstitio autem æstivo; id est, ut rectè idem loquitur, Sole de Cancri sidere faciente transitum, nullam pene noctem Thulensibus esse; & brumali vicissim solstitio nullum diem; & ortum pene junctum esse occasui, verissime dicitur, & ità omnino rem habere apud Islandos certum est, ac modò memini. At quod addat, *largâ & diutinâ Pomonâ eandem esse Thulen copiosam, &, qui illic agunt, veris principio inter pecudes pabulis vivere, deinde lacte, inque hiemem arborum fructus congerere*, partim verè, partim minus ex vero dici existimo. Nam si Thulenses non nisi post æquinoctium vernum, &, ut dixit ipse, solstitij demum æstivi tempore Solem benigniorem experiantur, & Orcades, quæ Thule tanto sunt australiores, *nec silvas, nec arbores habeant, tantumque*, ut verba ejus superius posita loquuntur, *junceis herbis inhorrescant*, quomodo Thulenses adeò versus boream remotiores, & *arborum fructus sub hiemen congerere*, & *habere Pomonam copiosam* possint? Interim esse illis, qui Islandiam colunt, junceas stirpes, betulam appellant; tum & pecus tam equinum quàm vaccinum, aliaque ad genus; satis fæcunda, & gramen quoque æstivis mensibus adeò luxurians, ut pecora, quod de Hibernicis superius Mela dixit, citissime se impleant; & nisi pabulo prohibeantur, diutius pasta dissiliant: Hæc inquam & Thulensibus usu venire haud abnuam; certe Islandiæ hodie accidere mox patebat.

Jam quæ Tacitus adfert, videamus. Et quidem illa ejus verba, quibus insulam esse Bri- Taciti: tanniam illà tum primo Romanorum sub Domitiano navigatione deprehensum videtur innuere, nisi emolliamus dicamusque classe tum primò Romanâ circumvectam Britanniam & esse insulam certo ab illis pronunciatum, quomodo locum habeant? cum jam ante Cæsar, Strabo, Mela Pliniusque, quem non semel ipse citat Tacitus, esse insulam disertè indicaverint? & ipse id verbis, quæ superiora paulum præcedunt, *insularum scilicet, quas Romana notitia complectitur, maximam* agnoscens, haud tacuerit. Et inde Orcadas Plinius, ut supra patuit, nominet esseque numero x L, Mela x x x pensiculate prodiderit, ut eas tum, non dico domuisse, quod fortasse concedi Tacito potest, sed invenisse primò Romanos, ac Orbi prodidisse, vix admitti possit. præsertim cum & referat Eusebius chronico suo ad numerum M M L X Claudium Imp. de Britannis triumphasse & Orcadas insulas Romano adjecisse imperio. Quorum tamen ut prius de Britannis verum, ità de Orcadibus;

bus, attextum Eusebianis ab Hieronymo ex historia Eutropij alij observarunt. adeo ut hic triumphus isti, de quâ hic loquitur Tacitus, navali Romanorum expeditioni, qua & Orcades & insulæ aliæ in eo oceano remotissimæ sunt subjugatæ, proprie debeatur. Quo & illa spectant Juvenalis, qui item sub Domitiano claruit,

Et modo captas
Orcadas, ac minimâ contentos nocte Britannos.

Sed & Taciti ejusdem verbis illud insuper innui videtur, ea tum quoque navigatione dispectam inque apertum productam Thules insulam, quæ hieme & nivibus eousq; suis occultata mortalium conspectum fugerat. Quod nec ipsum prioribus usquequaque consonet, cum Pytheas Massiliensis Græciq; ejus jam ante historiam prodiderint. Et inter Latinos, præter ceteros, qui sequuti sunt, Plinius, navigari in Thulen è Norvagia solitum, quomodo & modò ostensum, jam ante tradiderit. ut ità hæc Taciti haud ulterius quàm ad eam Romanorum navigationem restringenda sint, tum scilicet singularum harum ditionum majorem obtigisse Romanis notitiam ac certitudinem.

Ptolemæi

Ptolemæi deinde, qui Tacitum excipit, maxime ob id notanda verba, quod Tabulâ Europæ septimâ itemque primâ, ducto per Thulen parallelo, eandem in ultimo oceano, quo hodieq; situ est Islandia, Sarmatiæ Europeæ, sive terræ, quàm vocat incognitam, opponat, sub gr. 63. quamvis insulæ borealis tractus, ut ipsi produnt Islandi, graduum est 64, & quod excurrit, ut inde videbimus.

Isidori

Quæ postremò ex Isidoro allata sunt, ea exacte satis situm insulæ, quæ hodie est Islandia, sub Thules nomine nobis aperiunt, modò occidentalem plagam intelligamus eam, quæ est occidentem æstivum versus. Quo etiam loci Papinius eam intellexit libro Sil. 5, Protreptico ad Crispinum ubi inquit:

Tu disce patrem, quantusque nigrantem
Fluctibus occiduis, festoque hyperione Thulen
Intrarit.

Unde & colligi sit, ei Romanorum navali in Orcadas ac Thulen expeditione, de quâ ex Taciti Agricola jam diximus, hujus quoque Crispini interfuisse patrem. Floruit enim sub Domitiano similiter Papinius. Nec posse, quod alibi quidem fecit idem Papinius, pro Britannia hic sumi Thulen, indicio sit vel epitheton *nigrantem fluctibus occiduis, festoque Hyspetione:* queis & ultimis verbis indicatur *solem festum*, id est, supra horizontē ac circa nimirum æstivū solstitium constitisse. At de etymo & vocis Thules notatione quæ sequuntur apud Isidorum, quomodo cohæreant? ideò scil. *Thulen* dictam quod in ea Sol æstivum solstitium faciat, & ultra eam nullus dies sit; cum ultra eam solstitio æstivo multus imo perpetuus sit dies, solstitio verò hiberno nullus: Interim *Thule* vocabulum accedere vel ad Danicum vel Norvagiæ idioma, à quo nec abit multum Anglorum & Saxonum, ex eo potest percipi, quod circa Norvagiæ sive Daniæ oras è mari exstantes scopuli hoc afficiantur nomine: cujusmodi est ille, sive insula sit, quæ extra littus in aperto mari prope Hellemstadium visitur, *Thuyle* dicta. tum & in ipsa Norvagiâ ditio est amplissima *Thylemarchia*, de qua alibi diximus. Et hodieque apud Anglos vocum *tylle*, *toyle*; & apud Belgas **Theulen** / *thuylen* ut usus ità significationes sunt obviæ. Reinerus insuper Reineccius *Tell* limitem notare Saxonibus ait, & ita insulam hanc veluti limitem esse septentrionis atq; occidentis quamvis alij id nominis accessisse insulæ velint ab Ægyptio rege Thyle, qui ut Suidas habet circumnavigata tota terra atque inquisitis plurimarum gentium moribus hoc vocabuli de suo ditioni isti reliquerit. Sed de hoc talibusque aliorum esto judicium suoq; unusquisque sensu abundet. Nunc his proximum Adamum Bremensem videamus.

DE THVLE ADAMI BREMENSIS, QVI ESSE ISLANDIAM STATVIT.

„ EJus hæc verba sunt libro de situ Daniæ:
„ Thule insula, quæ per infinitum à ceteris secreta longe sita est in oceano, vix, ut inquiunt, nota habetur. De quâ tam à Romananis scriptoribus, quàm à barbaris multa re-
„ feruntur digna prædicari. Ultima inquiunt omnium Thyle, in quâ æstivo solstitio, sole cancri

cancri signum transeunte, nox nulla, brumali solstitio proinde nullus dies. Hoc quidem senis mensibus fieri arbitrantur. Item Beda scribit, in Britannia æstate lucidas noctes haud dubie repromittere, ut si in solstitio continuos dies habeant senis mensibus, noctesq, è diverso, ad brumam sole remoto. Quod fieri in insula Thyle Pytheas Massiliensis scribit sex dierum navigatione in septentrionem à Britannia distante. Hæc itaque Thyle nunc **Island** appellatur, à glacie quæ oceanum astringit. De quâ etiam hoc memorabile ferunt; quod eadem glacies ita nigra & arida videatur, propter antiquitatem, ut incensa ardeat. Est autem insula permaxima, ità ut populos intra se multos contineat, qui sólo pecorum fœtu vivunt, eorumque vellere teguntur: nullæ ibi fruges, minima lignorum copia; propterea in subterraneis habitant speluncis, tecto communi & victu & strato gaudentes cum pecoribus suis &c. Multa insignia in moribus eorum, præcipue charitas, ex quâ procedit, ut inter eos omnia sint communia, tàm advenis quàm indigenis. Episcopum suum habent pro rege, ad cujus nutum respicit omnis populus: quidquid ex Deo, ex scripturis, ex consuetudine aliarum gentium ille constituit, hoc pro lege habent. De quibus noster metropolitanus immensas Deo gratias retulit, quod suo tempore convertebantur, licet ante susceptam fidem naturali quadam lege non adeò discordarent à nostra religione. Itaque petentibus illis ordinavit quendam sanctissimum virum *Isleph*. Qui ab eadem regione missus ad pontificem, aliquandiu apud eum retentus est, cum ingenti prorsus honore, discens interea quibus noviter conversos ad Christum populos salubriter posset informare. Per quem transmisit archiepiscopus suos apices populo Islandorum & Gronlandorum, venerabiliter eorum salutans ecclesias: pollicens eis propediem se venturum usque ad illos &c. Hæc de **Island**/ & ultima Thule veraciter comperi, fabulosa præteriens.

Item retulit nobis beatæ memoriæ pontifex Adalbertus, in diebus antecessoris sui quosdam nobiles de Fresia viros, causa pervagandi maris in boream vela tetendisse, eo quod ab incolis ejus populi dicitur, ab ostiò VVirrahæ fluminis directo cursu in aquilonem nullam terram occurrere, præter illud mare, quod **Lebersee** dicitur. Cujus rei novitate pervestigandâ, conjurati sodales à littore Fresonum læto celeumate sunt progressi. Deinde relinquentes hinc Daniam, inde Britanniam, pervenerunt ad Orcadas; Quibus à læva dimissis, cum Nordmanniam in dextris haberent, longo tractu glacialem **Island** collegerunt.

Hactenus Adamus. Quorum quæ initio è Bedâ, Romanos aliosque scriptores sequuto, *de senis mensibus* referuntur, eo scilicet temporis universo spacio lucidas esse noctes; refutata à nobis superius sunt: cum id nec Britanniæ nec Thulensibus exacte competat, sed ultimis, si qui sunt, boreæ populis. Mox recte concludit hanc Thulen haud aliam esse Islandiâ; Et addens, *insulam esse permaximam*, convenit cum relatis eorum, qui ipsi eam viderunt dimensique propius sunt, qui duplo majorem Siciliâ faciunt. Atque inde cum dicat, *populos intra se multos continere*, indicio fit, non heri aut hodie, quod dicitur, fuisse frequentatam, sed habuisse indigenas suos multa ante secula: & recte jam olim traditum Plinio, quod modò posuimus, in eam è Norvagiâ navigari solitum: itemque è promontoriis extremis versus boream Britanniæ atque ex Orcadibus, ut retulerunt alij. Hinc *vellere pecudum quod eos contegi* referat, *communi strato & victu gaudentes cum pecoribus suis*, id haud aliò trahendum, quam tegumenta eorum ex lanis pecudum confecta constare, quæ illi, etiam aliis gentibus ac regionibus expetita, industriè contexunt, vulgò **Watmel** dicta. Et illud deinde *de strato* ac *victu cum pecoribus communi*, nihil fere à verbis Taciti abit, qui de priscis Germanis ità loquitur: *dominum & servum nullis educationis deliciis dignoscas. Inter eadem pecora, in eâdem humo degunt, donec ætas separet ingenuos, virtus dignoscat.*

Quæ deinde sequuntur, commendant haud parum Islandorum ingenia ac mores ad humanitatem factos. Ostenduntque jam tum, id est, ævo Adami & ante tot secula ad pietatis studia, ac præsulis sui obsequium innatâ quadam indole excitatos ac pronos fuisse. Et ultimo denique quod adjicitur de Frisiorum navigatione deque mari jecoreo, **Lebersee** vulgo nuncupato, indicio sit omni propemodum seculo super iis, quæ parum cognita habentur, mira & fere incredibilia adferri solita, cujusmodi & illa sunt, quæ his non absimilia à Strabone ex Pythea adducta de *mari pulmoneo*, superius posita.

DE THULE GULIELMI CAMDENI SENTENTIA ALLATA, EXPENSAQUE.

VErba, inter cetera, Camdeni sunt, ubi de insulis Britannicis, ista:

Nomen traxisse Thulen scribit Suidas à Thule rege Ægyptio, Isidorus à Sole, Reinerus Reineccius à Saxonica dictione Tell / i. limes quasi septentrionalis & occidentis limes fuerit. Verumenimverò an Thule aliqua fuerit, dubitat Sinesius, & nusquam comparere scribit Gyraldus noster, ancipitique de ea sententia distrahuntur authores. Pleriq; Islandiam cœlo regenti & perpetua hyeme damnatam Thulen olim vocatam asseruerunt, his tamen Saxo Grammaticus, Crantzius, Mylius, Jovius, Peucerus refragantur. At si verum sit quod doctissimus Caspar Peucerus libro de terræ dimensione retulit, Schetlandiam nautis Thylensell vocari / nec ejus fidem imminuere ausim) sane Thule inventa, & res jam tandem confecta. Hæc enim Schetlandia est insula aliis exiguis coronata sub imperio Scoti, frigore obrigens & undique procellis exposita & cujus incolis, perinde, ut Islandiæ, piscis exsiccatus & contusus pro farre est. Et quamquam huic polus arcticus non ita attollitur, ut diem perpetuum vi menses habeat, quod de Thule Pitheas Massiliensis à Strabone juste notatus finxit: nec enim hoc Islandiæ ipsi contingit, ubi perpetua quasi hiems, & fere rigor intolerabilis sedet: ut Schetlandiam tamen Thulem existimem facit primo situs apud Ptolemæum: LXIII enim grad. ab æquinoctiali definita est, ut apud illum Thule, tum quod inter Normanniam sive Norvegiam & Scotiam interjacet, ubi Saxo Grammaticus Thulem ponit. inde quod bidui navigatione à Calidoniæ promontorio, sive Cathnes abest, qua distantia Thulem ponit Solinus. Postremò, quod Bergarum Norvegię littori opposita sit, quo loci Thulem posuit Mela, apud quem *Belgarum littori* corrupte legitur, pro *Bergarum*. Bergæ enim urbs Norvegię Schetlandię objacet, & Plinius *Bergos* hoc tractu nominat, quam non dubito esse regiunculam illam, in quâ Bergæ florent &c.

Hucusque Cambdenus. Et verò de Thules etymo ac notatione superius dicta hîc non repetam. Interim an aliqua sit Thule, quod dubitare Sinesium tradat, & nusquam apparere *Gyraldus* Cambrensis scribat, ancipitesque super eâ doctiorum ut vult habeantur sententię, id solũ responsi vice dicam, haud dubitasse Ptolemæum, quod supra patuit, Thulen ponere, & quidem eo situ eâq; amplitudine, quâ visitur hodie Islandia. Quod autem negari à Saxone Grammatico addat Thulen esse Islandiam, ac refragari eum id asserentibus, id apud Saxonem deprehendere necdũ potui. Et magis contrarium liqueat, si inspiciatur pręsertim liber ejus octavus, ubi quendam ultimę Thules incolã Blendium nominat, ac statim ennarraturus ibidem navalem expeditionẽ, quam Rex Danorum *Gormo*, famâ Thylensium incensus, duce *Trochillo*, instituit, eos Thylenses vir clariss. *Andreas* Vellejus, qui Saxonem vernacule reddidit, Islandos interpretatur. quemadmodum & Thylenses idem Saxo initio fere pręfationis suę ponens eos saxis inscribere monumenta sua suetos dicat, eosdẽ *Vellejus* quoq; idem Islandos reddit. quamvis ibi Thylensium vocabulum latius fortasse accipi & Thylemarchi Norvagię ceteriq; boreę populi possint intelligi. utpote qui rupibus omnes incidere characteres ad rerum servandam memoriam ex more olim consueverint. quod in ista, de quâ dixi, Gormonis navali expeditione locum non habeat, cum classe adusq; Halogiam, quæ fere extrema est Norvagiæ, provectos, atque inde apertum sequutos oceanum incurrisse insulam, rupibus ac monstris inaccessam, referatur. De *Crantzio* deinde, quod dicitur, negare etiam eum Thulem esse Islandiam, nec id à Crantzio, si propius inspiciatur, dici reperias. Sunt enim hæc Crantzij verba Præfatione in Norvagiam: *Hanc insulam* (Islandiam) *nonnulli interpretati sunt Thulem. Sed Nicolaus Germanus, Ptolemæi lucidator Thylen ponit inter Norvagiam & Scotiam: ea verò, quam diximus* (*Islandia*) *longe est extra Arcticum circulum: ut ejusdem viri descriptio manifestat.* Hæc Crantzius non tam ex suâ quâm Nicolai, quem citat, cæci ducis opinione de Thule loquitur. Nam sane errare, quicunque is *Nicolaus* fuerit, nihil est certius, si nimirum extra Arcticum circulum Islandiam collocet, cum extremam tantummodo Islandiam, quę est boream versus, Arcticus percurrat: ac cetera ejusdem insulę, quâ meridiem spectat, eandem cum Nidrosiâ, quæ est Norvagię, grad. 63 & 64 latitudinem obtineat, quomodo & suâm exactè constituit Thulen Ptolemæus. At inquit porro elegantissimus aliâs *Cambdenus* tradere *Peucerum* Schetlandiæ insulam à nautis Thilensell vocari; quod si concedere Peucero habeamus, fortasse vel Thylemarchię,

marchiæ, quæ est in vicinâ Norvagia, aut Thules ipsius aspectu ita appellata fuerit. Nam quod addit exinde, removeri ab æquinoctiali Schetlandiam grad. 63, ut est à Ptolemæo ipsa definita Thule, omnino à vero abit, cum vix ultra sexagesimum & aliquot minutorum gradum exsurgat Schetlandia. Et eadem licet, intra Norvagiam & Scotiam, ut inde subjicitur, sit collocata, quid id ad rem faciat? etiamsi à Saxone quoque Grammatico, quod additur, dictum foret, cum tamen verum id haud est. nam à Crantzij Nicolao Germano, ut jam patuit, non Saxone assertum fuit. quo esse potiores debere authores vetustiores ipsumque Ptolemæum, qui, ut dictum jam, multò versus occasum borealem longius evehit, æquum censeam. Solinus verò quod abesse haud ultra bidui navigationem à Caledoniæ promontorio Thulen fateatur & eadem sit à Schetlandiâ distantia, ostendimus modò longe esse aliam sententiam Solini, & ab Orcadibus Thulem usq; quinque dierum & noctium navigationem statuisse; eaque de Caledoniæ promontorio quæ ab eodem dicuntur errore haud vacare & aliorsum trahenda. Ac ultimo denique quod injicitur; Schetlandiam *Bergarum* Norvagiæ *littori oppositam* esse, & eo loci Thulen collocare Melam, indicavimus jam modò non *Bergarum*, sed *Belgarum*, legi apud Melam, & esse, qui eam lectionem probent, & apprime quadrare Ptolemæi Thulæ sive Islandiæ hodiernæ asseverent, quamvis & *Bergarum* si legamus, quomodo & antea est indicatum, non absone eidem Thulæ sive Islandię conveniat: utpote quæ Norvagis sive Bergarum metropoli ab occasu boreali est objecta: & *in eam ex Nerigon*, id est, Norvagiâ, ut ostendimus, navigari solitum Plinius diserte dixerit. ut ità constet simul, non exiguam aliquam, cujusmodi est Schetlandia, sed capitalem veteribus illis intellectam insulam, cujusmodi esse Islandiam hodie scimus, quam & duplo propemodum Siciliâ esse majorem commonuimus: ut omittam dicere, quicunque de Thules situ loquuti fuère, eam à Britanniâ & Orcadibus, non versus ortum borealem, quomodo est posita Schetlandia, sed boream aut occasum borealem versus definivisse.

DE THULE, ABRAHAMI ORTELIJ OPINIO POSITA DISCUSSAQUE.

NOn eximi hac classe *Abrahamus Ortelius* debet, Geographorum nostri seculi inter principes haud immerito recensendus. Is de Thule verba faciens in Theatro suo Orbis inque Thesauro, qui est in manibus, Geographico, hæc habet: *Thule Straboni, Plinio, Ptolemæo & Synesio epist. 148. Arnobio,* oceani Septentrionalis insula supra Orcades: *Islandt Gerhardo Mercatori. Ego* Tilemarck *interpretor, qui Norvagiæ regni tractus est. Vox enim alludit & Ptolemæi latitudo & longitudo huic Tilemarchiæ plane convenit. Thulen aliam esse ab Islanlandia docet ejus descriptio apud Procopium 2. Gothicorum, &c.* Hactenus Ortelij verba, quæ ex præcedentibus, & iis, quæ dicta jam sunt, quàm facile est redarguere! Ego, inquit, Thilemarck interpreter; qui regni Norvagici tractus est. At Thule est insula, Thilemarck Norvagiæ est continens, non insula. Verum latitudo, quæ est apud Ptolemæum, & longitudo Thules convenit Thilemarchiæ. Quid audio Orteli? quod dictum sane nollem. Norvagiæ etenim Thilemarchia multò est Bergis Norvagorum meridionalior, utpote ad gradum elevationis quinquagesimum sextum aut septimum vix procedens, quod & tabulæ hodiernæ, quæ sunt in manibus, liquido ostendant, quomodo igitur, convenire hîc & latitudo & longitudo poterint? cum Thule Ptolemæi ad gradum usq; 63 & ultra excurrat? Tamen, inquis, aliam esse ab Islandiâ Thulen declarat descriptio ejus apud Procopium. Procopius quid de Thule statuerit, luculenter à nobis discussum fuit superius. ostensumque eum quidquid est Scandinaviæ, hoc est, non Sueciæ modò Norvagieque sed & Daniæ immensos tractus hoc nomine intellexisse. ut ita nihil ad Thulen, de qua hîc agimus, hæc Thule Procopiana faciat, testante præsertim Plinio istis ex locis & maximè è Norvagiâ, ipse Nerigon dicit, navigari olim in Thulen solitum. Etenim in Thulen si navigari è Norvagiâ solitum sit, quomodo non aliud erit Thule, aliud Norvagia? Ut est jam ante quoque monstratum. Et facili aliàs hoc quidquid est nubili discuti negotio potest, licet integro ac destinato id Capite adversus Ortelium egerit in antiquâ suâ Germaniâ Philippus Cluverus.

Pag. 683. 684. 685.

DE THULE ISLANDIAQUE, BLEFKENII ITEMQUE *Arngrimi Islandi inter se collatæ positæque sententiæ.*

AT modò nonnihil propius concedamus. Duoque producendi nobis authores, qui insulæ autoptæ, & alter quoque indigena ibique natus eductusque fuit. Iste *Dithmarus* est *Blefkenius*; hic verò eruditissimus ille ac clarissimus *Arngrimus Ionæ* Islandus, censor atque antagonista ipsius Blefkenij.

BLEFKENIUS ità infit:

Hamburgi conscensâ navi x. Aprilis anni 1563. sub navigavimus Angliam & Scotiam præterlegentes Orcades insulas numero xv. quarum pleræque incultæ propter sterilitatem jacent, Feroa, & Hitlandia solæ inhabitantur, Hîc altissimam rupem vidimus, quæ in summitate cucullati monachi caput repręsentat, ubi etiam contra omnes ventos tutus est receptus, multosque hic monachus ex pręsenti liberat periculo. Junij verò xiv Islandiam conspeximus, quę à longe apparet, ut si nubes hiberno tempore essent. postero die portum Haffne fiordt/ qui meridiem spectat, terramque attigimus.

Ad hæc ità ARNGRIMUS in Amatone suâ Bleffkeniâ:

Neque Froe neque Hitlandia ex Orcadum numero sunt: id quod orbi Arctoo notum sat est. neque verisimile est Orcadas incultas jacere, contra quam veterum Norvagorum annales & imprimis historia Baronum Orcadensium, tum etiam neotericorum geographorum mappæ & monumenta testantur. Ac inter alia Johannis Myritii opus Geographicum sic scribentis: *Ad septentrionem Scotiæ sunt Orcades insulæ 30. inter has primas tenet Pomonia episcopali sede & regio castro ornata.* Vide etiam Magini Geographiam, mihi & Myritio contra Blefkenium adstipulantis. Concurrunt hîc, & plurima in sequentibus, quæ de Blefkenij navigatione Islandica, & multò magis de morâ ibidem factâ, dubitare cogunt. Hîc etiam desidero, quâ occasione anno 1563 in Islandia remanserit, id enim studiose tacet, quum anno 1564 morbum causetur, cur à Germanorum navibus avectus non sit pag. 67.

Pergit deinde BLEFKENIUS:

Islandia terra aspera, montosa & nivosa est, quæ duplo major Sicilia esse putatur, centum miliaria in longitudine habere creditur, quod & Olaus Magnus lib. 11 testatur. à frigoribus quæ ibidem acutissima sunt, & perpetua glacie nomen habet: continuis enim octo mensibus glacie infestatur: calore tamen & igne intraneo multis in locis ardet.

Quibus continuo subjungit ARNGRIMUS:

Nihil hîc novi adfertur: sed à Munstero & aliis antea decantatum. Olaus quoque Magnus præter ceteros duplo majorem Siciliâ facit. Inde in Crymogeæ lib. 1. ca. 1. hæc addit Arngrimus: Insulæ Islandicæ amplitudinem seu longitudinem & latitudinem geographicam, non satis exactè nobis tradiderunt veteres, Longitudo ejus est, ab oriente in occidentem nulla sat certa mensura, quod sciam hactenus expressa: ut nec latitudo à boreâ in austrum. nisi quod in antiquo codicillo repererim, esse longitudinem xx. dierum iter: Latitudo ubi maxima quatuor dierum, sunt autem itinera ut alibi, ita etiam apud nos imparia. nec expressum equitis an peditis. Latitudo autem ipsa non est ubique eadem: ob sinus utrimque ab austro scilicet & borea terram ipsam imparibus spatiis ingredientes. Pergit deinde in Anatome Arngrimus: Hæc de frigore & sex aut octo mensium glacie ex Munstero totidem verbis. Vide Apologet. part. 1. sect. 3. Idem etiam Frisius, ut illic videris; ubi utrumque falsum convincitur, & Deus nobiscum multò mitius agere, quàm hi annotarunt. Infestatur quidem hæc terra glacie, sæpius ad boream, rarius ad occidentem & orientem: rarissimè & vix unquam ad meridiem: & quum infestatur, mora glaciei ad littus plurimum variat: aliàs enim littus vix attingit, uno aut alio loco, aliàs mensem unum aut alterum adhærescit. Plerumque ante Martium non adest, & in Aprili vel Junio dispellitur. Nolo nisi à Blefkenio contra Blefkenium testimonium petere, qui se ait pag. 2. 65 in Martio ex Islandia solvisse in Gronlandiam & in Junio esse reversum: ac interim glaciem octo mensibus insulam cingere continuis. & naves extraneas ante finem Augusti solvere. Est autem, quando multis annis continuis ne in conspectum quidem insulæ horrida glacies veniat: ut si anni supputentur, quibus appulerit & non appulerit crederem hos plures futuros.

Hinc denuo BLEFKENIUS:

Habet-

Habetque hæc insula latitudinem ab Æquatore tantam, ut circulus Arcticus mediam secet, hoc est gradus 65 cum semisse.

Quibus vicissim opponit accuratissimus ARNGRIMUS:

De latitudine cosmograph. vide Apolog. partem, sect. 1 & 3. ubi pro gra. 65 leguntur grad. 45 errore typographico. vide Crymogæam lib. 1. cap. 1. qui tamen error typographicus ex annotata mox noctium & dierum quantitate restitui potest. Porro ex cap. 3 Blefkenij patebit, ipsum de latitudine Islandiæ, ut cæcum de coloribus judicasse, suamq; latitudinem ex Gemma Frisio (qui illam tamen non mediæ insulæ tribuit) ut & Neandro aliisque psitaci in morem suppressis authoribus exscripsisse. visum autem est huc adscribere, quæ Blefkenius cap. 3 sub finem, de latitudine Islandiæ, sive noctium & dierum quantitate annotavit pag. 37: *Tempore hiberno*, ait, *ante & post solstitium, cum Sol descendit atque in sagittario, Capricorno & Aquario est, ab illis recedit, neque suprà horizontem ascendit: donec Pisces attigerit: igitur nullam lucem habent, nisi à stellis & lunâ: vicissim circa solstitium æstivum, cum Sol ad Geminos, Cancrū & Leonē ascendit, nunquam infra horizontē descendit. igitur eo tempore noctem non habent.* Aut hic prorsus insanit Blefkenius: aut in Islandiâ annuum spatium nunquam vixit: aut post homines natos impudentissimè mentitur. Obstupesco ad ingenium hominis talia prodere & literis mandare non veriti tamque contraria scribentis. Medium scil. Islandiæ, latitudinem habere grad. 65. 30. & nihilominus lucem nullam habere, nisi à lunâ & stellis, cum Sol integra tria signa Zodiaci permeat. Quod si hæc ipsa de mensibus caliginosis, ex Munstero, Vadiano, Olao Gotho (suo fautore & patrono historico, inque describendâ Islandiâ fulcro præcipuo) habere professus fuisset, ignoscendum ipsi foret. Cum verò non audita, sed visa & comperta referre se dicat, quis læso ipsius cerebro & fronti cerussam profuturam illinere queat? Quis oculis ipsius, ad solem meridianum, in ipso solstitio brumali, supra horizontem corporaliter, ut sic dicam, extantem, caligantibus idoneum collyrium præstet? Latitudo Schalholtiæ, quæ sedes est episcopalis ad meridiem, non orientem, ut Blefkenius falso annotavit pag. 26. observata grad. 64 & aliquot minutor. Et Bessastadij, ubi Blefkenius commoratus dicitur, & Præfecti regij residentia est, latitudo etiam 64 grad. deprehenditur, ut fere in vicino tractu lateris meridionalis. unde pro numero accedentium minutorum, diei brevissimi quantitas exurgit: alibi quidem horarum 3 minutor. 30. alibi paulo alia. Sed omissis rationibus sphæricis, rude vulgus & istius tractus accolas atque oculorum experientiam adeamus: testantem identidem, ipsum corpus solare, supra horizontem, in brumali solstitio extare conspicuum, tanto circiter temporis momento, ut diximus. tantum abest, ut Sol à suo in Sagittarium ingressu, usque dum pisces attigerit, hoc est à 12 Novemb. ad 9. Feb. infra horizontem delitescat: & ut Islandi tanto tempore lucem nullam, nisi à Lunâ & stellis habeant: ut hic vir, sine omni verecundia contraque omnem sensum communem asseverare audet. Quid autem est, si hæc insania & amentia non est? Quid quæso fidei scriptori huic in aliis rebus habendum erit, in re tam insigni & manifestâ, adeò audacter falsa asserenti & experientiam propriam alleganti &c.

Adjicit deinde BLEFKENIUS:

Hujus insulæ extremitati aquilonari objectæ sunt insulæ quæ Ebudæ vocantur. An verò ex istis sit ea, quæ Ptolemæo veteribusque Thule, an potius Islandia ingens illa insula, adfirmare neq; prorsus negare ausim, eo quod non deprehendatur insula: quo Ptolemæus Thulen statuit:

His hunc in modum respondet ARNGRIMUS:

Quum Islandia à Meridie habeat Orcades & Scotiam (teste Blefkenio pag. 58) ideoque etiam Hiberniam & huic adjacentes Ebudas insulas, teste Myritio; manifestò falsum est extremitati Aquilonari Islandiæ objectas esse Ebudas, nisi Blefkenio Aquilo & meridies idem sunt. De cetero legatur Crymogæa lib. 1 cap. 1. ubi aliquot firmissimis argumentis ostenditur, Islandiam non esse Thulen.

Audivimus hucusque *Blefkenium*, & quæ in eo ex adverso, Islandiam spectantia, jure summo reprehendenda habuit accuratissimus *Arngrimus* ipsemet Islandus. Nunc ultimò quæritur an Islandia sit Thule Ptolemæi, ceterisq; veterū tantopere celebrata. Hanc quæstionem licet in medium relinquat Blefkenius, neganti tamen propior videtur, *quòd insula non deprehendatur*, sunt ejus verba, *quo loci Ptolemæus Thulem statuit*. At id an ei Arngrimus concesserit, cum ab eo præteriri silentio videam, haudquaquam id alius Blefkenio tam facile donaverit, præsertim, quod Thule Ptolemæi, ut & ante ex parte ostensum,

eodem quo hodie Islandia parallelo ponatur, & elevatio quoque eidem poli arctici adscribatur, qui gradus 63 excedat. At inquies exactam eam latitudinem, cujusmodi hodie notatur, haud esse. Respondemus, si oram spectare libeat insulæ meridianam, parum omnino desiderari: Et constare præterea debere, si à Ptolemæo ea accuratio exigatur, jam nec Britannia Ptolemęi nec ceteræ quæ sunt quàm proximè adsitæ insulæ, Orcadesque ipsæ erunt Orcades. Sed occurrit Arngrimus ipse & hîc veluti assensum Blefkenio prębens, se ait firmissimis aliquot argumentis ostendisse Crymogęæ suę lib. 1. cap. 1. Islandiam non esse Thulen. Hæc ergo jam proximè videamus.

decur.

THULEN NON ESSE ISLANDIAM, ASSERTIO V. CL. ARNGRIMI *Islandi, eaque propius inspecta expensaque.*

SUnt verba Arngrimi loco jam dicto Crymogæę lib. 1. cap. 1.

Et Islandia quidem has appellationes (Snælandia, Gadarholmia & denique Islandia) ab inventoribus consequenter nacta est. Nam ad quartam, THULE, quod attinet, quæ huic terrę à quibusdam affigitur, non possum adduci ut veram esse credam, hoc potissimum argumento: Quod Thyle seu Thule, inter veteres, non solum Plinio Nat. hist. lib. 2 cap. 75 & lib. 4 cap. 16 (Floruit autem Plinius circa annum Christi 80) & qui Plinio antiquior, Pytheæ Massiliensi, sed etiam Pub. Virgilio, qui ultra annum Christi 14 non supervixit, in ore & scriptis frequens fuerit: Islandia verò ad annum usque Christi 874 ut postea dicam, inculta prorsus manserit, & à Floccone piratâ primum circa tempus jam dictum *Islandia* sit nuncupata. Thule itaque, quam Augusto servituram dixit Virgilius (Georg. 1 *Tibi serviat ultima Thule*, ubi vel pueris notum, Thulen pro Thules incolis synechdochicōs dici) Augusti & Virgilij temporibus non solum habitata, sed etiam Romanis cognita, non est Islandia, multa post secula habitari primum cœpta. Videtur præterea ipse Plinius, loco citato posteriore, insulis Britannicis Thulen accensere, *ultima*, inquit, *omnium* (insularum Britannicarum scilicet, de his enim illi sermo est) *quæ memorantur, est Thule*, Idem etiam Virgilium voluisse consentaneum, qui *ultimam* dixit *Thulen*, loco citato, & similiter penitus toto divisos orbe Britannos, id est, ultimos. Idem porro argumentum, à Claudiani Alexandrini & hoc longe antiquioris Publ. Papinij Statij ætate urgere liceat. Claudianus enim circa annum Christi 390 canit, de belli Getici à Theodosio gesti successibus:

A. Ch. 874.

Famaque nigrantes succincta pavoribus alas,
Secum cuncta trahens, à Gadibus usque Britannum
Terruit Oceanum: & nostro procul axe remotam
Insolita belli tremefecit murmure Thulen.

An verò Islandiam incultam & desertam fama tremefecerit? Statius verò Claudiano trecentis annis antiquior sic lib. 3. Silvar.

Quanquam etsi gelidas irem mansurus ad Arctos,
Vel super Hesperiæ vada caligantia Thules:

Audis non levem modò famam de Thule, ad Statium pervenisse, sed vada, syrtes seu brevia in accessu insulæ deprehensa, frequenti navigantium relatione, ipsi satis cognita fuisse, cujusmodi in circuitu Islandiæ, quod sciam, nulla sunt: quod experientia loquitur: At in Britannicarum insularum accessu longe frequentissima, ut ferunt.

Premamus ipsum hoc argumentum ulterius à Divi Hilarij ætate, qui anno Christi 372 obierat; de cujus fama sic Fortunatus:

Eloquij currente rotâ penetravit ad Indos,
Ingeniumque potens ultima Thule colit.

Quid verò illud est quod Statius vocat Hesperiam Thulen, id est, occidenti subjectam? Eo enim & Hispania, Hesperia dicta. Ast Ausonius *Aquilonigenas Britannos* Edyll. 12:

Aut Italum populos, Aquilonigenasque Britannos.

Ex quorum sententia, Thule occidentalior sit Britannia. Nec valet argumentum quod à noctium & dierum brevitate utrobique in Islandia nempe & Thule quidam petivit: in

solstitio

ſolſtitio nempe æſtivo, nullas habere noctes. nam & idem ipſis Britannis Juvenalis tribuit Satyr. 2:

Arma quid ultra
Littora Iuvernæ promovimus, & modo captas
Orcadas, ac minimâ contentos nocte Britannos.

Deinde à ſolâ loci latitudine, quamvis maxime eadem eſſet, (id quod non largimur) concludere, Thulen eſſe Islandiam, non fuerit artis.

Ex recentioribus Johannes Myritius alibi (quod citatus nobiſcum ſentire ſe apertius oſtendit) in opere ſuo Geographico, aſſerit Thulen eſſe ultimam in ditione Scoti (Scotos autem Britannorum nomine venire ſatis notum) ſub poli elevatione grad. 63. àque hac unius diei navigatione abeſſe mare Cronium, in quo ſit Islandia. quod ipſum de Cronij maris à Thule diſtantia monens Plinius, concretum appellat, per quod nos glaciale intelligimus, in quo tamen Islandiam non ſitam aſſerimus: Siquidem id limitibus zonæ frigidæ, a circulo Arctico ad polum includimus: Islandia verò circulum Arcticum aliqua borealis ſui lateris parte tantum attingat. Etenim prædicti loci ſedes nempe cathedralis Holen, Zenith, ut ex latitudine aſſignatâ patet, 46 minutis abeſt à circulo Arctico.

Videt autem hoc (Thulen non eſſe Islandiam) reliquis plerumque ſanior, Petrus Ramus, in omni literarum genere ſcriptor exquiſitus: qui mecum concludens, Commentario in I Georg. Virgilij, *Thule*, inquit, *inſula eſt oceani inter occaſum & ſeptentrionem, ultra Britanniam latid. grad. 68 long. 11. ultima Romanis tum cognita (cum ſcil. Virgilius ſcriberet Georgica) Islandia enim remotior eſt, & multæ Norvagiæ regiones.* Hæc Ramus & Myritius. qui quàm rite Thules latitud. & longitud. attigerint hoc loco nihil refert: dummodo eam ab Islandiâ diverſam ſtatuant. Quamvis igitur Saxo Grammaticus vel alij, Islandiam Thulen appellarent & Islandos Thulenſes: apparet tamen hinc, eoſdem opinione magis, quàm rei veritate ductos, ſic ſtatuiſſe; id quod mihi hoc loco nequaquam diſſimulandum fuit: Si enim Islandia idem eſſet cum Thule, rueret totum hujus narrationis fundamentum de Islandia anno Chriſti 874 habitari primum cæpta. Quod tamen cum irrefragabilis hiſtoriarum conſenſus firmet, ruat illud neceſſe eſt, Thulen eſſe Islandiam. Et hæc de appellationibus Islandiæ, & ſitu coſmographico.

Hactenus Arngrimus, id præcipue argumenti loco ponens, non poſſe Thulen eſſe Islandiam; quod illa Plinio Virgilioque & his multò anteriori Pytheæ Maſſilienſi in ore & ſcriptis frequens fuerit, Islandia autem inculta manſerit ad annum uſq; Chriſti 874: Atque inde quod etiam poſt Pytheam, Virgilium Pliniumque Claudianus eoque aliquot ſeculis prior Statius Papinius aliique Thules accurate meminerint; quæ omnia convenire Islandiæ ad annum uſque jam indicatum inhabitatæ incognitæque haud poſſe. Sed arripit hîc ac ponit ut indubitatum elegantiſs. aliàs Arngrimus, quod eſſe etiamnum in quæſtione exiſtimamus. Nam ſane Thule, ut eſt jam ante, teſtantibus anthoribus claſſicis, diſerte oſtenſum, cum ex Angliæ ſive Britanniæ non modò borealibus promontoriis, ſed è Norvagia quoque (Plinius Nerigon dixit) adnavigari ſit ſolita, quomodo & hodie ſit, atque inſula inſuper non exigua, ſed capitalis, & quæ Hibernia haud multò minor ab iiſdem deſcribatur, eoque ſitu, parallelo ac longitudine, cujuſmodi hodie habere deprehenditur Islandia, nec alia præter Islandiam eo tractu talis inveniatur, cur eſſe Thulem magnopere negabimus Islandiam? At obſtat, inquit, vel maximè, quod ad annum 874 inculta jacuerit Islandia, & eo tum demum temporis tractu nominis iſtud acceperit inſula. Hoc ſi aliter ſe habere, ac certis oſtendero documentis etiam multis ante id tempus luſtris Islandiæ non dico inditum id nominis, at celebratam fuiſſe eo nomine inſulam, nonne quod cupimus confectum habebimus, jacebitque planè ſubrutum, quo hæc innixa conſiſtunt, fundamentum? Et ne longe eamus, ecce Anſgarius, cujus in hiſtoriâ ſuperius meminimus, quique floruit circa annum Chriſti 824 & quod excurrit, ab Imperatore *Ludovico* Caroli Magni filio in archiepiſcopum evectus Hamburgenſem, ſeptentrionis populos Danos, Norvagos, Suedos, Finnos, & qui his omnibus ulteriores ſunt, tranſque immenſum Oceanum ſemoti jacent, de quibus loquimur, Islandos ſuæ curæ accepit, ut nimirum Chriſti doctrinâ pabuloque eos imbueret ac recrearet. Docentque hoc ipſum prolixius publici inſtrumenti Tabulæ, quas ad annum ſuperius 834 verbotenus expreſſimus, cum *Ludovici* jam indicati regis; tum ipſius quoque Romani pontificis *Gregory* quarti, quibus vocationem Auſgarij ab Imperatore & epiſcopis factam anno inſequente, qui fuit 835. Te-

Videatur Ptolemæum,

ratam

ratam habere teſtatur. In his diſerte nominatos Islandos, quæque eos ſpectant, hunc in modum præter cetera reperias: *Ipſum filium noſtrum jam dictum Anſgarium & ſucceſſores ejus legatos in omnibus circumquaque gentibus Danorum, Sueonum, Norvagorum, Farriæ, Groenlandienſium, Helſingelandorum, Islandorum, Scritfindorum, Slavorum, nec non omnium ſeptentrionalium & orientalium nationum, quocunque modo nominentur, delegamus & poſito capite & pectore, ſuper corpus & confeſſionem ſancti Petri Apoſtoli ſibi ſuiſque ſucceſſoribus vicem noſtram perpetuo retinendam publicamque euangelizandi tribuimus authoritatem &c.* Regis verò Ludovici, quę has anno uno pręcedunt, de rebus præſertim Islandiam ſpectantibus, ità loquuntur: *Idcirco ſanctæ Dei eccleſiæ filiis præſentibus ſcilicet & futuris certum eſſe volumus, qualiter divinâ ordinante gratia noſtris in diebus, aquilonaribus in partibus ſcilicet, in gentibus Danorum, Sueonum, Norvagorum, Farriæ, Groenlandorum, Helſinglandorum, Islandorum, Scritofinnorum & omnium ſeptentrionalium & orientalium nationum magnum cæleſtis gratia prædicationis ſive acquiſitionis patefecit oſtium, ità ut multitudo hinc inde ad fidem Chriſti converſa, myſteria cæleſtia eccleſiaſticaq; ſubſidia deſiderabiliter expeteret, unde domino Deo noſtro laudes immenſas perſolventes extollimus, qui noſtris temporibus & ſtudiis, ſanctam eccleſiam, ſponſam videlicet ſuam in locis ignotis ſinit dilatari ac patefieri &c.*

Hoc igitur remoto obſtaculo, multò jam ante Flocconem, qui primus ſcilicet Islandię nomen dediſſe memorabatur, & notam ac nominatam imo & habitatam fuiſſe Islandiam, facilis jam erit ad cetera, quæ ſequuntur, reſponſus. Nam primo tremefactam belli Getici famâ Thulem ſive Islandiam haud mirum à Poetâ Claudiano fictum, ut inſulam aut locum ab axe ſuo quàm maximè remotum indicet. Papinius verò qui *Heſperiam Thulem* & *vada* ejus *caligantia* dixit, utrumque rite dixiſſe & optime quadrare etiam Islandiæ; inde patet, quod inſula ſit oceani, quemadmodum de Thule quoque Iſidorus jam ante tradidit, inter ſeptentrionem & occidentem, ultra Britanniam poſita; ut occidens ſcilicet intelligatur æſtivus. Unde iterum Statius, qui & ſupra citatus eſt locus, ex v Silvar:

Quantuſque nigrantem
Fluctibus occiduis, feſſoque hyperione Thulen
Intrarit.

Auſonius autem qui *aquilonigenas Britannos* dixit, ſui aſpectu, qui erat in Galliis, à verò nihil alienum attulit, nec ullam eo loci inter Thulem & Britanniam contentionem inſtituit, ut ideo habenda Thule Britannis occidentalior. Quod autem *vada caligantia* in verbis inſuper Papinij convenire Islandiæ neget Arngrimus, quia vada ibi ut inquit nulla, nullæque ſyrtes aut brevia ſint, haud tamen negaverit, puto, ſudare haud leviter naucleros, priuſquam in tutum & intra petras ac rupes prominentes navem recipiant. Nam & verba tua, Arngrime clariſſime, meminiſſe potes, quæ ſunt libro Crymogęæ 2 pag. 172 iſta ſcilicet: *Quidam etiam Schulerus Dux Norvagiæ circa annum 1219 bellum Islandiæ minitabatur, ſed proprio conſilio impeditus, tum ob oceani vaſtitatem & difficultatem portuum &c.* Hanc portuum difficultatem ſive introitus cæcos ac periculoſos *ſi vada caligantia* poeta appellarit, quid abs re aut reprehendendum magnopere dixerit, non video.

Argumentum verò quod valere inſuper negetur deſumptum à noctium ac dierum æqualibus ſpatiis & tam Islandis hodie, quam olim Thuli convenientibus, quia etiam Juvenalis Britannis noctem nullam circa ſolſtitiũ æſtivum attribuit, id ità ſe habere inficiamur. Nam verba Juvenalis, ſi exactius rimemur, non tribuit Britannis noctem nullam, ſed exiguam. Ait enim: *& minimâ contentos nocte Britannos.* Hinc de loci latitudine quod adfertur, quodque penſi habere ſummopere haud videatur, etiamſi ea Thuli eadem aut ei proxima, quæ modò eſt Islandiæ, tributa olim fuerit; mihi ſane & penſi hoc ac ponderis alicujus habeatur, accedente præſertim Ptolemæi deliniatione, qui haud alio nobis poſitu aliâve amplitudine *Thulem* depinxit, quàm viſitur hodie Islandia. Myritius verò ac Ramus, quod de Thule, ut inſula aliâ, quàm eſt Islandia, loquuti ſint, cum eorum ſententia percraſſis erroribus ac ſphalmatis haud careat, quæ nec ipſę prætereunda cenſuit Arngrimus, de iis multa dicere ſuperſedebo; ſatis habens, fateri poſtremò Arngrimum, ruere fundamentum ſuum, ſi oſtendi poſſit ante annos 874 & notam & nominatam atque habitatam fuiſſe Islandiam. Quod cum à nobis plene jam perfectum exiſtimamus, hîc quod ad iſta ſubſiſtimus.

Arngrimo interim haud illubenter concedemus, ſi linguam gentis aliaq; reſpiciamus, Norvágiæ præſertim coloniam eſſe Islandos. ſed antiquiſſimis ſeculis eò ductam; cum præcipue fateatur Plinius, quod & antea iterumque injecimus, *ſolitum è Nerigon*, id eſt,

Norvagiâ

Norvagiâ *in Thulen navigari*. Quin & fatetur Gyraldus Cambrensis in topographia Hiberniæ suæ omnes non Orcades modo, sed & alias licet Britanniæ & Hiberniæ quàm Norvagis viciniores insulas Norvagiæ antiquitus fuisse obsequio ac reverentia subditas: quod ea scil. gens, ità addit, præ ceteris oceanum veluti coleret ac classibus suis assiduè frequentaret. Et hodie Orcadenses etiamsi certis conditionibus, quæ in historiâ memorantur, Scoto jam pridem cesserint, memorant nihilominus annales apud eos scyphum adhuc servari, quem divi Magni Norvagorum Regis, qui primus ad eos Christi fidem attulit, fuisse deprædicant. Hic est ille Magnus Rex, cognomento **Barfoed** dictus, cujus in historiâ meminimus. Nec diffitear insuper, longo ævo aut intermortuis subinde, aut aliàs labefactatis atque imminutis, ut fit, ex primis fortasse coloniis perpluribus, suppletos exinde eos non è Norvagis modò, sed ex aliis quoque vicinis populis insulisque ut Hiberniæ Britanniæque. Et maximè, si quid peregrinitatis aut à moribus gentis primogeniæ suisque aboriginibus Norvagis dissonum retineant, inde profectum. Cujusmodi, præter alia, propria nomina reperio. Et in his, ut alia taceam, *Grimus* occurrit, cujus fuisse etiam appellationis Scotorum regem ducentesimum memoriæ nobis Scotorum subindicant. Et illud quoq; (quod an Hiberni pro more habeant, quorum ab Iberis origo secundū nonnullos deducitur, necdum legi) quod scilicet ut Celtiberi olim, Islandorum hodieque nonnulli (nam de omnibus falsum esse adversus Blefkenium Arngrimus demonstrat) suà sibi mane, ut ille loquitur, urinâ soleant *dentem atque russam defricare gingivam*, vel ut legisse apud Catullum Apulejus videtur *pumicare gingivam*. Eum ritum spurcissimum appellat Apulejus, & Blefkenius ut subrusticum in Islandis ridet. At urinæ vires effectaque si spectemus, magis opinione quàm vero notari reperiemus. Diodorus, prҿter ea quҿ habet de hac Celtiberorum consuetudine Strabo & Catullus, & ex iis in Apologiâ suâ jam indicatus Apulejus, ità de eadem loquitur: *Vniversum corpus Celtiberi lavant urinâ dentesque fricant, hanc optimam corporis curam existimantes.* Blefkenius ab ipsis Islandis has ob causas fieri memorat, quod scilicet formam elegantem faciat, quodque alat vires, nervosque in manibus confirmet, ac dentes denique à putredine servet.

De cetera Islandorum vitâ & moribus multa inseruit libello eidem suo jam identidem indicatus Blefkenius, quæ aut desumpta esse ab aliis, aut ab ipso calumniosè prodita ostendit Arngrimus Islandus, nunc iterum sæpiusque nobis memoratus. Quæ tamen ipsa legi apud eum quàm hic repeti satis existimo.

Sed ab Islandiâ priusquam in totum recedo, id admonendum studiosum lectorem puto. Fuisse alia atque alia tempora, cum modò hæc modò illa natio classibus ac mari valeret, ut ideo mirari haudquaquā habeamus, quod prodidit Strabo & Plinius, de quo & ante injectum, Massilienses è Galliæ intimo maris mediterranei sinu emisisse Pytheam suum, qui boreæ has oras autoptes lustraret. Nam & Venetos exinde legimus, qui Massiliensibus ac mari mediterraneo multò sunt ulteriores, è penitiori illo Hadriatici sui maris recessu ante duo aut circiter secula in mare hoc septentrionis classes eduxisse non negotiandi tantùm gratiâ, sed eorum quoque cives duos illustres viros *Nicolaum* & *Marcum Zenos*, equites auratos, etiam ignotarum versus boream aperiendarum terrarum cupiditate incensos, navigationes instituisse, quæ omni ævo memorabiles habebuntur. Quorum conatus ac pericula cum literis tradita sint & Islandiam quoque eique vicinas terras præcipue spectent, nec omnium hodie manibus habeantur, cujusmodi ad nos, ex Italico reddita Latine, fuerunt delata, his subjungere operæ pretium existimaui, æquo lectori judicium relinquens.

Nicolai & Marci Zenorum versus boreā Navigationes.

FRISLANDIÆ INSULÆ nec non ESTLANDIÆ, ENGROVELANDIÆ, ESTOTILANDIÆ & ICARIÆ DETECTIO:

Per NICOLAUM EQUITEM AURATUM, & MARCUM ANTONIUM ZENOS, *Fratres Venetos*.

ANno recuperatæ salutis millesimo ducentesimo, clarus admodum fuit in urbe Venetiarum Marinus Zenus, vir qui ob insignes virtutes, & ingenij dexteritatem, ad rerum publicarum quarundam in Italia præfecturam vocatus, cum se in iisdem administrandis præbuit, ut etiam ij, qui præsentem nunquam viderant, & amore simul & reverentia, nomen

nomen ejus prosequerentur. Fertur hic inter alias suas egregias actiones, graves quasdam discordias sopisse inter cives Veronenses exortas, quæ ad maximos belli motus spectabant, nisi extremam diligentiam, & salutaria consilia sua Marinus interposuisset. Fuit idem Reipublicæ Venetæ nomine primus urbis Constantinopolitanæ præfectus, anno

1205. Christi 1205, quo tempore in Venetorum principumque Gallorum potestatem imperium illud concesserat: Ex hoc natus est Petrus Reynerij, Venetiarum ducis pater, qui dux, cum masculam prolem non haberet, hæredem instituit Andream, Marci fratris filium. Is Andreas ob complures eximias suas dotes, &, supremus Reipublicæ Venetæ Imperator fuit, & celeberrimi nominis procurator. Filium autem habet Reinerium, senatorem illustrem, ex quo natus fuit Petrus, exercitus Christiani adversus Turcas conscripti supremus Imperator, cui draconi cognomen, inde impositum, quod in Clypeo gentilitio belluæ illius effigiem, loco alterius cujusdam belluæ substituerit. Hic filium habuit cognomento Magnum, procuratorem clarissimum; & præfectum exercitus adversus Genuenses, in periculosissimis illis bellis, eo adeo tempore gestis, quo maximi quique principes Europæ libertatem, ditionemque Venetam oppugnabant, cum ille patriam non aliter quam Romam olim Camillus, ab imminenti, quo urgebatur discrimine, ne hostibus in prædam cederet, virtute sua liberarit, atque inde Leonis sibi cognomentum acquisivit, quam belluam ad æternam heroicorum facinorum memoriam, clypeo suo gestavit insculptam. Porro Caroli fratres fuere Nicolaus, Eques Auratus & Marcus Antonius, pater draconis, ex quo natus Catharinus, qui Petrum genuit cognomine Crocecherium, isque alterum rursus Catherinum, Anno, qui scriptionis hujus tempus præcessit, mortuum, fratrem Francisci, Caroli, Joannis baptistæ, & Vincentij. Nicolai vero etiamnum superstitis patrem. Cæterum Nicolaum, quem dixi, equitem Auratum, Magni & alti spiritus virum, bello adversus Genuenses quod majoribus nostris tantum negotij facessebat, composito, flagrans subjit desiderium lustrandi orbis terræ, & peregrinandi, quo videlicet variarum gentium mores videret linguasque addisceret, unde & patriæ datâ occasione meliori usui esse, & sibi honorem ac nomen comparare posset. Quare structa propriis facultatibus, quas amplissimas possidebat, & instructa simul navi, mare mediterraneum transmisit, & superato Herculis freto, dies aliquot per Oceanum navigavit, cursu in Aquilonem semper directo. Erat animus Angliam pariter Belgiumque lustrandi, sed oborta ingenti tempestate, per multos dies ita undis ventisque jactatus fuit, ut ubi locorum esset prorsus ignoraret, cum conspecta tandem ex alto terra, sparcissimæ tempestati diutius resistere nequiens, naufragium fecit ad Frislandiam insulam, vectoribus,

Frislandia insula. mercibusque magna ex parte salvis. Accidit hoc anno Christi octogesimo supra millesimum trecentesimum.

1380. Insulani conspecta navi, magno ilico numero ad littus concurrere, & Nicolaum cum sociis armata manu adoriri, ita superiori tempestate, cæterisque maris incommodis jam afflictos, ut in qua mundi plaga versarentur, nescirent, & quod sequitur, ne exiguo quidem insultui sustinendo, nedum hosti tam valido, pro periculi magnitudine fortiter propulsando, ulla ex parte pares essent. Unde cum præter extrema quæque nihil jam exspectarent, voluit bona fortuna ut casu tunc in vicinis locis cum armatorum manu inveniretur Princeps, qui audito recenti ad insulam facto naufragio, ad rumorem & strepitus adversus miseros nautas concitatos occurrit, & actis in fugam insulanis, Latine naufragos compellat, & qui essent undeque venirent interrogat. Intellecto autem Italos esse, & ex Italia eo dilatos, gavisus magnopere est homo, & cum promisisset nihil ipsis eventurum incommodi, puta in terram appulsis, ubi & liberaliter tractarentur, & ab omnibus haberentur in pretio, omnes in fidem ac tutelam suam recipit. Erat autem hic magnus dynasta, & vicinas aliquot insulas, Portlandiam dictas, Frislandiæ

Portlandia, ad meridiem appositas, possidebat, ditissimas illas & totius illius tractus maximè populosas. Nomen homini Zichinni, præter insulas quas jam dixi, etiam Soranensis ducatus, Scotiam eminus prospicientis princeps. Visum est autem septentrionalis hujus tractus, imaginem quandam proponere, desumtam ex tabula illa navigatoria, quam inter veterem familiæ nostræ suppellectilem me habere comperior, quæq; situ licet, & vetustate squalida, tamen usui mihi fuit, & ejusmodi rerum studioso ob oculos posita, instar luminis erit, ad ea quæ citra ipsius operam, non ita exactè intelligat, capienda.

Tantæ, quam diximus, ditionis, dominus & possessor Zichinni bellicosus etiam erat, atque magnanimus, præsertim vero in iis, quæ ad rem maritimam pertinerent. Cumque anno superiori victoriam reportasset à Rege Norvagię, qui tunc insulę dominus, illustrius quàm

quàm haberet nomen armis belli ſibi comparandi deſiderio flagrans, cum exercitu, ad patrandum hoc facinus, & Friſlandiam, inſulam ipſa Hibernià multo porrectiorem, imperio ſubjugandam deſcenderat. Quocirca cum Nicolaum animadverteret eſſe virum prudentem, & tum rerum maritimarum, tum & bellicarum admodum gnarum, voluit ut cum omnibus ſuis claſſem comitaretur, ac Thalaſſiarcho injunxit, ut honore ipſum proſequeretur, & omni in re uteretur ipſius conſilio, ut qui longo navigationis [illegible]orum uſu plurima didiciſſet, ac per ſe etiam ſciret. Conſtabat hæc Zichinni claſſis ex tredecim navibus, duabus longis, quæ remo impellebantur, reliquis autem veliferis, & unâ quidem, quæ magnitudine cæteras vinceret. Hi inſtituto in Occidentem curſu, Ledova, Iloſa, & aliis aliquot minorum gentium inſulis nullo negotio ſunt potiti, converſoque curſu, ſinum, cui Sudera nomen, ſubjerunt, ubi in ipſo oppidi Saneſtolæ portu, naves quaſdam deprædati ſunt, piſcibus ſale conditis onuſtas. Invento autem hic ipſo Zichinni, qui terreſtri exercitu comitatus terram omnem ſubegerat, non diu morati ſunt, ſed ſublatis anchoris, curſuque in occaſum directo, ad alterum ſinus promontorium navigarunt, & eo ſuperato, novas iterum inſulas terraſque aperuerunt, quas omnes imperio Zichinni ſubjugarunt. Cæterum mare, quod percurrerunt, uſque adeo ſyrtibus ſcopuliſque eſt impeditum, ut ſi abſque Nicolao fuiſſent, ejuſque & nauclero & ſociis, peritura fuerit, omnium quotquot in ea navigabant judicio, tota illa claſſis, idque ob indigenarum, Venetorum quidem aſpectu, quos natos quodammodo, nec non adoleviſſe & conſenuiſſe in hac arte dixeris, imperitiam. poſt parata ergo per claſſem ea quæ commemoravimus, voluit Architalaſſus, ex Nicolai conſilio, exſcenſionem fieri ad oppidum, cui nomen Bondendono, quo videlicet certior redderetur de ſucceſſu bellorum Zichinni, quem ſumma cum animi voluptate magnum prælium commiſiſſe, & hoſtilem exercitum profligaſſe intellexit: quâ victoriâ reportatâ factum fuiſſe ut omnis inſula oratores ad ipſum miſiſſet, legeſque deditionis accepiſſet, ſublatos per oppida paſsim, & caſtella ejus ſignis.

Zichinni regis claſſis.

Hoc tam læto nuntio accepto, viſum eſt eo loci ſubſiſtere, & Zichinni, qui brevi adfuturus dicebatur, adventum præſtolari. Advenienti magna paſſim exhibita ſunt lætitiæ ſigna, tam ob marinam, quam terreſtrem victoriam, cujus cauſa tantopere ab omnibus honorati, celebratique ſunt Veneti, ut nihil uſpiam audiretur præter ipſorum nomen, & Nicolai virtutem. Unde princeps, naturâ hominum à virtutibus laudabilium, ſpeciatim vero eorum, qui res maritimas recte adminiſtrarent amantiſſimus, Nicolaum ad ſe vocari juſſit, & poſt commendatam laudatamque honorificentiſſimis verbis induſtriam ejus atq; ingenium, queîs acceptum ferre ſe prædicabat, ingens illud & eximium ſervatę claſſis, & acquiſitorum, citra operam ſuam, tot locorum beneficium, Equitum ordini adſcripſit, & poſt Venetos omnes non honore tantum, ſed muneribus quoque luculentiſſimis affectos, è loco quem dixi diſceſſit, ac triumphantium in morem, ob victoriam reportatam, Friſlandiam, primariam inſulæ urbem, ad Euronotum in ſinu, quorum plurimos habet inſula, poſitam, ubi tanta piſcium eſt captura, ut Belgæ pariter & Britanni, nec non Angli, Scoti, Norwegi, Dani, copioſè eos hinc petant, & ingentes opes inſulani ex iis accumulent, iter inſtituit. Et hactenus quidem in epiſtola ad *M. Antonium* fratrem, ſcribit hac de re Nicolaus, rogans, ut conſcenſa navi ad ſe accedat. Unde & ipſe non minori quam frater, luſtrandi orbis, & variarum gentium frequentandarum, atque hinc illuſtrem ſibi famam & exiſtimationem parandi deſiderio flagrans, navem emit, & inſtituto in eas partes curſu, poſt longum iter & periculoſiſſimos caſus, ſalvus tandem, & incolumis ad Nicolaum enavigavit, qui non animo minus quàm ſanguine germanū ſummo cum gaudio excepit. Marcus Antonius autem in Friſlandia ſedes fixit, & totos quatuordecim annos in ea egit, quatuor quidem comite Nicolao, reliquos decem ſolus, tam flagranti uterque apud Principem gratia, ut is gratitudinis ergo, præſertim verò, quod per ſe abunde id mereretur, Nicolaum creaverit claſſis ſuæ architalaſſum, & uterque maximo belli apparatu, Eſtlandiam occupare aggreſſi ſint, inter Friſlandiam, Norwegiamque poſitam, cui graviſſima quoque intulerunt damna. Sed audito Norwegiæ regem, magna cum navium claſſe, quo à bello eos avocaret, appropinquare, anchoras ſuſtulerunt, cum ecce tam horrenda eos invadit tempeſtas ut ad ſyrtes quaſdam delati, navium magnam partem amiſerint, reliquis in Griſlandiam, inſulam magnam, ſed incultam appulſis, & naufragij periculum elapſis; Norwegorum claſſis cum eadem tempeſtate colluctata, fecit & ipſa naufragium, & per maria illa variè fuit disjecta. Qua de re per navim quandam hoſtilem,

Nicolaus Zenus Equitum ordini a Zichinno adſcriptus.

Eſtlandia ejuſque ſitus.

Griſlandia.

,, tempestate in Frislandiam forte delatam, certior factus Zichinni, reparata jam classe,
Islandia. ,, cum non procul ab Islandicis insulis se abesse cerneret, Islandiam, quæ & ipsa Norwegiæ
,, erat subjecta, decrevit invadere, sed tam probè munitam, defensoribusque instructam
,, offendit, ut cum exilem admodum, nec à viris armisque satis instructam haberet classem,
,, ab incepto illo repulsus fuerit, coactusque re infecta discedere. Adortus tamen in iis-
,, dem illis Euripis, Islandicas insulas, quæ septem sunt numero, *Talas* scilicet, *Brons*, *Is-*
Insulæ Islandicæ VII. ,, *cant*, *Trans*, *Mimant*, *Damberca* & *Bressa*, omnes variè depopulatus est, & in *Bressa* pro-
,, pugnaculum struxit, cui Nicolaum præfecit, relictis inibi aliquot navibus, & militum
,, manu, cæterisque ad bellum requisitis, ipse autem exigua illâ, quam reliquam habebat
,, classe satis multa sibi fecisse visus; salvus & incolumis, in Frislandiam rediit: Nicolaus
,, qui Bressæ remansisset vere novo in altum progredi, & terras novas aperire constituit
,, Quare instructis tribus dumtaxat navibus, iisque non nimis magnis, Julio mense in Se-
Engrovelandia. ,, ptentriones contendit, & in Engrovelandiam est delatus ubi Cœnobium offendit fra-
,, trum ordinis prædicatorum & templum divo Thomæ sacrum positum juxta montem qui
,, non secus atque Vesuvius quidam aut Ætna ignem ejaculatur, estque inibi aquæ fer-
Ejusq; & cœnobij in eâ miranda. ,, ventis fons, cujus adminiculo, & Cœnobij templum, & fratrum cellulæ probe cale-
,, unt in culina vero usque adeo fervet, ut non adhibito ullo alio igne, hoc solo sint con-
,, tenti, & massa, aquæ omnis experti, in lebetes imposita, panem non aliter quam in
,, furno probe calefacto, coquant. Sunt præterea per hyemen cooperti hortuli, qui hac
,, aqua rigati, contra nives omnes & frigus, quod in partibus illis polo tam vicinis, lon-
,, gè asperrimum est, subsistant, adeo, ut & Flores fructusque, & herbarum varia gene-
,, ra, non aliter quam statis anni temporibus temperati terrarum tractus producant, Un-
,, de fit, ut cum supernaturales illos effectus, barbari illi & inculti homines vident, ipsos
,, monachos tantum non pro diis colant, pullos iis, & carnes, aliaque liberaliter adferen-
,, tes, ac tanquam dominos summa reverentia, & honore prosequentes. Atque hac ratio-
,, ne, cum intensum prorsus est gelu, ac densæ nives, monachi illi habitationem suam
,, temperant, & cubiculum aliquot, momento temporis, vel calefacere, vel refrigerare
,, solent, aquam ad certos quosdam terminos attolli permittendo, fenestras aperiendo, &
,, frigori viam, quâ introeat, patefaciendo. In Cœnobij Fabricis, non alia utuntur mate-
,, ria, præter eam, quam ipse ignis suppeditat. Saxo enim ardentia quæ favillarum instar,
,, ex ignivomo montis ore prosiliunt, cum vel maximè candent, aqua perfundunt, unde
,, fit ut liquescant, & in bitumen seu calcem candidissimam tenacissimamque convertan-
,, tur, quâ adservatâ nunquam corrumpitur. Ipsæ autem favillæ, mox ut extinctæ sunt
,, lapidum vicem supplent, ex quibus muri & fornices exstruantur: ubi cum refrixerunt,
,, solvi ultra aut rumpi non possunt, nisi ferro si forte confringantur. Porro fornices hinc
,, confecti ita leves sunt, ut alio ullo sustentaculo non indigeant, ac pulchri semper & in-
,, corrupti permaneant, propter quas tam insignes commoditates boni illi patres, tot tan-
,, tasque mansiones & muros construxerunt, ut intuentibus stuporem incutiant. Te-
,, ctorum pleraque eum in modum structa, ut eductos in justam altitudinem muros su-
,, pra fornices paulatim attollant, sic ut in medio relinquatur impluvium: etsi pluvias sa-
,, ne non est quod metuant, cum, ob poli viciniam, quem frigidissimum esse diximus, nix
,, semel delapsa, nisi post lapsos novem anni menses, quibus hic regnat hyems; ultra non
,, solvatur; Monachi ferina, & piscibus victitant, quod, quo loci tepida in Oceanum in-
,, fluit, capax satis & magnus existat portus, qui ob ferventes illas & bullientes aquas,
,, hyeme nunquam congelascit; unde tantus & marinarum avium est confluxus, ut infi-
,, nitam pœne utriusque generis multitudinem capiant, qua ipsa ingentem hominum
,, haud procul inde agentium numerum facile sustentant, quos ipsos vel in operibus ædi-
,, ficiisque, vel in avium pisciumque captura, vel in aliis denique ministeriis cœnobio ne-
,, cessariis, perpetuo occupatos habent. Horum domus, quæ montem omni ex parte cin-
,, gunt, rotunda sunt forma, pedes quinque & viginti latæ, atque ita paulatim in conum
,, assurgunt, ut in summo relinquatur fenestella, qua aer admittitur, qui locum illustret.
,, Subtus autem adeo calet tellus, ut intus non sentiatur frigus. Per æstatem plurimæ huc
Nidrosiense promontorium. ,, appellunt naves, tum ex insulis circumvicinis, tum ex promontorio supra Norwegiam, &
,, territorio Nidrosiensi, monachis quæcunque desiderare queas subvehentes, quæ deinde
,, tum piscibus vento & frigore induratis, tum ferarum varij generis pellibus illi permu-
,, tant. Unde fit ut suppetant ipsis ligna, quæ foco imponant; opera ex ligno fabre-
,, facta, frumentum, & panni quibus se vestiant: desiderantibus omnibus nimirum vicinis
populis

populis merces suas piscibus pellibusque commutatas; monachis autem, citra laborem atque dispendium, consequentibus, quæcunque libet. confluunt in Cœnobium, fratres è Norwegia, Suediaque & aliis mundi plagis, & potiorem tamen eorum partem Islandicis insulis ferunt acceptam. In portu multæ semper existunt naves, quæ, quod gelu constrictum sit mare, anchoram solvere nequeunt, & æstatem, dum degelet, præstolantur; piscatorum lembi, ea fere sunt forma, radij quibus utuntur textores, & acceptas piscium, è quibus eas efformant, pelles, una cum aliquot eorundem piscium ossibus, ita inter se consuunt complicantque ut mirandum sanè auditu sit, quam firmi securique lembi existant. Tempestatibus pressi, includunt se illis, & undis ventisque ferendos permittunt, nullo vel naufragij vel suffocationis metu, quod si in terram forte impingant, inconcussi adversus complures ictus subsistunt. In fundo autem manicam habent, quam mediam nautæ colligant, & subeunte in navigium aqua, alterius medietatis ansâ corripiunt, duobusque firmiter compactis lignis, supernè quidem claudunt, infra vero vinculum illud laxant, & sic aquam emittunt, quod ipsum quoties usus postulat, nullo negotio & citra periculum usurpare solent. Cæterum aqua illa Cœnobij, quod sulphurata sit, in præfectorum cubicula tubis quibusdam, æreis stanneisve, vel & lapideis derivatur, ita calida, ut tanquam hypocaustum aliquod locum ipsum tepefaciat, nec fœtorem tamen, aut graveolentiam ullam inducat. Derivant insuper alterum aquæ salientis genus, per murum subterraneum in mediam aream, sive impluvium, ubi ne congelascat, ingens ex ære est receptaculum, in bullienti fonte collocatum, atque hoc pacto aquam, & potui simul & hortulorum irrigationi abunde tepefactam sufficientem, & ex uno hoc monte eas omnes commoditates capiunt, quibus ne desiderare quidem majores queas, nec aliud magis boni isti patres curant, quam ut hortos habeant pulchrè excultos; ædificiaque non commoda minus quam bella. Qua in re nunquam desunt iis bona ingenia, hominesque industrij, ut qui prolixè omnibus satisfaciant, ac largiter donent, imo verò in eos, qui aut fructus, aut semina rariora ipsis adferunt, supra modum sint liberales. Unde fit ut ingens huc operarum & artificum sit concursus, quod videlicet lucrum satis sit luculentum, & exiguo sumptu hic vivatur. Monachorum plerique, ac speciatim præfecti lingua utuntur Latina. Atque hæc ea sunt, quæ de Engrovelandiæ nobis comperta. de qua terra hæc omnia tradit Nicolaus, nominatim vero de littore, quod ipsemet detexit, prout videre est in tabula à me delineata. Tandem verò cum perferendis asperrimis hujus tractus frigoribus par non esset, ægrotare cæpit, & paulo post in Frislandiam reversus, vitam cum morte commutavit, duobus in patria superstitibus filiis, Joanne nimirum, & Thoma: ex cujus filiis Nicolao quidem natus est postea, clarissimus ille Cardinalis Zenus, Petro verò quotquot hodie vivunt Zeni. Nicolao autem nostro peregrè vita functo successit Marcus Antonius frater, cui, etsi variis modis id tentanti, pluresque libellos supplices offerenti, non contigit tamen ut in patriam sit reversus. Zichinni enim alti spiritus & ingentis animi vir, cum omnino decrevisset maris sibi imperium comparare, Marco Antonio hunc in finem uti voluit, cui cum navibus aliquot occasum versus velificandi partes imposuit, quod nempè à piscatoribus suis eâ in plaga retectæ essent insulæ opulentæ & cultoribus plenæ. Quam ipsam retectionem in epistola quadam sua ad Carolum fratrem hunc planè in modum recenset Marcus Antonius, nisi quod priscas quasdam voces, & stilum leviter immutaverimus, materiâ prorsus intactâ.

Lemborum forma & ratio.

Nicolai Zeni in Frislandia obitus.

Zenus Cardinalis.

Solverunt anchoram, annis adhinc viginti sex, quatuor piscatoriæ naves, quæ ingenti oborta tempestate, complures dies variè per Oceanum disjectæ, ac salutis plane incertæ, tandem sedato æstu insulam retexerunt, Estotilandiam nomine, ad occasum vergentem, Frislandia vero mille & amplius milliaribus disjunctam. Ad hanc cum naufragium fecisset una ex quatuor navibus, sex qui in ea coluerant, navales socij, ab insulanis capti, ad pulcherrimam populosissimamque urbem abducti sunt, ejus dominus sive rex, multis ad se vocatis interpretibus, nullum omnino invenire quivit, qui intelligeret piscatorum illorum linguam, uno solo, qui Latine loqueretur, & tempestate quoque eodem delatus esset, excepto. Hic interogatis regio nomine piscatoribus, quinam essent, atque unde venirent, quæ ex ore ipsorum collegerat Regi ordine retulit, qui iis auditis voluit illos apud se manere; Cui mandato cum non obtemperare non possent, quinq; ipsos annos in insula transegerunt, linguam addidicerunt, speciatim vero unus eorum varias insulę partes lustravit, quam ditissimam esse narrat & omnibus rebus abundantissimam,

Marci Antonij Zeni epist.

Islandia paulò quidem contractiorem, sed fertilitate superiorem. Umbilicum ejus occupari altissimo quodam monte, ex quo quatuor manent flumina quæ terram variè rigent. Incolas ingenio multum pollere, & omnibus nostris artibus instructos esse, nec à vero alienum commercia olim cum nostratibus habuisse. Narrat enim vidisse se in bibliotheca regis libros Latinè scriptos, quos nunc incolæ non intelligant. Linguam & characteres habent sibi peculiares, & ab exteris, quos frequentant pelles pretiosas, sulphur, & picem domum referunt. Ad Austrum regionem esse perhibet magnam auro abundantem, & populosam; Triticum serunt, & cervisiam, potus genus, quo pro vino utuntur septentrionales, coquunt. Sylvas habent immensæ magnitudinis, & lateritios ducunt muros. Crebra quoque apud eos opida sunt & Castella, navium quin & navigandi usum habent, magnetem vero ignorant, neque pixidis indicio stellam polarem intelligunt. Unde tanto in pretio nostri apud eos fuerunt piscatores, ut duodecim navium classe Rex eos instruxerit, & Austrum versus in provinciam, Drogium ipsis dictam, contendere jusserit; quo itinere, cum gravissima tempestate percussi, crudelem mortem vix evasissent, in aliam longè crudeliorem proni inciderunt, nam in terrâ capti, magnam partem à ferocibus illis populis devorati sunt, anthropophagis scilicet & carne humanâ nihil suavius esse judicantibus. Unus tamen è piscatoribus, cum piscium reti capiendorum rationem eos docuisset, una cum sociis aliquot evasit incolumis & quotidie tum in mari, tum in fluminibus piscans, quod pisces, quos plurimos capiebat, proceribus subinde donaret, eo ipso tantam sibi conciliavit gratiam, ut amore non minus quam honore omnes eum prosequerentur.

Drogium provincia.

Sparsa piscatoris hujus per populos circumvicinos famâ, ea principem quendam finitimum hominis apud se habendi, & quo pacto mirabilem illam capiendorum piscium artem exerceret, coram spectandi lubido subiit, ut alteri Principi, apud quem is diverteretur, bellum movere non dubitaverit, & cum potentia simul ac virtute superior evasisset, piscator una cum sociis ad ipsum fuerit amandatus. Quem deinde tredecim, quos in partibus illis exegit annorum spatio, ad viginti quinque ut minimum Principes eadem ratione ablegatum fuisse tradit, alio identidem alij, potiundi illius causa, bellum inferente. Unde cum variè semper oberraret ne fixum usquam, nisi ad breve tempus, haberet domicilium, factum est, ut totius illius tractus notitiam sibi compararit. Quem ipsum tractum immensæ magnitudinis esse narrat, & ceu novum quendam terrarum orbem, incolas autem homines rudes, & bonarum omnium rerum expertes, ut qui nudi prorsus incedant, nec ferarum, quas venando capiunt, pellibus amicire se norint, cum interea crudelissima frigora patiantur. Metalli nullam speciem habent, venatu, & ferinâ victitant; hastas ligneas præacuta cuspide gestant, tum & arcus, quorum nervi ex pellibus belluarum sunt confecti. Præferoces sunt, & prorsus efferati, ut qui capitalibus odiis inter se dissideant, & pugna superiores alij alios devorent, Magistratus & leges etsi multum inter se discrepantes, agnoscunt. Porro quo ad Africum propius quis accesserit, eò ob majorem cœli temperiem, majorem quoq; civilitatem apud eos offendet, adeo ut & civitates habeant & templa deastris suis dicata, in quibus humanis hostiis litant quas ipsas tandem deglutiunt, auri atque arg nti usum haud penitus ignorantes. Et piscator quidem noster post tot annorum in hoc tractu moram, in patriam, si qua posset redire statuit. Socij vero omni eam revidendi spe destituti faustum illi & fælix iter precati sunt, ipsi in illo tractu substiterunt. Quare Deum iis precatus propitium, per sylvas & salus *Drogium* versus contendit, & a principe vicino, qui & hominem norat, & cum altero magnas gerebat inimicitias, peramanter habitus, prolixèque acceptus fuit. Atque hoc modo per easdem quibus venerat, regiones reversus, post longum tempus & gravissimos labores *Drogium* tandem pervenit. Hic cum totum triennium habitasset, naves aliquot ad littus appulsas, forte fortuna ex indigenis intellexit. Quocirca bona spe ratus, fore ut pulchrè consilia sua succederent, ad mare progressus, post interrogatos, unde domo essent, nautas, magna cum animi voluptate, ex Estotilandia eos esse intellexit, cumque vectores inter suscipi se rogasset, libenter fuit admissus, & quod linguam terræ illius calleret, nec alius esset qui Estotilandicè loqueretur, pro interprete eo sunt usi. Unde confecto cum illis itinere luculentas sibi paravit opes, & instructa propriis sumptibus navi in Frislandiam est reversus, cujus principi retectæ divitis illius terræ nuntium attulit, eo successu, ut tum propter nautas, tum ob alia multa nova quæ, quod adstruit, verum esse confirmant, in omnibus ipsi adhibeatur fides. Quam ob causam statuit iste princeps

me

me cum inſtructa claſſe in partes illas amandare, cui itineri tam multi ſunt qui ob novitatem rei, ſua ſe ſponte accingunt ut citra ullum Reipublicæ diſpendium, potentiſſimos nos futuros exiſtimem. Hactenus litteræ ſupra mihi citatæ, quas eum in finem exſcripſi, ut intelligatur alia quędam expeditio à *Marco Antonio* ſuſcepta. Qui cum magno navium, majori autem hominum numero, anchoram ſolvit, etſi archithalaſſi, quem ſperaverat, titulo non ornatus, quod videlicet ipſe *Zichinni* expeditioni voluerit intereſſe. Habeo autem epiſtolam penes me ſuper hoc itinere, ſic ſonantem, Magnus noſter in Eſtotilandiam apparatus malo augurio fuit inceptus. Triduo namque ante noſtrum diſceſſum obiit is piſcator, quem ducem nobis futurum ſperaveramus. Nec deſtitit tamen ipſe princeps ab inſtituto itinere ſubſtitutis in locum mortui piſcatoris, qui nos ducerent, aliquot nautis, cum ipſo ex inſula illa reverſis. Atque hoc modo occaſum verſus navigare occepimus, & inſulas quaſdam *Frislandiæ* ſubditas, nec non ſyrtes aliquot prætervecti, *Ledovum* appulſi ſumus, ubi & nos ipſos refocillandi, & claſſem rebus neceſſariis inſtruendi gratia ſeptem dies ſubſtitimus. Hinc digreſſi ipſis Calendis Juliis *Floſam* inſulam ſumus delati, ubi, quod proſpero uteremur vento, ne momento quidem morati, perreximus porro & in vaſtum pelagus ſumus provecti, ubi non multò poſt adeo ſpurca tempeſtas nos obruit, ut octo ipſos dies cum ea colluctati, varieque diſjecti neſciremus tandem in qua mundi plaga verſaremur, navibus magnam partem amiſſis. Tandem vero ſedatis jam ventis, & tranquillo mari, quæ diſperſa erant navigia, coadunari cæperunt & nos ſecundo vento navigantes, terram ad occaſum conſpeximus, ac velis eò converſis ad portum delati ſumus tranquillum ac tutum, mox autem infinitam pene hominum armatorum, tantum non ferocientium multitudinem inſulæ propugnandæ cauſa, ad littora confluxiſſe conſpicati, ſignum pacis, jubente *Zichinni*, prætendimus. Inſulani eo conſpecto, decem ad nos miſerunt viros, totidem linguarum peritos, quorum neminem tamen intelleximus, præter unum Islandum. Is ad principem noſtrum deductus, & quodnam inſulæ nomen eſſet, quique illam incolerent & à quo gubernaretur, rogatus: *Icariam* eam dici reſpondit, & quotquot hactenus ei præfuerant reges, eos Icari nomen ſibi ſumpſiſſe, ab Icaro omnium primo, Dædali regis Scotorum, ut creditur, filio; qui ſubjugatam inſulam filio ſuo regendam tradidit, iiſdem planè legibus nunc uterentur, quo facto cum ulterius porro navigare vellet, ingens oborta tempeſtas hominem ſuffocavit: de cujus morte, & mari inditum nomen Icario, & ſecuti reges Icari dici cæpti. Quia vero ſuæ huic conditioni, ſibi à Deo oblatæ lubentes ipſis acquieſcerent, nec à majoribus legibuſque ſemel receptis vel latum unguem diſcedere vellent; propterea hoſpitem nullum à ſe admitti, & principem noſtrum rogatum velle, quas ab illo piæ memoriæ rege accepiſſent, & hactenus obſervaſſent leges, eas nollet infringere. Id enim abſque manifeſta ſui ipſius pernicie, facere illum non poſſe, ipſis nimirum omnibus ad unum paratis mortem ſubire, quam ut uſu illarum priventur. Sed enim, ne ab omni prorſus aliorum hominum commercio abhorrere viderentur, orationem hac clauſula finierunt, libenter ſeſe unum aliquem ex noſtris hominibus admiſſuros, & inter inſulæ proceres allecturos: idq; linguam tantum & mores noſtros diſcendi cauſa, quibus legibus etiam decem illos admiſiſſent, & totidem ex aliis orbis terræ provinciis, ad hanc inſulam ſuam delatos. Nihil ad hæc reſpondit princeps, ſed miſſis, qui oportunum aliquem portum quærerent, ac ſimulato diſceſſu inſulam undiquaque cinxit & cum omni claſſe portum, ab ortu ſibi commonſtratum, plenis velis invectus eſt, in quem cum deſcendiſſet, nautæ, quanta fieri potuit celeritate, lignatum ſimul & aquatum profecti ſunt veriti ſcilicet ne ab inſulanis invaderentur; neque vanus fuit hic metus: ſiquidem proximi accolarum, excitato igni & fumo, ſignum aliis facere: hi vero armis & ſagittis inſtructi, eo adverſum nos numero ad littus confluere, ut multi è noſtris caderent, & non pauci vulnerarentur: neq, proderat pacis ſignum prætendere, nam ipſi tanquam pro aris & focis pugnaſſent, magis magiſq; efferabantur. Quare & diſcedere ſumus coacti, & inſulam magno ambitu circum navigare nuſquam deſcendentes in terram, niſi innumera hominum armatorum multitudine ſtipati. Atq; hoc modo aquilonari inſulæ promontorio ſuperato, in brevia & ſyrtes incidimus, juxta quas ad decem continuos dies, in maximo fuimus amittendæ claſſis diſcrimine, niſi quod, propitio nobis Deo, ſudum ſemper ac ſerenum fuerit cœlum. Ad orientale igitur promontorium hinc provecti, obſervavimus inſulanos per montium ſummitates, & maris oras obambulantes, oculos nuſquam à nobis demittere, ſed infeſtis clamoribus, & ſagittarum ictibus, eundem erga nos hoſtilem & efferatum animum, eminus licet, magis magiſq; oſtendere. Quocirca

Frislandia.
Ledovum.
Floſa.
Icaria.

ſtatuimus in tuto aliquo portu ſubſiſtere, & Islandi illius colloquium denuo flagitare. Sed non ſucceſſit conatus. Nam populus ille non multum à beſtiis deſcrepans, arma nunquam poſuit, certi omnino ſicubi pedem in terra fixiſſemus, nos adoriri. Unde factum ut Zichinni, cum nihil ſe profecturum, imo vero ſi animum illum in propoſito diutius obfirmaſſet, commeatum claſſi defuturum eſſe proſpiceret, proſperum nactus ventum, caſtra movit, & ſex ipſos dies in occaſum contendit. Sed enim vento in Africum commutato, & invaleſcente hinc mari, ipſa claſſis quatuor dies flatu ſecundo ferri, & terram tandem conſpicere, ad quam tamen non ſine metu acceſſimus, quod nimirum & tumidum eſſet mare, & terra nobis prorſus incognita. Verum adfuit Deus, & elangueſcente vento, malaciam nobis conceſſit. *Ita ut ſociorum nonnulli cymbis ad littus appulſi in terram deſcenderint, nec multo poſt reverſi ſumma noſtra cum voluptate, optimam ſeſe terram, portum etiam meliorem inveniſſe, renuntiarint. Quo audito & navibus remulcatis, omnes in terram deſcendimus, & portum ſanè bonum ingreſſi, montem fumos ejaculantem procul conſpeximus. Unde ſpes nobis infecta, forè, ut aliqui ſaltem homines in inſula invenirentur: quamvis autem longiuſculè mons abeſſet, non defuit tamen Zichinni, centum eò ſelectos milites mittere, qui terram explorarent, & à quibus incoleretur, referrent. Interea vero navales ſocij aquatum atque lignatum ire, piſces, & aves marinas capere, & eorum eam copiam invenire, ut famelicam turbam iis exſaturarent. Dum hic ſtamus, ecce tibi initium menſis Junij, quo tempore, ſupra quàm dici queat temperatum, & mite hic cœlum, ac nobis quidem nec vola, nec veſtigio hominis uſquam conſpecto, ſuſpicio mox oborta, tam pulchram inſulam eſſe incultam, quare portui quidem Trini, promontorio vero in Oceanum prominenti Capitis Trini nomen indidimus; At milites exploratum miſſi, & octiduo poſt everſi, inſulam ſeſe peragraſſe, & montem luſtraviſſe renuntiant, qui quod fumum evomerer, inde adeo fieri, quod in intimis ſuis viſceribus, ingentem aliquem ignem abſcondi præ ſe ferret. Præterea fontem inibi eſſe, ex quo bituminis manaret genus, pici haud abſimile, circum circa verò plurimos habitare ſemi feros homines, in cavernis deliteſcentes, ſtatura exigua, & uſque adeo meticuloſos, ut ad hominis conſpectum illico in cavernas ſuas confugiant, poſtremo etiam flumen eſſe, quod commodum ſecurumque portum præberet. Zichinni his intellectis, locum videns ſalubri, & tenui cœlo, ſolo fertili, & fluminibus irriguo, aliiſq; dotibus luculentum de condendo oppido, & incolis inducendis cogitare cæpit. Verum comites adeo laborioſæ expeditionis pertæſi, tumultuari occipiunt, & reverſionem in patriam flagitare. hyemem namque præ foribus eſſe, quâ ſi opprimi ſeſe paterentur, defuturam ſibi deinceps uſque proximum ver diſcedendi oportunitatem; Quare retentis ſibi iis dumtaxat navibus, quę remo impellerentur, & comitibus ſua ſponte paratis ſubſiſtere, reliquos una cum cætera claſſe retrogredi juſſit, & invito mihi pręfecturæ illorum onus impoſuit. Ego igitur cum detrectare non poſſem, itineri me commiſi, & nullâ planè conſpectâ terrâ viginti ipſos dies in ortũ perpetuo curſu navigavi, deinde verò ad Notum converſis velis, quinto poſt die terram conſpicatus ad Neonem inſulam me delatum vidi, qua agnita Islandiam me prætervectum eſſe cognovi, & ſumptis ab inſulanis, qui Zichinni imperio ſuberant, iis, quæ nobis refocillandis judicabam neceſſaria, proſpero uſus vento intra triduum in Friſlandiam appuli, cujus incolæ ob diutinam quam in itinere traxeramus moram, principem ſuum ſe amiſiſſe rati, ſummâ cum alacritate nos exceperunt.

Poſt epiſtolam hancce nihil ultra mihi occurrit, niſi quod conjectura, quam ex initio alterius cujuſdam epiſtolæ, paulo poſt referendæ capio ſuſpicari ſuadeat, in inſulæ recens inventæ portu oppidum condidiſſe Zichinni, & poſtquam majori ſtudio animum appuliſſet ad eam perveſtigandam, totam, quam latè patet, retexiſſe, eademque opera utramque etiam Engrovelandiæ oram perluſtraſſe, quam in maritima tabula ſpeciatim eſſe deſcriptam video, etſi narratio ipſa perierit. Initium ejus, quam dixi epiſtolæ ita habet: Quod ad cognitionem eorum, quæ à me petiiſti morum ſcilicet incolarum, animalium, & regionum finitimarum, ego vero peculiarem ſuper iis librum conſcripſi, quem mecum me allaturum ſpero, eo egi de regionum ſitu, de piſcibus monſtruoſis, de conſuetudinibus, legibuſque Friſlandiæ, Islandiæ, Eſtlandię, regni Norvegiæ, Eſtotilandiæ, Drogij, & in calce, Nicolai Equitis, fratris mei, vitam deſcripſi, nec non terras ab eo retectas, & res Gronlandienſes, ſcripſi inſuper vitam & expeditiones ipſius Principis, ſiquis unquam alius, ob inſignes virtutes & dotes, immortali memoria digni. Ubi legere erit utriuſque oræ Engrovelandicæ retectionem, tum quæ opida paſſim condiderit. Plura huic epiſtolæ non adjici-

adjiciam, cum brevi nos inter nos, viſuros, & quæ deſunt, deſunt autem quamplurima, viva voce ſuppleturum me ſperem. Atque hæc omnia ad *Carolum* fratrem ſcripſit *Marcus Antonius*; & doleo ſanè hunc librum, & alia multa, ejuſdem argumenti ſcripta, neſcio quomodo, infeliciter periiſſe, ipſe ſiquidem, cum etiamnum puero incidiſſent in manus, nec quid eſſent cognoſcerem, ea, quod pueri ſolent, dilaceravi, maleque perdidi: quod ſine maximo animi dolore recordari non poſſum. At ne pereat tamen tam inſignium rerum memoria, quidquid ad hanc materiam pertinens licuit, id omne ritè & ordine in narrationem hanc contuli, quo in parte ſaltem ſibi ſatisfaciat hoc ſeculum, ſuperioribus quotquot effluxere longè felicius, & (quod tam multis novarum, in partibus quibus minime ſperabatur, terrarum retectionibus ferre debet acceptum) quo pacto terræ prius incognitæ à majoribus noſtris magno animo, nec minori induſtria retectæ fuerint cognoſcendi magis avidum atque ſtudioſum.

DE TERRA LABORATORIS ET ESTOTILANDIA
Additamentum ex Tabulis V. CL. CORNELI VVIITFLIET.

His proxime ſubjungenda, quæ memorat vir clariſſimus *Cornelius Wijtfliet* in Augmento ſuo Deſcriptionis Ptolemaicæ, ſive appellare OCCIDENTIS NOTITIAM libet. Ibi de TERRA LABORATORIS & ESTOTILANDIAE ad eam, quæ jam eſt poſita, Zenorum Navigationem ſpectantia, hæc habet:

Extrema hæc Indicæ continentis pars, inventione omnium fuit prima, quando duobus pene ſeculis, ante Luſitanorum & Caſtellanorum navigationes, à piſcatoribus Friſlandicis, tempeſtate huc ejectis, primitus hanc terræ partem detectam, & poſtmodum circa annum MCCCXC auſpiciis Zichini, Friſlandiæ regis, à Nicolao & Antonio Zenis, fratribus patritiis Venetis, perluſtratam, eorundem Zenorum relationibus conſtat; horum ſagaci induſtriæ, quiſquis es Geographiæ ſtudioſus, debes, hanc Eſtotilandiæ & Septentrionalioris oceani inſularumque interjacentium deſcriptionem: quæ beneficio Zeni ex rectâ ſupra dictorum Zenorum poſteritate prognati, conſervata extractaque ex hydrographica illorum membranâ, Ptolemæi tabulis addita eſt, ut refert *Hieronymus Ruſcellus* in ſuis ad Ptolemæum Commentariis. Secundum detectæ hujus regionis decus tulit *Iohannes Scolvus* Polonus, qui anno reparatæ ſalutis MCCCCLXXVI. octoginta & ſex annis à primâ ejus luſtratione navigans ultra Norvegiam, Groenlandiam Friſlandiamque, boreale hoc fretum ingreſſus ſub ipſo Arctico circulo, ad Laboratoris hanc terram Eſtotilandiamque delatus eſt, multo deinde tempore intentatum hoc nautis manſit littus, dum algentis climatis gelu, aut infeſti maris horrent procellas, haud ſatis dignum ob præmium. Sed poſtquam Luſitani peragratis omnibus Africę littoribus in Oriente, & *Columbus* Catholicorum regum nomine in occidente novas terras invenêre, obortâ inter Hiſpanos & Luſitanos navigatione, cum pro ſe quiſq; certatim Molluccarum poſſeſſionem ſui juris facere contenderet, Gaſpar Cortereaiis anno à nato Chriſto milleſimo quingenteſimo, quærens fretum quod compendio ad aromatum terras duceret, invenit fluvium, cui à multo frigore præjacentibuſq; nivibus, *Nevado* nomen indidit; ſed ingentibus pene frigoribus ſubactus, ad meridiem curſum intendens, totum hunc terræ tractum ad Malvarum uſque promontorium detexit. Repetita deinde ſequenti anno navigatione, aquis hauſtus nuſquam amplius comparuit. *Michael Cortereal is* anno à nato Chriſto M D II, dum fraterno amore fratrem quærit, ad eundem ſinum navigans, pariter & ipſe periit. *Vaſquium* Cortereal em inſanum quoque iter parantem, *Emanuel* Luſitaniæ Rex retinuit. *Sebaſtianus Gabotus* anno milleſimo quingenteſimo ſeptimo, cum nomine Angliæ Regis, per anguſtias ſeptentrionales, ad Cathayam & Sinarum regionem iter intendiſſet, *Baccalearum terras* detexit, enavigatoq; toto hoc oceani tractu, cum ad ſexageſimum ſeptimum latitudinis gradum perveniſſet, hibernis frigoribus, multâq; glacie impediente deſtinatæ navigationis curſum, in Angliam rediit. Cæterum Laboratoris hæc, Eſtotilandiæque ora, montibus aſpera & ſilvis horrida, ingentium omnis generis ferarum multitudine abundat. Fama eſt Gryphos iſtis quoque in montibus reperiri. Indigenæ ingenio docili, linguam & characteres habent peculiares; præterea firma corporis conſtitutione, fortes ac robuſti, venatores ſunt ſtrenui, colore prohibentur eſſe ſubfuſco, non propter impendentes æſtuantis ſolis radios, ſed aut nimio frigore, aut cute herbis infecta: nam cutem hic quoque atratis coloribus barbarorum more depingunt, argenteaſque bullas, aut inaures geſtant. Ferarum morta-

,, martarumque pellibus vestiuntur, hieme corpori obversis villis, domos ligneas constru-
,, unt, quas ferarum quoq; pisciumve pellibus contegunt; piscibus, ut plurimum, victitanr,
,, quorum hîc ingens captura. Auri has quoque feraces esse terras quidam autumant: cujus
,, rei fidem refellere non est animus; dicam hoc tamen; si qua ibi auri fodina fuisset non du-
,, bium, quin continuatis navigationibus tota hæc ora petita, lustrata penitusque detecta
,, foret. Nunc tamen ultra prædictos *Martinus Forbisserus* & *Iohannes Davis* Septentrionalia
,, hæc littora tentarunt, quorum ille anno MDLXXX. hic anno MDLXXXV. MDLXXXVI. fre-
,, tum ad Sinarum populos inquirens, irritâ navigatione in Angliam reversus est. Indos
,, quondam tempestatibus in Suevorum & Germaniæ littora ejectos, testibus Cor. Nepo-
,, te & Mela, Quinto Metello Celeri, Galliæ tum proconsuli, à Suevorum rege dono da-
,, tos, non ex ultimis Orientis aut Occidentis partibus, uti quibusdam visum est, sed ex hac
,, Laboratoris Estotilandiæ, aut vicinis terris venisse constanter teneo, mecumque sentiet
,, quicunque climatis rationem, & præcedentia expenderit. Paulus Jovius antiquis tem-
,, poribus aliquoties ex his partibus in nostram Europam transmigrationes factas, litandiq;
,, humanis hostiis truculentum morem ex hoc orbe in Britanniam, atque inde in Galliam
,, manasse putat; sed ego hoc ut parum verosimile nunc in medio relinquam, ex ingenio suo
,, quisque demat vel addat fidem.

Quibus, inter cetera, verbis posterioribus quod innuat clariss. Wijtflietius sive statuat potius, Indos, qui tempestatibus in littora Germaniç ejecti memorantur ex Cornelio Nepote Melæ Plinioq;, eos non ex ultimis Orientis aut Occidentis partibus, sed ex hac Laboratoris Estotilandiæ, aut saltem vicinis boreç terris venisse, concedi id ac statui quidem hodie nobis possit, quibus illi modò districtus notiores sunt, quàm olim veteribus fuerint. Nam veteres, ut patuit superius, borealem hanc plagam late non modò versus Sarmatiam, quæ Orientem spectat, sed etiam versus occidentem, perviam crediderunt. Ubi nobis nunc notus ingens ille districtus novæ Zembliæ & inde Groenlandiæ hæcque Laboratoris Estotilandia, cui esse non tantùm contigua, sed continua existimatur borealis Americç pars totaque occidua India, novus haud immeritò Orbis nunc dictus, utpote vetustissimis illis plane incognitus, nec fando unquam auditus. Ut ità verisimilius sit, ipsos omnino illos, qui hæc prodidêre, authores ueteres existimasse aut intellexisse hîc Indos Asiæ populos, qui ab illis oris extimoque ac maritimo tractu per septentrionem vi tempestatum abrepti in Germaniam devenerint. Nec verisimile modò ità accepisse eos antiquissimos, sed vero esse verius ex ipsis Plinij verbis patet, qui septentrionali circuitu huc appulisse commemorat. Sunt enim verba ejus diserta libr. 2 capit. 67: *Idem de septentrionali circuitu tradit Quinto Metello Celeri C. Afranij in consulatu collegæ, sed tum Galliæ Proconsuli, Indos à Rege Suevorum dono datos, qui ex Indiâ commercij gratia navigantes, tempestatibus essent in Germaniam abrepti.* Et ante Plinium multò idem luculentius eidem huic sententiæ insistens refert, quem diximus, Pomponius Mela. Ità enim habet lib. 3. cap. 5: *Præter physicos Homerumque, qui universum orbem mari circumfluum esse dixerunt, Cornelius Nepos, ut recentior auctoritate, sic certior tradit: testem autem rei Quintum Metellum Celerem adjicit, eumque ità retulisse commemorat: Cum Galliis Proconsul præesset, Indos quosdam à Rege Suevorum dono sibi datos. Unde in eas terras devenissent requirendo, cognosse, vi tempestatum ex Indicis æquoribus abreptos, emensosque, quæ intererant, tandem in Germaniæ littora exiisse. Restat ergo pelagus, sed reliqua lateris ejusdem assiduo gelu durantur, & ideo deserta sunt.*

Jam quod sequitur, eos Indos à Rege Suevorum dono datos Proconsuli Galliarum Quinto Metello Celeri, controverti video quinam illi *Suevi* & *Suevorum* Rex fuerit. Cluverus, Taciti in Germaniâ verbis sinistrè acceptis, ubi legitur, *Hic Sueviæ finis*: & illis item, *majorem Germaniæ partem Suevi obtinent*, Suevos adusque glacialem extendere oceanum cap. 24 lib. 3 antiquæ suæ Germaniæ, & Suevos etiam in Norvagiâ reponere haud dubitavit; non advertens, majorem Germaniæ partem haud esse universam: nec considerans quæ continuè subjungit Tacitus, ità Germaniæ majorem partem obtinuisse Suevos, ut *propriis tamen nationibus nominibusq;* fuerint *discreti*, licet in commune tamen Suevi vocitati sint, scilicet qui intra Germaniam fuerint. Extra etenim eam Cimbros, licet Germaniæ contiguos, nunquam tamen, fatente etiam ipso Cluvero, inter Suevos aut Tacitus aut alius veterum quispiam computavit. & addo etiam Suiones Sitonesque: Plinius eum tractum generatim Scandinauiam, & ex sensu quoque gentis Hillevionum ALTERUM TERRARUM ORBEM appellavit, ut est suo loco superius monstratum. Ubi & errorem istum, Sueuos cum Suionibus Sitonibusq; confundendi, ex pravâ verborum istorum in Germaniâ Taciti,

Lib. 3. cap. 39. pag. 164. v. 53.

Taciti, *Hic Sueviæ finis*, collocatione natum ostendimus. Et præter id docere Lucanus potest Suevorum extremos circa Albim Æstiosque fuisse, cum inquit:

Fundat ab extremo flavos aquilone Suevos
Albis:

Neque aliud quoque velle ipsum liquet Tacitum, qui positis Suevis statim Frisios subjungit, in vita Agricolæ, ubi hæc habentur: *Eadem æstate cohors Usipiorum, per Germanias conscripta & in Britanniam transmissa, magnum & memorabile facinus ausa est*: Et mox: *atque ita circumvecti* (Usipij) *Britanniam, amissis per inscitiam regendi navibus, pro prædonibus habiti, primum à Suevis, mox a Frisiis intercepti sunt*. Quo loci, quid absurdius, quod voluit tamen libro jam indicato cap. 39 Cluverus, quàm eos Suevos in Scandinaviâ seu Norvagiâ reponere? cum circa Albim & Visurgim fuerint, quos & Frisij, de quibus addit, continuò exceperint. Sed de hoc aliàs & alibi uberior dicendi locus erit.

Postremò de Zichino, Frislandiæ rege, quod injicitur, & à Zenis quoque memoratur, notanda quæ habet de eodem *Arngrimus* Jonæ Islandus. Qui & hoc adjicit, ab eo haud unquam bello petitos Islandos, uti nec à rege Anglorum Arturo. Sed ipse videndus libro Crimogææ secundo, sub calcem fere.

REGNI DANICI STATUS POLITICUS. DANIAM ESSE *Regnum antiquissimum, non principatum; nec Imperio obnoxium, contra* BODINUM *asseritur.*

AD gentis instituta primosque reges, quod attinet, si ex iis, quæ jam ante de Cimbris Theutonisque sunt memorata, facere conjecturam libeat, habuère Dani suos olim reges vetustissimos. Nec ad id demonstrandum adferri aut repeti opus, quos Saxo, eumque secuti, recensent aliquot ante Christum natum seculis; in quibus *Danus* primus, ut placet nonnullis, Christo trecentis annis prior fuerit; sed dicere satis sit, quod certis ac classicis authoribus superius patuit, Cimbros scilicet, cum extra suum solum cum Romanis belligerarent, Catuli ac Marij Consulum temporibus, hoc est, nondum in terris nato Servatore, reges habuisse. Quorum qui Cimbris tribuuntur *Bojerix* & *Beleus*, sive, ut scribunt alij *Bolerius* nominatur. In quibus & *Teutobochus* est, Theutonum Rex, & *Viridomarus*, qui à boreali hac quoque plagâ profectus, Rhenum transmisisse seque in Gallias conjecisse refertur, etiam ante Cimbrorum expeditionem. Deinde *Caroli Magni* temporibus & ante ejus ætatem potentissimi hujus tractus reges recensentur: & inter ceteros, qui ipsi *Carolo Magno* negotium facessit, ac sibi ut vero ac genuino Germano deberi Germaniam existimavit, *Gotricus* fuit; alij *Gudefridum* nuncupant. Hujus continuâ præterea nec usquam interruptâ serie adusque reges hodiernos constare prosapiam dubium haud sit. quamvis defecisse in ultimo Christophoro circa annum Christi 1448 pluribus placet. At eam etiam, quæ modò est, regum domus, Oldenburgicam dicimus, quæque primum *Christianum* regiæ familiæ archegum agnoscit, inde originem suosque arcessere natales suo exinde patefiet loco. Regni regimen, cujusmodi & hodie animadvertitur, ità est temperatum, ut inter monarchicum & principatum veluti intermedium, monarchiæ tamen persimile fuerit, cum Regum electio non nisi ex regiâ sit facta familiâ; & omnis penes eosdem, quemadmodum & hodiè, constiterit auctoritas. Adeo ut qui adsertum velint, inter quos Johannes Bodinus, Daniæ non reges, sed principes potius esse, *Lib. 1. de Rep.* nec habere jura majestatis, quod peculiaria aliquando pacta inter nobilitatem & regem *94.* ante ipsam inaugurationem præter solennia sacramenta intercesserint; illis sciendum, ea cum momentanea fuerint, & in arbitrio cujusque posita, nihil derogare regiæ potestati. Nam ad jura juranda, quibus justitia & salus reipublicæ consistit, priusquam initientur, adigi reges ex usu ac statu cujusque imperij habetur. Nec in ipsis Gallis aliter fieri aut obtinere Bodinus inficias iverit: cum à solo Rhemensium pontifice, præsentibus populo ac proceribus inaugurati reges in regni statuta legesque jurent. Sic & Sueciæ reges, qui olim haud aliter quam Daniæ reges electione sumebantur, nunc verò hæreditarij habentur, legibus tamen tenentur, inque coronatione jurare solent se religionem Christianam majorumque constitutiones servaturos, nullasque novas vel extraneas leges sine statuum consensu

consensu laturos introducturosque. Et Nobilitatis quoque privilegia sarta tecta habituros: Eaque si violaverint, subditi à fidelitatis juramento, quod ipsi vicissim dixerant, se exemptos putant, & alium regno commodiorem, ex eadem tamen familiâ, regem constituunt.

Nec concedendum eidem Bodino, aut illa ejus verba libro I de Republica, Sectione III, admittenda, ubi inquit: *Consimiliter Daniæ reges, qui etiam Norvegiæ partem possident, jura majestatis sibi vindicarunt; quod quam verum sit, prius exposuimus. Holsatiæ tamen agrum, regno finitimum, imperij Germanici beneficio habent; & antea quidem Daniæ regnum imperij Germanici feudale beneficium exstitit; ipsique Daniæ Duces in fide Germanorum permanserunt, non modo Lothario imperante, cui Canutus Daniæ Dux, fidelitatis obsequium præstitit: sed etiam Frederici I imperio qui primus omnium Petro Duci Daniæ regia stemmata dedit, ac regia potestate beavit: iis tamen legibus, ut in fide ac obsequio imperij Germanici perpetuò maneret; sed posteri tandem ab imperio desciverunt.* Nam primo jura majestatis, ut modò indicatum, non minus quàm Galliæ aut alij Europæ reges Dani habent. nec ullo pacto probari potest Daniæ unquam regnum imperij Germanici beneficium exstitisse. Nam de Duce Canuto quod dicitur, is non Daniæ, cujus haud unquam Rex fuit, sed Obotritorum ac Vandaliæ districtuum nomine fidelitatis obsequium Imperatori Lothario præstitit. Daniæ autem Ducem quod vocet, & *Petro* quoque, Duci Daniæ, regia stemmata ab imperatore *Frederico* Barbarossæ cognomento, primitus data dicat, erroneum similiter est, cum Daniæ nulli unquam ut Duces præfuerunt, & *Petrus* ille perperam ab Othone Frisingensi ità nominetur, & mox Frisingensem sequutus Trithemius, & hunc Bodinus, errorem errore cumularit. Res autem sic habet: Erico Lam, Daniæ rege, humanis exempto circa annum Christi MCXLVII, ut est à nobis suo superius loco enarratum, de regio invicem diademate obtinendo concertarunt *Canutus* & *Sueno*; Sueno inquam qui Gratenhede postmodum dictus. Estque hic idem, quem perperam, de quo dixi, Frisingensis, *Petrum* nominat. Eratque ille *Magni* Gothorum regis, hic verò regis Danorum *Erici* Emundi filius. Canutus aliquoties à Suenone superatus ac Daniâ postremum exclusus, ad Cæsarem *Fredericum Barbarossam* se recepit: eumque veluti extremum præsidium ac sacram anchoram amplexus sibi de eo, utpote communi Germaniæ pacatore, omnia summa pollicebatur. Nec deerant ingentia promissa, quibus allicere imperatorem ac dicto audientem reddere poterat, dum se, præter alia, in ejus beneficio patriæ procurationem, cunctaque ad ipsum relaturum identidem promittit. Itaque Augustus proferendi imperij studiosus confestim ad Suenonē, quo olim juvene ipse ejusdem ætatis in aula imperatoris *Conradi*, dum unà stipendia faciunt, familiariter atque amicè usus fuisset, nuncium mittit, oratum ut se invisat, esse de quibus cum eo conferre cupiat, sed & veteris præsertim amicitiæ nomine, tum ipsius post intervalla videndi ac salutandi desiderio, hoc ipsum seriò petere; adjiciens semet propius adcurrere voluisse, nisi præpedivissent imperij negotia. Sueno tam honorificâ ac benignâ Imperatoris compellatione invitatus, assumpto sibi, præter ceteros, *Valdemaro* ad Imperatorem Mersburgum Misnorum, quo tum fere totius Germaniæ nobilitas confluxerat, magnâ cum apparatus majestate profectus est. Cumque ad urbem pervenisset à Cæsare primò amanter habitus, mox æmuli sui Canuti altercationibus involutus haud per omnia facta promissis respondentia deprehendit. Cæsar enim pacis conditiones, quibus parere utrumque sub pœnâ læsę majestatis cupiebat, ejusmodi proposuit, ut *Sueno* Imperatorem recognosceret, *Canutus* verò sepositâ regni spe Suenonis militem agens beneficij loco Sælandiam acciperet. *Sueno* in re tam ancipiti parendum aut periclitandum videns, simulatâ assensione, paterna bona, quibus in Sęlandia frueretur, se excipere referebat, ne scilicet à pactis resiliendi in omnem eventum deesset occasio. At in regnum mox regressus, è vestigio literas ad imperatorem mittit, quibus pactiones cum eo initas, ut fide minus bonâ transactas, & in quas nemo ante se regum concesserat, eatenus rescindere significat. Ex quibus liquere sat potest, tantum abesse ut posteri Suenonis, quod vult Bodinus, ab imperio desciverint, ut ne ipse quidem Sueno imperij unquam jussa capessierit, aut ullum ab eo regium stemma seriò susceperit: cum ejus jam ante majores Daniæ reges fuerint, nec imperio uspiam obnoxij. Et licet id non simplice exinde vice tentarit idem *Fredericus*, cum & *Valdemarum* atque inde ejus filium *Canutum* Danorum reges imperio innectere satageret, nihil tamen obtinuisse constat. Et, inter cetera, cum anno Christi MCLXXXIV per Thuringiæ Marchionem *Suffridum* id identidem ageret, responsum imperator tulit, ferente illud Lundensium antistite *Absolone*, Danicâ libertate dignum, Cæsari scilicet *Canutoque* æquum regnandi jus

esse,

esse, nec minore libertate hunc Danici regni, quam illum Imperij Romani gubernacula continere, ut est à nobis suo superius loco memoratum prolixius. Nam & ante cum idem Barbarossa amicè ad se invitatum *Canut* jam dicti parentem *Valdemarum* imperio item obsequentem reddere Mediomatrici conaretur, causam regis Danorum regnique Danici agente apud Cæsarem luculenter eodem Absalone, frustra similiter Cæsar fuit. Quin & regem tum quoque Francorum *Ludovicum* ad eadem Comitia evocando haud aliud agitare visus fuit. Sed ab eo quam valre elusus Imperator fuerit, apud Helmoldum est legere. & nos quoque superius ad annum 1162, de *Valdemaro* loquentes, nonnihil eadem occasione injecimus. Ut ita Bodino si conatum & votum Imperatoris interpretari pro facto libeat, ulterius progredi habeat, & alia quoque liberrima regna imperio aliquando obnoxia efficiat. Et ausus est scribere circa annum Christi 1139 *Conradus* Imperator, enarrans imperij sui statum, sibi non Angliam modo & Daniam, sed Hispaniam quoq; & Franciam dicto obedientem haberi. Cujus epistolæ ad *Iohannem Constantinopolitanum* imperatorem exemplar apud Othonem Frisingensem servatur, ubi, præter cetera, hæc legas: *Ad hoc Francia, Hispania, Anglia, Dania cæteraque regna imperio nostro adjacentia, quotidianâ legatione sua, cum debita reverentia & obsequio nos frequentant, ad ea quæ imperij nostri mandata sunt, se prompta esse tam obsidibus, quam sacramentis affirmantes.* Nunc Ordines seu status totius reipublicæ inspiciamus.

ORDINES seu STATUS REGNI DANIÆ NUMERO QUINQUE.

I. Rex regisque familia.

PRimus ordinum Rex est Regisque familia. Hujus primogenitus filius regno destinatus, electusque communi Senatorum suffragio, *Princeps* appellatur. Ceteri fratrum, titulo Ducum atque hæredum regni Norvagiæ, quod hæreditarium habetur, vulgò nuncupantur.

II. Nobilitas.

Secundus Ordo Nobilitatis est. Inter nobiles autem nulli Duces, Comites aut Barones censentur. quamvis olim, quod ex historiâ cognoscitur, non Comites modò, sed & Duces dynastæque fuerint, cum, scisso per partes regno, alius aliud sibi territorium vindicaret: quos tamen fuisse non tàm nobiles quàm regum familię quàm proximè agnatos, aut ei per connubia innexos eadem docet historia. Interim ipsi nobiles longâ majorum serie nobilitatem demonstrant; Clypeos insigniaque gestantes, quæ mutare vel augere antiquitati eorum ac splendori esse dedecori existimant. Superfuut hodieque familiæ, quæ adfuisse transactioni inter *Carolum Magnum* & *Hemmingum* Danorum regem super Eidoram fluvium factæ putantur, ut *Vren* & alij: Meminit & Saxo Grammaticus *Tottiorum Oxiorumque*, annos ante quadringentos, & quod excurrit celebratorum. Possident nobiles bona sua cum jurisdictione capitis majori minorique. Liberam etiam habent venandi aucupandique potestatem suis in bonis, quemadmodum in Germaniâ Comites. Bona ipsorum non feudalia, sed hæreditatis seu, ut vocant, allodialia sunt.

Bonorum Nobilitatis divisio ac ratio.

Castra prædiaque ac bona omnia, tam mobilia, quàm immobilia, à parentibus relicta æquè dividuntur inter fratres: ad ea sorores etiam admittuntur ex singulari privilegio, ità tamen ut frater duas partes, soror verò tantum accipiat unam, filiisque Arces ac Castra cedant. Sic ad primogenitum devolvi prædia non omnia, sed tantum æque divisa possunt.

Est & salutaris in Regno Constitutio, quâ bona immobilia sibi ære comparare à Nobilitate Rex prohibetur: ne forte inter regem hac de causâ & regni proceres lis ac dissensus oriatur. & emere Rex velit, quæ vendere nollent Nobiles. Proinde per hanc constitutionem huic rei à proceribus Regni optime provisum est. Licet interim Regi permutare bona cum Nobilitate. Contra nobilibus nulla bona tamen emere à regiis rusticis. Habent enim rustici nonnulli bona hæreditaria & propemodum libera.

Ex Nobilitate Senatores regni.

Ex ordine Nobilium eliguntur *Senatores* Regni, quorum numerus 28 rarò excedit. Eis omnibus decreta honesta alimenta à Rege & Regno. Singuli enim Arces regias habent, quandiu Senatoriam obtinent dignitatem de quibus Regi nihil contribuunt, sed tantum equites aliquot alere pacis & belli tempore, &, à Rege quandocunque evocantur, ei propriis impensis intra regnum præsto adesse tenentur. Si legati extra Regnum ablegantur, honeste illis providetur ex fisco, ut tanquam Regij legati principum more ubivis agant. Reliqua nobilitas etiam suam habet honestam à Rege sustentationem, sive in aulâ Regiâ vivant,

vivant, sive ab eâ discedant. Sunt enim Regi prædia, quæ Danico idiomate **berlehninge** sive beneficia vocantur. His prospicere pro more solet bene de se regnoque meritis, ad vitam aut ad annos aliquot. Ex horum prędiorum proventu tenentur paratos habere equites aliquot, & fisco etiam Regio certam pecuniæ summam quotannis dependere: ea tamen more modoque, ut ipsi pro labore ac famulitio domestico aliquam sibi commodi partem retineant.

Magister Aulæ. Ex eâdem præterea Nobilitate eliguntur *Præfectus* sive *Magister Aulæ, Marischallus, Admiralius, Cancellarius Regni, Cancellarius Regis, Ærarij Præfectus.* Quorum *Aulæ Magistri* officium fere est tale, cujusmodi olim Majoris domus in Gallia. Is, ut plurimum, Haffniæ agit, tanquam Regis vicarius, res à Rege sibi demandatas suâ curâ ac studio exequens. *Marischalcus.* Deinde *Marschalcus* tempore belli & pacis, ea quæ ad expeditiones pertinent, procurat. *Admiralius.* *Admiralius* naves ædificat, veteres restaurat, & ea singulis annis ordinari ac fieri curæ habet, quæ ad Oceanum tutandum resque nauticas disponendas pertinent. Habet & is sub se constitutum subalternum *Admiralium*, & in navibus singulis præfectum ex equestri ordine. *Cancellarius Regni.* Ad *Regni Cancellarium* ex omnibus provinciis atque insulis appellari consuevit: à quo ad Regem & Senatum regni appellatio vicissim devolvitur. Sunt enim divisæ provinciæ singulæ in sua territoria, seu diœceses, quæ *Herret* vocantur; sub quibus parochiæ perplures habentur. Ibi primùm de jure disceptatur, si rixæ fuerint invicem ortæ. Hinc, si necesse fuerit, appellatio instituitur ad terræ sive territorij ejusdem Iudicem. Deinde ad Regni Cancellarium, postremò ad Regem ac Regni Senatores: ibi ultima ac decretoria sententia promulgatur. Habent indigenæ jus scriptum, à *Valdemaro* I, episcopis ac regni Senatoribus primitus congestum; atque inde variè ab eorum successoribus per Recessus, ut vocant, vel restrictum vel auctum. Est hoc ipsum jus legi naturæ valde congruum, nec à legibus Romanis admodum discrepans, nisi quod populari ac vernacula linguâ constet, omniumque intelligentiæ pateat. Unde & lites multò citius, quàm alibi, finem assequuntur, lataque sententia paratam habet executionem. Primi judices si iniquam tulerint sententiam, in dimidiam partem bonorum condemnantur, quorum dimidia Regi, cetera pars læso sententiâ injustâ cedit. *Cancellarius Regis.* *Regis Cancellarius*, qui plerumque in aulâ Regi adest, habet sibi adjunctos VII vel VIII ex nobilitate, ut secretarios & scribas. Omniaque per eum Regis nomine negotia quotidie pertractantur. Ei ob summam dignitatem atque interiorem ad regiam majestatem inque negotia regia admissionem summus honos tribuitur, & ut plurimum, *Magnus Cancellarius* nuncupatur. Si quid tamen majoris momenti inciderit, ut de pace aut bello deque fœderibus ineundis, vel de finibus defendendis, eâ occasione concilium universi senatus à Rege cogitur. Nec ullum Regno tributum aut onus imponitur, uti nec Rusticis, absque Senatorum ac procerum consensu. *Præfectus ærarij.* *Ærarij Præfectus* omnes totius regni reditus, tam castrorum, quam prædiorum, nec non telonia, cum in mari, tum terrâ colligit, rationes audit, examinat, inquirit, apochas sive quitancias pecuniam offerentibus reddit. Hinc adjuncti sunt duo ex nobilitate & scribæ ex plebe plures. Ei laboris ac curæ hujus nomine annuum salarium est designatum. Pręter ærarij regium hunc Præfectum, sunt & alij à Rege constituti vectigalium præsides, qui ærariis ac teloniis aliis ac seorsim colligendis curant. *Teloniorum præfecti.* Et, inter cetera, habent fere trajectus singuli ejusmodi, quos vocant telonarios. Et in his pręcipue eminet nauticum telonium, quod Helsingoræ ad Zuntæ fretum est collocatum. Cujus, ut & aliorum, non tam ex Nobilitate, quàm ex optimatibus aliqui, aut quibus id regia majestas meriti loco aut aliàs indulserit, curam gerunt.

III. Status Ecclesiasticus. *Tertius* est status Ecclesiasticus, in quo Episcopi septem, ut Archiepiscopus *Lundensis*, Episcopus *Roschildensis, Othoniensis, Ripensis, Wiburgensis, Arhusiensis* & *Slesvicensis*, ad quem ceteri etiam Canonici referuntur: His regni decimæ cedunt, quæ tamen in provinciis diversis diverso modo se habent. Dimidiam partem decimarum percipiunt episcopi, dimidiam Rex, aliquam Canonici & Pastores, pars etiam ædificandis aut reparandis ecclesiis tribuitur. Et quantum ad jus pontificium attinet, semper in Dania, quemadmodum & in Gallia, collationes prælaturarum atque episcopatuum penes Reges fuêre. Et huc præcipue *Valdemari* III Danorum regis responsum spectat: Cum enim Romanus pontifex, ut est ad annum 137. superius injectum, à Rege hæc & similia postularet, rescripsit in hanc sententiam: *Vitam habemus à Deo, regnum à subditis, divitias & nobilitatem à parentibus, religionem à tuis prædecessoribus, quam si nobis invides, remittimus per præsentes.*

Quemadmodum verò *Caroli* quinti Imperatoris rescriptum laudatur, quo inhibentur ecclesia-

ecclesiasticæ personæ rem ullam immobilem coemere absque principum consensu: ità *Christianus* tertius æque prudenter constituit, ne ecclesiastici aliquid divendant absque expresso regis mandato. Alioqui singulari cura per regnum universum provisum est omnibus, qui suam ecclesię operam addixerunt. Et scholę quoque particulares multis in locis erectæ, veluti seminaria ecclesiæ & Academiæ quoque, quæ unica est, regno universo communis, Hafniensis scilicet. Habet & ultima terrarum Islandia suas scholas seu literarios ludos, qui utriusq; Episcopi Holensis & Scalholtensis ædibus quam proxime sunt adjuncti. Fuit & nuper ibidem, hodieq;, ni fallor, est officina typographica. ex quâ typis descripta biblia Islandico idiomate annis superioribus prodierunt. Academia verò, de quâ dixi, quamvis actitatum de ea constituendâ sub Erico Pomerano, tamen fundata demum est, rerum potiente Christiano primo, pontificatum Romæ tenente Sixto IV, cum annus flueret Christi 1478. Eam exinde *Fredericus* II, licet bello Suecico septennali implicitus, locupletavit nihilominus & ejus proventus sexaginta thalerorum millibus adauxit.

Quartus status est civium & Mercatorum, urbes ac municipia passim habitantium. Sunt his propria sua privilegia, quibus seorsim frui ipsis concessum. Attributi quoque agri ac latifundia propria silvæque limitibus circumductæ. Hi in pagis perque maria in omnibus Europæ partibus mercaturam exercent. Ex his, non exclusis etiam rusticorum liberis, eliguntur Episcopi, Canonici, Pastores & Senatores urbium, Scribæ in castris & arcibus regiis ac nobilium, magistri item ac gubernatores navium, aliqui etiam præficiuntur telonis: Judicia denique omnia minora ex his constituuntur, præside interdum uno ex Nobilitate. *IV. Cives.*

Quintus status est Rusticorum. Horum duo sunt genera. Primum vocatur, **Frybunder**/ id est, liberi coloni. Hi agros possident hæreditarios, paululum tamen inde singulis pendunt annis. Exercent iidem mercaturam etiam ac piscaturam. Servitiis præstandis non opprimuntur, nec tributa pendent, nisi consentiente regni senatu. Alterum genus eorum est, quibus non sunt bona hæreditaria, sed à Rege, Nobilibus aut ecclesiasticis personis ea conducunt. Unde & varia dominis suis præstare officia servitiaq; tenentur, prout cum domino latifundiorum convenerint. *Rustici.*

Ex his liquere sat puto, regni Daniæ politiam peroptime constitutam: dum ità sit libera regis electio, ut ea non nisi ex regiâ familiâ perficiatur. Unde & rarissime inter Danos bella intestina aut dissensiones exortæ: & si quæ talia extiterint, ea interventu nobilitatis ac procerum citissime composita conticuere, pręsertim cum ad regum liberos nulla regni pertineat portio. Et nobiles quoque sedato cupidine agant, utpote inter quos, haud existentibus Baronum, Comitum ac Ducum titulis, prærogativæ nullæ aut eminentiæ sint, nec tantis quispiam affluat facultatibus, ut iis fisus se regum familiæ opponat, cum & paterna singulorum hæreditas, ut & ante memoratum, divisione inter filios filiasque propemodum æquali peragatur. Ab hoste quoq; externo, quod sibi magnopere regnum metuat, haud est, modò cum rege subditi, ut domino suo naturali, totaq; respublica unũ agat.

Nobiles denique, licet nec Baronum, nec Comitum aut Ducum titulis, ut indicavimus, gaudeant, *dignitas* tamen ac prærogativa tribui eorum nonnullis, præsertim de republicâ bene meritis, à rege solet quæ *equestris* appellatur: Unde eâ quicunque ornati **Ridders** eorumque liberi ac prosapia, **Riddersmens men** vulgò appellitantur. Latine hos tales *Equites auratos* dicimus. Nec illud modò, sed & his quoq; illud accedit, ut in *ordinem* hunc *auratorum Equitum* adlecti aureo nummo vel torque aureo cum elephanti simulachro castellum gestantis donentur. ità ut imâ torquis parte *Elephantus* affabre in eam speciem elaboratus dependeat. quemadmodum, in more quoque positum Burgundicæ domus principibus *aureum vellus* equitibus à se creatis donare solitis, quorũ primus qui hoc institutum sequutus fuit, *Philippus Bonus* celebratur. & apud Anglos *Garteri Equites* sive *ordo* habetur, quem *Eduardus* tertius eo nomine Rex instituit. Quorum singulorum causę atque occasiones varie ab authoribus referuntur. Apud Danos elephanti donandi ratio atque origo quæ fuerit alias, volente numine, enarrare atq; edisserere luculentius dabitur: nunc, quæ literis hac de re ab aliis sunt prodita, subjicere obiter libuit, sunt verò ejusmodi. *Equites Aurati*

„Est in Daniâ Ordo militaris Elephanti Equitum divę Virgini dicatus, quibus pro tessera est torques aureus ex elephantis, castella tergo ferentibus, & calcaribus, quę Equitum proprie sunt insignia, interpositis connexus, appensâ inferius effigie Dei genitricis Solaribus radiis circumdatę, cui rursus orbicellus aureus tribus clavis insignis, certoque literario emblemate inscriptus, symbola omnia Christianæ pietatis & Equestris dignitatis *Equitum Elephantii ordo.*

Ttt annectun-

annectuntur. Cujus quidem instituti leges & à quo conditas, rescire hactenus non est datum. Vidimus tamen non rarò Regum Danorum insignia (quæ tres leones viridis coloris, Leopardos feciales nuncupant, in campo aureo lachrimis sanguineis, seu cordibus humanis seminato, præferunt) ejusmodi cingulo seu torque, uti hîc exhibemus, exornata, & apud armorum reges tali facie, inter Principum insignia est reperire. Fecit & nobis copiam aurei nummi Franciscus Bergius vir munditiæ & elegantiæ in omni vitâ assuetus, & insigni nummorum antiquorum suppellectile, aliisq; prisci ævi monumentis instructus, quo in pulvere viri Principes, uti quondam illustrissimus Princeps Carolus Dux Croyus & Arschotanus, & etiamnum nobilissimus vir Nicolaus Roccoxius, non tam splendore natalium quàm consulari Antverpiana in urbe dignitate multisque virtutibus clarissimus, aliique desudant heroes. In cujus nummi anticâ parte videre licet effigiem moderni Regis Daniæ cum hac inscriptione: *Christianus IV D. G. Dan. Nor. Vand. Goth. Rex.* præfert enim is in publicis tabulis Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum & Gothorum Regis titulum; ab altera verò *Dux Slesv. Holsi. Storm. & Ditmars. Comes in Oldenb. & Delmenb.* cui præter tredecim diversorum regnorum & principatuum Imperii Danici expressorum insignia, insunt arma gentilicia, Daniæ cruci, cui Elephas subest, superposita. Similisq; & alius est nummus eadem serie, etsi mutato ordine, cum elephantis castello onusti symbolo, præferens insignia. Ex quibus constat, ordinem Elephanti non infimo apud Danos loco censeri. & parentem dicti Christiani III (forte IV) ejus conditorem asserunt. Huc facit, cujus & Hieronymus Henninges meminit in Theatro suo genealogico, ubi insignia regni Daniæ hoc ordine & collari, quod Elephantem cum castro appensum prætendit, condecorata, Christierno IV Regi consecrat dedicatque. Nec mirum Elephantis symbolum à Regibus Daniæ huic Ordini cohonestando adsumptum cum summis virtutibus nobile hoc animal ab antiquis prædicetur, & quod proxime ad humanam rationem accedat, fortitudine scilicet militari, prudentia & fulcro imperiorum, Religione, quæ non nisi in hominem cadit, clementia Regia, quæ Cæsarem Deorum adscripsit numero, Augustum consecravit: Pio cognomentum dedit; clementissimis imperatoribus Maximino, Balbino & Gordiano statuas cum Elephantis decrevit. Adhæc Ægyptii Regem per Elephanti simulachrum intelligebant, non ea tamen de causa, quod cum gregatim semper ingrediantur, is, qui maximus est natu, gregem ducit, quod in regibus elegendis multarum nationum & gentium mos fuit, ut id muneris senioribus demandaretur, & apud Hebræos seniores, apud Athenienses Palæologi, apud Romanos Senatores rerum habenas moderari soliti: Verum propterea quod habeat Elephas hoc animi regii peculare, ut genua non flectat, quemadmodum animalia reliqua, sed leviter tantum incurvet calcaneum. Nam genua non flectere dubio procul ostendit supplicabundum non esse, flectere vero calcaneum, humanitatem, quâ maxime hoc animal præditum est, subindicat.

Hactenus illi. Et olim quidem, cum solùm vel bellicâ aut aliâ aliquâ egregiâ laude insignibus hæc dignitas tribueretur, ordo equestris æstimii majoris fuit, quam isto nostro seculo, cum haud semper testatæ virtutis merito dari, sed qualescunq; passim favore principum sublevari, ut plurimum, contingat. Quod tamen licet frequenter alibi, apud Danos hodieque rarissimè obtinere solet. Et vix nisi, ut præclarum & ingens compertæ præstitæque virtutis præmium, illis, qui strenuam ac memorabilem domi militiæque operam enavassent, solenni ritu ceremoniaque, idque in conspectu sæpenumero exercitus campisque patentibus, ab ipso conferri rege moris habetur.

Ipsa autem Regum insignia, quorum superius mentio fit, quæque regnorum tredecim imagines præferre memorantur, ea etiam cujusmodi sint, operæ pretium existimavi hoc loco silentio haud prætermittere. Et maximè quia ipsum operis nostri frontispicium ea depicta ad vivum exhibet. Olim quidem Cimbri æneum Taurum, ut roboris ac fortitudinis signaculum prætulerunt, ut est superius, ubi de expeditione eorum egimus, à nobis memoratum. Nunc longo id ævo obsoletum nec locum habet. Primo igitur, qui exhibentur, TRES LEONES Daniæ regni insignia sunt, in solo croceo. Et proximè ei positus cum bipenni LEO, Norvagiæ sceptrum indicat: Qui verò illi locatus est conterminus corda novena saltu transiliens Gothos, eorumque imperium notat, in roseâ planitie.

Insignia Regni Daniæ. Norvagiæ: Gothorum:

Slavorum:

Hinc rigidos Slavos effert pernicibus alis,
Et loca propugnat sanguinolenta, DRACO.

Hos

Hos eosdem & Vandalos aliàs vocamus. Inde quæ sequuntur TRES CORONAE, unionem trium regnorum Daniæ, Sueciæ Norvagiæq; significant. Gotlandiæ, ejusq; amplissimam in sinu Balthici maris sitam ditionem, AGNUS CHRISTI exhibet, gestans vexillum, cui inscripta in solo rubeo CRUX CANDIDA. Hujus origo refertur ad illud, quod factum est apud Livonos, *Valdemari* II Regis memorabile prælium. Ubi Dani, amissâ per errorem, quam sequebantur, aquilâ, cum in fugam agerentur, demissum cœlitus memoratur novum vexillum, in cujus rubeo solo, *crux alba* erat descripta, cujusmodi etiam sequuti fuerant. atque ità revocato continuè gradu, hostilem aciem acerrimo conflictu perruperunt; atque egregiam, ad suos, fuso hoste, reportarunt victoriam. Hanc ob causam, quodque Rex idem *Valdemarus* II Christi fidem ad ultimos illos Livonos Esthonumq; populos primus propagarat, ostentant regni insignia crucem jam dictam. Vexillum verò ipsum **Danebzoga** exinde est nominatum, ac magnâ semper religione, veluti regni palladium aliquod custoditum. quin & existimatum putatumque in præliis omnibus ex eo certantium pendere fortunam: ad morem fortasse, quo Cæsar quoque *Constantinus* crucem labaris intextum militi præferre pro more habuit, cum ejusmodi symbolo, *in hoc signo vinces*. An verò vexillum idem cælo, ut memoravimus, dimissum sit, an verò à pontifice Romano, ut regis studium excitaret, loco *cruciatæ*, quemadmodum id temporis vocabant, submissum, disputare hoc loco non est animus. Et ad annum Christi 1218, quo hæc inciderunt, discussa propiusque enarrata superius memini. BINI verò, qui proximè adstant, LEONES, Ducatus Slesvicensis insignia habentur. Eis qui proximè appingitur, CORONATUS PISCIS Islandiæ insulam præsignificat. URTICA verò, quæ subjungitur, Holsatiæ; CYGNUS autem coronatâ cervice Stormariæ ditiones ob oculos ponit. In medio horum insignium, qui est positus EQUES CATAPHRACTUS, Dithmarsos eorumque territorium præfigurat.

Gothlandiæ.
Slesvicensis Ducatus:
Holsatiæ:
Stormariæ:
Dithmarsorũ.

Celsa TRABES *gemini pingit Delmhorsta coloris,*
Oldenburgiacâ CRUX *vehit* ALBA *domum.*
Turrigeri hæc celebres cingunt ELEPHANTIS *honores,*
Fama volans quorum tollitur æqua polo.

Comitum Oldenburg & Delmhorst.
Ordinis Danici.

Nobilium familias notiores quique longo sanguine ac rerum publicarum felici administratione prosapiam nobilitarunt: subjecimus ordine Alphabetico. Suntque isti:

Appelgardij, Axelij, Arefeldij: Brahei, Bingij, Belovij, Bildij, Brockenhusij, Biornij, Banneri, Beckij, Blickij, Bassis Baxij, Baselichij, Billij, Bockholtij, Buddij, Bammelbergij, Brunij, Baggij: Cnutzenij, Caasi vide K, Dresselbergij, Daai, Duvij, Duramij: Eiderstorper vide Heiderstorper. Frisij, Fassij, Falstrij, Falckij: Guldensternij, Grubbij, Goei, Grenij, Glambekij, Gelschuttij, Gallij, Grammi, Grisij, Gossi: Hardenbergij, Holkij, Hokij, Hundertmarckij, Heiderstorpij, Hubij: Julij, Jensenij, Juenamij: Kaasij, Knutzenij, Krusenij, Krabbij, Kragij, Krumpenij: Lungij, Luckij, Lindenovij, Langij, Lindemani, Luckenij, Laxmanni: Munckii, Mattisenij, Marizeri, Mustii, Matrij: Negelii, Norbui, Normanni: Oxenii; Pasbergii, Podebussi, Papenhemii: Quitzovii: Rosenkrantzii, Ranzovij, Rudii, Rostorpii, Reuterii, Ruthedi, Rosenspari, Rosengardii, Ronnovij: Schrammii, Shefeldii, Schelij, Shestedij, Snegii, Sueonij, Santbekii, Splitti, Sparrii, Suabenii, Santbarchii, Spegelii, Schaugardij: Trollii, Tottii: Urenii, Ulstandii, Uruppii: Walkendorpii, Wipfertii, Witfeldii, Wogersenii, Wenstermannii, Woldii, Wormii.

JUDICIA PUBLICA ALIAQUE.

IUris dicundi judiciique exercendi hunc habebant morem. Erat universa ditio in certas parœcias sive curias divisa, Eæ, statis temporibus locisque, pro se quæque seorsim, suis cum armis patente sub dio in campis conveniebant, aderantq; ejusdem loci viri nobiles, qui velut testes judicio assiderent. Ibi in medium prodibant, qui aliis litem intendebant, auditisque & cognitis partis utriusque actionibus defensionibusque, conventus universus in consilium ibat, idque temporis spacium, quod interim deliberando terebatur, curæ ac consultationis nomen imponebant. Expensis diligenter & ventilatis in partem utramq; controversiis, in consessũ redibant, vocatisq; litigatoribus de jure pronunciabant.

Juris dicendi ratio.

Si quis stare judicio detrectabat, ad duodecim constitutos sive judices sive arbitros, & ab his ad universæ ditionis conventum provocare ei integrum relinquebatur. Hæc minuendarum litium judiciique consuetudo semel quotannis observabatur, & est in hunc usq; diem locus non procul Rendesburgo, qui annuæ trabis nomen ab eo judicij more etiamnum retinet; solentque illic nunc quoque terminandis controversiis nonnunquam conventus haberi: ac fuerunt præterea in aliis Chersonesi partibus similia loca, quorum memoria longinquitate temporum intercidit. Reos adulterij & convictos capitali afficiebant supplicio, ut certior majorum sanguis propagaretur. Homicidij crimen eâdem pœnâ haud prosequentes, mulctâ pecuniariâ plectebant, ne uno infelici casu duo de medio tollerentur: Idque itá ad *Christianum* usque ejus nominis tertium Daniæ regem observatum est. Is enim, ut erat princeps prudentiâ, mirâ & æqui bonique servantissimus, quòd ea consuetudo à divino simul humanoque jure recedere videretur, insolitam usu & temporis diuturnitate legem, suo ævo, senatus ac procerum omnium consensu itá constrinxit ac mitigavit, ut qui inopinantem quempiam, armisque ad corporis sui defensionem non instructum, interfecerit, capite pœnam subiret, aliorumque casuum in sanguine alterius vicissim profundendo ratio haberetur. Erat præterea antiquitus apud eos usitatissimum acriores contentiones ac lites manu ac duello dirimere, præsertim inter nobiles: quod & veteres fere olim Germanos factitasse universos, authores tradunt, & præter alios Vellejus Paterculus, Varum Quintilium exercitus Romani ducem nominat, qui cum esset ingenio miti & moribus quietus, putavit in mediâ constitutus Germaniâ armis apud eos decerni solita, posse jure terminari. Unde tandem in summam perductus socordiam sex legionum occidione pœnas ipsis pependit. Sed & hæc & ejusmodi velitationes congressusque singulares legibus exinde paulatim repressæ. Sicuti & ille diu intra regnum servatus mos, quo reis erat concessum se non jurejurando, sed ferro candenti tueri suamque innocentiam ferro ignito manu gestato, indigenis **Jernbyrd** dicto, declarare. Et hinc hodieque est, quod *signum veri* suâ linguâ *signum candentis ferri* vocent, vulgò enim & vernaculè **iern tegen** dicunt. In dictis, pactis factisque fides summa & mira animorum constantia erat, quam non præstare, vel leviusculis etiam in rebus omnino ignominiosum & inhonestum ducebant. Neque opinio ea existimatioque penitus apud posteros evanuit: sed ut ab optimis accepta moribus studio magno nec minore cum laude etiamnum retinetur, ut nobili imprimis homini nihil æque turpe putent, quàm datam fidem fallere, idque qui facere veritus non fuerit, is haud obscurâ infamiæ maculâ aspergatur.

Conjugia. Honesta inter ipsos connubia maris unius fæminæq; erat copulatio, & ut pares essent conjuges, ejusdemque status & conditionis, quod nec hodie negligitur, magnopere observabant: Qui aliter contraxissent, eorum uterque publicam & ignominiæ & suspicionis notam subire videbatur.

Bella. Ad bella singuli viritim olim procinctum faciebant, ductis secum, quod in Cimbris patuit, etiam uxoribus, quæ auguriis & vaticiniis operantes de præliorum sæpenumero eventibus haud inscienter respondebant. Et eam quoque consuetudinem Germanis antiquitus fuisse Julius Cæsar author est, ut matres scilicet familias sortibus & vaticinationibus declararent, utrum committi prælium ex usu esset nec ne. Unde & Tacitus tradit: *ad matres, ad conjuges vulnera ferunt: nec illæ numerare, aut exsugere plagas pavent. cibosque & hortamina gestant.* Fugere in bello res insolens ipsis erat, quique id fecisset, ei nullus ad suos reditus patebat, omniumque commercio ei interdicebatur, neque graviorem ullam turpitudinem noverant. Et hoc est, quod Tacitus etiam de Germanis vetustissimis Libro de eorum Moribus refert: *Scutum reliquisse præcipuum flagitium.* Notant & idem veterum Francorum Leges, in quibus constitutio est de *armorum depositione*, & iis, qui militiam declinantes, arma abjiciunt. Arma autem quæcunque nomine scuti intelligunt, ac voce utuntur eædem jam dictæ Leges, quæ est etiam Danis hodieque usitata. Nam *Scuti positionem* **Scholtlage** seu **Schjoltlegge** nuncupant. **Schjolt** verò Danice hodieque scutum seu clypeus dicitur, nos **Schilt** dicimus. **Legen** sive **leggen** & **nederleggen**, *deponere* notat. Fuisse hoc ipsum apud Romanos quoque ignominiosum, ex Plauto est intelligere, cujus in Trinummo Act.4. Sc.3. hæcce querela legitur: *Scuta jacere fugereq; hostes, more habet licentiam.*

Cæsar Lib. 1. de bello Gallico.

De cetero legibus, ut & modò injectum, utuntur passim civitates populusq; ac pagi omnes regni municipalibus, auctoritate communique regum procerumque suffragio latis,

iisque

iisque numero haud multis, nec mole suâ volumina ingentia complentibus. Et verò, ut vir egregius olim dixit, *Leges in Republicâ ut medicamenta esse debent, atqui nec hæc multa aut varia probentur: non item illæ. Plato verissimè*: UBI PLURIMAE LEGES, IBI ET LITES PLURIMAE MORESQUE IMPROBI. Quin nec Dania solùm, sed & Germania suis olim usa legibus ac statutis; iisque brevissimis, adusque tempora Imperatoris *Lotharij*, non illius Francici, sed hujus Saxonis, qui obiit circa annum Christi 1138. Hic Justiniani Romanasque leges, quarum tum adhuc Gallia, Hispania Germaniaque expertes fuerant, primus judicum tribunalibus ac dicasteriis induxit. Cujus nomine hoc illi carmen occinit in Monitis suis Politicis vir seculi nostri clarissimus: *Bone Lothari, manes tui per me quiescant: sed rosæ aut lilia sepulchrum tuum non ornent, qui tot tricas & spinas nobis sevisti.* Felix igitur Dania, quæ, ut jugo ac jusso huic Imperatorio non subfuit, ità & sua sibi servavit: Leges & decreta majorum semel lata firmiter retinuit: iisque in hoc usque tempus, brevibus saltem, quos vocant, adjectis Recessibus, feliciter usa, ambagibus se atque artibus caussidicinæ non innexuit. Sunt etenim Danorum hæ Leges, quod & supra injectum, & Civili & Canonico juri, unde magnam partem desumptæ, admodum congruentes. nec ullibi in Europâ, modò officium Judex faciat, aut citius quisquam aut minore cum impendio finem litis assequatur, quàm in Dania. Quâ de re exteris omnibus, qui forum quandoque Danicum sequuti sunt, liberum esto judicium. Cum Platone igitur concludendus hic locus: *Non fuerint concordes unquam aut inter se amantes cives, ubi multæ leges judiciales sunt, sed ubi eæ* BREVISSIMAE AC PAUCISSIMAE.

Justus Lipsius cap. 10.

NATIVA REGNI DANIÆ BONA AC DOTES.

HAbet Dania solum haud depressum aut palustre, sed leviter collibus assurgens, uberi passim glebâ dotatum ornatumque. Circa ingressum Chersonesi Cimbricæ, quà est Slesvicensis Ducatus, terræ uber haud uniusmodi est. Nam alibi, quà mare spectat, solum, ut plurimum, est argillaceum, pingue ac uliginosum silvisque superbum. Alibi denuo, quod terræ dorsum dicere liceat, ager est cespititius, erycosus nec uno se modo habens, variè tamen fœcundus. Theutomarsiæ, sive, ut vulgo vocamus, Ditmarsiæ gleba plerumque est salsuginosa, profunda mireque fertilis. Quà deinde septentrionem eadem spectat Chersonesus, regionem videas subinde silvis ac lucis opacam incultamque; & alibi vicissim culturâ hominumque industriâ in jugera frugifera & amænos fundos, interfluentibus hinc inde maris sinubus, resplendentem: qui fruges leguminaque multiplici fœnore refundant: quique boum & equorum præstantium pisciumque variis generibus nobilitantur. ità ut copiâ atque ubertate eorum vicina regna regionesque urgente annonæ charitate sæpenumero sublevari contingat. Saltus præterea feris ubique abundant. Quas inter cervi haud ultimum tenent locum, ut & damæ, capreoli, lepores & id genus aliæ. Nam avium captura passim obvia, & imprimis perdicum, anatum, anserumque ferini generis, itemque scolopacum, quas *rusticas perdices* Martialis, Plinius *rusticulas* appellat. His quæ proximæ sunt insulæ, & inter alias Fionia Selandiaque haud minores sortitæ dotes. Eminetque inter ceteras Selandia, hancque prærogativam habet, quæ an alij uspiam terrarum pari felicitate contigerit, addubito, quod ei scilicet rura agrique sint non modò fertilissimi, & qui creditam sementem amplissime reponant, sed quòd id absque stercoratione præstare, ac segetem omnis generis producere uberrime soleant. Quod sane beneficij nec ipsi quidem Græciæ aut Italiæ, regionum, quas Sol aspicit, laudatissimæ, accidisse, præter alias, vel Homerus, quod ad Græciam, doceat, apud quem regius senex agrum fimo lætificans mirè celebratur: Ejusque inventi gloriæ Augeæ ejusdem Græciæ regi adscribitur, divulgasse verò additur Hercules in Italia, quæ ob id regi suo Stercutio, Fauni filio, immortalitatem tribuit, ut memorat in historiâ Naturali Plinius. Nec cedit istis ullatenus Scania, cælo & solo similiter læta. quæque piscatione insuper, ut & venatione nobilium ferarum, oppidorum frequentia, civilibus institutis nullâ beatarum regionum habenda inferior. In universum vero totum regnum contemplanti ea ubique piscium occurrit ubertas, cum fluvialium tum præcipue qui mari capiuntur, ut haud immeritò Europeorum regum legati, quod & ante retulisse memini, ab Imperio evocati, Daniæ hac parte regnorum omnium prærogativam adscripserint. Cum enim contentio inter eos orta esset de supereminentiâ suorum regum, quis videlicet præstantior ac opulentior jure haberetur: & alius aurum, alius argentum, alius denique frumenti ac vini copiam

Lib. 17. cap. 9.

Pag. 359. superius.

vino caruerint, non animadvertens id velle, Germanos inquam, non minus ſuo illo ex hordeo & aquâ potu efferatos, quam ſi vinum aut temetum bibiſſent, ut jam diximus. Angli verò, quos dixi, **oel** & **ael**/ cum Danis vocare, tamen etiam *biram* agnoſcunt, cum Dani omnem cerviſiam **oel** appellent, nec *biræ* vocabulum norint. Interim id Anglis inter biram & æliam diſcriminis eſt, quòd eam lupulo condiant, hanc non itèm. Ceterum quod ad vinum, antiquiſſimos Danos ac boreæ populum id ignoraſſe perſuaſum habeo; præſertim cum etiam Tacitus ſuo ævo non niſi ripæ, id eſt Rheno, proximos mercatos vinum doceat. Ac poſtmodum, ubi flumina atque ipſe aperiretur ſeque ubivis panderet navigantibus oceanus id continuò devectum ad eos cum ceteris mercimoniis haud eſt dubium; quod hodie è Galliâ, Hiſpaniâ, Italiâ, Cretâ Rhenoque tantâ deportatur, omnibuſque regni introfertur portubus, copiâ, ut ibi non minus quàm ſuo in ſolo promiſcuè habeatur: *Cum tamen conſtet ſub annum circiter Chriſti 1486 conceſſum ab Innocentio 8 Romanorum Pontifice, ut ſine vino & quocunque ſuo liquore calicem ſacrificarent Norvagi, notantibus id Criſpino & Volaterrano. Licet ipſe non tam de Norvagis, qui mari ſunt adſiti, quam de intraneis ac ſemotioribus hoc ipſum acceperim.

Memoratum eſt ſuperius, eam eſſe in Daniâ abietum & arborum coniferarum, quas **Dennen** & **Denneboomen** Germani vocant, ubertatem, ut inde nonnulli etymon quoque Daniæ venari inſtituerint; ſed perperam ut ſuo oſtendimus loco. *Pag. 646.* Interim à vero haud diſſidet, eas paſſim tam in inſulis, quàm continente extare cæduas utileſque ſilvas, eſſeque non abietes modo fagoſque ac quercus tiliaſque ibi denſiſſimas, ſed & corylorum eam fere ubique occurrere frequentiam, ut nucum, quas avellanas, alij Ponticas olim dictas volunt, ea ſit copia, quæ vicinis provinciis & præſertim inferioris Germaniæ, ut eſt Hollandia, Friſia Zelandiaque, aliquot onerarias, iis ſaburratas, quotannis tranſmittat. Unde & illud ſit, ut ligna extruendo foco, eumque, ut loquitur poëta, perennem reddendo ſervandoque haud uſpiam deſint, ſed ea ubique largâ ſuppetant manu. Nec abſunt quibuſdam etiam locis, uliginoſis ſcilicet ac depreſſis, quæque ſylvas concædes remotiores habent, ceſpes foſſitius, qui è terræ gremio erutus ſoleque excoctus ac vento poſtremum arefactus igni alimentum idoneum minimeque contemnendum præbet. Aliàs & ut plurimum, de quibus diximus, ornus abieſque aut quercus focum inſtruit; lignaque præter cætera miniſtrat, cujuſmodi appellat Plinius lenia, fumum quàm minimum ac maximè innoxium excitando, quæ ἄκαπνα Græci dixerunt. Et in his haud ultimum locum merentur etiam lignei, quos vocant, carbones: qui vel excoquendo obſonio vel igni tuendo multò, quàm Promethea illa ferula, fomitem paratiorem ſuppeditent: Sed jam ad gentis mores, ſtudia ceteraque veniamus.

DANORUM INGENIA, STUDIA, MORES.

Mores ſtudiaque gentis paucis indicaſſe ſufficiat. Sunt enim diſcrimina quædam peculiaria ſive ideæ potius nationis cujuſque ac populi, quæ emineant, & quibus vel maximè dignoſcantur ſinguli. Sic in oratione graves habentur, ſed verſuti Itali: culti, ſed iactabundi Hiſpani; prompti, ſed arrogantuli Celtæ; dura, ſed ſimplex & ſine dolo fraudeque Germania. Et in hac viciſſim Saxones truculentiâ efferos agnoſcit Salvianus Maſſilienſis, ſed caſtitate ſuſpiciendos. *Gallos* Ammianus Marcellinus *avidos* dixit *jurgiorum & ſublatius inſoleſcentes*. Vopiſcus eiſdem, præter levitatem, etiam inquietudinem adſcribit atque aviditatem, ſunt ejus verba, *vel faciendi principis vel imperij*. Græcos ut vanos & mendaces notant alij: Et Aſiaticos paſſim ut laſcivos ac luxurioſos proſcribit Firmicus. Batavis, qui hodie Gelri Hollandique, *aurem* Martialis tribuit, quæ illi proverbiali ſchemate *Batava* dicitur, id eſt, craſſior minuſque purgata. Bœotos quoquè, ſub axe cœli minus defæcato poſitos, vulgo authores ſtupiditate inſignes faciunt; ut & Scythas, qui feritatis inſuper & crudelitatis damnantur: Quorum tamen hi Anacharſim, ſapientiæ admirandæ, ut eum celebrat Tullius, orbi dederunt; & illa, Bœotia, Pindarum, poetarum Pegaſum, ſive, ut eum Venuſinus vocat, Dyrcæum cygnum, aſtra tranantem, edidit. Abdera itidem, cœli ſimiliter vitio infamis, Democritum tulit. Cujus tamen, ut inquit poeta,

Prudentia monſtrat — *Juvenal, Sat. 10.*
Summos poſſe viros, & magna exempla daturos,
Vervecum in patriâ craſſoque ſub aëre naſci.

Dani quoque ceterique remoto ſub boreæ axe minuſque benigno gaudentes cœlo populi ſcripto-

ſcriptoribus Romanis, aliiſque ſuarum magis quam alienarum laudum ebuccinatoribus, ut rudes inſcitique habentur; cum interim illi ſint, quibus cedere poſtremo Romanum imperium quibuſqueOriens atque Occidens ſubmittere faſces debuit. quiq; res domi militiæque, vel hoſtium ipſorum teſtimonio, præclariſſimas prorſuſque inauditas geſſerunt. Nam ſi Saxonem ſequi libet, Hibernia octies à Daniæ regibus debellata & acquiſita eſt. Anglia decies perdomita, ac ultimo ſub imperium Danorum regum devenit; quorũ noviſſimus fuit Canutus, cognomento Durus. Scotia armis occupata, obſequiũ Regibus aliquot Daniæ præſtitit; ut & Saxonia, quæ facta multities ſtipendiaria, penſionem ſolvit Helgoni, Rolvoni, Frothoni, Sivardo aliiſque. Slavorum populi vicies quatuor ſubacti imperata fecerunt. Suecia item pluſquam duodeviginti prœliis attrita, multoties ſacramentum dixit, denuoque promiſſis excidit; ut & Norvegia, quæ demum hæreditaria eſt reddita; quemadmodum & modo habetur. Ut taceam in Gallias tranſlatam ab ipſis gentem ſuam conditumque Normaniæ principatum. Et hodie Italiam Hiſpaniamque gloriari Gothorum proſapiâ. Quæ omnia exoticis teſtimoniis authoribuſque firmata ſuo ſuperius loco explicuit prolixius hiſtoria. Feſtus Pompejus Cimbrum ſive Cimbros linguâ Gallicâ latrones dici ait. Hic alij Cimbrum non magis latronem ſignificare volunt, quam Iſaurus piratam; Ambro diſſolutum ac veracem; Opicus obſcœnum; ſed quia tales fuêre eæ nationes, earum nomine, qui tales ſunt, vocari. Nam, ut alibi monſtravimus, Gallorum antiquiſſimorum ſermo cum Germanicus fere fuerit, nihil aliud Cimber quàm latro, id eſt, miles ſive bellator intelligetur. Eſt enim hodieque Danis *Cimber*, **Kimber** ſive **Kemper**/ *pugnator, pugil, athletes*. ut ita voce latro, quâ utitur Feſtus, nihil aliud capiendum, quam miles bellatorque. Unde in Pænulo Plautus: *Hic latro in Sparta fuit*, id eſt militari ſacramento auctoratus. Et apud Nonium Gracchus: *qui apud regem in latrocinio fuiſti & ſtipendium feciſti*. Unde & illud intelligi ſimul poteſt, latrocinium & piratica, quibus terrâ marique infeſtæ reddebantur olim ditiones, antiquitus honoratum militiæ genus habitum. Et hac parte excuſari haud minus Cimbros Normannoſque ac Danos debere, quàm Græci, de quibus refert Thucydides, qui hæc habet: *Poſtquam navibus alij ad alios mare trajicere frequentius cœperunt, ſeſe ad latrocinia convertêre virorum potentiſſimorum ductu &c. quod hoc facinus nondum ignominiam haberet, imo verò gloriæ duceretur.* [Lib. I.] Quibus adde illud Cæſaris ſuâ ætate de Germanis verba facientis: *Latrocinia nullam habent infamiam, qui extra fines cujuſque civitatis fiunt: atque ea juventutis exercendæ ac deſidiæ minuendæ cauſa fieri prædicant.* Et verò ſi rem propius putemus, concedendum eas præcipue gentes & regna, quæcunq; mari valuerunt, res quoque magnas feciſſe pomeriaque ſua aut facillime tutata, aut etiam auxiſſe feliciter, cum res & occaſio darent. Hinc olim, & apud antiquiſſimos, Tyriorum & Salomonis navigationes celebratæ, quibus ab ultimis ophyranis aurum immenſaſque gazas Hieroſolyma tranſportatas accepimus. Hinc Græciæ opes & Carthaginis vires, ſuperatis jam Hiſpaniis ac vicinis in mari Tirrheno inſulis, ut nihil de Perſarum potentiâ, quæ mare texit mille & ducentis velis; deq; Romanis dicam, poſtquam maritimæ rei intendere propius cœperunt. Propiora Noſtraque videamus. Quid Dani Normannique? nonne illi olim vicinis gentibus ac regnis hac maxime re terrori fuere? Nam & in Friſiam Bataviamque ac demum in Galliam Britanniamque impetu facto, eas ſibi omnes aut vectigales aut ſubditas reddidêre. deque Francorum regno abreptâ ingenti laciniâ, de nomine ſuo Normanni Normanniam condiderunt. Nec intactam quoque habuerunt Hiſpaniam, inque Aſiæ limite poſitam Conſtantinopolim. Et hodieque cum hinc deportari èque boreali Norvegia ligna tignaque neceſſum ſit, quibus onerariæ illæ omneque navium genus conficitur, paſſim videre eſt navigiis, quas holcadas, corbitas, carabos, lembos cimbaſq; ac myoparones vocamus, ſtipatos portus. quibus æſtate & cum cælum ſinit, modò in Hiſpaniam Galliamque, modò in Angliam, Scotiam, Friſiam, Hollandiamque enaviget, oceano veluti enutrita, juventus: Subinde & ſua, quæ in vicino ſunt, viſit, urbeſque Vandalicas ac Sueciæ tractus, ut & Norvagiam Islandiamque & Orcadum inſulas: Et nuper quoque, contractâ cum rege Seilonenſi apud Indiæ populos amicitiâ, ſuas etiam eò corbitas aromatum gratiâ tranſmiſit indieſq; tranſmittit. Gens ipſa hominumque genus magis altâ quam humili ſtaturâ eſt, corpora alens valida compactaque. Nec aliam in genere Gallorum Germanorumque fuiſſe ſtaturæ rationem, præſertim Cæſar indicat, qui libro ſecundo de bello Gallico; Gallis ait Romanorum brevitatem contemtui fuiſſe. [Statura & habitus.] Ità enim habet: *Pleriſque hominibus Gallis, præ magnitudine corporum ſuorum brevitas noſtra contemtui eſt.* Ubi haud fruſtra additum, *pleriſq;*, ut nimirum Galli intelligantur præcipue qui origine ac

positu

positu transrhenanis erant propiores. Undé & Hirtius de Bello Africano Gallis Germanos jungens, *Gallorum*, inquit, *Germanorumque corpora, mirificâ specie amplitudineque, cæsa toto campo ac prostrata diversè jacebant.* Hanc in gentibus borealioribus proceritatis causam alij ad traducem populorum; physici ad ipsum cœlum referunt. Nam sicuti ad austrum ardore, ut plurimum, siccantur arctanturque corpora, ità boreales humore non tantum, sed & calore interno, qui in Australibus est remissior, abundantes, veluti aluntur atque extenduntur. Quamvis & alij alios superent. Et illi præterea qui polum quàm proxime accedunt, ut Gronlandij extremæque Norvegię & illarum insularum populi lurore plerumque deformes staturâque exili sunt, utpote, qui non minus rigore nimio, quam illi ad austrum nimio aduruntur ardore. Unde rectè Hippocrates libro de aere, locis & aquis agens, ad septentrionem homines pallore ac macie deformes pronunciavit, intelligens sc. hos extremi boreæ, non verò eos, qui vicinam Scandinaviam totamque Daniam Germaniamque colunt, quos authores fere omnes, ut dictum, proceros, robustos, venustos candidosque affirmant: ut & alibi memoravimus. Tradit Aristoteles eos, qui sunt ad aquilonem, esse tenui ac flavo capillo, cujusmodi & Lucanus Suevos describit:

Explicatur Hippocrates.

Fundit ab extremo flavos aquilone Suevos
Albis.

Dani certe Norvagique & omnes fere ultra mare Balthicum colentes, capillo, ut plurimum, aut albicant aut flavescunt. itaque Angli vulgo eos, quibus oculi cærulei ac rutilę comæ, cujusmodi in universum fere Germanos describit Tacitus, à Norvagis Danisque trahere originem & ab iis cavendum populariter denunciant. Nec abit hinc multum sequior, qui dicitur, sexus. Suntque fœminę virginesque succulentæ pleræque & nitore quodam naturali ac lacteo, ut sic dicam, candore commendabiles. Nonnullas etiam viragines dicas, ità laborisque frigorisque patientes, brachio lacertosque nudæ, ut ille inquit, æstate hiemeque agunt. Quondam apud Danos illustrium fæminarum ecquod studium fuerit ità celebrat Saxo: Fuêre quondam apud Danos fœminę quæ formam suam in virilem habitum convertentes; omnia pene temporum momenta ad excolendam militiam conferebant, ne virtutis nervos luxuriæ contagione habitari paterentur. Siquidem delicatum vivendi genus perosæ, corpus animumque patientia ac labore durare solebant, totamque fæmineæ levitatis mollitiem abdicantes muliebre ingenium virili uti sævitiâ cogebant. Sed & tantâ curâ rei militaris notitiam captabant, ut fœminas exuisse quivis putaret, præcipue verò quibus aut ingenii vigor, aut decora corporum proceritas erat, id vitæ genus incedere consueverant. Hæ ergo perinde ac nativæ conditionis immemores, rigoremque blanditiis anteferentes, bella pro basiis intentabant, sanguinemque non oscula delibantes, amorum potius quam armorum officia frequentabant, manusque, quas in telas aptare debuerant, telorum obsequiis exhibebant, ut jam non lecto, sed leto studentes spiculis appeterent, quos mulcere specie potuissent. Hactenus Saxo: & exinde Lathgertham describens, sub initium fere libri IX inquit: Inter quas adfuit & Lathgertha perita bellandi fæmina, quæ virilem in virgine animum gerens, immisso humeris capillitio, primo inter promptissimos dimicabat. Cujus incomparabilem operam admirantibus cunctis, cæsaries tergo involare conspecta fæminam esse prodebat. At hodie ac nostris moribus, aliter ac domi agentes, laudem habent ut frugi matres familias beneque administratæ œconomię. Et ipso vocabulo, quod alibi haud reperias, quodque soli Danorum idiomati ac genti est proprium, *mater familias* sive *marita*, **hustru** dicitur, quasi *domui* suæ *fida*; & *maritus* vicissim **huszbon** sive **hoszbond** / quod aliud haud sonat, quàm *domus vinculum*; ut illa scilicet fidem domui ac domesticis rebus præstando, veluti familiæ columna; hic columen ac vinculum rei universæ existat. Tacitus de Germanis loquens asserit haud aliam gentem convictibus atque hospitiis effusius indulsisse, & nefas apud eos habitum mortalium quenquam tecto arcuisse. Quem postremum morem laudemque hospitalitatis, ubi de Norvagis ac boreę remotioribus populis ageremus superius, demonstratum est, eam relegatam veluti inde, hîc adhuc locum tenere. Gratis enim peregrinantem excipiunt aluntque. Notum ignotumque, quantum ad jus hospitij, nemo discernit. Abeunti, si quid poposceris, concedere moris: & poscendi invicem eadem facultas. Ipsi jam autem populares seu rustica gens agris ut plurimum colendis intenta est. Domi quoque non tam nitelas aut pecuniam, quam penum curat. Hic ut rite atq; opipare instructus habeatur præcipue incumbunt. Unde & *tantas*, ut ille inquit, *strucces concinnant*

Fœminarum Danicarum illustrium quondam studium.

Lib. 7.

patinarias,

patinarias, ut standum propemodum in lecto sit, si quid de summo petas. Ita scilicet una eademque sæpenumero paropsis non carnes modò bovinas, sed ovillas simul suinasque & anserum muriâ ac fumo servatas exhibet, præter pernas laridumque farciminaque ac sumen ejusmodi ceterum. Aliàs de Germanis quod addit iterum Tacitus, *convivia effusè & armatos* subinde agitare eos, *nec ulli probro fuisse diem noctemque continuare potando*, id mali etiam Danos, sed serius, afflasse ex Saxone est intelligere; qui de Ingillo rege loquens inquit: Postquam se Theutoniæ moribus permisit, effœminatæ ejus lasciviæ succumbere non erubuit. Ex cujus sentina in patriæ nostræ fauces haud parva luxuriæ nutrimenta fluxerunt. Inde enim splendidiores mensæ, lautiores culinæ, sordida coquorum ministeria, variæque farciminum sordes manavere. Inde licentioris cultus usurpatio à ritu patrio peregrinata. Itaque REGIO NOSTRA QUÆ CONTINENTIAM IN SE TANQUAM NATURALEM ALUIT, LUXUM A FINITIMIS DEPOPOSCIT. Et iterum sub annum 1154 de rege Suenone, cognomento Grateuhetensi, agens, eum refert, factâ cum Canuto aliquali pace, perinde ac bellorum metu solutum in superbiam lapsum, patrios mores, quod parum ipsi viderentur exculti, tanquam agrestes & inconditos, petita à finitimis urbanitate, mutasse: spretisque Danicis ritibus Germanicos æmulatum. Ac demum adjicit: *Quin etiam, epulandi rusticitate depulsâ, externas mensis comitates adscivit commessationumque ritus cultiore ministerio gerendos instituit. Nec solum cultum novavit, sed etiam edendi bibendique facetias tradidit.* Olim id est antiquissimis seculis, quod ex auctoribus jam ante monitum, potus Germanorum humor erat ex hordeo in similitudinem quandam vini excoctus, qui nec alius, quod ex Saxone superius ostensum, etiam Danis fuit. Inde vinum aliunde accessit, tantâ copiâ, ut obruat modò, & ad insaniam plurimos præcipitet. Est etenim ex Italiâ primo in Gallias, atque inde, licet tardè, ad Rheuum ripamque Germaniæ adversam, allata vitis, quæ seculum suo liquore infecit. Cæsaris sanè ævo necdum Nervij, Belgij populus, vinum norant, aut saltem, luxuriæ hoc incentivum, ad se inferri, testante eodem Cæsare, noluêre. Et tamen seculo exinde vix uno alterove, ipsorum in mores jucundum hoc nefas receptum, cum tradat Vopiscus à Probo Imperatore *omnibus Gallis*, quorum, qui versus occidentem colebant, limes erat Rhenus, concessum *ut vites haberent vinumque conficerent*: Cum antea, quod suâ ætate Tacitus notavit, Germanorum qui erant ripæ proximi, vinum mercarentur, ut ità per manus, quod dicitur, alij aliis sua vitia tradiderint hominumq; secula corruperint. Itaque jam sæpe memoratus Tacitus cum cetera multa in Germanis laudet, *adversus* verò *sitim*, ut habent ejus verba, *nõ eandem temperantiam* agnoscat, meminisse vicissim par fuisset, non eos aut boreæ populum docuisse primos, sine respiratione pocula obducere, &, ut ille loquitur, amystide certare, sed Græcos fuisse, & eorum pergræcationes repotiaq; locum proverbiis fecisse; ut & Parthorum mores, quos eo magis sitire, quo plus biberint, volgò memoratur. Et luxum præterea, potandique assiduitatem non unis jam ante notatam diverbiis in Siculis & Asianis, docentibus adagiis, *mensa Sicula* & *Asiana*, tum & eo præsertim, quod extat apud Diogenianum, ἀεὶ Λεόντινοι περὶ τοὺς κρατῆρας, *Semper Leontij assident crateribus.* Erant verò Leontini Siciliæ populus, poculis addictissimus. Quin & de ipsis Romanis audiatur Tacito propemodũ coætaneus C. Plinius: Apud nos cognomẽ meruit Novellius Torquatus Mediolanensis ad proconsulatũ usq; è Prætura honoribus gestis, tribus congiis (unde & cognomen illi fuit) epotis uno impetu, spectante miraculi gratia Tiberio principe in senectâ jam severo atque etiam sævo aliàs, sed ipsa juventa ad merum pronior fuerat. Eâq; commendatione credidêre L. Pisonem urbis Romæ curæ ab eo delectum, quod biduo duabusque noctibus perpotationem continuasset apud ipsum jam principem. Nec alio magis Drusus Cæsar regenerasse patrem Tiberium ferebatur. Torquati rara gloria (quando & hæc ars suis legibus constat) non labasse sermone, nec levatum vomitione, non alterâ corporis parte, dum biberet: matutinas obisse vigilias, plurimum hausisse uno potu: plurimum præterea aliis minoribus addidisse: optimâ fide non respirasse in hauriendo, neque expuisse: nihilque ad elidendum in pavimentis sonum ex vino reliquisse, diligenti scito legum contra bibendi fallacias. Tergilla Ciceronem Marci filium binos congios simul haurire solitum ipsi objicit: Marcoque Agrippæ à temulento scyphum impactum. Etenim hæc sunt ebrietatis opera. Sed nimirum hanc gloriam auferre Cicero voluit interfectori patris sui M. Antonio. Is enim ante eum avidissimè apprehenderat hanc palmam, edito etiam volumine de suâ ebrietate: quo patrocinari sibi ausus approbavit planè (ut equidem arbitror) quanta mala per temulentiam terrarum orbi intulisset. Exiguo tempore ante prælium Actiacum id volumen evomuit: quo facilè intelligatur ebrius jam sanguine

Libro de Moribus Germanorũ.

Vinum Danis Germanisq; olim ignotum.

Lib. 14. cap. 12.

Volumen M. Antonij de suâ ebrietate.

guine civium, & tanto magis eum sitiens. namque & hæc necessitas vitium comitatur, ut bibendi consuetudo augeat aviditatem. &c. Hactenus Plinius. Miratur Euphormio Satyricus libro, qui ICON ANIMORUM inscribitur, è Daniâ boreæque his oris tantas olim gentes, numero suo victoriisque celebratas, veluti turbine quodam Europæ universæ infusas esse: indeque Cimbros, Teutones ac Gothos, Vandalosque ac Normannos prorupisse, per quos Italia, Libya, Hispania cum Galliæ parte afflictæ, ac tota propemodum ferro sit domita Britannia. Et nunc suo in solo desiderari eos, & quasi aruisse ibi gentium hanc scaturiginem; cum milite illis opus extraneo, si quando bellum ingruat, & opida ibidem minus frequentia sint. At eam temporum populorumque vicissitudinem quis in Dania miretur, quæ ei cum reliquâ Europâ atque orbe pene universo communis est? Ubi nunc florens Oriens, ubi Assyria, Ægyptus, Judæa? Græciam, quæ domina quondam atque arbitra veluti terrarum audiit, servire modò ac suram præbere Thraciæ tyranno nonne videmus? Ingens quoque illud Romanum imperium ipsamque Romam, falso æternam authoribus dictam nonne similiter comperimus? Milite tamen exotico quod uti nunc Daniam belli tempore injiciat, deprehensum est nostro seculo, licet ipsi, ut & aliis Europæ nationibus, Galliæ Belgiique, mercenarius haud desit miles, suo quoque utiliter usam. Judicio sit vel Sueticum superioribus annis bellum; & nuper obsidiones Neoburgensis, Lucstadiensis ac Stralesundana, non ducibus modò ac ductoribus, sed & milite, ut plurimum, Danico viriliter atque animosè ad extremum defensæ. Et fuit, quæ nec hodie emarcuit, Danici jam olim militis ea vis ac virtus quasi propria, ut præsidia ac munitiones locorum præcipuè adversus hostem tueretur ac defenderet, testantibus id, inter cetera, annalibus Fuldensium, in quibus circa annum 895 hoc Danicæ gentis elogium legitur: *Erat ibi* GENS FORTISSIMA DANORUM, *quæ nunquam antea in aliquâ munitione, aut capta aut superata auditur.* Et denique quod oppida apud boreæ populum minus frequentia ac crebra causetur, nec id ex vero dici, ostendunt vel ea, quæ recitata superius sunt, ubi diœceses territoriaque ac urbes singularum regionum municipiaque enumeravimus.

Euphormio Satyricus.

Elogium Danici militis.

Nunc Ingenia videamus. Quæ ejusmodi sane protulit Dania, quorum eam pudere aut pœnitere nunquam debeat. Et si in comparationem venire cum ceteris regionibus etiam beatissimis instituat, reperietur sub axe cæli remotiore licet posita, si non certare cum terrarum omnium alumna ipsâq; parente, ut eam Secundus celebrat, Italia posset, saltem inter ei proximas haud postremũ meritura locum. Certè Jovius ille Novocomensis, Nucerinus episcopus, postquam Italiæ suæ eruditos viros, ut est unusquisque in gloriam suæ gentes effusissimus, summis elogiis extulisset, seque ad Germaniæ cœlum vertens inter ceteros Alberti Crantzij, Danorum ac Suecorum Historici, meminisset, adjecit continuò: *Occulta Hercule siderum commutatione evenisse arbitramur, ut illud cœlum molestis boreæ flatibus, frigore geluque damnatum, horrida dudum torpentiaque ingenia mollierit atque excitarit. Neque enim contenti suâ vetere militiæ laude, quâ Martium decus Romanis, gentium victoribus, ereptum, stabili disciplinæ severitate feliciter tuentur, ipsa etiam pacis ornamenta, literas optimasque artes decoquenti Græciæ ac Italiæ dormitanti (quod pudeat) abstulerunt.* At idem Jovius si ad gentis, præsertim Danicæ, acta antecedentia mentem flexisset, etiam antiquissimis seculis cum Marte coluisse Musas comperisset, &, ut Saxo habet noster, eandem conspicuis fortitudinis editis „ operibus, gloriæ æmulatione suffusam, Romani styli imitatione non solum rerum à se „ magnificè gestarum titulos exquisito contextus genere, veluti poëtico quodam opere „ perstrinxisse; verum etiam majorum acta patrij sermonis carminibus vulgata, linguæ „ suæ literis, saxis ac rupibus insculpenda curasse. Scilicet hoc ipso docere quasi nos volens, quid id esset quod Tacitus initio sui libri de Germanis memorat, eos *antiquis celebrare carminibus* (*quod unum apud illos memoriæ & annalium genus est*) *Tuisconem Deum & filium Mannum:* antiqua nimirum Carmina, has ipsas memorias hosque annales intelligendos, qui, rupibus insculpti, vastis se molibus ostentarent, codicum usum à cautibus mutuantes. In his præcipuè ingeniis ingentisque spiritus viris primum sibi apud Danos vindicarunt jam olim locum, quos *Scioldros* vocitabant. Eos subinde fatidicos & triplex eorum genus agnoscit Saxo. quos nec alios fuisse, quàm qui Ammiano Marcellino *Bardi*, *Eubages* & *Druides* appellantur, alibi demonstravimus. Nam *Bardos* fortia virorum illustrium facta cecinisse refert; *Eubages* summa & sublimia naturæ indagasse: *Druidas* verò ingeniis excelsiores secundum Pythagoram quæstionibus occultarum rerum aliarumque erectos ac despicantes humana pronunciasse animas immortales. Quorum inter ceteros Bardi à sono & murmure, quod cantitando edebant, ità propriè appellati,

Ingenia Danica.

Danorum Scioldri.

Pag. 14. superius.

lati, à **baeren** & **baerden**/ ut alibi ostensum: Dani ab eadem nominis ratione, *clangorem* significante, *Scialdros* dixerunt. Notavit eleganter Lucanus:

Vos quoque qui fortes animas belloque peremptas
Laudibus in longum vates dimittitis ævum,
Plurima securi fudistis carmina Bardi.

Scioldus Rex.
Hiarnus.
Scialdrus.

Talis fuit in ordine Daniæ regum quartus, qui *Scioldus* est dictus, & cujus vocabulo, ut refert Saxo, in vetustissimis Danorum carminibus regia nobilitas censita est: Talis quoq; *Hiarnus* ille, vernaculè *Scial* sive *Scialdrus* cognominatus, qui defuncto rege Frothone tertio, qui ævo Augusti claruerit, ita populum proceresque, paucis suo more concinnatis vernacule versibus, affecit, ut omnium suffragiis regium diadema acceperit. Exilis opera, sed merces ingens, & quæ Africani illius Scipionis liberalitatem longe post se reliquit: qui Ennium suum, viventem adhuc, statuâ, defunctum sepulturâ honestasse satis habuit.

Eschillus archiepiscopus.

Sed ab illâ remotissimâ ætate ad tempora sequentia descendendo occurrit inter primos memorandus *Eschillus* archiepiscopus Lundensis, *vir*, ut eum celebrat Arnoldus Lubecensis ejus coætaneus, *summæ pietatis, quique relicta episcopatu & patria ad Claraevallense in Gallias cœnobium se contulit, ubi sancte ac juste vivendo vitam in pace finivit, loca multa ex omni ordine spiritualium in patria construxit. Quæ quasi cedrus Libani multiplicata, non solum Daniam, sed ut vineam domini Sebaoth, extensis palmitibus, usque ad mare, imo ultra mare etiam Slaviam repleverunt.* Hactenus ille. monasteria autem quæ ab ipso domi exstructa injicit, ea omnia uni divo *Bernardo* esse sacra dicataque voluit.

Eschilli cum divo Bernardo familiaritas.

Eum ille virum quanti fecerit, cum ex hoc, tum ex iis, quę supra retulimus; & quàm vicissim ipsemet Eschillus Bernardo gratus amatusque fuerit, ex ejusdem D. Bernardi epistolis, quarum una alteraque ad Eschillum exstat, esse cuivis perspicuum potest. Prodierunt jam nuper Lutetię Parisiorum Epistolę Petri Abbatis Cellensis, divo quoque Bernardo coætanei; In iis ad Eschillum hunc nostrum perplures habentur. Omnium ad eum ultima libri octavi prima est, in quâ spirantia sunt omnia, & plena pietatis: Ea etenim postquam Clarevallem venisset scripta. hac eum solatur dicam, an gratulatur potius, quod, relictâ mundi inquietudine, se inter monasticos Clarevallenses abdiderit. Sed ipsa Cellensis verba superius quidem recitata hîc repetere haud injucundum fuerit. Sunt autem ista: *Circumferimur, periclitamur, naufragia experimur, & exire dissimulamus? quis non optat portum, ne incurrat naufragium? quis non præcidit hærentis in salo naviculæ funem, ne sentiat tempestatem? Gaudeo quia tenes jam portum, sedens ad portam sanctæ civitatis.* Quæ ceteraque ibi videnda.

Absalon Vidus.

Eschillum *Absalon Vidus* excepit, ex Snareorum prosapiâ vir nobilissimus multisque animi dotibus clarus, qui jam ante Roschildensium episcopus, inde ad cathedram archiepiscopalem Lundam evocatus, se per omnia togâ & sago præeminentem exhibuit. Rebus etenim sub Valdemaro I, ejusque filio Canuto, ab anno Christi 1158 ad an. 1200 universis non interfuit modò sed & pręfuit: nec antistitis tantùm sed & ducis exsequendo munia se veluti scopulum, initio rerum, piratarum conatibus objecit. Nam ipse descripto circa recessus omnes portuum pręsidio navium, laribus ac domo procul, maritimas stationes peragens suis excubiis omnium quieti consulere studio habuit. Nec minus tum quoq; illius eloquentiam forum ac publici conventus salutarem sensêre, dum ad rixas & vim prolapsas conciones domesticas suâ mansuetudine ad modum sedatiorem reducere curaret. Atque ità, more majorum, & quomodo illi olim rei Romanæ florentissimi imperatores, non secius militem, quàm pontificem agens, Slavię populos eorumque ferociam identidem compescuit. Sed hæc aliaque domi forisque pręclare ac feliciter ab eo gesta ex annalibus & iis, quæ supra memoravimus, pro parte repetenda. Decessit XII cal. April an. 1201, completo vitę die apud Zælandos in monasterio, quod ipsemet ibi ædificari fecerat, Sorano. ubi & sepulturę honore decoratus est. Epicedium, quod ejus tumulo est incisum, vitio longi ævi hisce tantùm primoribus vocibus legi hodie potest: *Terrarum terror tegitur.* Cœnobium, quod indicavimus, suis impendiis è solo excitavit, addito Sorę oppidulo, quod postea, subductis ædificiis, in arva conversum est. Inter ceteras fundati ejus causas haud inter postremas memoratur, voluisse ipsum ut in eo viri eruditione pręstantes alerentur, qui regni annales resque posterorum memoriâ dignas chartis quotannis mandarent, quod nimirum non ignoraret, quanta fuisset antecedentium seculorum auctorumque eâ parte socordia.

Andreas Sunonis.

Absalonem sequutus *Andreas Sunonis*, regni cancellarius (Saxo in operis sui pręfatione *sigilli regij custodem* appellat) vir claris natalibus

natalibus ipsiusque Absalonis è fratre pronepos, quique à regibus, ut patet, unà cum *Eschillo* genus ducebat, in locum defuncti surrogatus pronunciatusque est Lundensium archiepiscopus. Diu ille in Galliis, Italiâ Angliaque per omnem honestarum artium cultum ætatem transegerat, utpote qui Lutetiæ Parisiorum publice docuit, & tandem ad lares reversus regni rebus admotus fuit. Quantum vero in studiis literarum profecerit, ostendunt *municipales Scanensium leges*, quas e vernaculo Latinas fecit, impressas, edente regni Cancellario nobilissimo *Arnaldo Vitfeldio*, felicis memoriæ, annos ante triginta, & quod excurrit, Hafniæ. Ostendunt quoque hoc ipsum & alia ingenij ejus opera, & præsertim *Hexameron*, sive de Mundi creatione Carmen Heroicum, haud inelegans, quod suo aliquando tempore, si Musæ faveant, lucem videbit. Talibus viris, sive sidera potius appellem, lucentibus, nihil mirum & alia extitisse clara ingenia. Sane Italiam, Galliam, Germaniam ceteramque fere Europam universam barbaries tum occuparat, adeò ut isto propemodum terrarum angulo extremoque boreâ, quod mirandum, elegantia ac decus literarum steterit. Tunc etenim, suis tantummodo notus, interque frigora atque Arcton studia fovens, hoc exemplo maximus longeque admirabilis rerum Danicarum scriptor emicuit *Saxo Grammaticus*, ecclesiæ Roschildensis Prępositus, è vetusta atque inclyta LANGIORUM familiâ oriundus. Quem exinde seculis aliquot, ubi emergere è vepribus ac tenebris ignorantię densissimis caput cæpisset doctrina cultior, admirati sunt viri doctiss. & in his magnus ille Desiderius Roterodamus, illo ævo hominem Danum non modò splendide magnificeque gentis suæ historiam contexuisse, sed ad id exsequendum attulisse insuper ingenium vividum & ardens, orationem nusquam remissam aut dormitantem, tum mirificam verborum copiam, sententias crebras & figurarum admirabilem varietatem, ut exputare iterum iterumque haud potuerint, unde homini ad axem propemodò extremi boreæ posito tantâ vis eloquendi eâ ætate promanarit. Habuit ille operum suorumque studiorum impulsorem præcipuum ac veluti ergodioctem, Absalonem Vidum, cujus jam modo memini, Lundensem archiepiscopum. In cujus quoque gratiam ac decus suę gentis, historiam, quæ hodieque est in manibus, Latine contexuit. Unum optandum fuisset, si adjectâ annorum ærâ, lucem majorem rebus addidisset, & inductis quoque ævi illius incerti ac vetustissimi nonnullis, quod ad libros pręsertim primores attinet, historiam magis quam fabulas, quod ei Vives impingit, posteris tradidisset. Nam cetera sane (licet & ista quibus tueatur habet) ejusmodi sunt, quæ à legibus legitimę historię nihil abeant. Estque egregium hoc pacto felicemque rerum suarum præconem nactus Rex *Valdemarus* eique proximus *Absalon*. qui haud satis existimarunt summâ cum gloriâ maximoque patrię emolumento rès præclaras perpetrasse, nisi earum quoque egregium hunc scriptorem sibi familiarem reddidissent: in morem scilicet veterum illorum, cujusmodi fuêre apud Romanos *L. Lucullus*, qui Archiam poetam coluit, ut & *Marius*, licet ad studia, ut inquit Cicero, durior: Cujus tamen res Cimbricas, ut idem refert Tullius, Archias adolescens attigit: Et ille item *Scipio Africanus*, qui nihil historiâ & rerum memoriis ad posteros transmittendis pręstantius ducens, secum domi militiæque Polybium habuit, ut & Ennium poetam: quem exinde defunctum suo in mausoleo deponi Scipiones voluerunt. Erantque de Grammatico nostro plura dicenda nobis, & ejus pręsertim vitiligatoribus, quos nactus est plures, nonnulla seorsim pleniusque reponenda: sed ea omnia claudam verbis viri clarissimi mihique singulariter chari *Gerardi Iohannis Vossij*, quæ posuit Libro 2 de Historicis Latinis, ista scilicet: „ SAXO GRAMMATICUS Sialandicus, Roschildensis in Daniâ ecclesiæ Prępositus, ad Andream Sunonis, Daniæ episcopum, historiam scripsit Libris XVI: in quâ non pauca sunt fabulosa: ut haud cuncta recipi debeant ἀβασανίστως. Nec tamen tantus est fabulator, ac videtur nonnullis; qui eum nullo habent loco. Inter hos est Goropius Becanus: de quo minus est mirandum, cum argumentum tractet, non παράδοξον modò, sed etiam ἄδοξον. Rejicit igitur non quidquid debet, sed quidquid obest causæ semel susceptę. Quod ad Saxonis dictionem, tanta hujus est elegantia, ut ætatis illius captum plane excedat: imo cum antiquorum & nostri seculi plurimis certet. Perduxit historiam suam usque ad tempora Philippi Cæsaris, sub quo non inglorius vivebat. Mentio ejus fit ab eo, qui Saxonem in Dania, aut vidit, aut videre potuit: discipulo dico S. Gulielmi, Roschildensis in Dania abbatis, apud quem in præceptoris vitâ hæc legas: *Mittit itaque in Gallias Saxonem, Præpositum Roschildensem, virum honestum, qui ab S. Genovefæ collegio petat dominum Vuilhelmum, cum aliis tribus fratribus, mitti in Daniam &c.* Hactenus Vossius. *Gulielmus* verò iste, Parisiensis dictus, abbas fuit cœnobij apud Danos

Saxo Grammaticus.

Vu u Ebelhol-

cteribus impressum iri; præsertim id affirmantibus consultissimè, Reverendissimo in Christo Patre Dn. Erico Walchendorff Archiepiscopo Nidrosiensi, & Apostolicæ Sedis Legato dignissimo, nec non Regio Cancellario viro nobilissimo Magistro Avone Bilde, Ecclesiarum Lundensis & Wibergensis Præposito. Mandatis itaque Regis, Sapientiæque tuæ præsul dignissime adhortationibus gravissimis obtemperans, Saxonis imprimendi munus commisi Excellentissimo viro Magistro Iodoco Badio Ascensio, litterarum bonarum apud Parrhisios interpreti, chalcographoque peritissimo, qui quale nunc vides opus, tuò nomini felicissimo inscriptum emisit, Regum omnium Catalogo, & totius Historiæ Indice litterario illustratum. Quapropter effeci, ut qui ab unis, & iis paucis Danis hactenus legi potuit; ad Italos, Hispanos, Gallos, Germanos, omnes denique Christianos facilè possit perferri. Habe itaq; molimina mea commendata, ac vale Daniæ decus, præsidiumque meum. Ex Parrhisiorum Academia Clarissima. 14 Martij, 1514.

A Saxonis verò horumque illustrium virorum obitu justitium veluti optimarum literarum fuit: inciditque seculum horridius quodque communi cum ceterâ Europâ barbariæ quasi nube Daniam involvit. Exeruit se tamen, caputque è nubilis post unum alterumq; seculum protulit *Petrus Laglandus*, *Lolle* vulgo dictus, aliis *Lalle* cognominatus, vir insigni nobilitate ac judex territorij Hallandensis, ut eum celebrare videtur felicis memoriæ Vitfeldius. *Petrus Laglandus.* Alij aliter & alia memorant. Volunt enim ecclesiæ Roschildensis fuisse Præpositum, & amore bonarum literarum curasse ut sua ab obitu ossa conderentur in ludo, qui ibidem Roschildiæ est, literario. Is igitur *Petrus* Rythmos ac dictà proverbialia vernaculo sermone evulgavit, aut verius post excessum ejus evulgata sunt; prodieruntque primo, typis excusa Lutetiæ Parisiorum, sub annum *1515.* atque inde recusa haud semel Haffniæ superioribus annis. Hisce adagiis, quæ non unam chiliadem conficiant, cum multa inspersa habeantur, quæ lectorem haud ignavum delectent amæneque recreent: ita vicissim intercurrunt, quæ utiliter doceant vitæque esse usui universæ queant. Et, præter hæc, indicio sint, eam esse linguæ atque idiomatis Danici non elegantiam modò sed ubertatem quoque, ut etiam proverbiis certare cum duabus copiosissimis atque instructissimis linguis Græciæ ac Latij possit. Daniam quoque alumnam suam solumque natale agnoscit *Mathæus Delius* sive *Dalius* fuerit, Astronomorum sui ævi clarissimus, qui, ut inter cetera Variarum suarum Lectionum libro Volphius, itemque Rantzovius memorat, sub annum *Matthæus Delius.* *1551 Philippo* Hispaniarum regi ex themate nativitatis ejus, suppeditante id ipsi Caroli V. Imperatoris archiatro, ejusque judicium efflagitante, paternarum hæreditatum imminutionem prædixit; lapsurumque eo ipso momento potentiam ejus, cum ad summum promota spectaretur. Idque ex Marte, ut vocant Astrologi, in secundâ retrogrado, & à lunæ lumine damnato. *Lollium Matthæumque* ætatis ac dignitatis merito jure præcedet, inter ipsos nobis memoratus reges, serenissimus *Ericus* X. Cui non solùm sceptri multos *Ericus X. Rex Danorum.* per annos gnaviter defensi decus, sed & gentis suæ eam, quæ est in manibus, Chronologicam à Dano primo, ad annum usque CIↃ CC LXXXVIII continuâ annorum serie unà cum gentis Origine deductam Narratiunculam debet Dania. Quam & ipsam ad sua usque tempora cur minus persequutus fuerit, queri magis, quàm à rege tot tantisque implicito negotiis rationem exigere, meritò habemus. Ità ille perplurima passim, nec aliis uspiam memorata, lectori non otioso suggerit: Quæ & nos suis quæque locis, quantum id licuit, haud omisisse superius existimo. Laudatur inter Danos quoque aut è Daniâ oriundus *Nicolaus* sive *Claudius Niger* mathematicus. Cui obstrictos profitetur doctos *Claudius Niger.* omnes Franciscus Irenicus ob Daniæ universæ delineationem: quam ille petitione Regis impulsus deproperarit illo suo tempore perelegantem, eodem memorante Irenico. Extulit Roschildia, cathedralis olim Sælandiæ præsulis sedes, *Petrum Parvum*, cognomento *Petrus Parvus.* *Rosæfontanum*, Equitem Danum, elegantis ingenij virum, Eloquentiæ in Academiâ Haffniensi professorem, qui res Regis *Iohannis*, ejus nominis primi, terso dicendi genere exsequutus, etiam Calumnias uno eodemque volumine confutavit *Iohannis Magni Gothi* Upsalensis: Quibus ille, partim pravè ad suum sensum detorto *Saxone Grammatico*, partim invidiæ lolligine incitatus, lacerare atque incessere Danicam gentem, famosâ sub *Gaddij* cujusdem nomine edita oratione, instituerat. Sed ei non minus doctè quàm verè respondit *Rosæfontanus* & hominis insulsi sordidas atque aniles nænias orbi universo spectandas repræsentavit. Protulit Ripa Cimbrorum Petro Rosæfontano cognominem *Petrum Palladium* sacrosanctæ Theologiæ Doctorem ac Professorem item Academiæ Haffniensis, præsulem Roschildensem, virum solidioris doctrinæ laude clarum. *Petrus Palladius.* quod ejus, præter catecheticas institutiones, Summaria testantur, sive Brevem potius appellare libet in

omnes Bibliorum libros magnâ cum curâ contextam seriem ut omittam, qui de Prodigiis ab eodem est concinnatus, eruditum Commentarium aliaque. Ei successor exinde datus

Paulus Matthiæ. *Paulus Matthiæ*, cui, Zelandiæ urbs, Coagia natalis fuit. Isque dicendo docendoque famigeratus etiam posteritatèm eruditi sui ingenij monumentis post se relictis sibi demeruit. Fato functus est postquam episcopatum Ripensem administrasset annos octo, Roschildensem viginti.

Jacobus Matthiæ. Nec omittendus *Iacobus* quoque *Matthiæ* Arhusiensis Cimber, literator ac Theologus insignis. Ei primam nominis claritatem addidit de literis doctissimus Commentarius sive libelli sunt, qui in omnium hodie, qui de linguis, tam vernaculâ quam exoticis ac orientalibus, quærere amant, eruditorum manibus ac museis habentur. Docuit Haffniæ, adscitus primò in numerum professorum Humanitatis, inde philosophiam theoreticam ac linguam Hebræam explicuit: cujus erat non minus quam reliquarum, Latinæ & Græcę, ad miraculum usque peritus. Postremò in ordinem professorum Theologiæ adlectus, obiit circa annum Christi 1586.

Erasmus Lætus. Dedit item nobis eadem Cimbria *Erasmum Lætum*, virum in omni literaturâ summum. Nam & Theologię professionem Haffnię sustinuit. Inter exteros diu versatus Galliam, Italiam Germaniamq; perreptando omnigenæ doctrinæ spico suam instruere penum curæ habuit. Suntque documento edecumati, quos edidit, libelli, longo recensu in Indice Gesneriano memorati. Felicitatem in carmine ejusq; ubertatem ingenij ostendunt pręcipue ex officinâ Operinianâ èvulgati quatuor de re Nauticâ libri; & undecim Rerum Danicarum heroico versu typis Francofurtensibus editi. Tum & Psalmi explicati; nec non Moralia colloquia miro ingenio atque urbanitate. Meminit alicubi & Noribergica à se scriptitata, quæ videre non contingit.

Johannes Pratensis. Extulit quoq; Cimbrorum Arhusia *Iohannem Pratensem*, Philippo patre Gallo, Regibus ab officiis percharo, natum; medicum, philosophum ac philologum clarîs. Quod ostendat vel Parænesis ejus, quæ addita est Ideæ Medicinæ Philosophicæ *Petri Severini*: Complectens heroicis versibus, oppido elegantibus, ac rore passim archaico perspersis, fundamenta universæ Medicinæ Paracelsicæ, Hippocraticæ ac Galenicæ. Obiit Haffniæ in auditorio Medico 1576, repentinâ morte, ætate non admodum provectâ docens è cathedrâ ac sanguinem desubito evomens; ejus, ut videtur, circa præcordia ruptis vasis. Corporis fuisse staturâ perexiguâ memoratur: sed, ut ille ait, *hoc mente major, quo minor figurâ.* Defunctum luxêre amici veris lachrimis.

Petrus Suavenius. Pratensem ætate ac tempore præcedit *Petrus Suavenius* Regius consiliarius, ac functus aliquoties in academiâ rectoratus munere. Ad eum epistolas aliquot missitatas reperio à Joachimo Camerario, Germaniæ Phœnice. Reperio præterea, eum ex quatuor Comitibus Martini Lutheri, ad Comitia Wormaciensia euntis, fuisse unum, & quidem tum adhuc studiis operantem. Ceteri erant *Iustus Ionas* & *Amsdorfius*, Theologi: ac *Schurfius* jurisconsultus. Reperio & nomen *Georgij Suavenij*, nepotis an filii? Hodæporcio sive legationi Moscoviticæ, quam serenisſ. Fredericus II ad Iohannem Basilij Magnum Moscoviæ Ducem an. Christi 1575 instituerat, descriptam ab archego ejusdem viro nobilisſ. summæque prudentiæ *Iacobo Vlefeldio* seniore, præter cetera, interspersum.

Johannes Franciscus Ripensis. Celebratur quoq; aut celebrandus suo merito *Iohannes Franciscus Ripensis*, poëta simul & Medicus, Musicusque omnibus suis numeris absolutus. ut verè eum Apollinis fuisse pullum dicere liceat. Ei poetices laurea non è trivio aut à trivialibus data, sed à poetarum, quem habuit Germania, principe *Petro Lotichio Secundo*. Cujus hoc nomine libuit adscribere versus, laurum Appollinarem Francisco tribuentis: qui ejusmodi sunt:

Laure Palatini quæ consita principis horto
Ad Nicri liquidas innuba surgis aquas,
Cresce precor, non tu rigido violabere ferro,
Non in fumosos ibis adusta focos:
Aonio cinges juvenilia tempora vati,
Æternum servans fronde virente decus.
Hunc meus ingenio meruit FRANCISCUS *honorem.*
Nobilius per quem Dania nomen habet.

Ejus Carminum Libros duos edidit Antonius Gryphius Sebastiani filius. Quibus SEBASTIANI GRYPHII Tumulus & alia quædam diversorum authorum calci sunt addita; in Pręfatione libelli istius hæc de nostro *Francisco* Gryphius filius: „ Divertit superiori hieme ad „ nos doctisſ. vir Iohannes Franciscus Ripensis ex Cimbrica Chersoneso Daniæ oriundus: quem

quem propter insignem eruditionem & morum integritatem, quæ in ipso elucebat, statim summo amore prosecutus sum, dedique operam, quibus potui officiis, ut me in amicitiam ipsius familiaritatemq; intimam insinuarem, Voti factus compos, frequenter diuque de variis poetis, in quibus ipsum non infeliciter versatum esse inveni, singulis fere diebus, donec apud nos vixit, commentabamur. Ipseque mihi prçclarum sui in isto studij genere progressus argumentum de Obitu potentiss. Regis Daniæ, Norvagię & Christiani III, Carmen egregium obtulit: quo lecto mirificè ob insignem felicitatem cum suavi quodam lepore conjunctam, quæ inde spirabat, delectatus sum. Idemque data occasione me in lucem editurum melioribus typis sponte recepi, &c. Hactenus Gryphius. quæ scripta sunt anno Christi 1560; cum in fata exinde concesserit Franciscus circa annum 1584; postquam in Academiâ Regiâ Haffniensi fideliter & cum uberi auditorum fructu docuisset annis circiter viginti quatuor. Huic proximus jungatur, Francisci, ni fallor, popularis, id est Ripis quoq; natus, *Iohannes Suaningius*, juventę Frederici II moderator additus, canonicus postmodum Ripensis, vir eruditi ingenij ac laude eloquentiæ inclitus. Quo etiam nomine Rex serenissimus Christianus III Frederici parens ei post varia togæ munera, atque institutionem filio præsertim laudatissime præstitam scribendæ historiæ Danicę provinciam demandavit. Nec ab eo nisi eximium quid, & numeris suis absolutum omnibus, expectandum fuerat, si fata vitam ulteriorem indulsissent. Ei, ni fallor, successit V. Cl. *Andreas Vellejus*, qui scribendæ historię patriæ provinciam ex regio item mandato suscipiens primo nobis Adamum Bremensem præclaris adnotatum ornatumq; scholiis Haffniæ typis descriptum emisit. Inde Saxonem Grammaticum vernacule loquentem popularibus exhibuit, cum eandem jam ante *Christianus Petri*, Lundensium Canonicus, sed minus respondente eventu, versionem tentasset. Qua eâdem tempestate hisque iisdem nutritiis, *Christiano* III & *Frederico* II inclytis Regibus, eluxit sine pari clariss: *Nicolai Hemmingij* ingenium. Qui primum felici & laboriosâ operâ in Academiâ Haffniensi artium & linguarum studia multorum utilitati propagavit: Theologicæ professioni adhibitus eam lucem scriptis Propheticis & Apostolicis Methodi brevitate ac claritate attulit, ut non domi solum, sed cunctis Europæ doctis admirationi fuerit; fatalibus Theologorum controversiis præter expectationem involutum servavit innocentem numinis benignitas; ac demum ob diuturnos in Scholâ labores grato honestoq; donatus otio senex, vitæ satur mortalium curas contempsit, ac Deo servatori spiritum firmâ fide commendans obiit octuagenario major Anno Christi CIƆ IƆ C. Maij XXIII Roschildiæ. ubi & sepulturæ exequiis honoratus est. Solum illi natale fuisse Lalandię insulam in vico Einbolts dicto, superius suo loco dixisse memini. Et ut eum sacrarum literarum studium omnibus admirabilem ac clarum reddidit, dum eam mortalibus monstrat viam, quæ ad illud ducit coelum, in quod raptum se Apostolus testatur tertiumque nominat; ità ejusdem coætaneus *Tycho Brahe* (non Scaniæ tantum suæ, ubi felici primò siderum concursu auram hausit vitalem, sed Danię omnino, imo Europæ totius immortale ornamentum) conspicuos & oculis incurrentes cælos propius nobis aperuit. Postquam enim laudatissimæ memoriæ *Fredericus* II, Daniæ Rex, huic illustri ac nobili viro insulam Venam, de quâ superius dictum, eo fine inhabitandam ac possidendam concessisset, ut ibi philosophię studiis & imprimis astrorum contemplationi ad artis instaurationem invigilaretur, extrui ibidem sub annum 1575 Uraniburgum, insignem arcem, in insulæ meditullio Tycho fecit. Quam & variis exinde iisq; exactis Mathematices instrumentis, quę ipse non minus labore, diligentiâ, industriâ quàm impendio incredibili adinvenit fierique curavit, oportune exornavit instruxitq;: Et insuper studiosis juvenibus sibi ut domesticis assumptis (quos inter & me nomen profiteri meum laudi mihi duco, cum ei triennium circiter suavissimè cohabitarim) ea annorum fere viginti curriculo perfecit absolvitque opera, quibus hodie ut Hipparchus aliquis aut Timochares totâ passim Europâ celebratur, relictis, præter cetera, posteritati ejusmodi coelestium corporum Observationibus, quas prçcipue hactenus desideravit scientiarũ omnium antiquissima ac prçstantissima Astronomia, ut hisce nimirum adminiculis ea solide aliquando constituta vindicari à mendis plenèq; instaurari ac perfici possit. Inter eos, qui ad eum undique è Galliâ, Germaniâ, Angliâ atq; aliunde confluere viri docti, ac coram spectare atque admirari ista consueverant, haud in postremis memorandus Magnæ Britanniæ Rex *Iacobus*. Is etenim, celebratis cum *Anna* Reginâ optatissimis in Daniâ nuptiis; integro apud Tychonem triduo in ipsâ insulâ suavissimè subsistens haud satis quæ mentem quæque oculos pascerent, circumspicere palamque fateri habuit. Nam postmodum in

Iohannes Suaningius.

Andreas Vellejus.

Nicolaus Hemmingius.

Pag. 722.

Tycho Brahe

regnum redux, hæc, inter cetera, è Regiâ ſuâ Sancrucianâ calend. Auguſti 1593, Tychoni perſcripſit: Aſtronomica illa verè præclara, quæ tu indefeſſo ſtudio tot vigiliis elucubraſti, quum te editurum, tum ex tuis ad nos literis, tum ex Junio noſtro intelligeremus, obnixeq; peteres, quo ornatiora ac tutiora prodirent, ea noſtro elogio verſibus ſcripto proſequi, privilegiumque noſtrum Regium concedere non averſaremur; utrumq; certe tuę ſingulari virtuti atque ſuſpiciendæ eruditioni non gravate indulgendum exiſtimavimus. Neque enim nobis ex aliorum relatione, aut nudâ Operum tuorum inſpectione iſta diſcenda fuerunt. Verum ipſi coram noſtris oculis, noſtris auribus autoptæ καὶ αὐτήκοοι in tuis illis Uraniæ dicatis ædibus ea vidimus, ea audivimus, variiſque literatiſſimis atque jucundiſſimis tuis nobiſcum habitis ſermonibus hauſimus, quæ etiamnum animum noſtrum ità afficiunt, ut majorene cum voluptate an admiratione iſta nobiſcum recolamus, difficile ſit ſtatuere. Quod equidem nos non illubenter omnibus mortalibus, præſentibus, futuris, hoc diplomate teſtamur, uſque adeo, ut ſi quis de induſtria Uraniburgum tuum adire velit (niſi prorſus ἄμουσος ſit) domum reverſus operæ prętium ſe retuliſſe comperiat. Tychoni proximum locum, nec longo proximum intervallo, jure meretur *Henricus Ranzovius*, Cimbricæ nobilitatis ut apex ac decus, ità animi vel maximè præclaris dotibus omnique liberali doctrinâ oppido inſignis. Is etenim, licet Regiâ præfecturâ arduiſque Ducatus non Holſatici modò, ſed regni quoque univerſi negotiis toto vitæ curſu occupatiſſimus, ea tamen eruditi ingenij emolitus eſt opera Aſtrologica, Hiſtorica, Politica, Militaria, Philologica, Philoſophica aliaque cum ſua, tum aliorum etiam, dum à blattis ac ſitu vindicare ea ſtudio habet, ut ei, hoc nomine, vix pares habeat, quas ei perſolvat, grates poſteritas. Eſt & ejus ſub nomine minimè tacendus *Chriſtianus Cilicius* Cimber. qui hiſtoriam Dithmarſicam accuratè non minus quàm doctè atq; eleganter exſequutus eſt. Hic ſe Ranzoviani Muſei domeſticum fatetur, & interioris apud eum admiſſionis, accepiſſe multò maximam partem, veluti ſegetem hiſtoriæ ſuæ, ab ipſo Ranzovio. Extulit præterea Cherſoneſus Cimbrica, ejuſq; haud infima urbium Ripæ, *Petrum Severinum*, Philoſophum ac Medicum, mirâ excellentia aliarumque ſcientiarum ac virtutum præſtantiâ omnibus ordinibus ſummè charum, duorum ſereniſs. Danię Regum Frederici II & Chriſtiani IV archiatrum, Canonicum Roſchildenſem. Cujus Idea Medicinæ, typis Henrici Petri ſub annum Chriſti 1571 Baſileæ deſcripta, Doctrinæ Paracelſicæ, Hippocraticæ ac Galenicæ fundamenta, hactenus in obſcuro poſita, ità eruit, ac eruditi ſtili verborumque involucris explicuit dicam an texit, ut hodie non niſi initiatis & artis utriuſq; myſtis ad ea ſacra aditus ac via pateat. Ità ſcilicet arduum nunc ſemperque habitum, obſcuris lucem, faſtiditis gratiam, vetuſtis novitatem, dubiis fidem, ignotis nomina dare. Quod ſe tamen ſequutum, an aſſequutus fuerit, aliorum arbitrationi permittere ſe profitetur. Agnoſcunt quoque eandem Cherſoneſum patriam ſuam duo *Cragij Andreas* & *Nicolaus*. Quorum ille artium optimarum Haffniæ profeſſor, ac doctor Medicinæ philoſophicis diatribis exercitus mireque felix ac dexter in enucleandis ſophiſmatis, ei quoque rei excellentis ingenij ſui fœtus ſtudioſæ inventuti reliquit, qui hodie in omnium fere habentur manibus. At *Nicolaus*, legum ac Juriſconſultus clariſſimus nec minus linguarum, & Græcę præſertim, haud proletarie peritus, eam Haffniæ non modo publice docuit; ſed ejus quoque egregium ſpecimen edidit publicando atq; omnium uſui judicioque exhibendo quatuor de Republicâ Lacedęmoniorum libros multiplici ut lectione ità eruditione refertos. quibus ille eam, adeò multis jam ſeculis everſam peſſundatamque, præclaram imprimis rempublicam, ex veterum monumentis, Græcis Latiniſque, ſed illis præcipue, poſtliminio luci reſtituit, dedicatam ſereniſs. regis Chriſtiani IV. magno Cancellario *Nicolao Kaaſio*, literarum ac literatorum ſingulari mœcenati. Latio quoque primus donavit Heraclidæ Pontici de Politiis libellum: itemque Excerpta *Iohannis Stobæi* ſive Collectanea ex *Nicolai Damaſceni* de Moribus Gentium univerſali hiſtoriâ. Eaque Nobiliſſimis atque elegantiſſimis viris *Frederico* & *Oligero Roſecrantiis* conſecravit. Inde regio nomine variis obitis legationibus, Sorenſi tandem Præfecturâ à Rege ſereniſſimo eſt honeſtatus; ut eo in receſſu (demortuis jam ante, de quibus eſt dictum, *Iohanne Suaningio* & *Andrea Vellejo* regiis hiſtoriographis) Danicam hiſtoriam ad colophonem perduceret. Ubi dum agit; jamque frui donato otio parat, ſtatim initio præfecturæ ſuæ rebus humanis eripitur. Ab hoc eidem ſcribendæ hiſtoriæ provincia eſt demandata elegantiſſimi ingenij viro *Ionæ Iacobæo* mihi dum viveret amiciſſimo, *Venuſini* cognomine, quòd in inſula Porthmi Danici *Venuſia*, vulgò *Venam* dicimus, eſſet progenitus. Hic Regius Haffniæ profeſſor, cum eſſet ſimiliter

Henricus Ranzovius.

Chriſtianus Cilicius.

Petrus Severinus.

Andreas & Nicolaus Cragij.

Ionas Iacobæus.

Sorenſis

Sorensis Præses declaratus, ac se jam totum studiis honesto in otio mancipare cogitaret, communi luce privatus est: nullis magnopere editis scriptis clarus, nisi Theorematibus aliquot, quæ de historiâ, tum verâ tum falsâ fabulosâque, promulgari fecerat, cum in Academiâ adhuc professionem sustineret. Meretur singularis eruditio *Isaci Gronbeccij*, quem an Zælandia nobis dederit, an verò alia Daniæ provincia, quod dicam non est, ut eum Jonæ nostro quàm proximum accenseam. Nam & ille, quondam etiã amicus noster, ingenij sui vix quidquid posteris reliquit præter pagellas aliquot Lugduni Batavorũ Francisci Raphelingij, chalcographorum clarissimi, typis promulgatas de literis Hebræorum. Quas tamen æstimatione sui ac pretio supra multorum volumina haberi intelligo. Edidit præterea Apohthegmatum Ethicorum ac Politicorum ex Taciti, quæ exstant, operibus Eclogam Franekeræ Frisiorum. nec alia ejus vidisse memini, nec edidisse quoque existimo, utpote qui è medio studiorum cursu ad res Ecclesiæ mature evocatus atque ultimò demum Præsulatu Nidrosiensi apud Norvagos honoratus dicam, an oneratus, amœniorum exinde literarum curam seponere necesse habuit, fato suo in eadẽ illa apud Norvagos statione defunctus annis superioribus. Fuit item celebri apud Danos famâ *Johannes Machabæus* Alpinas, ut & *Christianus Machabæus* filius. Nam ille ex nobili Macalpinorũm familia oriundus in Scotiâ, religionis causâ in exilium actus Daniam petiit. Unde vicissim pseudopontificatum Romanum exigere cum ceteris studio habuit. Cumque annis plus minus quindecim in Academiâ Haffniensi salutis doctrinam propagasset, & illustriss. regis D. Christiani III omniumque bonorum favorem meruisset, in patriam cælestem translatus est, anno 1557. Decemb. die 5, relicto, quem diximus, filio *Christiano Machabæo* regio quoque in Academiâ Haffniensi post parentem professore. Cujus præter eruditam ac piam Orationem funebrem, quæ ab eo est habita de vita & obitu illustris ac strenui viri *Herlefi Trolle* Herlufsholmiæ toparchæ equitis aurati, Senatoris atque architalassi regij prudentissimi, nostras ad manus nihil pervenit. Hujus nobiliss. viri *Herlefi* inquam *Trolle* ejusque fati meminit in Bataviâ quoque suâ Hadrianus Junius Hornanus, ut id hoc loco obiter atque istâ occasione interjiciam. Sunt enim verba ejus cap. 23, ista: Extat in hodiernum diem eâ in gente (Danica) antiquissima primæque nobilitatis familia Trollorum (è quâ *Herlefus Trolus* Danicæ classis præfectus comitate & eruditione clarissimus, singulari me amore complexus illuc evocatum, fuit, abhinc quadriennio morte indignâ in navali prælio contra Suiones absumptus) qui pro clypei insignibus ostentant Troli, id est, dæmonis rubri rutilive truncum, capite extra clypeum in apice cassidis supereminente: quod honoratæ militiæ insigne accepisse putantur, dejecto atque obtruncato in acie Gothici nominis principe. Hactenus Junius. Quibus si adjiciam, qui superstites etiamnum sunt, aut si defuncti, nuperrime defuncti sunt, *Andream Christianum* Medicum, *Ionam* & *Paulum* Coldingensem, *Ionam* ab *Elverfelt*, *Sadolinum*, *Bertholinum*, * *Finckium*, *Longomontanum*, *Divadium*, *Bertilum*, *Vinstrupium*, *Slangendorpium*, *Porsium*, *Vuormium* aliosque, longius fiet.

Isacus Gronbeccius.

Johan. & Christianus Macchabæi.

* *Vide pag. 665. superius.*

Et hi quidem ut arte & literis editisque ingenij monumentis clari fuere hodieque sunt: ità quoque patrum ævo, (ut antiquissimos taceam) Marte & armis illustres aliquot viros dedit Dania. In quibus haud postremi fuerint *Iohannes Ranzovius*, *Herulphus Trollius*, & ante eos *Severinus Norbius*, qui è Dania èque captivitate Moscoviticâ in castra Cæsarea ab ipso Imperatore Carolo V. evocatus, ut suâ vel operâ vel operibus accelerarer deditionem Florentinam, grandiori ibi tormento percussus mortem fortiter oppetiit. Ei epicedium, per id tempus vir clarissimus, *Cornelius Scepperus* Flander, regi Christerno secundo à consiliis, ejusmodi posuit:

Oceanum hostili toties qui sanguine tinxit,
A gelidæ Thules littore adusque Cronum:
Quem non immeritò Slavi Suedique Gothique,
Vandalicæque urbes extimuêre ducem;
Norbius Hetrusco jacet hîc Severinus in antro,
A Florentinâ missus in astra pilâ.
Barbarus ille nequIt captivum extinguere Moschus,
Mergere non mediis Ennosigæus aquis.
Debuit in Latio, velut orbis in arce, perire,
Tanta viri ut virtus undique nota foret.

Pictores: Melchior Lorichius. Petrus Isacius. *Pag. 728.*

Memorari hîc etiam aut addi superioribus potest, quod statuaria Picturaque literis cognatę habeantur, quem nobis Flensburgum extulit, obiter jam ante nominatus *Melchior Lorichius*, qui pulchri incensus amore Italiam, Galliam, Germaniam Belgiumque peragravit, ut artis suæ peritos excellentesque videret ac imitaretur artifices. ut taceam, qui me propius tangit, frater germanus *Petrus Isacius*, picturæ similiter elegantioris peritissimus Helsingorę prognatus, cujus superius quoque injecta à nobis per occasionem mentio.

Et ne omissus aut præteritus videri quispiam possit, præsertim studiis doctrinę memorabilis, subjiciam Indicem professorum omnium Academiæ Hafniensis ab anno Christi 1479 ad præsens usque tempus.

INDEX

GENEROSISSIMORUM REGIÆ MAJESTATIS CANCELLARIORUM, QUI TENORE FUNDATIONIS REGIÆ, ETIAM Universitatis Hafniensis Cancellarij & Conservatores primi. Ab Anno 1539. quo Serenissimi CHRISTIANI *Tertij L. M. Regis prodiit Fundatio.*

ANNO M. D. XXXIX.

JOHANNES FRIIS, Dominus de Hesselager. obiit 1570.

M. D. LXXIII.

NICOLAUS KAAS, Dominus de Taarrupgard. obiit 1594.

M. D. XCVI.

CHRISTIANUS FRIIS, Dominus de Borreby. obiit. 1616.

M. DC. XVI.

CHRISTIANUS FRIIS, Dominus de Kragerup & Eques auratus, cujus Magnificentiam Academiæ diutissimè incolumem pręstet Altissimus.

INDEX

RECTORUM ACADEMIÆ HAFNIENSIS AB ANNO 1497, *Quo solenniter inchoabatur, usque ad annum* 1619.

A.C.

1479 *M. Iaspar Henrici*, Nobilis, per sem.
D. Ericus Nicolai, per semest.
1480 *Idem* per semest.
D. Tilemannus Slecht Ruremundensis Gelrus, per semest.
Posteà Electi Rectores annui.
1481 *M. Georgius Huit*, per semest
1482 *M. Petrus de Scotia*, per annum integrum.
1483 *D Iaspar* iterum.
1484 *D. Erici Nicolai.*
1485 *Idem.*
1486 *Idem.*
1487 *Idem.*
1488 *M. Petrus David de Scotia*, Theolog. Licentiatus.
1489 *M. Arnoldus Laurentij* de Landeskrone.
1498 *M. Georgius Huit* Roschildensis.
1491 *D. Petrus Alberti.*
1492 *D. Ericus Nicolai.*
1493 *M. Georgius Huit.*
1494 *D. Petrus David de Scotia.*
1495 *D. Ericus Nicolai.*
1496 *M. Georgius Huit.* obiit in Rectoratu.
1497 *Iohannes Alberti*, Canonicus.
1498 *Idem*
1499 *D. Petrus David de Scotia.*
1500 *M. Andreas Früth*, Cantor Hafn.
1501 *D. Ericus Nicolai.*
1502 *M. Paulus Andreæ.*
1503 *D. Petrus David de Scotia.*

M. Andreas

1504 *M. Andreas Friitbz.*
1505 *D. Petrus Petri* Theol.
1506 *Idem.*
1507 *M. Iohannes Luche.*
1508 *Paulus Reff.* Canonicus Hafnienf.
1509 *D. Petrus David de Scotia.*
1510 *M. Matthias Petri.*
1511 *M. Andreas Frytz.*
1512 *Idem.*
1513 *D. Dithlevius Smyther.*
1514 *D. Petrus Alberti.*
1515 *M. Andreas Fritz.*
1516 *M. Canutus Walchendorf.*
1517 *D. Alexander Kynsorum,* Medicus,
1518 *M. Christophorus Ioachimus,* Eques Danus.
1519 *M. Paulus Andreæ.*
1520 *D Amelunsus.* Iurista.
1521 *D. Vincentius Stegius,* Iurisper.
1522 *M. Christianus Torchilli* Morsianus.
1523 *Idem,*
1524 *D. Dithlevius Smyther.*
1525 *M. Christophorus Ioachimus,* Eques Danus.
1526 *M. Nicolaus Rosengaard,* Eques Dan.
1527 *Idem.*
1528 *Idem.*
1529 *M. Nicolaus Vrne,* Eques Danus.

Hinc ob seditionem & bellicos tumultus ann. 8 ferè dissipata Academia, circa initium ann. 1538 per CHRISTIAMUM III restituebatur.

1538 *D. Christianus Torchilli* Morsianus.
D. Petrus Palladius Episcopus, Elect. circa fest. Ioh. Bapt.
D. Iohannes Bugenhagius Pomeranus, elect. circa Sim. & Iud.
1539 *D. Tilemannus Clivensis.*
1540 *Idem.*
1541 *M. Petrus Paullinus.*
1542 *M. Olaus Chrysostomus,* Theol.
1543 *M. Petrus Suavenius.*
Hic ex 4 Comitibus Lutheri ad Comitia Wormacensia uuus fuit, & quidem studiosus adhuc, natione Danus: reliqui comites 3; Iustus Ionas & Amsdorfius, Theologi, ac Schurfius ICtus.
1544 *M. Iohannes Macchabæus* Scotus;
1545 *D. Iohannes Andreæ Sinningius.*
1546 *D. Christianus Torchilli* Morsian.; Med.
1547 *D. Petrus Capitaneus* Middelburgensis, Medicus.
1548 *D. Rheimpertus Gilsheimius* Rostochiensis. ICtus.
1549 *D. Iohannes Macchabæus,* Theol.
1550 *M. Nicolaus Hemmingius.*
1551 *D. Petrus Capitaneus,* Med.
1552 *D. Albertus Knopper* Suollensis, ICtus.
1553 *D. Petrus Palladius,* Theol. & Epis.
1554 *Idem.*
1555 *M. Iohannes Albertius.*
1556 *D. Christianus Trochilli* Morsian. Med.
1557 *D. Albertus Knopperus,* ICtus.
1558 *D. Nicolaus Hemmingius,* Theol.
1559 *D. Iacobus Bordingus* Antwerpiensis, Med.
1560 *M. Paulus Matthiæ* Selandus.
1561 *D. Erasmus Lætus,* Theol.
1562 *D. Albertus Knopperus.*
1563 *Idem* } ob pestem & belli Suetici tu-
1564 *Idem* } multus.
1595 *D. Iohannes Franciscus* Ripensis, Med.
1566 *M. Nicolaus Laurentij Scavenius.*
1567 *D. Iohannes Albertius,* Theol. & Epis.
1568 *Idem,* qui obiit in Rectoratu an. 1569 25 Maij.
1579 *D. Albertus Knopperus* Suollensis.
1570 *M. Iohannes Sascerides* Holland. Alcm.
1571 *D. Nicolaus Hemmingius.*
1572 *Idem.*
1573 *D. Iohannes Franciscus,* Med.
1574 *Idem.*
1575 *M. Iohannes Aurifaber* Husensis.
1576 *Idem.*
1577 *D. Paulus Matthiæ,* Epis.
1578 *D. Andreas Lymvicus,* Med.
1579 *Idem.*
1580 *M. Nicolaus Hammerus.*
151 *D. Andreas Laurentij,* Theol.
1582 *D. Nicolaus Theophilus,* ICtus.
1583 *Idem.*
1584 *M. Nicolaus Scavenius.*
1595 *D. Iacobus Matthiæ,* Theol.
1586 *D. Andreas Lymvicus,* Med.
1587 *Idem.*
1588 *M. Iohannes Aurifaber.*
1589 *D. Paulus Matthiæ,* Epis.
1590 D. *Andreas Christianus,* Medicus.
1591 *Idem.*
1592 *M. Iohannes Sascerides.*
1593 D. *Iohannes Olai Slangendorf,* Theol.
1594 D. *Nicolaus Theophilus,* ICtus.
1595 D. *Andreas Kragius,* Physicus.
1596 D. *Georgius Dibvadius,* Theol.
1597 D. *Andreas Lymvicus,* Med.
1598 D. *Thomas Finchius,* Mathemat.
1599 D. *Petrus Iohannis Vinstrupius,* Episc.
1600 D. *Andreas Christiani,* Med.
1601 D. *Nicolaus Kragius,* Græc. Profess.
1602 D. *Iohannes Pauli Resenius,* Theolog.
1603 D. *Nicolaus Theophilus,* ICtus.

1604 M.

M. Iohannes Stephanius, præses Sorensis fit 1608.
M. Christianus Iohan. voc. ad Episc. Albur. 1610.
M. Iohannes Ianus Alanus.

MATHEMATICI.

M. Matthias Hach.
M. Hilarius Iohannis.
M. Marcus Iordanus.
M. Nicolaus Scavenius.
M. Andreas Petri Coagius, abiit 1571, ad Canonicatum Lundens.
M. Georgius Dibvadius.
D. Andreas Kragius.
D. Thomas Finchius.
M. Iohannes Erasmius.
M. Christianus Iohannis.
M. Christianus Longomontanus.

PHYSICI.

M. Iacobus Fabricius.
D. Iohannes Schelderupius, Med. voc. ad Episc. Bergensem in Norwegia.
D. Iohannes Monasteriensis, obiit 1564.
M. Nicolaus Scavenius, obiit 1590.
D. Andreas Kragius, obiit 1600.
M. Ionas Iacobæus Venusinus.
M. Iohannes Erasmius, obiit 1614.
M. Elias Eisenbergius.

GRÆCI.

M. Petrus Paullinus.
M. Nicolaus Hemmingius.
M. Iohannes Albertius.
M. Iohannes Monasteriensis.
M. Iohannes Magnus.
M. Nicolaus Hammerus.
M. Iohannes Hemmingius.
M. Iacobus Matthias.
M. Petrus Haggæus.
D. Nicolaus Hammerus, secundò, obiit 1585.
M. Christianus Michaelius, obiit 1592.
D. Nicolaus Kragius Historicus Regius, abiit Soram 1602.
M. Conradus Aslacus.
M. Christianus Iohannis Ripensis.
M. *Iohannes Ianus* Alanus.
M. *Canutus Bieschius*, obiit 1612.
M. *Gaspar Erasmius* Brochman.
D. Olaus Wormius.

HEBRÆI.

M. *Olaus Chrysostomus.*
M. *Iohannes Sascerides*, obiit 1594.
M. *Ivarus Stubæus*, abiit 1600.
M. *Hermannus Nicolai.*

RHETORICI.

M. *Petrus Parvus*, obiit 1559.
M. *Ivarus Bartholinus.*
M. *Iohannes Aurifaber*, obiit 1602.
D. Thomas Finchius.
M. *Ionas Iacobæus*, Historicus Regius, abiit ad præfecturam Sorensem 1607.
M. *Iohannes Ianus* Alanus.
M. *Wulfgangus Rhumannus.*

HUMANITATIS PROFESSORES, QUOS PÆDAGOGOS VOCANT. I & II.

M. *Georgius Boetius.*
M. *Iohannes Lubecke* Pomeranus.
M. *Ludolphus Prigius.*
M. *Hilarius Iohannis.*
M. *Christianus* Mart. Morsianus.
M. *Ivarus Bartholinus.*
M. *Tycho Asmundius.*
M. *Severinus Chiliani.*
M. *Iohannes Magni.*
M. *Erasmus Catholmius.*
M. *Petrus Severini*, abiit studij Medici caussâ ad exteros, & reversus Doct. Medicus, Archiater Regius factus est.
M. *Christianus* Macchabæus.
M. *Iohannes Bloch.*
M. *Iacobus Suenonius.*
M. *Nicolaus Hammerus.*
M. *Iohannes Hemmingius.*
M. *Iacobus* Matthiæ.
M. *Nicolaus Laurentij.*
M. *Petrus Haggæus.*
M. *Christianus* Michaelius.
M. *Desiderius Fossius.*
M. *Iohannes Erasmius.*
D. Andreas Kragius.
M. *Ivarus Stubbæus.*
M. *Laurentius Scavenius*, voc. 1600 ad Past. Amag. & paullò post ad Episcopat. Stavagriensem in Norwegia.
M. *Conradus Aslacus.*
M. *Christianus* Iohannis.

M. *Iohan-*

M. *Iohannes Ianus* Alanus.
M. *Claudius Iohannis* Jegerus, abiit ad past. Amag. 1605.
M. *Christianus Longomontanus*.
M. *Wulfgangus Rhuman*.
M. *Hermannus Nicolai*.
M. *Canutus Bieschius*.
M. *Paulus* Martini, voc. ad Episcopat. Lundensem 1611.
M. *Gaspar Erasmius*, Borchmand.
D. *Casparus Bartholinus*.
D. *Elias Eisenbergius*.
D. *Olaus Worm*.
M. *Petrus Gielstrupius*.
M. *Iohannes Michaelius*, voc. ad Episcopatum Otthoniensem, simulq; Doctor Theol. renunciatus 1616.
M. *Petrus Kierulius*.

METAPHYSICI.

M. *Ianus Dionysius* Jersinus, voc. ad hoc munus 1619. cùm paullo ante hanc Professionem fundasset serenissim. Rex & Dominus noster CHRISTIANUS IV.

Fuerunt hi, suntque hoc tempore etiamnum ex iis superstites aliqui, suâ quisque in arte ac professione percelebris. Quos inter superius nobis, dum aliò festinamus, prætermissi aut nominati obiter SS. Theologiæ doctor *Conradus Aslachius Bergensis*, qui de triplici cœlo eruditissimum Commentarium edidit; & vir clarissimus *Severinus Longomontanus* mathematicus, qui in insulâ Venâ illustri viro *Tychoni Brahe* cohabitans, ei à studiis atque observationibus, quæ cœlitus desumebantur, aliquot per annos fuit. quo & me, eodem tum tempore ibi agentem, familariter atque amicè usum memini. Exinde ad professionem Hafniensis Academiæ vocatus evulgavit, præter alia, Astronomiam Danicam: quâ ille, inter cetera, Theorias de motibus Planetarum, ad Observationes *Tychonis* & proprias, accuratè elaboratas ac redintegratas, typis Guliel. Jansonij Amsterodami deproperatas, orbi universo proposuit. Quin & isto præterea loco, sed extra professorum catalogum, haudquaquam indictus esse nobis debet, vir oppidò nobilissimus oppidoque memorandus *Arnaldus Vitfeldius*, toparcha in Odersberch, beatissimæ memoriæ, Regni olim Danici Cancellarius, ingenio atque industriâ maximus. cui & nos aliquando domestici & ab epistolis fuimus; Is secundùm sublime illud atque arduum, quod publice sustinebat, munus, haud ullam otij sui partem præterfluere sinebat, quam non ad usum historiæ præsertim patriæ transferret, dum aut eruit ea, quæ ei illustrandæ facerent, aut ipsemet calamo atque ingenio quotidie elaborat. Huic vernaculè editum Chronicon debemus, quod haud semel in ipsâ historiâ ad testimonium citamus, Norvagicum appellatum. Huic & leges debent Scanienses, quas è vernaculo Latine translatas ante quadringentos, & quod excurrit, annos, ab Andreâ Sunonis, archiepiscopo ac regio Cancellario, primum publicari Vitfeldius curavit. Huic denique historiam fere universam Danicam Danicè contextam, & Saxonem, quantum licuit, ad æræ certioris calculum singulari curâ reductum, referre omnes acceptum tenemur, qui amore & studio ducimur antiquitatis. Sed hæc aliaque in ipsâ historiâ suo loco & per occasionem cum nominata occurrant, hîc veluti intento digito subindicasse sufficiat.

Conradus Aslachius.
Severinus Longomontanus.
Arnaldus Vitfeldius.

DE LINGUA GENTIS.

NUnc de linguâ dispiciendum. Superius relatum, nullam esse cum Danicâ, Suedicâ aut Norvagicâ linguâ cognationem iis populis, qui Suecis aut Norvagis borealiores habitant, ortum nonnihil versus; cujusmodi sunt Lappones ac Findlandij. Idque posito specimine Orationis Dominicę, quę est apud eos usitata, satis ostendisse jam modò existimo. Reliquum est demonstrare Danicam, Suedicam & Norvagicam linguas inter se tantummodo dialecto differre. & singulas vicissim vocabula fere omnia habere cum Germanis sive Saxonibus communia. itâ tamen ut proprietates suas sive idiomata quæque habeant, quibus intelligi à Germanis aut Saxonibus haud facile queant: sicuti & Angli quoq;, eâdem de causâ. ut verè scripserit *Rodericus Toletanus* (qui claruit annos ante quadringentos & quod excurrit) dicens: *Theutonia, Dania, Norvegia, Suecia, Flandria & Anglia unam habuerunt linguam, idiomatibus tantum distinctam.* Hoc ut clarius pateat, ordine recitabimus orationes aliquot Dominicas: & quidem primo loco, Germanicam ponemus ac Belgicam. Inde cujusmodi ea hodieque usurpatur Danis ac Suecis, à quibus perparum aut nihil recedit Norvagica. Sunt autem istę:

Pag. 704.

THEUTO-



THEUTONICE.

VNſer Vatter / der du biſt im Himmel. Geheiliget werde dein nahm. Zukomm uns dein Reich: Dein will geſchehe auff Erden/wie im Himmel: Unſer taglich brot gib uns heut: Und vergib uns unſer ſchuldt / als wir vergeben unſern ſchuldigern: Und fuhr uns nicht in verſuchung: Sonder erloſe uns vom ubel. Dann dein iſt das Reich/ und die krafft/ und die herligkeit in ewigkeit/ Amen.

BELGICE.

ONſe Vader/ die ghy zijt in den Hemel: Gehepliget werde uwen name/ uwe Rijcke toecome; uwen wille geſchiede op aerden/ gelijck in den Hemel: onſe dagelijckſche broot verleene ons huyden: vergeeft ons onſe ſchulden/ gelijck wy vergeven onſe ſchuldenaren; Leydt ons niet in verſoeckinge/ maer verloſt ons van den quaden. Want u is dat Rijck/ de kracht/ ende de heerlickheyt/ in eeuwigheyt/ Amen.

DANICE.

FAder vor/ du ſom eſt i Himmelen: helligt vorde dit naffn: till komme dit Rige: Vorde din Wille ſaa paa Jorden/ ſom hand er i Himmelen: giff oſz i dag vort daglige broed: oc forlad oſz vorſkyld/ ſom wi forlade vore ſkyldener: oc leed oſz icke udi friſtelſe: men frels oſz fra ont. Thi dit er Rigit/ oc krafft/ oc herlighed i evighed/ Amen.

SUEDICE.

FAdher wår ſom eſt i Him'on. Helghat warde titt nampn. Till komme titt rike. Skee tin wilje/ ſa ſom i Himmelen/ ſa oc po jordenne. Wart daglighа bröd giff os i dagh. Och forlat oſz wara ſkuld/ſa ſom oc wy forlate them oſz ſkyldighe aro. Och in leed oſz ickei i freſtelſe. Uthan frels oſz fra ondo. Amen.

NORVAGICE.

WOr Fader du ſom eſt y Himmelen/ gehailiget worde dit nafn/ tilkomma os Riga dit/ din wilia geſkia paa jorden/ ſom handt er udi himmelen. Gif os y tag wort dagliga brouta/ och forlaet os wort ſkioldt/ ſom wy forlata wora ſkioldonar / och lad os ickit konma udi friſtelſe / mann frals os fra onet. Thi Rigit er dit / macht och kracht fra evighait till evighait. Amen/

Accedat his & Anglica. Quæ non tantùm cum Germanicâ ſive Teuthonicâ, ſed maximè cum Danicâ & Norvagicâ convenientiam exhibet.

ANGLICE.

OUr Father/ whiche arte in heaven: halowed be thy name: Thy kyngdome come: Thy will be done even in earthe/ as it in heaven/ geve us thys day our daily bread: and forgive us our treſpaſſes/ as we forgive our treſpaſſers: and leade us not in to temptation: Butt delyver as from evyll. For thine is the kingdome/ and the power/ and the glory for ever. Amen.

LATINE.

P*Ater noſter qui es in cælis: Sanctificetur nomen tuum: Veniat regnum tuum: Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie: Et remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris: Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo: Quia tuum eſt regnum, & potentia & gloria in ſecula. Amen.*

Quibus ex omnibus liquere ſat poteſt, non aliter *patrem* vocare Danos ceteroſque, Suedos inquam Norvagoſque quam Germani. et tantùm mutantibus leviter dialectis dicere ſingulos, **vatter/ vader/ fader/ father**: *Cælum*, **himmel/ hemel/ himelen/ himlon**. A quo Anglus ſolùm recedens ait, **heaven**. Quod tamen ipſum haud aliunde quàm è Belgico Teuthonicoque promanavit. Nam hodieque Belgæ, quidquid eſt elevatum **verheven** dicunt.

dicunt. *Nomen*, naeme/ nafn/ name: *Regnum*, reich/ rijcke/ rige/ rike/ riga. Angli kyngdome/ à kyng sive Coning/ id est, Rex. *Voluntas*, will/ wille/ ville/ wilie/ wilia/ will. Ubi notandum, Danos simplice v consonante, quemadmodum Latini, efferre, quod alij geminato. *Terra*, erden/ aerden/ jorden/ jordenne/ jordan. Anglicè earthe. Quod postremum maximè convenit cum verbis Taciti; qui Germanos etiam vetustissimos *terram*, hertham sive ertham appellasse admonuit Libro de Moribus Germanorum. *Panis*, brod/ brood/ broed/ brota/ bread: *Quotidianum*, teglich/ dagelijcksse/ daglige/ dagliga/ daily. *Debitum* sive *debita*, sculd/ sculden/ skyld/ schuld/ skioldt: Angli ex Gallico, trepasses. *Tentatio*, versuchung/ versoeckinge: Dani Norvagique ac Suedi nonnihil variantes peculiari voce fristelse/ frestelse & fristalse dicunt: Angli è Gallico Latinove, temptation. *Malum* Germanis est ubel/ Belgis, quade/ Danis, Suedis & Norvagis, ondt/ ondo/ ondt. Germanis proximè hîc accedunt Angli, qui evell similiter dicunt.

Hæc Nomina appellativa, quibus si Pronomina Verbaq;, ut vocant Grammatici, itemque Adverbia, Conjunctiones ac Præpositiones si adjiciamus, in paucis dissensus occurret. Etenim Pronomen *noster*, unser/ onse/ vor/ war/ voor/ our: *Tuum*, dein/ uwe/ dit/ titt/ dit/ thy: *Nobis*, uns/ osz/ os/ us: *Nostrum*, unser/ onse/ vort/ wart/ wort/ our. Ubi Danorum vort idem valet quod wort. Verbum *es*, bist/ est, arte. *Fiat*, geschehe/ geschiede/ worde skee/ geskia/ Angli, bedone. *Da*, gib/ geeft/ gift/ gebe. Adverbium *quemadmodum*, wie/ gelijc/ som/ sasom/ som/ even. Quorum hoc Anglorum est antepenultimum sasom respondet sosa voci, quæ posita invenitur in Oratione Dominicâ Alemannicè scriptâ ante aliquot secula, edente viro Cl. Frehero felicis memoriæ. *Hodie*, quod heut & huyden Germani & Belgæ, id Dani, Suedi, Norvagi & Angli i dag/ y tag/ thys day/ id est, *hoc die*, efferunt. Et denique Præpositio *à*, quam Theutones Belgæque vom/ & van dicunt; ea Danis, Suedis & Norvagis est fra/ & Anglis from.

Est & hoc notabile in Danicâ linguâ, *Deum*, quem Germani Belgæque God: & *Bonum*, quod iisdem est Gud & Gued/ utrumq; à Danis vice versâ intelligi ac pronunciari. Nam *Deum* Gud / *Bonum* God dicunt. ut planè edidicisse videantur, quod habet servator ac salus humani generis Christus Matthei cap. 19. vers. 17. ubi redarguens quempiam, à quo salutabatur *magister bonus, neminem esse bonum, nisi unum Deum*, respondit. ut ità meritò Deus Gued/ id est, *bonus* sit Danis dictus, cum omnis boni sit dator & Ἰησ τ' ἀγαθῦ φύσεως αἴτια. Ac denique, quia opponitur *Malo*, id est, diabolo. Quod ut clarius patesceret, schema subjeci:

Danicè.	*Teuthonicè*	*Teuthonicè*	*Danicè*
Gud / Deus:	Gud/ bonum	God / Deus:	God/ bonum.

His, ut Danicæ linguæ antiquitas magis magisque elucescat, subjungenda Mensium nomina, cujusmodi ea ferè hodie habentur; Et ex adverso cujusmodi quoque olim ab Anglosaxonibus fuerunt usurpata, Bedâ suggerente. Sunt verò ista:

Menses Danorum		*Menses veterum Anglorum à Beda indicati.*
Julemaaned	*December*	Giuli prior.
Julemaaned	*Ianuarius*	Giuli posterior.
Blidemaaned	*Februarius*	Solmonat.
Tormaaned	*Martius*	Rhedmonat.
Faaremaaned	*Aprilis*	Eosturmonath.
Maimaaned	*Majus*	Trimilchi.
Hoemaaned	*Iunius*	Lida prior.
Ormemaaned	*Iulius*	Lida posterior.

Hoest-

Hoestmaaned	*Augustus*	Weidemaanath.
Fischemaaned	*September*	Halegmonath.
Sædemaaned	*October*	Winterfyllath.
Slachtemaaned	*November*	Blothmonath.

Quâ tabellâ loco omnium primo, qui aliàs hodie mensium est ultimus, Decembrem collocavimus. Idque vel eam ob causam, quod Dani antiquitus annum, non ut hodie ab ipsis Calend. Januarij, sed à nocte, quæ sequeretur XXIV Decembris diem, auspicarentur. Eamque noctem, testante hoc etiam de AngloSaxonibus Beda, Modernect/ appellarunt, matrem, parentem ac principem omnium reliquarum, quæ erant eo anno insequuturæ, noctium. Et Dani vesperam ejus noctis, quasi mensis Julemaand anterioris initium facturæ, Julaften vocare hodieque consuerunt. Verum omnia ut clarius intelligantur, ipsa verba Bedæ proponam ex Libro ejus de Temp. Ratione cap. 13: *Antiqui Anglorum juxta cursum Lunæ suos menses computavère: unde & à Lunâ, Hebræorum & Græcorum more, nomen accipiunt. Siquidem apud eos Luna* Mona / *Mensis* Monath *appellatur. Primusque eorum Mensis, quem Latini Ianuarium vocant, dicitur* Giuli. *Deinde Februarius*, Solmonath: *Martius* Rhedmonath: *Aprilis*, Eostrmonath: *Majus*, Trimilchi. *Iunius*, Lida: *Iulius, similiter* Lida: *Augustus* Weidmonath: *September*, Halegmonath: *October*, Winthyrfylleth: *November*, Blothmonath: *December*, Giuli *eodem nomine, quo Ianuarius vocatur.*

Unde est intelligere, præter cetera, Lunam jam olim Anglorum veterum linguâ Mona dictum; & *Mensem*, Monath. quod utrumque accuratè hodieque retinet idioma Danorum; qui Maane per geminum licet A scribant, exprimunt tamen ac pronunciant Mone; & *Mensem* similiter Moned dicunt, licet Maaned scribant.

Et ipsos quod attinet menses illos, quia idem Beda non eorum modò posuisse nomina satis habuit, sed eadem quoque ipsa cùm interpretatus sit, operæ pretium existimavi, vestigiis ejus insistens, verba ipsius atque interpretationem ponere, & quid hac parte cum linguâ Danica Anglorum illi vetustissimi, suamque ex Daniâ (quod apud omnes in confesso est) originem ducentes, commune aut dissonum habuerint, propalam ostendere. Verba igitur Bedæ sunt loco jam dicto:

Menses Giuli (December & Januarius) *à conversione Solis in auctum diei, quia unus eorum* (December) *præcedit, alius* (Januarius) *subsequitur, nomina accipiunt.*

Utrumque hunc mensem, Decembrem & Januarium, Julemaande hodieque Dani dicunt. Et vult diserte Beda dictos Giule sive Jule à *conversione* sive *flexu*, quem Græci Τροπὴν dicunt, quæ fit in Tropico Capricorni, cum ibi se Sol ex imo ad superiora convertit ac erigit. quin & *Tropicus* & *Trope* vox nihil aliud quam *conversionem*, quomodo & Beda vocem Jule vertit, Græcis significat. Et dicitur hodieque Danis Hiul sive Juel *Rota, trochus.* Alij apud Bedam legisse videntur Guile. quæ & ipsa Theutonica est vocula, *Rotam* quoque sive *orbem versatilem* notans. Kilianus: Wiel/ *Rota, orbis versatilis.* Angliçè, Whele. Significat quoque Belgis aliisque Theutonicæ populis Wielen/ *quiescere.* unde in mentem aliquando venit referre Bedæ Juli sive Guili ad Solis stationem sive solstitium hibernum circa hunc Tropicum: à quo nec alios abhorruisse reperio. Verum ab eâ recedere sententiâ me Beda fecit. Cujus emendatiores codices, quod Scaliger admonuit, diserte, ut dixi, Giuli/ non Guili habent; & ipse (Beda inquam) à Solis insuper, non *statione* sed *conversione* deducit. Et juvat jam quoque tam constans tot seculorum decursu servata apud Danos Bedæ vox, quam magni hodieque minoresque, senes ac juvenes frequentant, cum mensem hunc omnes Julemaaned appellent. En quam simplex oratio veritas! Et absque Bedâ fuisset, qui hucusque sinistrâ aliorum interpretatione intellectus hac parte non est, hoc egregium antiquitatis monumentum in obscuro delituisset. Quàm etiam longe petita sint, ac minimè huc facientia, quæ ad vocis hujus Jul & Julemaaned enodationē vulgò adferuntur de Julio Cæsare, alibi & aliàs dicendi fortassè locus erit. Pergit deinde Beda.

Solmonath *dici potest mensis placentarum, quas diis suis offerebant.* Hodie ferè is mensis Februarius nimirum, Blidemonath Danis nuncupatur, quod exsultarent scilicet ad Solis

jubar, ſeſe paulatim plenius pleniuſque conſpiciendum præbentis. Eſt enim blide idem quod Glad/ id eſt, *lætum* ac *hilare*. Nec alio, ſi etymon ſpectemus, illud à Beda poſitum Solmanath/ trahendum: Nam *Sol*, qui aliis ferè Germaniæ gentibus Son dicitur, Danis hodieque Soel nuncupatur. Et eum quoque, eadem hac de cauſâ, quod ſcilicet benignioribus ſuis radiis frigora diſpelleret propiuſq; hoc tempore accederet, adoratum olim à ſuppolaribus oſtendit Olaus Magnus lib. 3. cap. 2.

Rhedemonat *à Deâ illorum Rheda, cui in bello ſacrificabant, nominatur.* Intelligit menſem Martium, quo ferè tempore ſe ad navigandum & res ſuas exſequendas parare ſolent homines nautici ac negotiatores. ut idcirco veroſimile habeam à Rheden/ id eſt, *parare*, ac *præparare* ſic denominatum hunc menſem. Vegetius lib. 4. cap. 39. *Navigationis natalem quotannis ſolenni certamine publicoque ſpectaculo multarum gentium VI Idus Martias celebrari ſolitum.* Hodie hunc menſem Dani non quidem Rhedemonad/ ſed Thoermaanad appellant à Deo, ut videtur, Thaat/ ab illis ſolemniter olim culto: Cujus & Lucanus meminit, qui *Taranim* nominat, Gallis tribuens lib. 1. Pharſ. *Et Taranis Scythicæ non mitior ara Dianæ.* Intelligitur verò Iupiter, qui à *tonitru* βροντῖος Græcis, Latinis *Tonans* dictus. Angli hodie *tonare* Taran dicunt, Dani Thoorne. Vnde & *dies Iovis* eiſdem Thaarſdag.

Eoſturmonath/ *qui nunc Paſchalis menſis interpretatur, quondam à Deâ illorum, quæ Eoſtre vocabatur, & cui in illo feſta celebrabant, nomen habuit: à cujus nomine nunc Paſchale tempus cognominant, conſueto antiquæ obſervationis vocabulo, gaudia novæ ſolennitatis vocantes.* Ab hoc menſe Eoſturmonath/ id eſt, Aprili hodieque non Angli modò, ſed & pleraque Germania Paſchatis feſtum, quod, ut plurimum, in hunc menſem incidit, Ooſter/ Ooſteren & Ooſterdag denominant. Dani hodie Faaremaaned/ vel, quod omnia hoc menſe quaſi ridere incipiant, & fit, ut ille inquit, tum formoſiſſimus annus, quò etiam Faire vox ducat; vel, quod faare/ id eſt, *oves*, commodè tum graimini teneriori committantur. Unde & Faaremelck Danis *lac ovinum*.

Trimilchi *dicebatur quod tribus vicibus in eo per diem pecora mulgebantur. Talis erat quondam ubertas Britanniæ vel potius Germaniæ, è quâ in Britanniam natio intravit Anglorum.* Hodie adhuc eam Majo præſertim menſe ubertatem eſſe Daniæ, & ei quoque oræ omni, quæ eſt circa Flensburgum, ubi vetus Anglorum, qui in Britanniam trajecerunt, eſt ditio, res loquitur.

Lida *dicitur blandus ſive navigabilis, quod in utroq; menſe & blanda ſit ſerenitas aurarum, & navigari ſoleant æquora. Vtroq; menſe*, ſcilicet *Iunio* & *Iulio*, quorum ille Lida prior, hic Lida poſterior dicitur. Lida verò nihil aliud eſt, quàm quod Danica hodieq; lingua, à quâ nec abit Germanica, lidelich/ hoc eſt, *tolerabile* ac *tractabile* dicit. Quod nimirum illo præſertim tempore ſe tractari ac commodè navigari permittat oceanus. Nam & alibi Beda docet, *Lida* tranquillum notare. Et Danis quoque hodie quidquid modicum aut exiguum Liden dicitur. Alia verò hac tempeſtate nomina utrique menſi tribuunt Dani, illum Hoemaaned à *fæno*, hunc à vermium, qui tunc ſe exerunt, copiâ Ormemaaned appellantes.

Wendenmonath *menſis Zizaniorum, quod eâ tempeſtate maximè abundent.* Superius non Vuendenmonath/ ſed Weidmonath dixit, à paſcendis, ut videtur, animalibus. Aliàs Wiedemonath ſi ſcriberetur (niſi & eò vox Wenden ſpectare dicamus) aptè ad Zizania, de quibus loquitur, referetur. Zizania enim, ut hoc tempore, menſe ſcilicet Auguſto, abundant, ità & tum vel maximè extirpari ſolent, additis operis, quæ id agant. Eſt autem wieden & wien *purgare*. Unde & Galli *Vuider*, *eruncare* ac *perpurgare* dicunt. Carolus Magnus, qui menſibus ſingulis Germanica attribuit vocabula, non hunc ſed Iunium Weidmaent indigitavit: hunc enim Oogſtmaent & Arentmaent nominavit, à ſegetum maturitate.

Halegmonath *menſis ſacrorum.* Hellig/ hodieque Danis quicquid ſanctum ac ſacrum.

Winter ſyllet *ac ſi dicas compoſito nomine hieme plenum.* Winterſyllich ſit propriè ad hiemem inclinans. Sic & broedſillich ſive braſbellich Danis, quidquid facilè rumpi ac frangi poteſt. Hodie Sademaaned dicunt, quod iſtâ ſub Lunâ ſeligo, ut plurimum, mandari terræ ſoleat.

Blothmonat/ *Menſis immolationum, quod in eo pecora quæ occiſuri erant, Dijs ſuis voverent.* Hoc enim menſe, qui eſt November, mactari in uſum familiæ boves oveſque conſuetæ. Unde & Slachtemaaned nuncupant ferè hodie Dani.

His dies accedant hebdomidales. Ex quorum præcipuè nomenclationibus ac etymis

rectè

recté explicatis, reliquorum, quos usurpat etiam Germania, repetenda origo atque antiquitas. Horum sunt nomina:

Söndag/	*Dies Solis.*	Thaarsdag/	*Dies Iovis.*
Maandag/	*Dies Lunæ.*	Fredag/	*Dies Veneris.*
Thisdag/	*Dies Martis.*	Loffuerdag/	*Dies Saturni.*
Onsdag/	*Dies Mercurij.*		

Et quidem Septimanæ princeps dies, qui vulgo *dies Solis* dicitur, Danos haudquaquam à Sole duxisse inde liquet, quod secundum eorum idioma non Söndag tum esset dicendum, sed Soeldag. Dani etenim *Solem* non ut omnis ferè hodie Germania Son/ sed Soel dicunt. Vnde certissimum fit respexisse Danos ad diem, qui in sacris scripturis Dominicus dicitur. ut scilicet hic primus hebdomadæ dies Söndag diceretur, quod esset quasi dies pacationis ac judicationis Dominicæ. Nam & hodie adhuc Söne *pacare* Danis dicitur. & olim quoque *judicare* Alemannis notavit. Nec enim aliter vetus olim Germania, cum primò Christi fidem suscepisset, appellasse etiam extremam & magnam illam Domini diem ex Marnero constat, cujus verba citat vir cl. Marquardus Freherus ad Symbolum Apostolorum, linguâ Alemannorum vetustissimâ evulgatum. Vbi hæc legas: Es nahet gegen der Suonotage, das God will suonen alle klage. Hinc Belgarum quoque soenen & versoenen promanavit. Sed de his prolixius jam olim nos in originibus nostris Francicis, quas, si libet, videto. *Apocalyp. cap. 1. vers. 10.* *Lib. 3. cap. 6. p. 241. Et lib. 6. cap. 1. pag. 406*

Dominicum diem excipit Lunæ, ut eum vulgò etiam hodie vocamus, Maandag nuncupantes. Atque inde *Dies Martis*: Qui Danis Thisdag inde dictus existimatur, quod *Disæ* sive *Thisæ*, litium ac forensium judiciorum Deæ, sit sacer. Sanè Belgæ Germanique haud aliter, eodem scilicet respicientes, immissis duabus literulis, Dingsdach nominant, à dingen/ id est, *litem agitare*. Nam & Danis Ting hodieque *forum judiciale* notat. Quod autem de Thisa Deâ iudicavimus, ejus rei præclarum existere vestigium in saxo Oretingburgensi, quod olim in medio fori Orething dicti positum, nunc verò jussu & authoritate illustris & generosi Dn. CHRISTIANI FRISII Toparchæ in Cragerup, Equitis aurati ac regij Cancellarij in arcem Orthinganam esse translatum docuit me elegantissimus Olaus Wormius in Fastis suis Danicis. Est enim lapidis ejus talis epigraphe. Efte Thisa logeur eer gen kerdi dia hid; id est, *Quia leges Thisæ in pretio habendæ, huc querelæ adferuntur.* Hæc Dea apud Danos adhuc paganos quam singulari curâ ac varie fuerit culta indicant præterea per boream fere universum nundinæ & solennia judicia Disting dicta, ut habent memoriæ Danicæ. Belgarum ac Theutonum Dingsdach/ etiamsi Thisæ non nomen, saltem rem proximè explicat, ut jam posuimus. Anglorum Teusdai à *Teutate*, cujus Lucanus meminit, modò & ille pro Marte sit cultus, fortasse deducendus. Ait enim ille Pharsal. 1. Maandag. Thysdag. Tingsdag. Dingsdag.

Et quibus immitis placatur sanguine diro
Theutates.

De quo iterum adeundæ Origines nostræ.

Sequitur Onsdag/ *dies Mercurij*, qui & aliàs & propius origini suæ dicitur Odensdag. Belgæ Theutonesque adhuc propius Wonsdag seu Wodensdag appellant. Est enim à Woda/ qui Germanis *Mercurius* fuit. Dani *Othinum* dixisse videntur. nisi Danos, abjectâ primore literâ w/ Odensdag & Onsdag pro Wodensdag & Wonsdag dixisse velimus, quomodo aliàs iidem oord pro woord/ unsche pro wunsche/ ull pro wul dicere consuêrunt. Hujus *Vodæ* vocabulum primus, quod sciam, Paulus Diaconus in literas retulit, docuitq; omnium in universum Germanorum communem Deum fuisse. Verba ejus sunt: *Vodan, quem adjectâ literâ Guodan dixerunt, ipse est qui apud Romanos Mercurius dicitur, & ab universis Germaniæ gentibus Deus adoratur &c.* Ex quibus & hoc liquet, non esse temerarium quod nonnulli non modo Woensdach/ vel, ut Angli, Wednesdai/ sed Goensdach & Guodensdach eundem diem appellitent; cum & Guodan & Wodan vocabula promiscuè usurpata fuerint. Et Danorum quoque Odhin sive Othin hinc fluxisse, omissâ primore literâ w/ quâ Wodhin dicitur, mihi sit verisimile. Onsdag. *Lib. 1. cap. 9. de Gest. Long.*

Dies porro *Iovis* & *Veneris*, ille Thorsdag/ hic Fredag dictus. Prior Anglis est Thursdai sive Tharisdai. Dani licet Thorsdag pronuncient, scribunt tamen Thaarsdag/ Thaarsdag.

 proximè

proximè accedentes ad Lucanum, qui *Tharan* & *Taranim*, Latinâ flexione nominavit Pharsal. 1: *Et Taranis Scythicæ non mitior ara Dianæ.* Adamus Bremensis **Thaar** sive **Thur** borealibus ferè omnibus indigitatum commemorat; additque in aëre præsedisse, & modò serenitatem, modò tempestatem inducere solitum. Qui idem Adamus etiam *Vodæ* meminit, nisi quod in eo à Diacono abeat quod *Martem* non *Mercurium* faciat, affirmetque, non in nemoribus, ut habet Tacitus, sed in æde etiam auratâ posteriori ævo cultum dicatumque. Ait enim de Upsala & idolis hisce verba faciens: *In hoc templo, quod totum ex auro paratum est, statuas trium Deorum veneratur populus. ità ut potentissimus eorum* **Thaar** *in medio solum habeat triclinium, hinc & inde locum possident* **Wodan** & **Fricco**. *Quorum significationes ejusmodi sunt,* **Thaar** *inquiunt præsidet in aëre, qui tonitrus & fulmina, ventos imbresque, serena & fruges gubernat; alter* **Wodan**/ *id est, fortior, bella regit hominique ministrat virtutem contra inimicos. Tertius est* **Fricco** / *pacem voluptatemque largiens mortalibus, cujus etiam simulachrum turpitudinem sexus præ se ferebat: Wodanem verò sculpunt armatum, sicut nostri Martem solent. Thaar autem cum sceptro Iovem exprimere videtur.* Hæc ante quingentos, & quod excurrit, annos Magister Adamus Canonicus & Historicus Bremensis, ut citat ad Diaconum Lindenbergius. Si quando igitur serenitas expeteretur, aut aliàs tempestatem deprecarentur, *Thaarani* sive *Thaaræ* supplicabant. Bellum gesturi litabant Wodæ, & denique nuptias ambientibus, aut aliàs liberos exoptantibus, consilium atque oraculum *Freæ* petebatur. Arma etiam ac spolia hostium eisdem, ut trophæa quędam, suspendebant. Vnde est quod Annal. 1 Tacitus Arminium inter cetera loquentem sic introducat, *Cerni adhuc Germanorum in lucis signa Romana, quæ dijs patrijs suspenderint.*

Lib. de Moribus Germanorum.

Fredag.

Porro **Fredag** *Veneris dies*, quam diximus, consonat Diaconi potius verbis, qui *Fream* diserte nominat, quàm Adami, qui *Fricca* scribit, ut & Saxo noster. Satisque ex citatis liquet, pacis ac voluptatis Deam fuisse, quæ *Venus* aut *Isis* Tacito, Libro de Moribus Germanorum.

Loffuerdag.

Septimanæ dierum qui est ultimus **loffuerdag**, **loverdag** & **leffuerdag**, sicuti non uno modo scribitur, ità nec uniusmodi haberi ejus potest interpretatio. Qui **loverdag** scribunt, videntur respicere vel ad lotionem publicam, cui eo die vacarent: vel ad nuptiarum contractus, post nimirum acceptum à Freâ nuptiarum auspicium. Unde & **loven**/ **loffte** & **bruploffte** nuptialia adhuc apud Danos verba sunt. Nobiliss. Vitfeldius felicis memoriæ, de Ethnicismo Danorũ agens **lofferdag** inquit, est *dies purgationis* sive **Renselsis dag.**

DE NOMENCLATIONIBVS, QVIBVS ISLANDI MENSES INSIGNIVNT.

HIs si addam vocabula, quibus menses nominant Islandi, apparebit propius, quod superius injecimus, eorum idioma, licet proximè ad Norvagicum accedat, habere tamen, quæ exoticam & à Norvagis planè diversam subinde gentem resipiant. Quis enim explicet hodie Norvagus aut Danus, **Skamdieges Maanudar**/ quo *Decembrem* indicant? Quis **Midsuetrar** M. quo *Ianuarium*? Quis **Fostugans** M. quo *Februarium*? Quis **Jaffndegra** M. quo *Martium*? Quis **Sumar** M. quo *Aprilem*? quis **Fardaga** M. quo *Majum*? Quis **Nottleisu** M. quo *Iunium*? Quis **Madka** M. quo *Iulium*? Quis **Hepanna** M. quo *Augustum*? Quis **Addraata** M. quo *Septembrem*? Quis **Slatrunar** M. quo *Octobrem*? Quis **Rydtudar** M. quo *Novembrem*? Quorum me sane omnium ignarum fateri habeam. nisi **Fardaga** M. qui *Majum* notat, ad **fair** quod *pulchrum*, sive **faar** quod *oves* significat, referamus, ob causas etiam modò allatas, ubi de Mense ageremus Aprili; & **Jeffndaga** ad æqualitatem; ob æquinoctium, quod in Martium incidit.

De vocabulis, quæ Danis propria.

Pag. 792.

RElatum superius nobis, linguam Danicam, ut & Suedicam & Norvegicam, habere vocabula non quidem omnia, cum Germanis sive Saxonibus communia, sed fere omnia. ut intelligeretur scilicet, intercurrere haud pauca, quæ à Germanico non modò idiomate, sed ab aliis quoque linguis in totum differant: Eaque nec Nomina tantum esse, sed Verba quoque, ut vocant Grammatici. Nos ut gustum eorum ac specimen aliquod exhiberemus, præcipue Nominum ejusmodi brevem syllogen subjiciendam existimavimus idque ordine alphabetico, in modum, ut sequitur;

A. amnis, flumen.
Aabzedde, ripa, fluminis ora.
Aand, Spiritus.
Aar, annus.
Aare, remus.
Abelgaard, pomarium.
Affuels gaard, villa.
Almu, populus in republicâ.
Affuind, odium.
Alvarvep, Regia via; Landstrate. Ger.
Aggerhone, perdix.
Arn, focus. Fyrstede.
Attraa, desiderium.
Ar, spica.
Areskeg, arista.

Bagdör, posticum.
Barn, puer, puer recens natus. ab Hebreorum, ut videtur, *bara*.
Barnebarn, Nepos, ex filio filiave natus.
Barsel, Natalitia, pædosymposium.
Barselquinde, puerpera.
Berselseng, lectus adversus, qui fœtæ mulieri sternitur, dicis causâ.
Börn, liberi.
Börneseng, cunæ. aliàs bogge.
Bagtale, calumnia. bagbaikels.
Balgen, vagina. schede.
Beg, pix. pick.
Begredelse, offuer döde, nænia, lessus.
Belte, cingulum, Baltheus.
Bikube, alveare.
Bibrod, aculeus apis.
Bite, catapulta.
Bonde, rusticus, colonus.
Bondegaard, rusticum prædium.
Brinck, clivus. Vox hodie etiam Gelris nota, pro areâ aut loco concluso.
Brusk, cartilago.
By, urbs, oppidum.
Bysuend, apparitor.
Bödiker, doliarius.
Butte, cupa. Hinc butteleri Belgarum.

Cnyft, culter.
Creier, Kreier, navis velifera. carabus. vide K.

Dengsmand, sequester.
Den onde, diabolus, malus.
Dreng, famulus, puer.
Drengsdreng, mediastinus, infimus ædium minister.
Drengebarn, puellus, infans masculus.
Drotzel, Merula.

Egregne, filicula, filix.
Eg, ovum, Ey.
Enebærtræ, juniperus.

Faar, ovis.
Fanden, Satan.
Ferle, ferula. plack, Belg.
Festemand, sponsus.
Festemö, sponsa.
Festen öl, sponsalia.
Festens gave, arrha sponsalitia.
Feide, militia. Hinc *feudum*, & *feudale jus*.
Flesk, laridum, lardum.
Fleske böste, perna.
Flesk bow, petaso, æmulus herbæ petasi.
Flyndre, solea piscis. Belgicè schull.
Frelser, servator, σωτήρ.
Frö, semen.
Fyrtræ, abies.
Födt, natus, à φύω, nascor.
Föde, parere, gignere.

Gammel, gammelman, gammelquinde, senex, anicula.
Gammelt, vetus, obsoletum.
Gane, palatum.
Gaard, hortus, aula.
Genlud, echo.
Genlöser, redemptor.
Gensuar, responsum.
Glæde, lætitia, gaudium.
Gledescap, idem.
Green, ramus.
Grisz, porcus.
Grisz lille, blandientis vox.
Gryde, tripus, tripedanea olla.
Grydske, tudicula sive cochleare majus, quo spuma deducitur.
Gud, Deus.
Guddom, divinitas.
God, bonum.
Gög, cuculus.
Gör, lætamen, quod lætas faciat segetes.

Haff & Haffuet, mare, oceanus, fretũ.
Haff brusen, fremitus maris.
Haffback, littus.
Hellter, Millus, canum collare.
Hiord, grex.
Hiord, cervus. Hert, Belg.
Hiul, rota.
Hustru, uxor. ab hus, domus. & tru, fidelis.

Jeffn dögn, æquinoctium.
Jorden, terra. Eert, Belg. & Saxonicè.
Jordrög, funus terræ. fumaria.
Jule moned, December.
Jern, ferrum; Saxonicè Iser, per epenthesin.

Kaabe, toga.
Kalent, Saliaris cœna. conventus ab ecclesi-

ecclesiastis indictus. à Græco καλέω, voco, accerso.
Kane, Linter. μονόξυλον.
Kane, Sletha, rheda.
Karm, Esſedum.
Kavent, cerevisia secundaria.
Keerling, vetula. Græcis χήρα, vidua. Dicitur & χῆρος, orbus, desertus.
Kindheſt, alapa. **Mundslag**.
Kiebe, maxilla.
Kid, hœdus.
Kile, cuneus.
Kiær, palus, aliàs **Mose**.
Kilde, fons.
Kilrebaand, cingulum.
Klagmaal, lessus, laudatio funebris. querela.
Kniff. culter.
Klinte, lolium.
Kôd, caro.
Kôdmanger bode, macellum.
Kôdmanger, lanius.
Kôn, genus; **menschelige kôn**, humanum genus.

L **Adegaard**, villa. aliàs **Laugaard**.
Læbe, labium.
Legelon, Softroff. pro curatione.
Ladder, risus immodicus.
Laaſz, sera, claustrum. Saxon. **Slot**.
Laug, symbolum.
Lax, Salmo piscis.
Leiding, militia.
Leffning, reliquiæ.
Loppe, pulex.
Lue, flamma.
Lius, candela, à Latino lux, lucerna.
Lund, lucus.
Lydgryde, cortina, tinctorium ahenum.

M **Ad**, cibus.
Maal, sermo.

N **Advere**, cæna.
Neffue, pugnus, **vust**.
Neffuer, liber. interior arboris tunica. **bast** aliàs.
Naffuer, terebra. **Spegerbon** aliàs.
Nögel, clavis.
Nögle, glomus, globus ex filis.

O **L**, ôl, cerevisia. **Eel**, Anglis.
Ord, verbum, dictio, per aphæresin. Saxones per prosthesin **woord** dicunt.
Ordgyder, aretalogus.
Oxe, ôxe securis; **Byl**, Saxonicè.

P **Ige**, puella, ancilla.
Pose, pera, saccus; propriè est saccus non admodum magnus.
Pung, marsupium, crumena. Videndum Glossarium nostrum prisco Gallicum in *Poungia*. Glossis Græcanicis exponitur πουγγία, pungi, marsupium. Item πούγγη, χρυμέτρα, φασκώλιον. Gallorum hodie *poche*, idem notans à Danico hoc dimanasse videtur.

Q **Vie**, juvenca, vacca.
Quinde, mulier.
Quindesblysel, fœmineum genitale.
Quinde smucke, mundus muliebris.
Quinde kaabe, palla, **hoicke** Belg.

R **Agkniff**, novacula.
Reff, vulpes.
Roesglede, jactantia.
Reeb, restis. **Tou** Belgis.
Reege, squillæ.

S **Andt**, verum.
Sandheed, veritas. à sancto fortasse Latinorum.
Senep, Sinapi. convenit cum Germanis. Belgæ **mostart** dicunt.
Seng, lectus.
Sild, halec, **harinck**, Belg.
Syldöxe, bipennis, utrinque secans securis.
Sköge, scortum.
Slegfredquinde, concubina.
Skam, infamia.
Skeg, barba.
Spiud, hasta.
Skiorte, indusium, subucula.
Serck, indusium fœmineum.
Smur, butyrum. per prosthesin forte: nam Græcis μύρον, unguentum. & hinc Saxonibus **Smeren**.
Stôr, magnum.
Stud, juvencus, bos.

T **Ale**, sermocinari.
Ting, forum judiciale.
Træ, arbor.

V **An**, aqua. **Water** & **Wasser** Germ. Dani **V** simplex pro **W**. passim usurpant, quemadmodum & Latini: *Vinum* enim **Vin** scribunt, non ut Belgæ aut Saxones **Wijn**, **Win**.
Venster, sinistrum. **Venster haand**, sinistra manus. **Venster side**, sinistrum latus.

In

In his jam enumeratis notandum, præter alia, vocabulum *poſe*. quo *ſaccus* etiam ſive *ſacculus* denotatur. Nam licet Danis ſeck/ *ſaccus* dicatur, tamen, ſaccus non admodum magnus, cujuſmodi fere Latinorum *pera*, iiſdem *poſe* propriè dicitur. quà an alij Germanici idiomatis variandi felicitate polleant, addubito. Quin & hoc iſtâ occaſione præteriri haud debet, vocem *ſaccum* non tantum Germanicæ linguæ ceteriſque boreæ populis fere omnibus, ut Danis, Suedis, Norvagis, ſed & Hebræis, Græcis, Latinis & neſcio cui non genti ſimiliter uſurpari. Sic & Serck/quo dixi Danis *induſium fœmineum* notari, cum iidem vocabulo ſiorte virile *induſium*, ſive *Camiſiam* ut vulgo vocamus, intelligant, indicio ſit, eam eſſe idiomatis Danici rationem atque ubertatem, quâ haud cedat nationibus aut linguis aliis, imo & ſuperet in pluribus. Quis enim qui lexica nobis feliciſſimarum linguarum Hebrææ, Grææ, Latinæ aut alius divitis ſimiliter idiomatis contexuit, hanc, ut ſic dicam, idiotetem ullâ earum expreſſit aut aſſequutus eſt? Ut inquam *camiſiam* ſive *indumentum*, quod viro tantum convenit, ab eo, quod fæminarum eſt proprium, diſcernens, unicâ id voculâ, hoc ſerck, illud ſiorte diſcriminatim dicendo, extulerit?

Monendus præterea Lector, nonnulla in iiſdem ſuperius vocabulis Danicis cum accentu, & præſertim literam o à nobis alicubi eum in modum notatam, quæ potius virgulà tranſmiſsâ ſcribi debuerat. At ejuſmodi cum deeſſet typographo character, utpote qui nec Belgicæ aut linguæ Latinæ, uti nec Græcanicæ, uſitatus ſit, quod potuimus id præſtitimus; & accentu ſuperpoſito, aliquam à reliquis, quæ o ſcribuntur, differentiam, quæ in pronunciatione præcipuè ſe exerit, ſubindicandam cenſuimus obiter.

Sed & hoc poſtremo haud omittendum, vocabula ejuſmodi, quæ Danis cum Saxonibus aut reliquâ Germaniâ communia haud ſunt, non hic à nobis omnia, ſed aliqua tantum adnotata. Omnia & quæcunque haberi poſſunt, ſi coacervare eſſet animus, modum res excederet, ſaltem huic loco atque inſtituto huic noſtro minus conveniret, & Lexicon propemodo proprium apparatus ejuſmodi ſeorſim depoſceret. Itaque gradum cum Deo hic ſiſtimus.



FINIS.

LECTORI.

LECTORI.

ERrata typographica sub calcem Operis ac maximè post Indices suo loco collocata. Hic quæ ipsum contextum & omissa nonnulla, & de quibus commonendus seorsim ac propius lector videatur, tum præsertim, quæ tabulas familiarum id est genealogias, utpote à variis variè nec uno modo acceptas, concernunt, præcipue subindicanda. Et quidem

LIBRO I.

Pag. 29. v. 24. *Quem sequens deinde ætas Hyldetan appellavit*) Hæc forte verba, quæ apud Saxonem tamen reperiuntur, ut glossema, irrepsisse in contextum à manu librarij verisimile fit; quod exinde Haraldus III ità cognominatus memoretur ob excussos à Viseto dentes, & iterum in eorum locum renatos molares. Nos idcirco tertium hunc Haraldum inferius non *Hyldetan* sed *Haldtan* discriminis causa nominatum conjecimus, cum, ut innui, verius fors sit priora illa de Haraldo Borchari filio irreptitia esse, deque solo Haraldo III cognominis istud accipiendum. Spectant huc quoque sequentia, quæ legas pag. 30. b. 30. & seq.

LIBRO III.

Pag. 86. v. 24, quæ posita est tabula Genealogica id vitij habere in Erratis, quæ sequuntur, ostendimus, ut perperam ubique, xc pro c, expressum habeatur. Ipsa igitur Errata inspicienda.

Pag. 89. v. 39. *Sigefrido igitur, Vuitichindi Saxonum Ducis socero)* Hujus Sigefridi Danorum regis, eâ tempestate quæ fuerit authoritas ac nominis exinde ob res domi militiæq; præclare ac late gestas memoria, indicat Diploma Caroli Magni, quod integrum recitat Albertus Abbas Stadensis ad annum 788. ubi inter ceteros diœceseos Bremensis limites nominatur *Sigefridismor*.

LIBRO IV.

Pag. 93. v. 13. *fratris Sigefridi filium desideravit)* Abbas Stadensis fratris Godefredi filium nominat, non addito *Sigefridi* nomine.

Pag. 115. v. 41. *De Segefrido fortassis ut concedam)* Notandum Abonem in obsidione Parisiensi memorare post Henricum Ducem à Normannis sive Danis, ut suo loco retulimus, stratagemate interemptum, *Danorum Regem Sirinc cum quiquaginta suorum submersum*. Quem esse similiter *Sigefridum* hariolor, ut ità fortassis plures fuerint Sigefridi nomine vel Duces vel, ut vulgò etiam præfecti cohortium intelligebantur, Reges.

LIBRO V.

Pag. 145. v. 15. *Cujus postmodum sacrilegij infelici nece pœnas dedit.)* Verba hæc Saxonis Grammatici sunt de rege Suenone. At quomodo *infelici nece* Saxo? qui jam ante, quomodo monuimus, eundem hunc *Suenonem* retulisti, *senilis animæ laboribus fessum & ab omni humana perturbatione vacuum solisque operantem divinis ad vitam meliorem decessisse?* Sed non tuum hoc, vir maxime, vitium, sed librarij potius, leviterque rescribimus omnemque contradictionem tollimus legendo, *infelici carcere*. quod & visum felicis ingenij juveni amico haud è multis nostro Stephano Joh Stephanio, jam nuper ex athenæo Lugdunensi Batavorum ad Eloquentiæ professionem in academiam Regiam Soranam honorifice evocato. De carcere verò deque custodia non unâ regis Suenonis sive, ut appellatum aliàs diximus, Suenothonis, repetenda quæ memorata nobis pag. 137. quæque & habet prolixè Saxo & Adamus Bremensis Lib. 2. cap. 21.

Pag. 165. v. 12. *ejectisque anchoris, baculis exploratores se dedunt littori)* An verisimile baculis seu fustibus id effici potuisse, non cimbis potius vel lembis minoribus, cujusmodi ad manus plerumque sunt navigiis grandioribus? At hujusmodi cimbæ sive cimbulæ cum linguâ Danicâ botæ & diminutive *botulæ*, Latinâ flexione, dicantur, num *batulis* sive *botulis*, quomodo ad oram quoque ejus paginę commonuimus, scripsisse encomiasten illum dicemus?

dicemus? præsertim cum & *remiges* eadem Danorum linguâ **botecarls** dictos indicet Vigorniensis.

Pag. 178. v. 23. Hic quod positum est *Stemma Genealogicum Regum Daniæ* à Gotrico Rege adusq; Suenonem Esthritium, magis secundum aliorum schemata ac mentem, quam ad nostram, quæ est memorata, historiam videatur locis quibusdam expressum. Nam, præter alia, *Geva* non soror *Sigefridi* Regis, sed filia fuisse refertur pag. 90. Et ipse *Sigefridus*, non affinis Videchindi Magni, sed ejus, ob ductam filiam Gevam, socer fuit. ut & habent superius pagg. 89. 90. Quapropter totum id Schema sive Stemma jam dictum in modum, ut sequitur, additis suo loco notulis, rescribendum existimavimus:

GOTILAGUS, *Danorum Rex Gregorio Turonensi. Vide supra lib. 4. pag. 87.*

HARALDUS *Rex, de quo pag. 37.*
|
GORNO, *vide supra pag. 38.*

SIGEFRIDUS *Daniæ Rex,* Videchindum Magnum *in Daniam profugum excipit an. Ch. 777. vide Alb. Stadensem. vulgò frater* Gotrici *regis statuitur. Saxo ejus non meminit. Vide pag. 89. & seq. superius.*

GOTRICUS *qui &* Godefridus *Daniæ Rex, bellum gerit cum Carolo Magno. vide ad an. 804. superius.*

Geva *nupta Videchindo Magno. Vide supra pag. 90, 17. 91, 35, 51.*

HEMMINGUS *Daniæ Rex, Patruelis* Godefridi *regis dicitur Helmoldo & Adamo Bremensi.*

Haquinus. Angandeo. *Vide pag. 95.*

Reinoldus *aliàs* Reginbaldus *cæsus in expeditione patrui* Godefredi *adversus Obotritos. vide supra & Stadensem Abb. ad an. 808.*

OLAUS *Daniæ Rex.*
|
ANNULO *Stadensi ad ann. 817. Saxoni est* RINGO.

N. *filia* ἀνώνυμος *nupta* Sivardo *Norvago.*

SIGEFRIDUS, *Saxoni* SIGVARDUS. *Hic cum* Anulone *pro regno confligens unà cum* Anulone *periit. Vterque & ipse & Anulo regis titulo insigniuntur.*

HARALDUS **Klack** *ab Imperatore Ludovico ad Christi fidem traductus.*

Guthormus *Adamo Bremensi & Alberto Stadensi* Gudure.

Filia, nupta ERICO *puero genuit* CANUTUM *parvū regem Daniæ. vide seqq.*

ERICUS *à Ludovico Imp. Frisiis præfectus. Postmodum Daniæ Rex.*

REGINFRIDUS *Alberto Stadensi; Saxoni est* REGNERUS **Lodbrock**. *Et liberi ex pluribus matrimoniis, Ex*

1. Lathgerta
|
FRIDLENUS *Saxoni, qui Adamo Bremensi & aliis est* GODAFREDUS. *cæsus in insula Batavorum. Vide supra pag. 101. 112. 113.* Filiæ duæ, *quarum nomina memoriæ prodita non sunt, ut habet Saxo.*

2. Thora *Herothi Sueci filia*
A

3. Suanloga.
|
Regnaldus, Vuitserckus.
Ericus *Veerhart.*
De his Saxo libro 9.

4. Esberni *Sueci filia*
|
Ubbo. *De hoc Saxo lib. 9. pag. 87:* Interea Ubbo per avum suum Esbernum. *At* Thoræ *videtur tribuere pag. 86. eodem libro; ubi inquit:* Quo facto, omnibus quos ex Thorâ procreaverat, filiis præter Ubbonem, assumptis.

Rath-

A

Rathbartus Dun. *Dux Saxoni, qui Scotiæ australibus insulis præfectus.*

Varthus.

Ivarus. *patri in Anglia successit.*

Agnerus. *Rex Angliæ post* Ivarum.

Biornus, *aliâs* Iern-side *dictus* *Sueciæ Rex.*

SIGVARDUS. *Ab anguino obtutu* Snogoye. *Daniæ Rex.*

ERICUS Barn *sive* puer, *Daniæ Rex.* — *Vxor N. filia* Guthormi.

CANUTUS parvus *item* Laaneknud *Daniæ Rex.*

FROTHO.

Sigefridus & Haldanus *fratres: quorum Abbas Stadensis & Annales Francorũ, exq; iis nos ad an. 865 & deinceps meminimus, an ad filios quoque* Regneri *sint referendi, cum id diserte Chronologi haud tradant, in medio relinquimus.*

GORMO, *qui Alberto Stadensi ad an. 921, filius* Hardevechi *sive Haraldi potius: Nam Saxo inter hunc &* Frothonem *interserit* Gormonem Haraldumque, *ut monitum nobis pag. 129. superius. Hic ex Thyrâ Anglorum regis filia suscepit,*

Ericus *Angl. Orient. Rex supra ad ann. 902.*

HARALDUM *Daniæ regem cognomento* blaatand. *cui uxor fuit* — Gyritha, *ut Saxo habet. Helmoldo, Adamo Bremensi & Alberto Stadensi ad an. 948 est* Gunilda. *Vide suo loco supra.*

Canutum *apud Hibernos cæsum.*

Gunildam, *quæ nupta* Erico Blodoxe, *Norvagiæ regi post* Haraldum Harfagerum.

Haraldus Graafeldus, *defuncto* Haquino Adelsteno, *Norvagiæ rex.*

Gunilda *nupta* Palingo *Comiti Anglico. Vide ad an. 100. & 103. Itemq; Math. Vestmonasteriensem.*

Sueno *ab* Othone Magno *Imp.* Suenotho dictus. *ei nati,*

Haquinus *à Sembis interemptus.*

Ex N.

Thyra, *de qua vide pag. 138 & 139. Norvagiæ Chronicõ non filiã sed sororem facit* Suenonis. *Perperam eam Genealogiæ, quæ Saxonis Editioni Danicæ inseruntur,* Godvino *Anglico nuptam referunt: cum de* Thyra, Vlphonis *sorore, id verum sit.*

HARALDUS *Daniæ rex. cujus meminit Ditmarus & Erici Regis Chronicon, silente Saxone: vide pag. 147. superius.*

Emma *soror Richardi Normanniæ Ducis &c.* —

Ex Sygrithâ

CANUTUS Magnus *Daniæ Angliæ &c. Rex.*

— Albina *Norvagica.*

MARGARETA *aliis* ESTARITA, *vide superius suo loco pag. 180.*

CANUTUS Durus *Angliæ & Daniæ Rex.*

Gunilda, *Vrspergensi* Cunigunda, *nupta* Henrico III. *Imp. Ro.*

Haraldus *Rex Angliæ.*

Sueno *Rex Norvagiæ.*

&

Vide

Vide Tabulam superius pagina 180.

Haquinus Jarlus, *qui Norvagiam* Canuti Magni *nomine administrans, periisse naufragio memoratur inter Norvagiam & Angliam pag. 154, cum diserte Norvagiæ Chronicon, filium fuisse sororis* Canuti Magni *refert: natum patre* Erico Jarlo. *Vide &* **Haagen Jarl Ericksen** *idem nominat. Quâ autem sorore* Canuti *genitus non additur. Agnoscit interim Thyram Saxo, sororem Canuti Magni. vide pag. 315 Genealogiam* Haraldi Hartageri.

A

|

Magnus *fortunâ & vocabulo, ut habet Saxo Grammaticus lib. 10.*

Pag. 185. v. 52. *Gemmeticensis Haraldum Herfagam vocat*) Perperam *Herfagam* aut *Harfagerum* vocat, qui cognomento **Haarderaade** sive *Durus* dicebatur; nisi eatenus id cognomenti inditum ei capiamus, quatenus ex stirpe *Harfageri* sit natus.

Pag. 195. v. 52. *Adnitente præcipuè pontifice Eugenio*) Legendum *pontifice Romano*, commonui, ni fallor, in Erratis. nam de nomine pontificis certò non constat.

Pag. 202. 34. *Olai filij Haraldi Harfagre*) Verius *Haraldi* **Haarderaade**. Sed ità appellasse Chronologi videntur, quicunque regum Norvagiæ, *Haraldi* præsertim nomine, ab *Haraldo Harfagero* proximè descendunt.

Pag. 211. v. 44. *Sibi vicissim ejusdem regis novercam, Norvagensium quondam Reginam, Malfredam despondit*) At mater *Magni Blinde* sive *Cæci*, non noverca dicitur pag. 386 in Genealogiâ superius regum Norvagiæ. Saxo tamen Grammaticus, ut posuimus, novercam nominat nec tamen nomine exprimit. Et patet ex verbis superius Chronici Norvagici, pag. 206 indicatis, ante *Malfredam* (quæ ut memoratum ibidem Russorum regis filia fuit, soror *Ingeburgæ*, quam matrem habuit Valdemarus I) Sivatdo fuisse nuptam Hiberniæ regis filiam, quæ an mater *Magni* fuerit, & ità *Malfreda* Saxoni noverca sit intellecta, quod dicam non habeo.

Pag. 221. v. *Adjiciens semet propius accurrere voluisse, nisi præpedivissent imperij negotia*) Hujus rei mentionem facit epistola ipsius Imperatoris *Frederici Barbarossæ*, quæ integra recitatur apud Chronologos. Ubi tamen Daniæ hic Rex perperam *Petrus* nominatur, qui ipsus est *Sueno*, cognomento, ut indicatum, *Gratenhede*. *Petrus Daniæ Rex, perperam.*

Pag. 231. Tabula Genealogica, quæ hîc posita, cum memoret quidem liberos, qui nati *Canuto* Daniæ regi ex *Adelâ* Comitis Flandriæ *Roberti* filiâ, omissi interim, qui vicissim ex iisdem *Canuti* atque *Adelæ*, filiabus præsertim, progeniti. quorum tamen in historiâ pag. 198. v. 56. & pag. 199. v. 1. & seq. haud omissa mentio. Quapropter sequuti partim Saxonem Grammaticum, partim Flandriæ Chronica, prosapiam eorum paulò pleniorem subjiciendam existimavi. Est verò ejusmodi:

CANUTUS *Daniæ Rex* —— Adela *Comitis Flandriæ Roberti filia.*

Ingertha *Folchoni nupta.* — Carolus *Flandriæ Comes Brugis trucidatus.* — Cecilia.

|

Canutus. Benedictus. Arnulphus.

Sed Arnulphus *an* Ingerthæ *sive potiùs* Ceciliæ *tribuendus ambigere scriptores Flandrici faciunt, qui cum ex sorore tantùm* Caroli *Flandriæ Comitis prognatum memorant nominantque* Arnulphum Danum. *Saxo Grammaticus ejus non meminit, oppidò tamen memorabilis: utpote qui occupare Flandriam*

post interemptum nefariè Flandriæ Comitem Carolum *avunculum suum amissus, maximos sibi adversarios repperit, Normanniæ scilicet Ducem Gulielmum ipsumq; Franciæ regem, ut & est à nobis in historia propius indicatum pag. 199. & pag. 205. Messenio, qui Tabulas Genealogicas Sueciæ regum edidit* Canutum *&* Benedictum *Suecorum Duces non Ingerthæ sed Ceciliæ, secus quàm Saxo, tribuit.* Arnulphi *ne per somnium quidem meminit. nec liberos quoque Ingerthæ accenset.*

ADDENDVM.

Pag. 140. v. 55. ejusdem libri V. *Sed Imperatrix viva etiam cremata memoratur.* Et mox pag. 141. v. 10. *Suam verò conjugem Imperator supplicio afficiendam permisit.*) Citat versus Gulielmus Heda in Ansfrido præsule Trajectensi, qui in reginam indicant latam sententiam ut ignitis periret favillis, ut versus ipsi habent. At Vanderburgius in historiâ Sabaudicâ, ubi agit de *Beraldo*, innuere videtur *Mariam* hanc *Arragonicam* (ità enim imperatrix hæc dicta) à *Beraldo* confossam in adulterio deprehensam. Cum Hedâ facit Chronicon Carionis aliique. At Vanderburgius rationem deinde addit, cur à receptâ opinione recedens malit credere, quod tradit historia Sabaudica, confossam à Beraldo.

LIB. VI.

Pag. 240. v. 5. *Talibus Radulphum aggressus Imperator)* Quæ habet Radevicus in chronico suo de Gestis Frederici I. Imp. cognomento Barbarossæ, *de nunciis regis Daciæ*, ut verba ejus præferunt, *petentibus inuestituram suo regi mittere*, circa annum 1158, ea capienda, de hoc præcipue *Radulpho.* qui, ut videtur, largius heri sui mandata Cæsari exposuit aut Cæsaris ad Regem, herum suum, retulit.

Pag. 257. v. 10. *Quo insubito juvenis responso)* Scripseram, & ità restituendum, *Quo insubido juvenis responso.* Aul. Gellius lib. 19. cap. 9. *Sed ne nos tanquam insubidos & ἀναφροδισίας condemnetis.* Symmachus epist. 4. lib. 1. *Summâ adficior gratiâ, quod animadverto literas meas tibi insubidas non videri. insubidas*, id est, *insuaves, tetricas* & *ingratas.*

Pag. 301. v. 22. *Contigit in lena &c.)* Hos versus paulo aliter recitat Ericus Olai Opsalensis historiæ suæ Sueticæ lib. 3. ita scilicet:

Contigit in Lenum duo Danfche lupo for enom,
At Suenskom Suenom togo dorsum verbere plenum.

Pag. 324. Hac in tabula *Regissa* quæ dicitur, *Henrici Leonis* Saxoniæ Ducis filia, alibi & aliis est *Gertbruda.* quomodo & nos quoque eam vocatam nuptuique traditam *Canuto* Regi meminimus pag. 290. 37. item. 163. 49. Et statim eâdem hac tabellâ, quæ primò nupta *Valdemaro* II *Maria* nominatur, *Othonis* IV Imp. filia, eam *Ingeburgam* fuisse dictam superius suo loco pag. 295. 11 in historiâ meminimus & sororē quidem germanam fuisse *Othonis* Brunsvicensium Ducis, postmodum Imperatoris, filiam verò ejusdem *Henrici Leonis.* Adeò ut tabellam hanc dum revocare ad historiam & ea, quæ essent à nobis superius memorata, conaremur, hoc omissum nobis, aliò festinantibus, videatur. Prius expressit, in Synopsi suâ historiarum Danicarum, vernaculo idiomate editâ, vir clarus Claudius Lysander Danus, sequutus, ut videtur, Reusnerum, qui *Richsam* viduam *Frederici* Palttini *Canuto* regi similiter nuptam memorat: & fratri item *Canuti* Regis *Valdemaro* II *Mariam* tribuit, filiam *Othonis* Brunsvicensis postea Imperatoris, qui & filius fuit *Henrici* Leonis. Nos (an certiore calculo viderint alij) nobilissimum Vitfeldium felicis memoriæ hac parte in historiâ, pag. jam dictâ 295, 11, sequuti, *Ingeburgam* nuncupavimus, & filiam quidem *Leonis*; Othonis verò Brunsvicensis, qui postea imperavit, fuisse sororem indicavimus. ut ità fratres germani *Canutus* & *Valdemarus* Daniæ Reges, primi Valdemari filij, *Leonis Henrici* uterque filiam sibi conjugem habuerit, *Gertrudam* ille, hic verò, *Valdemarus* inquam, *Ingeburgam* nomine.

Lib. VII.

Pag. 355. Quæ hîc expressa est genealogia, iterum *Mariam* nominat, conjugem primam *Valdemari* II, eamque *Othonis* IV Imp. filij Leonis, non sororem sed filiam facit, secus quàm in historiâ memoratum, uti jam diximus. Sed & illud eâdem Tabulâ animadvertendum, *Ingeburga* quæ filia fuit *Erici* Danorum Regis, cognomento *Sancti*, ac nupta Norvagię Regi *Magno*, ut est in historia pag. 337, 25, memoratum, inter liberos jam dicti regis prætermissam, ac loco huic suo, inter *Iuditham* & *Margaretam*, postliminiò interserendam.

Pag. 361. 17. *Præterea ut* Margareta Alexandri *Scotorum Regis filia quatuor annorum puella, cum per ætatem commodum esset*,: Haquino Magni *Norvagiæ Regis filio ex* Ingeburga *divi* Erici *Danorum Regis filiâ suscepto, nuberet*) De hoc matrimonio, & cur non Anglo potius tradita sit hæc *Margareta*, quod regno utrique Scotorum & Angliæ longè fuisset, ut ipse judicat, utilissimum, prolixe disputat Johannes Major natione Scotus in suâ historiâ majoris Britanniæ lib. 4 pag. 67.

Pag. 277, 14 *In cujus (Tychonis episcopi Arhusiensis) locum est surrogotus ejusdem capituli archidiaconus Christiernus*) Christiernum successorem Tychonis etiam Vitfeldius hoc loco ponit, quem sumus sequuti; cum tamen ante, quomodo & ibidem retulimus, excessisse idem Tycho anno 1287 referatur, ac sucessorem habuisse Johannem Assuerum. Quod proximè convenit cum Indice Episcoporum Arhusiensium, qui Johannem sive Jonam Assuerum surrogatum Tychoni ait. Illud itaque, Lector, rejicere inter sphalmata mnemonica, si lubet, potes.

Pag. 384. Haraldi Haarfageri) *Haarfageri* sive, ut vernaculè dicebatur, Haarfaver cognomentum unde natum Norvagorum huic Regi Haraldo prodit Chronicon Norvagię vernaculum; à capillitio nimirum illius cultiori ac decoro. Quod idem chronicon pag. 29 sex ejus conjuges nominat, ex quibus ei nati filij numero xx. Superius quia tantùm præcipui nominati, hîc ordine, tam uxorum singularum quàm filiorum subjeci nomina:

Haraldus Haarfagerus
Norvagiæ Rex genuit ex

Godâ filios 4	*Aasâ filios item 4,*	*Raginaldâ Erici regis Iutlandiæ filiâ,*	*Suanilda filios 4.*	*Asilda filios 3.*	*Snefridâ Finnicâ filios. 4,*
1 Rorrige,	1 Gutormum,	1 Ericum Blodoxe.	1 Olaum Giestad,	1 Dagerum	1 SiurdūRise
2 Sigtrude,	2 Haldanum nigrum:		2 Biornonem.	2 Ringerum,	2 Haldanum Holigerum,
3 Frode,	3 Haldanū Candidum.		3 Ragnarium.	3 Gudrodum	3 Gindrodū Liomme,
4 Togiuls.	4 Sigfrodum.		4 Rykelium.		4 Rogvaldum Rettelbeen.

Hac in recensione liberorum seu filiorum *Haraldi* Haarfageri, non nominatur *Haquinus Adelstanus*, quem tamen fratrem *Erici Blodoxe*, nominat idem Chronicon Norvagiæ pag. 22. sed Chronicon idem hunc statim solvit nodum pag. 30 addens eidem *Haraldo* Hartagero *Thoram* concubinam junctam jam senescenti, & ex eâ susceptum *Haquinum Adelstanum*. Atq; ità filios habuerit *Haraldus Haagefagerus* unum & viginti. ex uxoribus quidem legitimis viginti. ex concubina verò Adelstanum, qui prioribus additus vigesimus sit primus.

Idem porrò Norvagię chronicon liberos *Erici Blodoxe*, Norvagorum Regis, præter *Haraldum Graafelderum* hos ejus filios nominat, *Gutormum Gamle, Haraldum Ranfroude, Erlingum, Gudrodum, Siurdum Sleje*. Et denique eâdem paginâ, ubi de *Magno Bono* Norvagiæ ac Daniæ rege, agitur, adde: *Ejus filia nupta Hogeno sive Haquino Iarlo. de quo videnda* pag. 180, v. 55, 56, 57 *superius*.

Lib. VIII.

Pag. 212. Hîc quæ posita est Genealogia statim initio *Euphemiam filiam* facit *Magni* Sueciæ ac Norvagiæ regis, quemadmodum & Crantzius quoq;; at *soror* non *filia* fuisse *Magni* Sueciæ

Sueciæ regis oſtenditur paginâ exinde quæ ſequitur 538. atque itâ hoc loco reponendum. & addenda præterea eâdem illâ Genealogiâ liberis *Henrici* Ducis Megapolenſis & *Ingeburge*, filiæ Valdemari III, *Ingeburga* antiſtita Ribniſſenſis. de quâ videndum ad annum 1425.

Lib. IX.

Pag. 534, v. 22. *Exſtitiſſe Prutenum, qui ſe Margaretæ Reginæ filium Olavum ferret)* Hæc in annum MCCCCII referuntur â Chronologis, cum anno MCCCLXXXVII objerit Margaretæ Reginæ filius *Olavus*, ut eſt oſtenſum ſuperius pag. 510, 511. Ut hinc conſtare queat hunc falſarium integris annis quindecim ab obitu Olai Regis prodiiſſe demum. Et hinc eſt, quod Ericus Olaus Upſalenſis hiſtoriæ ſuæ Sueticæ lib. 4, ex vulgi rumore ac fabulis potius quàm vero, ſcripſerit in hæc verba pag. 253: *Haquini filius Olaus quo devenerit, aut ubi aut quâ morte objerit, ignoratur: niſi quod mater ejus quendam Olaum, qui ſe dicebat filium ejus, igne fecerit concremari*: Nam *Olaum* verè inque oculis amplexuque matris objiſſe diem, ac corpus ejus in æde Soranâ conditum illatumque majorum funeribus indicâvimus ſuperius pag. 510, 511, additis ejus ævi verſibus, ex quibus intelligi inſuper potuit, quod pag. 534 jam ante indicatâ, memoratur, hocce nimirum monſtrum nutrice Olai Regis natum, & ab eâ fortaſſe ſubornatum quoque: & deniq; quod hîc ex verbis præterea Erici Olai Suedici ſcriptoris jam poſitis eſt ſubintelligere, nominatum etiam Olaum: quamvis & ficto hoc nomine abuti eoque ſe efferre potuerit, ut iſtis eſt moris: exemploque, præter hunc aliosq;, etiam ille apud Romanos olim Trebellius Calca fit, qui ſe quàm aſſeveranter Clodium nomine Clodioque genitum tulit! ut refert pluribus Valerius præcipue Maximus.

NOTATIONES
Ad Chorographica.

PAg. 642. v. 45. *Pyrenæus Germanorum tranſitus non inhibuit)* Sunt Senecæ verba Libro Conſolationis ad Helviam matrem. Monuique ad oram, capienda de Cimbris præcipue eorumque in Gallias Hiſpaniamq; expeditione; idque ex iis, quæ a nobis ſunt memorata in hiſtoriâ pag. 2 & pag. inſuper 3 v. 39. Ubi Cimbri Theutonique ac Tigurini, exturbati vel, ut ipſe loquitur Florus, excluſi memorantur *Galliâ Hiſpaniâque*. Et adde verba Plutarchi in Mario, quæ aſpeximus ſuperius paginis iam dictis: *Magno fortunæ favore uſus videtur Marius. Nam cum barbari* (de Cimbris Theutoniſque loquitur) *quaſi quodam impetus refluxu, ferrentur prius in Hiſpaniam* &c. item epitomatoris Livij lib. LXVII: *Cimbri, vaſtatis omnibus, quæ circa Rhodanum & Pyrenæum ſunt; per ſaltum in Hiſpaniam tranſgreſſi ibique multa loca populati; à Celtiberis fugati ſunt.* Quæ omnia repetenda vel ideò accuratius hoc loco fuerunt, quia vir oppido doctus aliàs, extraque ingenij omnem aleam poſitus, loco Senecæ jam indicato non *Germanos* propriè ſed *Gallos*, id eſt, *Celtiberos* capiendos commonuit. At inter Germanos etiam Cimbros agnitos ex † Tacito præterea conſtat.

† *Vide eius Germaniam.*

Pag. 738. v. 23. *Hanc* (Hillegelandiam) *fuêre qui Fotislandiam eſſe)* in vitâ S. Wilhadi Fotislandia dicta, ac ſita memoratur inter Daniam & Friſiam, de quo vide ſupra pag. 176 hiſtoriam. Etiam *Fara* nominatam in hiſtoria notavimus pag. 175. v. 57. Et in eâ Edbertum epiſcopum Fionenſem, qui eam ante inhabitarat, à prædonibus ad Chriſti fidem converſum. Vide pag, 175. v. 56. ipſam hiſtoriam.

Claudius Lyſchander.

Pag. 787, 37. *Porſium, Vormium aliosq;)* Addi, præter alios, etiam Claudius Chriſtophori Lyſchander iiſdem poterat; licet, quod conſtet, nihil Latinè ediderit; tamen ob evulgatum contextumque vernaculo idiomate Opus Genealogicum nominari meruerat; tum & fratris ipſius nomine. de quo ipſoque Claudio hæc habet V. cl. David Chytræus epiſto-
» lâ quapiam ad Regem Fredericum II. Inter Regiæ Majeſtatis tuæ virtutum & laudum
» præcones Claudium Chriſtophori Lyſcandrum fore confido. qui cum in Germaniâ ha-
» ctenus optimis ac utiliſſimis ſtudiis multos annos vacarit, & laudabiles ac præclaros, o-
» mnium intelligentium judicio, progreſſus in iis fecerit, præcipue tamen ad hiſtoriarum
» cognitionem, & regnorum Orbis noti, & patriæ imprimis ſuæ antiquitates, ex ultimâ
» antiquitate eruendas & illuſtrandas animum applicavit, ut non dubitem, ſi patronum &
» Mœcenatem nactus fuerit, eum paulo poſt magno patriæ uſui ac ornamento futurum eſ-
» ſe. Et de ipſo ejuſdem fratre paulo poſt eâdem epiſtolâ: Præclaram in perveſtigandis

veterum populorum, qui Chersonesos ac insulas regnorum tuorum olim incoluerunt; Cimbrorum, Getarum, Dacorum, Gothorum, Vandalorum antiquis sedibus, regnis ac rebus, toto orbe ante & post nati Christi tempora gloriosè gestis, operam navavit Ioh. Lyschander, Claudij hujus frater.

Tullius Cimber.

His addi, imo præmitti viris omnibus ab eruditione apud Danos celebratis *Tullius Cimber* debet, qui Senecæ etiam ac Ciceronis testimonio commendatus ævo Augustæo claruit ut ostensum est pag. 10. quique ut citat ille dicendi eminentissimus magister Fabius, Publio item Virgilio Maroni inter claros rhetores est relatus, ac dictus *Thucydides Britannus*, quod oriundus ab hisce boreæ oris Thucydidem præcipue in orationibus suis sit æmulatus. quamvis & idem, ut habent Virgiliana verba ac versus, ab origine ac cælo suo quædam traxerit, quę Atticam illam puritatem nonnihil obfuscarint. Versus Virgilij apud Quintilianum, ut dixi, leguntur lib. 8. cap. 3, sed ejusmodi, qui haud leve facessierint negotium viris nostri seculi inter primos eruditissimis; & in his eorundem coryphæo Iosepho Scaligero felicis memoriæ; & nuper Cl. viro Samueli Petito, qui Libro III Miscellaneorum, quæ istis diebus Lutetiæ Parisiorum prodierunt, *Tullij Cimbri Glossas*, post Scaligerum, felicissime enodavit, cap. IX dicti jam tertij Miscellaneorum Libri.

Qui porro memorati sæpiuscule in historiâ occurrunt Balthici maris insulani, & iis ortum versus vicini Sarmatarum populi, ut & in Chorographicis pag. 709 Scyri Hirrique; cujusmodi Borussi nunc fere gentesque Livoniæ, excitarunt me ut de eorundem moribus, quæ sequitur, Epistolam hominis eruditi, qui eas regiones inhabitavit ac pleraq; incoram vidit, proximè subjicerem:

DE RELIGIONE & SACRIFICIIS VETERUM BORUSSORUM, EPISTOLA IOHANNIS MELETII

Ad GEORGIUM SABINUM.

CUM elegiam illam tuam, quam ad Petrum Bembum Cardinalem scripsisti, mihi legendam exhibuisset Hieronymus filius meus, qui tuis scriptis plurimum delectari solet, in qua de sacrificio capri, & anguium cultu, quæ nonnullæ Sarmaticæ gentes faciunt, commemoras: continere me non potui, quin ea quæ de vano cultu earum gentium comperi, ad te scriberem. tibi utique non ingratum fore sperans, si earum gentium, ad quas fato quodam vocatus es, & in quarum vicinia vitam agis, mores & idiolatriam plenius cognosceres. Multi enim superstitiosi ritus, idiolatricique cultus passim in his regionibus adhuc occulte servantur, qui tibi advenæ nondum forte cogniti sunt. Itaque visum est communicare tecum, quicquid de illis compertum habeo. Ac ne longiore utar procemio, referam primo sacrificia, quibus olim Borussi, Samogitæ, Lithuani, Ruteni & Livones, coluerunt dæmonia pro diis, atque nunc etiam multis in locis colunt occulte: deinde superstitiosos quosdam ritus, quibus nuptiæ, funera & parentalia, apud easdem gentes celebrantur.

Die Gregorij sacrificium facere solent Pergrubrio, qui florum, plantarum omniumque germinum Deus creditur. Huic Pergrubrio sacrificant hoc modo. Sacrificulus, quem Vurschayten appellant, tenet dextra obbam cerevisiæ plenam, invocatoque dæmonij nomine, decantat illius laudes: Tu (inquit) abigis hyemen, tu reducis amœnitatem veris: per te agri & horti virent, per te nemora & sylvæ frondent. Hac cantilena finita, dentibus apprehendens obbam, ebibit cerevisiam nulla adhibita manu: ipsamq; obbam ità mordicus epotam, retro supra caput jacit. Quæ cum è terra sublata iterumque impleta est, omnes quotquot adsunt ex ea bibunt ordine, atque in laudem Pergrubrij hymnum canunt Postea epulantur tota die, & choreas ducunt.

Similiter quando jam segetes sunt maturæ, rustici in agris ad sacrificium congregantur, qui lingua Rutenica Zazinck vocatur. id est, initium messis. Hoc sacro peracto, unus è multitudine electus, messem auspicatur, manipulo demesso quem domum adfert. Postridie omnes, primo illius domestici, deinde cæteri quicunque volunt, messem faciunt.

Facta autem messe, solenne sacrificium pro gratiarum actione conficiunt, quod Rutenica lingua Ozinck, id est, consummatio messis dicitur. In hoc sacrificio, Sudini

,, Borussiæ populi, apud quos succinum colligitur, capro litant, sicut in elegia tua ad Bembem scribis.

,, Litandi vero ritus est talis. Congregato populi cœtu in horreo, adducitur caper, quem Vurschaites illorum sacrificulus mactaturus, imponit victimæ utramque manum, invocatque ordine dæmones, quos ipsi Deos esse credunt: videlicet, Occopirnum, Deum cœli & terræ; Antrimpum, deum maris; Gardoæten, deum nautarum, qualis olim apud Romanos fuit Portunnus; Potrympum, deum fluviorum ac fontium. Pilvitum, deum divitiarum, quem Latini Plutum vocent; Pergrubium, deum veris; Pargnum, deum tonitruum ac tempestatum: Pocclum, deum inferni & tenebrarum: Poccollum, deum aëriorum spirituum: Putscætum, deum qui sacros lucos tuetur. Ausceutum, deum incolumitatis & ægritudinis: Marcoppolum, deum magnatum & nobilium: Barstuccas, quos Germani **Erdmenlein**/ hoc est, subterraneos vocant.

,, His dæmonibus invocatis, quotquot adsunt in horreo, omnes simul extollunt caprum, sublimemque tenent, donec canatur hymnus: quo finito, rursus demittunt ac sistunt caprum in terram. Tum sacrificulus admonet populum, ut solenne hoc sacrificium, à majoribus pie institutum, summa cum veneratione faciant, ejusque memoriam religiose ad posteros conservent. Hac conciuncula ad populum habita, ipse mactat victimam, sanguinemq; patina exceptum dispergit. Carnem verò tradit mulieribus eodem in horreo coquendam. Hæ interea dum caro coquitur, parant è farina siliginea placentas, quas non imponunt in furnum, sed viri focum circumstantes, hinc illinc per ignem jaciunt absque cessatione, tamdiu quoad illæ indurescant & coquantur. His peractis, epulantur atque helluantur tota die ac nocte usque ad vomitum. Ebrij deinde summo mane extra villam progrediuntur, ubi reliquias epularum, quæ remanserunt, certo in loco terra operiunt, ne vel à volatilibus, vel à feris diripiantur. Postea dimisso cœtu suam quisque domum repetit.

,, Cæterum, ex omnibus Sarmatiæ gentibus supra nominatis, multi adhuc singulari veneratione colunt Putscætum, qui sacris arboribus & lucis præest. Is sub arbore sambuco domicilium habere creditur. Huic passim homines superstitiosi litant pane, cerevisia, aliisq; cibis sub arbore sambuco positis, precantes à Putscæto, ut placatum efficiat Marcoppolum deum magnatum & nobilium, ne graviore servitute à dominis ipsi premantur: utque sibi mittantur Barstuccæ, qui (ut supra dictum est) subterranei vocantur. His enim dæmonibus in domo versantibus se fieri credunt fortunatiores: eisque collocant vesperi in horreo super mensam mappâ stratam panes, caseos, butyrum, & cerevisiam: nec dubitant de fortunarum accessione, si mane reperiant cibos illic absumptos. Et si quando intactus cibus in mensa remanet, tunc magna anguntur cura nihil nō adversi metuentes.

,, Eædem gentes colunt spiritus quosdam visibiles, qui lingua Rutenica Coltky, Græca Coboli, Germanica Coboldi, vocantur. Hos spiritus credunt habitare in occultis ædium locis, vel in congerie lignorum: nutriuntq; eos laute omni ciborum genere, eo quod afferre soleant nutritoribus suis frumentum ex alienis horreis furto ablatum.

,, Cum vero hi spiritus alicubi habitare ac nutriri cupiunt, hoc modo suam erga patrem familias voluntatem declarant. In domo congerunt noctu segmenta lignorum, & mulctris lacte plenis imponunt varia animalium stercora. Quod ubi pater familias animadverterit, nec dissipaverit segmenta, nec stercora è mulctris ejecerit, sed de inquinato lacte cum omni familia sua comederit, tunc illi apparere & permanere dicuntur.

,, Præterea Lituani & Samogitæ in dominibus sub fornace, vel in angulo vaporarij ubi mensa stat, serpentes fovent, quos numinis instar colentes, certo anni tempore precibus sacrificuli evocant ad mensam. Hi vero exeuntes, per mundum linteolum conscendunt, & super mensam assident: Ubi postquam singula fercula delibarunt, rursus descendunt, seque abdunt in cavernis. Serpentibus digressis, homines læti fercula illa prægustata comedunt, ac sperant illo anno omnia prospere sibi eventura. Quod si ad preces sacrificuli non exierint serpentes, aut fercula super mensam posita non delibaverint, tum credunt se anno illo subituros magnam calamitatem.

,, Adhæc eædem gentes habent inter se sortilegos, qui lingua Rutenica Burty vocantur, qui Potrimpum invocantes, ceram in aquam fundunt, atque ex signis sive imaginibus inter fundendum figuratis, pronunciant ac vaticinantur de quibuscunq; rebus interrogati fuerint. Novi ipse mulierculam, quæ cum diu reditum absentis filij frustra expectasset: erat enim filius ex Borussia in Daniam profectus, consulit sortilegum, à quo edocta est,

illis

illum naufragio periisse. Cera enim in aquam fusa expressit formam fractæ navis, & effigiem resupini hominis, juxta navim fluitantis.

Apud Samogitas est mons ad fluvium Nauvassam situs, in cujus vertice olim perpetuus ignis à sacerdote conservabatur, in honorem ipsius Pargni, qui tonitruum & tempestatum potens à superstitiosa gente adhuc creditur. Hactenus de sacrificiis.

Nunc de ritibus NUPTIARUM, funerum & parentalium narrabo non minus ridicula quam superstitiosa. Apud Sudinos, Curonenses, Samogitas & Lithuanos, nubiles puellæ multis in locis gestant tintinnabulum, quod funiculo alligatum è cingulo dependet usque ad genua. nec ducuntur sed rapiuntur in matrimonium, veteri Lacedæmoniorum more à Lycurgo instituto. Rapiuntur autem non ab ipso sponso, sed à duobus sponsi cognatis. Ac postquam raptæ sunt, tunc primum requisito parentum consensu, matrimonium contrahitur.

Cum nuptiæ jam celebrantur, sponsa ducitur ter circa focum. Deinde in sellam ibi collocatur. Sedenti super sellam, pedes lavantur. Ea vero aqua, qua sponsæ lavantur pedes, conspergitur lectus nuptialis ac tota supellex domestica. Consperguntur item hospites, qui ad nuptias invitati sunt. Postea sponsæ os oblinitur melle, & oculi teguntur velamine, velatis oculis ipsa ducitur ad omnes ædium fores, quas jubetur contingere ac pulsare dextro pede. Ad singulas fores circumspergitur tritico, siligine, avena, hordeo, pisis, fabis & papavere. Qui enim sequitur sponsum, gestat saccum plenum omni genere frugum: cumque illam circumspergit, ait, nihil horum defuturum sponsæ, si religionem pie coluerit, remque domesticam curaverit ea diligentia, qua debet. His actis, aufertur sponsæ velamen ab oculis, & convivium celebratur.

Vesperi cum sponsa ad lectum deducenda est, inter saltandum ei abscinduntur crines: quibus abscissis, mulieres imponunt ei sertum, niveo linteolo adornatum, quod uxoribus gestare licet, donec filium pepererint. Tandiu enim uxores pro virginibus se gerunt. Ad extremum introducitur in cubiculum, ubi pulsata & verberata conjicitur in lectum, sponsoque traditur. Tum pro bellariis afferuntur testiculi caprini, vel ursini, quibus ipso nuptiarum die commanducatis, conjuges creduntur fieri fœcundi. Hac de causa nullum quoque animal castratum illic ad nuptias mactatur.

In FUNERIBUS hic servatur ritus à rusticanis. defunctorum cadavera vestibus & calceis induuntur, & erecta locantur super sellam, cui assidentes illorum propinqui, perpotant ac helluantur. epota cerevisia, fit lamentatio funebris, quæ in lingua Rutenica sic sonat: Ha, le le, le le, y procz tij mene umarl? ij za tij nie miel szto yesty, albo pyti? y procz tij umarl? Ha le le, le le ij za tij nie miel krass ije mlodzice? ij procz tij umarl? Id est, Hei, hei mihi, Quare mortuus es? Num tibi deerat esca aut potus? Quare ergo mortuus es? Hei hei mihi: An non habuisti formosam conjugem? Quare ergo mortuus es? &c. Hoc modo lamentantes enumerant ordine omnia externa illius bona, cujus mortem deplorant: nempe, liberos, oves, boves, equos, anseres, gallinas, &c. Ad quę singula respondentes, occinunt hanc Næniam, Cur ergo mortuus es, qui hæc habebas?

Post lamentationem dantur cadaveri munuscula, nempe, mulieri fila cum acu: viro linteolum, idque ejus collo implicatur. Cum ad sepulturam effertur cadaver, plerique in equis funus prosequuntur, & currum obequitant quo cadaver vehitur: eductisque gladiis, verberant auras. vociferantes, Geygeythe begaythe peckelle, id est aufugite vos dœmones in infernum. Qui funus mortuo faciunt, nummos projiciunt in sepulchrum, tanquam viatico mortuum prosequentes. Collocant quoque panem, & lagenam cerevisiæ plenam ad caput cadaveris in sepulchrum illati, ne anima vel sitiat vel esuriat. Uxor mane & vesperi, oriente & occidente Sole, super extincti conjugis sepulchrum sedens vel jacens, lamentatur diebus triginta. Cognati vero ineunt CONVIVIA die tertio, sexto, nono, & quadragesimo à FUNERE. Ad quæ convivia animam defuncti invitant, precantes ante januam. In his conviviis quibus mortuo parentant, tacitè assident mensæ tanquam muti, nec utuntur cultris. Ad mensam vero ministrant duæ mulieres, quæ hospitibus cibum apponunt. nullo etiam cultello utentes. Singuli de unoquoque ferculo aliquid sub mensam jaciunt, quo animam pasci credunt, eisque potum affundunt. Si quod forte deciderit de mensa in terram, id non tollunt, sed desertis (ut ipsi loquuntur) animabus relinquunt manducandum, quæ nullos habent vel cognatos vel amicos viventes, à quibus excipiantur convivio. Peracto prandio, sacrificulus surgit de mensa, ac scopis domum purgat: animasque mortuorum cum pulvere ejicit, tanquam pulices atq; his precatur verbis,

ut è domo recedant, Jelij pilij dossicæ: **Nu wenn/ Nu wenn/** hoc est, ediftis ac bibiftis animæ dilectæ, ite foras, ite foras. Post hæc incipiunt convivæ inter se colloqui & certare poculis. Mulieres viris præbibunt, & viri mulieribus vicissim, seque mutuo osculantur.

De hac oblatione ciborum super tumulos defunctorum, meminit etiam Augustinus sermone decimoquinto de Sanctis, cujus verba hæc sunt: Miror cur apud quosdam infideles hodie tam perniciosus error increverit, ut super tumulos defunctorum cibos & vina conferant, quasi egressæ de corporibus animæ, carnales cibos requirant. Epulas enim & refectiones caro tantum requirit. Spiritus autem & anima iis non indigent. Parare aliquis suis charis dicit, quod ipse devorat. quod præstat ventri, imputat pietati &c. Hactenus Augustinus.

Hæc quæ de superstitiosis ritibus, & ceremoniis illarum gentium narravi, partem ipse vidi, partim ab hominibus fide dignis audivi. Tu vero præstantissime vir, qui variarum rerum cognitione delectari solitus es, pro ea qua excellis humanitate, meum hoc qualecunque scriptum ab homine tui amantissimo profectum, boni consulas oro.



FINIS.



INDEX I.

COMPLECTENS

Memorabiliora Librorum ſex priorum.

A.

Adolphus

Ansle

Brito-

C.

Canutus

D.

Duellum

E.

F.

Fredericus

H.

mitatus

Henricus

I.

Johanna

K.

L.

O.

Orns

P.

Q.

R.

Signe

T.

V.

INDEX II.

COMPLECTENS

Memorabiliora Libri Septimi.

A.

B.

C.

quasdam

Eduardus

E.

Grodera

Jacobus

I.

K.

L.

M.

N.

O.

 Othe

Rusticorum

V.

Z.

Finis Secundi Indicis.

INDEX

INDEX III.
CONTINENS
Memorabiliora Libri Octavi.

A.

B.

C.

Henricus

N.

N.

O.


P.

R.

S.

Sunderburgum

Finis tertii Indicis.



INDEX IV.
COMPLECTENS
Memorabiliora Libri IX & X.

A.

B.

F.

G.

Galielmus

Nicolaus

SYLLABVS AVCTORVM

Qui in Historia laudantur vel illustrantur.

ORDO

Selandorum

T.

V.

ORDO
SEV
INDEX RERVM ac CAPITUM, Quæ
continentur in Descriptione CHOROGRAPHICA.

De

AUCTORES,

Quorum loci nonnulli extra ordinem vel emendati, notati, vel adserti in Descriptione CHOROGRAPHICA.

OMISSA

ADDENDA
NOTIS

PAg. 214. Referendum ad res *Erici Emundi* Regis, quod habet diserte Auctarium Gemblacense à Miræo editum. Ubi legas ad annum à nato Christo MCXXXVIII: "Rex Danorum, auditâ morte Regis Anglorum, cum multo navium apparatu cum militari & pedestri exercitu, fines Angliæ devastat, omni crudelitatis genere, dicens antecessorum suorum hereditario jure & collimitanei maris vicinitate, sibi magis deberi regnum Angliæ, quam Stephano Regi & Nortmannis, ex Wilhelmi Bastardi pervasione. Rex Anglorum reputans periculosum primo impetu cum tam efferato hoste non ex æquo confligere, habitâ dilatione & inspectâ oportunitate, dispersos longe lateque & inhiantes prędæ, facili superavit congressione, multisque eorum aut interfectis aut captis, reliquos compulit cum dedecore ad propria redire."

Pag. 229, 46. *Petrus Duinus Danus circa hæc tempora Vratislaviæ.*) De eo in Breslographiâ suâ, sive Uratislaviâ, Silesiorum metropoli, *Nicolaus Henelius* I. U. D. hæc habet: "Transtulit in cœnobium urbanum S. Vincentii cœnobiarcham & sodales Petrus Duinus Danus Præmonstratensi Ordini circa Annum Christi 1139. Multa Petri illius in Polonicis nostrisque historiis mentio. Cui inscripta incerto authore epitaphia si huic loco insererem, gratiam à lectore me initurum existimavi:"

I.

Conditur hoc tumulo, sacrum hoc qui condidit olim
Delubrum, Petrus nomine, gente Danus,
Ingenio linguâque potens. Verum illud ut amplæ
Sortis causa fuit, sic fuit ista necis.

II.

Hic jaceo infelix sine linguâ oculisque cadaver,
Non oculi exitio, sed mihi lingua fuit.

III.

Conditur hoc tumulo sacram hanc qui condidit ædem,
Fortunæ Danus conditor ipse suæ.

Pag. 595, 20. *Ubi Embricam ad Rhenum pervenisset*) Hujus rei sive historiolæ potius memoriam adhuc servat Ducis ejusdem tumulus, qui visitur hodieque Embricæ in æde ejus urbis cathedrali una cum inscriptione vernaculâ. Eam cujusmodi legit atque enotavit, cum ibi ecclesiastem ageret vir clarissimus ac reverendus SS. Theologiæ Doctor, *Henricus Diestius*, professor modò ac collega meus, hîc adscribendam censui. Est vero ejusmodi:

Int jaer ons Heeren 1433. op sunte Jacobes avent/so staerff Hertoge Geert van Sleswig/ Greve to Holstein/ Stormeren und to Schonvenburgh. Bidt voor de Sile.

Pag. 738, 53. *Hanc fuere, qui Fotislandiam esse*) Etiam Faarœ cognominata hæc insula fuit. Eamque inhabitasse, cum eo adhuc nomine censeretur, Edbertum, qui à prædonibus ad Christi fidem conversus episcopatu postmodum apud Fionios est functus, memoravimus ad annum MXLIV. supra.

ERRATA

E R R A T A.

PAg. 3 verſ. 22 lege *ne* pro *ut*. pag. 5 v. 2 leg. *ſeperaverat*. ibid. verſ. 44 leg. *pene*. pag. 9 verſ. 20 leg. *certari*. pag 17 38 leg. *ſociandam*. pag. 18 25 leg. *Othini*. pag. 24 v. 32. leg. *Frogertha*. pag. 27, 12 leg. *Starcatbero*. pag. 29, 28 leg. *ſuas*. pag. 37, 31 leg. *quartus* pro *tertius*. pag. 41 leg. *Broderus* pro *Roderus*. pag. 54, 1 leg. *continuo*. pag. 55, 25 leg. *ab*. pag. 56, 20 leg. *admirationi*. pag. 57, 29 leg. *illi*. pag. 58, 8 leg. *Chriſtum*. pag. 59, 20 leg. *centeſimum*. pag. 70, 4 leg. 542. pag. 85, 24 leg. *atque*.

TABULÆ, quæ poſita eſt pag. 85, NUMERI VITIOSE EXPRESSI ità reſtituendi:

ALFREDI filius Eduardus I. Angliæ Rex. filij & ſucceſſores ejus,

Adelſtanus Angliæ Rex Northumbriam recipit ac pulſis Danis ſolus regnum obtinuit an. XVI. obijt DCCCCXLII.	*Edmundus I* Angliæ rex. A. C. DCCCCLVI.	*Elredus* Rex A. C. DCCCCXLVIII.	*Edgina* Carolo Simplici Galliæ regi nupta, Ludovici tranſmarini mater.
Edvinus Angliæ Rex A. C. DCCCCLIII. &c.	*Edgarus* Rex Angliæ DCCCCLIX.		*Editha* Othonis I Imp. uxor obiit DCCCCXLVII.
Eduardus II Rex Angliæ DCCCCLXV. &c.	*Edelredus* A. C. DCCCCLXXVIII à rege Danorum *Suenone* oppugnatus amittit Northumbriam, Merciam & tandem ex Anglia in Normanniam Galliæ profugens totum regnum Danis cedit MXIV.		

Cetera, quæ ſequuntur eàdem *Tabula*, rectè ſe habent.

Pag. 94, 41 lege *Graneis*. pag. 96, 54 lege *Ludovicus*. pag. 97, 11 leg. *pretium*. ib. v. 27 leg. *proficuam*. v. 28 leg. *hoc*. v. 53 leg. *Hamnenburch*. pag. 98, 29 leg. *vigere*. ib. v. 54. leg. *pyi*. pag. 99, 1 lege *temporis*. ib. v. 19. leg. *ut arbitrio*. v. 30 leg. *Batavodurum*. v. 48. leg. *conqueruntur*. v. 34 leg. *Valachria*. pag. 100. v. 21 leg. *Flandriam*. pag. 105, 45 leg. *pene*. pag. 105, 34. leg. *fœdere*. pag. 106, 7 leg. *colimus*. v. 8 leg. *habitum*. v. 11 leg. *alliciantur*. v. 30 leg. *pretioſum*. v. 39 leg. *Pictis*. pag. 107, 21 leg. *cis*. v. 25 leg. *Brunſviga*. v. 28 leg. *ceperunt*. pag. 112, 53 leg. *propior*. pag. 113, 1 leg. *Atque*. pag. 130. 4 leg. *donec occurrit Imperator*. pag. 140, 15 leg. *imparatos*. pag. 141, 35 leg. *effuſione*. pag. 141, 31 leg. *defoſſas*. pag. 143, 49. leg. *pomaria*. pag. 145, 10 leg. *idolo* pro *dolo*. pag. 145, 55 leg. *addit* pro *additque*. pag. 148, 30 leg. *Sandvici*. ibid. v. 36 leg. *draconeſque*. pag. 150, 30 leg. *ſigno*. pag. 151, 14 leg. *Edmundo*. ibid. v. 23 leg. *depoſitis*. pag. 158, 4 leg. *accuſatorem*. pag. 158, 39 leg. *ſuppoſititium*. pag. 158, 47 leg. 1077. pag. 160, 48 leg. *atrocitatem*. pag. 162, 8 leg. *reductam*. pag. 162, 38 leg. *Titanum*. pag. 184, 53 leg. *jurisjurandi*. pag. 186, 14 leg. *molituros*. pag. 186, 56 leg. *Londinenſibus*. pag. 189, 10 leg. *abnepos*. pag. 191, 47 leg. *Marſburgi*. pag. 194, 24 leg. *Hieroſolyma*. ibidem v. 32 leg. *connubio*. pag. 195, 23 leg. *interregnum*. ibid. v. 52 pro *Eugenio* leg. *Romano*. pag. 197 leg. *inſtitutum*. pag. 198, 36 leg. *prapoſiti*. pag. 203, 31 leg. *multos*. pag. 205, 28 leg. *milleſimo centeſimo decimo nono*. ibid. v. 29 leg. *amitinum*. pag. 210 leg. *jurejurando*. pag. 212, 39 leg. *pertigiſſet*. pag. 215, 19 leg. *ſegnis*. ibid. v. 55 leg. *epiſcopos*. pag. 222, 44 leg. *debitus*. pag. 223, 3 leg. *ſubtracta*. pag. 224, 23 leg. *anfractus*. pag. 238, 46 leg. *temperare*. pag. 238, 26 leg. *amiſſas*. pag. 249, 38 leg. *vanè*. pag. 255, 1 leg. *annona*. pag. 257, 10 leg. *inſubido*. ibid. verſ. 26 leg. *longam*. pag. 260, 29 leg. *conſtantia*. ibid. v. 35 leg. *Hibernienſem*. v. 36 leg. *vocabulo*. ib. v. 41 leg. *à matre*. pag. 276, 38 leg. *ut curiam*. pag. 277, 35 leg. *deſidiis*. pag. 279, 15 lege *nepos* pro *filius*. pag. 286, 25 leg. *agere tum*. pag. 288, 52 leg. *à Canuti fratre Erico*. pag. 289, 54 leg. *totius*. pag. 288, 37 leg. *progenitam*. pag. 293. 43 leg. *diſcretionis*. pag. 302, 42 leg. *moribus*. pag. 303, 47 leg. MCCXIV. pag. 314, 50 leg. *tertium*. pag. 318, 25 leg. *præponens*. pag. 320, 3 leg. *egereretur*. pag. 321, 29 leg. *indictis*. pag. 335, 50 leg. *centunculo*. pag. 336, 19 leg. *Laurentio*. ibid. verſ. 27 leg. *veniſſe ſcribit*. pag. 341, 28 leg. *dono conceſſiſſet*. pag. 344, 15 leg. *exteros*. pag. 345, 4 l. *exſpectarent*. pag. 348, 8 leg. *Erlandus*. pag. 353, 55 leg. *aſſerere licitum*. pag. 353, 51 leg. *jurisjurandi*. pag. 355 pone *Ingeburga*, quæ omiſſa eſt inter liberos divi Erici. pag. 361, 26 leg. *pratorio*. pag. 384, 26 leg. *Suero*. pag. 418, 3 l. *repetendam*. pag. 447, 32 leg. *pollebat*. pag. 487, 6 l. *ſuo*. pag. 494, 1 l. *Viſbyenſibus*. pag. 496, 30 l. *quacunque*. pag. 499, 38 l. *regi*. pag. 501, 6 l. *qui*. ibid. v. 8. l. *harpyis*. pag. 512, 10 l. *ſoror* pro *filia*. pag. 534, 26 l. *novo*. pag. 538, 48 l. *parocho*. pag. 541, 46 l. *archiepiſcopus Lundenſis*. pag. 542, 31 l. *jurisjurandi*. pag. 543, 34 l. *Ericum* pro *Henricum*. pag. 544, 29 l. *tudicula*. pag. 567, 36 l. *protereretur*. pag. 585, 46 l. *Barnimus*. ibid. v. 51 l. *fœderatos*. pag. 590, 34 l. *cauſa*. pag. 595, v. 14 poſt *nati* pone comma. verſ. 50 leg. *Sueci*. ibid. v. 54 l. *nemine* pro *nemine*. pag. 603 marginalem numerum ità reſcribe MCCCCXXXVI. pag. 605, 46 l. *navigium*. pag. 608 ad oram lege: MCCCCXXXVIII. pag. 610, 30 l. *Barnime*. & ibid. v. 44 l. *Barnimus*. pag. 627, 23 l. *corraſas*. pag. 630, 14 l. *omnemque*. pag. 627, 11 pone ad oram annum MCCCCXLVI. pag. 641, 31. l. *tendentium*. pag. 660, 3 l. *certum*. ibid. 53 l. *fluento*. pag. 665, 53 l. *Chilonium*. pag. 684, 52 l. *autopta*. pag. 675, 31 l. *eos*. ibid. l. *diſerte*. pag. 733, 1 l. *Saltholmia*. pag. 766, 26 l. *Suenone*. pag. 766, 38 l. *Huic*. pag. 769, 5 l. *Academia*. pag. 776, 8 l. *multoties*. pag. 780, 17 lege *relicto*.

HARDERVICI GELRORUM,

Excudebat NICOLAUS à WIERINGEN.

Anno M. DC. XXXI.

